

BIBLIOTECA
SEMINARIO V.
PORDENONE
M
D
MARA

M/ D/ MARA



ASCANII MARTINENGI IN PENTATEVCHVM PROLEGOMENA.

X – 22





ENTATEVCHVS quinque Mosis libros complectens tum ordine, tum rerũ enarratarum splendore inter sacra volumina principem obtinet locum: Mundi enim natalia, omninò abdita, atq; sæculorũ vetustate obuoluta, humanæ sobolis prisca initia, Noetici diluuij colluuiẽ, ac Christi prosapię Heroes, vsq; ad Iudicũ tẽpestatem, methodo equidẽ conspicua, incõparabiliq; exponit. Huius igitur libri, qui annorũ duorũ millium quadringentorũ, ac nonagintatrium gesta nostris glossis suppeditat, commentaria aggressurus, diuino inuocato auxilio, quatuor (quæ præcipua in præludijs existimantur) præferenda esse arbitror; Quisnam primò fuerit huius libri auctor: Quis secundo loco eiusdẽ sit titulus, seu quæ inscriptio: Quod eius argumentum: ac tandem, Quæ ipsius sectio. In auctore autem tria rursum ponderare cogor; quæ, quantaq; sit viri dignitas; qua edoctus reuelatione tam pręclara arcana, & à primis seculi ætatibus recondita, prodiderit; ac demum, quibus elementis, seu characteribus, illa exararit.

Pẽtateuchus gesta continet annorũ 2493.

De Auctore Pentateuchi.

AVctor Moses est, inter priscos Hebræorum Heroes longè clarissimus. Nullus nẽpe inter mortales, nec stupendæ originis, educationisq; eminentia, nec disciplinarum omnium eruditione, nec vitæ selectioribus euentibus, nec priscæ ætatis vetustate, nec immortalium operum fulgore, nec insigni munerũ copia, præstantior, augustiorq; comperitur. Dicam primò (vt mei instituti postulat ratio) quibus ipsum præconijs Patres efferant; deinde, quid ego de ipso contempler, aperiam.

Moses auctor Pentateuchi.

Catena de Mosis præconijs; & primùm de eius præclara educatione.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro primo, Quæ fuerint Mosis natalia, educatio, nomina, ac in prima eius adolescentia ad percipiendas plures disciplinas præstantia, his edisserit;

Genus eius, & res gestas, & vitam ipsæ scripturæ, quæ sunt fide dignæ, prædicant; & tamen à nobis quoque dicendum est, quòd Moses, cùm ex alto petita origine genere esset Chaldæus, natus est in AEgypto, cùm maiores eius propter diuturnam famem ex Babylone migrassent in AEgyptum. Septima generatione geni-

Moses quo tempore genitus.

tus, & regaliter educatus, tali fortunæ casu vsus est. Cùm Hebræi in Ægypto creuissent in magnam multitudinem; veritus Rex regionis, ne eorum, qui ex Hebræis nascebantur, multitudo ei pararet insidias, iubet ipsos alere quidem fœminas, (est enim res ad bellum imbecillis mulier) masculos autem interimere, suspectam habens validam iuuentutem. Cùm nobili autem loco esset natus puer, tribus deinceps mensibus celantes, eum parentes alebant naturali amore vincente tyrannicam crudelitatem. Postea autem veriti, ne vnà cum puero perirent, cùm ex papyro, quæ in ijs locis nascitur, vas construxissent, ad palustris, stagnantisq; fluuij ripas puerum impositum exponunt. Obseruabat autem soror, quid esset euenturum, procul stans à puero. Regis filia, quæ longo tempore non concipiebat, filium autem desiderabat, illo die eò venit ad fluuium, vt se lauaret, & aspergeret. Cùm flentem autem puerum audiisset, iussit ad se adduci, eiusq; miserta, quærebat nutricem. Tunc accurrens soror pueri, dixit se habere Hebræam feminam, quæ non multo antè peperisset, eamq; adducturam si velit. Quæ cùm assensa esset, & rogasset, adduxit ipsius pueri matrem, tanquam aliquam aliã, mercede constituta nutricem eius futuram. Deinde puero imponit nomen Regina, Moses, apta etymologiæ, eò quòd eum ex aqua sustulisset. Aquam enim Moy vocant Ægyptij, in qua moriturus fuerat expositus; Moysem enim vocant eum, qui ex aqua emersus respirauerit. Clarum est ergo, quod prius circunciso puero parentes aliquod nomen imposuerunt. Vocabatur autem Ioachim. Habuit autem tertium quoq; nomen in Cęlo, postquam assumptus est, vt dicunt Mystæ, nempe Melchi. Cùm autem ætate esset grandior, Arithmeticam, & Geometriam, Rythmicam, & Harmonicam, & præterea Medicinam simul & Musicam doctus est ab ijs, qui erant insignes inter Ægyptios; & præterea eam, quæ traditur per symbola, seu signa, Philosophiam, quã in literis ostendunt Hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem, tanquam puerum regium, Græci eum docuere in Ægypto, vt dicit Philo in vita Mosis. Didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cęlestium scientiã à Chaldęis, & ab Ægyptijs. Vnde in eius rebus gestis dicitur doctus fuisse in omni sapientia Ægyptiorum. Eupolemus autem in libro de Iudææ regibus, dicit Mosem primùm fuisse sapientem; & Grammaticam primùm tradidisse Iudæis, & Phœnices accepisse à Iudæis, Græcos autem à Phœnicibus. Ad eorum autem deductus naturam, auxit prudentiam, eam, quæ erat sui generis, & maiorum suorum æmulatus doctrinam; adeò vt etiam Ægyptium, qui Hebræum iniustè inuaserat, percutiens interfecerit. Aiunt autem Mystæ eum solo verbo occidisse Ægyptium, sicut certè postea Petrus in Actibus fertur eos, qui pretium agri sibi vsurpauerant, & mentiti erant, verbo interfecisse. Artapanus certè in opere de Iudæis refert, Mosem in custodia inclusum à Nechephre Rege Ægyptiorum, eò quòd peteret, vt populus liberaretur ex Ægypto, noctu aperto carcere, Dei voluntate egressum, cùm in regiam accessisset, dormienti Regi adstitisse, & eum excitasse, eum autem eò quòd factum fuerat stupefactum, iussisse Mosi, vt diceret nomen eius, qui miserat, & illum quidem, cùm ad aurem se inclinasset, dixisse. Regem autem, cùm audiisset, mortuum cecidisse, cùm eum autem Moses tenuisset, rursus reuixisse.

Mosis nomina, & doctrina.

Act. 5.

Moses Platoni comparandus, ac præferendus.

Strom. lib. 1.

CLEMENS Ibidem.

Fuit enim multa doctrina præditus, sicut etiam Pythagoras multa ex nostris transtulit in suorum dogmatum traditionem. Numenius autem Philosophus Pythagoreus apertè scribit; Quid enim est Plato nisi Moses, qui loquitur atticè? Hic Moses erat Theologus & Propheta, vt autem nonnulli, sacrarum legũ interpres.

CYRILLVS contra Iulianum libro secundo, Mosem ex vitæ probitate Platoni, his verbis præfert;

Exodi 33.

Itaq; de Mose dixerim, siquis celebrare illum velit, longum & prolixum sermonem haberet. Audi enim Deum manifestè dicentem; Noui te præ omnibus, & gratiam inuenisti apud me. Multiplicem autem virtutem, qua præditus erat, satis manifestè indicat miraculorum virtus, quæ in Ægypto facta sunt. Subditus enim erat vniuersorum Deo, ac ministrabat vltionem contra Ægyptiorum insanias exigenti. At qualis Plato fuerit, etiam si nemo dicat, satis diuulgabit eius in Siciliam ex Athenis peregrinatio. Nam cùm Dionysio ob adulationem non placeret, dicunt tanquam illiberali mancipio pœnam dignissimam esse intentatam. At nunc de hac re parcat sermo; sed redeat rursum ad id, quod in manibus.

Moses Dei Nuntius.

IOANNES Chrysostomus Homilia secunda super Genesim, Legationis Mosis munus, quasi è Cęlo ad mortales emissi, his celebrat verbis;

Etenim Deus humani generis conditor, ab initio per se ipsum hominibus loquebatur, quomodo hominibus audire eum possibile est. Sic enim ad Adam venit: Sic Cain increpauit: Sic cum Noe locutus est: Sic apud Abraham hospitatus est. At vbi in magnam malitiam omne hominum genus degenerauit, neque tunc se se totum ab hominum genere auertit opifex omnium: sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innouare volens, quasi longe absentibus literas mittit conciliaturus sibi vniuersam hominum naturam. Et has quidem literas dedit Deus; attulit autem Moses. Quid igitur dicunt hæ literæ? In principio fecit Deus Cęlum, & terram.

Gen. 1.

Basilius

BASILIVS Hexemeron Hom. prima, Mosis, vti insignis Nuntij, auctoritatem ab educatione, ac non fucata vitæ integritate, ex Deiq; visione his cōmendat;

Moses igitur is est, qui commentationem hanc scripsit; Moses ille, qui testimonium habet, quòd elegans fuerit apud Deum, cùm adhuc infans esset, ac alimentum sugeret primum; quem Pharaonis filia adoptauit, regioq; modo sapientibus AEgyptiorum adhibitis præceptoribus, educauit, ac erudiuit; qui tyrannidis aspernatus fastum, humilitatemq; gentis, nationisq; suæ complexus, ærumnas cum populo Dei, calamitatesq; subire maluit, quàm breui tempore peccando voluptate potiri. Qui summo amore suapte natura iustitiam prosequutus, vbi, & antea quàm principatus ipsi populi, magistratusq; traditus esset, ad necem vsq; (nimirum ob improbitatis odium insitū ipsius naturæ) malos puniuisse videtur. Eorum verò gratia profugus, in quos ipse beneficia contulerat, Aegypti quidē libenti animo tumultus reliquit. Ad Aethiopiam autē vsq; profectus, ibiq; relictis omnibus, otium nactus, totos quadraginta annos contemplationi rerum indulsit. Qui natus iam annos octoginta, Deum vidit, quoad homo videre potest: immò verò, quod cæterorum contigit nemini; secundum testimonium Dei dicentis; Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione illi innotescam, vel per somnium eum alloquar; non ita, vt seruus meus Moses, qui in tota mea domo fidelissimus est; ore ad os illum alloquar in visione, & non per ænigmata. Is igitur, qui Deum æquè, atq; Angeli, ipsa facie vidit, hæc ex ijs nobis refert, quæ ab ipso Deo percepit, & audiuit.

Moses regio more educatus.

Num. 12.

AMBROSIVS idipsum repetit Hexemeron lib. 1. capite 2.

Quis hoc dicat, aduertere debemus. Moses vtiq; ille eruditus in omni sapientia AEgyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis, vt filium dilexit, & subsidijs regalibus fultum, omnibus secularis prudentiæ disciplinis informari, atq; instrui designauit. Qui cùm de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum, quòd ex aqua constarent omnia, vt Thales dixit. Et cùm esset in aula educatus regia; maluit tamen pro amore iustitiæ subire exilium voluntarium, quàm in tyrannidis fastigio peccati perfunctionem delicijs acquirere. Deniq; priusquam ad populi munus liberandi vocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, accipientem iniuriam de popularibus suis vltus, inuidiæ se se dedit, voluptatiq; eripuit; atq; omnes regiæ domus declinans tumultus, in secretum AEthyopiæ se contulit, ibiq; à cæteris negotijs remotus, totum diuinæ cognitioni animū intendit, vt gloriam Dei videret facie ad faciem. Cui testificatur Scriptura, quia nemo surrexit amplius Propheta in Israel, sicut Moses, qui uidit Dominum facie ad faciem. Non in visione, neq; in somnijs, sed ore ad os cum Deo summo locutus: neq; in specie, neq; per ænigmata; sed clara, atq; perspicua præsentiæ diuinæ cognitione dignatus.

Deut. 34. Moses gloriā Dei vidit facie ad faciē.

Moses Propheta insignis.

GREGORIVS super Ezechielem Homilia prima; Mosem, veluti Prophetam præclarum de præteritis, ac futuris prophetasse his asseuerat;

Sciendum quoq; est, quia prophetiæ tempora inuicem sibi concinunt ad probationem, vt aliquando ex futuris præterita, aliquando verò ex præteritis probentur futura. Dixerat enim Moses; In principio creauit Deus Cœlum & terram. Sed quis crederet, quia verum de præterito diceret, si de futuro etiam aliquid non dixisset? In ipsius etenim libri fine, in cuius exordio illa de præterito dixerat, aliquid prophetiæ per Iacob vocem de venturis permiscuit, dicens; Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium. Qui etiam per semetipsum, eundem, qui mittendus erat, ei quem ducebat, populo prophetauit, dicens; Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis. Erit autem, quicunq; non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populo suo. Cur ergo præteritis ventura permiscuit, nisi, vt dum implentur ea, quæ de futuro prædiceret, ostenderet etiam, quia de præterito vera dixisset?

Gen. 1.

Gen. 49.

Deuter. 18.

IOANNES Chrysostomus Homilia secunda in Genesim.

Considera, charissime, quàm admirabilis, & eximius sit ille Propheta. Alij enim omnes Prophetæ dixerunt vel quæ multis postea temporibus futura erant, vel quæ in futuro sæculo euenient. Beatus autem ille natus, cùm iam multa Mundi transissent secula, & ducem, & directricem sortitus supernam dexteram, dignus est habitus, vt illa nobis diceret, quæ ante suam natiuitatem omnium Dominus formauerat. Idcircò & sic incepit, dicens; In principio fecit Deus Cœlum, & terram. Quasi ad omnes nos clara voce clamet, & dicat; Num ab hominibus doceor, vt hæc loquar? Minimè. Sed qui hæc, cùm non essent, fecit vt essent; hic & linguam meam ad isthæc enarranda impulit.

Gen. 1.

Moses non tantum Rex & Philosophus, sed Legislator, Pontifex & Propheta.

PHILO de vita Mosis, libro secundo, Mosis dotes, quæ fuerint, explicat, cū scribit;

Superiore libro diximus de natiuitate, ac educatione Mosis, deq; eruditione, ac principatu, non solum irreprehensibili, verumetiam laude omni dignissimo: tùm quid in AEgypto, & in itinere gesserit, vel ad rubrum Ma-

re, vel in deserto, res, quæ nulla eloquentia pro dignitate possunt exprimi, laboresq; non minores successibus, & agros attributos parti exercitus, in hoc libro attexentur, quæ deinceps de actis eius dicenda sunt. Est enim quorūdam haud improbanda sententia, ita demum fore felices Respublicas, si aut philosophentur Reges, aut regnēt Philosophi. At in hoc vno viro plures etiam dotes reperiuntur, cùm tres alias habuerit præter regiam, & philosophicam; quarum aliam exercuit in ferendis legibus, aliam in pontificatus munijs, aliam in vaticinijs propheticis: quarum rerum necessariam narrationem nunc instituí.

Moses summus Sacerdos, et Pontificum Pontifex.

Quæst. 23. Epist. 86. Mosem summum fuisse Sacerdotem, Pontificumq; Pontificem existimarunt, præter Philonem, & Iosephum, Augustinus super Leuiticum, Leo Papa in Epistolis: Sed clarius id tradidit

Orat. 6. GREGORIVS Nazianzenus in oratione, quam habuit præsente Gregorio Nysseno fratre Basilij,

Psal: 98. *Quis ex legislatoribus illustrissimus habetur? Moses. Quis ex Sacerdotibus sanctissimus? Aaron: nec minus fratres pietate, quàm corporibus: seu potius Deus Pharaonis, & populi Israelitici præfectus, & legislator, qui in nubem ingrediebatur, & diuinorum mysteriorum inspector, ac sacrorum princeps erat, ac Tabernaculi veri fabricator, quod compegit Dominus, & non homo. Ambo autem pariter Sacerdotes erant. Moses enim inquit, & Aaron in Sacerdotibus eius. Hic quidem Principum Princeps, & Sacerdotum Sacerdos, tanquam lingua Aaronis vtens opera. Ipse autem in ijs, quæ ad Deum pertinent satagebat: at ille proximus erat post eū, longè autem præ alijs tam dignitate, quàm approximatione ad Deum. Ambo AEgyptum plectentes, Mare diuidentes, populum Israeliticum educentes, inimicos submergentes, panem de Cœlo elicientes, aquam, incredibile dictu, in deserto educentes, & edulcantes. Ambo Amelech debellantes, sancta manuum extensione, figura mysterij maioris. Ambo ad Terram promissionis ducentes, & festinantes. Nunquid manifestius imagine ista esse posset? nonne sermo pictor, manifestè cognominem, mihi verò vnanimem designauit?*

Mosis Nomen, quàm fuerit apud priscos illustre.

IVSTINVS Philosophus & Martyr, in libro Admonitorius Gentium appellato: Mosem legislatorem, tùm antiquitate, tùm rerum gestarum eminentia, à priscis ēt seculi eruditis eximium, celeberrimumq; existimatū fuisse, cumulatè ita scribit;

Sed & Diodorus apud vos historicorum omnium probatissimus, qui Bibliothecas compendio conclusit, & triginta continuos annos in Asia, atq; Europa, vt ipse scribit, ambienda consumpsit, necnon plurima proprijs oculis hausit, quadraginta suæ historiæ libros reliquit: Quorum primo cùm retulisset se à Sacerdotibus AEgyptijs didicisse, antiquum, primumq; legislatorem fuisse Mosem, ita de eo ijs ipsis verbis mentionem fecit; Post antiquam apud AEgyptios vitæ constitutionem, quam Deorum, heroumq; temporibus fuisse fabulantur, multitudini dicunt persuasisse, scriptis vti legibus, eisdemq; gubernari Mosem, magno animo virum, & probatissima vita celebratum. Idem paululum progressus, dum vellet antiquorum legislatorum mentionem facere, primum citat Mosem, de quo his in hunc modum verbis scribit; Apud Iudæos quidem Mosem, quem vocant Deū, siue ob admirabilem, diuinamq; notionem, quam decernit hominum multitudini profuturam, siue ob excellentiam & potestatem, quibus vulgus ipsum susceptæ legi libentius obsequitur: Secundum inter legis positores AEgyptios Sauchnin fuisse commemorant, insignem prudentia virum: Tertiū Sesochosin dicunt Regem, qui non modo inter AEgyptios bellicis negotijs præcelluerit, verumetiam bellacem gentem legum positione frenauerit: Quartum Bochorim statuunt, & eundem Regem, quem memoriç prodiderunt & de modo regnandi, & de domestica dispensatione AEgyptijs præcepisse: Sextus dicitur Xerxis pater Darius AEgyptijs legibus addidisse. Hæc viri Gentiles de Mosis antiquitate literis mandauere, qui alieni sunt à nostra Religione, & ea ipsa se ab AEgyptijs Sacerdotibus didicisse retulerunt, apud quos non solum natus est Moses, sed etiam AEgyptia eruditione dignus est habitus.

De Mosis Antiquitate.

Strom. lib. 1. De prep. Euang. lib. x. cap. 3. In admonit. De Mosis antiquitate exactius, fusiusq; scribunt Clemens Alexandrinus, Eusebius, & Iustinus. Sed præter hos, Mosem, omnes Theologos, Poetasq; priscos anteisse,

THEODORETVS de Græcarum affectionum curatione libro secundo, qui est de principijs, eleganter hisce demonstrat;

Vobis autem hæc explicui, non tanquam nugax homo, verbosusq; fabulator, sed quì vobis ostenderem fuisse Orpheum generatione vna bellis Troianis antiquiorem. Linus porrò, ac Musæus, circa Troiana tempora viguerunt. Thamiris item, ac Philammon fuerunt illis contemporanei. Cùm ergo, vt Porphyrius inquit, Moses hisce Poetis sit mille annis antiquior, hi verò Poetarum sint antiquissimi; post eos enim & Homerus, & Hesiodus nati sunt, qui & Thaletem, & alios Philosophos multis annorum spatijs præcesserunt, cumq; sit Thales, auditoresq; Thaletis vetustiores insequutis Philosophis; cur non, quæso, his omnibus relictis ad Mosem oceanū

Theologiæ

Theologiæ transimus, à quo, vt poeticè dicam, fluuij omnes,& maria omnia deriuantur? Illinc enim & Anaxagoras,& Pythagoras, Platoq; post eos, parua quędam veritatis lumina,quędamq; initia desumpserunt. Socrates quoq; , qui Archelao,Anaxagorę́q; conuixit , ab eis didicit quæcunq; de Deo alijs ipse tradidit . Moses verò nequaquam sequutus hominum rationes, sicut illi fecerunt, sed clarissima Dei voce perdoctus, Theologiam nobis conscripsit .

CYRILLVS contra Iulianum libro primo, Mosem pariter priscos gentilitatis Heroes illos, quos ipsa antiquitas vetustissimos existimauit, quorumq; gesta, omnium prima arbitrata sunt, præcessisse, luculentius demonstrat, dicens;

Itaque ab Abrahæ temporibus vsq; ad Mosē descendentes, noua inde annorum exordia iterum incipiamus, Mosis natiuitatem numeris præmittentes. Anno septimo Mosis,aiunt natum Prometheum, & Epimetheum, & Atlantem Promethei fratrem,pręterea & Argum cuncta cernentem . Tricesimoquinto anno Mosis primus regnauit Athenis Cecrops, qui cognominatus Diphyes: hunc ferunt primùm ex hominibus sacrificasse Bouem,nominasseq; Iouem apud Gręcos summum deorum. Sexagesimoseptimo anno Mosis,tradunt fuisse Diluuium Deucalionis in Thessalia, pręterea & in AEthiopia,sicut ipsi dicunt,Solis filium exustum esse Phætontem.Septuagesimoquarto anno Mosis, quidam Hellen dictus, Deucalionis & Pyrrhę filius,Gręcis sui nominis agnominationem dedit , cùm antea vocarentur Græci . Centesimo & vicesimo anno Mosis, Dardanus condidit Ciuitatem Dardaniam, regnante apud Assyrios Amynta, apud Argiuos autem Stenelo, apud AEgyptios verò Ramesse, vocabatur autem ipse & AEgyptius Dani frater . Centesimo & sexagesimo anno post Mosem , Cadmus Thebis regnauit,cuius filia Semele, ex qua Bacchus, vt ipsi dicunt , ex Ioue. Erat autem tunc & Linus Thebanus,& Amphion Musici. Assumpsit autem tunc apud Hebræos Sacerdotium Phinees filius Eleazar , filij Aaron, mortuo scilicet Aarone . Centesimo & nonagesimoquinto anno post Mosem, ferunt , fuisse Proserpinam virginem raptam ab AEdoneo, idest,Orco Rege Molossorum: hic Canem maximum aluisse dicitur, Cerberum nomine,qui apprehendit Pirithoum,& Theseum, venientes ad raptum vxoris : cùm periisset autem Pirithous, adueniens Hercules , Theseum in mortis periculo constitutum , ex inferno liberauit , vt fabulantur . Ducentesimo & nonagesimo anno,Perseus Dionysium,hoc est Liberum,occidit ; cuius & sepulchrum esse dicūt in Delphis iuxta aureum Apollinem . Quadringentesimodecimo anno post Mosem, expugnatum est Ilium , iudicante apud Hebræos Esebon , apud Argiuos Agamemnone,apud AEgyptios Vaphre,apud Assyrios Teutamo. Colliguntur igitur à natiuitate Mosis vsq; ad destructam Troiam,quadringenti decem anni. Et nunc vide eos, qui deinceps: dicam autem perfunctoriè, neq; in medio morabor, occasionem potius sumens loqui de necessarijs personis . Mosis Antiquitas.

AVCTOR.

CAEterum in protrahenda hac de Mosis encomijs catena, in recitandisq; de ipsius laudibus sententijs, quæ innumeræ propè sunt,prolixior non ero, ne æquora in æquoribus refundere videar: sed ad meam explicandam contemplationem accedens, dignitatem Mosis à tribus præcipuè expetendam esse duco ; A destinatis ei à Deo muneribus, functionibusq; : Ab illustri prosapia: Tertio loco à præclara vitæ serie,qua tùm animi, tùm corporis connatæ,præclaræq; dotes exprimentur . Quare altius eius præconia non disserendi, sed contemplandi libertate (mihi parcat, qui has lucubrationes perlegere dignabitur) assumere, indagareq; necesse habeo; sed vnde nam exordiar?

De Mosis Munijs.

FECIT Deus duo luminaria magna, inquit Scriptura ; luminare maius, vt pręesset diei;& luminare minus,vt pręesset nocti & stellas. Nostro proposito quidem aptissima sunt hæc, si à litera abscedentes, internos sensus contemplari studuerimus. Habet orbis coruscantia hæc luminifera , Solem,& Lunam; quibus die ac nocte,tenebris pulsis illuminatur: Habet etiam symbolica luminaria, Christum scilicet,& Mosem , quibus errorum fugatis tenebris , legis nocte , gratiæq; die,luce veritatis mortales illustrantur. Verùm, sicut in prima rerum effectione, primò nox, postea dies dilapsa est: iuxta illud; Factum est vespere & mane dies vnus:ita defluentibus sęculi ætatibus, nox ipsa symbolica diem præcessit; noctem siquidem symbolicam fuisse naturæ , & legis sęcula , ab Adam ad Christum protracta; diem verò gratiæ extasse tempora à Christo ad Mundi finem dilabentia,non ineptè dicere possumus. Hoc noctis, dieiq; mystici huius mysterium, Sapientia nobis exposuit,cùm dixit; Dum medium silentium tenerent omnia,& nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus è regalibus sedibus venit:hoc est, maximè sæuiente legis nocte , atq; orbe

Gen. 1.

Christus Sol. Moses Luna.

Gen. 1.

Sap. xi.

Orbe, in immensiores errorum, criminumq; abyssos præcipitato, ac obruto, superuenit
inopinata gratiæ dies; cùm sola Dei misericordia (qua sic dilexit Mundum, vt filium suũ
Ioan. 3. vnigenitum daret) ea temporis plenitudine, quæ ab æterno sancita fuerat, iustitiæ Sol
Christus in Orizonte nostro effulsit, vt ad meridianum inde diei gratiæ ascenderet. No
cti igitur contulit Deus luminare minus, Mosem; qui pallente, nec admodum emican-
te legis lumine, illa sæcula illustraret: Diei verò, luminare maius præbuit, Christum;
qui coruscante Euangelij splendore, Vniuersum irradiaret. Sed attendas precor ordi
nem. Non ab initio noctis Luna orta est, sed primò præcesserunt stellæ; præcesserunt
siquidem insitæ à Natura hominibus leges naturales optimũ deprecãtes: surrexit inde
Luna, hoc est Moses legislator, qui stellas nequaquam obtenebrauit, sed clariorẽ Orbi
detulit splendorem; quia decreta Naturæ nõ ademit, nec aboleuit; sed fulgentius lumẽ
præbuit, & diffudit; cùm Dei voluntatem, à Natura obscurè nobis traditam, luculentius
lege explicauerit. Hac Luna, vix ad meridianum vecta, dum nox legis medium iter per-
ageret, præcedente Aurora, Virgine Deipara, Sol Christus effulsit, qui coruscantibus
suis radijs, stellarum, Lunæq; lumen non abstulit, sed obtenebrauit; quia non venit Na-
Math. 5. turæ instituta, & Mosis legem soluere, sed adimplere. Tanto enim fulgore Euangeliũ
enituit, vt omne id, quod à Natura & lege impertitum fuerat lumen, ex perfectione E-
uangelica ferè obrui visum sit. Sol igitur Christus est, Luna Moses. Sol lucis fons est:
Ioan. 1. Christus Dei Sapientia æterna, homo factus, lux est vera, quæ illuminat omnem homi-
nem venientem in hunc Mundum; bene vera, quia per essentiam, non per participatio-
nem lumen erat. Luna non ex se, sed à Sole lumen recipit; ita Moses, legem non à se,
(quia purus erat homo) sed à Deo, Spiritu Sancto dictante, recepit. Sol, ex illo solari
iubare, fulgentissimos radios omni ex parte emittit, tàm ad Cœlum, quàm ad terram,
nunquam obtenebrandos. Luna cùm lucem à Sole mutuet, ea tãtùm facie, qua Solem
respicit, clarescit & fulget; ita vt diuersas admodum facies nobis ostendat. Nam cùm
ex opposita Cœli parte, Soli se se obijcit, lumine tota perfusa apparet; cùm verò sub So
le posita est, nobis ferè obscura redditur: Ita Christus Sol, connata sibi luce, in beatos
beatifica, in homines reuelata scientia semper emicat. Moses verò vti Luna, ea vnica
splendescit ratione, qua Christum venturum respicit, eoq; magis claruit, quò magis
Galat. 5. à Christo, Euangelijq; tempore distabat. Appropinquante siquidem Euangelio, ex obũ
brabatur paulatim quoadusq;, cùm id superuenit, penè tota delituit. Nam in Chri-
sto neque circuncisio, neque præputium aliquid valet, sed noua creatura. Lunæ inter-
est noctem humorum nutricem fouere, terræmotus inferre, ventos excitare, nubibus
Cœlum tegere, grandines, glacies, pruinas alere: Solis verò munus est, reddito die, o-
mnia viuificare, serenitatem afferre, ex immenso calore cuncta ad fecunditatem pro-
uehere. Moses seueritate legis, inter tonitrua, coruscationes, fulgura, caliginesq; rece-
ptę, mortales perterrebat, pœnas graues, ac ineuitabiles infligebat, vota mortaliũ non
ad cœlestia, sed ad terrena tantum vehebat, iustitiæ semitam præsignabat; sed claudicã
tibus auxilium non ferebat. Christus verò, Euangelij suauitate, mortales allicit, veniã
optatam omnibus condonat, spes nostras ab his terrenis, vti momentaneis, ac vilescen-
tibus rebus, non saturantibus, solutas ad cœlestia erigit, efficacissimo gratiæ radio sapi-
dos virtutum fructus innumerabiles elicit. Sol sub Zodiaco, motus suos ea ratione per-
ficit, quòd ab Ecliptica nunquam discedit. Luna sub Zodiaco quidem circumuolui-
tur; sed non semper in Ecliptica decurrit. Porrò in Zodiaco vita est (Zodiacus enim à
ζωή, quod est vita, dicitur;) in Ecliptica verò radix vitæ esse fertur; ex eò, quòd in ea p-
petuam Sol sedem teneat. Pari euentu in Euangelio, vti in Ecliptica vera, radix est vi
Ioan. 14. tæ; Christus enim, qui vera Via, Veritas est, & Vita, in hoc sedem habet. In lege, vti in
Zodiaco, vita quidem comperitur, sed ex Eclipticæ, hoc est, Euangelij virtute: nam in
lege Mosis vita insita est, non à se, sed inquantum Christum venturum credit. Genti-
lium leges omnes, extra Zodiacum, ac vitam sunt. Porrò ex his speculationibus dedu-
Iudaicę cæcitatis ratio. cam exemplo (si potero) Iudaicæ cæcitatis rationem. Solis fit eclipsis, quando Luna
sita inter Solem & nos, fulgentissimos suos radios ad nos eum diffundere non permit-
tit; quo etiam tempore Luna, licet in parte ad Solem versa claritate prædita sit; nobis
tamen obscura (quia in nouilunio est) apparet. Hæc Christi est eclipsis, quæ in Iudæo-
rum

rum regione nunc efficitur. Moses enim, veluti Luna, ita interpositus est inter Christū & Iudæos, (cùm ab eius auctoritate discedere negligant) vt Christi agnitionem eis interdicat: eo successu, vt si Mosem, ac legem, ea facie, ea scilicet interpretatione, qua Solem, hoc est Christum respiciunt, interpretarentur; facilè & legis internos sensus penetrarent, & ex ea luce ad luminis fontem Christum peruenirent. Verùm, cùm Mosis legem ea facie, illa videlicet literæ consideratione respiciant, qua secundum literæ corticem, Soli, hoc est Christo, terga vertit & opponitur; ob id euenit, vt & Moses tenebrosus illis reddatur: nullas enim ingenuas, ac legitimas, sed vanas, ridiculasq; de Mosis dictis intelligentias habent; nec per eas ad Christum accedere possunt. Hac fortè ratione non incongruè in plenilunio tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, dum Christus super Crucis patibulum elatus, Orbi conspiciendus traditus est: non tantùm, quòd Sol conditorem suum, ita dilaniatum, conspicere non ausus fuerit, vel cum omnibus creaturis tam sæuam mortem deplorare voluerit: sed vt eclipsim Iudaicam, (benè in plenilunio, hoc est in redemptionis plenitudine factam) indicarent; non quidem naturalem (cùm ea in plenilunio confici non possit) sed violentam. Neq; etenim, ex præstita sibi à Deo caussa, in cæcitatem illam Iudęi corruere, qua Iudaismus (vt egregiè D. Paulus docet) fidem Gentilitati cessit: sed ex peruicaci sua, duraque voluntate, qua oblatam sibi salutem acceptare renuerunt, Deoq; semper reluctarunt. Moses igitur, Christo comparatus, nulla prorsus eminet dignitate: Sol enim Lunæ fulgores omninò obtenebrescere facit; Sed stellis, in ipsius noctis tenebris, hoc est in ipsa naturæ, ac legis tempestate, Prophetis videlicet reliquis collatus, mirificam admodum dignitatem præ se ferre dignoscitur. Dignitas verò hæc Mosis, à quatuor eius singularibus functionibus, seu muneribus, quæ in Scriptura magis celebrantur, illustrata videtur. Moses enim Propheta maximus, Dux, Legislator, ac Sacerdos in sacro eloquio nuncupatur & declaratur. Propheta primò insignis ostenditur; cùm nō tantùm Spiritus Sācti afflatu, vel ex imaginibus, seu spectris apparentibus, vel Angelo reuelante, abdita à primis sęculis prodiderit, vt cęteri Prophetæ; sed quia (vt D. Augustinus, ac D. Thomas arbitrati sunt) Dei essentiam (raptim tamen) viderit: ad tantamq; euectus sit gratiam, ut (sicut D. Basilius scripsit) faciem Dei, æqualiter cum Angelis inspexerit, ac per transennam (vt aiunt) sit contemplatus. Verùm quo reuelationis genere Moses p̄fusus Pentateuchum scripserit, vberiùs suo loco disceptabimus. Dux etiam præclarus fuit Moses; siquidem non à Republica, non à Rege, vel Principe, sed à Deo mirificis portentis, quasi impressis literis, vocatus, Iudaicæ gentis imperator fuit constitutus; viribusq; non humanis, sed diuinis, Ducis partibus est functus: nā pro copijs, quibus Aegyptios, cęterosq; Iudaici nominis hostes prostraret, deleretq;, Dei virgam habuit, qua & maria diuideret, & Manna, ac Coturnices, quasi annonam ex aere nubibus obuoluto, hauriret; aquas è petra excuteret; cunctaq; sibi aduersantia contereret. Legislator ēt eximius Moses extitit. Lygurgus etenim, ac Minos suas, & suo marte editas leges à Dijs fuisse sibi datas, dicere, vt leuissimos sibi populorum animos cōciliarent, improbè sunt ausi; & affectata virtute, fucataq; vitæ probitate, maximam sibi apud homines auctoritatem compararunt; vel Deorum congressus simularunt, quemadmodū Numa cum Nympha Egeria. Cæterum Moses egregius, veraxq; Legislator, cum Deo colloquia, non fictitia, sed euidentissimis portentis roborata habuit; ac omnium virtutum genere insignitam vitam tulit; & legem, quadraginta dierum suffultus ieiunio, fumigā te igne, coruscantibus tonitruis, admirantibus Iudæis, in Monte, non clàm, sed aperto die, lapideis tabulis, Dei digito incisam, exaratamq; detulit. Summus etiam Pontifex nuncupari potest; cùm Sacerdotis summi munera obijsse, Tabernaculum erexisse, Altare vnxisse, Aaronem consecrasse, omnesq; sacros ritus tradidisse legatur. Hoc idem testatus est Dauid, cùm dixit; Moses & Aaron in Sacerdotibus eius: idipsum asseuerarunt Philo de vita Mosis, Augustinus supra Leuiticum, Leo Papa in Epistolis, Gregorius Nazianzenus, ac plurimi ex Patribus. Sed hæc de Mosis dignitate dicta sufficiant.

Solis obscuratio in Christi Passione mysteriosa.

Dignitas Mosis vnde sumatur.

Moses Propheta exim.

Moses Dux insignis.

Moses Legislator præclarus.

Moses summus Sacerdos.

Psal. 98.
Lib. 2.
Quęst. 23.
Epist. 86.

De Mosis

De Mosis Nobilitate.

Mosis geneologia.

OSES Amram filius fuit, nepos Chaat, pronepos Leuì, ex Iacob, Isaacq; & Abraham prosapiam traxit: & quodnã stemma hoc illustrius, nobiliusuè, & excelsius existimari potest? Quænam gens, seu progenies tot Duces, Reges, Pontifices, Heroes habuit? Quænam à Deo præstantiora beneficia, & maiores gratias recepit? Quæ tandem tantùm promeruit, vt Dei æternus filius ex se carnem assumeret, quo nil sublimius, eximiusq; ei contingere poterat? Cæterum, hac audita Genealogiæ nobilitate, duæ difficultates non spernendæ statim exurgunt. Prima est, quanam diuinæ prouidentiæ ratione, Sacerdotium, ac imperium, non in Ruben, nec in Iudæ stirpem collata fuerint, cùm maximè ille primogenitus, hic benedictionibus locupletatus esset, sed in Leuì, tertio loco nati, insuper à Iacob suprema benedictione priuati, prosapiã peruenerit. Altera si Aaron, natu maior erat, quare ipsi Sacerdotalis dignitas impertita est à Mose, regali sibi seruata? cùm regalis Sacerdotali eminentior, saltem ante Christum censeretur? Sed pro his attendendum, quòd alia est ratio primogenituræ hominum iudicio, alia Dei intuitu: Hominum iudicio primogenitura eius est, qui secundum carnem primo loco nascitur; Dei verò approbatione eius, qui secundum spiritum primum probitatis locum nanciscitur. Ex hac primogenitura, Deus ex filijs Adæ, non Cain, natu maximum, sed Abel; eoq; sublato, Seth, eiusq; prælegit sobolem. Ex Noe filijs, non Iaphet, primo loco editũ, sed Sem, suamq; progeniem dilexit. Ex Isaac geminis, repulso Esau, Iacob selegit: hacq; Dei infallibili prouidentia, non Ruben, nec Simeonis, nec Leuì, sed Iudæ, quarto loco nati, posteritas ad regales, pontificiasq; dignitates ducebatur. Quapropter Iacob diem vltimum clausurus, cùm filijs futuros euentus prædiceret, Dei nutu, Ruben, ob maculatum stratum Patris, Simeone, & Leuì, ob perpetrata in Sichem homicidia repulsis, Iudæ prosapiam ad summum benedictionum euexit apicem, cùm dixit; Adorabunt te filij patris tui. Verùm ad eas dignitates consequendas, non statim ipsius Iudæ progenies destinata fuit; sed pro eo tempore, quo ille nasceretur, qui ex Dei prædestinatione ad tantam euehendus erat excellentiam. Hic autem erat Christus, omnium gentium expectatio; qui & verum summum Sacerdotium, & Mundi imperium adepturus erat. Illud, inq̃, Sacerdotium, de quo Paulus; Christus assistens Pontifex futurorum bonorum. Regnum, inquã, id, de quo legitur; Scriptũ est in fœmore eius, Rex Regũ, & Dominus Dominantium. Iam verò Deus per dilabentia à Iacob ad Christum tempora, & Sacerdotium quoddam imperfectum, & dignitatem quandam regalem, non absolutam, præmisit; vt illud summum Christi Sacerdotium, regalemq; eius celsitudinem, quasi in exemplari exprimerent. Sacerdotium igitur perpetuum, vnica in stirpe Leuì, non absq; mysterio institui voluit: perpetuum nempè, vt æternum Christi Sacerdotiũ, nunquam defecturum præfiguraret: iuxta illud; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech. In vnica autem Tribu Leuì, vt indicaret vna in Ecclesia Romana æternam futuram summi Sacerdotij successionem: Ecclesiæ enim Romanæ Pontifex, Pontificũ Pontifex est, Episcoporum Episcopus, Christi vices gerens: Et illa sedes, illa petra est, super quam ædificauit Christus Ecclesiam suam Catholicam Romanam, omnium Ecclesiarum matrem. Tandem alienæ Tribui, a Tribu Iudæ, ex qua nasciturus erat Christus, contulit Deus illud Sacerdotium, vt præsignaret, quòd in tanti muneris collatione, Christus non acquieuit carni & sanguini, sed Dei voluntati. Nec enim Iacobo, & Ioanni germanis, sed Petro, alieno à sanguine suo, summum exhibuit Sacerdotiũ; vt sicut caro & sanguis non reuelauerat Petro inconcussam de Diuinitate fidem, sed Deus; ita nec caro & sanguis, in Pontificatus sui collatione, vim haberent, sed Deus. Inde nec Pontifices summi ex gente tantùm Iudaica, tanquam Christo per sanguinem cõiuncta; sed tàm ex Iudaica, quàm Gentili excipiuntur. Nec ex obeuntium Pontificum obtestata voluntate successores assumuntur (siquidem neq; Ecclesia illa primitiua in hoc Petro, qui Clementem nominarat, Spiritu Sancto afflata acquieuit:) sed ducto purpuratorum Ecclesiæ Cardinum voto renunciantur. Qui licet ex carnis ratione, inter se alieni prorsus existant; ex spiritus tamen progenitura, vt filij patribus succedunt: iuxta illud

Sacerdotalis dignitas, nõ Rubem, seu Iudæ, sed Leuì stirpi collata, & quare.

Primogenitura duplex spiritus, & carnis.

Gen: 49.

Hebr: 9.

Apocal: 19.

Psal: 109.

Prophe-

propheticum; Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnẽ terram. Regalis verò dignitas, ita apud Israelitas viguit, vt nec perpetua, nec eadem in Tribu, sed per Tribus vagaretur; & maiori quidem tempore in Iudæ prosapia, quàm in cęteris consisteret; vt ex his, quę de regali Christi auctoritate ventura essent, edisceremus. Ius enim certum regnorum omnium habuit Christus, & per Christum habent Summi Pontifices; sed ipse vsũ neglexit, ipsi aũt neglexerunt, susceperuntue pro temporum opportunitate. Vsus verò, administratioq; apud diuersarum nationum Respublicas, prosapiasq; huc illuc decucurrit. Diuturniori autem tempore, ac sublimiori gloria in Iudæ stirpe emicuit; vt cùm ex iure humano regna posteris, primogenituræ ratione mandentur, illud regnum Iudaicæ progeniei, Christo vero primogenito cessisse, ex humano etiam vsu, præter diuinum, nosceremus; ita Iacob prophetante; Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est; tanquã veri regni hæres. Ex prænarratis igitur colligimus, quòd Deus primogenituram spiritus non carnis attendens, nequaquam Ruben primogenitum, sed Iudæ stirpem selegit. Cùm verò in Christo adimplenda foret benedictio illa superexcellens; si per anteacta tempora & Põtificia, & Regalis eius dignitas præsignanda erat; non immeritò & Sacerdotium in aliena Tribu perpetuũ remanere, & Regnũ primò, per alias progenies, & tandem in Iudæ prole, consistere decebat. Remanet adhuc tamen propositi dubij difficultas; cur potius in Leuì posteritate, quàm in cæteris & perpetuum Sacerdotium, perdurasse, & Ducatũ inchoasse decreuerit Deus, ac sãciuerit. Attendas huiusce rei rationes à Patriarcharum matre, patreq; nobis declaratas. Cùm Lya Leuì edidit, copulabitur, inquit, mihi maritus meus, eo quòd pepererim ei tertium filium; idcircoq; appellauit nomen eius Leuì. Quando autem genuit Iudam: modò, inquit, confitebor Domino, & ob id vocauit eum Iudam. Prædixit igitur Lya Deum dedisse sibi Leuì, vt copularetur iterum Iacob, & pareret Iudam: nato Iuda quieuit filios optare; Dominoq; gratias egit. Datus est ergo Leuì, vt daretur Iudas: ita collata est Tribui Leuì omnis superemineentia dignitatum, vt ab ea, in Iudæ stirpem, tanquam in proximiorem, deferreretur: Quod effectum est cùm Regnum imperfectum in Dauid; perfectum verò Imperium, ac Summum Sacerdotium in Christo collocatum est. Iacob pariter diem extremum dum clauderet, Simeoni, & Leuì hæc dixit; Diuidam eos in Iacob, dispergam eos in Israel. Iacob nomen fuerat ipsi à natalibus impositum, Israel à lucta, quam habuit cum Angelo, illud à Parentibus, istud ab Angelo indictum fuit. In Iacob igitur, id est in bonis Laicorum terrenis pręsignata erat diuisio; in Israel, id est in rebus Clericorum dispersio. Ecce adimpleta diuisio in Simeone, cùm Tribus eius montana vltra Iordanem excepit: dispersio in Leuì, cùm vti Sacerdotio fungentes, eius posteri Terræ promissionis sibi attinentẽ partem, inter cæteras Tribus habuerunt, ipsisq; vrbes, & suburbana, inter alias Tribus dispersa obuenere; quod non contigisset, si Sacerdotali dignitate decorata nõ fuisset. Diuisio autem hæc rerum terrenarũ, diuisionem præfigurabat Regnorum, quæ inrer homines Laicos fienda erat; dispersio verò bonorum Ecclesiasticorum, dispersionem, quæ habet Pontificia dignitas cunctis in Prouincijs prænotabat. Resedit igitur Sacerdotalis dignitas in Leuì posteritate, cui, ex virtute benedictionis Patriarchæ Iacob, dispersio destinata erat; vt aptius præsignaret Sacerdotium in Ecclesia Catholica, quæ iura, bonaq; sua Ecclesiastica in vrbibus omnibus, ac Christianorum prouincijs dispersa obtinet. Ad alteram descendentes propositam difficultatem prænotandũ est, quòd ex duabus dignitatibus stirpi Leuì collatis, Sacerdotalis eminentior Regali existimãda est. Præstantior est enim animæ regimen, quàm corporis; ac potior animæ beatitudo æterna, quàm corporis fœlicitas, temporis vicissitudinibus subiecta, excellentiorq; Dei cultus, quàm Reipublicæ cuiuscunque specimen, seu ornamentum. Conueniebat igitur Aaroni, tanquàm natu maximo, dignitas ipsa præstantior Sacerdotalis. Sed difficultas difficultatem parit, si nobilius Sacerdotium, quàm Regnum; vnde Regalis auctoritas Sacerdotali superior? Nam Moses, Aaron, Dauid, cæteriq; Reges Summis Sacerdotibus imperabant. Hoc duabus de caussis euenisse arbitror; Altera quia Legis, & Gratiæ conditiones admodum differunt: Legis enim tempore, sicut ipsa Lex erat imperfecta, cùm neminem ad perfectum deduceret; & sacramenta pariter imbecilla extarent, quia

Psal. 44.

Christus, & Romani Põtifices oĩum regnorũ habuit ius.

Gen. 49.

Sacerdotium cur tantum in Leuì posteritate perdurarit, & imperium inchoarit.

Gen. 29.

Gen. 29.

Gen. 49.

Regalis auctoritas quare antiquitus Sacerdotali dignior extaret.

gratiam non conferebant, ita & Sacerdotiū aderat imperfectum: econtrà gratiæ tempore, sicut Lex est diuina, & sacramenta gratiā conferunt; ita & Sacerdotium perfectū: quapropter congruè dignitati Regali perfectæ, tunc illud imperfectum Sacerdotiū subdebatur: nunc autem regali dignitati imperfectæ, perfectum Sacerdotium minimè subijciendum est. Hinc attendat, qui scripturarū lectione oblectatur; Quare in Testamento veteri legatur; Regnum Sacerdotale; in nouo autem dicatur; Sacerdotium Regale; vt quod illi substantiuè, nos adiectiuè; & quod ipsi adiectiuè, nos substantiuè explicemus. Quia Regalis dignitas, quæ apud eos perfecta erat, apud nos imperfectior reddita est; & Sacerdotium, quod apud eos imperfectum extabat, nobis perfectissimum euasit.

Exod. 20. Vel dicamus subtilius; Lex Mosis, Lex erat iustitiæ: iuxta illud; Ego Deus Zelotes vindicans iniquitatem patrum in filios; Lex Christi, misericordiæ Lex cōperitur: Deus .n. Zelotes, Pater misericordiarū, & Deus totius consolationis effectus est. Regalis auctoritas iustitiam expetit (non.n. sine caussa gladium portat) Sacerdotalis misericordiā

Hebr. 40. postulat: talis .n. (vt testatur Paulus ad Hebræos) decebat, vt nobis esset Pontifex, qui posset compati infirmitatibus nostris. Eleganter igitur iustitiæ tēpestate, Regalis præminebat auctoritas; misericordiæ verò tempore effecta est Sacerdotalis dignitas præstantior: si ab illa Regia potestate, iustitia; ab hac Sacerdotali pietas expectanda erat. Verùm liceat & his addere, quòd Mosis præclaræ admodum virtutes à Deo mereri potuerunt, vt in sua stirpe hæ ambæ dignitates collocarentur. Quis enim ipso, ex Hebræo rum Archipatribus, tùm animi, tùm corporis dotibus, tùm à Deo collatis muneribus dignior, ornatior, seculisq; omnibus admirabilior?

De Mosis Vita.



Aeterum dignitas hæc coruscans Mosis, cùm non tantùm à singularibus muneribus, ab illustri prosapia; sed à præclara vitæ probitate enitescat; ordo dicendi poscit, vt eius vitæ, gestarumq; rerum seriem referam. Quare breuissimo elogio, quæ scriptura, ac grauissimi Patres tradidere, cōplectar. Siquis.n. accuratiorem desiderat vitæ Mosis narrationem, Philonem adire potest; qui tribus voluminibus Mosis vitā cumulatè absoluit, idq; quàm libentius agam, vt ex hoc rerū gestarum epilogo, cum cæteris à Spiritu Sancto delectis prisci Testamenti Patribus, non ineptè Moses ipse cōparari possit. Qua cōparatione, non quidem mea sententia, sed cōprobatione scripturarū sanctarū, ac præstātissimorū eruditissimorūq; virorū, Mosē ipsū, illis omnibus augustiorem, insigniorem q; cōperiendum esse, haud inscienter existimo. Moses natione Hebræus, patria Gethsemita, aut certè Ramessita, p Leuì stirpē à maximis Iacob, Isaac, & Abraham Patriarchis, prosapiam traxit; annoq; secundū Hebraicā computationē, à creatione Mundi, bis millesimo, trecentesimo, septuagesimotertio; secundū verò Græcam Eusebij, ac Septuaginta Interpretū, ter millesimo, sexcētesimo decimo, in Aegypto (cùm Rex Pharao īmaniter in Populi Israelitici mares desæuiret)

Lib. biblic. antiq. in lucē prodijt. Amra.n. eius parens (teste Philone) spreto seniorū consilio, qui Iudęos non nubere, atq; magis sine liberis decedere, quàm natos ad interitū edere consulebāt, Deiq; promissis inconcussis fisus, cùm iam Mariā, ac Aaronē ex altera coniuge suscepisset, Iacobā de Tribu Leuì sibi in vxorē asciuit, Mosemq; ex ea genuit. Natus hic infans

De antiq. lib. 2. cap. vi. admodū elegans, postquam tribus latuisset mensibus, in fiscella scirpea, seu (vt Iosephi tradit) lectulo è vimine contexto, ac bitumine linito, mirificè, nec sine Dei prouidentia, palustris, stagnantisq; Nili ripis expositus est. Hunc Regina, Pharaonis filia, Thamur, seu (vt alij malunt) Thermura, siue Thermutis appellata, vagientē infantem benignè suscepit; Mosemq; eū, quod ab aquis eruisset, nuncupauit; quasi (Ises) hoc est, seruatus à (Moy) id est, ab aquis: ita.n. voces illę Aegyptiacæ latino idiomate interpretantur. Primò nanque Ioachinus (ex Clementis sententia) seu Melchiel (ex Philonis testimonio) appellabatur. Atque cùm mulierum Aegyptiarum lac sugere abnuisset Marię sororis ingenio, quæ sedulò eum insequuta fuerat (vt quid de ipso euenturum esset, obseruaret) matri nutriendus traditus est. Amore deinceps tam feruido Regina Thermutra est puerū prosequuta, quòd cùm nupta esset, atq; mater effici non posset; simulato

Mosis nomina.

Lib. 1. Strom. Lib. biblic. antiq.

partu

partu (vt tradit Philo) puerum, qui aſcitius erat, natiuũ dixit, ad conſequendaq; ampliſſimi regni iura ipſum hoc mirifico extulit dolo. Deinde cùm trium annorũ ætate Pharaoni Regi à filia oblectationis gratia blãdiendus exponeretur; fertur (vt Ioſeph tradit) diadema Regiũ, ſuo capiti impoſitũ, in terrã iecisſe, ac pedibus conculcaſſe; quam rem cùm Rex ægrè ferret, ſacerq; Scriba eũ necandum (vt Regni futurum proſtratorem, ac euaſtatorem) inclamaret; vix Regis filiæ ingenio, indictam necem euaſit. Moſes igitur regiam educationem nactus, puerilibus ſpretis oblectamentis, cunctis mox animi & corporis expleuit dotibus, diſciplinisq; omnibus, a prima ſtatim adoleſcentia, lectiſſimisq; moribus animum imbuit. Itaq; Arithmeticam (teſte Philone) Geometriã, vniuerſamq; Muſicam, Rhythmicã, Harmonicam, Metricam, ſiue Contemplatiuam, ſiue per inſtrumenta, vocesq; promentem modis varijs, citiſſimè didicit. Ab Aegyptijs inſuper, occultam Philoſophiam deſcriptam literis (vt vocant) hieroglyphicis; ac à Grecis, ex propinquis regionibus euocatis, liberales artes; à Chaldæis, & Aegyptijs ſyderalem ſcientiam (eodem teſte Philone) hauſit. Medicina etiam (teſte Clemente Alexandrino) claruit; dicendi, facundiæq; peritia (teſte Ioſepho) emicuit. Vt autem adoleuit, contra Aethiopes bello à Pharaone ſuſcepto, Dux eſt electus; mirificoq; ingenio hibicibus ſecum delatis, ſerpentes arenoſo in itinere offenſos retudit: commiſſoq; prælio, hoſtes profligauit: Vrbem inclitam (Meroe appellatam) Regis filia, quã poſtea in Vxorem aſſumpſit, arcem prodente, (teſte Ioſepho) expugnauit: Aegyptum reuerſus, adoptione contempta, qua Regis nepos exiſtimatus, Rex iunior (vt tradit Philo) appellabatur, auitiq; ſolij hæres expectabatur, Aegyptium Hebræum percutientem occidit, ſabuloq; tumulauit; ſed detecto facinore, pauidus quod à Pharaone tanti criminis vltio poſceretur, ad Madianitas Arabes profugus diuertit; cùmq; Raguelis Sacerdotis filias ſeptem à Paſtoribus, qui eis aquas eripiebant, defendiſſet, tantam ſibi adeptus eſt Raguelis beneuolentiã; quòd eius filia ſibi addicta, apud eum, vſq; ad octuageſimum ſuũ annum, ſcientiarum omnium contemplationibus incumbens, vitam degerit. Cæterum Moſes annum ducens octuageſimum, a Deo, ignis rubum ardentis, nec comburentis, portento euocatus, dux Iſrael eſt inſtitutus: vbi cùm imbecillis hominis natura ſuſtinere Deum loquentem non poſſit, ſoleatq; eloquentia humana, quando cùm Deo agit, balbuties (vt Origenes ſentit) & infantia effici, ipſe impeditæ, implicatæ, balbutientisq; linguæ factus eſt. Reuerſus poſtea in Aegyptum, Aarone ſecum aſſumpto, tribus ſignis, Virgæ ſcilicet reflorentis, Manus ad ſanitatẽ reſtitutæ, ac Aquæ in ſanguinem commutatæ, ſe Ducem à Deo miſſum declarauit. Inde decem plagis Aegypto percuſſo, Rege reluctante, poſt quadringentos triginta ab Abrahã peregrinatione annos, libertatem optatiſſimam, eductis ferè ſexcentis millibus ex ſuis, exceptis paruulis, ac mulieribus, mirificè eſt conſequutus. Hinc Iſraelitas per deſertũ quadraginta annis rexit, habitisq; manſionibus quadragintatribus, ſingularibusq; Dei gratijs, ac miraculis ſuffultus, ad promiſſionis Terram eos perduxit. Nubes.n. in ingentis columnæ ſpeciem, interdiu ſolari emicans ſplendore, noctu verò flãma tutum iter eis præſtabat. Arabici ſinus aquas virga ſecauit. Aegypti Regem, cum curruum ſexcentorum, equitum quinquaginta millium, peditum viginti millium acie, fluctibus obuoluit. Aquas Amarath eadem virga dulces reddidit. Manna è Cœlo, Coturnicesq; euocauit. Aquas ex petra percuſſa virga illamet, qua tot in Aegypto portenta fecerat, bis excuſſit; ex eisq; amnes manantes Iudæis impertiuit. Amalechitas, peragrantes Iudæos inuias ſolitudines, arenoſasq; infeſtare, & deturbare contendentes, ipſe orans in Monte ſuſpenſis ad Cœlũ manibus profligauit. Iudicum magiſtratum conſilio Ietri cognati inſtituit. Legem omniũ auguſtiſſimam, in Syna monte, terribilibus portentis, dum erumperent ſcilicet tonitrua, micarent fulgura, denſiſſima nubes cũcta operiret, clangor buccinæ perſtreperet, à Deo excepit; præceptaq; tùm moralia, tùm iudicialia, tùm ceremonialia, mox promulgauit. Quibus in peragendis, tot collata ſibi à Deo fuere præcipui amoris ſigna; vt quadraginta dierum ieiunio præſtito, Altiſſimi ſepius cõgreſſu ſit potitus, Tabulas lapideas diuina manu inciſas, exarataſq; acceperit; ipſum Deum iratum flexerit; faciem fulgentiſſimo radio coruſcantem, cornutamq; (ſtupentibus Iudæis, ac ægrè eã ferentibus) ex Dei conſortio detulerit. Quin, & ſuper hæc maiora pręſtitit ſuæ gloriæ monumenta; nã

Lib. primo de vit. Moſ.
lib. 2. antiq. cap. vi.
lib. de vita Moſis.
Strom. lib. 1.
lib. 2. de antiquit. cap. 10.
Exod. 3.
Hom. 3. in Exod.
Exod. 4.
Moſis mirifica opera.
Exod. 8. 9. 10. 11.
Exod. 12.
Exod. 14.
Exod. 14.
Exod. 15.
Exod. 17.
Exod. 18.
Exod. 19.

Num. 11. 12. 13. 16. 21. 30.

æneo Serpente erecto, Serpentum ignitorum veneno infectos, læsosq́; ad vitam restituit; dissidium, ob defectum carnium ortum, sustulit; Aaron, Mariæq́; sororis defectionem retudit; Populum ad Terram promissam progredi reluctantem, placauit; Chore, Dathan, Abiron seditionē cōmouentes, à terra absorptos conspexit. Inde pluribus promulgatis legibus, ceræmonijs, ac præceptis; non modicis profligatis, fusis, prostratis, & iusta internecione deletis nationibus; enumeratis Israel agminibus, diuisa Chananea; Iosue substituto; benedictis Tribubus; Heros omnibus ingenii artibus, iustitia, mansuetudine, prophetia, inter omnes Israelitas celeberrimus; vt qui vigintiduo clarissima edidit miracula, quatuorq́; insignibus victorijs potitus est; obijt anno suo cētesimo vigesimo. Non desunt, qui eum excitatum in vitam, & in Cœlum sublatum fuisse tradant. Ita enim Rabbì Samuel constanter affirmat, & Clemens ex sententia Mystarum annuit; quæ an vera, an falsa sint, legentium iudicio discernenda relinquo. Huic tamen rei non modicam fidem affert, quod cum Elia (quem in igneo curru raptum non ignoramus) in Thabor Monte apparuerit. Ex quibus omnibus deducitur, neminem ex prisci Testamenti Patribus, nec natalibus insignioribus, nec educatione illustriori, nec Dei colloquijs crebrioribus, nec factis stupendioribus, nec numero & pondere miraculorum, nec potioribus muneribus, cum Mose comparari posse. Sed de his satis.

Mosis mors. 32. Deutero. 34. In parastasi lib. 1. Strom.

Qua traditione Moses Pentateuchum scripserit.

Moses diuino afflatus spiritu libros scripsit. Exod. 24. Deutero. 31.

OSEM, virum tàm superexcellenti dignitate inclytum, non ex humana, sed diuina traditione Pentateuchum scripsisse, inconcussa fide credendum est. Ipsa Sacra Scriptura hoc testatur, dicens: Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini. Et iterum: Assumensq́; volumen fęderis legit, audiente populo. Et alibi; Postquàm ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atq; compleuit; præcepit Leuitis, qui portabant Arcam fœderis Domini, dicens; Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri. Ex qua enarratione excipere possumus, Mosem volumen vnum tantum edidisse, quod in varias sectiones Hebræi, Gręciq́; postea partiti sunt, & volumen fœderis legis ab ipso appellatū fuisse, & nil in eo, præter Dei sermones tradidisse. Hinc sequitur, quòd à condito Orbe ad natalia sua, per annos duo millia trecentos septuagintaduos tradita historia, quæ in Pentateuchi libris, præcipueq́; in libro Geneseos est explicata, Dei reuelatione edita sit. Cæterum reuelatio quinq; modis fieri contingit; Primo Spiritus Sancti afflatu, seu inspiratione; Deinde notitia humana, & hac duplici; vel cùm res enarratas ipsi Prophetæ viderunt; seu, cùm eas ex progenitorum, maiorumq́; traditione hauserunt; Tertio externo Angelorum ministerio; cùm scilicet ignota Deus per Angelos hominibus reserat; Quarto spectris, & imaginibus in illorum phantasia expressis; Quinto Dei visione raptim habita, qua Prophetæ splendidam veritatem in fonte Diuinæ essentiæ intuentur. Cōmuni autem, probataq́; Patrum sententia, primam, secundam, ac vltimam reuelationem habuisse Mosem arbitror; quanquam & fortè alias duas esse consequutum, non temerè censeā. Multa quidem sibi abdita, prisci sæculi monumenta, Spiritus sanctus ei detexit, reserauit nuda, apertaq́; obtulit. Quamplura ipse Moses vidit, vel à maioribus accepit; Verùm in his non humano more (qui falli poterat) ipse scripsit; sed impulsus, actusq́; à Spiritu sancto, qui eius memoriam, mentē, manus, viresq́; omnes ita in offitio retinebat, quòd nec cæcutire, nec obliuisci, nec aberrare, nec à vero deflectere poterat: iuxta illud; Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquimini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Quòd enim ipse multa prospexerit, nulli dubium est: quòdq́; ex Patribus multa hauserit, etiā non ineptè existimare possumus: Arbitror siquidem, quod non omnis traditio, quæ Mosis tēpestate apud Hebræos de Mundi creatione, de Cataclysmo Noetico, de Maiorū gestis, ac Religione, apud Patres, Atauosq́; fuerat, obliuione esset obruta. Solent porrò cunctę Nationes maiorum suorum gesta (maximè cùm præcipua, singulariaq́; sint) summa veneratione, ac studio, ne obliterentur, extinguanturq́;, custodire, scriptisq́; mandare. Verùm mihi mirum in modū ea arridet sententia, quæ Mosem beatifica luce illustratum tradit; clarissimā scilicet

Reuelatio Diuina quinque modis fieri solet.

Moses quo reuelationis genere scripsit.

Marc. 13.

Moses quomodo Deū viderit.

Dei

Dei visionē, raptim tamen; ac, vt aiunt, per transennam, consequutū, quo in fonte rutilantem, splendidamq; omnium rerum à se scribendarum veritatem decerpserit. Verùm quibus singularibus prærogatiuis, quibusq; testibus, hæc Mosis reuelatio decorata, ornataq; fuerit, cùm non inepta Christi cōparatione contēplemur. Legislator Moses, Legislator Christus; diuinæ Leges ambæ; licet longè Euangelica præstantior; purus attamen homo fuit Moses; Christus Deus & homo; quod si Legislator Moses, vt purus homo, ad diuinam Legem indicendam, ad arcana, abditaq; reseranda destinabatur ex Dei reuelatione eam habere necesse erat. Et sic Legislator Christus, Deus erat & homo, diuinā quoque sapientiā ex suo indeficiente æternę sapientiæ fonte enuntiabat. Indigebat igitur testimonijs Moses de Dei colloquio, indigebat & Christus certis obtestationibus, quòd filius Dei esset. Moses itaque (præter multos) tres singulares cū Deo diuturnos congressus habuit: Primū in Monte, quando nebula obtectus, quadraginta diebus, ac totidem noctibus cū Deo moratus est, tabulisq; lapideis Legem incisam suscepit: Secundū, cùm in Tabernaculo extra castra erecto, nubeq; in specie columnæ obūbrato, loquebatur cū Domino facie ad faciē: Tertiū tandē, cùm quadraginta dierum præmisso ieiunio, ipse tabulas iterum excussit, & insculpsit; redijtq; faciem cornutam, tantoq; fulgore perfusam gerens, quòd eam velare sit coactus. Christus autem duo pręclara (præter cętera testimonia) è Cœlo retulit: alterū, cùm ipso baptizato, aperti sunt Cœli, descendit columba, intonuitq; ea inusitata vox; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Eminentius alterum, cùm in Monte Thabor transfiguratus est, resplenduitq; facies eius sicut Sol, vestimenta verò facta sunt alba sicut nix: & apparuerunr Moses & Elias; vox de Cœlo iterum dixit; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Magna certè Moses in diuinis colloquijs habuit testimonia; maiores Christus de diuinitate sua exhibuit contestationes. Moses tres congressus habet singulares; plures autem alios, non tàm insignes; plures (inquā) quia duræ ceruicis populo multæ adijci debebant obtestationes; tres verò singulares ob tria præceptorum genera, Moralium, scilicet, Iudicialium, & Ceremonialium, quæ tunc conferebantur. Christus autem duo tantùm habuit eminentia è Cœlo testimonia, vt omnis tolleretur dubitandi facultas; vnum quasi factū Iudaico populo, vbi adfuit Ioannes Baptista Propheta, Sacerdotali stirpe, vitæq; probitate testis eximius: Alterum, quasi gentibus demonstratum; & ibi Petrus Pontifex Maximus, duo orbis tonitrua, Iacobus & Ioannes interfuere; vt tres adessent testes egregij pro eo populo, qui tres Mundi plagas, Asiam videlicet, Aphricam, & Europam excolebat. Moses portenta eximia, ac stupenda exhibuit; sed tantùm sub Cœlo, aerea tonitrua, coruscationes, fulgura, nubesq; solùm vsq; ad montis iuga elatas; inditium certum, quòd ad fęlicitatem, eximiā quidem, sed terrenam, lex eius homines ducebat. Christus stupendissima è Cœlo miracula pręstitit: nā Cœli aperti sunt; Spiritus sanctus in specie colūbæ descēdit; vox Patris è Cęlo intonuit; decentissimè quidem, cùm Euangelium ad cœlestē beatitudinem fideles extollat. Moses Deū alloquitur, sed in caligine: Omnia nempè umbris obuoluta excipit. Christus verò, Cœlo aperto, & in nube lucida Patris testimonium habet; quapropter Euangelica claritate cuncta effulgent, atque coruscant. Moses cornutam gerit faciem, tanto fulgore præditam, vt eam, non nisi uelamine opertam, Israelitæ intueri queant: quod mysterio non uacat. Sola enim facies in Mose resplendet, manus autem arida extat; quia lex quidem optima, sed operatio infirma: nam ex operibus legis, nullus iustificatur: Quinimmo, & legis sensus intimi, quibus, quasi in facie clarescit Moses, literæ velamine operti sunt; quoniam super cor Iudæorum velamen positum fuit. Christi autem facies resplenduit sicut Sol; vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Omnia in Christo nimirum emicant, quia lex sancta est, & cœlestis; & ex eius obseruantia, Christicolæ iustificantur, ac super niuem dealbantur. Ita enim Dauid Propheta precatur; Asperges me Domine hyssopo; hoc est, Christi expiatione: & mundabor, lauabis me eius sacramentis, & super niuem dealbabor. Insuper facies Christi absque velamine nobis exponitur; quoniam eius Diuinitas mysticorū sensuū explicatione dignoscitur; adeò quòd ex reuerentia omnes cū Apostolis cadant in facies suas, sicut seniores ante Thronū cecidere. Moses audit Deum dicentem; Inuenisti gratiam apud me;

Mosis ad Christum ꝑpulchra comparatio.

Singulares Mosis cōgressus cum Deo.

Exod. 24.

Exod. 33.

Exod. 34.

Mat. 3.

Math. 17.

Mat. 17.

Psal. 50.

Exod. 33. me, & te ipsum noui ex nomine; ac si diceret; Inter mortales mihi acceptissimus ita es,
vt ex nomine, singulari scilicet notione, te nouerim; ea inquàm, qua electi scripti sunt in
libro vitæ: Nam Moses nemini prisci Testamenti Archipatrum in Dei aula secundus
Mat. 3. & 17. reperitur. De Christo testatur Deus; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõ-
placui, ipsum audite: quasi innueret; Moses mortalis seruus est; Hic filius. Moses ex a-
doptione filius; Hic ex natura, quapropter meus. In Mose complacui, sed non bene,
quandoque enim defecit; In hoc bene complacui, vt nunquam mihi ipse displicuerit.
Per Mosem me loquentem audite; semper enim Moses, vti Dei nuntius, populum Iu-
daicum alloquens præmittebat; Hæc dicit Dominus Deus; Christum audite, sicuti
Deum loquentem. Magna sunt igitur monumenta, inditiaq́;, quòd Moses ex Dei re-
uelatione doctrinam suam potarit, ac sumpserit. Maxima verò, quòd Christus sit Dei
filius, Deus & homo, & hominẽ reparare venerit. Fictitium non habuit Moses cũ Deo
colloquiũ, quippe qui totum populũ Israeliticum, portentorum suorũ testimonium su-
scepit: Certiores testes exhibuit Christus, qui viuos & mortuos se adorantes habuit.
Lib. 3. c. 2. Eusebius de Demonstratione Euangelica ex Mosis ac Christi gestis mirificam certè cõ-
paginat antithesim; Cuius argumentum (ne adeò prolixam narrationem deducam) ta
Altera antithesis inter Christum, & Mosem. le est; Moses Legislator fuit Iudaicæ gentis; Christus totius vniuersi. Moses Idola He
bræis abstulit; Christus ea ex omni ferè Mundi plaga eiecit. Moses mirificis portentis
legem contulit; Maioribus Christus Euangelium condidit. Moses suorum libertatem
vindicauit; Christus generis humani iugum excussit. Moses terram fluentem lac &
mel patefecit; Christus præstantissimam viuentium terram reserauit. Elegans infans
Moses vix natus, Pharaonis sęuitia, qui mares Iudaici populi ad necem damnarat, vitæ
discrimen subijt; Christus infans, à Magis adoratus, ob Herodis immanitatem pueros
trucidantis, in Aegyptum secedere est coactus. Adolescens ille omnium disciplinarũ
eruditione claruit; Duodecim annorum iste Legisperitos eruditissimos in stuporẽ ad-
duxit. Quadraginta diebus Moses ieiunans, diuino eloquio depastus est; Per quadra-
ginta perinde dies Christus non manducans, neque bibens, diuinæ contemplationi va-
cauit. Ille in desertis famelicis Manna, & Coturnices præbuit; Hic in deserto quinque
panibus virorum quinque millia saturauit. Inter Arabici sinus aquas illæsus ille tran-
sijt; Hic super Maris vndas ambulauit. Extẽta virga ille Mare diuisit; Increpat iste ventũ
Mat. 8. & Mare, & facta est tranquillitas magna. In Monte rutilanti facie splendidus apparuit il
Mat. 17. le; In Monte fulgentissimo aspectu transfiguratus est iste: cuius facies resplenduit sicut
Matt. eod. c. Sol. Non poterant filij Israel oculorũ aciem in illum intendere; Ante hunc discipuli in
facies suas perterriti ceciderunt. Mariam leprosam ad pristinã sanitatem restituit Mo-
Moses Dei digitus appellatus. ses; Mariam Magdalenam, criminum maculis obrutam, gratia cęlesti abluit Christus.
Mosem Dei digitum appellarunt Aegyptij; De se ipso Christus prodidit; Porrò si in
Lucæ 11. digito Dei eijcio demonia, &c. Selegit Moses duodecim exploratores; Duodecim
Apostolos & Christus elegit. Ille septuaginta Seniores; Hic septuaginta Discipulos.
Deut. 34. Iesum Naue successorem sibi destinauit Moses; Petrũ ad Summũ Pontificatum post
Matt. 28. se extulit Christus. De Mose scriptũ est; Non cognouit homo sepulchrum eius usque in
præsentem diem; De Christo contestati sunt Angeli, Iesum quæritis Crucifixum, sur-
rexit, non est hic. Consulas tantum Doctorem hæc vberius explicantem. Excelsior
igitur Christus Mose: Excelsior Moses cunctis Legislatoribus. Cæterum non desunt
etiam hac nostra tempestate infideles, qui Mosi detrahant; oblatrant siquidem more
suo canes aduenis: quod si saxa ex eorum solo ieceris, ita in eorũ morsu morantur, quod
latrare desistunt. Diuinæ huic è Cœlo Mosi reuelatæ Historię detrahunt Ethni-
Mosis detractores. ci; Liceat igitur nobis lapides inijcere, & ex eorum placitis oppositam calumniam re-
tundere. Mosis detractores antiqui præcipue fuere, ex historicis, Manethon, Herodo-
tus, Suetonius, Trogus Pompeius, Strabo, Cornelius Tacitus: Ex eruditis in scien-
tijs, Apollonius, Galenus Medicus, Seneca, Porphyrius, Celsus, Iulianus Cęsar, Fau
Mosis defensores. stus, Manicheus. Contra quos acrius pugnarunt ex nostris (præter Philonem, Iosephũ
de Antiquitatibus, & plures ex Rabbinis) Origenes contra Celsum, Apollinaris con-
tra Porphyrium, Augustinus contra Faustum, Cyrillus contra Cæsarem, & Tertullia-
nus in Apologetico. Ego autem contra recentiores Mosis, ac fidei nostræ blasphema-
tores,

tores, vnam tantum calumniam vindicare enitar. Nuper siquidem Historiarum studiosi præcipuè Mosi hoc obijcere audent; quòd ea, quæ de priscis temporibus, de condito Mundo, ac diluuio tradit, non ex diuina reuelatione, sed ex antiquis Aegyptiorũ, vel Chaldæorum Sacerdotibus (apud quos Sacrosancta arcana recondebantur, à quibus ipse, & eius gens prosapiã trahebat) desumpserit; Latratus equidem iste impius est; sed à suo solo lapides sublatos in eos iacere contendamus. Si Moses aliena, ac diuersa prorsus ab Aegyptiorum, ac Chaldæorum Cronologijs, & placitis prodit; certè quæ de primis sęculi annis refert, ab ipsis ea habuisse non est asserendum. Aegyptij (teste Trogo) Mundi, viuentiũq; originem, & initiũ in Aegypto cœpisse decertabant; ea de caussa, quòd cęterę orbis regiones, aut nimio solis æstu, aut frigore, algoreq; obruantur; Sola verò Aegyptus, ex connata sibi temperie, animantia cuncta gignere potuerit; idq; ex terræ feracitate, ac perpetua animaliũ spontanea generatione comprobabant. Vnde Diodorus ait; Aegyptij primos homines apud se creatos tradunt, tùm fœlicitate solis, tùm Nili fœcunditate, qui multa generat, & quæ genuit, facillimè nutrit. Scithæ econtrà (Trogo teste) hac alia ratione rerũ initium suo solo factum asseuerabant; quoniam post discessum ignis, & aquarum, omnia obruentiũ, cuncta animantia edita sunt: & Ignis à sua plaga & regione, tanquam à frigidiori primò discessit; & aquæ ab ea perinde in Ponticum, ac Mediterraneum indita sibi naturali propensione, effluxerunt, & decucurrerunt. Quod si hæc, ex testimonio horum, ac cæterorum gentilitatis Historicorum, fuit istarũ gentium opinio: Quis Mosem oppositam sententiam referentem, ac Mundũ diebus sex a Deo conditum, tradentem, hæc ab Aegyptijs sumpsisse scienter existimare poterit? Ioseph de Antiquitatibus, de Beroso sic ait; Berosus Chaldæus, idest Sacerdos Babylonicus, ac Scriba publicus, omnem Chaldaicam deflorauit historiam. Verùm Berosus in sua de vetustis temporibus historia, quædã consona, multa etiam dissona à Mose tradit. Consona quidem ea sunt, quæ de Gigantibus ante Diluuiũ, de Noetico diluuio, de Noè prosapia, ac stemmate scribit, quamuis diuersis nominibus, diuersaq; admodũ serie. Nec de hoc mirandum est; si quidem dissipata Noe posteritate, confusisq; linguis, Heber (in cuius domo, & pristina lingua, & priscarũ rerũ vera traditio remansit) dum versaretur cum Chaldæis, nonnulla illis retulisse censendũ est. Plura verò prætermisit, multaq; opposita his, quæ habet Moses, tradidit Berosus; quoniam omnia quæ dixit Moses, vel non legit, vel non credidit. Nec equidẽ decebat, sancta arcanaq; dari canibus, quæ apud selectam posteritatem seruabantur. Quare de primis parentibus, de Paradiso terrestri, de priscorum illorũ Archipatrum gestis nil prorsus dixit: Rursus de Gigantibus, de Arca, de Diluuio, de Noè, ac eius stirpe multa, sed à vero distantia admodum enarrauit; ut illud præcipuè, quod Noe ex Astrologicæ disciplinæ eruditione Diluuium præsciuerit. Cùm ergo Moses quamplurima illis incognita scriptis tradiderit, non ex Chaldæorum annalibus, sed ex diuina reuelatione, suam desumpsisse historiam existimandum est. Non audiendi igitur sunt ij præsertim, qui à Beroso Mosem quidquam excepisse existimant: Berosus etenim vix ante Monarchiam Alexandri Magni floruit, post Mosem ferè octingentorum annorum spatio. Et cùm Mosis gesta ipse Berosus narret; siquidem, in anno octauo Ascatidis Assyriorum Regis, Chencrem Aegypti Regem, Hebræorum magica arte in mari perijsse ipsemet scribit; quod certè à Mose factum fuisse scimus. Vnde potius certissimè Berosum à Mose vetustissima, prisciq; sęculi monumenta, & gesta desumpsisse arbitrandum est. Nam si Moses anno, ab Orbe condito, ter millesimo, ac nonagesimo (iuxta Septuaginta Interpretum, ac Græcorum supputationem;) vel anno bis millesimo & quinquagesimo primo (secundum D. Hieronymi, ac Hebræorum computationem,) cùm annorum esset octuaginta, primos cum Deo congressus habuit; ex quibus hanc de Orbis creatione Historiam nobis reserandam hausit; profectò ipsos omnes priscos Poetas, Legislatores, Philosophos anteisse, ac præcessisse, luce clarius, euincitur: Vt demonstrarunt vberius Iustinus in Admonitorio, Clemens Alexan. libris Stromatũ, Cyrillus contra Iulianũ, Tatianus in Oratione quã aduersus Græcos habuit, Theophylus ad Autholycum, Philo de vita Mosis, Ioseph contra Apionem; plurimiq; alij ex priscis Patribus; quorum testimonia aliqua præclariora in Catena de Mosis laudibus deduximus.

Moses, nõ ex Chaldęorum annalibus, sed ex reuelatione diuina, suam historam texuit.

lib. 2.

lib. 1. c. 1. & 2.

lib. 1.

lib. 1.
lib. 2.
lib. 2.

De

De Lingua, qua scripsit Moses Pentateuchum; ac de diuersis eius editionibus.



E Lingua, qua scripsit Moses, dicturus, linguarum sectionem adhibere, pro-
ferreq; operepretium duco. D. Paulus duplex linguarum genus proponit,
1.Corint. 13. Lingua duplex Angelica, & humana. Angelicum scilicet & Humanum, cùm scribit; Si linguis hominum loquar
& Angelorum. Angeli, qui simplices spiritus sunt, nulli annexi corpori, vni-
ca claue & ianua, quæ est voluntatis, suos claudunt conceptus: Etenim nolentis Angeli
inferioris, nullus Angelus etiam superior, mentis interna agnoscere, perscrutariq; po-
terit. Quare lingua Angelica ea est, qua Angelus conceptus, votaq; sua alteri Angelo
communicat, non aliquo suffultus instrumento, sed ex libera voluntate ad alium se con-
uertens. Superior quidem Angelus ad inferiorem, vel intelligentiam suam, vel à Deo
rem sibi reuelatam propria virtute diuidit, ac multiplicatam offert: inferior verò supe-
riori, conceptum suum simpliciter reserat. Hæc autem Angelorum lingua, claritate
maxima prædita est, immensoq; puritatis nitore præstat, cùm tãtùm diuinas apprehen-
siones offerat, & Dei laudes persoluat. Homines vinculum deferentes ex anima & cor-
pore compactũ, duplici claue mentem suam claudunt, ne eorum, tùm mentis conce-
ptus, tùm volũtatis affectiones cæteris innotescant: prima clauis est voluntatis dissen-
sus, secunda est corporis obstaculum. Vnde eis duplex necessaria est lingua. Altera vo
luntatis, qua soluta Angeli, & Sancti eorum cogitationes, vota, supplicationesq; perci-
pere possunt absque vlla verborum excussione. Hoc autem dicimus Angelis, & San-
ctis conuenire, non Deo; quia ipse Deus cordis nostri intimas affectiones, etiam nobis
inuitis, & mentibus nostris in Cœlũ nequaquam conuersis, intuetur. Hac lingua (quæ
nihil aliud est, quàm mentis ad Cœlum, & ad Sanctos eleuatio) pij, & iusti non loquen
tes, loquuntur; non clamantes, clamant. Cùm enim mens nostra intellectu & affectu,
quasi duabus alis, nullo adhibito vocis sono, se se in Deum extollat; non tantùm loquj-
Exod. 14. tur, sed clamat etiam, cùm corde orat, & psallit, Domino attestante, ac dicente; Quid
Psal. 129. clamas ad me? Pariter Propheta cùm dicit; De profundis clamaui ad te Domine: &
Psal. 140. iterum; Ad te Domine clamaui. At contra, cùm nulla ab hominibus adhibetur mẽ-
tis vis, (vt quando voce, non verò corde psallunt) nedũ nõ clamant, sed nec loquuntur;
cùm ea lingua, qua ad superna loquimur, non vtantur. Altera est lingua, qua homo per
organa cogitationes mentis notificare cogitur; ob idq; quibusdã visibilibus signis, qui-
bus conceptus, voluntatesq; alteri repræsentet, indigere comperitur. Hæc porrò signa
duorum generum esse contingit, vel pro auditu articulatæ quædam cum sono voces,
vel pro visu characteratæ lineæ. His enim quasi nuntijs latentes, & abditos in corde cõ
Adam vocũ, & characterũ primæ linguæ perfectissimã cognitionem habuit. ceptus prodere, ac patefacere possumus. Cognitio autem tam vocum, quàm characte-
rum primordialis omnium linguæ, Dei Optimi Maximi insigni prouidentia in Adam
primò insita fuit absolutissima; namq; perfecta erant singula in Adam, vti in omnium
protoplasto: Qua nimirum cognitione, & scientia, omne quod vocauit Adam, animæ
Gen. 2. viuentis, ipsum eit nomen eius. Vocauit profectò tàm expressa nominum significatio-
ne, vt ignotas nobis rerum naturas efficaciter ex vi primæ eius linguę patefecerit. Et hęc
Gen. 11. quidem lingua ea est, de qua dicit Scriptura; Erat Terra labij vnius, & sermonũ eorun-
dem: Et qua posteritas Adæ, vsque ad Babel Turrim conditã vsa est: non tamen ea puri
tate, qua Adam in innocentiæ statu vtebatur; cùm ob eius lapsum sublatis gratuitis, na-
turalia omnia vti sauciata, imperfecta reddita sint. Characteribus autem ab Adam ad
Mosem, an vsi sint prisci illi Patres, non excipitur ex Scriptura; etenim de eis nullam sa-
cra pagina mentionem facit. In columnis tamen lateritijs, seu lapideis, antiqui Patres
lib. 1. ante Diluuium, Astronomiæ arcana incidisse, Ioseph de Antiquitatibus, ac alij grauissi
mi viri testantur. Quin & Enoch scripsisse quædam ante Diluuium, colligi videtur ex
Diuersarum linguarum ortus. Epistola Iudæ. Superuenta autem in Turris Babel ædificatione, idiomatum multipli-
citate, factum est, vt linguæ septuaginta prodirent, tam diuersæ, aduersæq;, vt alter eo-
rum qui eam astruebant, alterum intelligere nequiret: Ac deinde ex his, & alijs ad pla-
citum vocibus formatis, infinitæ linguæ, pluraq; idiomata, non ita apprime res exprimẽ
tia, redderentur. Ea verò lingua, quæ ex Adam fluxerat, num abolita fuerit, num in Na
bor,

bor, tanquam in selecta prosapia fuerit seruata, non est exploratum. His ita multiplicatis linguis, Spiritus Sanctus tres ex omnibus his, quibus Dei verbum commendaretur, excerpere voluit. Hæ fuere Hebraica, Græca, & Latina: Hęq; non absque mysterio selectæ sunt. Primò certè, vt ad tria potissimum imperia nationum earũ, apud quas hæ linguæ vigebant, Dei verbum deferreretur: ad Assyriacum scilicet, Medum, ac subsequutum Persicum; quę gentes Chaldæam linguam, Hebręæ affinem, vti sacrosanctã veneratę sunt: ad Græcum, tùm in Asia, Alexandri Magni virtute, dilatatum, tùm in Gręcia per non modica sæcula florentissimum: ad Romanum tandem, quod omnẽ ferè Mundum sibi subiecerat. Secundo loco, vt tribus potissimum Ecclesijs, quibus fides, fideiq; dogmata impertienda, reserandaq́, erant, deseruirent; Synagogæ Hebręę, quæ Ecclesiæ nostræ fuit exemplar; Græcę, tantorum Patrum fulgore, conspicuæ; Latinæ denique Ecclesiarum omnium matri. Neque enim maximo vacat mysterio, Crucis titulũ illum; IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM, Hebraicè, Græcè, & Latinè scriptum fuisse. Nam sicut Christus omnia in vberrimo sanguinis sui fonte expiauit; ita & has tres linguas purgare & sanctificare debuit; vt in eis Iesu Nazareni nomen, ac omnis eius cœlestis doctrina conscribi dedecus non esset.

Cur tres linguę à Deo selectę sint.

Ioan. 19.

De editione Hebrææ.



HEbræa lingua (vt ab ipsa exordium desumam) vetustate, ac dignitate, cæteras antecedit. Hanc Adæ, atque ab Adam ad ea vsq; tempora, quibus tot effusa fuere idiomata, germanam fuisse humanæ sobolis linguam, cõmunis est sententia, maximè D. Augustini libris de Ciuitate Dei.

Lingua Hebręa omniũ prima.

lib.16.c.11.

Erat enim ante Heber Hebræa lingua, sed non vocabatur Hebręa, siquidem non opus erat nominis distinctione; cùm nulla esset idiomatis multiplicitas. Quando autem erat vna, nihil aliud quàm humana lingua, vel loquutio vocabatur, qua sola ipsum hominum genus loquebatur.

In Heber postea seruatam, ab ipsoq; non in omnem suam progeniem, sed in eam tantùm, cuius generationes producuntur vsq; ad Abraham, diffusam etiam fuisse tradunt Patres.

HIERONYMVS in Epistola ad Damasum, quæ est centesima quadragesima secunda, inquit;

Initium oris, & communis eloquij, & hoc omne quod loquimur, Hebræam esse linguam, qua vetus Testamentum scriptum est, vniuersa antiquitas tradidit. Postquam verò in fabricatione Turris, per offensam Dei, linguarum diuersitas attributa est; tunc sermonis varietas in omnes dispersa est nationes.

IOANNES Chrysostomus Homilia trigesima in Genesim, capite vndecimo, sic asserit;

Heber ipse mansit, idem sequutus idioma, quod & ante habebat.

ISIDORVS libro Etymologiarũ duodecimo, capite primo, hæc habet;

Omnibus animantibus Adam primus vocabula indidit, imponens vnicuique nomen ex præsenti institutione, iuxta conditionem naturæ cui seruiret. Gentes autem vnicuique animalium ex propria lingua dederunt vocabula. Non autem secundum Latinam linguam, atque Græcam, aut quarumlibet gentium barbararum, nomina illa imposuit Adam, sed illa lingua, quæ ante Diluuium, omnium vna fuit, quæ Hebræa nuncupatur.

BEDA de linguis Gentium libello, consimilia ferè scribit, dum dicit;

Linguarum diuersitas exorta est in ædificatione Turris post Diluuium. Priusquam superbia Turris illius in diuersos signorum sonos humanam diuisit societatem, vna omnium nationum lingua fuit, quę Hebræa vocatur, qua Patriarchæ & Prophetæ vsi sunt non solum in sermonibus suis, verumetiam & in sacris literis.

Hoc ipsum ratio comprobat. Nam si Dei cognitio, cultusq;, ac priscarum rerum traditio, stirpi illi, tanquam à Deo selectæ, commendatæ sunt, pari ratione linguam priscam eidem relictam fuisse censendum est. Amplius Heber filio suo tunc nato Phaleg nomen imposuit, quando per linguã diuisa est terra; vt ipso nomen illud inter posteros deferente, à nominis significatione, cõfusarum linguarũ tempore natum eũ intelligerent; quod tamen non intellexissent si aliena lingua vsi fuissent. Igitur, cùm humana esset lingua, nec vllo singulari nomine appellata; ab Heber, à quo propagata fuit, Hebręę nomen sumpsit. Cùmq; Heber, ab eoq; effusa posteritas, Mesopotamiam regionem coluerit, adeò cum Chaldæa lingua hæc permixta est, vt ferè vna fuerit effecta. Cæterum

Gen.10

Ab Heber lingua Hebręa nuncupata.

rum huic D. Augustini, ac plurimorum Patrum vetustissimæ sententiæ refragantur nō-
nulli; contenduntque ipsam priscam Adæ, humanamq; linguam fuisse Chaldaicam;
quæ non solùm apud Heber, eiusq; posteros, sed et in Chaldęa, omnique Mesopotamiæ
regione, maximè apud Reges & Sacerdotes, conseruata fuit. Volunt quinetiam, quod
discedente Abraham à Mesopotamia; & inde per Syriam, Phœnicem, ac Aegyptum
vagante, ex cæterorum idiomatum permixtione adulterata omninò fuerit; & postea
Lingua Hebrça secundū nonnullos ab Heber nō est appellata. Hebræam fuisse appellatam; non quidem ab Heber, sed ex eò quòd à regione vltra Eu-
phratem delata esset. Nam quemadmodum Abraham (inquiunt) à Syrijs, Hebræus
dictus est, non quod ab Heber descendisset, sed ab Iffri, quasi trans Euphratem aduenis-
set, (ita enim Syriaca in lingua, hi, qui traiecto Euphrate in Syriam descendebant, He-
bræi appellabantur) pariter eius lingua Hebræa dicta est; quasi à regione ultra Euphra-
tem delata. Nec frigidum huius rei deducunt argumentum. Quoniam (inquiunt) in sa
cra pagina nemo hoc nomine Hebræus vocatus est, nisi postquam Abraham in Palęsti-
nam transijt, vt apprimè eam contemplantibus apparebit.

Quæst. 59. THEODORETVS Quæstionibus in Genesim, Syriacam linguam
omnibus antiquiorem, Hebræam verò à Deo, vt Sacram fuisse Mosi datam, his tradit;

*Quænam lingua est antiquior? Nomina ipsa indicant, Adam enim & Cayn, Abel, & Noe, propria sunt
linguæ Syriacæ. Syrorum enim mos est, terram rubram appellare Adam. Interpretatur ergo Adam terrenus,
Gen. 4. aut puluerosus, & Cayn possessio. Hoc enim Adam laudans Deum, dixit; Possedi hominem per Deum. Et
Abel idem est quod luctus; primus enim ille visus est mortuus; & primus parentibus luctum attulit. Noè
Vbi sup. q. 60. verò idem quod requies. Vnde cœpit igitur Hebraica lingua? Vocem Hebraicam arbitror esse sacram. Quem-
admodum.n.in Templis Græcorum, quidam sunt literarum characteres peculiares, quos sacros appellarunt: sic
Deus omnium per Mosem donauit hanc linguam, non naturalem, sed ad docendum aptam. Si quidem cùm re-
liqui omnes loquantur lingua gentis suæ, in qua nati fuerint; & nati in Italia, Italorum vtantur voce; qui in
Græcia, voce Græcorum; qui in Perside, Persarum; & qui in Aegypto, lingua Aegyptiorum loquantur; nihi-
lominus nulli pueri Hebræorum reperiuntur, qui statim Hebraica lingua vtantur, sed eorum, apud quos nati
Psal. 80. sunt: deinde cùm parum adoleuerint, docentur literarum characteres, & discunt literis scripturam diuinam He-
braica voce scriptam, quod puto beatum Dauidem indicasse octogesimo psalmo; Linguam quam non nouerat; au-
diuit. Sed quidam dicunt ab Heber Hebraicam linguam appellatam esse, & illum solum in pristina perman-
sisse, indeq; Hebræos esse dictos. Ego verò puto appellatos esse Hebræos, ex eò quòd Abraham Patriarcha,
cùm è regione Chaldęorum veniret in Palęstinam, fluuium Euphratem pertransijt. Hebra enim Syrorum lin-
gua, idem dicitur quòd Euphrates. Quod si Hebræi denominarentur ab Heber, non solum illos oportebat sic ap-
pellatos esse: Permultę enim nationes ab Heber originem ducunt.*

Hæc Theodoretus. Sed quidquid sit de his varijs sententijs; ego hoc vnum colligo,
quod certò constat Hebræam linguam, vel eandem cum Chaldaica, vel ei affinem esse;
tantumq; distare secundum quosdam, quod Chaldæa purior effecta sit, quàm Hebrça existime-
Lingua Chaldæa purior quàm Hebrça ab aliquibus existimatur. tur. Quare autem Chaldaica purior effecta sit, ea fortè est eorum ratio; quoniam ipsa
in sua puritate, vti sacrosancta habita, apud Sacerdotes solùm Chronologicos venerata
fuerit; Hebraica verò ex commixtione nationum Terram promissionis, ac Aegyptum
colentium, cum quibus Abraham, eiusq; prosapia diù vitam duxit, impura sit reddita.
Porrò Chaldaicam linguam proprios characteres habuisse, ex Chronologijs Chaldaicis
dilucidè conuincitur. Hebræa autem, an præcipuis characteribus ante Mosem exara-
ta fuerit, an Chaldaicis vsa sit, non est in sacris literis compertum, neque manifestum.
His ita constitutis; quonam idiomate Moses Historiam suā conscripserit, exploratum
Quonā Idiomate Moses suam historiā scripserit. non esse arbitror. Philo, cæterorumq; Rabbinorum quamplurimi, qui Chaldaicam
linguam, matrē appellant, Chaldaico idiomate, tanquam elegantiori, ac maiori venera-
tione recepto, Mosem legem tradidisse affirmant.

lib. 2. PHILO equidem libris de Vita Mosis, sic scribit;

Lex antiquitus scripta fuit lingua Chaldaica, mansit in ea longo tempore.

Et eodem loco, Septuaginta Interpretū editionē, non ab Hebræa, sed à Chaldæa de-
promptam fuisse, constanter obtestatur. Non desunt ex opposito nostrorum quidam,
qui Hebraica lingua eum scripsisse existimarunt, vt supra D. Hieronymus asseuerabat;
quod quidē puto ex eo comprobari posse, quia Moses ipsam legerit omni populo. Lin-
gua etenim domestica, notaq; magis, quàm aliena, rudibus admodum Hebręis volumē
fœderis, Mosem promulgasse consentaneum videtur. Cæterùm cùm vel eædem, vel
non multùm dissimiles hæ duæ linguæ censeantur, non est cur in hac disceptatione tem
pus

pus conteramus; asserente præsertim D. Hieronymo in Prologo Galeato in hunc modum;

In quanam lingua Moses volumen fœderis ediderit, disceptare inutile, superfluumq; existimo. exploratũ, certumq; est, canonem, quem cum Hebræis communem habemus, esse siue à Mose, siue deinde ab Esdra, mutatis characteribus Hebraicè editum.

Rursus, quibus characteribus Moses Pentateuchum scriptis mandauerit, non est definitum. Quorundam enim, præcipuè Ioannis Driedonis sententia est, Mosem nouos characteres Hebræis tradidisse. Etenim ante ipsum de characteribus nulla in scripturis fit mentio: & tunc fortè ipse à Deo eos recepit, cùm in volumine fœderis, sermones scripsit; ac à Deo tabulas primas incisas accepit; & cùm secundas, manu sibi a Deo directa, ipse exarauit. Ita Eupolemus (vt de preparatione Euangelica refert Eusebius) primũ omnium literas Iudæis tradidisse Mosem asseuerat. Verùm arbitrantur alij veteribus characteribus Deum, Mosemque vsos fuisse; cùm tam insignis prosapia, disciplinis multis eruditissima, peculiaribus characteribus fortè nequaquam caruerit. Abraham siquidem Astronomus à multis existimatus est: quinimmo & Orpheus (vt Clemens Alexandrinus Stromatum libris retulit) Abraham Astronomum fuisse tunc indicauit, cùm dixit;

Quibus characterib' Moses Pentateuchum scriptis demandarit.

lib. 9.

lib. 5.

Vnus præterquam, cui deriuatur origo,
Chaldæum ex genere; is noscebat sydera Cœli,
Illorumq; vias, & quæ moueatur in Orbem
Sphæra, & tellurem circumuertatur in axe
Spiritus, & regat hanc, et in aere, et æquore fuso.

Quapropter si peculiares, notioresq; apud gentem Iudaicam fortè aderant characteres; sequitur, quòd Deus, Mosesq; Hebræis legem indicens, proprijs suis eam sculpserit characteribus; vt perfacilè, absq; recenti elementorum disciplina, leges sibi adscriptas, ac maxima pœnarum sæuitia incussas intelligerent, atq; perciperent. Ita etiam Augustinus libro de Ciuitate Dei duodecimo linguam Hebræam, & literas Hebraicas ante Mosem extasse censet. Quidquid autem sit de Tabulis illis, hoc perspicuum est; quod volumen à Mose conscriptum, post captiuitatem Babylonicam nunquam compertum fuit: & tunc fortè incensum, vel direptum est, cùm Hierusalem euersa fuit, diruta, & incensa. Perspicuum quoque est post reditum à captiuitate, Templo instaurato, illas, quibus nunc vtimur, literas Esdram inuentasse, ac ipsis Hebræis Scripturas sacras, præcipueq; Mosis Pentateuchum Spiritus Sancti afflatu commendasse. Existimarunt siquidem hoc omnes ferè prisci Patres: Hieronymus aduersus Heluidium, Mosem Pentateuchi auctorem, Esdram verò restauratorem dicit: Clemens Alexandrinus Stromatum libris inquit;

Cap. 39.

Esdras Sacræ Scripturæ restaurator.

Cùm interijssent scripturæ tempore Artaxersis Regis Persarum, inspiratus Esdras Leuites, qui factus fuerat Sacerdos, prophetauit, omnes veteres rursus scripturas renouans. lib. 1.

Idipsum affirmat Irenæus libro tertio, Tertullianus libro de habitu muliebri; Eusebius in Cronichon, Hieronymus in Prologo Galeato. Verùm Benedictus Pererius Præfatione in Genesim, vetustissimam hanc sententiam, si non labefactare, & euertere, debilitare saltem ingeniosè conatus est. Huius autem eximij Doctoris argumenta, ad suam sententiam corroborandam prolata, sunt ista. Primùm, si tempore Machabæorum (inquit) quo summo studio libri sacri inquirebantur ab immani Antiocho Rege, & concremabantur, ipsorum ingenio illi seruati fuere: multo magis in excidio Chaldaico conseruari potuisse asserendum venit. Deinde cur quarto libro Regum, secundo Paralypomenon, & apud Hieremiam, quibus in locis de rebus incensis, ac à Chaldæis ablatis, minutatim fit catalogus, nulla prorsus de illis libris sacris fit mentio? Præterea, si Hieremias ex incendio illo Chaldaico, Arcam, Altare incensi, & Tabernaculum, (vt scribitur secundo libro Machabæorũ) eripuit, ac seruauit: minori profectò discrimine libros diuinos præseruare potuit, & perinde seruauit. Tandē Daniel, post captiuitatē Babylonicā annis septuaginta, & ante Esdrā octuaginta, librorũ Mosis mentionem facit. Et

cap. 25.

Cap. 2.

Cap. 9.

lib. 9. Antiq.

Ioseph narrat, Cyrū Regē ad restituendā Iudęis libertatē, & reficiendi Tēpli potestatē, inductū fuisse; quippe quòd ostensus sibi fuerit Esaiæ liber à Iudæis, vel (ut Theodoretus tradit) ab ipso Daniele, in quo Propheta nominatim ipsi amplissimum imperiū ex Dei promissis pollicebatur; igitur libri sacri non perierant, sed adhuc illęsi seruabantur. Sed licet hæ argumētationes subtiles admodū sint, & nequaquam debiles coniecturas astruant; nihil tamen tantorum Patrum sententiæ officere mihi videntur. Cùm enim disputatio hæc sit de possibili facto, & euentu, quòd scilicet contingere & euenire potuit & non potuit, potius communi opinioni, testimonioq; vetustorū insistendum est, & eorū præcipuè, qui per mille & ducentos annos extiterunt ante nos, & ut proximiores illis priscis temporibus hęc per traditionē habere potuerunt, quàm nunc coniecturis etiam verisimilibus de hac re ambigere. Et eò maximè cùm Hieronymū, scripturarum studiosissimū indagatorem, Rabbinis Hebræis, Iosepho, Philoni consentanea scripsisse certissimè sit censendum.

De editionibus Græcis.



GRAECA lingua, licet vetustate, & dignitate cum Hebręa nullo modo comparari queat, fœcunditate tamen, ac gloria præstantissima reputatur: Quandoquidē Græcia, dicendi copia & lepore, omnes ferè supergressa est nationes. Hæc literas primas à Cadmo, ea tempestate, qua Othoniel Israelitis Præerat, excepit; anno videlicet septuagesimoseptimo post traditā à Mose legem. Hinc verò post captiuitatem Babilonycā, ex Spiritus Sancti decreto (Spiritus enim sanctus, inquit Chrysostomus cōtra Iudæos, Ptolomæū Phyladelphū excitauit) duabus de caussis diuinis est imbuta mysterijs, quemadmodum Eusebius de præparatione Euangelica tradit. Altera ut adueniente Christo Mundi reparatore, quæ de ipso ab Orbe condito præsignata erant à Deo, ac prophetata à Vatibus, omnis natio intelligere posset: Altera quò linguæ Græcæ testimonio ita elucesceret vetus Testamentum, vt postea (nato Christo) si quid inuidia Iudaica occultatum, vel vitiatum fuisset, reliquum veteris Testamenti suspectum minimè redderetur. Ex Hebraica verò in Græcam linguam septē præclariores comperiuntur Pentateuchi translationes. Harum prima & præcipua Septuaginta Interpretum editio existimatur: Quæ quidem Ptolomæi Phyladelphi, Aegypti Regis ingenio & iussu, edita fuit annis ante Christum ferè trecentis. De qua honorificè admodum Ioannes Chrysostomus contra Iudæos hæc habet, interprete Steuco;

lib. 8.

Septē in Græcam linguam Pentateuchi trāslationes.

Ptolomæus Phyladelphus, cùm omnes vndique libros congregaret, & intellexisset esse apud Iudæos libros, qui de Deo, & de optimæ Reipublicę statu philosopharentur, viris à Iudęa accersitis per eos transtulit, reposuitq; has scripturas in Templum Serapidis: erat enim Gentilis, & nunc vsque libri Prophetarum ibi translati habentur.

Hæc vir aureus. Iustinus Philosophus & Martyr, Hilarius, Ioannes Chrysostomus, pluresq; ex Patribus egregiè, cumulateque translationem istam commendant, & celebrant. Translatio secunda ab Aquila Iudæo Pontico edita est, quæ & à Iudęis cæteris translationibus anteponitur. Hæcq; annis ferè quingentis, post septuaginta interpretum editionem, Sixti primi tempestate (qui post Petrum, octauo in Pontificatu successit loco) emanauit. De hac Theodoretus ista profert.

Secunda editio in hunc modum fuit. Aquila quidam Synopęus è Ponto, cùm esset prophanus, baptizatus est in Hierosolymis, cùmq; in prophanorum Gentiliumq; moribus iterum volutaretur, obiurgatus est à præconibus gratię; & dolore affectus, tanquam canis ad proprium vomitum est reuersus, execratusq; Christianismū, & ad Hebræos se recipiens interpretatus est ipse diuinas Scripturas sub Adriano Imperatore leproso, post editionem Septuaginta, anno quadringentesimo trigesimo, doloso, & peruerso animo.

Sic ille interprete Steuco. Eusebius, Origenes, Theodoretus eiusdem translatione raro, & ad declarationem translationis prioris tantùm vtebantur.

D. HIERONYMVS inquit;

Contemnendus est Aquila, vti scrupulosior, & qui portentosa verba excogitarit.

Tertia translatio, Symmachi fuit, qui Sotheris tertijdecimi à Petro Pontificis tempestate, circa annum centesimū quadragesimū floruit. De hac etiam Theodoretus interprete Steuco ait;

Ergo

Ergo tertia fuit editio Symmachi. Is cùm esset Samarites, magistratuum,honorumq; cupidus.plenusq; fastu,nec à propria gente ad honores ascitus,refugit ad Iudæos, iteratoq; circunciditur, & ad euersionem Samaritarum,Scripturas & ipse est interpretatus sub Seuero.

Hucusque Theodoretus. Eusebius, cæteriq; Græci Patres, ea, quia nunquam publicè recepta fuit,ad declaratione tantùm editionis Septuaginta vsi sunt. Quarta translatio est Theodotionis, & Seuerino decimosexto post Petrum Pontifice sedente,edita reputatur. De hac etiam Theodoretus ait;

Quarta fuit editio Theodotionis.Is erat ex hæresi Marcionis Pontici, & in euersione suæ sectę edidit scripturam sub Commodo Imperatore.

Sic ille. Apud Patres priscos Græcos,interdū Theodotio citatur(sicut Aquila & Symmachus)ea fortè de caussa, quoniam eius translatio publicè legebatur,quæ tamen à nemine fuit recepta. Sed hi tres labe Iudaicæ inuidiæ obcæcati, Saluatoris mysteria subdola interpretatione celarunt, teste Hieronymo in Apologia aduersus Ruffinum. Prętere aliæ duæ,quinta scilicet & sexta appellatæ,incertisq; auctoribus editę,à D.Hieronymo memorantur. Harumq; primam Hierosolymis, alteram Nicopoli, sub Aurelio Antonino Imperatore fuisse repertam Beda asserit. Theodoretus sic inquit; Expof. Psal. 44. & 89.

Quinta editio in dolis est reperta sub Caracalla Imperatore in Hierico: Similiter & sexta Tonari.

Præter has alias fuisse editiones non ita insignes, minimè est ambigendum: siquidē septimā Prologus in Chronicis Eusebianis commemorat, & Origenes, diligentissimus sacrarum scripturarum indagator, in Hierico, ac alijs in locis nonnullas se inuenisse testatur. Inter quas pro septima,veluti conspicua, enumerari potest editio Luciani; de qua idē Theodoretus sic inquit;

Septima editio est Luciani magni illius militis & Martyris,qui superioribus editionibus insistens,tùm & Hebraicis se tradens,diligenter quæ deessent,quæ redundarent,& quæ à catalogo veritatis procul essent,correxit in proprijs scripturæ locis, ediditq; Christianis fratribus; quæ editio post eius certamen & martyrium, feruente Diocletiani, & Maximiani insania, reperta est propria manu scripta in Nicomedia sub Constantino Imperatore apud Hebræos in Turri parua Marmorea, calce illita.

Hæc Theodoretus. Verùm primarum sex translationum ante Hieronymi tempora (teste Eusebio libro Ecclesiasticarum historiarum primo) Origenes exapla excogitauit: in quibus quasi per columnellas, editiones illas eo ordine locauit, vt paginæ primæ Hebræam Hebraicis literis scriptam assignaret; in secunda Hebræam Græcis characteribus exaratam collocaret; in tertia verò Aquilæ; in quarta Symmachi; in quinta Septuaginta Interpretum; in sexta Theodotionis editionem constitueret; ita vt cuncta inter se facile ventilari,cōparariq; possent; cuius exemplo tetrapla, octapla, & decupla inuenta sunt. Cęterum inter has editiones Septuaginta Interpretū translatio, sicut tempore oēs alias præcessit,ita & dignitate præstantior cūctis existimari iure optimo debet. Quandoquidē Septuaginta eruditorum simul auctoritas, & nomen maiorē sibi fidem uendicat,quam singuli cuiuspiam alterius, eruditissimi licet interpretis. Et eò magis, quòd congregatio,& conuentus ipsorum legisperitorum Septuaginta,apud Synagogā eandem ferè consequebatur auctoritatem,quam apud Ecclesiam nunc habet Conciliū Summi Pontificis iussu coactum. Expostulante igitur Ptolomæo Phyladelpho, Eleazarus Iudęorū Pontifex selectos ex singulis Tribubus sex legisperitos, eruditione linguarum, ac vitæ probitate insignes (vt Eusebius de prępratione Euangelica testatur) in Aegyptum misit.Qui quidem doctisimi interpretes,siue in cellulis singulis separatim (vt Irenæus aduersus Valentinum, Ruffinus in Apologia, Augustinus de Ciuitate Dei, Eusebius, Hilarius,Theodoretus,& Iustinus Martyr in Apologia testantur,) siue simul congregati (vt Philo de vita Mosis asseuerare videtur, & Hieronymus, reiecta illa de cellulis sententia,contendit) veram illam editionem exhibuerunt; quæ postea,tanquā Spiritus Sancti dictamine prodita, summam auctoritatem est perinde consequuta.

Translatio Septuaginta interpretum cæteris præstantior.

lib. 8.

lib.3.c.24. & 28. lib.18.c.43. lib.2. Præfat. in Pentat.

Amplius & editioni huic summam fidē, eximiamq; dignitatem conferunt Christus, Euangelistæ, Apostoliq;; quippe qui secundum hanc editionem Veteris Testamenti sententias allegarunt,& recitarunt. Non modicam etiam auctoritatem ei detulit Apostolica sedes,quæ à Petro vsque ad Damasi tēpora, hac editione semper vsa est. Quinimmo & Patres omnes, maximè Græci, ante Hieronymū sacras scripturas secundum Septuaginta Interpretū translationē sunt interpretati. Verùm si quis quanta dignitate editio

lib.2. de translat. Sacræ Script.

editio hæc polleat, ediscere cuperet, Ioannem Driedonem consulat, & optatis perfruetur.

De editionibus Latinis.

Latinę linguę origo, & dignitas.



Atina tandem lingua & temporis diuturnitate, & Romani Imperij amplitudine, superexcellentem, eminentemq; obtinuit dignitatem. Huic, in Latio
enatæ, Carmentes priscos characteres, dedisse fertur; ea inquam tempesta-
te, qua Iair Israeli præfuisse comperitur. Ex Apostolicæ verò Sedis maie-
state,& Latinæ Ecclesiæ principatu, vt sacris mysterijs imbueretur, promeruit. In hac
autem Scriptura Sacra vnum tantùm ferè editorem inclytum suscepit Hieronymum:
nam licet ante ipsum plurimæ extarent editiones, ac inter alias ea, quæ incerto aucto-
re,& tempore édita, Latina,& vulgata nuncupabatur; editione tamen ipsius Hierony-
mi superueniente, omnes ferè,quæ ante florebant, in tenebras cecidere. Verùm D. Hie
ronymus plures edidit traductiones. Primùm Septuaginta Interpretum translationẽ
ex Græca in Latinum vertit idioma; vt ipsemet multis in locis testatur, præcipuè autem
in Apologia aduersus Ruffinum: Deinde editionem vulgatam, Latinamq; appella-
tam, ab Ecclesia tunc vsitatam, temporum verò iniuria, vel editoris imperitia, vel Typo
graphorum inscitia corruptam restituit. Tandem totum vetus Testamentum ex He-
braica veritate in Latinam linguam transtulit; cuius interpretationem Iudæi (vt inquit
Augustinus) fatentur esse veracem; sicuti econtrà Septuaginta Interpretes in multis
errasse non inficiantur. Hæc autem editio ex multorum sententia, ea est, quæ mille su-
pra annos ab Ecclesia, vt cæteris præstantior recepta, vulgatæ nomen excepit; licet alij
hanc vulgatam, parum Hieronymi primæ editioni, ac textui Hebraico esse consonam,
& iniuria temporũ ab ea multum dilapsam exclament. Cæterum quomodo D. Hie-
ronymus primis illis temporibus editione ista in lucem missa, plures sibi hostes (Septua
ginta editionẽ celebrantes) conflarit; & quo pacto apprimè seipsum defensarit; ac qua
ratione, Septuaginta Interpretum editione paulatim reiecta, vulgata eius conualuerit,
& an hæc editio, quæ nostra tẽpestate, vulgata dicitur, ab eodem Hieronymo fuerit cõ-
fecta, & a nemine vitiata, deq; eius auctoritate, consulas Ioannem Driedonem, Augu-
stinum Steuchum, tractatu illo, cuius talis est titulus; An hæc vulgata editio sit D. Hie-
ronymi. Nec enim hic locus tantæ disceptationi est congruus: quanquam & nos in Pro-
thematibus nostris in totam Scripturã sacrã hæc ipsa disertius sumus explicaturi. Ego
autem hoc in loco prætermittere nequaquã possum tanti viri pręconia; sed & quæ de-
feram nescio. Dicã igitur hoc vnum. Samson, cùm ex irruente spiritu, Leonem dila-
niasset, inexpectato euentu, non post multũ tẽporis eius in ore apum examen, mellisq;
fauum reperijt. Huius euentus caussa, illud Philisteis proposuit problema; De come-
dente exiuit cibus; & de forti egressa est dulcedo; quod equidem ab ipsis non nisi indi-
cante vxore, perceptum, expositumq; fuit. Samson noster Christus est. Hic Leonem,
scilicet Hieronymum, virum omni prorsus, tùm scientiarum, tùm linguarum eruditio-
ne coruscantem, cuncta facundia proterentem, perpetuis corporis afflictationibus in
Syriæ vasta solitudine compressit, ac dilacerauit; ita vt in eius ore (in translationibus
videlicet ab eo editis) caterua insideat Apũ, hoc est Doctorũ eorum, qui Apum more
sacris literis insistunt; ut abiecto literæ cortice, internorum sensuũ dulcedinem, iocun-
dasque spiritus meditationes, quasi fauum delibent. Proponere certè potest ænigma
illud Christus noster mysticus Samson; De comedente exiuit cibus; hoc est ex Hiero-
nymo (qui totum Bibliorum volumen, quemadmodum Ezechiel, ac Ioannes Euan-
gelista comedit) translationes exiere, quibus cæteri pascerentur; præcipuè Hebraicæ,
Græcæq; linguæ ignari: ac etiam; De forti egressa est dulcedo; hoc est, ex tanto editio-
num commodo, tot suis vigilijs ac laboribus indefessis comparato, eximia admodum
facilitas ad scripturarum præcipuos sensus indagandos delata est. Sed neque hæc agno-
uissemus, nisi arassemus in uitula Samsonis, si ex sponsæ Christi Ecclesiæ iuditio, decre
toq; translationes illius auctoritatem non excepissent. Et fortè hæc mystica ratio est,
quare cũ Leone semper Hieronymus pingatur. Verùm ex his enarratis, duæ maximæ
exurgunt

lib. 18. de ciuit. Dei.

Editio vulgata an D. Hieronymi.

lib.2. de Sacræ Script. translat.

D. Hieron. Encomium.

Iud. 14.

Hieronymus Leoni Samsonis comparatus.

Iud. 14.

exurgunt difficultates; Altera est, quanā recondita ratione, Spiritu Sācto permittente, impuras habeamus ferè omnium trium linguarum editiones. Nam Hebraica à Mose scripta, in captiuitate Babylonica sublata est; ac pro ea ab Esdra altera forsan, diuersis characteribus exarata, suffectaq; fuit. De qua num in sua puritate persistat, meritò ambigere possumus. Ex Græcis, editiones ferè omnes illegitimę censentur, præter eam vnam Septuaginta Interpretum translationem, quæ omnem sibi arripuit auctoritatē. Sed & hæc à se ipsa, & ab Hebraica veritate comperitur ita deuia, vt multa omittat, addat plura, quamplurima variet, ob idq; manca & obscura nobis proponi videatur. Quod enim plura omittat, efficacissimum argumentū est, siquidem multa, Hieronymo teste, in Euangelij, Apostolorumq; scriptis de Veteri Testamento leguntur, quæ in Septuaginta Interpretum codicibus non reperiuntur, vt hæ præcipuæ sententiæ; Ex Aegypto vocaui filium meum. Nazaręus vocabitur. Videbunt in quem transfixerunt. Flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ. Nec auris audiuit, nec oculus vidit. Quod autē plura superaddat, ex hoc conuinci potest, quandoquidem Augustini, Eusebij, ac ferè omnium Patrum testimonio, Septuaginta Interpretum editio in primi ac secundi sęculi annis, singulis Archipatrum ætatibus centū annos addit, qui in Hebraica non habentur. Itaque in prima ætate numerus adeò supercrescit; quod, Hebraica ex veritate, prima ętas constat annorum mille sexcentorum quinquagintasex; quę quidem ætas, ex ipsa traditione Septuaginta Interpretum, annorum duorū millium sexcentorum quadragintaduorum numero conflatur. Quę additio, iuxtà sententiam eiusdem Augustini, ex scriptoris fortè imperitia insita fuit; adeò vt liber ille mendosus habeatur. De varietate verò duntaxat hoc dicā; Vbi enim Hebraica veritas habet; Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno: in editione Septuaginta Interpretum legitur; Maledictus omnis qui pendet in ligno: cùmque huiusmodi editio taceat verbum Est, in quo rei certitudo exprimitur; & etiam dictionem illam, A Deo, in qua Auctoris efficacia explicatur; superaddatq; dictionem eam, Omnis, propositionem latiorem reddit; totq; his similia comperiuntur, vt Hieronymus apertè testatur. Præterea Septuaginta Interpretes (vt videre est apud eundem Hieronymū) vbicunque Sanctum aliquid de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto pandunt scripturæ, id aut aliter interpretatos esse, aut omninò tacuisse euincuntur; tùm ne Prolomęo Regi fortè displicerent, tùm ne arcana fidei Ethnicis diuulgarent. Etenim apud Esaiam habetur locus de Christo, vbi ipsi, non ausi dicere natum Puerum esse Deum, pro Deo sex nomina posuere, quæ in Hebræo non habentur, appellantes illum præcipuè Magni consilij Angelum. Tandem passim ipsa Hieronymi editio à mille annis citra vsitata, in multis etiam impura conuincitur. Quare enixè admodum indaganda est huiusmodi translationū impuritatis ratio; pro qua duo fundamenta sunt iacienda. Primum est, quod Deus in naturalium, ac gratuitorum donorum ordine, diuerso profectò calle incedit. In naturalibus hic ordo est, vt à suis caussis consimiles effluant ferè semper effectus. In gratuitis verò Deus non eodem semper, sed diuerso certè instituto ex temporum, locorum, ac rerum opportunitate, & exigentia operatur. Hinc dona Spiritus Sancti gratis data, inter quę sunt Prophetia, & genera linguarum, non eodem semper modo à Deo hominibus collata sunt. Nec enim eadem Esaias prophetauit, quæ Hieremias, vel Ezechiel, vel Daniel prædixerunt; nec minus eodem loco, vel tempore, nec eodem reuelationis modo, eodemq; dicendi nitore; sed varijs admodum modis cuncti prophetarunt; tamen in omnibus operatus est vnus ac idem Spiritus. Aliud fundamentū iaciendum est: quod alia sit impuritas scripturæ, alia impuritas translationis. Cùm .n. impurū id censeatur, quòd naturæ imperfectiori cōmiscetur; impuritas scripturæ tunc erit, quando contra veritatis splendorē aliquid admittet: impuritas verò translationis, cùm quid à verborū, vel saltē à sensuū positione discrepabit. His duobus iactis fundamentis, facilis erit ad rem quæsitā responsio. Illud enim primò asserendū venit, diuinam scripturam nunquam impuritatem recepisse ex mutatis characteribus, vel trāslatis linguis; siquidem idē Spiritus, cuius impulsu afflata est, in his omnibus, quæ ad Fidei, dogmatumq; Christi, & morū eruditionē, veritatemq; spectarent, eundem semper suggesserit intactū veritatis candorem. Translationis verò impuritatem recipere potest, & hoc dictante Spiritu sancto, ex locorū, temporum, rerumq;

Editiones quorsum impurę.

Editio septuaginta iterpretū mendosa.

Præfat. in Pēt.

Mat. 2.
Ibidem.
Ioann. 19.
Ioann. 7.
1. Cor. 2.
De Ciuit. Dei lib. 15. cap. 10.
In Cronichō.

De Ciuit. Dei lib. 15. c. 13.

Deut. 21.

Apolog. aduer. Ruffini. Commen. in Esa. cap. 9.

Esa. 9.

Editio Hieronymi vulgata, impura existimatur.

Duplex īpuritatis scripturæ genus.

Puritas Sacræ Scripturæ.

rumq; exigentia; eò tamen euentu, vt licet vna ad alteram comparata, impura censea-
tur; simpliciter attamen impura non sit, sed eodẽ Spiritu, quo illa, & ipsa edita existat.
Vnde quid mirum si prostrata Iudæorũ Religione, ac eorũ diruto Imperio, ob Dei con-
temptã legẽ, ad tollendũ eis tumorem, nobis vulgata, alijs exarata characteribus, verita-
tis integritate obseruata, demandata fuit? Quapropter quod in Græca Septuaginta In-
terpretũ editione prætermissa, additaq; sint multa, Hieronymus ex Spiritus Sancti in-
stinctu factũ fuisse existimat; tum ob decoris gratiam, tum ne Sacramenta fidei Ethnicis
panderentur. Quare autẽ Latina, à Hieronymo edita, præcipuam inter omnes à Deo
sortita sit auctoritatẽ, Augustinus multas reddit rationes. Primo vt Iudæi, damnantes
Latinã translationem vsitatam à Christicolis, reprimerentur. Deinde, vt Græcorum
proteruia, qui se Latinis præferentes, ipsis quòd à se scripturas haberent improperabãt,
apprimè compesceretur. Amplius, vt sicut illis seculis aptas tradidit Spiritus Sanctus
scripturas; ita etiã nostris, tot hæresibus iactitatis, aptiores scripturas idẽ Spiritus suppe-
ditaret. Denique, vt apud Latinam Ecclesiã, omniũ Ecclesiarum matrem, fideiq; nu-
tricẽ, Latina propria editio omni prorsus vitio expers extaret; quæ tùm Sedis Aposto-
licæ auctoritate, tùm diuturnitate, tùm veritatis candore, omnes anteiret. Oblatrent
modò canes, quibus sacra danda non sunt. Altera difficultas ex hac emergens, ea est;
An editioni Latinæ, à Spiritu Santo nobis nunc traditæ, ita inhęrendũ sit, vt ad Hebrai-
cam, Gręcamque, quasi ad fontes redire non liceat: his pręcipuis rationibus, quia hu-
iusmodi editio Spiritus Sancti dictamine ad nos delata est; & quia Ecclesię Romanæ
vsu supremã cõparauerit auctoritatem; & quoniam ipsi tot Concilia, & omnia ferè dog
mata Theologica innitantur. Verùm huic difficultati attendendũ est à Spiritu Sancto
respõsum. Consulebat Saul Dominũ, illoq; nec per somnia, nec per Sacerdotes, nec per
Prophetas sibi respondente, Phytonissam ipse impiè accersiuit, vt Samuelẽ suscitaret,
à quo suam, suorumq; funestam admodũ audiret internecionem. Quantũ ad literæ spe-
ctat apparatum, hæc à nostro distant proposito; sed si internum mysteriũ attendas, so-
lutionẽ difficultatis adinuenies. Duo à scripturis expetere possumus, vel veritatis can-
dorem, cui fides tanquam basi innititur; vel eiusdem maiorẽ & minorem expressionẽ,
seu clariores ad res intelligendas voces ac methodos. Si primum requiras, ita effulget
in editione nostra veritatis candor, vt qui aliam exquireret, cum Saule Phytonissam
adire videretur, quæ nil aliud, quam Samuelis vmbrã exponet. Samuel Propheta veri-
tatis reuelatæ quidem typus est; hic viuus in Hebraica, Gręcaq; lingua existebat, cum
illis Ecclesia vtebatur. Sed quando Latina ab Ecclesia fuit accepta, factũ est, vt & in hac
veritas summopere elucesceret; nõ quod & in illis veritas nõ cõperiatur, sed quia ex Ec-
clesiæ vsu Latina dignitatẽ, auctoritatemq; maximã excepit. Quod si maiorem sensuũ
perspicuitatẽ expetas, transire ab hac ad illas, non certè nefas, sed perutile maximè erit;
vt quod vna editio non clarè exprimit, altera vel vocum significatione, vel ex dicendi
modo, vel ex antecedentibus, ac consequentibus, clarum, explicatumq; reddat. Huius
rei fundamentum est, quod licet Hebraica, Græcaq; editio, vel Scriptorũ inscitia, vel
Typographorũ incuria, vel hostiũ Iudæorũ, Gentilium, Hæreticorumue fraude, in qui-
busdam codicibus deprauata cõperiatur: non tamen de industria vniuersaliter omnes
editiones corruptæ sunt; nec ante Christi aduentũ, vt arguit Origenes; siquidem nun-
quã Christus Iudæos de hoc reprehendisse reperitur; immo ad illas ipsos remisisse com-
probatur. Dixit nimirum Christus; Scrutamini Scripturas. Et iterũ; Quæcunque dixe-
rint vobis, seruate & facite. Et alibi; Audiant Mosem & Prophetas. Nec etiam à Chri-
sto ad Hieronymi tempestatẽ, ex eò quòd à Christo, & ab Apostolis relata scripturæ te-
stimonia, ita scripta in illis editionibus vt relata sunt, inueniantur: nec à Hieronymi tẽ-
poribus ad nostram ætatem; ut si Codices Latini vetustissimi ab Ecclesia recepti, cum
Codicibus veteribus ab Hebręis & Græcis passim vsitatis simul cõferantur, de facili co-
gnosci potest. Quapropter ad editiones illas accedere; vt inde maiorem literę & sen-
suum claritatem carpere possimus, perutile mirũ in modum esse asseuerandum est. Sed
si ab eis, tanquã à Phytonissa, veritatem ita accipere putabimus, quasi editio nostra ip-
sam nequaquam contineat, Samuelis certè vmbrã conquiremus. Tandem, vt finem
imponam, hoc vnum addere volo, vt cui editioni danda sit fides, ediscamus. Duę mu-
lieres,

Apolog. aduers. Ruffin. De ciuit. Dei lib. 18. ca. 43.

Editio Hieronymi inter alias pcipua.

An liceat ab editione Latina ad Hebraicam, Gręcãq; recurrere.

Reg. 1. 28.

lib. 8. In Isaiam. Ioan. 3. Matt. 23. Lucę 16.

lieres, dum ante Sapientissimum Salomonem contendunt, cuiusnam esset filius viuus; imperat Rex vt infans diuidatur. Cæterum cùm mulier, quæ vera parens erat, viuum potius seruandum esse filium enixè precaretur; altera verò, quæ vera mater non erat; occidi eum postularet; Rex ipse priori, vti matri, reddēdum esse filium adiudicauit. En duę mulieres, editiones diuersæ adinuicem altercantur, cùm differentem sensum nobis exponunt: & tunc à nobis id ferendum est iudicium, quod à Salomone de puero prolatum fuit. Decernendum nanque superest, quænam Christum viuum, & quæ mortuū dicat. Christus enim infans est ille à Scriptura, vt à deipara genitus, quem figurarum vmbris, quasi pannis inuoluit, & post quem cessauit parere: Christus nimirū & primogenitus & vnigenitus Sacræ Scripturæ est filius. Quæ igitur editio Christū verum Deū & hominem fatetur, rectaq; de Fidei articulis depromit, Catholicæq; Ecclesiæ dogmatibus propensa est, ea mater censetur: at quæ de eius diuinitate, ac humanitate, de cæterisq; Fidei articulis non recta, sanaq; prodit, hęreticæq; prauitati applaudit, ea non mater vera, non Scriptura sancta & pura, sed vitiata, deprauataq; est reputanda, nā Christum non viuum, sed mortuum exposcit, & exponit.

Reg. 3.

De Titulo Pentateuchi, & de eiusdem Sectione, atque Argumento.

DE Titulo Pentateuchi, pauca admodum mihi dicenda supersunt. Mosem omnē conscriptam à se Historiam, vnico nomine, volumen fœderis appellasse conuincitur in Exodo. Philo Iudæus, Mosem sectionis, & inscriptionum quinque librorū Pentateuchi fuisse auctorem obtestatur, ita in libro de Mundo scribens; Moses genitum & incorruptibilem asseruit Mundum in sacris libris: sunt autem quinq;, quorum ipse primum Genesim inscripsit, qui hoc modo incipit; In principio fecit Deus Cœlum & Terram. Et in libro de migratione Abrahæ, rectè ait; sacer uates Moses vnum integrum legis librum Exodum intitulauit, nomine conueniente contentis in ipso miraculis. Ex altera parte compertum est, quòd Hebręorum Rabbini totum Pentateuchum in distinctiones, seu Titulos duos & quinquaginta secarunt; hoc est, Genesim in vndecim, Leuiticum in decem, Exodum in vndecim, Numeri librū in decem, Deuteronomium pariter in decem; quas partes à dictionibus ipsarum initialibus nominarunt; appellantes primam Beresith, hoc est, In principio; secundam, Noach, siue Noe, &c. Totum verò Pentateuchum in quinque millia octingentos & triginta pesuKim; hoc est, Versus, partiti sunt. Sed amplius. Philo Iudæus libro de Mundo, & Ioseph contra Appionem grammaticum, Pentateuchum Hebræos in quinque libros diuidere, titulis ab inchoatione librorum suprascriptis, asseuerarunt. Cæterum nostris verisimilius videtur, non Mosem, sed Septuaginta Interpretes, vtpotè Græcos, vetustam Hebræorum sectionem sequutos, has nouas Græcas librorum Pentateuchi inscriptiones excogitasse. Primus enim apud eos appellatur Genesis, hoc est Generatio; eòquòd exordium Mundi, & generatio sæculi in eo contineantur: Secundus Exodus, idest, Exitus; vt qui exitum populi Israelitici ex Aegypto narrat: Tertius Leuiticus, quoniam Leuitarum ministeria, sacrificia, leges, ritusq; comprehendit: Quartus Arithmi, idest, Numeri, etenim egressæ de Aegypto Tribus dinumerantur, & quadragintaduarum per heremum mansionum numerus recitatur: Quintus Deuteronomion, hoc est, Secunda lex inscribitur; quia in eo repetitio legis perspicitur. Sed quicquid de hoc sit, illud nobis compertum est, ex Ecclesiæ vsu, quòd Pentateuchus in quinq; libros diuisus est; & hinc huiusmodi partitio, & tituli auctoritatem sumpsere. Verùm, quantū ad Pentateuchum attinet, hoc ego existimo, quòd inter vigintiquatuor libros Testamēti veteris eximium, supremumq; locum certè sibi vendicent hi quinque libri Pentateuchus dicti. Hoc perbellè admodum D. Hieronymus in Prologo Galeato eleganti comparatione insinuauit; cùm Scripturæ libros, vigintiquatuor senioribus, coronis suis deiectis, Agnum adorantibus, comparauit; siquidem in Apoc. legitur; Aderat sedens Rex in sede, cuius facies vti Iaspis, ac Sardius inter lapides fulgentissimus, emicabat,

Inscriptiones quinq; librorum Mosis à Septuaginta Interpretib9.

Quinque libri Mosis inter cęteros Veteris Testamē ti isigniores.

Seniores vigitiquatuor, Agnum adorantes, quid significent. Cap. 4.

Iridequeſmaragdina circumtegebatur. Quis nanque ſedens Rex iſte eſt, niſi Chriſtus ſedens in ſcripturis: cuius facies, Diuinitas ſcilicet, ſplendeſcit vti Iaſpis; Humanitas verò, vt Iris illa, quę ſignum fuit fœderis inter Deum & hominem (iuxta oraculũ Noe) ipſum obtegit, circundatq́;. In circuitu igitur ſedis huius quatuor adſunt animalia, videlicet Euangelia, quę prima ſplendorem à ſedente Rege excipiunt, oculata ante & retro, cùm omnia tam ante, quàm poſt, Chriſtum reſpiciant, inclamentque ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus, quandoquidem tria ſanctiſſima de Chriſto produnt, Diuinitatem, Animam, & Carnem. Inſuper addunt; Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt; ſiquidem Chriſtum Deum ab æterno genitum de Deo, Deum hominem factum, Deum ad Mundum iudicandum in Maieſtate venturum annuntiant. Huic tantæ coruſcanti Maieſta-
ſuas, omnem ſcilicet ſibi competentem gloriam (nam corona, gloriæ typus eſt) depo-
ti circumſtant vigintiquatuor Veteris Teſtamenti libri, qui ſunt ſeniores illi, coronas
nentes: quemadmodum prodeunte Sole, omnis Stellarum fulgor obumbratur. Procidunt autem in facies ſuas, hoc eſt, apparentes ex litera ſenſus dimittunt, vt cum internis Chriſtum adorent. Horum autem omnium librorum hi quinque, in Pentateuchum collecti, eximium ſibi vendicarunt locũ, Antiquitate, Auctoris dignitate, Numero, Põdereq́; rerum conſcriptarum. De antiquitate hęc ſcribit Chryſoſtomus ſuper Geneſim;

Quibus Pentateuchus redditur cæteris libris inſignior.

Cùm Deus conditor per ſeipſum ab initio hominibus loquutus eſſet; ſic enim ad Adam venit, Cain increpauit, cùm Noe loquutus eſt, auertentibus ſe à Deo, ac in peccatis collabentibus, quaſi abſentibus literas miſit, quas attulit Moſes.

Igitur hi libri, primi omnium, mandata Dei, verbaque exceperunt, ac ea nobis detulerunt. De Auctoris dignitate ſciendum, quòd, vt ſupra etiam expoſuimus, Moſes triplici officio functus eſt, Prophetæ, Ducis, ac Legiſlatoris. Multi Prophetæ, hoc eſt procul fantes de futuris pronuntiarunt: illuſtris Moſes Propheta, qui non tantùm de futuris, ſed & de præteritis prophetauit. Nonnulli Prophetæ, Reges fuerunt, vt Dauid; Inſignis etiam Ducatu Moſes, qui primus Imperium Hebraicum, vendicata libertate ſingularibus & victorijs, & prodigijs, inſigne condidit. Solus Legiſlator Moſes, qui non tantùm per infuſum ſpiritum, ac per ſomnia vti reliqui, ſed facie ad faciem, cum Deo loquutus eſt. Tandem numero, pondereq́; res, à Moſe ſcriptæ, maximæ ſunt. Geſta enim duorum annorum millium trecẽtorum & octo, ab initio Mundi ad Ioſeph obitum, liber primus Geneſis complectitur. Secundus Exodus nuncupatus, annorũ centum & quadraginta, à Ioſeph obitu ad Tabernaculi erectionem acta, enarrat. Tertius vnius menſis euentus mirificos contexit circa ipſam constructionem Tabernaculi
in deſerto. Quartus annorum viginti peregrinationes, vſque ad manſionem in Campeſtribus Moab, continet. Quintus & vltimus, Deuteronomij liber, duorum menſium nouiſſimi Moſis anni geſta explicat. Qui anni omnes ſimul ducti, numerum annorum duorum millium quadringentorum, ac octuagintaſeptem conficiunt. In his autẽ præſtantiſſima enarrantur, Orbis opificium, ſeu rerum omnium Creatio, primorum parentum Adæ, atque Euæ plaſmatio, & lapſus, Archipatrum ſtemmata, Noëticum Diluuiũ, prima humanæ ſobolis per Orbem effuſio, Iudaicæ ſtirpis electio, Patriarcharum geſta, Iſraëlitici populi in Aegypto captiuitas, eiuſdem ex Aegypto portentoſa liberatio, Legis collatio, Sacerdotij, Sacrificiorum, ac rituum Sacrorum inſtitutio, Hebraica per deſertum, tot ac tantis miraculis decorata, peregrinatio; Quæ ſingula, & in ſe præclariſſima ſunt, & ſubſequentium rerum, ac euentuum fundamenta. Quare non immeritò illuſtrem ſibi locum, ac primum, inter viginti quatuor Veteris Teſtamenti libros, vendicare eos diximus.

Pentateuchi, libri quot annorum geſta contineant.

ASCANII

Ascanij Martinengi

DE CREATIONE CONTEMPLATIO.

Ad Mosis Literam

PRÆLVDIVM, SEV APPARATVS.





CVM primum oculos in hanc Mosis de Orbis emolitione enarrationem inijcio, nimius, inusitatusq; prosiliens ex ea fulgor, adeò mentis aciem obcæcat, atque conturbat, vt in limine ipso perterritus sistat calamus, nec vltra progredi ferè audeat. Neque immeritò certè: Hæc siquidem de Mundi natalibus Historia, ea splendida, cornutaq; facies mihi visa est, quam Moses cùm crebra haberet inter densas caligines cum Deo colloquia, coruscantem, splendescentemque retulit, eamque Israelitæ nequaquam nisi velamine obtectam inspicere potuerunt.

Facies Mosis splendida, est ipsa opificij Mundi narratio.

Neque verò mireris precor, quòd hanc de Mundi opificio Historiam, faciem Mosis nominarim, quòd coruscantem, quòd velamine opertam, quòd cornua emittentem asseruerim. Hæc siquidem me non temere dixisse explicabo. Si facies ea est, in quam primùm oculos inijcimus, vt quis vnusquisq; sit, agnoscamus: hæc facies certè erit, quia Historiç adeò celeberrimç est exordium; Ex quo noscimus hanc non vulgatam, humanãq; esse præteritarum rerum narrationem, sed Prophetiam insignem, ac præstantissimam; vtpotè, quæ vetustissimam atq; abditissimam Mundi effectionem, non ex hominum relatione, sed diuina iussione, atq; Spiritus sancti afflatu referet, ac prodat. Quam etiam præclarissimam historiam, qui de Mundi opificio (frigidè quamuis) vt Locrus, Plato, Berosus scribere ausi sunt, æmulari, & exhaurire contenderunt. Sed quisnam fulgor iste est, ex Mosis facie effluens, nisi Dei Opificis Maximi notificatio, ac sanctissimæ Trinitatis insinuatio? Hic illius Solis splendor, ac nitor est, de quo Sapiens ait; Tripliciter Sol exurens Montes, radios igneos exufflans, & refulgens radijs suis obcęcat oculos.

Trinitatis splendor in Mosis literę facie apparet. Eccl. 43.

Nec ineptè profectò Solis symbolo Dei maiestatem clarissimã Sapiens manifestare voluit; eleganter siquidem, si res vlla Deo est comparanda, Sol Dei Hieroglyphicũ est.

Sol Dei Hieroglyphicũ.

Quid nanq; inter conditas res præstantius, excellentiusq; Sole? Ipse enim est Mundi oculus; Diei iucunditas; Vniuersi pulchritudo; Naturç gratia; cuius luce decoratur Cœlum, depuratur Ignis, illustratur Aer, effulget Aqua, fœcundatur Terra, coruscat Aurũ, emicant Lapides, virescunt Plantæ, fouentur Animantia; In cuius ęmulationẽ mortales, Mundi gloriam expetentes, hac nostra tempestate Clarissimorũ, Illustrium, Serenissimorum titulos temere arripiunt, ac sibi vendicant. Cùm igitur Hieroglyphicum non indecens Dei ex sua præstantia sit Sol, Sapiens eius fulgorẽ allegoricè, accuratè describit, cùm ait; Tripliciter Sol exurens Montes, vt ferè dixerit, vnus ac ternus Sol; hoc est in vna essentia Sanctissima Trinitas, exurens Montes, Angelos, & contẽplationi addictos Sanctos, igneos radios exufflat, flagrantes amoris flãmas excitat, & refulgens radijs suis, nimio suo splendore obcęcat oculos mundi Sapientum ac Philosophorũ, qui nimio tumore elati immoderatius ingenij sui aciem, nõ fidei, sed luminis naturalis ope suffultam in huius Solis maiestatis contemplationẽ attollere ausi sunt. Quòd si Deus Sol ipse est, vbi admixta est Dei mentio, ibi & fulgor adest: Quòd si Sanctissimæ Trinitatis insinuatio est, triplicatus fulgor emicat & coruscat.

Ecclesiast. 43.

GREGORIVS Nazianzenus in sanctum lauacrũ Oratione tertia sub luminis metaphora hæc præstantissima de Deo deprompsit;

Deus etenim lumen est sublimissimum, inaccessibile, ac ineffabile, quòd neq; mente comprehendi, neq; sermone exprimi potest, omnem naturam rationalem illuminans; illud in intelligentia, quod Sol in sensu, existens, tanto magis contemplatione intellectum, quanto plus purgamur; ac quantum magis contemplamur, tanto plus dilectum; & quantum magis diligimus, tanto plus rursus cognitum seipsum contemplans & comprehendens, pauca extrarijs effundens. Lumen, inquam, quòd in Patre & Filio & Spiritu Sancto contemplari potest; quorum diuitiæ sunt cognatio eadem, & vnica splendoris eruptio.

Et Oratione in Nouum Dominicum diem.

Angeli lumina secunda.

Deus erat lumen, inquit, inaccessibile, & incomprehensibile, neq; incipiens, neq; desinens, neq; mensurabile, semper fulgens, tripliciter micans, paucis quantum sit contemplatione cognitum. Quin hæc paucis quidem, vt arbitror, sunt & luminaria secundaria à primo lumine splendorem trahentia, potestates nempe, quæ cum ipso versantur, ac spiritus ministrantes.

Et in Oratione in laudem magni Athanasii.

Deus sol intelligibilis.

Nam cùm multa & magna sint, atq; adeo tot & tanta, vt nemo ea sermone complecti possit, quę nos à Deo partim habemus, partim habituri sumus: maximum tamen, & humanissimum est propensio ad eum, atq; coniunctio. Nam quod rebus in sensum cadentibus est Sol; hoc ijs, quæ animo, & ratione intelliguntur, est Deus. Ille enim Mundum hunc aspectabilem illustrat, hic inuisibilem; ille corporis oculos ita afficit, vt lumen ipsius intueri possint, hic mentes diuinas reddit. Atq; vt ille cùm & ijs, quæ oculorum sensu prædita sunt, & ijs quæ in aspectu sentiuntur, hanc vim tribuat, vt & illa videre, & hæc visu percipi possint: interim tamen ipse omnia, quæ oculis subiecta sunt, pulchritudine antecellit: eodem modo Deus cùm tam ijs, quæ intelligentia vtuntur, quàm quæ mente percipiuntur, ipse tamen intelligibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit, ac desigitur, nec supra eum vsquam fertur.

Cap. 6.

Cæterum quanam serie Sacratissima Trinitas in hac Mosis Historia memoretur, præter cæteros præstãtissimos Patres (quorum catenam suo loco deducam) D. Augustinus de Genesi ad literam libro primo his luculenter explicat;

Trinitas ex Mosis litera quomodo insinuetur.

In ipso exordio inchoatæ creaturæ, Trinitas insinuatur Creatoris. Nam dicente Scriptura; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principij nomine; qui non Patris, sed per ipsum creatæ primitus, ac potissimum spiritalis creaturæ; & consequenter etiam vniuersæ creaturæ, principium est. Dicente autem Scriptura; Et Spiritus Dei ferebatur super aquas; completam commemorationem Trinitatis agnoscimus; ita & in conuersione, atq; perfectione creaturæ, vt rerum species degerantur, eadem Trinitas insinuatur, Verbum Dei scilicet, & Verbi generator, cùm dicitur; Dixit Deus: & sancta Bonitas in qua Deo placet, quidquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cùm dicitur; vidit Deus, quia bonum est.

Insuper velamine operta mihi visa est hæc splendida facies, quia Dei, Sanctissimæq; Trinitatis notitia, quam Moses in sua Historia insinuat & tradit, sub literę cortice latet, atq; ita operta ostenditur Hebręis: cooperiebat nanq; Moses faciem suam quando loquebatur ad eos, & etiam Gentilibus; quia & his & illis, splendorem cognitionis Dei egrè ferentibus, ac vnitatis, Sanctissimæque Trinitatis mysteria non percipientibus, literæ cortex, seu crassior, rudisq; literalis sensus obijcitur, in quo de Sanctissima Trinitate perspicua mentio nõ fit. Itaque dum Mundi creatio, in qua de Sãctissima Trinitate mentio agitur, enarratione rudi sub sex dierũ serie illis offertur, perperamq; ab eis interpretatur, Mosis faciẽ, vti velamine opertam, nunquam conspicere possunt.

Litera Mosis vti eius facies Hebræis velo obtegitur: & quomodo.

RVPERTVS in Prologo;

Facies Mosis, cùm vbique ex colloqutione Dei splendida sit, & idcircò figuratiuis cum vocibus sensum suũ, qui per faciem intelligitur, velare oportuerit. Tum verò in creatione Mundi tanti splendoris est, quantum ferre nequaquam potuissent vniuersi filij Israel; nisi illum crassiori textu literæ, quasi pannis infantem obuoluisset.

Scripturarũ cortex, vti Velum Tẽpli nobis scissum.

Porrò a nobis Deo reddẽdæ sunt immortales gratiæ, quòd velum Templi nobis scissum sit, velamen scilicet corticis Scripturarum sublatum, ac ingressum habeamus penitentem ad Sancta Sanctorum, ad germanos, veros, legitimosq; sensus, atque interpretationes, quibus delineatam faciem historiæ, ac splendescentia Diuinitatis, atque Trinitatis mysteria comprehendere possumus. Verũ quid sibi vult, quòd hæc facies cornuta apparet? Quid hoc subindicat? Nisi quòd in hoc historiæ Mosis exordio duæ insinuentur emanationes, Hebræis quidem ac Gentilibus velamine opertæ, ac obuolutę, nobis autem conspicuæ. Nam si excusso literæ cortice, ac denudata cute, latentia mysteria, quasi aurum ex arena, & gemmas ex conchis eruentes, ingenuè peruoluerimus; duas emanationes, veluti duo erumpentia ex Mosis fronte splendida cornua; internã

In litera Genesis duo emanationũ genera.

vt

(vt aiunt in Scholis) & externam; ex hac de Mundi opificio Historia, excerpere licebit. Cùm igitur Creationis opus perdifficilè admodũ percipere non possimus, nisi profundius harum productionum seriem inuestigemus; In eminentissimum hunc splendorẽ ex Mosis rutilante facie emicantem, Sacrosanctæ Ecclesiæ dogmatibus, Sanctorũ Patrum, Theologorumq́; placitis innixi, humiliter oculos coniiciamus. Et primo quinam diuinarum emanationum fons sit; & quomodo Filius, & Spiritus Sanctus prodeant, inquiramus. Deinde pluribus, quæ de interna emanatione dici possent, prætermissis, veluti ad præsentem speculationẽ parũ spectantibus, de externa productione hoc in loco disseramus. Qua in re tria rursus præcipuè nobis consideranda se se offerunt. Primũ cùm Deus omnium sator fuerit & opifex, quibus muneribus, vnaquæque Sanctissimę Trinitatis persona in hac Orbis emolitione functa sit: Quæ caussæ ad Mundũ condendũ ipsas duxerint: Ac tandem, qua serie, & modo Vniuersum crearint. His siquidem explicatis, de Mundi Genesi enarratio eximiam suscipiet claritatem.

De Deo cunctarum emanationum Fonte.

FONS ille indeficiens, ex quo omnis effunditur emanatio, Deus est. Sed quid sit Deus, ac qua serie ex Patre generetur Filius; à Patre, & Filio spiretur Spiritus Sanctus, æternusque Amor; & quomodo ab ipso Deo Mundus hic sensilis in exordio temporũ emanarit, haud facilè indagari, nec perspectè attingi, comprehendiq́; potest. Angebatur hoc voto Moses, cùm diuinis sibi præstitis colloquiis illectus, his Deum flagranti spiritu ductus, deprecari ausus est; Domine ostende mihi faciem tuam. Sed quid illi Deus? Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. Diuinam siquidem essentiam, diuinas eas Verbi, ac Amoris æterni productiones; insuper, emanationis modum, vt aiunt, ad extra, disertè, clareq́; cognoscere, ac de his scientiam habere perspicuam, & in suo fonte splendidã, mortalium hanc vitam degentium munus non esse, omnes Doctores fatentur.

Deus incomprehẽsibilis.

Exod. 33.

AVGVSTINVS in Meditationibus sic scribit;

Mens Deum non attingit, quia incomprehensibilis; Intellectus, quia inuestigabilis; Sensus non percipit, quia inuisibilis; Lingua non explicat, quia ineffabilis; Scriptura non explicat, quia inexplicabilis.

Siquidem ex gloriæ lumine in Deo hæc intueri, Beatis tantùm datum esse, Theologia nostra edocet. Veruntamen non deest nobis efflagitantibus obumbrata, ac obscura quædã de eis cognitio. Est locus (inquit Deus) apud me: sed quisnam locus? Stabis supra Petrã: At quænam Petra? Petra, Ecclesia est Catholica Romana; extra quam nulla de Deo, ac diuinis emanationibus scientia vera, ac tuta est; super hanc standum, quia ab eius de diuina essentia, ac diuinis productionibus, sanctis dogmatibus, & promulgatis decretis, nunquam est recedendum. Tunc per foramina petræ, hoc est per id lumen, quòd ex reuelata scientia emicat in Ecclesia (reuelata nempe scientia, radius manans est à scientia beatifica) subobscurè nonnulla de diuinis rebus assequi & intueri poterimus. Quapropter scribitur libro inscripto D. Cyrilli, & aliorum collectanea;

Exod. 33.
Ecclesia Romana est petra, supra quã q stat, Deũ uidet per foramina, hoc est ex reuelata scientia.

Locus est Spiritus Sanctus, in quo cùm fuerit quispiam, dignus habetur diuina contemplatione. Dei autem posteriora, antiqua est Mundi generatio, quæ solus vidit Moses, solus declarans præterita, præsentia, & futura.

At quid per foramen inspicere possumus? Non Dei faciem, sed iam transacti Dei posteriora. Cùmq́; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ & protegam dextera mea donec transeam, tollamq́; manũ meam, & videbis posteriora mea; faciem aũt meam non videbis. Transitus hic Dei, ipsa Mundi sensilis creatio fuit, qua ad extrà (vt aiunt) quasi transiit. Dextera sua eam protexit cum potentia sua creationis opus adeò citissimè, ac modo nobis imperceptibili absoluit, vt eo expleto, nil nobis ad spectandum superfuerit, nisi eius opus pręstantissimum, quo non eius essentiam, sed Maiestatem cõtemplari possimus. Nam qui faciem alicuius intuetur, perfectè quis sit comprehendit; qui verò posteriora, vix eius magnitudinem & staturæ proceritatem demirari poterit: ita Deum splendida, exactaque cognitione ex his rebus visibilibus non possumus attingere.

Exod. 33.

Dei trãsitus, creatio fuit.
Dei dextera, eius potẽtia.

GREGO-

Petra Verbũ incarnatum.

GREGORIVS Nazianzenus Theologiæ libro ſecundo.
Sed dum collectis viribus meis omnibus in me conuertor, Deum ipſum vix à tergo conſpicio, idq; non ſine
adminiculo petræ, nimirum diuini Verbi, noſtri cauſſa incarnati; Et dum ſingula rimor curioſius naturam il-
lam primam & ſimpliciſſimam, qua ſe ipſa ineffabilis Trinitas cognoſcit, quæq; intra Tabernaculum primum
manens, alis Cherubin contegitur, haudquaquam video. Sed quæ vltima eſt, & deorſum ad nos deuergit; il-
lam verò vtcunq; cognoſco. Ea certè (quantum ipſe intelligo) eſt, quæ in creaturis his, videlicet quæ noſtris
oculis à Deo propoſita ſunt, ac ab eodem gubernantur, relucet: ſiue magnificentiam vocis, ſiue, vt diuinus Da-
uid nominat, magnidecentiam. Hoc enim Dei tergum eſt, quidquid eum nobis ſuo indicio refert, vt tamen illius
naturam non contingat: perinde ac vmbra, & in aqua relucens Solis imago, hebetioribus oculis illum adum-
brant: dum illum ipſum præ nimio puriſſimè lucis fulgore, quo ſenſum facilè exuperat, intueri nequeunt.

Dei tergum Creatura.

AVGVSTINVS de Verbis Domini in Euangelium ſecundum Ioannem, ſermone trigeſimo octauo.

Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo eſt; comprehendere autem, omninò impoſſibile: Ad
mentem Deus pertinet, intelligendus eſt: ad oculos corpus, videndum eſt. Sed corpus oculo comprehendere te pu-
tas? omninò non potes. Quidquid enim aſpicis, non totum aſpicis. Cuius hominis faciem vides, dorſum non
vides eo tempore quo faciem vides. Et quando dorſum vides, eo tempore faciem non vides. Non ſic ergo vides
vt comprehendas, ſed quando aſpicis aliam partem, quam non videras, niſi memoria tecum faciat, vt memine-
ris te vidiſſe vnde recedis, nunquam te diceres aliquid vel in ſuperficie comprehendiſſe. Tractas quod vides:
verſas huc atque illuc, vel ipſe circuis vt totum videas. Vno ergo aſpectu totum videre non potes. Et quandiu
verſas vt videas, partes vides: & contexendo quia vidiſti alias partes, videris totum inſpicere.

Deus incomprehenſibilis.

Cæterum quòd Deus ſit vnus, trinusq; omnium ſator, moderator, reparator, ac re-
ctor, ſupra Petram reuelatæ ſcientiæ radio, ſeu Fidei infuſo dono, Scripturarum ſacra-
rum ope, ex ipſis viſibilibus Dei operibus perpendere, ac comprehendere datum eſt.
Hæc duo cognitionum genera, Beatificum, quo Beati Deum veluti facie ad faciem, glo
rifica viſione percipiunt, & Reuelatum, quo nos Dei poſteriora conſpicimus, altiſſimè
explicauit Paulus, cùm dixit; Videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate, tunc facie ad
faciem. Quid, quæſo, facie ad faciem? ſemet explicat Paulus ſubdens; Tunc cogno-
ſcam, ſicut & cognitus ſum: hoc eſt, quaſi facie ad faciem, clara, perſpicua, euidenti, ac
beatifica viſione Deum conſpiciam. Quid per ſpeculum in ęnigmate? Niſi lumine na-
turæ, ac reuelato? & eleganter Paulus naturæ lumen Speculum appellauit, ac Fidei
articulos ęnigmata dixit; Natura ſiquidem ſpeculum eſt Dei imagine inſignitum: lu-
mineq; naturæ Deum videre, eſt per ſpeculum, ſeu per lineā reflexam; hoc eſt, per crea-
turarum contemplationem, in Deum opificem, à quo emanarunt, refractam, Deum ip-
ſum inueſtigare & percipere. Fidei articuli ęnigmata quoquomodo appellari poſſunt;
quòd hi non naturali euidentia, ac ſenſuum experientia clari nobis ſint, ſed eorum eui-
dentia, & certitudo, ex Beatorum ſcientia excipiatur, ac depromatur. Hæc ſunt Spon-
ſæ ſecreta: de quibus; Secretum meum mihi. Hæcq; ea ſunt ęnigmata, quæ Sampſon no
ſter Chriſtus Phyliſtæis, Philoſophis inquam, cum irridentibus obtulit; quæq; enu-
cleari non poſſunt, niſi eius Sponſa Eccleſia ipſis prodiderit, ac reſerauerit. Quamob-
rem meritò de Deo rerum omnium conditore ſcientia, balbuties, & infantia a Patri-
bus dicta eſt.

Dei cognitionis duplex genus.
Cor. 1. 13.

Naturę lumē ſpeculū eſt.

Articuli fidei ænigmata.

Eſa. 24.
Eccleſia ſola vt ſponſa, Sāpſonis ęnigmata, hoc eſt fidei articulos reſerat.

Catena Patrum de Dei incomprehenſibilitate.

TERTVLLIANVS Apologia aduerſus Gentes.
Quod colimus nos Deus vnus eſt, qui totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, corporum,
ſpirituum; verbo, quo iuſſit; ratione, qua diſpoſuit; virtute, qua potuit, de nihilo expreſſit, in ornamentum ma-
ieſtatis ſuæ: vnde & Græci nomen Mundo κόσμον accommodauerunt. Inuiſibilis eſt, etſi videatur; incompre-
henſibilis, etſi per gratiam repræſentetur; inæſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur; adeò verus, & tan-
tus eſt. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis
quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & ſenſibus quibus inuenitur. Quod verò immenſum eſt,
ſoli ſibi notum eſt: hoc quod eſt, Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit. Ita eum vis magnitudinis &
notum hominibus obiecit & ignotum. Et hæc ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non
poſſunt.

Deus ineſtimabilis.

CYPRIANVS Prologo in librum de Cardinalibus Chriſti operibus.
Huius rei forma, Seraphim faciem Dei & pedes velat; & patentibus, quæ in medio ſunt, principium, finemque
maieſtatis diuinæ alarum extenſio infra, ſupraque operiens, aditum ad ſe temerarijs tractatoribus, vel ſcriptori-
bus

bus interdicit: nec patitur ad liquidum se videri Diuinitas, quam vtique inuestigatio fidelis aliquo modo odorat vel sentit, sed puram eius essentiam nec conspicit, nec comprehendit. Affirmatio quippe de Dei essentia in promptu haberi non potest: neque enim diffinibilis est Diuinitas, sed verius, sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quàm asserendo quid sit: quoniam quidquid sensui subiacet, illud esse non potest, quod omnẽ superat intellectum; quidquid audiri vel videri, vel sciri potest, non conuenit maiestati: hebes est in hac consideratione omnis acies sensuum, & caligat aspectus.

De Dei essentia affirmatio haberi nõ potest, sed tantùm negatio.

GREGORIVS Nazianzenus in tractatu de Fide.

Denique pro captu, pro viribus, pro fide intueamur Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hoc est Deus: Quod cùm dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari: cùm definitur, ipsa definitione crescit; quia Cœlum manu sua cooperit, pugno omnem Mundi ambitum concludit: quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Cuius nomini, & virtuti famulatur hic Orbis, & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur.

Et Oratione Panegyrica in Christi Natiuitatem.

Immensus igitur & infinitus est Deus, atque ad contemplandum difficilis: atque hoc solùm omninò de ipso comprehendi potest, nempè quod immensus & infinitus sit: existimet licet quispiam eum, quia simplicis naturæ sit, rationem hanc habere, vt vel prorsus incomprehensibilis sit, vel prorsus ac perfectè comprehendi queat. Quid enim ille sit, qui naturam simplicem habet, exquiramus. Neque enim simplicitas illi natura est: quandoquidem nec compositis sola compositio.

BASILIVS Homilia de Fide.

Tu autem si aliquid de Deo dicere, aut audire cupis, mitte corpus vnà cum sensibus corporeis: relinque terram; mare, & aerem sub tuis ponito pedibus. Transi contemplatione temporum pulchrè distinctas ordinationes, terræ ornatus. Supra æthera mentis oculos attolle. Siderum cursus, mirandamque naturam præteri, ordinem, magnitudinem, quantos omnibus vsus præbeant, splendorem, motum, collocationem, quemadmodum inter se iungãtur, ac distent, mirabili quadam ac perpetua ratione, omnia mente sublimior factus despice. Deinde supra Cœlum ascende, & animo pulcherrima, quæ ibi adsunt contemplare, Cœlestes exercitus, Angelorum choros, præsulatus Archangelorum, gloriam Dominationum, sedes Thronorum, Virtutes, Principatus, Potestates, singula percurrendo creata, mentem amore diuino incensus altius illis attolle, ac omnium conditricem naturam diuinam intuere stabilem, immobilem, nihil in se alienum retinentem, simplicem, impassibilem, indiuisibilem, incompositam, lucem habitantem inaccessam, potentiam ineffabilem, magnitudinem incircumscriptam, gloriam supermicantem, bonitatem desiderabilem, pulchritudinem inenarrabilem: quæ anima vehementer consternata contingi quidem, sermone autem nequaquam explicari potest. Ibi nanque Pater, Filius, & Spiritus Sanctus increata natura, dominica maiestas, naturalis bonitas.

Deus non cõtemplatur, nisi mẽte extra Mundum elata.

Et Sermone de vera Fide.

Sed antequam ad ipsam fidei confessionem veniamus, illud profuerit indicasse, Dei maiestatem & gloriam, talis cùm sit, vt eam neque oratio vlla pro dignitate circumscribere possit, neque mens comprehendere, vnico verbo, sententiavè neque declarari potuisse, neque intelligi, sed pluribus, quæ in sermonis nostri vsu trita esset; sanctas literas vix ijs etiam, qui puro essent corde, tanquam per speculum obscurè significasse. Nam illud facie ad faciem, & ab omni parte cumulata ac perfecta cognitio, ea in futuro sæculo promissa idoneis sunt.

AMBROSIVS libro de Fide orthodoxa contra Arrianos, capite sexto.

Deus credi se voluit, nec examinari; quia quantus sit, sciri non potest: Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli prædicauerunt. Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est de quo & cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui Cœlum manu sua operit, pugno omnem ambitum Mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Cuius nomini & virtuti famulatur hic Orbis; & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse, quo possit Pater comparari & Filius, quia talis est Filius, qualis & Pater. Non enim ipse se vnum cum Patre diceret, nisi talem se qualis est Pater sciret. Ratio quędam est, quæ apud Græcos Logos nuncupatur, quæ inter Patrem & filium personas, vel vocabula distinguit; quia & ipse filius ratio dicitur. Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modo Verbum, modo Virtus, modo Sapientia, modo Dextera, modo Brachiũ, modo Margarita, modo Thesaurus, modo Retia, modo Aratrum, modo Fons, modo Petra, modo Agnus, modo Homo, modo Vitulus, modo Aquila, modo Leo, modo Via, modo Veritas. Et ita cùm sit Deus omnia in omnibus, vt per hęc vocabula diuinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa maiestas filij Dei propriè definita monstretur. Quid est enim Filius de eo, quod pater est? alius idem; Nam & hoc Verbum nuncupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil Pater sine eo aut iussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia verè de Deo, & semper cum Deo est; & omnis potestas Patris in eo consistit. Sapientia appellatur, quia de corde Patris adueniens, arcana cœlestia credentibus reserauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, vt nihil illo preciosius habeatur. Thesaurus dicitur, vt in ipso omnes opes & diuitiæ Regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso, de mari sæculi diuersa gentium multitudo, sicut piscium

Dei immensitas.

per

per aquam baptiſmatis in Eccleſia congregatur , vbi bonorum,malorumq; diſcrimen agnoſcitur . Aratrum nuncupatur , quia ſigno Crucis ſuæ dura pectora ſubijciuntur , ut neceſſariora in ipſa præparentur . Fons aquæ viuæ appellatur , quia ex eo ſitientia corda cæleſtis aquę gratia irrigantur . Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præſtat . Lapis angularis dicitur , quia utroſque parietes Noui & Veteris Teſtamenti unus & mediator in ſemetipſo continens copulauit . Agnus dicitur, ut innocentia Chriſti,& paſſio demonſtretur . Homo dicitur , quia ſecundum carnem propter nos homines naſci dignatus eſt. Vitulus dicitur, quia propter noſtram ſalutem pati ſuſtinuit . Aquila dicitur, quia poſt uenerabilem reſurrectionem , ut Rex altam ad Patris peruolat ſedem . Leo dictus eſt , quia ipſe eſt Rex Regum,qui mortem ac Zabulum uirtutis ſuę poteſtate comminuit . Via eſt, quia per ipſum aſcenſus eſt . Veritas , quia mendacium neſcit . Vita eſt, quia ipſe uniuerſa uiuificat . Vides ergo per hæc uocabula ſignificationes diſpoſitionum, & operum diuinorum præoſtenſas , non tamen ipſum Deum propriè definitum . Eſt ergo Pater Deus immenſus, æternus, incomprehenſibilis, ineſtimabilis . Eſt & Filius eius Deus, & Dominus noſter , tantus , quantus eſt & Pater , ſed non
Ioan.16. *aliunde quàm de Patre;quia ego, inquit, de Patre exiui, hoc eſt Lumen de Lumine .*

AVGVSTINVS hęc ea ipſa mutuatis etiam verbis habet ſermone de tempore centeſimo nonageſimo, qui eſt ſecundus de Trinitate.

HILARIVS ea ipſa pariter libro de Patris & Filij vnitate . Et mirificum eſt, quomodo hi Patres in eandem contemplationem inciderint, vel alter alteri id ſuffuratus ſit.

HIERONYMVS Epiſtola quintadecima, quæ eſt de his, quę Deo in ſcripturis ſanctis attribuuntur.

Omnipotens Deus Pater,& Filius,& Spiritus Sanctus,vnus atque trinus: vnus videlicet in natura , trinus
in perſonis, ſolus inuiſibilis,ſolus immenſus atque incomprehenſibilis; ſolus incircumſcriptus, ſolus incorporeus,
& immortalis:vbiq; præſens,ſed latens:vbiq; totus,ſed immenſus.Inuiſibilis eſt, quia in eſſentia ſua uideri non
1.Tim.6. *poteſt;Apoſtolo teſtante,qui ait;Quem uidit nullus hominū,ſed nec uidere poteſt.Et in Euangelio;Deū nemo ui*
Ioan.1. *dit unquam.Incorporeus eſt,quia nullis mēbrorum lineamentis compoſitus eſt,ſiue compactus exiſtit,ſicut ueritas*
Ioan.4. *in Euangelio dicit.Spiritus eſt Deus,& qui adorat eū,in ſpiritu & ueritate oportet adorare.Immenſus eſt, quia*
3.Reg.8. *quantitas eius, uel qualitas à nullo metiri poteſt, cui Salomon in ſua oratione ſupplicans ait . Si Cæli, & Cæli*
Cælorū te non capiunt,quanto magis domus iſta,quam ędificaui?Incircumſcriptus eſt,quia circumſcribi non pōt.
Illocalis eſt,quia de loco ad locū nequaquam tranſit,nec quolibet detinetur,ipſo de ſe per Eſaiam teſtimoniū per-
Eſa.66. *hibente;Cælum ſedes mea eſt,Terra ſcabellum pedum meorum.Et per Hieremiam;Nunquid nō Cælum,& Terra*
Hiere.23. *ego impleo? Cuius immenſitatem Propheta in pſalmis confitens ait;Si aſcendero in Cælum, tu illic es,& cætera.*
Pſal.137. *De cuius immenſitate adhuc in libro Iob ſcriptum eſt; Excelſior Cælo eſt, & quid facies ? Profundior eſt Infer-*
Iob.11. *no , & unde agnoſcis? Longior eſt Terra: immenſitas eius latior eſt Mari. Qui Cælum & Terram implet,pro-*
culdubio nullus locus eſt ab eius præſentia abſens . Super omnia quippe eſt regendo , atque imperando : ſubtus
eſt omnia ſuſtinendo, atque portando , non pondere laboris , ſed infatigabili uirtute . Inmutabilis eſt , quia ab
Malach.3. *eo quod eſt, omninò mutari non poteſt, ipſo dicente per Malachiam Prophetam ; Ego Dominus & non mutor :*
Ideo Deus immutabilis dicitur, quia miſericordia, ira, furor, pœnitentia, obliuio, recordatio,& alia his ſimilia
ei non accidunt. Simplex enim natura eſt, & immutabilis,& imperturbata,neque aliud eſt ipſe, & aliud quod
1.Tim.4. *habet,ſed ipſum eſt quod habet,& quod eſt. Immortalis eſt, quia mori non poteſt , Apoſtolo dicente ; Qui*
ſolus immortalitatem habet,& lucem habitat inacceſſibilem,quem nullus hominum uidit , ſed nec uidere poteſt.

Progreditur amplius Hieronymus prolixiori,fœcundioriq; oratione diſſerere, quid velit Sacra Scriptura,cùm ipſi humana membra adſcribit; ideſt,caput,capillos,oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, vterum, manum dextram, ſiniſtram, digitos ſiue digitum, brachium, alas, ſcapulas, poſteriora,pedes; item motus animæ,iram ſcilicet, furorem,obliuionem,pœnitentiam,recordationem, & his ſimilia. Adeat lector tantos Patres; mihiq́ue ſufficiat præſtantiſſimos, locupletiſſimoſque locos adnotaſſe.

IOANNES Chryſoſtomus homilia quinta contra Anomœos Hæreticos de incomprehenſibili Dei natura ; cùm plura de Dei incomprehenſibilitate præclarè diſputaſſet,hoc elegans adduxit exemplum.

Dic queſo, ſi inter duos orta altercatio eſſet de Cæli magnitudine,quorum alter negaret hominis oculum rem poſſe percipere ; alter contenderet fieri poſſe vt palmo ſuæ manus facilè metiendo totam molem tranſmitteret : quem Cæli nouiſſe dixeris magnitudinem? eumne, qui ſcire contendit,quot palmos Cæli ambitus compleat ; an eum,qui neſcire confitetur? Hunc prorſus. Quòd ſi qui Cæli amplitudini cedit,hic potius nouit eius magnitudinē: longè omninò abeſt,vt is mente ſit ſanus,qui in Dei immortalis ratione,ne tantillum quidem cenſeat tempe randum . Requiritur certè à nobis, vt eſſe Deum ſciamus, non vt quid Deus ſit indagemus : Quod Paulus doctor eximius docet, cùm dicit; Credere enim oportet eum qui ad Deum accedit , quia eſt . Propheta item cùm impietatis quempiam argueret, non crimini aſſignat , quod neſcit, quid Deus ſit: ſed quod Deum eſſe ignorat;

quippe

quippe qui ita scribat; Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Igitur,vt ille impius est,non quia Deum Psal. 13.
quid substantiæ sit,ignorat, sed quia nescit Deum esse;sic satis ad pietatem est scire Deum esse.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro quinto.

Patrem enim effectorem huius Vniuersi & inuenire est difficile, & cùm inueneris, vt apud omnes eloquaris, nequit fieri. Verbis enim minimè explicari potest, vt aliæ disciplinæ, veri amicus dicit Plato. Pulchrè enim audierat quod sapientissimus Moses montem ascendens per sanctam contemplationem, ad fastigium eorum quæ percipiuntur intelligentia,necessariò discernens,prohibet ne totus populus secum ascendat. Et quando dicit Scri- Exod. 19.
ptura; Ingressus est autem Moses in caliginem,vbi erat Deus; hoc significat ijs, qui possunt intelligere, Deũ nec esse aspectabilem, nec verbis posse enuntiari. Caligo autem reuera, nempè multorum incredulitas & ignoratio, obijcitur splendori veritatis.

IOANNES Damascenus Orthodoxæ Fidei libro primo capite quarto.

De Deo tamen quid est secundum substantiam dicere impossibile, conuenientiusque de Deo longè est per omnium ablationem facere sermonem. Nam nihil eorum quæ sunt, est: non vt non ens,sed vt omnia entia superexcellens,& super ipsum esse ens. Si enim eorum quæ sunt, cognitio est: quod omnem superat cognitionem, & ipsum quoque super substantiam erit,& id recurrit: quod super substantiam est, & id quoque super cognitionem erit. Infinita igitur Diuinitas, & incomprehensibilis: & hoc solum eius comprehensibile, infinitas & incomprehensibilitas. Quæcunque autem per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuant. Nam etsi bonum, si iustum,si sapiens, si quiduis aliud dixeris: non naturam dicis Dei, sed ea quæ circa naturam. Sunt etiam & nonnulla affirmatiuè de Deo dicta, vim superexcellentiæ negationis præ se ferentia. Vt cùm tenebras de Deo dicimus,non tenebras intelligimus, sed quod non lux, quippe qui superexcellit lucem. Et lucem dicimus, quia non est tenebræ.

AVGVSTINVS enarratione in psalmum octuagesimum quintum.

Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus: Mare cogitas, non est hoc Deus: Omnia quę sunt in terra homines & animalia,non est hoc Deus: Omnia quę sunt in mari; quæ volant per aerem, non est hoc Deus: Quicquid lucet in Cælo,Stellæ,Sol,& Luna, non est hoc Deus: Ipsum Cælum,non est hoc Deus: Angelos cogita,Virtutes,Potestates,Archangelos,Thronos,Sedes,Dominationes, non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?

THEOPHILVS Antiochenus libro primo contra Christianæ Religionis calumniatores, ad Autolycum.

Haud dissimili ratione, ò homo,impietas tua te occæcat,quò fit,vt nequeas Deum videre. Dicas igitur: Tu qui videns es, obsecro, Dei formam mihi enarrato. Audi, ò homo: Dei quidem forma nobis occulta explicari haud quit, nec corporeis oculis videtur. Nam ea animi parte, qua opinamur, percipi non potest: nec magnitudo eius comprehendi, aut altitudo mente valet capi. Fortitudine nemini est conferendus,eiusque sapientia plane censetur incomprehensibilis. Bonitate nemo est, qui eum possit imitari,simusque imbecilliores,quàm vt eius beneficentiam nostris linguis explanare possimus. Lumen si eum dixero, creaturam eius (siquidem à Deo lux creata est) dico: Sermonem si dixero, principatum eius dico: Mentem si dixero,prudentiam eius intelligo: Spiritum si dixero, respirationem eius demonstro: Sapientiam si dixero, filium eius sentio: Fortitudinem si dixero, potentiam eius accipio: Potentiam si dixero, operationem eius efficacem intelligi volo: Prouidentiam si dixero, bonitatem eius in conspectum produco: Regnum si dixero, gloriam eius profero: Dominum si dixero, Iudicem si dixero, iustum eum esse pronuncio: Patrem si dixero, omnia eum esse determino: Ignem si dixero, iram eius indico.

Dei dotes incomprehẽsibiles.

CYRILLVS Hierosolymitanus Catechesi sexta.

Neque enim quid sit Deus exponimus, sed vt quod exactè de ipso nescimus, ingenuè profiteamur. Nam in his quæ de Deo dicuntur, hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri. Et post. *Magnus erat Abraham,& honorandus; sed magnus respectu hominum: cùm autem ad Deum respexit, tunc inquit, ingenuè confitens; Ego sum terra & cinis. Non dixit terra, & tacuit: Ne seipsum magnum elementum terram appellare videretur, sed addit,cinerem se esse: vt vilitatem, fragilitatem,& imbecillitatem suam ostenderet. Estne autem quidquam cinere leuius,aut exilius? Accipe, inquit, comparationem cineris ad domum,& domus ad Ciuitatem, & Ciuitatis ad Prouinciam, Prouinciæ ad Romanorum imperium, & imperij Romanorum ad vniuersam terram, & omnes terminos; rursus terræ totius ad circundans illam Cælum. Cuius tanta est comparatio ad Cælum,quantum est punctum circuli ad totam circumferentiam; tanta enim est Cæli ad terram comparatio. Et primum Cælum hoc,quod apparet, minus esse intelligas secundo; & secundum tertio. Hucusque enim eos nominauit scriptura; non quòd tot tantùm sint, sed quòd tot nobis cognoscere confert. Et cùm animo Cælos omnes perspicis: neque tamen Cæli celebrare Deum, ita vt est, poterunt, etiamsi tonitrua habeant sonantissima. Si ergo tanta Cælorum magnitudo Deum pro dignitate laudare non potest,quomodo tandem cinis vilissimus & minimus, dignas laudes Deo poterit tribuere? Qui continet orbem terræ,& illius habitatores tanquam locustas in ipsa.*

De Deo maxima sciẽtia est, ignorantiam fateri.
Gen. 18.

E Gre-

GREGORIVS Magnus expositione morali, libro decimo in vndecimũ
caput Iob, capite septimo.

*Angelica etenim, uel humana mens, cùm ad incircumscriptum lumen inhiat ; eo ipso se, quo est creatura,
coangustat, & super se quidem per prouectum tendit, sed tamen eius fulgorem comprehendere nec dilatata suf-
ficit, qui & transcendendo, & portando omnia, & implendo concludit. Vnde & adhuc subditur; Excelsior Cælo
est: & quid facies? Profundior Inferno, & vnde cognosces? Longior Terra mensura eius, & latior Mari. Quod
Deus cœlo excelsior, inferno profundior, terra longior, marique latior esse describitur: tanto spiritaliter debet intel
ligi, quanto de eo quidquam nefas est iuxta corporea lineamenta sentire. Sed Cælo est excelsior, quia incircum-
scriptione sui spiritus cuncta transcendit. Inferno profundior, quia transcendendo subuehit. Terra longior, quia
creaturæ modum perennitate suæ ęternitatis excedit. Mari latior, quia rerum temporalium fluctus sic regens
possidet, vt hos sub omnimoda potentię suæ præsentia coangustando circundet.*

HILARIVS libro de Patris & Filij vnitate.

*Deus, qui ubique est, & vbique totus est, ita regionem intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, cui sem-
per est ut semper sit; ut hoc modo se uelit in ueritate sacramenti intelligi. Hoc imperspicabilis naturę est no-
men in Patre, quod Deus inuisibilis, ineffabilis, infinitus: ad quem & eloquendum sermo sileat, & inuestigan-
dum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coarctetur. Deficit ergo in nuncupatione confessio, &
quidquid illi sermonum aptabitur, Deum ut est, quantusq; est, non loquetur. Perfecta scientia est, sic Deum sci-
re, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias.*

CYRILLVS Alexandrinus libro aduersus Iulianum primo, aureas con-
texit Philosophorum Ethnicorum de Dei imperscrutabili essentia, sententias.

*At Plato & ipse in loco quodam dicit; Nam Patrem & Factorem Vniuersi huius inuenisse, arduum opus est,
& inuentum omnibus enunciare impossibile.* Et post. *Dixit item in libro quarto historię Philosophi Porphy-
rius, sensisse Platonem, & dixisse quoque de uno Deo, nomen quidem illi nullum congruere, neque humanam
cognitionem posse comprehendere, sed appellationes, quę de eo dicuntur, à posterioribus esse, abusiueque de ip-
so dici.* Et Post. *Iam & ter maximus Hermes sic alicubi dicit; Deum intelligere quidem difficilè, elo-
qui autem impossibile, si cui etiam intelligere possibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, &
perfectum imperfecto comprehendere non possibile, & sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Nam
hoc quidem semper est, illud autem prætergreditur: & hoc quidem uerum est, illud sub apparentia adumbra-
tur; quantùm igitur infirmius à fortiore, & minus à meliore distat, tantum etiam à diuino & immortali mor-
tale. Proinde si quis incorporeus oculus egrediatur à corpore ad contemplationem pulchri, & subuolet ac con-
templetur, non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius, quod omnia facere potest,
quod quietum, quod tranquillum, quod solidum, quod inconuertibile, quod ipsum omnia & solum, quod unum,
quod ipsum ex seipso, quod ipsum in seipso, quod sibi ipsi simile, quod neque alij simile est, neque sibi dissimile.*
Et Iterum. *Itaque de illo uno, & solo bono intelligens, nihil impossibile dixeris.* Et infra. *Ad hæc &
sapientissimus Xenophon; Igitur manifestum quòd magnus sit & potens, omniaque concutiat & confirmet, igno
tum autem qualis sit figura; neque enim uidetur esse lucidissimus Sol, neque hic uidetur permittere, ut ipse cer-
natur: sed si quis impudenter eum spectet, oculis priuatur.*

Dei appellationes à posterioribꝰ sunt.

AVCTOR.

Disserit amplius D. Thomas prima parte quęstione decima luculēter, & cum
eo Scholastici ferè omnes; quòd Dei essentia adeò sit simplex, vt in ea com-
positio non adsit, nec esse & essentiæ, nec generis & differentiæ, nec subiecti
& accidentis, nec materiæ & formæ; quòdq; sine quantitate sit immensa,
sine qualitate optima, sine indigentia creatrix, sine labore omnia efficiens, sine ui om-
nia sustinens, sine situ vbique, sine loco omnia explens, immutabilis, inuisibilis, ineffa-
bilis. Hoc igitur est quod spopondit Deus Mosi; Protegam dextera mea donec tran-
seam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea. Nam dum transiret Deus,
res ipsas creando (hic enim transitus fuit ad extra) dexteram protexit, potentia sua om-
nia obuoluit, eo euentu, vt expedito Creationis negocio, tantũ posteriora, effectus, resq;
ipsæ remanerent, quibus tum naturali obũbrato lumine, tum reuelata, infusaq; ex fidei
dono scientia, quasi splēdidiore radio innixi, quæ de ipso sunt excelsa, ac penè imperce-
ptibilia perscrutari, attingereq; possemus.

In Deo nullũ compositionis genus. Exod. 33.

De Interna Emanatione.

Quanquam dementis animi sit inuestigare, quidnam ipse Deus ante Mundum per-
ageret;

ageret; & Patres quamplures elegantissimè peruicaci huic quæsito satisfaciant, temeritatemq; hanc retundant; grauissimè tamen adeò Gregorius Nazianzenus Poematibus sacris suis carmine quarto, Dei munera, quæ in ea vetustissima æternitate obibat, clarè prodit, vt ea pretermittere non valeam: Mundum enim alloquens, cùm ipsum non esse Deo coæternum demonstrasset, adiecit.

Deus quid ageret ante Mundum.

Quòd si posterius te condidit ille, quid ante
Quàm fieres, variasq; tibi Deus vndique formas
Inderet, imperitans tam multa in secla patrabat?
Imperfectum etenim non est mihi numen, inersq;.
Scilicet ille suæ splendorem cernere formæ
Gaudebat, numenq; suum tripliciq; parique
Luce nitens, soli vt notum est ipsiq; pijsq;.

Hoc igitur primum erat munus Dei Patris ab ęterno suę splendorem cernendo formę, Filium generare; hoc Patris, & Filij Spiritum spirare. Sed amplius.

Hoc quoque præterea, quo se exerceret, habebat
Sancta Trias. Mundi formas nanque ipsa futuri,
Iam sibi præsentis lustrabat mente beata.
Cuncta etenim, quæ iam uel præteriere, uel adsunt,
Quæq; etiam extabunt, Triadi sunt prompta, patentq;.
Hæc etenim tempus mihi sic distinxit, vt illud
Antè sit, hoc retrò, Deus autem prorsus in vnum
Cuncta tenet, finibusq; suis collecta coërcet.
Quocirca quicquid vel mens mea reperit vnquam,
Aut etiam audiuit, mens parturiebat id omne
Numinis ætherei, pòst autem fœtus in ortum
Tempore maturo erupit, cùm cuncta retexit,
Vnigenus sermo, claraq; in luce locauit.

Alterum igitur munus Dei erat mente beata lustrare formas, Ideasq; rerum earum, quæ producendæ erant.

Ex supereminētissima itaq;, ac incomprehensibili Dei essentia, vti perenni viuidoq; fonte perenniter emanabat duplex ea productio, Filij per generationem, Spiritus Sancti per spirationem. Aperiam hæc altissima, si potero, oratione concisa Scholasticorū more; arduæ siquidem res & tutius, & expressius Scholastica methodo, quam fusa, expolitaque oratione explicantur; ac de his emanationibus, non quæ tantum à nuperis Scholasticis, sed quæ à priscis Patribus hausi, depromam. De his siquidem luculentius edisserunt Martialis epistola prima, Iræneus libris quinque aduersus Hæreses, Tertullianus aduersus Praxæum, Gregorius Nazianzenus Oratione de Fide, de Trinitate Oratione prima, seu in Apolegetico perpauca, Oratione de Pace secunda, Oratione de dogmate in constitutione Episcoporum, Oratione, seu Theologiæ libro tertio, quarto, & quinto, Oratione, seu tractatu in Sanctam Penthecostem, & Oratione ad Euagrium Monachum, & Poematibus suis carmine primo, secundo, & tertio, Cyprianus expositione in Symbolū Apostolorum, Basilius Homilia de Fide, Homilia In Principio erat verbum, Homilia de Spiritu Sancto, aduersus Eunomium libris quinque, libro de

Patrum loca de interna emanatione.

Spiritu Sãcto ad Amphylochium Iconij Episcopum, Augustinus locupletissimè libris
Cap. 2. de Trinitate, & innumeris ferè locis, Ambrosius libro de Dignitate humanæ conditio-
Cap. 10. nis, & libro inscripto Institutio Virginis, & libris quinque de Fide contra Arrium, & de Spiritu Sancto libris tribus, & libro vno de Fide orthodoxa contra Arrianos. Ioannes Chrysostomus sermone de Sancta Trinitate, Cyrillus libro Thesaurus nuncupato, & libro Dialogorum, Gregorius Nyssenus libro de Cognitione Dei, Athanasius Oratione contra Sabellij gregales, Orationibus seu sermonibus contra Arrianos, & libro de communi essentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Et libris septem ad Theophylum, Theodoretus Dialogo inscripto Immutabilis, Damascenus Orthodoxæ Fidei libro primo, Marius Victorinus Apher aduersus Arrium libris quatuor, Proclus Epistola ad Armenios, Antoninus Episcopus Constantiensis Epistola ad Arcadium, Alcuinus libro inscripto Confessio, seu doctrina de Deo, Fulgentius ad Monymum libro secundo, & tertio, & libro contra Arrianos, & ad Trasimundum Regem libro secundo, & libro de Fide orthodoxa ad Donatum, Agnellus Episcopus Rauennatensis libro ad Armedium de Fidei ratione, Fulbertus Episcopus Carnotensis Epistola prima, Phæbadius Episcopus libro de Trinitate contra Arrianos, Idacius Clarus Hispanus libro aduersus Verimadum Arrianum, Cerealis Episcopus contra Maximinum Arrianum, Victor Episcopus libro de Fidei ratione ad Hunericum Regem Vandalorum, Gelasius libro aduersus Euthychen, & Nestorium, Ioannes Maxentius in Catholica professione, & Dialogorum libro secundo, Vigilius Episcopus & Martyr contra Euthychen libris quinque, Faustinus Episcopus de Fide contra Arrianos ad Flacillam Imperatricem, Tatianus oratione contra Græcos, Anastasius Patriarcha Antiochenus de rectis Fidei dogmatibus libro primo, Gregorius Bethicus Illiberi Episcopus libro de Trinitate & Fide ad Placidiam Augustam, Paulinus Episcopus Nolanus Epistola de Confessione Catholica vigesima quinta, Ferrandus Diaconus Christianus miles in Pedagogo regula quinta, Venantius in Hexegesi Symboli Apostolici.

Deus Optimus Maximus natura quædam est, & ea intellectualis, nec siquidem Barbarus adeò insipiens, rudis impiusq; reperitur; qui Deum esse, ac si est, intellectualem esse naturam abnuat, aut inficietur. Primum si natura est, vt natura pluribus hypostasibus communicabilis est; si communicabilis, cùm in æternis esse, & posse non differant, iam perenniter communicata comprehenditur; & hæc est persona Patris constituta per Paternitatẽ non tempore prior, nec substantia præstantior, nec perfectionibus insignior, sed alias personas origine antecellens.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione de statu Episcopali;

Et indignus esset Principatus, si non Diuinitatis caussa existeret Pater, qui in Filio, & Spiritu Sancto contemplatione comprehenditur.

Ecce fons iam reseratus, principium sine principio, lumen non à lumine, Deus non à Deo. Ex hoc vberrimo fonte attendas, qua serie emanationes illæ diuinæ prosiliant. Si Deus natura est intellectualis, igitur intellectu & voluntate præditus est: duæ enim
Verbi generatio quomodo fiat. sunt hæ intellectualis naturæ, vt aiunt, connatæ facultates: quòd si intellectu præditus est, igitur intelligit; & si intelligit, ac nihil aliud adsit præter seipsum, quod contemplari possit; igitur seipsum absolutè intelligit: at intelligendo seipsum, concipit, parit, exprimitque, Filium nempè; qui est Verbum conceptum, & expressum siue geni-
Psal. 2. tum; de quo in Psalmo; Ego hodie genui te. En habes alium fontem à fonte, principium à principio, Deum de Deo, lumen de lumine, nobis ex nostra intelligendi serie, quasi per posteriora quoquomodo comprehensum, ea tamen disparitate, quòd in nostro interno verbo siue conceptu, hæc adsint omninò diuersa. (vt tradunt Philosophi) Intellectus, intellecta species, intelligendiq; actus, seu intellectio; in Deo autem vnum existant, ea ratione, qua, quidquid in Deo est, Deus est. Cæterum Verbum istud æter-
Ioan. 1. num, Patri comperenne, compar, & consubstantiale censendum est, vt verbo ferè vnico, id edocuit Ioannes Aquila illa à coruscantibus Solis æterni fulgoribus nunquam retusa; In principio, inquit, erat Verbum; ecce coæternitas; Verbum erat apud Deum; ecce coæqualitas; Deus erat Verbum; ecce consubstantialitas.

FVLGENTIVS de duplici Natiuitate Christi clarius id explicauit.

Est

Est enim hoc Verbum, non quod desinit prolatum, sed quod permanet natum; non transitorium, sed æternũ; non factum à Deo Patre, sed genitum; nec solum genitum, sed etiam vnigenitum. Et post. *Natus est itaque de Patre Deo, Filius Deus; alter in persona, non alius in natura; semper apud Patrem, semper cum Patre, semper de Patre, semper in Patre. Semper apud Patrem, cum quo illi est naturalis immensitas. Semper cum Patre, cum quo illi vna est naturalis æternitas. Semper de Patre, de quo illi est naturaliter ęterna natiuitas. Semper in Patre, cum quo illi est vna naturaliter, æqualisque diuinitas. Et alter quidem ille Pater est, alter ille quod Filius est. Neuter tamen alter Deus, quia Pater & Filius vnus est Deus.*

Exemplo, si potero, latebras has dissoluam. Deus ea perennitate, qua æternus est, eamet seipsum intelligit; nec siquidem vnquam fuit, quin seipsum non intelligeret. Ab æterno igitur generatur Filius, vt ipse de se obtestatur; Ante me non est formatus Deus; & post me non erit alius. Adsunt siquidem tria in Sole limpidissimo siderũ, Iubar, Radius, Lux: origine quidem prior est Sol, sed nunquam Sol sine Radio, nec Radius sine Luce emicat. Ita cum Pater Sol, Filius Radius, Spiritus Lux dici ex hac comparatione non ineptè possint; Radius quidem à Sole est, Filius scilicet à Patre; Lux à Sole est per Radium, Spiritus à Patre & Filio; sed eadem æternitate omnes pręditos esse existimandum est. Eleganter igitur; In principio ait Ioannes, non post principium erat Verbũ. Nicetas exemplum id fusius explicauit Commentarijs in Orationem secundã Gregorij Nazianzeni in Pascha. Esa. 43. Sol, Radius, Lux symbola Patris, Filij, Spiritus Sancti.

Quod Sol in sensibilibus, hoc Deus in intellectilibus: nam quemadmodum ille visibilem Mundum illuminat: eodem hic modo inuisibilem; Rursus quemadmodum ille eos, qui aspiciunt, claros efficit, ita hic diuinos, & Deiformes reddit. Præterea quemadmodum simul & corpus Solis, & Radius, & Lumen, simili modo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & quanquam vtrique caussa est Pater, non tamen antiquior est, non herclè magis quàm Sol illis tempore prior.

Deus deinde ea absoluta perfectione, quæ nullum admittit defectum, cùm se intelligit, seipsum totum comprehendit. Nec enim illa ineffabilis contemplatio obiecti superexcedenti virtute, seu organorum imbecillitate, seu medij obumbratione (vti nostro contingit intellectui) labefactatur. Quòd si se absolutè comprehendit; igitur communicat Verbo omnes sibi insitas dotes, atque perfectiones. Huius rei exemplum egregiè ex imagine desumpsit Paulus, cùm de Verbo dixit; Imago est Dei inuisibilis, figura substantiæ eius. Attendas, precor, similitudinis vim. Apparet imago Regis in speculo & in filio ita perspicuè expressa, vt quod in patris facie natura exarauit, omne id in imagine ex speculo retusa, seu in filio repræsentetur. Pari serie, adest tam præclara imago Patris in speculo illo sine macula, & Filio æterno, vt nulla resideat in Patre dos, seu pfectio, quæ in Filio pariter non eluceat: sed alia disparitate conuincitur fieri repræsentatio in speculis his nostris, etsi tersissimis, & in speculo illo sine macula; in filijs his hominum, & in Filio æterno. In his siquidem, similitudo & imago rei expressæ, aduentitium quoddam est; In Verbo verò, cum similitudine etiam adest (vt aiunt in Scholis) identitas, seu essentiæ vnitas: ob id adiecit Apostolus; Figura substantiæ eius; quasi dixerit; non linearum, colorumque tantum similitudo extera, sed ipsius substantiæ figura, seu æqualitas, comparitasve reperitur. Ioannes altius, hoc itidem explicauit, cùm dixit; Verbum erat apud Deum; non supra, non infra, sed apud; hoc est, Deo in perfectione coæquale; adeò enim Filius æquatur Patri, vt ex connatis dotibus Filius nõ sit supra Patrem, vel sub Patre, sed apud, idest æqualis in pari Maiestatis sede. Tandem cùm Deus Optimus Maximus omnes perfectiones, dotesque, in creatas res effusas, ac extensas, perfectissimo, & absoluto nexu in se ipso colligat, recludatque: Si ex intelligibili, & intellectu (iuxta Philosophorum placita) vnum fit, multò magis ex Deo ipso, & concepto Verbo vnum maximè fieri dicendum est; & hæc est (vt aiunt) essentiæ identitas, & consubstantialitas, de qua dicitur; Ego, & Pater vnum sumus. Fons aquas effundit, ab eoque flumen dilabitur, sed aquarum effusarum, cùm sit Aqua corpus homogeneum, vna est substantia; hoc ipsum de Patre & Filio dicendum est. Duæ certè sunt personæ Pater, & Filius, sed vna essentia; quamobrem optimè prodit Ioannes; Et Deus erat Verbum. Habes igitur alteram internarum emanationum, quæ cùm sit per modum naturæ, generatio nuncupata est. Nam quòd non factus, nec creatus, sed genitus sit Filius, promulgat Ecclesia in Symbolo ab illo edocta, cuius afflatu scripsit Dauid; Ego hodie genui te. Ex his fontibus altera emanat diuina processio. Cùm siquidem

Coloss. 1.

Verbum Imago patris.

Ioann. 1. Verbum coæternũ Patri.

Deus continet rerum omnium perfectiones.

Ioan. 10.

Ioan. 1.

Psal. 2.

Spiritus Sancti spiratio,

dem Deus sit natura, intellectu, atq; voluntate prædita: voluntas autem feratur suo raptu in bonū: ea æternitatis perennitate, qua seipsum contemplatur, ea ipsa, seipsum, vt summū bonū amat; atq; ita Spiritus Sanctus amor ille æternus, & donū perēne spiratur. En tertius fons à fontibus, Spiritus Sanctus à Patre & Filio spiratus, psona alius, essentia vnus cum reliquis. Aperiam etiam sacrum latibulum non inepta similitudine: Solem, cum fulgentissimis, hisq; directis radijs enixè in speculum immotum verberat, ignem excitare omnibus conspicuum esse arbitror. Eleganter certè Deus Pater Sol ille est exurens montes, Filius speculum sine macula, & imago bonitatis illius: infigit radios diuinus Sol immenso fulgore splendescentes in speculo, cùm seipsum comprehendit in Filio, ac ex ea repercussa contemplatione, qua seipsum cognoscit, dum seipso oblectatur, amoris perennis scintillas excitat, ignemq; Spiritus amoris, ac doni æterni cum Filio spirat; quæ productio cùm prosiliat, non per modum naturę, sed voluntatis, spiratio à sacris Theologis est nuncupata; & hæc est altera internarum emanationum. Pulcherrimè igitur excelsas has emanationes diuinas, stantes supra petram, à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dogmatibus non recedentes, scientiæ reuelatæ radijs illustrati, per posteriora, hoc est per modos naturæ, à nobis ad diuina contemplanda, ac percipienda reflexos, crassa quadam speculatione inuestigare, ac comprehendere potuimus.

De emanatione externa.

Mundi emanatio à Deo ex ipsius bene placito,

Ex his fontibus, quasi ex fonte emanat, proditq; Mundus, & rerum conditarum omnium congeries; non quidem ex natura (sola siquidē interna emanatio ex natura prouenit) sed ex beneplacito. Quapropter non ab æterno, sed in sancito à Deo tempore, Creaturarum vniuersitas producta est.

De tempore quo productus est Mundus.

Cæterum tempus quo Mundus conditus est indagare, quaq; de caussa Deus nō ante, vel post, sed præordinato à se temporum primordio Mundum condiderit, inuestigare; temeritatis est partes subire. Hoc enim execrati sunt Patres quamplures, quorum quatuor tantum sententias referam.

CLEMENS Recognitionum libro octauo.

Mundus conditus est opportuno tempore.

Sed dices, quando Mundus factus est, & quare tam tardè? Hoc possis obtendere, etiamsi ante factus fuisset: diceres enim, cur non & ante hoc? & ita immensa sæcula transcendens, semper possis requirere; cur non & ante hoc? sed nobis nunc sermo non de eo est, sed num omninò factus sit? Si enim factum constat, necessariò potentis, & summi artificis opus est: quod si constat, quando eum facere uoluerit, sapientis artificis arbitrio, iudicioq; relinquendum est. Nisi uideatur tibi omnis hæc sapientia, quę tam immanem Mundi machinam struxit, & singulis quibuscunque rebus, formas, & species dedit: quarum habitum non decori solùm conuenientem, sed & futuris usibus aptissimum & necessarium poneret, hoc tam solum fugerit, quo tam magnificæ conditionis opportunum tempus absumeret. Est apud illum profectò certa ratio, sunt euidentes causæ; cur, & quando, & qualiter fecerit Mundum, quas hominibus, quibus hæc, quæ ante oculos posita sunt, & de eius prouidentia contestantur, inquirere, & intelligere pigrum fuit, aperiri utique non oportuit, quæ enim in occulto habentur, & intra sapientiæ sensus, uelut intra regios thesauros recondita sunt, nemini patent, nisi his qui ab illo didicerint, apud quem signata sunt hæc & reposita. Deus ergo est, qui fecit omnia, & ipse à nemine factus est.

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite quinto.

Deinde videndum est, istis qui Deum conditorem Mundi esse consentiunt, & tamen quærunt de Mundi tempore, quid respondeamus, quid ipsi respondeant de Mundi loco. Ita enim quæritur, cur potius tunc, & non antea factus sit: quemadmodum quæri potest, cur hic potius vbi est, & non alibi? Nam si infinita spatia temporis ante Mundū cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse: similiter ergo cogitent extra Mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse uacare Omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles Mundos cum Epicuro somniare cogatur: ea tantùm differentia, quòd eos ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit, & resolui, isti autem opere Dei factos dicturi sunt, si eum per interminabilem immensitatem locorum extra Mundum circumquàque patentium vacare noluerint, nec eosdem Mundos, quòd etiam de isto sentiunt, vlla causa posse dissolui? Et post. *Cùm igitur unum Mundum ingenti quidem mole corporea, finitum tamen, & loco suo determinatum, & operante Deo factum esse dicant: quod respondent de infinitis extra Mundum locis, cur in eis ab opere Deus cesset: hoc sibi respondeant, de infinitis ante Mundum temporibus, cur in eis ab opere Deus cessauerit. Et sicut non est consequens, vt fortuito potius quàm ratione diuina Deus non alio, sed isto, in quo est loco, Mundum constituerit, cùm pariter infinitis ubique patentibus nul-*

lo

lo excellentiore merito posset hic eligi, quamuis eandem diuinam rationem, qua id factum est, nulla possit humana comprehendere mens: ita non est consequens, ut Deo aliquid existimemus accidisse fortuitum, quòd illo potius quàm anteriore tempore condidit Mundum, cùm æqualiter anteriora tempora per infinitum retrò spatium præterissent, nec fuisset aliqua differentia unde tempus tempori eligendo præponeretur. Quòd si dicunt inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus sit præter Mundum; respondetur eis, isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora uacationis Dei, cùm nullum tempus sit ante Mundũ.

GENNADIVS, vt in Catena Lippomani.

Sunt autem qui dicant Deum condere vniuersa decernentem, oportuisse non tandiu à creando eum supersedere; sed multo ante tempore opus aggredi. Quorum verba præterquam quòd temeraria sunt, etiam sunt stulta uehementer. Nam cùm Deus & sit, & credatur sempiternus, semper idipsum poterit qui uolet dicere, etiam si innumerabilibus annis ante, Mundus fuisset creatus, æquali semper spatio remanente, respectu Creatoris infiniti, & cogitatione nostra semper progrediente, neque usquam sistente, ac perueniente ad id, quod est sine principio, & sempiternum. Quapropter his audacia nostra debet supersedere, standumq; religiosè est, & acquiescendum his, quæ sunt tradita. Deus quare prius Mundũ non condiderit, temerariũ est inuestigare.

EVCHERIVS super Genesim libro primo.

Verentes multiplicia congerere, ne stomachus legentium saturatus non solum oblata renuat, sed & ingesta reijciat: priusquam de Mundi principio sit loquendum, dicendum est contra eos, qui ore sacrilego de Deo disputare nituntur, dicentes; Quare fecit Deus Cælum & Terram? Quid faciebat Deus antequam Cælum & Terram faceret? Cur noua voluntas in Deo, ut conderet Mundum exorta est? Sed respondendum est illis: Noua voluntas in Deo exorta non est: quia etsi in re Mundus non erat, in æterna tamen uoluntate semper erat. Ergo frustra dicitur, cur per tanta retro tempora Deo vacante noua Mundum faciendi orta fuisset cogitatio, quando in suo æterno semper manet consilio Mundi constructio, nec tempus ante principium, sed æternitas fuit: Tempus enim à substitutione creaturæ, non creatura cœpit à tempore.

De modo quo à Deo prosilijt Mundus.



Emanarunt autem Creaturæ cunctę, Mundusque à Deo, vti à fonte, à tribus personis, vti à caussis efficiente, exemplari, & finali. Cæterum hæc artificis exemplo, magis innotescent. Artifex, vtpote figulus (nam & Deus figulo comparatur) triplici facultate effingit lutea vasa: naturæ, seu corporis viribus ea operatur, intellectu eorum ideas format, & artem regit, ac dirigit; voluntatis tandem imperio hæc potius, quàm illa seligit effingenda, & vires, ingeniumque prout libuerit, ad opus impellit; adeò vt munus naturæ sit efficere, intellectus ideas ferre, & artem dirigere, voluntatis seligere & operari. Age Summus Opifex Deus artificis similitudine (vt crassa Minerua hoc aperiam) has tres functiones in Orbis structura obijsse videtur. Pater, cui, ne vt senex imbecillis crederetur, potentia adscribitur, qua cuncta ex nihilo creari, proferrique possunt, exhibuit eam potentiam immensam, de qua prodidit Angelus; Non est impossibile apud Deum omne verbum: hoc est non tantùm id quod fieri, sed quod etiam mente concipi potest, dum tamen contrarietatem in adiecto (vt Logici explicant) non admittat. Filius, cui intellectus functiones attribuuntur, duo & ipse hac in Orbis emolitione & structura contulit: Primùm cunctarum rerum Ideas: cùm siquidem Pater, in quo coæterna omniũ rerum inerant semina, seipsum intelligens Verbum genuerit, in eo etiã Verbo Ideas, siue formas cunctarum rerum expressit. Has igitur Ideas, siue exemplaria Filius detulit, vt res determinatas formas consequerentur, quæ quidem formæ, licet in rebus multiplices sint, vnũ tamen in diuina essentia extant, ab essentia non seiunctæ, vt profundius edocet D. Thomas. Insuper, quoniam Filio Sapientia adscribitur: sapientis autem munus est ordinare, proinde ipsi, vt artifici, rerum dispositio, ac ordo attribuitur. Ipsa etenim sapientia est, de qua scriptum legitur; Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. A fine (inquam) ad finem attingit, hoc est ab Arctico ad Antarcticum; vel à superna creatura Angelica ad infimam lapidis, vel à primo momento Orbis cõditi ad eius excidium; fortiter attingit, cùm nulla res suum prætereat ordinem; & suauiter disponit, quoniam res omnes secundũ congruentes illis naturas ordinauit. Spiritus Sanctus tandem, cui voluntatis munera dantur, ex amoris, ac charitatis redundantia ad productionem rerũ creatarum seipsum allexit, & ex Deo emanata amoris nexu copulat; & in Deum,

Personę diuinæ caussę Mũdi vt efficiens, exemplaris, & finis.

Patri potentia cur attribuitur.

Lucæ 1.

Formæ rerũ in Deo vnũ.

1. Par. q. 14.

Sap. 8.

Deum, tanquam in finem, trahit. Quibus enarratis ex candore lucis per foramen diuinę scientię ad nos effluentis, certè Deum Patrem efficientem potentia: Filium exemplarem, & artificem ex sapientia: Spiritum Sanctum finalem caussam ex bonitate agnoscimus. Hæc omnia vno verbo Apostolus complexus est, cùm dixit; Ab ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ab ipso Patre, tanquam omnipotentissimo efficiente: Per ipsum Filium, vti per sapientissimum exemplaribus præditum artificem: In ipso Spiritu Sancto, veluti in summum bonum directa, omnia condita sunt. Verùm enimuerò difficultas insurgit non contemnenda. Cùm ad extra indiuisa sint Trinitatis opera, sicuti edocet Sacra Theologia, adeò vt Deus vnus & trinus Mundi opifex indubitanter æstimetur: & ex quadam conuenientia, Pater efficiens, Filius exemplaris, Spiritus Sanctus finalis caussa dicantur: quorsum tantum Patri Creatio tribuitur in Symbolo, siquidem fatemur, Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cęli & Terræ? Responsio se ipsam effert. Cùm enim ab ea caussa, quę potior videtur, sumi soleat denominatio, quanquā in Orbis effectione, & Sapientia, & Charitas explendeant, clarius tamen Omnipotentia, quæ Patri attribuitur, luculentiusque effulget: quamobrem non Filio, & Spiritui Sancto, sed Patri ex omnipotentię ratione Mundi structura passim adscribitur. Adijcias ex D. Thoma, quòd creatio cùm emanet à Deo, vt est vnus in essentia, essentia autem licet tribus personis communis sit, ex ordine tamen ita primo conuenit Patri, vt Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque, illam desumere perspectum habeamus: ob id creationis etiam opus ipsi Patri non immeritò attribui solet. Sed hæc Theologis sacris clarius discutienda relinquamus.

Rom. 11.

Mũdi creatio cùm opus sit Trinitatis cur Patri attribuatur.

P.p. Quæ. 45. artic. 6.

De Caussis externæ emanationis, seu Mundi creationis.

Sed altius quænam caussæ fuerint, quæ Sanctissimam illam Deitatem in sua perenni gloria, & in seipsa ineffabili æternitate consistentem ad procreandas extra se res impulerit, indagandum est.

Deus eximia sua bonitate Mundum condidit.

Deum immensa tantùm sua bonitate Mundum confasse, plures Patrum obtestati sunt.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione Panegyrica in Christi Natiuitatem.

Quoniam autem bonitati nequaquam satis erat sua ipsius solùm contemplatione moueri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur (id enim summæ bonitatis erat) primùm Angelicas, & Cælestes Virtutes cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Et post. *Sic igitur atque ob has caussas, intellectilis Mundus ab eo creatus est, quantùm quidem ipse de his rebus philosophari queo, exigua oratione res magnas expendens. Posteaquam autem primas creationis partes præclarè constitutas vidit, alterum Mundum materia constantem & aspectabilem cogitauit.*

NICETAS primum locum interpretatus, ait.

Quoniam autem summo illi bono, hoc est, Deo, qui essentiale bonum est, nequaquam satis erat sua ipsius solũ contemplatione moueri, idest, seipsum contemplari atque intelligere, sed diffundi, ac propagari bonum illud oportebat, hoc est, vnum Deum pro ratione eorum, quæ ipsius capacia essent, per bonorum suorum communicationem diffundi ac multiplicari. Quod autem ait, oportebat; non necessitatem affert, sed opificis voluntatem subindicat: ipsa enim lex est congruentissima. Et Post. *Sic, intellectilis Mundus creatus est, hoc est, primo ordine, & vnica cogitatione; atque ob has caussas, hoc est, non propter necessitatem, sed propter bonitatem solam, & quia bonum illud permanere ac propagari oportebat.*

Eadem penè habent Nazianzenus & Nicetas Oratione secunda in Pascha, quæ numeratur quadragesima secunda.

IOANNES Chrysostomus de Prouidentia Dei libro primo.

Principiò cùm Angelos crearet Deus, immo verò vt priora complectatur oratio, antequam Angelos conderet, Cælestesque reliquas Virtutes, Deus erat sine vllo vnquam suæ substantiæ principio. Cùm verò nullius rei egens semper esset, id quippe propriũ diuinitatis est, creauit Angelos, Archangelos, omnesq; reliquas incorporeas, immortalesq; substãtias. Creauit verò ob aliud nihil, nisi sola bonitatis suæ caussa. Quorum n. obsequio non indigebat, nunquam eos profectò creauisset, nisi supremè bonus atque clemens esset: post verò illorum creationem

nem fecit hominem, ipsa scilicet, atque eadem de caussa, Mundumque hunc omnem, quem cùm innumeris bonis, omnique ornatu ac decore insigniisset, paruum illum, atque vilissimum puluerem his omnibus præfecit, hoc illum in Terra constituens, quod ipse esset in Cælo.

THEODORETVS de Græcarum affectionum curatione libro quarto, qui est de Materia, & Mundo, clarissimam Platonis sententiam de his inserit.

Ego autem cæteros quidem omnes missos faciam, Platonem verò ipsum in nonnullis quidem laudabo, in nõnullis autem manifestè coarguam; illa enim quæ is in Timæo conscripsit, sunt laudatu dignissima: sic autem inquit. Dicamus itaque quam ob caussam generationem rerum confecit, & hoc omne, quod cernimus, Opifex ipse constituit. Tum optimam illam & admirandam attulit responsionem. Bonus erat; Bonum verò, nulla rei cuiusquam subit inuidia: cùm itaque extra inuidiam esset, voluit omnia esse sibiipsi quàm maxime assimilia. Diximus autem similia, non secundum naturam, sed eo duntaxat quòd & ipsa sunt. Sicut enim ipse est, ita voluit, vt quæ olim non erant, fierent, atque essent. Verùm ipse sic est, vt à nullo esse acceperit, omnibus autem quæ sunt, esse ipsum tribuerit. Hæc quoque quę insequuntur, superius allatis valde affinia sunt. Nullius enim propriæ vtilitatis caussa, Deus Mundum hunc fecit, vt videlicet honores ab hominibus, à Dijs, Dæmonibusque acciperet, ceu qui prouentum aliquem ob oblatam illis generationem sibi ascisceret, vt à nobis puta fumidum sacrificij vaporem, à Dijs verò, ac Dæmonibus propria ipsorum ministeria. Hoc itaque etiam loco Deum rei nullius indiguum esse testatur, solaq; bonitate adductum hæc omnia effecisse. Deos verò ac Dęmones hoc loco eos appellauit, quos ipsi Angelos nuncupamus, eosdemque Dei ministros esse asseruit.

CLAVDIANVS Mamertus Viennensis Episcopus de statu Animę libro primo.

Caussa enim creandarum rerum bonitas Creatoris est; Qui creare potest vniuersa quæ velit, nihil bonitatis exercuisset, si nihil creasset: ita semiplena benignitate vsus esset, si semiplenum aliquid condidisset.

PETRVS Damianus Episcopus Ostiensis Epistola quarta, quæ est de Dei Omnipotentia,

Ad creandum igitur quod non erat, non eum solitudinis, vel inopiæ alicuius necessitas compulit, sed sola propriæ clementiæ bonitas prouocauit. Nec beatitudini eius rerum conditio conferre aliquid potuit, cùm ita per se, & in se sit plenus, atque perfectus, vt nec existente creatura sibi aliquid accedat, nec ea pereunte decedat. Omnia siquidem flumina intrant in mare: & mare non redundat. Eccles, 1.

Sed ne in re tam lucida, & conspicua calamum defatigem, sufficiant sex horum Patrum testimonia. Descendam modò ad ea explicanda, quæ ex ipsorum contemplationibus decerpere iudicaui.

AVCTOR.



A igitur primò in loco occurrit ratio, quæ ex diuina bonitate sumpta ita deduci philosophicè potest. Axioma adest notissimum, peruulgatumq; passim; Bonum sua natura suiipsius esse diffusiuum; cuius rei rationem luculenter reddidit Philosophorum princeps Aristoteles in libris Ethicorum: quoniã cùm Bonum id sit, quod omnia appetunt, ea ratione qua appetibile est, effundi necesse est; Porrò nobis perspectissimum est Deum esse cunctæ bonitatis fontem: iuxta illud; Ego ostendam tibi omne bonum: Igitur summopere seipsum effudit. Atque cùm in creatione Mundi se communicauerit, res ipsæ creatæ ex sola immensa eius bonitate ab ipso emanarunt. Verùm hoc loco ex D. Thoma illud animaduertendum est, quòd quãquam omnis vis essendi, & bonitatis Deo insit, à Deo tamen esse, & bonitas effluũt, non vt ab agente, vel principio cum rebus ipsis creatis vniuoco siue in speciei, siue in generis ratione, sed æquiuoco, cùm excellentiori profectò modo in Deo, esse, bonitasq; insideãt, effulgeãtque, quàm in rebus creatis; quemadmodum fulgor supereminentiori gradu in Sole, quàm in Igne resplendet. Varij itaque sunt gradus rerum à Deo conditarum. Vnde Nemesius libro de Natura hominis, quàm elegans in creandis rebus gradatio fuerit à Deo obseruata, florentissima explicat enarratione. Ego contẽplatione sumpta ex sacra pagina in Sacrorum Oratorum gratiam (vt libentius facere soleo) communicationẽ hãc essendi à Diuina bonitate factã explicabo. Idq; ex allegoria fontis à Paradiso Terrestri scatentis, & fluminum eorum amplissimorum, qui ab illo profluebant, præstare contendam. Scriptum est; Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor flumina. Quinam fons iste est? quæ flumina? Deus perennis fons ille est, seu is fluuius Paradisi, qui cunctum Orbem irri-

Dei Bonitas condẽdi Mundi caussa.

Exod. 33.

1. P. q. 44.

Rerum gradus.

Gen. 2.

 gat

gat, cùm omnibus rebus esse liberalissimè impertiatur, & elargiatur. Quatuor ab eo
emanantia flumina, quatuor sunt rerum ab eo producta genera: natura (inquam) Ange
lica, Humana, Cœlestis, & Elementaris. Et quemadmodum à fonte non omnis aqua
simul effluit, nec ea claritate, qua à fonte descendit, per fluminum cęnosos alueos dila-
bitur, decurritque; siquidem ex alueorum diuersis affectionibus claritatem, coloremq;
immutare contingit: ita à Deo non omnis diuina perfectio in creaturas descendit, cùm
solùm ex beneplacito eas condiderit: nec esse eo perfectionis gradu, qui in Creatore
est, conditis rebus inest, quoniam vnaquæque earum sibi cōgruentem essendi gradum
tantùm accepit. Quapropter secundum triplicem communicationē cunctas res à Deo
fuisse effusas contemplari possumus, Diuinam, Intelligibilem, & Sensilem; seu Summā,
Mediam, & Infimam; in modum Fontis, Lacus, & Fluminis. Diuina eminens commu-
nicatio ea dicitur, quæ secundum essentiam fit, Filij scilicet generatio, Spiritus Sancti
productio. Media verò ipsa est, qua confertur præstantissima substantia, quę est natura
intellectualis, hoc est Angelus, & Anima. Extrema tandem, qua substantia imperfectior
elargitur, mixta scilicet, vt est sensilis, ac corporea natura; quæ itidem duplex est, Cœle
stis, & Elementaris. Attendas igitur per hos quinque rerum, seu entium gradus, Dei
scilicet, Angeli, Hominis, Cœlestis naturæ, & Elementaris, essentiam creaturis à Deo
condonatam, secundum esse, intelligere, & velle diuersitatem, à perfecto ad imperfectū
descendentem, ac rapido cursu ad ima, & ad nil properantem: sicuti ipsa fontis aqua
se totam in lacum effundit, ac in flumina ita dilabitur, vt tandem exinanita ad nihil fe-
rè deducatur, ac internis terræ visceribus & latebris absorpta, euanescat. In Deo primū
idipsum est esse & essentia: In Angelis aliud esse, aliud essentia comperitur; licet nulla
prorsus illis admisceatur materia: Cætera cuncta ex materia & forma, vti principijs
compacta sunt, sed dispari gradu: In homine nanq; anima desuper infusa est, non è ma-
teria elicita; ob idque meritò censetur immortalis: In Cœlo forma itidem assistens est
& non informans; unde corpora Cœlestia corruptionis expertia æstimantur: Formæ
sensilium ratione carentium ex materia prosiliunt, quare illas euanescere (omnibus an-
nuentibus Philosophis) decernitur. Verùm, & formæ hæ sensilium diuersis discretæ
sunt perfectionis gradibus. Potior est enim forma eorum, quæ sensibili anima prædita
sunt; vti Animantia terrestria, Volucres, Pisces: Inde eorū, quæ vegetali pollent, vt Her-
bæ, Olera, Arbores: Post hæc eorum, quæ esse tantum, sed absolutum desumunt, ve-
luti Mineralia; quorum quatuor sunt genera, Sulphurea, Salifera, Metallica, Lapidea.
Crassæ, ac rudes reputantur formæ earum rerum, quæ esse imperfectum sortitæ sunt;
Exhalationes scilicet, quæ in aere, vel in terra gignuntur. Tandem adhuc crassiores
censentur Elementorum formæ nobis ignotæ. Ac sub his Materia prima, ita ad exilem
essendi gradum descendit, corruitque; vt ferè ad nihilum præcipitetur. Materiā fiqui-
dem extare inter esse, & nihil, asseruit Augustinus. Deus ex se cuncta, & semper intelli-
git. Angelus ex ea, quæ sibi collata est scientia, seu sit per species sibi insitas à Deo, seu
reuelatas (de hac siquidē re adhuc est disputatio non modica in scholis) multa percipit.
Homo per species acquisitas pauca assequitur, & raro, & nō sine denudatis, illustratisq;
phantasmatibus. Cætera omnia intellectus sunt expertia, ea serie, quòd quæ sensibili
perceptione, quamuis crassa, ac rudi pollent, proxima iudicantur homini: Quæ verò
ea quoque carent, longè ab homine abscedere videantur. Deus æterna eademque sem-
per consistente voluntate præditus est; pręcellentis enim voluntatis perfectio est in bo-
no consistere. Angelus primo momento, vt sibi libuit, quod sibi à Deo indictum fue-
rat, velle nolleque potuit; quod autē tunc elegit, id semper velle arctatur. Homo quā-
diu vitam hanc degit, ad vtrumlibet se conuertere libero suo potest arbitratu, sed cùm
dies eius ipsi recisi fuerint, in quocunq; loco ceciderit, ibi perenniter manebit. Reliqua
omnia ab intelligentia ducuntur non errante: Alia appetitu vago, vt animantia: Alia
crasso, & vniformi, vt germina: Alia nullo prorsus acta appetitu, vti nec sensu, sed à na-
tura lata, vt inanima. Videsne aquas defluxas, vsque dum absorptæ sunt? Esse scilicet
à Deo rebus impertitum ita ad imperfectionem delapsū, vsquequo peruenerit ad extre
mum, exilemque essendi gradum? Ex his igitur Homericam rerum Catenam deduce-
re commodè nobis licebit. Homerica autem hęc Catena annulis Platonicis Deo Opti-
mo

Rerum quatuor genera, quatuor fluminibus Paradisi comparantur.

Dei triplex communicatio.

Rerum grad⁹ quinque.

Formarū genera.

Rerum catena.

mo Maximo, vti aureo clauo, affixa est. Huius Catenę imaginē libro de Genealogijs, si Deus dabit, vberius explicabimus. Catenæ annulus primus, natura Angelica est, Deo proximius annexa: hęc per ordines nouē, quasi per annulos nouē descendit; cùm superiores ordines Angelici, gradatim inferiores illuminare, seu abditarū rerū scientiam eis impertiri, imperareq; dicantur. Annulo Angelico Anima subnectitur, vtpotè ea, quę non per species inditas, sed medijs sensibus percipit, voluntateq; labili, & permutabili prædita est, & ex corporis sensuūq; necessitate efficitur, vt corporeis rebus cōpaginetur. Quapropter ei affinia, & cōiuncta sunt dignitatis ordine corpora cęlestia, ex materię ratione cæteris corporibus præstantiora; cùm materia, qua congesta sunt, non ex eadem silua excisa sit, ex qua elementa; nec ipsa potentia pura dicitur, neque alicui est admixta contrarietati. Hæc natura cœlestis per annulos decem, cùm decem orbes ex decem motuum ratione existimentur, trahitur. Lunę Orbi eleganter connectitur natura elementaris. Inter elementata primum locum sibi vendicarunt ea, quæ sensu pollent, secundum triplicem gradum ordinata; nam inter animalia præcedunt ea, quæ humanæ eruditionis capacia sunt; inde quæ degunt intra terminos irrationalis phantasiæ; tandem Zoophita, quibus connectuntur vegetantia triplici itidem annulorum ordine cōprehensa: quorum primus arbores; secundus olera stipitem tantum ferentia; tertius plantas folia vix emittentes includit. Ab his ad ea, quæ nulla anima insignita, esse tantum præseferunt, accedendum est; & hæc ea serie contexenda sunt; vt primo in annulo metalla; in secundo lapides; ac demum in tertio sulphurea, & salifera complectantur. Subsequuntur postea imperfecta metheorologica, ex quibus, quæ in prima gignuntur regione, primo annulo adscribuntur; quę in secunda, alteri; quæ in tertia, tertio; ac quæ in terra, in extremo collocantur. Sub his elementa quatuor ponuntur, eo nexu, vt ignis primo in loco, tanquam leuior, inde aer, & post aqua, tandem terra, veluti pōderosior, in cētro Mundi constituatur. Postremò substernēda est materia illa prima, quæ, cùm nihil actu sit, sed omnia potentia, vltimum locum expetit: Nam quia absolutissima essendi ratio est esse actu, exilis verò esse potentia; in hac, sicuti in purissima potentia nihilo proxima, tota effusionis essentię series terminatur, & absorbetur. Sed hactenus de catena, ac gradibus entium.

Nec pro fine prætereundum, quod Theodoretus libro quarto de Materia & Mundo nobis suggessit,

At verò rerum omnium Deus opifex, nec instrumentis, nec materia vlla indiget, sed quod alijs artificibus sunt & materia, & instrumenta, tempusque pręterea & conficiendi opera, ipsaque ars & exactissima diligentia, hoc est ipsi Deo sola, vnicaque voluntas. omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in Cœlo, & in Terra, in mari quoque ipso, & in omnibus abyssis, sicut Sacræ nobis Scripturæ testantur. Neque tamen quotcunque poterat, totidem creare voluit, sed ea duntaxat, quę satis esse sua sapientia comprobauit. Facilè enim illi fuerat decies, ac vicies mille orbes producere, quandoquidem ipsum velle, multo omnium operum est facillimum. Nobis item accidit, vt ipsum velle facillimum multo sit, at non illicò facultas efficiundi quod velis, humanam sequitur voluntatem. At opifex vniuersorum Deus, quæ vult omnia, eadem simul potest. Diuinæ siquidem voluntati, & facultas adiuncta est. Neque tamen rerum Creationem, Mundiq; fabricam immensa illa sua potestate commensus est, sed quæcunque voluit, ea confecit. Psal. 134.

Deus etiam Mundum congessit, vt Diuina sua in eo explendesceret Sapientia.

ALtera ratio, seu vis, quæ Deum ad Mundum condendum traxit, ac ferè impulit, extitit diuina sapientia. Siquidem cùm sapientis sit ordinare, ex ordine verò prodeat pulchritudo, & ex pulchritudine sapientis artificis oblectatio, ac gloria; decens fuit, vt æterna ea Sapientia Mundum conderet, quatenus ab eius ordine formositas prosiliret, & ex formositate Sapientia ipsa oblectaretur; iuxta illud: Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tēpore, ludens in orbe terrarum; celebrisq;, & gloriosa redderetur. Videamus modo, si quid de mirifico Orbis ordine disserere datum erit. Ordo autem à Diuina sapientia excogitatus is fuit, vt ex eo, quasi ex vestigio, Dei vnitas, Trinitasq; Sanctissima insinuaretur, ac repręsentaretur; quem ordinem, vt enucleatius assequamur, de triplici Mundo contemplationem subne- Mundus conditus vt Diuina Sapientia fulgeret. Prou. 8.

subnectere necessarium duco.

De triplici Mundo.

Tres Mundi à Platonicis nobis traduntur, Maximus, Magnus, & Paruus. Maximus ipse est Deus, quandoquidem in eius Deitate rerum conditarum omnium Ideæ, seu formæ enitescunt. Magnus Mundus est hoc mirificum Opificium, ex Cœlis, Elementisq; congestum. Mundus paruus homo est, quem & Microcosmon lepidè prisci sapientes nuncupauerunt.

De Mundo maximo.

PHILO libro de Mundi Opificio, hæc habet de Mundo maximo.

Inest eximius ille Mundus intellectu solo conspicuus, sicut procedente sermone patebit in enarratione huius diei. Deus enim, vbi pro sua Deitate præuidit imitamentum pulchrum, non posse absq; exemplari pulchro existere, nec sensibile quidquam citra exceptionem probari posse, quod non archetypo intelligibilis ideæ respondeat; postquam decreuit visibilem hunc Mundum condere, prius formauit simulachrū eius intelligibile, vt ad exemplar incorporei, Deoq; simillimi, corporeum absolueret Mundum recentiorem hunc antiquioris effigiem; totidem complexurum sensibilia genera, quot in illo intelligibilia. Mundum autem illum, qui ex idæis constat, nefas est loco vllo dicendo, cogitandòve circumscribere: Sciemus tamen quo pacto consistat, si considerauerimus aliquam rerum nostratium similitudinem. Quoties condenda est Vrbs, cura Regis alicuius, aut Imperatoris pro fortuna magnifici, presto est quispiam peritus Architectonicæ, qui contemplatus loci opportunitatem, primum intra seipsum partes futuræ Vrbis, propemodum omnes delineat, templa, gymnasia, curias, fora, portus, naualia, vias, angiportusq;, meniorum situm, & ædificiorum, tam priuatorum, quàm publicorum. Deinde impressis, velut in ceram, in suum animum singularum rerum imaginibus, effingit Vrbem intelligibilem, cuius effigiem innata retractans memoria, atq; ita impressis sibi magis etiam simulachris, vt bonus artifex, ad semel propositum exemplar respiciens, aggreditur designatam suam structuram è saxis, & materie, repræsentans incorporeas illas idæas singulis operis partibus. Eodem fermè modo de Deo sentiendum est, qui vbi decreuit ingentem hanc Vrbem condere, prius formas eius concepit, ex quibus postquam intelligibilem Mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit. Quemadmodum igitur illa in architecto præsignata Vrbs, locum extra nullum habuit, tantùm impressa artificis animo; eodem modo, nec ille quidem ex idæis constans Mundus, alibi locum habere poterat, quàm in Dei Verbo, quod adornauit hæc omnia. Quis enim alius locus possit esse locus virtutum Dei, idoneus ad concipiendas, non dico omnes idæas, sed vel vnam quampiam earum simplicissimam?

Mundi maximi cognitio ex Mundo visibili.

Hæc Philo Iudæus, & optime, si Mundum idealem non conditum ante Mundum sensibilem, sed ab æterno in diuina fuisse mente dixisset, sicuti & non negauit. Huius verò maximi Mundi ordinem, ac ex ordine decorem, ex huiusce creati Mundi comparatione tantùm indagare, attingereque datum est nobis, iuxta illud;

Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; imagine formans.

Quid enim mirificum visibili in hoc Mundo conspici potest, quod excelsius, vberius, excellentiusque in Deo inuisibili mundo esse non arbitremur? Nam si Orbis conditus tàm decorus est, quis creans? si hic temporum vicissitudinibus iactatus tàm admirandus, quis æternus? si hæc picta imago tàm pulchra conspicitur, quæ ipsa facies? si partus, effectusque tantùm emicat, quonam parens, caussaque fulgore coruscabunt? Cæterum, cùm Mundi magni decus in eo consistat, vt è vestigio Dei Vnitatem, Trinitatemque præseferat; Vniuersi huius ordo, ex hac ratione nobis contemplandus est, qua Deum Trinum & Vnum præsignat, & demonstrat.

De Mundo magno.

Mundus Dei vestigium.

Mundus magnus, qui est omniū creatarum rerū aggregatio, vestigium est Dei Opt. Max. Hic vnus est, vt Dei Vnitatē ostendat. Tres admodū discrepantes naturas complectitur, Intellectualē, Cœlestē, & Elementarē, vt in eis Trinitas indicetur. Rursum Angelica natura intellectu insignita, in tres redacta est Hierarchias, quarū vnaquæq; ordines tres subcludit, vt in natura sua vnica intellectuali Deū vnū patefaciat; in Hierarchia triplici, ordinibusque subtriplicatis Trinitatē declaret. Siquidē Deus ardet in Seraphim, vt amor; splendet in Cherubin, vt veritas; sedet in Thronis, vt maiestas; rursus dominatur in Dominationibus, vt omnipotens; regit in Principatibus, vt sapientia; viuificat in Virtutibus, vt virtus; imperat in Potestatibus, vt potestas; reuelat in Archangelis, vt lux; assistit in Angelis, vt pietas. Porrò Maiestas, Dominium, Potestas, Patris sunt munera. Splendor, Sapientia, Lux, dotes sunt Filij. Amor, Virtus, Pietas, Spiritus Sancti censentur attributa. Quid hoc ordine excelso mirabilius? Quid sublimius? Cœlestis autem natura altero gradu decidit ab Angelica; conflata siquidem est ex

Trinitas in Angelis quomodo resplēdeat.

Materia & Forma, vel Orbe, ac Intelligentia assistente, si cum Arabibus, magis quàm cum Græcis philosophari fas est; eoque ordine disposita est, vt in decem Orbes, ex decem motuum ratione, distributa credatur. Quorum primus vigintiquatuor horarum lapsu secum cæteros rapiens non fulget. Nonus, vt ipse primus nullo lumine præditus est. Octauus verò infinitis stellis emicat. Cæteri septem vno tantùm errone decorantur. Omnes licet à supremo Cœlo ab ortu in occasum rapiantur, motu tamen aduerso voluuntur; ita vt Cœlum nonum tardissimè triginta sex millium annorum circulatione feratur; Octauum crassiori supputatione, centum vix annis vnum gradum conficit; Septimum annis triginta; sextum duodecim; quintum duobus; Sol cum tertio, ac secũdo, vno ferè anno; Luna diebus viginti nouẽ, & horis octo suas conuersiones absoluũt. Hęc igitur natura, non contrarietati admixta, eleganter Vnitatem diuinam repræsentat, motu Patrem, splendore Filium, influxu Spiritum Sanctum præsignat. Elementata tandem natura, quæ ex quatuor primis corporibus, seu elementis constatur, & ipsa ea serie à diuina sapientia disposita est, vt è vestigio sed obscuro admodum, Dei vnitatem ac sanctissimam Trinitatem exprimat. Vna certè est materia substrata, ex qua cuncta mixta compacta sunt; nouem autem sunt formarum genera præstantiora, in tres classes distributa. Prima classis insensilium, ac omnis animę expertium rerum formas connectit, quę sunt elementa, imperfecta entia, & perfecta mixta. Altera vegetantium species complectitur, plantas, olera, & arbores. Tertia sensu prædita includit, Zoophita, animantia intra terminos irrationalis phantasiæ posita, & humanæ eruditionis (quod potissimum est in brutis) capacia, vt sunt Aues, & terrestria animalia. Vna igitur materia, ex qua cuncta compacta sunt elementata, Dei vnitatem à longe, parum expresso vestigio, insinuat: Triplex formarum genus, quorum vnumquodq; in tria subdiuiditur, sanctissimam designat Trinitatem; ea serie, vt in esse eorum, Pater; in vegetali vi, Spiritus Sanctus; in sensili, Filius quodammodo obumbretur, ac rudius delineetur. Verùm siquis parui, maximiq; Mundi partium decorem contemplari affectaret, consu at Deiloquum Gregorium Nazianzenum (ita enim ipsum Patres passim appellant) Theologię libro secundo, vberi, ac diserta oratione, Animantium, Natatilium, Volucrum, Plantarum, Terræ, Maris, Aeris, Cœli, Solis, Angelorum, encomia celebrantem.

Trinitas in corporibus cœlestibus.

Trinitas in rebus corporeis

Extat & Microcosmus, exiguus scilicet ille Mundus, qui epilogo quodam Mundo idęali inexistentia, & ex eo emanantia, per Mundum magnum dispersa, in se recolligit, atq; pręcludit. Anima siquidem in libero arbitrio Angelum repræsentat; In voluntate, quæ cæteras animæ potentias rapit, supremum Cœlum; in concupiscibili, firmamentum. Amplius septem passionum impulsu, septem varios Planetarum motus; duplici intellectu, possibili, & agente, duo luminaria magna, Solem, & Lunam; quinque sensibus, quinque errones præmonstrat. Denique in esse, lapides, in uegetatiua, germina, in sensu, animalia non tantum exprimit, sed præsefert; vt verè Mundi huius epilogus, ac argumentum, Deique Idęalis mundi imago, & similitudo censeatur. Sed hæc luculentius edisseremus, cùm de hominis præstantia, atque excellentia negocium habebimus. Hoc vnum periclitemur, quęso, contemplari, quale immensum, summumque Sapientiæ æternæ in Orbe condendo fuerit studium, oblectamentumque, & quo mirifico ordine, quave stupenda pulchritudinis forma eum decorarit, venustaritque. Meritò siquidem de seipsa contestatur sapientia; Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Delectabar per singulos dies. Quinam hi dies, nisi sex illi prisci, quibus Mundus ipse creatus fuit? In his delectabatur certè opifex ea ratione, qua quisque artifex, dum felici euentu, secundũ idęam sibi pręscriptam, suum opus emergere cõspicit, mira oblectatione afficitur. Quamobrem vidit quod esset bonum, ac si diceret; examinato opere, maximè in eo sibi cõplacuit; delectabar ait, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meę esse cum filijs hominum. Habuit sapientia Diuina in hac Orbis effectione ludi, & delitiarum voluptatem: ludus certè fuit Orbis sciunctio, ac venustatio; Microcosmi formatio fuere delitiæ: indicant enim hęc duas dispares admodum oblectationes. In Mundi magni productione delectationem sumpsit, quasi ex ludo, iocoq;, cùm

De Mundo paruo. Homo paruus Mundus.

Mira Dei delectatio in Mundi creatione. Prouerb. 8.

Gen. 1.

Diuina sapiẽtia ludẽs Mũdum cõdidit.

eum condens, quasi ludens, non omnem adhibuerit virtutem.

THEODORETVS de Græcarum affectionum curatione, libro quarto, qui est de Materia & Mundo.

Neque quodcunque potuit creare voluit, sed ea duntaxat, quæ esse sua sapientia comprobauit. Facilè enim illi fuerat decies, ac vicies mille Orbes producere, quandoquidem ipsum velle multo omnium operum est facillimum.

Ex Microcosmi plasmatione adeò singularem retulit iocunditatem, vt cum in delitias sibi asciuerit; nam, & in eius structura, omne studium adhibuit. Mundum condens dixit tantùm, & omnia facta sunt. Hominem formans consilium adiecit; Faciamus hominem. Excipe hinc homo quantum debeas æterno Verbo, quòd Mundum quasi ludo, te magno studio formarit, ac, vt te deperditam drachmam reperiret, totam domum, hoc est, totum Orbem subuertere non veritus sit, parum arbitratus Mundum hũc amplissimum, vt te miserrimum recuperaret.

Deus Mundum creauit, vt Diuina eius innotesceret Potentia.



DEmum ad condendum Orbem ea maximè Deum duxit ratio, vt diuina splendesceret omnipotentia.

THEOPHILVS Antiochenus libro primo ad Autolycum contra Christianæ Religionis calumniatores ait;

Præterea Deus vniuersa cùm non forent creauit, vt ex operibus suis, quàm magnus, quàm excelsus sit homini innotesceret.

Præstantissimum siquidem omnium opus, in quo diuina enitescit potentia, est creatio Mundi. In hoc augusto opificio, emicat certè Dei immensa potestas, cùm ex nihilo tam mirificum extruxerit Mundum; emicat, cùm perduret eiusdem Diuinæ omnipotentiæ manui innixus; nec Cœlum vnquam videamus perpetua circumlatione lassari, nec Astra eminentissimo fulgore diminui, nec Elementa continuis transmutationum vicissitudinibus absumi, nec rerum species innumeris indiuiduorum cędibus recidi comperiantur. Sed vt quid tam admirandum Diuinæ potentiæ monumentum Deus protulit; nisi vt ex eo omnis creatura immensum creationis beneficium recolens, quo cùm non esset, recepit esse, opificis Maiestatem laudare atque extollere non desineret? Huc diuina illa Maiestas oculos tetendit: In hunc maximè finem æterna Sapientia Orbem condidit; vt veluti in Cœlo ab Angelicis choris perpetuis, nec unquam interpollatis encomijs perenniter laudatur; ita & in terra à terrestribus omnibus summis laudibus indesinenter efferretur. Hinc Dauid citharædus noster optimè singulas conditarum rerum classes, Angelicam scilicet, Cęlestem, Elementarem, Humanamq; ad Deũ laudandum excitat, dicens; Laudate Dominum de Cœlis; laudate eum in excelsis; Laudate eum omnes Angeli eius; Laudate eum omnes virtutes eius. Quorsum hæc Dauid? Quia ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Ad concentum etiam diuersorum musices instrumentorum eas amplius inuitat, dicens; Laudate eum in sono tubæ; Laudate eum in psalterio & cithara. Et hęc Dauid singulari quodam iudicio protulit, vt non tantùm methaphorico, articulatove sono Creaturæ Deum Creatorem extollant, sed etiam operibus, quasi musicis concentibus ipsius laudes depromant. Quod quidem efficiunt, cùm id enixè persoluentes, ad quod creatæ sunt, suas explent à Deo sibi indictas operationes. Tunc etenim Summi Dei Opificis potentia resplendet, cùm iuxta Dei indita decreta, res omnes creatæ sua munera perfectissimè obeunt. Ex quibus effectibus ad secundas caussas, à secundis ad principem, supremamque omnium (à qua omnis vis, operandique potentia effluit) conscendentes; omne, quod emanat opus, à Deo emanare cognoscemus. Solus Angelus & Homo, ea, quæ illis insita est, libertate, ab hoc concentu defecerunt; quando paruifactis, contemptisq; præceptis à Deo sibi indictis, ad nihilum deliquerunt. Sed de his vberius in contemplationibus tractabimus.

Psal. 148.

Psal. 150.

Gen. 1.

Deus

Deus Mundum condidit, vt homini Regiam domum, Regnum, & Theatrum præpararet.

Adijciam his vberrimis rationibus ex Patrum sententijs hoc vnum. Cùm homo propter Deum, ac Orbis propter hominem conditus sit; eleganter effectus est Mundus, vt esset ipsi homini Domus, Imperiũ, & Oblectamentum. Mundus igitur est hominis domus, cuius pauimentum terra, floribus veluti gemmis decorata, cuius piscinæ maria, lacus, cuius columnę, montes, colles, cuius tegmen auratum, Cœlum, cuius lumina magna, & parua sunt, Sol, Luna, & Stellæ. Mundus hominis regia domus.

GREGORIVS Nazianzenus in nouum Dominicum.

Nil verò mirum, si homo nouissimus prolatus est manu Dei, & imagine decoratus: oportebat enim tanquam Regi prius Regiam constituere; & ita demum Regem omnibus iam stipatum introducere.

Sed huius aureę sententię consimiles plures in Catena: Quorsum homo extremus omnium conditus sit, comperies.

Conditus est Orbis, vt eius maximum imperium à Deo, cuius rectum erat ius, feudali fœdere homini conferretur: solo indicto canone præcepti illius; De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Mundus hominis imperium. Gen. 2.

Conditus tandem, vt delectationem, voluptatemq; haberet homo ex ea, quæ sibi supereminens est operatio, contemplatione videlicet, qua ex visibilibus ad inuisibilia ascenderet, Deum satorem intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur. Tantus enim liber Hieroglyphicis literis ornatus ad studium hominum, qui intellectu pollent, à Deo summo Opifice, ex immensa sua liberalitate liberalissimè collatus est. Sed de his satis. Mundus hominis liber.

Catena Patrum Mundum propter hominem conditum fuisse tradentium.

IOANNES Chrysostomus in Caput Geneseos primum, Hom. septima.

Tu tamen clara uoce clama, quòd propter humanum genus omnia hæc facta sunt. Sufficientissimus enim opifex nullo istorum opus habebat, sed ut erga nos suam misericordiam ostendat, hæc omnia produxit, monstrans quanto honore prosequatur humanum genus, & ut his manuducti, ad conuenientem sibi adorationem ascendamus.

AVGVSTINVS Opusculo de diligendo Deo, libro quidem pio nec inerudito, quanquam phrasi plurimum discrepante ab Augustiniana.

Factus ergo Angelus, siue homo, propter Deum dicitur esse, non quia Deus Creator, & summè beatus alterutrius indigeret officio, quia bonorum nostrorum non eget, sed ut seruiret ei, & frueretur eo, cui seruire regnare est. In hoc proficit seruiens, non ille cui seruitur. Et sicut factus est homo propter Deum, sic factus est Mundus propter hominem, ut ei seruiret. Positus est ergo homo ut ei seruiretur, & ut ipse seruiret, ut acciperet utrunque, & resflueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obsequium, & quod impendit. Ita enim uoluit Deus sibi ab homine seruiri, ut ea seruitute non Deus, sed homo iuuaretur: & uoluit ut Mundus seruiret homini, ut exinde similiter iuuaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat: & quod factum est propter ipsum, & propter quod factus est ipse. Omnia enim, ait Apostolus, nostra sunt, superiora scilicet, æqualia, & inferiora. Superiora quidem nostra sunt, ad perfruendum, ut Deus Trinitas. Aequalia nostra sunt ad conueniendum, scilicet Angeli, qui etsi modò sunt superiores nobis, in futuro erunt æquales. Et inferiora nostra sunt, quæ ad usum nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non priuatione à domino, sed quia sunt ad usum eorum. 1. Cor. 3.

NEMESIVS de Natura hominis.

Quare rectè Moses Mundi ædificationem exponens, ultimo dixit hominem esse factum, non solùm, quòd cùm omnia propter ipsum essent condita, oportebat primùm, quæ ad usum illius pertinebant parata esse; deinde eum, qui eis usurus esset, produci: sed etiam quoniã cum, & quæ ratione, & quæ cernendi sensu natura percipitur, facta esset; oportebat esse quoddã uinculum utriusque, ut unũ esset hoc uniuersum sibiq; consentiens, nec à seipso alienum. Proinde homo genitus est, animal, quod utranq; naturam coniungeret. Ac sapientia quidem eius, qui nunc Orbem molitus est Dei, ut breuissimè exponi potuit, hæc est. Et Post. *Quæ enim facta sunt, alia propter se, alia aliorum caussa facta sunt: propter se, omnia quę ratione utuntur; aliorum caussa, tum quæ ratione, tum quæ anima carent. Quod si hæc aliorum caussa sunt genita, agè quorum caussa sint genita uideamus. An igitur Angelorum? At hoc quidem nemo qui sapiat, dixerit: quæ enim propter alia sunt effecta, propter eorum cohæ-*

cohærentiam, & permanentiam, & oblectationem comparata sunt, aut cibi, aut tegumenti, aut curationis, aut uoluptatis, & requietis. At uerò Angelus nihil horum desiderat, neque enim genus suum propagat, neque corporeo alimento, neque tegumento, neque reliquis opus habet. Sin autem horum Angeli non indigent, equidem multo minus alia ulla natura, quæ Angelis sit præstantior. Vt enim quidque excellit maximè, ita ab inopia & indigentia est remotissimũ. Itaq; quærenda natura est, quæ & rationis sit particeps, & his quę iam enumerauimus, opus habeat. Quę igitur alia, si hominem prætermittamus, talis queat existere? Quare efficitur hominis causa, & quę inanima sunt, & quæ ratione carent esse procreata. Quod quoniam ita est, ei imperium in illa omnia mandatum est.

Mundus hominis regia domus.

IVNILIVS de partibus diuinæ legis libro secundo.

D. Si omnia, quæ in præsenti sæculo gesta sunt, ad futurum respiciebant: quid opus erat, ut à Deo præsens sæculum fieret? M. Quia decuit ut rationales creaturæ prius discerent, ut excitarentur in dubijs, ac tunc æternis postea fruerentur: & meritò data uiderentur probatis, & gratiora fierent reminiscentibus transacta certamina, & plus glorificarent donatorem, qui pios in hoc sæculo iuuat, & ut uincerent, & uictoribus æterna præmia concederet.

CYRILLVS Hierosolymitanus, Cathechesi duodecima.

Mundus hominis imperium. Gen. 1.

Sex diebus Deus creauit Mundum, sed Mundus propter hominem, Sol quidem splendidus, radijsque relucens: Sol & hic propterea ut homo uideat, factus est: & omnia animantia ut nobis seruiant, constituta sunt, herbæ & arbores in usum nostrum creatæ. Omnia quidem bona opificia, sed nullũ imago Dei, solus tantùm homo.

Diuinum splendorem, in Mosis facie cornuta emicantem, per petræ formina quo modo perspeximus: & quis fuerit emanationũ fons, quæ sacratissimæ internæ productiones, quis externæ emanationis, Mundi scilicet effectionis artifex, ac demum, quæ causssæ, iuxta sanctæ fidei dogmata, non exactè, sed concisè, ac breuissimo epitomate, vt locus expostulabat, explicauimus.

Mundus hominis liber.

Nunc ad ipsam faciem, ad ipsam scilicet Mosis historiam; ex qua series, modusque, quo Deus condidit Mundũ, excipitur, accedendũ est. Verùm quemadmodũ qui oculorum aciem in lucidum inijciunt Solem, sæpe ex nimio illius suisq; viribus impari fulgore, obrui ita contingit, vt certam rerum speciem, formamq; non inspiciant, haud aliter qui faciem hanc Mosis, seu Orbis effectionis historiam explendescentem admodũ contemplari ausi sunt (licet eximij nominis viri) immenso rerum supernarum fulgore adeo hallucinati sunt, vt in infinitas ferè deciderint diuersas aduersasq; interpretationes, ac sententias. Sed profectò & Philosophi, qui Mosis hæc de Mundi opificio hauserunt monumenta, & Patres, qui latentes sensus contemplantur, ac Theologorum Scholasticorum classes, qui ex philosophicis placitis rerum conditarum naturas indagare contenderunt, vsqueadeo diuersas, aduersasque de Mosis dictis intelligentias, interpretationesque, ac contemplationes, quin emergentium quæstionum definitiones detulere; vt dum rerum primùm conditarum confusum chaos, immo abyssum obdensis tenebris obuolutam, illustrare conati sunt; Alterũ infinitarum assertionum magis inconditum chaos, abyssum adhuc obscuriorem extruxerint, nobisque pararint. Egò ne secundæ huius abyssi obruar tenebris, hoc ordine incedam, vt de quacunque interpretatione, seu emergente difficultate Catenas, hoc est sententias Patrum, Doctorumque potiores de re proposita secundum classes deducam. Deinde de allatis Patrum sententijs, ea maiori, qua potero reuerentia, iudicium feram.

Quàm ardua Hexæmeron interpretatio censenda sit, Theophilus Antiochenus ad Autolycum libro secundo his obtestatus est.

Cæterum Hexæmeri nullus homo potest, vel ordinem, vel dispositionem prodignitate eloqui, nec si quis haberet decies mille ora, totidemque linguas, neque si totidem annis in hoc Mundo peregrinans viueret, vel sic quippiam tanta materia dignum profari posset. Tanta est excellentia, magnitudoque, & tantæ sunt diuitiæ diuinæ Sapientiæ, quę latet in præscripto Hexæmero.

Prolog. in Ezech.

Iudęis ante annum trigesimum ipsum Hexæmeron legere non permissum fuisse perspicuum est; & Hieronymus id clarè testatur.

HISTORIA

HISTORIA MOSIS.

Quæ hoc primo Gloſſarum Volumine explanatur iuxtà Chaldaicam, Græcam Latinitati donatas, & Vulgatam noſtram editionem.

Chaldaica Paraphraſis.



N principio creauit Deus Cœlum & Terram: Terra autem erat deſerta & vacua; & tenebræ ſuper faciẽ abyſsi; & ſpiritus Dei inſufflabat ſuper faciem aquarum. Et dixit Deus; Sit Lux: & fuit Lux. Et vidit Deus Lucem quòd eſſet bona. Et diuiſit Deus inter lucem & inter tenebras. Appellauitq́ Deus lucem diem; & tenebras vocauit noctem. Et fuit veſpere, & fuit mane dies vnus. Et dixit Deus; Sit firmamentum in medio aquarum: & diuidat inter aquas, & aquas. Et fecit Deus firmamentum: & diuiſit inter aquas, quæ erant ſubter firmamentum: & inter aquas quæ erant ſuper firmamentum: & fuit ita. Et vocauit Deus firmamentum Cœlum. Et fuit veſpere, & fuit mane, dies ſecundus. Et dixit Deus; Congregentur aquæ quæ ſub Cœlo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et fuit ita. Et vocauit Deus aridam, Terram: et locum congregationis aquarum, appellauit Maria: Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et dixit Deus; Germinet terra germinationem herbæ; cuius filius ſementis ſeminatur: arboremq́ fructiferam facientem fructus ſecundum genus ſuum; cuius filius ſementis in ipſo ſit ſuper terram. Et fuit ita. Et produxit terra germen herbæ, cuius filius ſementis ſeminatur ſecundum genus ſuum; & arborem facientem fructus; cuius filius ſementis in ipſo ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et fuit veſpere, & fuit mane dies tertius. Et dixit Deus; Sint Luminaria in firmamento Cœli, vt diuidant inter diem & noctem: & ſint in ſigna, & in tempora: & vt numerentur per ea dies & anni. Et ſint in Luminaria in firmamento Cœli ad illuminandum ſuper terram: & fuit ita. Et fecit Deus duo Luminaria magna: Luminare maius, vt dominaretur in die: & Luminare minus, vt dominaretur in nocte, et ſtellas. Et poſuit eas Deus in firmamento Cœli ad illuminandum ſuper terram: Et vt dominarentur in die

& in nocte : & vt diuiderent inter lucem & tenebras: et vidit Deus quòd esset bonum. Et fuit vespere & fuit mane dies quartus. Et dixit Deus, Serpant aquæ reptile animæ viuentis: & auem quæ volat super terram super faciem aëris firmamenti Cælorum. Et creauit Deus colubros magnos, & omnem animam viuentem reptilium, quæ produxerant aquæ secundum species suas; & omnem volucrem, quæ volat, secundum genus suum; & vidit Deus quòd esset bonum. Et benedixit eis Deus, dicens; Crescite & multiplicamini, et replete aquas maris: et volucris multiplicetur in terra. Et fuit vespere et fuit mane dies quintus. Et dixit Deus, Producat terra animam viuentem secundum genus suum, iumentum et reptile, et bestiam terræ secundum species suas: & fuit ita. Et fecit Deus bestiam terræ secundum genus suum, et iumentum iuxta genus suum, et omne reptile terræ iuxta genus suum: & vidit Deus quòd esset bonum.

Editio Græca Septuaginta Interpretum.



N principio fecit Deus Cælum et Terram. At terra erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum: & spiritus Dei ferebatur super aquam. Et dixit Deus; Fiat Lux; et facta est Lux. & vidit Deus lucem, quòd bona: & diuisit Deus inter lucem, & inter tenebras. Et vocauit Deus lucem diem: & tenebras vocauit noctem: & factum est vespere: & factum est mane dies vnus. Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ: & sit diuidens inter aquam, et aquam. Et fecit Deus firmamentum, & diuisit Deus inter aquam, quæ erat sub firmamento: & inter aquam, quæ super firmamentum. Et vocauit Deus firmamentum Cælum: & vidit Deus, quòd bonum. Et factum est vespere; & factum est mane, dies secundus. Et dixit Deus; Congregetur aqua, quæ sub Cælo, in congregationem vnam; & appareat arida. Et factum est ita; et congregata est aqua, quæ sub Cælo, in congregationes suas; & apparuit arida. Et vocauit Deus aridam, terram: & congregationes aquarum, vocauit maria. Et vidit Deus quòd bonum. Et dixit Deus; Germinet terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, & secundum similitudinem; et lignum pomiferum faciēs fructum; cuius semen ipsius in ipso secundum genus super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, et secundum similitudinem: & lignum pomiferum faciens fructum, cuius semen

eius in ipso, secūdum genus super terram. Et vidit Deus quòd bonum. Et factū est vespere, & factum est mane, dies tertius. Et dixit Deus; Fiant Luminaria in firmamento Cœli, vt luceant super terram, ad diuidendum inter diem, et inter noctem: & sint in signa, & in tempora, et in dies, & in annos. Et sint in illuminationem in firmamento Cœli, vt luceant super terram. Et factum est ita. Et fecit Deus duo Luminaria magna: Luminare magnum in principatus diei: & Luminare minus in principatus noctis: & stellas, Et posuit eas Deus in firmamento Cœli: vt lucerent super terram; & præessent diei, et nocti; & diuiderent inter lucem et inter tenebras: & vidit Deus quòd bonum. Et factum est vespere, & factum est mane dies quartus. Et dixit Deus; Producant aquæ reptilia animarum viuentium, et volatilia volantia super terram; secundum firmamentum Cœli: & factum est ita. Et fecit Deus Cete grandia, et omnem animam animaliū reptilium, quæ produxerunt aquæ secundum genera eorum; & omne volatile pennatum secundum genus. Et vidit Deus quod bona. Et benedixit eis Deus, dicens; Crescite, & multiplicamini, & replete aquas in maribus; & Volatilia multiplicentur super terram. Et factū est uespere, et factum est mane dies quintus. Et dixit Deus; Producat terra animam viuentem secundum genus, quadrupedia, & reptilia, & bestias terræ, et iumenta, & omnia reptilia terræ secundum genus eorum. Et factum est ita. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, & iumenta, & omnia reptilia terræ secundum genus eorum. Et vidit Deus quòd bona.

Editio Vulgata.



N principio creauit Deus Cœlum & Terram. Terra autem erat inanis & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi: et spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitq; Deus; Fiat Lux. Et facta est Lux. Et vidit Deus Lucem quòd esset bona: et diuisit Lucem à tenebris: appellauitq; Lucem diem, et tenebras noctem. Factūq; est vespere et mane dies vnus. Dixit quoq; Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erāt super firmamentum. Et factum est ita. Vocauitq; Deus firmamentum Cœlum: & factum est uespere & mane dies secundus. Dixit uerò Deus; Congregentur aquæ quæ sub Cœlo sunt in locum unum: &

*appareat arida. Et factum est ita. Et uocauit Deus aridam, terrã:
congregationesq; aquarum appellauit maria. Et uidit Deus quòd es-
set bonum; & ait; Germinet terra herbam virentem, & facientem
semen; et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: cuius
semen in semetipso sit super terram: Et factum est ita. Et protulit
terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, li-
gnumq; faciens fructum, & habens vnumquodq; sementem secundũ
speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum: & factum est ve-
spere & mane dies tertius. Dixit autem Deus; Fiant Luminaria in
firmamento Cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa et tẽ-
pora, & dies, et annos, vt luceant in firmamento Cœli, & illuminent
terram: Et factum est ita. Fecitq; Deus duo Luminaria magna: Lu
minare maius, vt præesset diei: & Luminare minus, vt præesset nocti;
& stellas. Et posuit eas Deus in firmamento Cœli, vt lucerent super
terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras.
Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et factum est uespere & mane dies
quartus. Dixit etiam Deus; Producant aquæ reptile animæ uiuen-
tis, et uolatile super terram, sub firmamento Cœli. Creauitq; Deus Ce
te grandia, & omnem animam viuentem atq; motabilem, quam pro-
duxerant aquæ in species suas, et omne uolatile secundum genus suũ.
Et uidit Deus quòd esset bonum: Benedixitq; eis, dicens; Crescite, et
multiplicamini, et replete aquas maris; auesq; multiplicẽtur super ter
ram. Et factum est uespere et mane dies quintus. Dixit quoq; Deus;
Producat terra animam uiuentem in genere suo, iumẽta, et reptilia,
et bestias terræ secundum species suas. Factũq; est ita. Et fecit Deus
bestias terræ iuxta species suas, iumenta et omne reptile terræ in gene
re suo. Et uidit Deus quòd esset bonum.*



ASCANII MARTINENGI

Can. Reg. Augustiniani Congreg. Lateranensis,

GLOSSA MAGNA LITERALIS,





IFFINITIS ijs, quæ ad præludia, seu apparatũ spectabant, accedendum est tandem ad Mosis enarrationem, in qua ipse Mundi genituram (tanquam obstetrix coccinum temporis alligans) explicat: Atq; audiendum à Mose, qua serie Deus Mundum in primordijs tẽporum crearit, qualisq; nascens fuerit; ac qua methodo eundem tribus diebus discarit, seiunxerit, seu perfecerit, ac reliquis tribus venustarit, Surgendum est certè nobis, & descendendum cum Hieremia in domum figuli, immò ascendendum mentis puritate, ac fidei sinceritate, quasi alis; prospiciendumq; quid figulus ille æternus peragat. Et ecce inspiciemus eum facere opus suum super rotam; opificium inquam hoc mirificum Mundi, in quo nec iudicare perfacilè est, quidnam magis splendescat: An Terræ librata in centro, inconcussaq; moles: An Aquarum perennis exundantia: An Aëris diffusa serenitas: An Ignis prosiliens fulgor: An Astrorum candescens nitor: An Cœlorum indefessa circumlatio. Opus certè suum; quod solius Dei opificium esse poterat, ab immẽsa sola eius Potentia, ac Sapientia patratum. Super rotam Deum hoc opus mirificum astruere intuebimur: Rotam illam, inquam, Verbi ęterni, quo dixit; fiat lux, fiat firmamentum: sic enim omnia verbo effici audiemus. Sed proh dolor; dissipari & hoc vas, quod ipse faciebat, funesto spectaculo prospiciemus, cùm post numerum electorum completum, dissoluendum esse hunc Mundum edi scemus; rursumque Deum facere vas alterum intuebimur; cùm restaurato Vniuerso erit Cœlum nouum, & Terra noua. Sed hæc aliena sunt à præsenti nostra speculatione. Accedamus igitur ad Mosis faciem, ad hanc de Mundi emolitione historiam, splendidam certè & rutilantem, sed velo detectam fidei acie eam aptè contemplabimur. Chaos effectionem ocyssimè effectam his tantùm explicat Moses; In Principio creauit Deus Cœlum, & Terram. Compendiosa certè est narratio, sed

Hierem. 18.

Deus vt figulus in Mundi creatione.

ſed ſenſus fœcunditate vberrima, atque ampliſſima, In Principio, en tempus: Creauit, en productionis modus: Deus, en Opifex: Cœlũ & Terrã, en Chaos. Verùm, cùm (vt dicebamus) interpretationes, & ſententiæ, quæ hanc Moſis Chaos genituram, ſpeciem, diſcretionem, ac venuſtationem exponunt, multiplices, ac repugnantes ſint, atque aliud magis permixtum, ac confuſum Chaos efficiant, non diſcedam à præſcripto mihi inſtituto, vt ſemper primo loco ſententias per Catenam deducam. Cæterum ordinis ratio expoſtulat, vt etiam ante omnia primùm aliquid de tituli ſignificatione dicamus.



LIBER

Liber Genesis, Hebraicè dictus Beresith: idest, In Principio.

Grecè γένεσις, idest, Generatio.



GENESIS titulus alius Hebræis, alius nobis est. Hebræi habent Berescith. Cùm enim soleant Hebręi triplici inscriptionum genere vti; vel à materia, de qua agunt; qua serie libros Regum Malachin appellant, quòd de Hebræorum Regibus verba faciant; vel ab eorum auctoribus, qua ratione Prophetarum volumina, ex eorũ nomine, qui ea conscripserunt, inscripta nouimus; vt Daniel, Isaias &c. vel tertio loco à primis librorum vocibus, & hac de caussa liber Genesis, Beresith appellatus est. Hæc tradit Hieronymus. Verùm nobis, vt Græcis, titulus est, Genesis, hoc est, liber Generationis, siue de Generationibus. Optimè autem liber Generationis inscribitur, quòd in eo, secundum literalem sensum, omnium rerum generationes primæ enarrentur; iuxta illud; Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ, quando creata sunt, & p̃cipuè prima Adę, & Euę origo, totiusq; humanæ sobolis propagatio recẽseatur. Allegorico autem sensu, ac mystica, spiritualique intelligentia secundi Adam Christi triplex generatio, quasi ex vtero triplici obumbratur. Prima generatio æterna ex vtero æterno & diuino; de quo legitur; Ex vtero ante Luciferum genui te. Alia rursus generatio mystica ex vtero scripturæ, ac legis: Scripturæ nanque omnes, legaliaque cuncta veluti vmbræ, & figurę in vtero Christum claudebant, suo tempore gignendum & reuelandum. Tertia generatio temporalis, cùm sumpto initio ab Adam primo totius humanæ sobolis propagatore, Christi genealogia contexitur. Cùm adsint igitur in Genesis libro enarratæ generationes, iusto titulo Liber Genesis inscribitur. Cęterum mysterium non vulgare mihi superest contemplandum. Seraphim duo clamant alter ad alterum, eademque voce conduplicata repetunt ter Sanctus. Seraphim certè mihi videntur Testamenta duo, Vetus, & Nouum, quę ab eodem verbo initium sumunt. Nam primus Veteris Testamenti liber habet in fronte titulum, Liber Genesis: Euangeliũ D. Matthęi, quod est primus Testamenti Noui liber, verba eadẽ habet, Liber Generationis. Sunt igitur hi duo Seraphim, quasi canentium chori duo, alternatis vocibus sibi inuicem suauissimo concentu correspõdentes, & veluti Echo quãdam formãtes; Ita vt quicquid Nouum Testamentum (quod dignitate prius est) clara, viuidaq; exclamat voce, Antiquum Testamentum, quasi ex abstrusissimis cauernis antiquitatis, non articulato, sed confuso sono repetat. Verùm vtriusque Testamenti vnum canticum est, qui est Christus; Christi enim genealogiam prima sui intentione narrare ambo contendunt. Nouum ipsum Testamentum, Christum dearticulata, claraque voce denunciat; etenim ipsum non sub vmbris, ac figuris obuolutum, sed apertè detectum ostendit. Vetus verò Testamentum conformi, sed confuso sono illud repetit, conaturque exprimere. Siquidem id quod primùm erat à Mose, ex Spiritus Sancti dictamine, in antiquitatis vetustissimis paginis, sed sine sono, quasi in rupibus formatũ; dearticulata Euangelij vox intonuit; & tunc, quasi Echo stupenda, Vetus Testamentum idem respondere auditum est. Disposita nanque Echo in antiquissimis scripturis, quasi in lapideis tabulis, tunc sonum excepit, cùm vox ex nouo Testamento formata est; primò enim natura est vox, postea reflexus ab Echo sonus. Remanet amplius difficultas hoc loco non contemnenda. Repetentes enim ex Euangelistis, Matthæus, & Lucas, hanc in Genesim contextam Christi genealogiam: alter, Lucas scilicet, à Christo, ordine quasi retrogrado, ad Adam ascendit: alter, Matthæus recto incessu ab Abraham tantùm ad Christum descendit. Quorsum enim differentia hæc, vt alter recta, alter retrograda serie incedat? Alter ab Abraham ad Christum descendat tantùm: alter à Christo vsque ad Adam ascendat? Et quare Matthæus verbo, Genuit; Lucas verò verbo, Fuit, semper vtatur? Neque enim hæc mysterio vacant. Dicam ego quid sentiam. Matthæus

Angeli

Hebræi tripli ci librorum inscriptione vtuntur.

Gen. 2.

Christi tri plex genera- tio.
Psal. 109.

Esaiæ 6.
Seraphĩ duo clamãtia, duo Testamenta.

Testamenti Veteris & No ui vnum canticum Chri- stus.

Quare Lucas & Matthæus in contexẽda Christi genea logia diuerso ordine proce- dant.

Angeli typum gerit, quia potissimum de Christo Messia, qui Angelus Testamenti vocatur, Euangelium habet: sed cùm promissio Messiæ primò facta sit Abrahę sub illis verbis; In semine tuo benedicentur omnes gentes: de quo Propheta alius; Et statim veniet ad Templum Sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis: rationabiliter ab Abraham tantùm incipere debebat. At Lucas, qui Bouis insignia defert, qui plura de Christi passione narrat, ex eò quòd de impolluto sacrificio Christi, ob Adæ lapsum reparandum luculentius describat, congruè quidem à Christo ad Adam ascendit, à quo culpæ ab ipso Christo ablutę origo effluxerat, quasi vt tanti sacrificij rationem redderet; & ad Adę humani generis propagatoris lapsum mentem deduceret. Et Matthæus quidem sub voce Generationis genealogiam tradit, cùm toties verbum illud, genuit, inculcet: Abraham Genuit Isaac, Isaac genuit Iacob; vt de semine Abrahæ iuxta promissa natum esse Messiam notificaret. Lucas verò, sub verbo, Fuit, tot vicibus conduplicato: qui fuit Seth, qui fuit Adam, suam tradidit genealogiam; vt sciremus Verbum æternum carnem esse factum ex semine ipsius Adæ, qui peccauerat. Nam diuina poscebat iustitia, efflagitabatque, vt reparator humani generis eiusdem cum homine esset naturæ; quò pęnas illi inflictas persoluere iustè posset. Additque idem Lucas in fine genealogiæ, qui fuit Dei; vt doceret Christi carnem fuisse factam similem carni Adæ, sicuti eam Deus plasmauerat; non autem quatenus peccati labe ab ipso Adam vitiata fuerat. Nam obumbrante Spiritu Sancto, absque viro peperit Deipara Deum & hominem, originalis culpę expertem omninò. Adam etenim à Deo carnem excepit purissimam, & vt à Deo fuit, impollutus erat; Quod verò impuritatis, ac criminis superuenit, originalis illius labis caussa additum est. Sed hæc vberiori etiam enarratione suo loco demonstrabuntur.

Gen.22.

Malac.3



In Principio

In Principio, Hebraicè Beresith.

a. *Beresith, vox est composita ex Be, hoc est, In, & Resith, hoc est, Principio.*
b. *In, quandoq; pro Cum.*
c. *In, quandoq; pro Per.*
d. *Beresith, In Principio temporis.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. Beresith, vox composita ex Be, & Resith.

POstulat institutum nostrum, vt primò de editione aliquid dicamus, in qua is mihi erit obseruandus ordo, vt primùm translationes, siue editiones diuersas proferam; deinde quæ dignè obseruata sunt circa easdem, seu à Rabbinis, seu à Doctoribus nostris, qui linguarum eruditione pollent, adijciam.

Hebraica lectio habet.

Beresit bara Elohim eth hasamaim veeth haarez.

Voculam Beresith, seu, vt alij legunt, Resseith, in primâ fronte Geneseos, & pro libri titulo ab Hebræis positam, diuersimodè interpretes transtulerunt. Alij siquidem legere, In Principio: Alij, In Capitulo: Alij, In Filio: Alij, In Sapientia.

Beresith verò vox composita est ex Be, & Resith.

Editiones omnes, cunctique ferè Patres, & Doctores legunt, In, antè vocem, Principio, vno excepto Castilioneo hęretico, qui reiecta præpositione, In, legit, Principio: teste Vielmio, lectione secunda.

Præpositio verò In, diuersas suscipit significationes.

b. In, quandoq; pro Cum.

In, quandoq; pro Cum: Quare verti potest, In Principio, vt Principium dicit initiũ temporis; & Cum Principio, vt Principium dicit Dei Filium Auctorem, & Caussam.

STEVCHVS in Recognitione Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem;

Præpositio In, apud Hebræos inuenitur etiam sæpenumero significare Cum, maximè quando instrumentum, & τὸ μηχανὸν denotamus; vt est illud; In hasta mea percussi eũ: & Præualuit Dauid contra Philistæum in funda & lapide; idest, cum funda & lapide. Et Post. *Sæpe quoque caussam, atque auctorem sonat; vt; In manu Domini facta sunt omnia: ipsa nimirum fecit. Et, Omnia in Sapientia fecisti: ipsa videlicet omnia inueniente, & in lucem promente. Et Salomon; Dominus in Sapientia fundauit Terram, parauit Cœlos in Prudentia: Qui loquendi modus abhorret ab vsu nostro. Et illud; In verbo Domini Cœli facti sunt; quam præpositionẽ prudenter omiserunt Septuaginta. Potuit igitur verti In Principio, & Cum principio. Vtranque interpretationem Græci maximè, & Latini amplecti videntur, cùm exponunt, In principio, In initio, inchoationeque temporis: & In Filio, vt dicamus, In Principio, idest Cum Filio Dei: vt, In, significet auctorem, & caussam; quod à nostris Theologis tum Græcis, tum Latinis, minimè abhorret, vt Origene, Basilio, alijsque.*

1.Reg. 17. Psal. 103. Prou. 3. Psal. 32.

c. In, quandoq; pro Per.

In, quandoq; pro Per, vertendum est: quando Principium significat Filium; Hinc hebraica phrasi præpositionem In, pro eo quod est, Per, frequentissimè vsurpari dicitur. Et pręcipuè verti potest hoc loco, quando Principij nomine Filium intelligimus: ita vt dicatur, In Principio, hoc est, Per Principium: idest Per Filium.

d. Beresith, In Principio temporis.

Chaldaica lectio transtulit;

In Principio creauit Deus Cœlum & Terram. Et pro Beresit, habet Cadmin, quę vox Chaldæis, temporis exordium sonat.

STEVCHVS Adnotationibus in Genesim;

Hebraicè Ressith, nomen à capite deductum, Ros propterea omne initium, inchoationemque significat, siue temporis, siue loci, siue operis, aliarumque rerum principia: quorum copiosa vbique occurrent exempla. Hic

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio, Beresith.

a. *Beresith, Principium quodcunq;.*
b. *Beresith, In Capitulo.*

temporis inchoationem significare videtur, patetque id ex editione Chaldaica, quæ loco Resçith, habet Cadmin, quæ vox Chaldæis temporis exordium sonat. Ideoque Hebræi, maiores, veteresque suos appellant Cadmonim: quanquam eadem vox inueniatur pro Mundi anteriore parte posita, idest, Solis ortu: Ideo non ad exordium temporis tantùm est referenda.

a. *Beresith, Principium quodcunq;.*

Septuaginta Interpretes;
ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. *Hoc est; In Principio fecit Deus Cælum, & Terram.*
Symmachus & Theodotio, Beresith, In Principio verterunt, vt Hieronymus libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim obtestatur.
Editio nostra, siue Hieronymi, pariter sic legit.
Pagninus similiter, & omnes ferè Interpretes.

b. *Beresith, In Capitulo.*

Aquila ex aduerso, teste Hieronymo loco præcitato, Beresith; idest, In Capitulo, legit.

BASILIVS hanc translationem approbat Homil. prima Hexemeron.
Alij quidam Interpretes connixi sensum reddere lucidiorem dixerunt; ἐν κεφαλαίῳ. *In summa, siue summatim fecit Deus.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, cap. quarto.
Sunt ergo & qui Principium non pro tempore accipiant, sed ante tempus, ἐν κεφαλαίῳ, *vel Caput, vt dicamus latinè, quasi summam operis.*

NYSSENVS de Historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est.
Moses dicit, ἐν κεφαλαίῳ, *idest, In summa, vel summatim, vel aceruatim (hoc enim Aquila, loco* ἐν ἀρχῇ, *idest principij edidit) facta esse à Deo Cælum & Terram.*

HIERONYMVS ab Oleastro Lusitanus has duas translationes approbat: sed primam accommodatiorem arbitratur, cùm ait.
Quare aduertendum dictionem Hebraicam (Ros) à qua Resith deriuatur, non solùm principium, sed caput, & principem, ac primum inter aliqua significare. Hieremiæ enim quartodecimo pro Capite ponitur; vbi dicitur; Operuerunt Rosam, idest, Caput suum Agricolæ. Iudicum verò vndecimo, pro Principe, seu Duce: Eris (inquit textus) nobis, (le Ros) idest in Ducem, vel Principem. Hic verò pro principio accipitur Beresith. Et post. Potest ergo hæc dictio Beresith accipi aut pro Principio, seu initio Mundi; aut, vt signat, Primum. Potest ergo significare initium temporis, seu olim: & secundo initium operis Domini: vt priori modo sit sensus; In principio, idest olim, quando Deus Mundum produxit, creauit Cælum & Terram. Secundo verò modo sensus erit; In Principio, idest in capite productionis Mundi produxit Deus Cælum & Terram; ac si diceret; Prima quæ Deus in suo opificio produxit, fuerunt Cælum & Terra. Mihi autem primus sensus magis probatur, quia simplicior esse videtur: vt sit sensus; Ne decipiamini arbitrantes hunc, quem oculis cernitis Orbem, ab æterno fuisse. Non sic res se habet; sed Deus in principio, seu olim illum creauit, & creauit Cælum & Terram. Non tamen secundum sensum reijcio, scilicet: Prima, quæ Deus creauit, fuerunt Cælum, & Terra: quia hic sensus non solum explicat creationem, sed etiam producendi ordinem insinuat; & textus sequenti capite loquitur de diuino opificio, ac si vnicum opus esset, quod his sex diebus absoluit.

Sed hæc interpretatio diligentius suo loco examinabitur.

Beresith

In Principio, Beresith.

a. Beresith, In Filio ex literarum Hebraicarum mutata combinatione.
b. Vel In Sapientia iuxtà secundam editionem Chaldaicam.

Anno Mundi primo.
In exordio temporum.
Ante dies.

a. Beresith, In Filio.

HILARIVS enarratione in secundum Psalmum, Hieronymus quæst. hebrai-
cis in Gen. hanc memorant editionem, vt infra referemus.
HAMERVS Comm.in Genesim ita legi posse tradit,non quidem ex vocis cō-
muni significatione, sed ex eius mysterio. Lectionem enim hanc In Principio, &c.
vsque, & vidit Deus, ex centum & tribus elementis coagmentari dicit, quæ si alio mo-
do ordinentur, & conflentur, vocibus resolutis, secretissima mysteria edocere nos per-
hibet ex Rabbinorum doctrina. Et quantum ad propositum nostrum spectat, ait;

Huius traditionis gustus quidem in prima lectione Beresith, videri potest. Si geminatæ primæ secundam ad-
damus, fit Bechar, In Filio, & Per Filium; vtrunque enim significat Be, præpositio. Si tertiam primæ coniunga-
mus, fit Aph, vel Ab, Pater. Si tres primas, quo iacent ordine statuamus, fit Barà, creauit. Hoc ergo modo or-
dinatis literis, & mutatis, legi potest; In Filio Pater creauit.

IOANNES Picus in Heptaplo consimilia deducit.
HILARIVS Enarratione in secundum Psalmum has tres recenset translatio-
nes, & eam tantùm approbat, quæ legit, In Principio.

Ambiguitatis autem linguę Hebraicæ vnū afferemus exemplum; ex quo cætera istiusmodi esse, atq; ita vt
sunt intelligantur. Beresit, verbum Hebraicum est: id tres significantias in se habet, idest, In Principio,
& In Capite, & In Filio. Sed Translatores Septuaginta In Principio ediderunt, cęteris diuersè transferentibus:
& secundum hanc ambiguitatem, hæc, ab illis in omni translatione est facta confusio. Sed perfecta horum Se-
ptuaginta Interpretum auctoritas manet. Primùm quòd ante aduentum corporalem Domini transtulerunt;
nec adulatio interpretandi adhibita tempori, arguitur, tanto anteriores interpretationis ætate: dehinc quòd illi
ipsi Principes, Doctoresq; Synagogæ, & præter scientiam legis, per Mosem quoq; doctrina secretiori perfecti
non potuerunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi, & grauissimi erant auctores docendi.

Hæc Hilarius. Ex quibus apparet, quàm inscienter Hamerus sua Commentatione in
Genesim, ipsum quadam Hebraicarum literarum inani supputatione defensare aduer-
sus Hieronymum contendat; tanquam, quòd in Filio legendum esse autumet.
HIERONYMVS libro Hebraicarum Quęst. in Gen. has tres memorat
editiones, eamq; tertiam, quę legit in Filio, prorsus reijcit.

Plerique existimant, sicut in altercatione quoque Iasonis, & Papisci scriptum est: & Tertullianus in libro
contra Praxeam disputat: necnon Hilarius in expositione cuiusdam Psalmi affirmat in Hebræo haberi; In
Filio fecit Deus Cælum & Terram; quod falsum esse ipsius rei veritas comprobat. Nam & Septuaginta Inter-
pretes, & Symmachus, & Theodotion, In Principio transtulerunt: & in Hebręo scriptum est Beresith, quod
Aquila interpretatur, In capitulo; & non Heben; quod interpretatur, In Filio.

Beda Quæstionibus in Genesim.

Septuaginta etenim Interpretes, Symmachus, & Theodotion, In Principio transtulerunt: & in Hebræo scri-
ptum est Bresith; quod Aquila interpretatur, In capitulo. Et ideò secundum sensum magis, quàm secundum
verbi translationem de Christo accipi potest: qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput librorum omnium est,
quàm in principio Ioannis Euangelistæ Cæli, & Terræ conditor approbatur. Vnde & in Psalterio de se ipse ait; Psal. 39.
In capitulo libri scriptum est de me; idest in principio Geneseos. Et in Euangelio; Omnia per ipsum facta sunt: Ioan. 1.
& sine ipso factum est nihil.

b. Beresith, In Sapientia.

STEVCHVS Comm. in Gen. cap. primum.

Secunda quoq; Chaldaica editio In Principio vertit, idest In sapientia: quod quàm sit nostris Theologis con-
sonum, planè intelligis, prçsertim Origeni viro, qui nihil nesciret, quiq; vetustatis esset studiosissimus, cuius sen-
tentiam citans Theodoretus inquit; Origenes, illud in principio creauit, vult pro eo esse positum, quod est in Sa-

 pientia

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. *Hoc est, In Filio: Quia Filius principium passim in Scripturis dicitur; & est Sophia seu Sapientia, & Verbum, per quod facta sunt omnia.*

pientia; hoc est, in Filio. Quanquam sint, qui putent id in editione Chaldaica esse Cabalisticum; Quibus an fides adhibenda sit, nos in libro contra Cabalistas explicuimus.

AVCTOR.

PRimùm arbitrarer ego, quòd hę duæ postremæ translationes, quæ traducunt Beresith, In Filio, seu In Sapientia, omninò reijciendę sint; non tantùm iudicio Patrum, Hieronymi, & Hilarij, sed ferè omnium linguæ Hebręæ peritia pollentium. Siquidem Beresith vox significare potest vel In principio, vel In capitulo; nunquam verò In Filio. Nam, vt dixit Hieronymus, scribitur hoc loco Beresith, & non Heben; & illa lata ab Hamero, & Pico hebræarum literarum transpositio, quæ à Mose quodam Rabbino Aegyptio, vt aiunt, primùm fuit excogitata, futilis est & vana. Consimili siquidem modo, etiam in omni idiomate ex dissolutione vocum, & literarum varia compaginatione, posset vnusquisq; suo marte, quod sibi magis libuerit nomen, contexere, & formare. Præterea & Patres omnes hi qui interpretati sunt In Principio, hoc est, In Filio, non exponendum esse id asserunt; quia Beresith traduci debeat In Filio: sed ex significatione vocis, In Principio, quia Filius videlicet, Principium vocari passim in Scripturis comperiatur. Insuper, & illa expositio, quæ interpretatur In Principio, hoc est, In Filio, allegorica, & non literalis (vt post demonstrabimus) censetur: quapropter ex ipsa hebræa voce colligi non potest, quia tunc literalis esset dijudicanda. Vnde Rupertus libro primo in Gen. cap. tertio.

Non quidem natiua Scripturæ huius lingua, scilicet Hebraica, Filium, & Principium eadem voce significat: Filius quippe Ben, Principium verò Bresith dicitur in illa lingua. Sed & hoc dicimus, quòd etsi non voce, sensu tamen, Filius Principium est.

Editionem illam, quam primus tulit Aquila, qua Beresith, In capitulo legitur, repudiandam non esse existimo. Primùm quia Hieronymus illam approbat, & Gregorius Nyssenus, & Patres præstantissimi sunt eam sequuti. Deinde nec aliena est à significatione vocis Beresith, vt Lusitanus edisserebat. Cæterum præstantiorem, atq; acceptiorē translationem esse eam, quę Beresith edidit In Principio, multa euincunt. Primùm, quia Chaldaica, & Septuaginta Interpretum Græca editio, quam tantùm æstimarunt Ecclesia primitiua, & Patres, cumulateq; celebrat Hilarius, Beresith, In Principio legāt: Quòdq; amplius Vulgata nostra, Ecclesię Romanæ (ad quam Scripturarum delectus spectat) vsu roborata, pariter sic ediderit: Deinde quòd Patres ferè omnes prisci, non tantùm Hebræi, vt Philo, & Ioseph; sed etiam Græci, & Latini vtriusq; manus, hoc est & vetustiores, & recentiores, eam approbarint, atq; Commentarijs cohonestarint: Tandem quòd inter vocis Beresith significationes, hęc sit communior, acceptior, & euidentior, vt supra demonstratum est.

a. In Principio, hoc est, In Filio.

Vnico, ęternoq; Filio, seu Verbo, Deum Patrem Mundum condidisse, vetustissimi Sapientes sæculi prisci, seu id à Mose hauserint, seu Dei impulsu dixerint, scriptum certè reliquerunt.

MERCVRIVM Trismegistum id sensisse, his Steuchus obtestatur.

Interpretari autem In Filio, non tam Christianorum, sed etiam antiquissimorum Theologorum est opinio. Mercurius enim, In Filio Dei omnia esse condita clarissimè pronunciauit, apud quem sic extat; Mens autem Deus cum

cùm maris, atque fœminæ vim haberet, vitaq; esset & lumen, peperit Verbo alteram mentem opificem. Et infra. *Benedictus es, qui Verbo vniuersa condidisti. Quòd autem per Verbum intelligat Filium Dei Mercurius, clarum est ex alijs locis.*

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem capite vigesimo, hanc expositionem excitauit, cùm dixit.

Sed cùm nihil aliud significet Greca vox, quàm Principium: & Principium nihil aliud capiat, quàm Initiū; Sap. 8.
habemus etiam illam Initium agnoscere, quæ dicit; Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua. Si enim per Sophiam Dei omnia facta sunt; & Cælum ergo, & Terram Deus faciens In principio, idest, In Initio, in Sophia sua fecit. Et Post. *De Sophia autem potuit dici, In Principio: In Sophia enim primò fecit, in qua cogitando, & disponendo iam fecerat: quoniam etsi ex materia facturus fuisset, ante in Sophia cogitando, & disponendo iam fecerat.*

ORIGENES super Genesim Homilia prima.

Quod est omnium principium, nisi Dominus noster, & Saluator omnium Christus Iesus, primogenitus omnis creaturæ? In hoc ergo Principio, hoc est, in Verbo suo, Deus Cælum, & Terram fecit, sicut & Euangelista Ioannes in initio Euangelij sui ait, dicens; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Ioan. 1.
Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Non ergo hic temporale aliquod principium dicit; sed, In Principio, idest, In Saluatore factum esse dicit Cælum, & Terram, & omnia quæ facta sunt.

AMBROSIVS Hexęmeron libro primo cap. quarto.

Est etiam initium mysticum, vt illud est; Ego sum primus, & nouissimus; initium, & finis. Et illud in E- Apoc. 1. & 22.
uangelio præcipuè, quòd interrogatus Dominus, Quis esset: respondit; Initium, quod & loquor vobis. Qui verè, Ioan. 8.
& secundum diuinitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo vltra ipsum: & secun- Dei Filius principium & finis omnium.
dum Euangelium, Initium est viarum Domini in opera eius: vt per ipsum disceret hominum genus vias Domini sequi, & operari opera Dei. In hoc ergo Principio, idest, in Christo, fecit Deus Cælum & Terram: quia per ipsum omnia facta sunt; & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat: quia in ipso constant Sap. 8.
omnia. Et ipse est primogenitus omnis creaturę, siue quia ante omnem creaturam, siue quia Sanctus, quia pri- Ioan. 1.
mogeniti Sancti sunt, vt primogenitus Israël, non quia ante omnes, sed quia sanctior cæteris: Sanctus autem Coloss. 1.
Dominus supra omnem creaturam, & secundum corporis susceptionem, quia solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autem creatura subiecta vanitati est. Rom. 8.

ODO Cameracensis Episcopus in Sacri Canonis expositione, hanc memorauit. Ioan. 1.

Conspectus Dei est Verbum Patris, in quo conspicit omne quod fecit. Nam omne quod agit Pater, in Verbo Gen. 1.
eius est: Nam quod factum est, in ipso vita erat. Et in principio creauit Deus Cælum & Terram; idest, in Ver- Psal. 32.
bo. Et Verbo Domini Cœli firmati sunt. Et, Omnia in Sapientia fecisti. Psal. 103.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro sexto.

Quoniam autem vnum est ingenitum, nempè Deus omnipotens, vnum est etiam prægenitum, per quod omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vnus enim est reuera Deus, qui fecit Principium vniuersorum, signi- Ioan. 1.
ficans primogenitum Filium, vt scribit Petrus præclarè intelligens illud, In Principio fecit Deus Cælum, & Terram. Is autem dictus est Sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister omnium, quæ orta sunt, Dei consiliarius qui præsciuit omnia.

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite secundo.

Primum ergo librum Veteris Testamenti, qui inscribitur Genesis, sic solent Manichęi reprehendere. Quod scriptum est, In Principio fecit Deus Cælum & Terram: quærunt in quo principio, & dicunt; Si in principio aliquo temporis fecit Deus Cælum & Terram; quid agebat antequam faceret Cælum & Terram? Et quid ei subito placuit facere, quod nunquam antea fecerat per tempora ęterna? His respondemus: Deum in principio Ioan. 1.
fecisse Cælum & Terram, non in principio temporis, sed in Christo: cùm Verbum esset apud Patrem, per quod facta, & in quo facta sunt omnia. Dominus enim noster Iesus Christus, cùm eum Iudæi interrogaßent quis esset, Ioan. 8.
respondit; Principium, quod & loquor vobis.

Et de Ciuitate Dei libro vndecimo, cap. trigesimo secundo.

In Principio fecit Deus Cælū & Terram: atque illud quod dictum est in principio, non ita dictum, tanquam primum hoc factum sit, cùm ante fecerit Angelos; sed quia omnia in Sapientia fecit, quod est Verbum eius; & Ioan. 8.
ipsum Scriptura Principium nominauit: sicut ipse in Euangelio, Iudęis quærentibus quis esset, respondit se esse Principium: non econtrariò referam contentionem, maximè quia hoc me delectat plurimum, quòd etiam in summo exordio sancti libri Geneseos Trinitas commendatur.

Et duodecimo Confessionum, capite decimo nono.

Verum est enim Domine, fecisse te Cælum & Terram: & verum est principium esse Sapientiam tuam, in qua fecisti omnia.

Et libro primo contra aduersarium Legis & Prophetarum, capite secundo.

Aut certè, quia in principio sibi coęterno fecit Deus Cælum & Terram: hoc est in vnigenito Filio. Ipse

est

1. Cor. 1. *est enim Sapientia, de qua dicit Apostolus; Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Et de Deo, qui fecit*
Psal. 103. *Cœlum & Terram, dicitur in Psalmo; Omnia in sapientia fecisti. Aut si de Psalmo iste non vult accipere te-*
Coloss. 1. *stimonium, Apostolum audiat de Christo loquentem: Quia in ipso condita sunt omnia in Cœlo, & in Terra, visibilia, & inuisibilia.*

Et de Genesi ad literam libro primo capite primo.

In Principio fecit Deus Cœlum & Terram: vtrum in principio temporis: an quia primò omnium facta sint: an in principio, quod est Verbum Dei vnigenitus Filius; & quomodo possit ostendi Deum sine vlla sui cõmutatione operari mutabilia & temporalia.

ANASTASIVS Synaita Commentarijs in Hexęmeron libro primo.

Ioan. 1. *Deus omnia fecit in principio paterno, nempè ratione, seu Verbo. In ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt.*

CYRILLVS libro primo in Genesim id videtur sensisse, cùm dixit.

Deus omnium Creator optimus per summam suam potentiam, idest, Filium suum (omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil) Cœlum, Terramque ante omnia creauit.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo cap. primo.

In Principio fecit Deus. Hic sensus duobus modis sine offensione accipitur: idest, aut primum omnium fecit, aut in principio, quod est Sapientia; idest, in Verbo suo fecit. Ipse est enim Filius, per quem facta sunt omnia; ipse principium, in quo facta sunt omnia.

ALBINVS Quæstionibus in Genesim, quæstione vigesimasexta. Int.

Quid est in Principio creauit Deus Cœlum & Terram? Resp. *In Filio perfecit Deus Cœlum, & Terram.*

BEDA expositione in Genesim.

Vtique non in Principio temporis: Deus enim fecit tempora. Et ideo antequam Deus faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere quomodo Deus nondum aliquid fecerat. Principium igitur Chri-
Ioan. 8. *stus est, qui in Euangelio dicit; Ego sum Principium, qui & loquor vobis.* Et post. *In Principio creauit. Alij ducunt hoc Principium ad principium creationis omnium, dum nihil ante hæc duo creatum est. Vel in Principio temporis, quia tempus, donec Cœlum, & Terra facta sunt, non reputabatur. Vel in Principio principatus, dum Cœlum & Terra in omnibus principatum tenent: sed sicut supra diximus, magis hoc de Fi-*
Rom. 11. *lio sentiendum est multis confirmantibus testimonijs; è quibus hoc est secundum Apostolum: Quoniam ex*
Psal. 101. *ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et Propheta dicit, In initio Terram tu fundasti Domine: & opera manuum tuarum sunt Cœli. Ioannes quoque, ex persona Christi dicit; Ego sum Alpha, & Omega. Et, In Prin-*
Apoc. 1.
Ioan. 1. *cipio erat Verbum. Multa quoque testimonia de hac dictione dicta sunt in Scripturis, quæ est; In Principio: & reliqua; è quibus est in Propheta; Conteram caput illius in mari primo, vsque secundo. De hac etiam alius*
Psal. 32. *Propheta dicit; Congregans sicut in vtre aquas maris: Et alibi; In capite libri scriptum est de me. De hac*
Psal. 39. *& Salomon dixit; Omnes torrentes in mare, vsque ab eis. Et hic commemorandum est, quod dicitur; Ego sum*
Apoc. 1. *primus & nouissimus. Vtrunque hoc in lege, & in Apocalypsi continetur, vt dicitur; Apocalypsis Iesu Christi, quam & Deus dedit ei.*

Et libro de sex dierum creatione.

Inquirendum est in quo Principio creauit Deus Cœlum & Terram: vtrum in principio temporis, an in principio, vt esset hoc initium creaturæ eius, ex quo alia esse cœperunt: non enim Deo semper coæterna fuerunt. Dicamusque, In Principio sibi coæterno fecit Deus Cœlum & Terram, hoc est, in vnigenito Filio, qui est Sapientia Patris: De quo dicit Apostolus, Christum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam. Et in Psalmo dicit; Om-
Psal. 103. *nia in Sapientia fecisti; Et iterum dicit Apostolus; Quia in ipso condita sunt omnia, quæ in Cœlo sunt, & in*
Coloss. 1. *Terra, visibilia, & inuisibilia. Nam & Euangelista de Christo dicit: In hoc Mundo erat, & Mundus per*
Ioan. 1. *eum factus est.*

Eadem hæc habet Quæstionibus in Genesim.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo cap. tertio.

In Principio creauit Deus Cœlum & Terram. Cùm ipsa creatio principium Mundi sit, cur sic dictum est; In Principio creauit? Idem enim est, ac si diceretur; In Principio principium fecit. Sed si hoc modo vulgariter hic accipias principium, cùm dicitur; In Principio creauit: vitium est in superfluitate dictionis. Bene ergo hoc loco principium sic accipitur tanquam proprium quoddã Filij vocabulum, quia videlicet sic ipse voluit, qui cùm
Ioan. 8. *interrogatus à Iudæis; Tu quis es? Principium, ait, qui & loquor vobis. Nam verè in hoc Principio creauit*
Psal. 103. *Cœlum & Terram Deus, quia omnia per ipsum facta sunt. Hoc & alia scriptura fatetur, cùm dicit; Omnia in Sapientia fecisti: quæ videlicet Sapientia non est alia quàm Verbum Dei: Verbum Deus, qui (vt iam dictum est) seipsum Principium nuncupauit. Non quidem natiua Scripturæ huius lingua, scilicet Hebraica, Filium, & Principium eadem voce significat. Filius quippè Ben, Principium verò Bresit dicitur in illa lingua, sed & hoc dicimus, quòd etsi non voce, sensu tamen Filius Principium est. Filius est, quia de Deo natus: Principium, quia creaturarum omnium prima, & efficiens caussa esse probatur. Itaque in Principio, idest in Filio, in Verbo suo, in Sapientia sua creauit Deus Cœlum & Terram.*

Veniamus ad Scholasticos.

PETRVS Comestor in Genesim capite primo.

In

Anno Mundi primo. In exordio temporum Ante dies.

In Principio.

a. *Cùm In Principio exponitur In Filio, tunc In, dicit identitatem, & causalitatem.*
b. *Filius Principium, non sine Principio, sed de Principio.*

In Principio erat Verbum; & Verbum erat Principium, in quo, & per quod Pater creauit Mundum.

ALEXANDER de Hales secunda parte, Quæstione quadragesima quinta, membro primo.

Licet sit commune toti Trinitati, tamen hoc potest appropriari, vt sit sensus: Deus Pater in Principio, idest in Filio, qui est Principium de Principio creauit. Sicut enim cùm dicitur; Omnia in Sapientia fecisti; Sapientia, licet communiter dicatur de tribus personis, tamen appropriatur personæ Filij; & fit directio ad Patrem: Sic & hic Principium potest appropriari. Ioannis octauo dicit Filius de se, Ego principium, qui & loquor vobis. Psal. 103.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, Quæstione duodecima, articulo vndecimo.

Dicendum, quòd secundum tertiam partem glossæ, in qua dicitur in Principio, non notat continentiam, vel rationem mensuræ, sed notat modum relationis Filij ad opus creationis: Filius enim est virtus, & ars Patris: & sic Pater creat in Filio sicut in virtute & arte, non quòd Pater per se non possit creare, sed quia quicquid habet Filius, habet à Patre.

D. THOMAS hanc expositionem cum alijs duabus connectit. Burgensis verò eas à D. Thoma connexas exponit, & amplificat; de quibus infra.

TOSTATVS in Postillis.

In Principio, idest in Filio; quia Filius est Sapientia, vel Ars Patris, per quem cuncta creauit, & fecit; Et accipitur In, pro Per, sicut dicimus, quòd faber operatur in martello, idest per martellum.

a. *Cùm In Principio exponitur In Filio, tunc In, dicit identitatem, & causalitatem.*

D. BONAVENTVRA secundo Sent. distinctione tertiadecima. Quid importent hæ præpositiones In, & Per, cùm dicitur; Deus creauit In Filio, & Per Filium, seu In Verbo, & Per Verbum, his adnotat.

Præpositiones In, & Per, quid important.

Dicendum quòd hæc præpositio In, potest importare causalitatem, & potest importare identitatem: Causalitatem, vt cùm dicitur; Omnia sunt in Deo: Identitatem, vt cùm dicitur; Pater est in Filio: Hæc autem præpositio Per, quantum est de se, importat causalitatem. Dico igitur, quòd conuenienter dicitur Deus operari in Filio, & ratione identitatis, quia Pater operans est in Filio, & ratione causalitatis, quia Filius est caussa effectus producti à Patre; Et ideo hæc præpositio In, cum suo causali accipitur in diuinis cum verbis absolutis, & cum transitiuis ratione duplicis habitudinis, scilicet causalitatis, & identitatis: Hæc autem præpositio, Per, quando importat habitudinē caussæ, & principij, non recipitur nisi in illis verbis, quæ important aliquē effectum, respectu cuius Filius habet causalitatem; & ideò recipitur, quòd Pater operatur per Filium; sed tamen non recipitur, quòd Pater sit per Filium.

b. *Filius Principium, non sine Principio, sed de Principio.*

Filius principiū est, non sine Principio, vt Pater, sed de Principio, hoc est de Patre.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite tertio.

Secundum historiam autem quæritur, quid sit in principio; idest, utrum in principio temporis, an in principio, in ipsa Sapientia Dei, quia & ipse Dei Filius Principium se dixit, quando ei dictum est; Tu quis es: & dixit; Principium quod & loquor vobis. Est enim principium sine principio: & est principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est; ideo ex vno principio esse omnia credimus. Filius autem ita principium est, vt de Patre sit. Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium ijs, quibus caput est, quæ fecit Deus. Cùm enim rectè appelletur principium caput, in illa gradatione, Apostolus mulierem tamen non dixit caput alicuius: Nam & virum dixit caput mulieris; & caput viri Christum; & caput Christi, Deum. Ita Creatori creatura subnectitur. An ideò in principio dictum est, quia primum factum est?

Filius

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. *Filius Principium rerum ad extra, non simplciter, sed ex suppositione.*
b. *Filius Principium, non vt instrumentum, sed vt caussa media.*

a. *Filius Principium rerum ad extra, non simpliciter, sed ex suppositione.*

Filius Principium est rerum ad extra, non simpliciter, seu essentialiter, quia ita toti competit Trinitati; sed ex suppositione, scilicet ex aliquo attributo.

HVGO Carensis in Postillis.

Hoc nomen principium quandoque tenetur essentialiter tantùm; & dicitur de tribus personis singulariter, & simul; & significat diuinam essentiam, & connotat effectum in creatura. Vnde Augustinus in quinto de Trinitate cap. decimoquarto. Relatiuè ad creaturam Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnum Principium, sicut vnus Creator. Quandoque personaliter, & copulat notionem; vt Pater est Principium Filij; & Filius Spiritus Sancti. Ioannis primo; In principio erat Verbum. Glossa, idest, in Patre, qui est Principium sine Principio: Filius, qui est Principium de Principio. Quandoque etiam tenetur personaliter, & copulat primam auctoritatem. Vnde Augustinus quarto libro de Trinitate; Pater est principium totius Deitatis: idest eorum in quibus tota Deitas. Quandoque significat initium essendi in tempore: Et tunc quandoque tenetur essentialiter significatione, & personaliter suppositione, & sic quandoque pro Patre, vt ibi; In Principio erat Verbum; quandoque pro Filio, vt hic; In Principio creauit; quandoque pro Spiritu Sancto. Ista distinctio multis locis necessaria est.

Significare initium essendi in tempore, est; significare initium essendi rerum ad extra, quæ in tempore sunt. Qua ratione essentia Diuina simpliciter est initium, & creatrix omnium. Pater verò, & Filius, & Spiritus Sanctus Principia dicuntur ex suppositione; Pater, quia ei adscribitur Potentia; Filius, quia Sapientia est, Idea, & Exemplar; Spiritus Sanctus, quia Bonitas, Amor, & Vita.

b. *Filius Principium, non vt instrumentum, sed vt caussa media.*

Filius Principium est non vt instrumentum, sed vt caussa media, per quam fit productio rerum externarum, quia Ars, & Exemplar.

VIELMIVS lectione secunda.

Ad hæc, quoniam præpositio Per, caussam quandam suapte natura significat, quæ media sit: ob id Philo in suo de Opificio volumine, & Clemens Alexandrinus in Oratione adhortatoria, Dei Verbum instrumentum quoque vocarunt, non tamen qualecunque, sed concinnum, aptum, & sanctum; à qua tamen nomenclatura nos Catholici consultò, ac magnis ducti rationibus abstinemus. Primùm quidem, ne cuipiam subeat in mentem, Filium, Sapientiam, & Verbum Dei aliqua esse ratione proferente, ac generante Patre minus excellens, & minus augustum; Quod enim instrumentum est, semper quidem solet vi, & officio, ab efficiente præcipua caussa deficere, ac sæpenumerò quoque natura. Secundò quoniam (sicut Theophilactus ait) inhonoratior esset Filius rebus ab eo factis, si earum non nisi gratia factus fuisset; hoc est, si organum tantummodo esset, quòd serra, securis, & organa alia sic planè sese habeant ad ea omnia, quorum gratia ab artifice parantur: finis enim præstantior rebus illis est, quæ sunt ad ipsum. Quamobrem nos alia ratione dicimus Filium esse caussam mediam, nempe origine: vt enim Pater seipso & est, & efficit: vel, vt id clariore dicamus oratione, à nemine habet vt sit, vtque efficiat; Filius nihilominus vtrunque à Patre habet: quare Principium de Principio dicitur, & proinde per eum condita fuisse dicuntur omnia. Rursum & hoc ipsum quoque de eo pronunciamus, quòd per eum tanquam per artem, & exemplar (agit enim Pater intellectu) creaturæ omnes de non esse, ad esse prodierint. Quicquid enim est id, quo opifex rem agit, siue organum fuerit, aut etiam exemplar, & forma, vel aliud quidpiã, dici medium inter agens, & passum rectè, & opportunè potest: Quare etiam Filius media caussa est; non quidem Patri, vt efficiat, sed Orbi, & creaturis, vt ab eo progrediantur; vnde & dici exemplar propter Sapientiam appropriatione consueuit. Non igitur instrumentum nuncupari rectè potuit.

Filius

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. *Filius dicitur Principium, vt exordium est Creaturæ: Verbum, vt ei indit perfectionem.*

a. *Filius dicitur Principium, vt exordium est Creaturæ; Verbum, vt ei indit perfectionem.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, cap. quarto.
Filij commemoratio non ita fit, quia Verbum, sed etiam quia Principium est, cùm dicitur; In Principio fecit Deus Cælum, & Terram. Exordium quippe creaturæ insinuatur adhuc in informitate imperfectionis: fit autem Filij commemoratio, quòd etiam Verbũ est; eò quòd scriptum est; Dixit Deus, fiat: vt per id, quòd principium est, insinuet exordium creaturæ existentis ab illo adhuc imperfectæ: per id autem, quòd Verbum est, insinuet perfectionem creaturæ reuocatæ ad eum, vt formaretur inhærendo Creatori, & pro suo genere imitando formam sempiternè, atque incommutabiliter inhærentem Patri, à quo statim hoc est quod ille. Non enim habet informem vitam Verbum Filius, cui non solùm hoc est esse, quod viuere, sed etiam hoc est ei viuere, quod est sapienter, & beatè viuere. Gen. 1.

GLOSSA hæc sic compendio retulit.
Cùm ergo dicitur; In principio creauit Deus Cælum, & Terram, commemoratio Filij fit, quia Principium est; sed cùm dicitur, Dixit Deus fiat, commemoratur, quia Verbum est: per Principium, notat exordium creaturæ existentis ab illo: per Verbum, perfectionem creaturæ ab illo ad ipsum reuocatę; vt formetur imitando formam Verbi incommutabilem. Non enim habet vitam informem Verbum Dei, cui idem est esse, quod viuere, immò idem viuere, quod beatè viuere. Creatura verò spiritualis habet informe viuere, cui non est hoc esse quod viuere; nec viuere, quod beatè viuere, quia auersa à Sapientia Dei, stultè, & miserè viuit.

BEDA Expositione in Genesim.
Propterea autem commemoratio Filij hic non ita fit, quia Verbum est; sed tantùm, quia Principium est: Exordium quippe Creaturæ insinuatur adhuc imperfectæ. Fit autem Filij commemoratio, quia Verbum est in eo, quod scriptum est; Dixit Deus, Fiat, quia perfectio Creaturæ ibi insinuatur.

D. THOMAS prima parte, Quæstione septuagesima quarta, articulo tertio.
Dicendum ad primum, quòd secundum Augustinum persona Filij commemoratur tam in prima rerum creatione, quàm in rerum distinctione & ornatu; aliter tamen & aliter. Distinctio enim, & ornatus pertinet ad rerum formationem. Sicut autem formatio artificiatorum est per formam artis, quæ est in mente artificis, quæ potest dici intelligibile verbum ipsius; ita formatio totius Creaturæ est per Verbum Dei. Et ideò in opere distinctionis & ornatus, fit mentio de Verbo: In creatione autem commemoratur Filius, vt Principium, cùm dicitur; In principio creauit Deus: quia per creationem intelligitur productio informis materiæ.

AVCTOR.

Cęterum hæc interpretatio, quanquàm à grauissimis Patribus lata, magis ad Propheticum, & reconditum, mysticumq; sensum, quàm ad historicum, & literalem pertinere videtur. Contestati sunt id primùm Patres nonnulli. Expositio illa, In Principio, idest i Filio, non est literalis.

HIERONYMVS libro Quęstionum Hebraicarum in Genesim, cùm in Hebræo non haberi vox, quę rectiùs in Filio transferri posset, clarè demonstrasset, vt supra retulimus, sic concludit.
Magis itaque secundum sensum, quàm secundum verbi translationem de Christo accipi potest: qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput omnium librorum est, quàm etiam in principio Ioannis Euangelistæ, Cæli & Terræ conditor approbatur. Vnde & in Psalterio de se ipso ait; In capite libri scriptum est de me; idest, In Principio Geneseos: Et in Euangelio; Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Psal. 39.

AMBROSIVS loco ante citato inquit.
Est etiam initium mysticum, vt est illud; Ego sum primus & nouissimus. Apoc. 1.
Mysticum siquidem initium est Verbum æternum; hoc est, dictum est Initium, seu Principium secundum mysticum sensum.

IVNILIVS in Hexæmeron hanc cùm recitasset interpretationem, allegoricam eam nuncupauit, cùm dixit.

Ioan. 8. Coloss. 1.

Potest autem probabiliter intelligi; In principio fecisse Deum Cœlum & Terram, vnigenito Filio suo. Qui interrogantibus se Iudæis, quidnam credere deberent, respondit; Principium qui & loquor vobis. Quia in ipso, vt ait Apostolus, condita sunt, quæ fecit in Cœlis, & in Terra. Sed diligenter intuendum, vt ita quisque sensibus allegoricis studium impendat, quatenus apertam historiæ Fidem allegorizando non derelinquat.

(SCHOLION) Ne mireris me sępius Hexęmeron hoc, Iunilio adscribere, quamuis alij existimarint Bedæ esse fœtum, non Iunilij: Nam ego libentius Lippomanum sequutus sum, ac communem existimationem Typographorũ; maximè cùm inter doctrinam in hoc Hexæmeron disseminatam, & eam, quam habet Beda in Expositione, & in Quæstionibus in Genesim, maxima sit discrepantia; immò & apertissimè videantur contrariari. Bedę insuper doctrina Augustiniana prorsus est; Iunilius Patres Græcos vt plurimũ sequitur. Verùm præter has Patrum auctoritates, tria alia præcipuè euincunt hunc non esse literalem, sed mysticum sensum. Primùm, quia sensus literalis is appellatur, qui secundum significationes communes, & vulgatas loquitur; & prima fronte facilè ab his intelligitur, quibus enarratio, seu historia scribitur. Cæterũ Hebræi, vt plurimum rudes, hebetisq; ingenij, quibus Moses hanc contexebat Historiam, nec Trinitatis mysterium prorsus abditum attingebant, nec Verbum Patri esse compar, & coęternum, Principiumq; appellari, per ipsumq; omnia condita extasse nouerant. Quare intempestiuè uoculam hanc, In Principio, ad significandum Filium Dei, Moses selegisset. Deinde, cùm Dei nomine passim creatricem Diuinitatem intelligamus: (quia hoc nomen, Deus, nomen est essentiæ, non personæ) obscura, & ambigua nobis esset hæc expositio, In Principio, hoc est In Filio, Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus creauit Cœlum & Terram. Quòd si Dei nomine intelligere vellemus tantùm Patrem (quia Verbum, media est caussa inter Patrem & Creaturas, & non inter Creatorẽ Deum & Creaturas) hæc intelligentia apud eruditos tantùm clara certè erit, non apud populares. Insuper Patrem Mundum condidisse per Verbum, & Verbo, & non in Verbo, non nisi impropriè dicimus: iuxtà illud; Omnia per ipsum facta sunt; Et, Verbo Domini Cœli firmati sunt. Accipere autem In, pro Per, non ita passim vulgares homines, & maximè Hebręi agnouissent. Adijciam, quòd Elohim, vt pluralis numeri, Dij, quamplures transtulerint, contendantq; Mosem dixisse Elohim numero plurali, vt intelligeremus Trinitatem fuisse rerum creatricem. Tandem cùm ea sit duorum Testamentorum Noui, & Veteris relatio & harmonia, vt vnum sit alteri quasi Echo, cùm in initio Veteris dicatur; In principio creauit Deus: & in initio Noui, hoc est, Euangelij secundum Ioannem, repetatur, In principio erat Verbum; certè eadem erit vocis eiusdem, In Principio, in vtroq; loco interpretatio. Quapropter, sicut exponimus, In Principio erat Verbum, hoc est; In initio æternitatis, ita hoc loco exponendum erit; In Principio creauit Deus Cœlum & Terram, hoc est; In exordio temporum: Aeternitas siquidem Deo adscribitur, Aeuum Angelo, & Tempus cæteris Creaturis. Quòd si hanc interpretationem, In Principio, hoc est, In Filio, literalem ob Augustini & aliorum eximiorum Patrum auctoritatem dicere maluerimus; duo maximè animaduertere operępretium erit: Alterum, præpositionẽ In, hoc loco dicere caussam, vel ex phrasi Hebraica legendum esse pro Per, adeò vt intelligamus Filium, siue Verbum caussæ vices egisse, non quidem instrumentalis, quia instrumentum intelligitur esse exterum, aduentitiumq;, & proinde debilius ipso efficiente; Verbum autem consubstantiale esse Patri, in potentiaq; compar, non ignoramus; sed caussæ medię, non quidem Patri, vt efficeret Mundum; sed creaturis, vt à Deo prodirent. Verbum siquidem, quia à Patre gignitur, Filius dicitur; quia solus, Vnigenitus; quia totam habet Deitatem, Splendor; quia in omnibus Patri simillimus, Imago; quia omnia repręsentat, Speculum; quia per Intellectum procedit, Sapientia; quia continet omnia, Idæa & Exemplar; quia compago est rerum, Forma. Vt igitur Filius Dei est Sapientia, caussa est; quia Pater intellectu agit; vt idæa & exemplar, caussa est, vt res sint secundum præscriptos terminos præfixos in Verbo: vt forma, est caussa, quòd res subsistentiam suscipiant. Alterum quod animaduertere debemus, est, quòd tunc nomen Deus in Epigraphe positum non essentialiter

Ioan. 1. Psal. 32.

Ioan. 1.

Expositio, In principio, idest in Filio, quomodo potest dici literalis.

Verbi æterni varia nomina.

tialiter

In Principio.

a. *Hoc est, In Principatu, seu Potentia.*
b. *Vel, In Initio, seu olim, quo Mundus esse cœpit.*
c. *Siue, celerrimè, ideò In Capite, hoc est summatim, vel collectim.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

tialiter, vt aiunt in scholis: prout Trinitatem dicit, sumendum sit: nam laberemur certè in antedictas difficultates, sed personaliter, vt Patris personam significat. Nam & quãuis opera ad extra communia sint Sanctissimæ Trinitati: Pater attamen ea de caussa, quòd ei Potentia adscribitur, Creator, & rerũ Sator, passim nuncupatur: vnde & Symbolum; Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli, & Terræ.

a. *Hoc est, In Principatu, seu Potentia.*

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem, recitata Hermogenis interpretatione à priscis Philosophis iam primò excitata, quæ in principio exponebat, In materia ingenita, eaque pluribus reiecta & explosa tanquã maximè absurda; ipse tãdẽ sumpta occasione voluit, In principio exponi posse, In Dei principatu, & potestate.

Possunt & aliter principium interpretari, non ab re tamen: nam & in Græco, Principij vocabulum, quod est ἀρχῆ, non tantùm ordinatiuum, sed & potestatiuum capit Principatum. Vnde & ἄρχοντας dicunt Principes & Magistratus. Ergo secundum hanc quoque significationem, Principium pro Principatu & Potestate sumetur. In Principatu enim, & in Potestate Deus fecit Cœlum, & Terram.

PROCOPIVS Gazæus Commentarijs in Genesis caput primum.

Cæterum, vt nihil in principij nomine exponendo imprudenter prętereamus, scitote Principium interdum significare (alluditur ad Græcam dictionem ἀρχῆ,) Regiam Potestatem. Is igitur præsentis loci erit sensus: Deus Rex Regum, & planissimè sui Iuris existens; nec aliunde pendens, cunctaque pro suo arbitrio administrans, excitauit hoc Vniuersum simul cum speciebus, seu formis: immo & materiam ipse deprompsit, nec aliunde eam mutuatus est.

HAMERVS hæc Tertulliani in sua Commentatione retulit, & approbauit.

b. *Vel, In Initiò, seu olim, quo Mundus esse cœpit.*

AVGVSTINVS libro contra aduersarium legis, & Prophetarum, sacrilego cuidam percunctanti, quomodo accipiendum sit, In Principio creauit Deus Cœlum & Terram, ac dicenti.

In Principio creauit Deus Cœlum & Terram. Quo principio? Eiusnè principio, quo idem Deus esse cępit, an ex eo, quo illum esse vacuum tęduit? vtrunque absurdum est, eoque scriptura hæc abijcienda.

Respondit his Augustinus.

Deus neque aliquando non fuit, nec cessando torpuit, nec operando laborauit, nec sine Cœlo sedis indiguit, nec facto Cœlo sedem tanquam finitis erroribus peregrinus inuenit. Potens est enim beatissimè manere in semetipso. Et post. Aut ergo sic intelligendum est illud, quod scriptum est; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: ut principium sit ex quo esse cęperunt; non enim Deo coæterna semper fuerunt, sed facta initium ex quo esse inciperent, acceperunt.

LVSITANVS clariùs id explicauit Genesis primo.

Poßet etiam principium, seu initium, importare initium Mundi; vt sit sensus; In Principio, scilicet Mundi, creauit Deus Cœlum & Terram: ac si apertiùs dixisset; Non putetis hunc semper fuisse Mundum, quem videtis; habuit enim initium, & cùm Deus illum produxit, primùm produxit Cœlum & Terram.

c. *Siue celerrimè, ideò in Capite, hoc est summatim.*

In Principio, hoc est celerrimè, seu exiguo temporis momento: Principium enim est quid impartibile; Vnde bene Aquila vertit In capite, hoc est summatim, seu aceruatim.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Aut fortasse eò dictum est; In principio fecit, quòd creatio rerum momento minus perfecta est, citraq; omnem temporis absoluta morulam: quandoquidem impartile quiddam est principium, nec vlla internallari dimẽsione

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. Hoc est, vt res principales, primordiales, & præstantiores, creauit Deus Cœlum, & Terram.

sione à se toto dispescitur. Quemadmodum enim principium viæ, via nondum est; domus quoque principium, neutiquam censetur domus: itidem & Principium temporis adeò tempus non est, vt ne eius quidem sit minima portio. Quòd si vnus aliquis contentione peruicaci astruet temporis principium esse tempus: is nouerit ipsum Principium oportere iuxta hanc positionem deduci in multifidas temporis partes, nempè in principium, media, atque finem. Atqui res prorsus deridicula videtur, vel mente concipere Principium principij. Quisquis enim Principium bipertito secat, is duo Principia pro vno efficiet, verius perquam multa, immo infinita, quando id quod semel dissecueris, in alia rursus segmina intercidi possit. Vt igitur edoceret nos Moses Mundum hunc sola Dei voluntate, ac citra omnem temporis morulam substitisse, dixit; In Principio fecit: pro quo alij quidam Interpretes connixi sensum reddere dilucidiorem, dixerunt, ἐν κεφαλαίῳ, In summa, siue summatim fecit Deus: hoc est, simul omnia, vel comprehensim, & momento minus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quarto.

Denique alij dixerunt, ἐν κεφαλαίῳ, quasi In capite, quo significatur in breui, & in exiguo momento summa operationis impleta.

GREGORIVS Nyssenus in suo Hexæmeron.

Si igitur excellentia Sapientiæ, atque Potentiæ omnia nouit, & omnia potest, fortassis aliquo modo accedimus ad sublimem vocem Mosis, qui dicit, ἐν κεφαλαίῳ, idest in summa, vel summatim, vel aceruatim (hoc enim Aquila, loco τὸ ἐν ἀρχῆς, idest Principij edidit) facta esse à Deo Cœlum, & Terram. Et post. *Non vna duarum vocum significatio, tum Principij, tum summæ est. Significatur enim æquè per vtrunque, τὸ ἀθρόον, hoc est id, quod vna comprehensione summatim collectum, & in vnum repente conductum, & congestum est. Nam in summa quidem comprehensim omnia facta esse ostendit: per principium autem momentum temporis, quodque interuallo careat, significatur. Principium enim ab omni intellectu, quo spatium, & interuallum notatur, alienum est, vt punctum principium lineæ, item corporis & molis ἄτομον, idest corpusculum solidum, & indiuiduum, ita etiam momentum, spatij temporalis initium est. Igitur ea, quæ ab inexplicabili Potentia Dei vna comprehensione repente peracta est, rerum vniuersarum congestio, constitutioq; Principium, siue summa à Moyse appellata est: in qua rerum Naturam vniuersam conflatam, atque constitutam esse dicit.*

a. Hoc est, vt res principales.

In Principio, hoc est, vt res principales, primordiales, & præstantiores, creauit Deus Cœlum & Terram.

AMBROSIVS Hexæmeron, libro primo, capite quarto.

Sunt ergo, & qui principium non pro tempore accipiant, sed ante tempus, ἐν κεφαλαίῳ, vel caput: vt dicamus latinè, quasi summam operis, quia rerum visibilium summa Cœlum & Terra est, quæ non solum ad Mundi huius spectare videntur ornatum, sed etiam ad indicium rerum inuisibilium; & quoddam argumentum eorum, quæ non videntur; vt est illud Propheticum; Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Quod sequutus Apostolus alijs verbis in eadem conclusit sententia, dicens; Quia inuisibilia eius, per ea quæ facta sunt, intelliguntur. Psal. 18. Rom. 1.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

At si velimus Hebræam obseruare veritatem, sciendum est Principij nomen significare Caput. Itaq; licebit hunc assignare sensum; Moses Cœlum & Terram, quæ prima sunt entium visibilia, Caput vocat. Quemadmodum in corpore humano caput non situ solum, sed & sensitiua virtute, vitaliq; spiritu reliquas corporis partes excellit; sic reliquas diuini opificij partes longè superat Cœlum & Terra.

BEDA expositione in Genesim.

Alij dicunt, In principio Principatus, dum Cœlum & Terra in omnibus Principatum tenent.

Et Comestor, capite primo.

Vel, In principio omnium creaturarum creauit Cœlum & Terram; id est, has creaturas primordiales fecit, & simul.

In Principio.

Anno Mundi primo. In exordio temporum; Ante dies.

a. *Hoc est, Primò omnium, vel Ante omnia.*
b. *Primùm, & Ante omnia vti fundamenta, & bases Mundi.*

a. *Hoc est, Primò omnium, vel Ante omnia.*

PHILO de Mundi opificio.
Quòd si Principium non accipitur nunc iuxta significatum temporis, conueniens fuerit id significare iuxta numerum, vt hæ voces, In Principio fecit, idem valeant, quòd Primùm fecit Cœlum.

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem.
Nos autem vnicuique vocabulo proprietatem suam vindicamus, Principium Initium esse, & competiße ita poni rebus incipientibus fieri. Nihil enim quod fieri habet sine initio esse, quin initium sit illi ipsum, dum incipit fieri. Ita Principium, siue Initium inceptionis, esse verbum; non alicuius substantiæ nomen. Iam nunc si principalia Deo opera Cœlum, & Terra sunt, quæ ante omnia Deus fecit suorum esse propriè Principium, quæ priora sunt facta; meritò sic præfatur Scriptura; In Principio fecit Deus Cœlum, & Terram: quemadmodum dixisset; In finem Deus fecit Cœlum, & Terram; si post vniuersa fecisset.

AMBROSIVS libro primo Hexæmeron, capite quarto.
Principium aut ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum. Ad numerum autem si referas, ita conuenit, vt accipias; In primis fecit Deus Cœlum & Terram: deinde colles, regiones, fines inhabitabiles. Vel sic; Ante reliquas visibiles creaturas, diem, noctem, ligna fructifera, animantium genera diuersa, Cœlum, & Terram fecit.

AVGVSTINVS hanc non reticuit locis præcitatis; nam Genesi imperfecto, capite tertio, habet.
An ideò In principio dictum est, quia primum factum est.

Et primo ad literam, capite primo.
In Principio, an quia primò omnium facta sint.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, cap. primo.
In principio fecit Deus. Hic sensus duobus modis sine offensione accipitur; idest, aut Primùm omnium fecit: aut In principio; quod est Sapientia.

BEDA expositione in Genesim.
In principio creauit: Alij ducunt hoc principium ad principium creationis omnium, dum nihil ante hæc duo creatum est.

CYRILLVS in Genesim libro primo.
Deus omnium Creator optimus per summam suam Potentiam, idest Filium suum, Cœlum, Terramq; ante omnia creauit.

Glossa interlinearis, D. Thomas, D. Bonauentura, Burgensis hanc interpretationem connectunt cum ceteris, vt infrà.

ALEXANDER Halensis secunda Quæstione quadragesimaquinta.
Basilius tamen in Hexæmeron aliter exponit, dicens, quòd alia translatio habet Primò, & secundum hoc est sensus: Ante Cœlum, & Terram nihil creauit.

VIELMIVS lectione secunda.
Est autem & quartus Commentarius, qui ad res effectas id aduerbium refert, huncq; sensum facere putat: Prima corpora, quæ Deus creauit, fuerunt Cœlum, & Terra. Et Post. *Reijcitq; interpretatio hęc veterum illorum Hebræorum figmenta, qui teste Rabbi Dauid, Kimbi, Esaiæ vigesimo secundo asseuerabant septem res extitiße ante hunc sensibilem Orbem; Hortum, Legem, Iustos, Israelitas, Thronum glorię, Hierusalem, & Messiam Dauidis filium. Quamobrem & posteriores Rabbini ad allegorias meliora meditati, hæc omnia trahunt.*

b. *Siue Primùm, & Ante omnia, vti fundamenta, et bases Mũdi.*

BASILIVS Hexęmeron Homilia prima.
Dicitur rursus Principium id quoque, vnde quiduis conficitur, cùm hoc ipsum Principium inexistit ei operi quod moliris, tale quid est in ædibus fundamenta, & carina in naui. Iuxta eam acceptionem dictum est; Principium

Anno Mundi primo. In exordio temporum Ante dies.

In Principio.

a. *Hoc est, Ante omnia, vt principia ea, quæ ordinabantur ad Mundi fabricam.*
b. *Vel, In exordio temporum.*

cipium sapientiæ, timor Domini. Est enim hic reuerentiæ erga Deum timor ad perfectionem contendenti veluti fundamentum & gradus quidam. Et Post. *Ad hoc deprehendes Cœlum, & Terram, quasi fundamenta quædam, & bases fulcrales vniuersi prius iacta fuisse, & præstructa.*

Principium aut ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum, quomodo in ædificanda domo initium fundamentum est. Et post. *Si verò ad fundamentum referas, principium terræ fundamenta esse legisti, dicente Sapientia; Quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penès illum cuncta componens.* Prou. 8.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Aut si mauis intellige in hunc modum præsens negocium: scilicet, quòd Deus suum opificium auspicatus, primò hæc, quæ recenset, extruxerit, non secus ac Architectus, qui ædificium molitur, & primò fundamenta futuri ædificij iacit. Licebit & artem creantis Mundum appellare principium. Nam nemo negat, quin Ars sit principium artificialium operum. Secundum hanc rationem sapientia Beseleelis ferebatur principium ornatus, quo expoliebatur Tabernaculum.

PERERIVS Commentarijs in Genesim libro primo.

Primò, vt In Principio significet, Ante alia omnia: quemadmodum cùm ædificaturus domum, in principio, & ante alia bonum substruit, & supponit fundamentum: ita Deus in fabricando Mundo, in principio, & ante alia condidit Cœlum, & Terram, velut duas principes Mundi partes, quæ cæteras ordine naturæ necessariò antecedunt.

a. *Hoc est, Ante omnia, vt principia ea, quæ ordinabantur ad Mundi fabricam.*

In Principio, hoc est, Ante omnia, vt principia ea, quæ ordinabantur ad bonum, & accommodatum finem, idest ad Mundi pulcherrimi fabricam, Creauit Deus Cœlum & Terram.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

Principium denique actionum non rarò dicitur perutilis, & accommodus finis eorum quæ fiunt. Et post. *Subin occurret menti Verbum illud rerum artifex, quo præeunte in suum quæque ordinem oculis subiecta, atque conspicua distincta sunt: velut vox ipsa Principij, tibi nihil obscurè indicat, non temerè, nec frustra excogitatam esse Mundi fabricam; sed ad eum finem, qui non modicam allaturus esset vtilitatem, nec mediocre emolumentum his, quæ complectitur. Erudiendis siquidem animabus ratione præditis, officina est haud dubiè accommodatissima, & eisdem ad cognitionem Dei prouehendis totius eruditionis domicilium appositissimum, per hæc visibilia, sensiliaque præstruens viam, ac veluti manuducens intellectum ad inuisibilium contemplationem: vel teste Apostolo his verbis astruente sententiam; Inuisibilia ipsius à creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Potest hoc loco principium dici & illud, quod in bonum finem factum est. Nam Deum constat procreasse opificium profectò respectantem finem optimum. Siquidem hæc Mundi machina mirabiliter docet animos mortalium, & ad veram Dei cognitionem inducit.

b. *Vel, In exordio temporum.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

In Principio fecit, In eo nimirum principio, quod simul fuit cum tempore. Et Post. *Principium sanè dicitur primaria quæuis motio, vt in illo; Principium viæ bonæ est facere iusta. A iustis enim actionibus primùm mouemur ad beatam vitam.* Et infra. *Etenim discere vtique possis, quo primùm tempore constiterit Mundi origo: Siquidem ex hodierno die ad superiores retrogressus ætates studio contenderis diem inuenire, quo substitit primum. Hoc enim pacto inuenies, vnde primaria illa motio accesserit tempori.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quarto.

Ad tempus refertur, si velis dicere, In quo tempore fecit Deus Cœlum, & Terram; idest, In exordio Mundi

In Principio.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *In Principio quidem temporis, sed non in tempore.*

di quando fieri cœpit, sicut ait Sapientia; Cùm pararet Cœlum, cum illo eram.
Et capite sexto. *Tempus enim ab hoc Mundo, non ante Mundum.*
In Principio itaque temporis, Cœlũ, & Terram Deus fecit: exordium etiam fuisse declarat.
Et infra; hoc principium, verni temporis *quòd inde Mundi capi oportebat exordium, vbi erat*
In hoc ergo principio mensium, Cœlum & Terram fecit, Mundi imaginem nascentis expressit, vt post hybernas
opportuna omnibus verna temperies. Vnde & annus splendore eluceat.
glacies, atque hyemales caligines, serenior solito verni temporis Genesis caput primum.
P R O C O P I V S Commentarijs in *hic dicit principium. Exinde enim*
In principio creauit Deus Cœlum & Terram, &c. Temporis, vt apparet, tum creatum est. Et Iterum.
cœpit eorum, quæ per creationem prouenere tempus, & simul cum reliquis operibus quod Moses
Præterea si à temporibus, quæ successere, retrò mente recurrere velis, reperies eorum esse finem,
hoc loco Principium statuit. ad literã libro
A V G V S T I N V S hanc non obliterauit, cùm dixit de Genesi
primo, capite primo.
In Principio fecit Deus Cœlum, & Terram. In Principio. scilicet, temporis.
C Y R I L L V S libro Thesaurus inscripto, libro quinto, capite sexto.
Et Creaturas in principio temporis factas scriptura ostendens; In principio inquit, fecit.
P E T R V S Comestor Scholasticæ Historiæ capite primo.
In Principio creauit Deus Cœlum, & Terram. In Principio, scilicet temporis. Coæua enim sunt Mun-
dus & Tempus.
L Y R A N V S in Postillis. *secundum istam expositionem non acci-*
In principio, & describitur factum ante omnem diem, sed illud ante, In principio, scilicet, temporis,
pitur duratione, sed natura tantùm, sicut sonus præcedit vocem. Dicit igitur;
vel productionis rerum.
T O S T A T V S in Postillis. *præcessit creationem Cœli, &*
Dicitur in principio, idest ante omnem diem; ita quòd nullus dies, vel hora
Terræ: ideò dicitur, In principio, scilicet, temporis; quia tunc tempus cum ipsis rebus incepit.
C A I E T A N V S hanc vnam est prosequutus, Commentarijs in Genesim.
Sensus autem literalis est, quòd In principio temporis, quod principium constat esse instans initium tem-
poris, in illo tanquam in mensura actionis significatæ per verbum Creauit Deus Cœlum & Terram. Creatio
enim est actio instantanea: nec hic nouitie intelligas, quòd creatio Cœlorum, & Terræ præsupponit initium tem-
poris; sed intellige, quòd Creator creando Cœlum, & Terram, simul concreauit temporis initium mensuram ip-
sius creationis; ita quòd effecit mensuram & mensuratam actionem simul, sic quòd actio mensuretur illo tempo-
ris initio, quod simul effectum est.

a. *In Principio quidem temporis, sed non in tempore.*

Quia initium temporis non est tempus, sicut exordium viæ non est via.
P H I L O de Mundi opificio.
Narrat Moses quomodo in principio fecit Deus Cœlum, & Terram; principium vsurpans, non vt quidam pu
tant, iuxtà significationem temporis; tempus enim ante Mundum non erat, sed aut vnà factum est, aut post
eum: Cùm enim tempus sit spatium motus Cœli, fieri non potest, vt motus rem motam præcesserit: sed necesse
est hunc aut post, aut simul existere. Necessariò igitur colligitur tempus, aut æqueuum esse Mundo, aut recen-
tius: affirmare autem illud esse antiquius, re uera alienum est à Philosophia.
B A S I L I V S Hexæmeron Homilia prima.
Quemadmodum enim principium viæ via nondum est, domus quoq; principium neutiquam censetur domus:
itidem & principium temporis adeò tempus non est, vt ne eius quidem sit minima portio.

A M B R O-

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies.

In Principio.

a. *Præpositio In, tres infert interpretationes.*
b. *Hæ tres excludunt tres errores.*

AMBROSIVS Hexęmeron libro primo, capite quarto.
Possumus etiam intelligere, In Principio fecit Deus Cœlum & Terram, idest ante tempus: sicut initium viæ nondum via: & initium domus nondum domus.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.
Fieri potest, vt Moses principium nuncupauerit opificium Dei, quod absq; tempore, & nulla corruptione inquinatum essentiam accepit. Nam vt principium viæ neutiquam via est (principium enim nullam recipit diuisionem) sic nemo rectè temporis principium nominauerit tempus. Si enim tempus in partium admittet diuisionem, subinde noua exorientur principia, quæ vsq; in infinitum occurrent. Verùm ego nimis absurdum & stultum iudico principij ponere principium. Videntur itaq; mihi hæc Mosis verba docere, Deum voluisse ea, quæ procreauit, diuina sua Potentia procreare; & vt voluit, effectum voluntati respondisse.

BEDA expositione in Genesim.
Vtique non in principio temporis, Deus enim fecit tempora; Et ideò antequam Deus faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere, quomodo Deus nondum aliquid fecerat.

a. *Præpositio In, tres infert interpretationes.*

Præpositio In, tres supradictas infert interpretationes; nam vt dicit ordinem, significat Ante omnia; vt mensuram, In exordio temporum; vt habitudinem caussæ, In Filio.

D. BONAVENTVRA libro Sententiarum secundo, dist. prima,
Dicendum, quòd præpositio cum suo casuali tripliciter potest accipi. Vno modo vt dicat pure ordinem; & sic idem est facere in principio, & facere ante aliqua; ita quòd connotet priuationem respectu alicuius temporalis prioris, & connotet propositionem posterioris. Alio modo potest importare habitudinem mensuræ; & tunc in principio idem est, quòd in primo instanti temporis. Tertio modo potest importare habitudinem caussæ, & tunc sensus est; In principio, idest, In Filio dicitur creasse, secundum quod dicitur in Psalmo; Omnia in sapientia fecisti Domine; vt sic notetur non tantùm caussa efficiens, sed etiam exemplaris. Omnes istæ expositiones verę sunt, & catholicæ.

Psal. 103.

b. *Hæ tres excludunt tres errores.*

In Principio, vt interpretatur In exordio temporis, excludit errorem asserentium Mundum ęternum; vt exponitur In Filio, reijcit opinionem constituentium duo principia, Bonum, & Malum; vt Ante omnia, explodit sententiam dicentiũ Deum per Angelos creasse Cœlum, & Terram.

GLOSSA interlinearis tres ex his expositionibus simul collegit, & hanc primo loco posuit, cùm dixit.
In Principio scilicet temporis, vel ante cætera, vel in Filio suo.

D. THOMAS parte prima Quæstione quadragesimasexta, articulo tertio, de præassertis tribus interpretationibus hæc habet.
Illud verbum Genesis, In Principio creauit Deus Cœlum, & Terram, tripliciter exponitur, ad excludendum tres errores. Quidam enim posuerunt Mundum semper fuisse, & tempus non habere principium; & ad hoc excludendum exponitur, In principio, scilicet tẽporis. Quidam verò posuerunt duo creationis principia, vnũ Bonorum, aliud Malorum; & ad hoc excludendum, exponitur In Principio, idest in Filio. Sicut enim principium effectiuum appropriatur Patri propter Potentiam; ita principium exemplare appropriatur Filio propter Sapientiam: vt sicut dicitur; Omnia in sapientia fecisti: ita intelligatur, Deum omnia fecisse In Principio, idest in Filio: secundum illud Apostoli ad Colossenses primo; In ipso, scilicet Filio, condita sunt vniuersa. Alij verò dixerunt corporalia esse creata à Deo mediantibus Creaturis spiritualibus; & ad hoc excludendum exponitur, In Principio creauit Deus Cœlum & Terram, idest, Ante omnia. Quatuor enim ponuntur simul creata,

In Principio.

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies.

a. Et illę tres, ad tres sequentes voces referuntur.
b. Tandem exponi potest In Principio, hoc est, In principio narrationis.

ta, scilicet Cœlum Empyręum, Materia corporalis, quæ nominę Terræ intelligitur, & Tempus, & natura Angelica.

a. Et illæ tres, ad tres sequentes voces referuntur.

Principium vt refertur ad Creauit, significat Ante omnia; vt refertur ad Deus, In Filio: vt ad Cœlum & Terram, in Exordio temporis.

BVRGENSIS prolixius hæc à D. Thoma delata, commentatur. Argu-
mentum & summa est, quòd hę tręs expositiones intelligendę sint, non disiunctiuè, sed
copulatiuè: addit autem.

Principium relatiuè intelligitur respectu principiati; quapropter in Scriptura vbi principium legitur, mox adijcitur illud, cuius respectu dicitur principium. Vnde hoc loco Principium referri potest ad Creauit. Et sic sequitur illa expositio, In Principio; idest, Ante omnia creauit &c. vt intelligunt Rabbi Abenhazra, Rabbi Salomon, & alij. Referri etiam potest ad Deus; & sic intelligitur Principium esse aliquid, cum quo, seu per quod Deus fecit omnia. Vnde sequitur expositio, In Principio, hoc est, In Filio, vt intelligit Rabbi Moyses Gerunden. Quòd si referatur ad Cœlum, & Terram, sequitur expositio In Principio, hoc est, Exordio temporis; quia Cœlum, & Terra sunt res successioni, & tempori subiectæ. Postremò referri potest ad totam creationem, & sic exponitur, In principio, idest, In primis sex diebus.

b. Hoc est in principio narrationis.

Quasi dicat: Primum eorum quæ narraturus sum, est, quòd Deus fecit Cœlum, & Terram.

VIELMIVS lectione secunda.

Porrò autem quintus & postremus Commentarius est, qui ad narrationis ordinem, quam Moses facit, illud aduerbium referendum esse mauult, vt dixerit; Primum eorum, quæ scripturus sum, hoc est; Deus creauit Cœlum & Terram: Vt sit summma quædam & propositio, quæ ea omnia breuissimè exprimat, vel potius absorbeat; quæ tam multis, ac veluti per partes dicturus deinceps est; & D. Ioanni Chrysostomo, & Gregorio Nysseno mirificè placuit.

AVCTOR.

De tot expositionibus iudicium allaturus, primùm quædam earum sunt à me repudiandæ, non quidem quòd veræ non sint, & elegantes, sed quòd non accedant ad sensum literæ nostræ. Primùm Tertulliani expositio, quæ interpretatur, In Principio; hoc est, In principatu, seu Potentia, alludit ad vocis Græcè, ἐν ἀρχῇ, significatum; quæ quidem vox eandem significationem non habet, quam habet Beresith, nisi trahatur ad significandum initium temporis; propterea ea expositio potius spectat ad literam Græcam, quàm Hebraicam, vel nostram. Illæ aliæ duæ expositiones, quæ interpretantur In principio, hoc est, In summa, seu collectim Deus creauit Cœlum, & Terram, seu summa celeritate, vti Principium est indiuisibile; vel etiam In Principio, hoc est, Principatu, idest, res principales, & excellentiores: alludunt pariter ad translationem, quam fecit Aquila, qui Beresith traduxit, In capite; quæ quidem translatio, quanquam ei adhæserint Patres præstantissimi, vt Basilius, Ambrosius, Nyssenus, non est tamen recepta ab editione nostra. Quapropter hæ expositiones potius textum Aquilæ, quàm nostrum commentari videntur. Postremus tandem hic Commentarius à Vielmio adductus, ægrè recipitur meo iudicio; quia tunc narratio Mosis obscura videtur, & manca. Exponere siquidem, In Principio

 creauit

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies.

In Principio.

a. Si in temporis exordio manauit Mundus, igitur Tempus, & Mundus congenera ſunt.

creauit Deus Cœlum & Terram; hoc eſt, primum eorum quæ dicturus, ſeu ſcripturus ſum, eſt, quòd Deus creauit Cœlum & Terram, eſt facere narrationem non tantùm inelegantem, ſed obſcuram, & perplexam, cùm uno verbo In Principio velit intelligi aliquid, quòd non connectitur cum verbis ſequentibus; Deus creauit Cœlum & Terram, niſi plura ſubintelligantur; ſubintelligantur, inquam, In principio eorum quæ dicturus ſum, eſt quòd Deus creauit &c. Præterea & vocula In principio, nullam haberet relationem ad ea, quæ ſequuntur; hoc eſt, ad creauit Deus Cœlum & Terram, ſed ad ea quæ in textu non habentur. Cæteræ interpretationes omnes recipi poſſunt, ſed duæ ſunt, quas meo iudicio alijs præferrem. Altera illa eſt, quę exponit, In principio, hoc eſt, Primùm, ſeu Ante omnia: habet enim hæc ſenſum clarum, & conſpicuum, & ineruditis acceptiſſima eſſet. Is enim eſt mos ineruditorum, vt difficiles, imperſpectaſq; ſibi res, ad eas, quæ ſibi ſunt domeſticæ, mox referant. Quare cùm Mundi opificium quaſi ſtructuram quãdam Dei audiunt, ad ædificij ſeriem eam comparantes, ſtatim pro principio id quod primùm factum eſt, capient, intelligentque. Altera etiam eſt, quæ interpretatur, In Principio, hoc eſt, In temporum exordio: hæc enim quanquam difficilior ſit, magis tamen Moſe vate digna videtur, & eruditis ſit acceptior. Duo enim inſignia, & ſcitu digna ſecum defert. Primò Tempus, & Mundum congenera eſſe; de qua re dicemus infra. Alterum, quòd Mundus non ſit æternus, vt putarunt Chaldæi, à quibus Hebræi originem trahere exiſtimabantur; & plerique Philoſophorum aſſeuerare auſi ſunt; ſed quòd ſimul cum tempore & ipſe natalia ſuſceperit; hoc etenim per vocem, In Principio, conuincitur. Cæterum poſſumus ex omnibus ferè his interpretationibus vnam colligere, & dicere: In Principio, hoc eſt, In initio, quo Mundus eſſe cępit; quod initium fuit ipſum temporis exordium; primò & ante omnia, vti fundamenta & baſes, & res quæ ordinabantur ad pulcherrimam Mundi fabricam, Deus ſumma ſua Potentia, & principatu, creauit Cœlum, & Terram, vt res omniũ ſummas, & excellentiores, collectim, & ſumma celeritate. Quod autem vltimo loco tradunt Patres, initium temporis non eſſe tempus, ſicut principium viæ non eſt via, ſano iudicio eſt intelligendum. Punctus ſiquidem initium lineæ eſt pars lineæ; & momentum initium temporum eſt pars temporis: ſed tempus non dicitur, hoc eſt, defluxus temporis, ſeu menſurans tempus; vel fortè Patres initium temporis dixerunt non eſſe tẽpus; quia in ipſa Mundi prima conſtitutione non erat motus Cœlorum horum, neque Sol, Luna, & Aſtra, quæ quarto die manarunt, neque lux aliqua, ſiue ignis, ſiue nubes lucida, ſiue lux Solis in iubare, quæ primò die emicuit; erat attamen mutatio quædam, & temporis ſubſtantia, vt clariùs infra demonſtrabimus.

Proſequentes hanc interpretationem, In Principio, hoc eſt, in exordio temporum, multæ ſuperſunt nobis Patrum obſeruationes afferendæ.

a. Tempus, et Mundus congenera ſunt.

Si pro principio intelligimus temporis exordium, ſequitur, quòd Tempus & Mundus coæua ſint cenſenda.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Sanè & Mundo huic, & ijs, quę tum in eo producta ſunt, animalibus, & plantis congener ſubſtitit temporis curriculum, accedens ſemper, ac more fluentis aquæ recedens, nec vnquam à cępto curſu reſtitans, aut conquieſcens.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. *Quapropter legendum In, pro Cum, & exponendum, in principio temporis, hoc est, cum principio temporis.*

AMBROSIVS Hexemeron libro primo, capite sexto.
In principio itaq; temporis Cœlum, & Terram Deus fecit, tempus enim ab hoc Mundo, non ante Mundum.
AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite secundo.
Sed etsi in Principio temporis Deum fecisse Cælum & Terram credamus, debemus vtique intelligere, quòd ante principium temporis, non erat tempus. Deus enim fecit & tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quo modo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cùm omnium temporum ipse sit fabricator? Et si tempus cum Cœlo & Terra esse cæpit, non potest inueniri tempus, quando Deus nondum fecerat Cœlum, & Terram.
MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione secunda.
Ante Cœlum & Terram factum est nihil: nec etiam tempus factum est ante Spiritualem, scilicet Angelicam naturam, & ante Corporalem, scilicet materiam illam quatuor Elementorum confusam. Illa enim cum tempore creata sunt, nec ex tempore, nec in tempore, sicut nec tempus in tempore creatum est; quia non fuit tempus antequam esset Cœlum & Terra. Vnde Augustinus in libro de Trinitate dicit, quòd Deus fuit Dominus antequam tempus esset, & non in tempore cæpit esse Dominus, quia fuit Dominus temporis, quando esse cæpit tempus: nec vtiq; tempus cæpit esse in tempore, quia non erat tempus antequam inciperet tempus.
HVGO huic subscripsit interpretationi de Sacramentis Fidei libro primo, parte prima, capite quinto.
Sed nec illud (quantū opinor) absurdum erit, si credimus vnum & idem prorsus momentum primū temporis fuisse, quo in principio simul creata sit & rerum visibilium, corporaliumq; materia, & inuisibilium, Angelicæ naturæ essentia: & hoc esse, quod Scriptura refert, omnia simul creata fuisse, sicut supra diximus; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul; quia eodem momento simul & visibilium materia essentialiter creata est, & inuisibilium natura, & tempus. Eccles. 18.
PETRVS Comestor in Genesis caput primum.
Coæua enim sunt Mundus & Tempus. Sicut autem solus Deus æternus, sic Mundus sempiternus, idest semper æternus, temporaliter æternus; Angeli quoque æuiterni.
SCHOLASTICI rem hanc clarius explicarunt.

a. Quapropter legendum In, pro Cum.

Cùm tempus ipsi Mundo coæuum intelligimus, & præpositionem In, pro Cum, accipere debemus.
TOSTATVS in Postillis.
In Principio, idest, In Principio temporis, vel cum principio temporis, quia præpositio Hebraica hic posita, scilicet Beh, aliquando signat Cum, & dictio ista In, etiam significat Cum; vt patet in trigesimosecundo capite, In baculo meo transiui Iordanem; idest, Cum baculo meo: tempus enim non fuit creatum, sed concreatum; quia est passio rerum mutabilium, scilicet creaturarum corporearum, quarum duratio tempore mensuratur.
VIELMIVS lectione secunda.
Rursum, quia præpositio In, in Hebræorum phrasi haud raro quoq; pro Cum vsurpatur; Genesis trigesimo secundo: In baculo meo transiui Iordanem: Erit quoq; recta expositio si dixerimus; Cum Principio temporis creauit Deus Cœlum, & Terram.
D. BONAVENTVRA secundo distinctione secunda, explicans Augustini dictum citatum à Magistro, habet.
Dicendum quòd differt dicere secundum Augustinum aliquid fieri Ex tempore, & In tempore, & Cum tempore. Ex enim, importat ordinem: In, importat continentiam: Cum, importat simultatem. Et ideò nihil est factum in tempore, nec ex tempore, nisi quod exceditur à tempore. Quia igitur tempus, & ea, quæ in primordio temporis creata sunt, à tempore non exceduntur; ideo ea dicit esse creata cum tempore, non in tempore, nec ex tempore.

Anno Mundi primo.
In exordio temporum.
Ante dies.

In Principio.

a. *Tempus coęqueuum Mundo secundùm substantiam, non secundum esse, vel rationem.*
b. *Vel secundùm quòd primum instans simul cum Mundo prodijt.*
c. *Siue vt est mutatio, non vt est motus.*
d. *Aut vt mensura de non esse ad eße, non mutationis, vel motus primi mobilis.*

a. *Tempus coæqueuum Mundo secundum substantiam.*

Tempus autem dicitur coæqueuum secundum substantiam, non secundum esse, quo est mensura, neq; secundum rationem, qua alia fiunt in ipso, sicut in mensura sua. ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, Quęstione duodecima, articulo vndecimo.

Cùm tempus ponitur vnum de coæqueuis, non in eius principio creata sunt cętera, vt inquit Glosa, sed cum ipso. Et infra. *Sic igitur secundum substantiam est coæqueuum: secundum esse verò est mensura, & secundum rationem alia fiunt in ipso sicut in sua mensura extrinsecus adiacente: & hoc notat In, quando dicit, In Principio.*

b. *Primum instans non mensurauit creationem, sed simul prodijt.*

D. THOMAS prima parte, Quæst. Quadragesima sexta, art. tertio, ad primum.
Dicendum quòd non dicuntur, In Principio temporis res creatæ, quasi Principium temporis creationis sit mensura; sed quia simul cum tempore Cœlum, & Terra creata sunt.

ET CAIETANVS ibi.

Vnde primum instans temporis etsi non fuerit mensurans creationem, fuit tamen coexistens creationi, quæ instanti temporis discreti, quo mensurantur operationes spirituales, vt infra patebit, mensurata est.

c. *Coæuum Mundo est tempus, vt est mutatio, non vt est motus.*

ALEXANDER de Hales secunda parte, Quæstione quadragesima quinta, membro primo.

Licet Principium dicat initium temporis, nihilominus potest dici tempus esse creatum, Idest, quòd mensuratur mutatione: nondum enim erat motus. Mutatio autem poterat eße in initio temporis: deinde verò facto mobili, factus est motus: et si inueniatur motus esse coæqueuus materiæ primæ; dicendum est, quod motus accipitur pro mutatione.

TOSTATVS vbi supra.

Et non accipitur tēpus strictè, vt passio, vel numerus motus Cælorum, quia dictum est cōmuniter, quòd tempus fundatur in primo mobili, vbi est principium totius motus: sed etiam vt motus dicitur successiua acquisitio in creatura corporali; & sic dicitur tempus duratio creaturæ etiam Cælo non moto: sicut quando pugnauit Iosue contra quinque Reges, vt patet Iosue capite decimo, stetit Sol contra Gabaon spatio vnius diei immotus; & sic non moto Cælo iudicatur ibi tempus vnius diei.

d. *Tempus coæuum Mundo, vt mensura de non esse ad esse.*

Tempus coæuum est Mundo, ut dicitur mensura exitus de non esse ad esse, non ut est mensura mutationis, vel vt mensura motus primi mobilis.

D. BONAVENTVRA libro Sententiarum secundo, distinctione prima.

Si cœpit cum primo mobili, & illud cœpit in secundo die, non ergo in principio temporis, sed ante. Respondetur. Dicendum quod tempus dicitur tripliciter, communissimè, communiter, & propriè. Communissimè dicitur mensura exitus de non eße, in esse. Communiter dicitur tempus mensura cuiuslibet mutationis, maximè illius, quæ fuit ante primum mobile. Tertio modo dicitur propriè mensura motus primi Mobilis, vt communiter consueuit distingui. Et quia primo modo dictum est primum omnium, & in illo conditum est sæculum, ideò dicit; In principio temporum.

Natura

In Principio.

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies.

a. Quanquam autem tempus & Mundus coæqueua sint, natura tamen præcedit Mundus.

Natura tamen præcedit Mundus.

Quanquam autem tempus & Mundus coæqueua sint, natura tamen præcedit Mundus. .a.

EVCHERIVS in Genesim libro primo.

Tempus enim à substitutione creaturæ, non creatura cæpit à tempore.

TOSTATVS in Postillis.

Sunt enim ista coæua, siue simul quantum ad simultatem rei: Cœlum Empyreum: Natura Angelica: Materia omnium elementabilium, & Cælestium: Tempus cum luce. Ista quantùm ad rem non se præcesserunt; sed quantum ad naturam, quia tempus est passio mobilis rei, cùm sit numerus motus: sicut ergo subiectum præcedit natura suam passionem, licet non tempore; ita materia corporalium, in qua fundatur motus, & ad quam sequitur tempus, prior est natura ipso tempore, quia non poterat esse tempus sine re creata; quia Deus tempore non mensuratur: ideo solo Deo existente, tempus non erat.

AVCTOR.

EX hac præallegata Patrum doctrina, quatuor excipimus, quæ necessariò nobis erant cognoscenda ad percipiendum cumulatè, quo pacto in exordio tēporum Mundus dicatur conflatus. Primùm quòd Tempus, & Mundus cōgenera sunt, & coæqua, (vt aiunt in Scholis) Patres siquidem hanc disseminarunt doctrinam, & eam Scholastici, vt certam & exploratam susceperunt. Aliud est, quomodo coæqueuum sit Tempus Mundo: tria siquidem in tempore considerantur. Primùm substantia, seu fundamentum; & hoc nil aliud est, nisi ipsa res vicissitudini, & mutationi obnoxia: Deinde essentia; & hæc est ipse rei defluxus, perditio, vel acquisitio, vel motus: Tandem ratio; & hæc est illa intellectus nostri operatio, qua motus alicuius partes seiungimus, & enumeramus; & secundum ipsas cætera mensuramus, qua & rectè Philosophi definierunt Tempus, cùm dixere, quòd Tempus est mensura motus. Tempus igitur secundum substantiam coæqueuum censendum est rebus, quia in ipsis creatis insita fuit mutationis necessitas; non congener fuit secundum esse, quia in primo instanti, quo Creaturæ emerserunt, nullus potuit esse mutationis defluxus; nec minus secundum rationem, cùm nondum esset intellectus humanus, qui in aliquo motu, seu fluxu cætera mensuraret. Quapropter probè dixit D. Thomas, quòd primum instans, seu momentum creationem metiri non potuit, quanquam cum ipsa coextiterit: Vel dicendū cum Bonauentura, Tempus esse coæuum Mūdo, vt est mensura de non esse ad esse, non ut mensura mutationis, vel motus. Tertium, quod nos edocuerunt hi Doctores, illud est, quòd in ipso Mundi exordio motus non fuit, motus inquam Orbis Cælestis. Quæ quidem assertio maximè est consentanea Patrum placitis: hi enim Cælestium Orbium motionem non ab exordio inchoasse, (cùm vix secundo die Cœlos emanasse dicāt) sed tantùm quarto, eo ipso die quo Sol, Luna, & Astra in eis inestata fuere. Nam iuxtà eorum sententias, otiosa fuisset Orbium circumlatio, cùm Astra, quæ veherent, non haberent. Præcessit igitur ante quartum diem mutatio quædam rerum ipsarum in Chaos, & post subsecuta sunt motus, & circumlatio lucis sine Orbium conuersione. Quamuis Scholastici, his non assentientes, dicant, supremum Orbem lationem suam, vel in primordijs temporū, vel saltem prima die auspicatum fuisse. Sed ego aliàs hęc exactiùs disputabo. Tandem & illud scitu dignum nobis suppeditarunt hi Doctores

Mundus & Tempus coęqua.

In exordio Mundi non fuit Motus,

ctores

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. Idipsum censendum est de principio temporis in principio Mundi, quod de fine temporis in fine Mundi.

Mundus natura est prior tempore.

ctores, quòd quamuis tempore coæqueua sint Tempus & Mundus: natura tamen præcesserit Mundus, quia Tempus à substitutione cępit Creaturæ, non Creatura à Tępore.

a. *Quomodo Tempus sit coæuum ipsi Chaos.*

Tempus vnà cum Chaos prodijsse, quasi gemini ex vtero diuinæ potentiæ, omnes tum Patres, tum Doctores Scholastici constanter conspirata sententia asseuerant, vt dictum est.

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite sexto.

Porrò si literæ sacræ, maximeque veraces, ita dicunt; In principio fecisse Deum Cælum & Terram, vt nihil antea fecisse intelligatur; quia hoc potius in principio fecisse diceretur; siquid fecisset ante cętera cuncta, quæ fecit, proculdubio non est Mundus factus In tempore, sed Cum tempore. Quod enim fit In tempore, & post aliquod fit, & ante aliquod tempus, post id quod præteritum est, ante id quod futurum est: nullum autem posset esse præteritum, quia nulla erat creatura, cuius mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus est Mundus, si in eius conditione factus est mutabilis motus.

Verùm quo euentu cum ipso Mundo natalia sumpserit tempus, non ita tutum est declarare: Nam si tempus est cęlestis motionis mensura; ardua, ac grauis difficultas de tēporis primordio, ac de eius natalibus exurgit. Siquidem Cœlorum astriferorum creationem; alij in primordio temporum, alij primo die, alij secundo absolutam edocent. Rursum primi ac supremi Orbis conuersionem, alij in exordio temporum, alij primo die, alij quarto inchoatam fuisse volunt; Solem verò, alij in primordijs temporum manasse, alij primo die, alij quarto cum Luna, ac Stellis prodijsse autumant, vt fusius in Catenis deducemus. Quid igitur nobis, vt certum & exploratum constituendum sit de temporis initio, non video. Sed demus Patribus priscis ferè omnibus, Cœlos secundo die fuisse conditos: Solem verò quarto die prodijsse, ac eodem Cœlos cieri cępisse, vt clarè Moses videtur obtestari, cùm ait; Fecit Deus Luminaria magna, & stellas, in signa, tempora, dies, & annos: Quænam ratio temporis fuit ante quartum diem? cùm nec esset ulla conuersio Cœli, nec Sol, Luna, Astrumuè vllum micaret? Attendas: Si contrariorum eadem est disciplina, & si eadem est censenda ratio puncti, qui est exordium lineæ, & puncti qui est finis; idipsum profectò erit censendum de temporis exordio, & eiusdem fine. Videamus igitur si quid de temporis nouissimis excerpere possimus. Ioannes, qui solus Mundi nouissima reserauit, duo nobis de temporibus extremis patefecit: Alterum, quòd tempus excidet & desinet; Iurauit per viuentem in sęcula sæculorum, quia tempus non erit amplius: Alterum, quòd in extremo Mundus habebit tempora, tempus, & dimidium temporis: Ait enim; Et postquam vidit Draco quòd proiectus esset in terram, persequutus est mulierem, quę peperit masculum. Et datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie Serpentis. Ex his igitur elicitur, quòd in fine Mundi finem sumet tempus, & ante decurret medium temporis, & ante dimidium temporis fluent tempora, & ante tempora tempus. Decidet certè, & tolletur tempus, cùm instaurato vniuerso, submotoq; omni motu erit Cœlum nouum, nulla motione amplius volutatum: Ante id, dimidium temporis fluet: punctus scilicet tēporis, quo Cœlum momento extremo à suo motu penè desistet: Ante verò dimidium temporis erunt tempora, hoc est inusitatæ rationes temporis, cùm Cœli, tùm in astrorum lumine, tùm in conuersionibus suis portentosa prodigia dabunt: Ante quę tempora

Gen. 1.

Temporis exordium à fine ipsius inuestigādum.

Apoc. 10.

Apoc. 12.

pora iam tempus consuetum defluxerat. Eleganter igitur Ecclesia Virgo illa, quæ Christum parit, ea tempestate calamitatibus, ærumnisq; ijs quamplurimis iactabitur: de quibus Saluator in Euangelio: Nisi abbreuiati fuissent dies illi, salua non fieret omnis caro. Matt. 24. Afflictabitur autem per tempus, idest per annos Antichristi; & tempora, hoc est, per dies prodigiosos consumationis sæculi; & dimidium temporis, momento scilicet illo extremo, quo cessante Cœlorum motu, omnis temporis ratio desinet. Post quæ sublato omni tempore ex militante triumphans effecta Ecclesia, quasi in Cœlum rapi videbitur. Cæterum hęc ipsa ordine retrogrado de temporis primordijs, etiam condisserenda sunt. Primùm ante Mundi primordium non extitisse tempus, non est qui ambigat. Amplius id momentum, quo Chaos, tempusq; prosiliere ex nihilo, non tempus, sed temporis partem fuisse, omnes admittunt: Siquidem Mundus non erat ante tempus, nec cępit in tẽpore, sed cum tempore; & id momentum exordium temporis, dimidium tempus appellari potest; quia ex vnica tantùm parte temporis fluxibilitate potitus est, à parte, scilicet, posteriori. Post igitur illud temporis dimidium, hoc est, post primum temporis momentum tempora defluxere; à primo, inquam, momento, quo simul cum Chaos & tempus manauit, ad diem quo Sole, Lunaque effectis, Cęli suas conuersiones auspicati sunt, ac consuetum tempus sancitum est, duo decucurrere tempora. Alterum sine luce; à momento, quo creatum est Chaos, ad primordium primæ diei, qua lux condita est: Alterum cum luce, quo non vsitata Cœlorum conuersione, & Astrorum præsidentia, triduum primum defluxit, seu ex ignis, seu ex ignitæ nubis circumlatione, seu lucis Solis ipsius sine iubare effusione, attractione, vel circumuectione, diuina virtute effecta, seu ex Solis informis, vel in luce, vel influendi virtute conuersione; post quod triduum tempus incepit germanum, ac consuetum. Hac igitur serie tempus cum Chaos coæquè prosilijsse asserimus.

Verùm hæc meo marte prolata grauioribus sunt disceptationibus munienda. Tripartita igitur hoc loco erit difficultas; Num fuerit aliquod tempus ante omnem diem: Et si fuit, quale, ac quantum fuit: Postremò, quænam ratio temporis fuerit in triduo primo. Difficiles, & arduæ certè sunt percunctationes hæ, cùm diuina Scriptura, Patresque prisci nil dilucidè de ipsis retulerint, cæterique Neoterici vsqueadeò inuicem discrepent, ac desciscant vt quid ratum, exploratumve sit, difficilè sit intueri.

Num fuerit aliquod tempus ante omnem diem.

Patres non omnes in eandem deueniunt sententiã, vt ante omnem diem tempus quoddam delapsum fuisse opinentur.

Classis Patrum, qui nullum tempus ante primum diem præisse volunt.

Primò sese nobis offert ea sententia, quæ Mundum sex diebus conditum concedit; sed primę diei initio, Cœlum, Terram, ac Lucem prosilijsse simul arbitratur.

AMBROSIVS suo Hexæmeron libro secundo, capite primo, inquit, *Diem primum, vel potius vnum, vt potuimus, absoluimus, in quo conditum Cælum, Terram creatam, aquarum exundantiam, circumfusum aerem, discretionem factam lucis, atque tenebrarum, Dei omnipotentis, & Domini Iesu Christi, Spiritus quoque Sancti operatione cognouimus.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim. *Primus dies dignitate reliquos sequentes longè anteit: Nam in illo quæ nunquam fuerant, suam creationem sumpsere diuinitus: in cæteris diebus nihil effecit, cuius seminaria non in primo die sparsisset.*

ALBINVS, seu Alcuinus, libro de Diuinis officijs, sub titulo de Die Sancto. *Apparet autem hunc diem etiam in Sacris Scripturis esse solennem; Ipse est enim dies primus sæculi, in quo formata sunt elementa Mundi: in ipso creati sunt Angeli.*

BEDA libro de sex dierum creatione. *Tamen quærendum est, quod in principio primum Deus fecit, Cælum, & Terram, an lucem. Et si prima lux creata fuit, quare non dixit, In principio creauit Deus lucẽ? Intelligendũ est, quòd simul creauit Cælum, & Terram & Lucem. Quia nihil interest, nisi origo tantùm, sicut homo duas parabolas cognitas simul non potest enarrare, ita & Dominus fecit. Quia hoc prius enarrauit, quod originem habuit; & postea, quod exinde factum*

ctum fuit; quamuis vtrunque simul fecisset. Vt quod sola origine prior est in faciendo, prior sit ex tempore enarrando. Ergo dum oportebat, vt Scriptura Sancta vtranque enarrasset, & res gestas, quam res narratas; quod exinde factum est: ratio erat, vt prius narrasset, vnde aliquid factum erat, quàm illud, quod exinde factum est, propter tardiores intellectu, vt capere potuißent, quia res corporeæ ex aliquo fiebant. Quia nihil interest inter creationem Cœli, & Terræ, & Lucem, nisi hoc tantùm, quod est inter verbum, & vocem.

P E T R V S Comestor de Historia Scholastica, capite tertio, ad finem.

Primò enim cum Cœlo, & Terra lux est creata, qua paulatim occidente factum est primum vespere primæ diei vsualis, & eadem migrante sub terras, & ad ortum veniente, factum est mane, idest terminata est nox: & inchoauit dies secunda.

D. T H O M A S secundo Sententiarum, sententiam hanc recenset, sed non approbat, cùm ait.

Quidam dicunt, quòd opus distinctionis statim cum opere creationis incepit, & quod ideo lux statim creata sit cum primò creatis, sicq; Deus nō incepisset opus suum à tenebris. Et hoc oportet dicere secundum expositionem Augustini, qui etiam vult, quòd creatio informis materiæ intelligatur ante omnem diem, non tempore, sed natura. Alij dicunt, quòd prius tempore fuit opus creationis, & postea per aliquod temporis interuallum formata sit lux, sicque affirmant opus creationis ante omnem diem fuiße; & hoc magis consonat textui Genesis secundum planitiem suam: nam creatione Cœli & Terræ descripta, mox subdit, tenebras super faciem fuisse abyssi: deinde agit de Lucis productione.

Prænarrata omnia deducit Dionysius Carthusianus Commentarijs in Genesim, capite decimo.

T O S T A T V S Commentarijs in Genesim.

Et quæret aliquis, quia ponuntur hic sex dies distinctionis, & ornatus rerum, nunquid Creatio Cœli Empyrei, & Angelorum, & materiæ rerum aliarum corporalium fuerit in prima die, vel ante diem? Dico, quòd potest responderi dupliciter: vno modo quòd illa fuerint creata cum principio primæ diei, scilicet quòd fuerint omnia ista creata cum luce primaria, & cum eis tempus: sed lux, quia erat principium distinctionis in cognoscendo, quia per lucem omnia cognoscuntur, ponitur facta primo die. Cœlum autem, vel materia corporea, quia non erant principia distinguendi, sed fundamentum Naturæ, vel eßendi, sine die creata narrantur. Quæstio huius est, quia principium distinctiuum supponit fundamentum naturæ distinguibilis, existente ergo principio distinctiuo, fuit dies, sed non est necesse, existente natura distinguibili, diem esse.

Idipsum asserunt, qui creationem, ac distinctionem rerum simul cępisse arbitrātur.

D. B O N A V E N T V R A articulo primo, Quæstione secunda hanc recenset assertionem, eamque Hugoni nostro adscribit.

Alia opinio est, quòd non fuerit mora temporis interiecta inter creationem, & distinctionem; quia statim post creationem Cœli, & Terræ produxit Deus lucem, ita quòd posterius natura, sed simul duratione. Et post. *Et hoc videtur sensisse Hugo in libro de Sacramentis: ait enim, quòd non fuerit mora interiecta inter creationem, & distinctionis inchoationem, quę incepit in lucis informatione.*

D I O N Y S I V S Carthusianus Commentarijs in Genesim, articulo nono, Hugonem in hanc descendere sententiam arbitratur.

C A I E T A N V S disertissimus omnium fuit huiusce sententiæ assertor, Genesis capite primo, cùm inquit.

Et si perspicacius consideratum fuerit, apparebit hinc haberi, quòd illudmet instans quod fuit principium temporis mensurans creationem Cœlorū & Terræ, fuit instans initium diei primæ artificialis; alioquin creatio Cœlorum, & Terræ in statu obscuritatis præcessißet tempore indeterminato omnem diem; quod non solum est absurdum, sed falsum: vtpotè contra textum ipsius Genesis capite secundo, vbi dicitur; Istę sunt generationes Cœlorum, & Terræ quando creata sunt in die, quo fecit Deus Cœlum & Terram; vbi clarè explicatur, quando creati sunt Cœli & Terra, fuisse diem, & absq; omni hæsitatione intelligamus, in principio temporis, eodemq; ipsomet principio diei artificialis, Deum creasse Cœlos & Terram, & concreasse Lucem.

Delati autem huiusce placiti à Caietano, fundamenta duo sunt; Alterum quòd nisi simul connata essent tempus & lumen, tunc obscuritas præcessisset tempore indeterminato omnem diem; Alterum, quia Scriptura id obtestata est, cùm dixit; Istę sunt generationes Cœli & Terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Deus Cœlum & Terram. Quòd si in die effecta sunt Cœlum & Terra, igitur non ante diem. Quibus adijcere possumus, quòd Scriptura vbiq;, præcipuè Genesis vigesimo & trigesimoprimo, sex diebus Deum Cœlum & Terram, ac omnia, quæ in eis sunt, fecisse contestatur; & Mundi Opificium ipsum Hexęmeron passim à Patribus, præcipuè à D. Basilio, Ambrosio, & Nysseno appelletur.

Doctores tempus tenebrosum ante lucem, vt primæ diei partem ponentes.

Non defuit opinio, quæ Mundum, seu Chaos in tenebris constitisse admittat, sed tēpus illud, vt primæ diei partem supputat; diemq́; primum à luce non cępisse, nec prima illa die, lucem vigintiquatuor horis Mundum illustrasse, reputat.

In hanc sententiam præcipitauit Tostatus, qui Commentarijs in Genesim, diem primum à sero cępisse, & lucem in mane explenduisse, & Mundum duodecim horis in tenebris degisse docet. Nam huic quæsito; An Empyrei, Angelorum, & Materiæ creatio fuerit in prima die, vel ante diem, secundo loco respondet.

Vel dicendum, vt supra dicebamus, quòd Cælum, & Angeli, & Materia corporea cum tempore simul creata sunt, & fuerunt per duodecim horas ante creationem lucis primariæ; & illud tempus vocatum fuit vespere, idest tempus sine luce, & non poterat vocari nox, quia cùm sit nox tempus obscurum per absentiam lucis Solaris, vel alterius supplentis lucem Solarem, non potest esse priuatio, antequam fuerit positiuum, scilicet lux; & sic dicemus vnam diem fuisse sine nocte, non tamen sine vespere: & quia ista creata fuerunt ante lucem, à qua propriè dies nominatur, dicuntur fuisse creata ante diem, vel sine die.

AEGIDIVS etiam ab hac sententia non discedit, prima parte Hexęmeron, cùm ait.

Vel possumus dicere Mundum factum esse cum die, vt illa modica morula, quæ præcessit lucem, computetur cum prima die.

Catena Patrum, Tempus tenebrosum primam diem præisse, asserentium.

Ex aduerso, omnium Græcorum, ac etiam Latinorum Patrum est sententia, quòd à primo eo momento, quo Deus ex nihilo Cœlum, & Terram condidit, ad primæ diei initium, quo lux emanauit, & diei primę exordiū dedit, tempus aliquod decucurrerit; eo euentu, vt Deus primordijs temporis Chaos rude tantùm produxerit, quod ea in deformitate perstiterit aliquantulum, antequam lux, quę primæ diei initium attulit, cœperit effulgere. Proficiscuntur in hanc sententiam quamplurimi, qui tenebras ante lucem constitisse cum Mose existimarunt. Poëtæ primùm id reserarunt.

Ouidius in libris Metamorphoseos.

Nullus adhuc Mundo prębebat lumina Titan,
Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbæ:
Lucis egens aer.

CLAVDIVS Marius Victor, Comment. in Genesis libro primo.

Et tenebris se vasta nigris velabat abyssus.

PROBA Falconia fęmina clarissima, ex Virgilio;

Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus ęther,
Sed nox atra polum bigis sub nocte tenebat,
Et Chaos in præceps tantùm tendebat ad vmbras,
Quantus ad ęthereum Cœli suspectus Olympum.

TERTVLLIANVS, seu vt alij malunt, Cyprianus Poëmate inscripto Genesis.

Dum Chaos, & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.

D. PAVLVS ad Corinthios secunda, capite quarto.

Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere.

Igitur ex obtestatione D. Pauli, tenebræ erant ante lucem, quod fieri non potuisset, si ante primęuum diem congeries illa Mundi tenebrosa nō fuisset. Dicere siquidem tenebras, quas ante lucem extasse, recensetPaulus, fuisse id nihil, post quod facta sunt omnia, est asperam, ac importunam interpretationem afferre.

CLEMENS Recognitionum libro primo.

In principio cùm fecisset Deus Cælum, & Terram, tanquam domum vnam, ipsa, quæ ex corporibus Mundi reddita est umbra, his, quæ intrinseca clausa fuerant, tenebras ex se dedit: Sed cùm voluntas Dei introduxisset lucem, tenebræ illæ, quæ ex umbra corporum factæ fuerant, continuo deuoratæ sunt; tunc deinde lux in diem, te-

nebræ deputantur in noctem.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda, tenebrosum, seu rudem cum Mundum his circumscripsit;

De Cęlo etiamnum dicere licuerit non admodum dissimilia, quando idipsum excultum nondum erat, aut perpolitum. Necdum enim se decentem ornatum obtinebat, quippe quod non iam splendescebat radiosissimo Sole, Lunaquę circumfusum, at neque Stellarum choris, tanquam sertis redimebatur. Neque enim dum istiusmodi erant condita. Et post, *Quia eatenus lumine carebat Aer, obtenebratusq; adhuc erat, qui totam ambibat aquæ naturam.*

CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia tertia.

Hæc enim tegebant faciem terræ, de tenebris loquor, & abysso aquarum. Didicimus hinc, quòd omne, quod videbatur, erat abyssus aquarum tenebris velata; & opus habebat sapiente opifice, qui omnem hanc informitatem discutere, & ornatum aliquem inducere posset.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite octauo.

Tenebræ erant, quia splendor deerat lucis. Tenebræ erant, quia aer ipse tenebrosus est. Aqua ipsa sub nube tenebrosa est, quia tenebrosa aqua in nubibus aeris. Erant ergo tenebræ super abyssus aquarum.

HIERONYMVS ad Oceanum Epistola octuagesimatertia, disertissimè ruditatem illam Orbis prisci, ac in latebrarum vtero obuoluti, tradidit.

Rudis Mundus, necdum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus, incompositam, & inuisibilem materiam, abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat.

AVGVSTINVS contra aduersarium legis, & Prophetarum, libro primo.

Et tenebræ erant super abyssum. Ex illo ergo tenebrę esse cæperunt, ex quo confusa moles Cęli esse cępit, ac Terræ, antequam facta esset lux, qua illuminaretur, quod sine luce fuerat tenebrosum. Quid autem inconueniens, si mundanæ materiæ fuerant tenebrosa primordia, vt accedente luce, melius quod factum est redderetur, & tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Sunt ergo luminaria in signa & tempora, & dies, & annos, non quòd à conditione eorum tempora cęperint, quæ constant cæpisse à principio, quo fecit Deus Cęlum & Terram; vel dies & anni, qui originem sumpsisse noscuntur, ex quo dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: Sed quia per ortus eorum, siue transitus temporum, ordo, dierumq; annorumq; signatur.

Cùm autem Patres hi omnes ferè diem primæuam cum luce inchoasse existimarint, vt in Catenis suo loco demonstrabitur, Mundum quodam tempore in tenebris degisse, verè sunt obtestati. Scholasticorum quamplures, inter creationes rerum, & factiones, vt aiunt, tempus aliquod intercessisse decernunt.

ALEXANDER Halensis parte secunda, quæst. quadragesimaquarta, membro quarto: Qui & obtestationes duas intexit; alteram Augustini, duodecimo Confessionum,

Informem materiam fecisti ante omnem diem, sed informis materia Cęli, & Terræ designatur nomine; ergo Cęlum, & Terra facta sunt ante omnem diem.

Alteram Hugonis.

Illud primum momentum temporis, quo creata est omnium visibilium, & inuisibilium natura, neque nox fuit, neque dies, & tamen tempus fuit, quia mutabilitas fuit.

Sed hæc Hugonis infra prodentur.

D. BONAVENTVRA secundo sententiarum, distinctione duodecima, articulo secundo, quæstione secunda, vtranque sententiam approbat, nonnullisque argumentationibus in scholis satis vulgatis satisfacit, vt & eisdem Alexander Halensis.

AEGIDIVS prima parte Hexæmeron, capite vigesimosecundo, hæc disertissimè habuit,

Cum ipso ergo Mundo incepit primus motus, & incepit tempus; & ex hoc dictum est tempus vnum de quatuor coæuis: sed tunc statim incepit dies, quando facta est lux, quæ motu primi mobilis incepit rotari versus Occidentem, & venire ad Orientem, & facere vespere, & mane; & quia factionē lucis, siue factionē diei, præcessit factio Mundi, Mundus non dicitur esse factus cum die, idest parū ante diem, quia modica fuit morula inter creationē Angeli, & conuersionem eius, quæ nomine lucis datur intelligi. Vel possimus dicere Mundum factum esse cum die, vt illa modica morula, quæ præcessit lucem, computetur cum prima die.

Iudicium

Iudicium Auctoris.



SED quid diutius in hac re clarissima immoror? Certè duo Græcorũ, ac duo Latinorũ insignia testimonia, præter Iunilium, ad exploratam fidem nobis faciendã sufficere arbitrarer; quid autẽ dicemus, cùm tot præstantissima habeamus? Conspirant certè in hanc sententiam omnes hi Patres, qui primò compactum fuisse Chaos volunt,& post sex dies perfectum, & venustatum, vt Clemens Papa, Irenæus, Tertullianus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Gennadius, Acacius, Diodorus, Strabus, Hugo, Beda, Alcuinus, Rabanus, Isidorus, Magister, D. Thomas, D. Bonauentura, omnesque Iuniores. Sed quid ipsa Mosis obtestatione clariùs, ac perspicacius? Tradit etenim In Principio creasse Deum Cœlum,& Terram: Quòd Terra inanis esset: Quòd tenebrę Abyssum operirent: Quòd Spiritus Domini ferreretur super aquas. Ex quibus posset aliquis sciscitari. Num primæ diei momento condita sint Cęlum & Terra simul cum luce, an potius ante lucem: Si ante lucem, vt prostrema censuit classis, non certè in primo die; siquidem non potuit initium primæ diei sine luce prodire; Et est omnium sententia, quòd ea quę singulis diebus producta à Mose recensentur, primo cuiusque diei instanti, seu momento, vel exordium sumpserint, vel simul exordium & absolutionem. Præterea repugnat sententia ista cunctis illis priscis Patribus, qui diem priscum à mane, & luce cępisse edocent; de quibus suo loco. Quòd si simul effecta sunt Cœlum, Terra, Lux; quomodo tenebræ erant super faciem abyssi? Quid igitur fuerunt illæ tenebræ, de quibus Moses ait; Et tenebræ erant super faciem Abyssi? Quę tenebræ quæso, extarunt illæ? Nunquid Demones? Sed hoc erroneum est Manichęorum placitum, à Patribus, pręcipuè Basilio in Genesim, Ambrosio libro primo, Ioanne Chrysostomo, Augustino in Genesim contra Manichæos, execratum ac explosum. Nunquid nihil illud, post quod effectus est Mundus? certè illud non sub Cęlo super faciem abyssi, aquarum scilicet immensitatem expandi poterat, sicuti has tenebras super eam diffusas fuisse, Moses (si non subuertamus eius historiam) diserte obtestatur. Nunquid quia aer, & aqua ex se insitam nõ haberent lucem, ob id tenebras fuisse super faciem abyssi, dixit Vates? sed certè hac ratione, & nunc, & semper, tam in obdensa noctis obscuritate, quàm in fulgẽtissimo meridiano obtenebrescunt aer, & aqua. Igitur fuere tenebræ illę lucis carentia. Quid amplius voluit Moses, cùm dixit; Et spiritus Domini ferebatur super aquas? certè si motio quædam erat, seu venti, seu aeris, seu spiritus incubantis ante primęuam diem, non nisi cum tempore extitit. Quòd si dixerimus hæc Mosem ante recensuisse, non quòd ante euenerint, sed vt ea quæ natura, & origine præcessere, omnis profectò historiæ series extorta, ac deturbata apparebit.

Gen. 1.

Quæ fuerint tenebrę ante Lucem condi tam.

Hom.2. Cap. 9. Hom.2,

Sed aduersus Caietanum, qui vnico momento Cęlum,& Lucem,& Angelum,& Cęlorum conuersiones inchoatas fuissę asseuerat, validissimam esse hanc argumentationẽ à Vielmio deductam arbitror. Prosiliere Angeli viatores, non beati, vt Catholica Fides, Scriptura, ac Patres diserte tradunt. Constituendum igitur est tempus, & concedenda mora, qua Angeli post creationem mereri, ac demereri possent, & qua pellerentur, vel assumerentur. Has morulas veteres Scholastici ad duo instantia, seu ad summum, ad tria redegerunt; rati, quòd summa celeritate, ac quasi imperceptibili, Angeli intelligant, ac assentiant. Recentiores, moras illas prolixiores esse autumarunt. Sed quacunque seu iuniorum, seu vetustorum Scholasticorum assertione concessa, si intelligentiæ, Angelique motores, ex ea selecti fuere acie, quæ Deo adhęsit, ac ad gloriam est eucta, cogimur fateri, Cœlos non confestim atque creati fuerunt, moueri cępisse; sed perstitisse tantisper immotos, quoad scilicet Angeli Deo obtemperantes ad gloriam proueherentur; contumaces verò, & perduelliones propellerentur; & ita efficeretur diuisio lucis à tenebris (his enim verbis, hæc nobis Mosen reserasse, non cum Augustino literaliter, sed cum Hugone, ex similitudine arbitror) Neque enim ratio patitur, ut dicamus ante assumptionem ad gloriam assignatos fuisse Angelis Cœlos, vt eos conuerterent: Etenim hoc modo Opifex illos, tanquam data arra, securos fecisset, eos nunquam ipsius gratia destituendos forę. Quod, etsi nullum uideatur negocium

Lect. in Genesim 10.

Quarto Sent. dist. 2. prestantissimo Patri Augustino facescere, Magistro tamen, ac fermè cunctis Theologis minus probabile uidetur; Vel equidem si Motores illi cecidissent, oportuisset alios eis substitui, quod diuinę sapientiæ fuisset indecens. Ex his igitur aliquod tempus anteisse primum diem, ostensum est contra illos, qui Angelos cum Mundo conditos existimant; D. Augustini porrò sententiam repudiari posse iam supra demonstratum est; Cyrillus, & Ambrosius ea Patrum phrasi, qua aduersas videntur, ac sibi repugnantes quandoque ferre sententias, loquuti sunt, sed alijs locis expressius suam explicantes mentem, ante primum diem tempus quoddam lapsum fuisse sępius tradiderunt; D. Bonauentura immeritò adscribit Hugoni, quòd nullam moram inter creationem, & discretionem Chaos concedat, vt ex eius enarratione elici infrà demonstrabimus. Ad Caietani argumentationes elidendas, dico, tempus obscuritatis Mundi indeterminatum certè non fuisse, sed bene nobis esse incompertum; Mosemq;, cùm scribit Cœlum, ac Terram & Gen. 2. germina vna die fuisse effecta, diem pro tempore ex vsitata Scripturarum phrasi accipere, vt supra est expositum.

Quale Tempus fuerit ante primum diem.

Secunda percunctatio erat, quale Tempus, seu quæ ratio temporis ante primum diẽ delapsa sit; cùm Cœlum in illo atro Chaos non cieretur, nec Sol, Luna, & Astra adhuc condita micarent. Doctores, ac Patres, diuersa Sententia hanc difficultatẽ dissoluunt.

Sententia Orbem supremum ab exordio Mundi, Dei virtute, seu Angelo motore conuersionem suam cœpisse asserens.

In ipso temporum primordio, Cœlum supremum suam inchoasse rotationem, nõnulli existimarunt.

GREGORIVS Nyssenus, libro de Cognitione Dei.

Etenim cùm Cœlum initio volueretur, eorum quæ circumerant obiectu, tenebræ extiterunt.

Præcipuus verò huius sententiæ assertor Aegidius fuit, Hexęmeron parte prima, capite decimooctauo. Cùm enim nomine Terrę, elementum Terræ; Abyssi, Aquam immixtam Aeri; Tenebrarum, Ignem; Aquarum pariter, omnes Cœlos mobiles intelligi dijudicasset, ipso primo exordio temporum, Cœlum supremum, cum eoq; Cœlos, ac elementa cuncta, pręter terram, & aerem inter obstacula terræ inclusum, suam rotationem auspicata esse, ac cum ea tempus cępisse asseruit. Duas autem has sui placiti detulit suspicationes: Alteram capite decimonono.

Conuenientius est, vt tempus, quod vnum de quatuor coæuis dicimus fuisse, eiusdem fuerit, quod nunc est generis, quàm cuiuscunq; alterius constitutionis: Nomina siquidem, inquit sunt accipienda secundum com munẽ vsum loquendi, non secundũ extensionẽ vocis: Quare si scripturæ assertiones secundũ vsitatã vocũ signifi cationẽ saluare possumus, ineptum est ad extortas, & peregrinas significationes confugere; exempli gratia, in Apoca- Cap. 10. *lypsi scribitur; Iurauit Angelus per viuentem in secula, quod non erit tempus; si posset hoc dictum saluari de tempore, quod nunc est, vt dicamus, quòd in Mundi excidio cessabit tempus, cùm persistet motus; frustra alienæ exquirerentur interpretationes: Ita cùm tempus de quatuor coęuis à Patribus nuncupatum, tempus nostrum dicere possimus, peregrina erit omnis alia assertio.*

Deinde alteram defert capite vigesimosecundo, dicens.

Tradit Augustinus, quòd in Scripturis Sacris non debemus quærere opera diuina secundum miraculum, vbi possumus ea aliter quærere. Si ergo quando incepit tempus, non statim incepisset primus motus, fuisset aliquod tempus ante omnem motum primum, & per consequens fuisset aliquis motus ante primum motum; & in exponenda Scriptura Sacra oporteret recurrere ad miraculum, vbi possemus procedere secundum naturas rerum.

Quapropter suum placitum his collegit;

Concludamus igitur, & dicamus, quòd si elementa in ipso initio Mundi fuerunt producta distincta secundum substantiam, siue secundum suas substantiales formas, licet in se habuerint aliquam confusionem, multò magis ipsi Cœli fuerunt producti distincti secundum suas substantiales formas, licet in se habuerint aliquam confusionem, vt in prosequendo patebit; ratione cuius firmamentum, seu Cœlum sydereum, secundo die dicitur factum. Primum itaq; mobile, idest Cœlum Crystallinum, in ipso initio Mundi productum distinctum secundum suam substantialem formam, statim incepit habere suum motum; de quo potest exponi, quod dicitur in Genesi, etiam ante omnem diem quòd Spiritus Domini ferebatur super aquas, quia ipsæ aquæ, idest ipsi Cœli mobiles ferebantur, & mouebantur à Spirtu Domini; de quibus aquis verificatur quod dictum est secunda die, fiat firma-

firmamentum in medio aquarum, idest in medio Cœlorum, sicut Cœlum sydereum est factum inter primum mo-
bile, & alios Cœlos planetarum; & diuidat aquas ab aquis, idest diuidat primum mobile ab alijs Cœlis plane-
tarum, qui omnes cœli, (quia in ipso initio inceperunt labi, & moueri) vocati sunt aquæ, & dictus est Spiritus
Domini ferebatur super eis. Cum ipso ergo primo Mundo incepit primus motus, & incepit tempus; & ex hoc
dictum est tempus vnum de quatuor coæuis: sed tunc statim incepit dies, quando facta est lux, quæ motu primi
mobilis incepit rotari versus occidens, & venire ad oriens, & facere vespere, & mane.

CAIETANVS idipsum asseruit exponens clausulam eam, Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Angelus ciebat primum orbem motu velocissimo.

BVRGENSIS in Additionibus in primum caput Genesis.

Idcirco in primordio creationis rerum naturalium, de hoc primo motu tanquam de vita rerum naturalium fit
mentio, attribuendo ipsum motum Deo in persona Spiritus Sancti, cui appropriatum est viuificare. Et ex hoc
tollitur quædam inconuenientia, quæ quodammodo animum pulsat, scilicet quòd inter primo creata fit mentio de
tempore, cùm dicit, Dies vnus, dies secundus, & huiusmodi; sed de motu nulla videtur fieri mentio, cùm tamen
motus sit prior ipso tempore naturaliter.

AVCTOR.

Verùm hæc Aegidij, Burgensis, Caietaniq; sententia arduis difficultatibus ob-
strigi, obuoluiq; mihi videtur: Primùm singulare admodum est placitũ hoc;
refraganturq; ei non tantùm Scholastici ferè oẽs, qui primę diei exordio Cę
lorũ circumlationẽ cępisse arbitrati sunt, D. Thomas, Catherinus, Vielmius,
& reliqui; sed immensa Patrum classis, qui secundo die cœlestia corpora congesta, &
quarto die astra insita ipsis fuisse, ac lationes suas initiasse existimarunt: Deinde vali-
dis demonstrationibus eis iaciendum erat illud fundamentum, ac muniendum, quòd
cuncta corpora cęlestia primordio temporum emerserint, cùm Patres penè omnes pri-
sci asseueranter id abnuant. Nec illa illatio sic delata, si elementa substantialibus for-
mis prædita emanarunt in temporum primordio, multo magis Cœli ipsi omnes; nul-
lum affert Patribus negocium, qui Cęlos omnes ex elementis purissimo constitutionis
genere congestos secundo die arbitrantur. Nuda enim est ea illatio, omniq; proba-
tione carens. Sed quod arduum discrimẽ Aegidio ac sectatoribus (si qui sint vel erunt)
facit, hoc est: quòd quærere ab ipsis possimus; Quanam vi Cœli in ea rudi, ac nondũ
expolita Mundi machina tunc cierentur, ac circumuoluerentur; an Dei, an Angeli, an
ipsorum virtute: Non propria, siquidem omnes tàm Theosophi, quàm Philosophi Cę-
los hanc non habere ex seipsis facultatem, vt sine intelligentia moueri possint, disertè
contestantur: Non Angeli, quoniam adhuc, si cum Mundo simul Angelus creatus est,
orbibus addictus esse non poterat, vt supra contendebamus: perinde nec Deus ipse Cœ-
lis tunc motum elargitus est. Nam etsi Deus id omnipotentia sua efficere profectò
potuisset, nulla tamen Scripturæ auctoritas, vel vlla ratio euidens Deum Cœlos cir-
cumtulisse conuincit. Quare superest, vt fictitium sit hoc placitum. Adijcias, quòd mo-
tus orbium est propter insitum sydus, quare cùm nullum esset astrum, motio illa super-
uacanea, ac inutilis extitisset. Aegidij argumentationem nullius prorsus esse ponderis,
quando Patrum sententiam explicabimus, dilucidè demonstrabimus: Eandem etenim
temporis rationem, quanquam rudem, imperfectamque, (quemadmodum & res in pri
ma sua emanatione rudes, imperfectæque erant) quam nostrum tempus habet, & illud
habuisse, ex placitis Patrum aperiemus.

VIELMIVS Lectione decima in Genesim, ex sententia quorundam
Doctorum, quorum suppressit nomina, supra Aegidij asserta magis peregrinam inue-
xit opinionem; censuitque ipso videlicet temporum primordio non tantùm Cœlum
motione sua tempus inijsse, sed Solem vnà cum luce in actu signato non in actu exerci-
to prodijsse; nec suo defectu, sed diaphanorum corporum crassitie, incapacitateque
effectum fuisse, vt non irradiaretur Mundus, sed tenebræ essent super faciem abyssi. Si-
quidem ait;

Erat adeò perturbata, & crassa elementorum congeries, vt vetaret, obsisteretq; ne Solis radij ad terram vsq;
pertingerent: vt densissimarum nubium colluuie nunc etiam aerẽ obscurari, & nigrescere videmus, reuocatq; in
memoriam densissimas Aegypti tenebras, quas non ex Solis subtracta luce, vt censuit Damascenus, sed ex nu-
bium

bium crassitie factas fuisse tradit: Reuocat & Strabonis obtestationem, qui libro primo Geographiæ testatur, populos Cimmerios perpetuam fermè obscuritatem sustinere ob densissimas, & concretissimas nubes, quæ ibi ob uaporum perpetuum halitum fiunt. Quapropter & Homeri carmina affert, quibus rem hanc se sic habere comprobat: Homerum autem Latinus Vates ita nobis his carminibus expressit;

Quò nunquam radijs, oriens, mediusve, cadensve
Phæbus adire potest, nebulę caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.

Reijcitur sententia Vielmij.

Verùm sententiam hanc vti singularem, nuperrimamque, minimè recipiendam arbitror. Nubes siquidem non adeò obdensari posse, etsi crassæ admodum quandoque fiant, vt omnem lucem penitus retūdant, ac exeludant, experimento conuincitur; cùm nusquam esse diem sine exili saltem luce conspiciamus; nec tenebrarum Aegypti exēplum id demonstrat; quoniam non nubium crassitie, sed luminis subtractione factas fuisse tenebras illas egregiè Damascenus obtestatur; nam si consueta, vel etiam portentosa nubium concretione effectę fuissent tenebræ illæ, miraculum certè non fuisset conspicuum, & admirabile, quo Deus Israelitarum Aegyptijs terrificus ostenderetur, & Pharao ad dimittendum Mosem compelleretur: Quòd si populos Cimmerios perpetuam sustinere obscuritatem Strabo dixit, non totalem certè, sed aliarum regionum respectu, maximam esse innuere voluit; quoniam si adeò obdensam obscuritatem Cimmerica regio pateretur, vt nulla prorsus, nec exigua etiam lux accolis effulgeret, certè inhabitabilis prorsus ea regio reddita fuisset. Deinde si ante primum diem, Sol radios ex obdensarum nubium crassitie, seu elementorum rudi congerie effundere non potuit; quonam factum est, vt primo die Mundum irradiare valuerit? Num sua virtute elementorum crassitiem dissoluit? Aerem depurauit? Aquam claram, conspicuamque submoto cęno, ac limo reddidit? Certè Moses nil horum nobis prodidit; elementorumque seiunctionem, depurationem, venustationem, sola Dei virtute, nulla secundarum caussarum, vel Solis ope, omnes Patres effectam perhibent, & ipse Vielmius alibi contestatus est. Amplius si primo die lux condita non est, sed semota nubium obdensitate explenduit, ac micuit: Quorsum dixit Moses, fiat lux? Quid nanque factum est? Quid inquam recens, ac nouum? Quorsum potius non dixit; depuretur aer, & aqua, & appareat lux? Exile certè fuisset, debileque diei primæuæ opus, si tantùm lux confertas penetrasset nubes, ac caligines. Sed hæc insinuasse sufficiat.

Gen. 1.

Sententia primum Orbem conuersionem suam primo die inchoasse diffiniens.

D. Thomas, Catherinus, pluresque alij D. Thomæ Sectatores, Cœlos motionem suam primæ diei instanti auspicatos esse existimarunt, sed diuersa serie.

D. THOMAS prima parte, Quæstione sexagesima octaua, articulo quarto, ad tertium ait.

Duplex est motus in Cœlo, vnus qui facit diem, & noctē; & iste videtur institutus primo die; Alius autē est, qui diuersificatur per diuersa corpora, secundum quos motus fit diuersitas dierum adinuicem, & mensium, & annorum; & ideò prima die fit mentio de sola distinctione noctis, & diei, quę fit per motum communem. In quarta autem die fit mentio de diuersitate dierum, & temporum, & annorum, cùm dicitur, vt sint in tempora, & dies, & annos. Quæ quidem diuersitas fit per motus proprios.

Conditos igitur primordijs temporum Cœlos omnes fuisse censuit: sed motum primum mobilis ab ortu in occasum primo die, quarto verò retrogradā circumlationem inchoasse, D. Thomas arbitratus est.

VIELMIVS idipsum sensit Lectione vndecima, quanquam, & alteram adiecerit peregrinam sententiam sibi magis arridentem, vt supra retulimus.

Enarrat. in Gen.

A D. THOMA abscedens Chaterinus, singulari & ipse assertione primo die ex rudi illo Chaos omnes Orbes præter firmamentum productos censet, Solem non informem, sed omnimodè absolutū editum eo die, ac tempus inchoatū tradidit cùm dixit;

Igitur creato Sole, & cæteris quæ diximus, idest toto Mundo præter firmamentum, cæpit esse initium temporis.

Cęterum

Cęterum D. Thomę, & horum Doctorum sententia maximæ certè apud me esset auctoritatis, si à Mosis litera & ab omnibus ferè ante ipsū Patribus nō recederet, nec magis ipsius constituti Mundi venustati, quàm Mosi, & priscorum Patrū doctrinæ adhærere videretur: Sed satis supraq; in disceptatione de secundæ, ac quartę diei operibus, cribranda, ac refutanda erit sententia ista; quando nec Astriferos Orbes, nisi secunda die effectos; nec Solem, nisi quarto die productum; nec motum, nisi insitis astris initium cępisse, luculenter ex Patrum sententia demonstrabimus.

Sententia, quarto die tantùm Cœlos conuersiones suas cœpisse, astruens.

Remanet tandem sententia omnium Patrum priscorum, cunctorum, inquam, ferè eorum, qui fuerunt ante D. Thomam, secundo die compactos fuisse Cœlos, & quarto, in eis creatis astris, cieri cępisse diffiniens. Hancq; sicuti communiorem, & vetustiorem, ac literæ accōmodatiorem video, ita acceptiorem esse duco, vt in tractatu operis quartę diei explicabo.

Iudicium Auctoris.

Superest igitur nobis, vt dato, Cœlos conuersiones suas non exorditos fuisse nisi quarto die, quale fuerit illud tēpus, quod primariū diem anteiuit, indagemus. Dicimus itaq; quòd si tēpus est mensura motus, vt Philosophi tradunt, duo sunt ad eius integritatem necessaria penitus existimanda; motus nempè, qui mensurari possit, cuiuscunq; rei ille sit; & mens ipsa, quæ motum illum seiungat, metiatur, & numeret. Nam, vt rectiùs edocuit Philosophus, quod in anima est tempus, extra animam est motus. Motus dico expetitur primò, seu rerum quarumcunq; fluxus, & mutabilitas, vt voluit etiam Albertus Magnus; mox igitur, vt res esse cęperunt, cępit & tempus: triplicemq; in sua genesi excepit tempus conditionem; Primam rudem tunc, quando cum mutabilitate rerū, quæ mensurari poterant, esse cępit; Alteram perspectiorem, cùm Cęlestium corporum motus apparuit, qui vt perfectior, ac certior, poterat esse mensura aliorum; Tertiam absolutam, quando formato homine, mens illud metiri cępit. Secundum igitur eam primam rudem rationem, tempus defluxit ante primum diem: & tempus illud, meritò dici tempus potuit. Nam dato, quòd motus Cœlorum non adesset, adhuc tempus extaret, quia sine Cœli conuersione, tempus esse potest. Siquidem tempus illud, de quo in libro Iosue scribitur; Stetit Sol in medio Cęli, & non festinauit occūbere spatio vnius diei; tempus certè fuit sine Cęlestis orbis circumlatione: Quinimmo & cęcus natus, seu in atro carcere conclusus quis, qui nec dies à noctibus segregare posset, nec vllā profectò Cęlestium orbium volutationum petitiam haberet, etiam horologio ex pulueris fluxu excogitato, vel alio intersecti motus genere, spatia temporum mensurare posset. Cùm rudis igitur substantia, temporis re ipsa fluxus sit; decora autem, formataq; ipsius essentia, orbium Cęlestium motus existat: quid mirum si in rudi illo primo rerū Chaos, in informi Cœli & Terræ commiscelata massa, rudis etiam fuit temporis species, informis, indecoraq; ? seiuncto verò, ac formato, speciosoq; reddito quarta die Mundo, & ipsum tempus formatam rationem suscepit; non amplius nimirum confusam, seu ex mutabilitate quauis rerum incertam, aut indeterminatam; immo certam, præfinitamq; ex Cœlorum motione excepit, mensq; nostra ex ea certè dilucida, ac infallibili Cœlorum orbiculari latione, perspicuas temporum rationes desumpsit. Tempus autem illud primęuum ab exordio emolitionis Mundi ad primū diem; & illud à primo ad quartum elapsum; estò quòd Cœli conuersiones suas non prius cęperint; non aliud tempus fuit ab hoc nostro, nec alterius constitutionis, sed idem prorsus erat, cùm delabentium corporearum rerum mutatio esset, tantummodo, vt informe, seu incongestū, à formato condito distabat, & tempus nuncupari quiuit, & nostras temporis differentias sumere. His igitur, illatæ ab Aegidio rationes, nullius esse vis conuincuntur.

Duo ad integritatem temporis necessaria.

Tēpus in sua Genesi triplicem habuit conditionē.

Iosue 10.

Rude Chaos rude tempus; ornatus Mundus ornatum tempus habuit.

Tempus illud rude verè fuit tēpus.

AVGVSTINVS huius rudis temporis congestionem non reticuit, duodecimo libro de Ciuitate Dei, capite quintodecimo.

Hic respondendum fortè videatur, quomodo non semper, cùm illud, quod est omni tempore, non inconuenienter semper esse dicatur. Vsqueadeo autem isti omni tempore fuerunt, vt etiam ante omnia tempora facti sint, si tamen à Cœlo cœpta sunt tempora, & illi iam erant ante Cœlum. At si tempus non à Cœlo, verùm & ante Cœlum fuit, non quidem in horis & diebus, & mensibus, & annis, (nam istæ dimensiones temporalium spatiorum, quæ vsitatè ac propriè dicuntur tempora, manifestum est, quòd à motu syderum cœperint: vnde & Deus cùm hæc institueret, dixit; Et sint in signa, & in tempora, & dies, & annos) sed in aliquo mutabili, motu cuius illud anterius præterierit, aliud posterius successerit, eò quòd simul esse non possint.

Et clariùs de Genesi contra Manichæos libro primo, capite quartodecimo.

Hic primo quærunt, quomodo quarto die facta sunt sydera, idest Sol, & Luna, & Stellæ. Tres enim dies superiores quomodo esse sine Sole potuerunt, cùm videamus nunc Solis ortu, & occasu diem transigi, noctem verò nobis fieri Solis absentia, cùm ab alia parte Mundi ad Orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri, vt tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit Sol, ex quo procedit ab Oriente, quousque rursus ad Orientem reuertatur. Hanc enim moram, & longitudinem temporis possent sentire homines, etiamsi in speluncis habitarent, vbi Orientem, & Occidentem Solem videre nõ possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine Sole, antequam Sol factus esset, atq; ipsam moram in illo triduo per dies singulos computari.

TOSTATVS in Genesim capite primo.

Iosue 10. *Et non accipitur tempus strictè, vt est passio, vel numerus motus Cœlorum, quia dicitur communiter, quòd tempus fundatur in primo mobili, vbi est principium totius motus, sed etiam vt motus dicitur successiua acquisitio, vel deperditio in creatura corporali; et sic dicitur tempus duratio creaturæ, etiam Cœlo non moto; sicut quando pugnauit Iosue contra quinque Reges, vt patet; Stetit Sol contra Gabaon spatio vnius diei immotus, & sic non moto Cœlo, indicatur ibi tempus vnius diei.*

Quantum tempus lapsum fuerit ante primæuam diem.

Superatis duabus difficultatibus illis; Num tempus aliquod ab exordio effectionis Mundi ad primum vsque diem delapsum sit, numque extiterit illud tempus tempori nostro consimile: non multùm in postrema hac difficultate, qua percunctamur, quãtum illud extiterit, immorandum duco. Est enim inter tenebras, ac obdensas latebras digladiari, cùm nec Sacra Scriptura, nec Patres, ratum quid, exploratumque de hac re prodiderint; nec vlli compertum illud esse possit. Augustinus Eugubinus in Cosmopeia, ac omnes hi Doctores, qui diem à mane exordium sumpsisse, lucemque primæuam non in Orizonte, sed in meridiano primò luxisse existimauerunt; sex horas tenebrarum ante effusam lucem dilapsas esse dixere. Alphonsus Tostatus super Genesim, & Doctores illi, qui diem primarium à vespere more nostro cœpisse, lucem verò non nisi mane in ortu effulsisse autumant; duodecim horarum fuisse illud tempus contendunt, vt suo loco luculentiùs habebimus; sed tenebras illas partem primę diei cõstituunt, sicuti diximus. Hugo noster libro primo de Sacramentis Fidei, parte prima, capite sexto; sequutus sententiam Patrum, qui rectiùs tempus illud, quo Chaos in tenebris degit, non primæ diei partem efficiunt, sed ante primum diem illud tempus elapsum credunt, tempus illud breue fuisse edocet. Sic enim scribit;

Iosue 10.

Quandiu autem in hac informitate, siue confusione permanserit, scriptura manifestè non ostendit. Mihi autem videtur (quantum ego conijcere valeo) inter creationem, & dispositionem rerum, ordinem quidem temporis, sed nullam fuisse moram interiectam: ita vt verè quidem dici possit, hoc post illud factum fuisse; sed inter hoc factum & illud, nullam omninò dilationem interuenisse. Et Post.

Cap. 9. *Ergo illud primum momentum temporis, quando creata est omnium visibilium, inuisibiliumque natura, nec nox fuit, nec dies, & tamen tempus fuit, quia mutabilitas fuit. Postea verò continuò luce facta, diuisæ sunt tenebræ, & lux: & tempus iam per diem, & noctem distingui cœpit.*

Duo igitur instantia diuersa posuit Hugo, seiuncta admodum; Aliud, quo rerum materia informis condita est; Aliud, quo lux manauit: & cùm duo instantia non possint esse immediata, certè inter rudis Chaos formationem, ac lucem, necessariò tempus intercessisse asseuerandum est.

Ego Patrum Oraculis destitutus, quid sentiam ignoro; siquidem silente Scriptura, nil perspicui prodentibus Patribus, percunctatio hæc in latebris hæret. Non possum attamen non suspitiones quasdam, pro eamet Hugonis nostri sententia referre. Existimo siquidem tempus illud ab emanato Chaos, ad diei primi exordium delapsum, non noctem, nec horas confecisse, sed paucis instantibus, ac momentis elapsum fuisse.

Num

Num autem illa tria, seu plura fuerint, asseuerare non audeo. Vt autem ita existimem, duo me potissimum compellunt: Alterum quòd cùm Natura deprecetur optima, ipsam certè, in rudi eo statu multum consistere non decuit; eò magis, quòd Spiritus Domini ferreretur super aquas: Hic enim seu esset flatus à Deo iactatus, seu vis vitalis in aquis à Deo insita, seu Spiritus Sanctus cubans, ac fouens, vt produceret Mundum ad vitam, certè immensa ea superna virtus non potuit differre Mundi absolutionem, ac venustationem: Alterum quod me suadet, est, quia tempus id ad Angelorum casum referendum est: & certè, si non duobus, vel tribus instantibus, seu morulis (vt potior Theologorum pars censuit) citatissimo saltem, ac breuissimo interuallo & mali ceciderunt, & sancti ad gloriam conscenderunt; tùm quòd natura Angelica in intellectualibus operationibus celerrime sit virtutis; tùm quòd Diabolum ab initio non constitisse, & mane dum orietur cecidisse (vt aliàs retulimus) Scripturæ obtestentur. Quapropter rata sententia est, id tempus breuissimum fuisse.

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies.

Angeli mali breuissimo iteruallo post creationẽ ceciderunt.

HVGO summæ Sententiarum, tractatu secundo, capite tertio. *Quæritur, vtrum aliqua mora fuerit inter creationem eorum, & casum. Ad quod potest dici, quòd non fuit mora, & tamen illud prius, istud posterius, sed sine interuallo. Non enim semper fuerunt mali, vt quidam dicere volunt, pro illa auctoritate; Ab initio homicida fuit, & in veritate non stetit. Sed non dicitur, In initio hoc fecit, sed Ab initio; idest, statim post initium: & in veritate non stetit, idest non permansit, si in ea fuerit.*

Ioan. 8.

Non audeo, dico, morulas eas fuisse duas, vel tres asseueranter diffinire: Nam si post effusam lucem primæ diei momento, ac post singulorum dierum patratum opus, Deus vigintiquatuor supersedit horis, priusquam ad aliud ineundum opus trãsiret, naturaq; eas fortè non sibi importunas tulit moras; etiam hoc ante diem contigisse, quis fortè nõ immeritò reputabit. Sed in suis latebris relinquamus de tenebrosi temporis prolixitate determinationem.

Quod genus dierum habuerit Triduum primum.

Gen. 1.

Creata primigenia luce, de qua Moses ait; Et facta est Lux: Triduum primum peractum est, diebus tribus sibi inuicem succedentibus, & his naturalibus horarum viginti quatuor, albescente mane, splendente die, inumbrante vespera, & obtenebrante nocte, vti & nunc fieri conspicimus. Cæterum discrepantia dierum illorum priscorum à nostratibus multiplex fuit. Primùm lucis natura non vniformis extitit cum hac nostra: Siquidem illa tridui primi, vel fuit ignis sua agilitate rotatus, vt sensit Gregorius Nyssenus: vel nubes lucida circumacta in Orbem, vti insinuauit Augustinus, asseuerarunt Hugo, Richardus, Magister, D. Bonauentura, & Tostatus: vel lux effusa, attractaq; Dei virtute, vt maluit Basilius, Damascenus, Procopius, & ex recentioribus Burgensis: vel ipsa Solis lux sine iubare circumuolutata à Deo, vt arbitratus est Iustinus, Iunilius, Strabus, & Caietanus: Vel Sol ipse nec dum vi, & forte luce, vt nunc cohonestatus, vt edocuit D. Thomas, & Iuniores; quorum Catenas in expositione clausulæ eius; Diuisit lucem à tenebris, appellauit lucem, &c. inestabimus. Nec minima discrepantia ea erat, quòd nondum emicuerant Luna & Stellæ, quæ noctem venustarent, cùm tantùm quarto die prodierint. Vnde consequitur quod vel nulla conuersio Orbium esset, vt autumarunt oẽs Patres, qui præcesserunt D. Thomæ tẽpestatem: vel si vlla aderat, ea tantùm erat supremi Orbis cunctos rapientis, absq; ullo aduerso, retrogradoq; subactorum Orbium volutatu, vt D. Thomas cum præclarioribus recentiorum existimauit, vno tantùm Aegidio reclamante. Postrema tandem ea erat differentia, quòd lux illa nec fulgorem, nec vim deferret, quemadmodum hæc nostra; sed pallesceret vti nunc matutinus albor vel fulgidius coruscaret, vt maluere & Patrum plures, & Steuchus. Differentias has colligunt Patres, vt infra referemus, obseruantq; amplius, dies tridui prisci à diebus subsecutis in his discrepantes fuisse: quòd illi sine præfectura Astrorum prçterierint; hi apparentibus Sole, Luna, & Astris: Illi tantùm nitescerent; hi fulgeant: in illis, lux illuminaret, non exureret; in his, radius Solis calefaciat, & vapores attrahat: in illis, nox atra omninò esset sine claritate aliqua; in his, saltem pallente luce emicet: in illis, æquales essent dies, & noctes; in his, sibi horas mutuent: in illis, superna tantùm Mundi pars illustraretur; in his, nostris vsitatis diebus, vsque ad Terram lumen

Discrepantia inter primũ triduum, & cæteros dies.

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies.

In Principio.

a. *Non æternitatis, sed temporis: Quia æternitas principio caret, & vni Deo competit.*
b. *Non æui, sed temporis: Quia æuum Angelis, & Empyreo conuenit, tempus autem Mundo sensibili.*

Astrorum perueniat: in illis, vnica lux clarescceret; in his, pluribus facibus in Cœlo micantibus, tum diù, tum internoctu, Cœlum effulgeat. Quę cuncta sustineas precor, vsque dum grauioribus munientur disceptationibus, quas vberiores me præstaturum spondeo.

a. *In Principio non æternitatis, sed temporis.*

Quia æternitas non mensuratur, nec principium habet, & vni Deo competit.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Recitat itaque diuinæ creationis opera prima Moses: interim tamen vult, vt intelligamus Deum Creatorem præcessisse creaturam vniuersam interuallo, quod nulla humanæ rationis vis metiri potest. Quamuis interualli mentio nequaquam in Dei essentia sit statuenda. Nec enim possibile est, vt quis æternitatis, vel æterni mensurã agere possit.

Prosequitur idem Procopius demonstrare, Deo competere æternitatem, cæteras autem res tempori subiacere.

Cæterum id, vt æternitatem Dei perspectam haberet Moses, didicit in Monte Horebo ex hoc ineffalibili & sacrosancto oraculo; Sum qui sum. Nam hoc eloquio exactè audito, & quantum homini fas est, cognito, tum demũ pręsens opus componere instituit. Nisi enim perfecta Dei cognitione fuißet instructus, qui quiuißet eum huius Vniuersi opificem pronunciare? aut quibus modis rerum omnium ignaros & rudes docere potuisset, Deum huius Vniuersi esse architectum? nunc igitur, vt qui diuina, humanaq; omnia comperta & explorata, haberet; inquit, Deus immortalis, æternus per se existẽs vnus, cùm sic decreuisset, Cœlum, Terramq; condidit. Tempus quoque adamussim enarratur, vt cognoscamus Deum esse infinitum; rerum verò naturam sine circumscribi, & tempori esse obnoxiam. Siquidem à primordio secundum temporis rationem in essentiam deducta est.

Et amplius æternis competere verbum Erat, & Esse, temporaneis autem Fieri.

Meritò itaque ait; Fecit: & obiter verbum, Erat; quod de Deo sermone prædixit Ioannes. Aeternis enim competit verbum substantiuum, Erat, at creaturis accommodandum est, ἐγένετο idest erat. Habent enim Græci discrimen inter ἦν καὶ ἐγένετο quam differentiam apud Latinos haud (mea quidem sententia) inuenire est. Quapropter idem Ioannes, de Baptista loquens, in sequentibus inquit; Erat homo missus à Deo: vbi verbum ἐγένετο (quod ad creaturas refertur) videre est. Nemo tamen miretur, cùm audit Mosem in sequentibus disserere; Terra autem erat inuisibilis; quo in loco ἦν, verbum substantiuum, quod æternis aptatur, locauit: Non ab re sic loquitur: erat enim prius conditã. Nam postquam dilucidè proposuißet Terram esse creatam, tum demum addidit; erat inuisibilis.

THEODORETVS in Catena Lippomani.

Metiri ergo consueuit diuina Scriptura doctrinam suam pro viribus erudiendorũ. Et perfectis quidem perfecta, imperfectis verò veluti elementa impartit. Itaque, quia Iudaicus populus diu cum Aegyptijs vixerat, qui plures Deos colunt, iure populo huic Moyses primum doctrinam de verò & solo Deo omnium creatore ac principio tradidit, ostendens omnia quidem principium habere, Creatorem verò sempiternum, & absque principio eße: vnde ait; In Principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Quam doctrinam & ipse didicerat, cùm audiuit. Ego sum; qui sũ.

b. *In Principio non æui, sed temporis.*

Quia in principio æui conditus est Mundus intelligibilis, Angelicis spiritibus accommodus: in principio verò temporis Mundus sensilis, ad erudiendos mortales, & locanda corruptioni obnoxia.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

Nec tamen absimile verò fuerit credere fuisse quidam vel ante Mundi istius constitutionem, id quod arcana quadam animi contemplatione licuerit intelligi, tametsi hac de re nihil in literas Moses transmiserit, quòd rei tantæ

tantæ cognitio parum idonea videretur istis paruulis, qui lacte dum doctrinæ initiandi rudimentorum fidei ve-
niunt & instituendi. Erat sanè status quidam Mundi generatione superior, abstractis illis à concretione mate-
riæ potentijs Mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus ni-
mirum ac perpes. Creaturas autem in ipso Creator omnium, atque Opifex perfecit, lucem spiritualem eorum
beatitudini accommodam, qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè præditas atque inuisibiles, om-
nesq; beatarum mentium ordines, quotquot nostræ mentis quantamlibet dixeris, facultatem exuperant, quorum
ne nomenclaturas quidem possimus inuenire. Et hæc substantiam complent Mundi illius inuisibilis.

Edocet deinde Mundum hunc sensilem productum fuisse, vt locum ad erudiendos
homines aptissimum, & ad locanda ea, quæ corruptioni, ac generationi sunt obnoxia.
De primo ait.

Tum demum conueniebat, his iam conditis Mundus vt accederet, & adiungeretur, qui in primis locus esset
perdocendis animabus hominum, atque erudiendis sanè quàm accommodus. De secundo post. *Dein, vt semel*
omnibus suo capaci sinu excipiendis domicilium esset appositissimum, quæ generationi pariter & corruptioni
obnoxia sunt. Sanè & Mundo huic, & ijs quæ tum in eo producta sunt animalibus & plantis, congener sub-
stitit temporis curriculum accedens semper, ac more fluentis aquæ recedens, nec vnquam à cœpto cursu restitans,
aut conquiescens. Quid enim? An non eiusmodi est conditio temporis? Quod enim eius transactum iam est,
vtique in nihilum abijt: nondum adest, quod est affuturum: quin quod adest, prius sensum fugit tuum, quàm
cognoris adesse. Talis planè est eorum quæ oriuntur conditio, ac genus. Aut enim augescunt in horam, aut
ad corruptelam deuergunt. Neq; enim in istis quicquam liquidò queas deprehendere, fixum quod sit & stabi-
le. Sanè conueniebat corporibus animantium, stirpiumque, quæ quasi defluuio cuipiam aquarum iugiter
scatentium lege naturæ adstricta videntur, & obnoxia vicariæ motioni nunc ad generationem, mox ad corrup-
tionem promouenti: vt intra vagam istam, nec consistentem temporis naturam continerentur, conditio cuius ijs
cognata est, quæ alternam subeunt permutationem. Tandem concludit. *Hinc propriè aggressus sermonē de Mun-*
do sapiens, nos his verbis edocet eius originem; In principio fecit: in eo nimirum principio, quod simul fuit
cum tempore. Neque enim iuxta rationem antiquioris, aut primigeniæ conditionis contestatur, Mundum hunc
ea quæ facta sunt, omnia antegredi, dicens in principio factum esse: sed postea, quæ non oculis istis, sed intelle-
ctu solo percipiuntur, principium narrat & originem rerum istarū, quæ visu queunt aut alio quouis sensu percipi.

Hanc doctrinam Basilij, quam sequutus est Gregorius Nazianzenus, Theodoretus,
& Patrum nonnulli præstantissimi, sæpius nos diuersis in locis perpendemus: plura si-
quidem sunt in ea discussione dignissima. Perquirendum nanque erit, quisnam fue-
rit iste Mundus intelligibilis; num corpus aliquod emicans, Empyreumq; ipsum: atque
item; num status ille Angelicorum spirituum beatificus loco vllo circumscriptus exti-
terit. Sed hoc definiemus, cùm de Empyreo negocium habebimus. Amplius; num An-
geli extarint ante Mundum; datoque, quòd extiterint; num in exordio æui peccarint
aliqui; & si peccarint; in quem locum rei detrusi fuerint, & ad quem beati assumpti.
Verùm de ijs disceptabimus in quæstione, num Angeli conditi sint ante Mundum. Su-
perest igitur, vt hoc loco tantùm sciamus interpretandum esse In Principio, pro princi-
pio non æui, sed temporis: quia vel æuum præcessit tempus, ex opinione eorū qui An-
gelos antecessisse Mundum opinantur, vel dato, quòd coæui sint Mundo, certè Moses
per vocem In principio, non æui, sed temporis exordium significauit; vt ex antedictis
constare potest. Quæ autem dixit Procopius, principij nomine non capiendum esse
æternitatis principium, quia ipsa mensurari nequit, & principio careat, probè certè di-
xit: vnde & inferri potest, Mundum ab æterno non fuisse: Et elegantius etiam addidit,
Esse, propriè competere æternis; Fieri autem ijs, quę sunt tempori obnoxia. Quanquam
id quod adduxit de ἦν, et ἐγένετο; quòd ἦν scilicet, significet, Erat, & competat æter-
nis, & ἐγένετο tantùm creaturis, in praxi verificari non possit, cùm has voces promi-
scuè, & sine hac differentia positas vbique inueniamus.

AVCTOR.

Perennem eam æternitatem omni prorsus initio carentem, quæ ante Mundum apud
Deum perenniter extitit, Patres diuerso modo nominarunt.

DIONYSIVS indifferenter illam, æuum, atq; æternitatem appellauit, teste D.
Thoma in scriptis, secundo Sententiarum distinctione secunda.

BASILIVS eam ipsam, æternum tempus vocauit, Homilia prima Hexæme-
ron, dicens.

Mundus ille temporis conditione anterior, æternus nimirum, & perpes.

 Ioannes

IOANNES Damascenus Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite primo, sæculum illam nuncupauit; ait nanque.

Siquidem sæculum dicitur vniuscuiusq; hominum vita. Dicitur rursus sæculum, tempus mille annorum: sæculum, præsens Mundi duratio, quæ in septem sæcula, hoc est ætates secatur: sæculum, futura post hunc Mundum vita: sæculum vnum, & ante Mundum, & post Mundum ęternitas: ipseque Deus sęcula fecit, qui est ante sęcula: ad quem Dauid; A sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus. Psal. 89.

ISIDORVS de Summo bono libro primo, capite decimo, æternitatis ei nomen imposuit, inquiens.

Ante Principium non fuit tempus, sed æternitas: tempus verò à substitutione Creaturæ, non Creatura cœpit à tempore.

ANSELMVS Cantuariensis de Imagine Mundi libro secundo, cap. primo, ęuum illam dixit, cùm sic tempora partitus est.

Aeuum est ante Mundum, cum Mundo, post Mundum, hoc solum ad Deum pertinet, qui non fuit, non erit, sed semper est. Tempora æterna sub ęuo sunt, & hæc ad archetypum Mundum & Angelos pertinent, qui ante Mundum esse cœperunt, cum Mundo, & post Mundum erunt. Tempus autem Mundi est vmbra æui; hoc cum Mundo incepit, & cum Mundo desinit, veluti si funis ab Oriente in Occidentem extenderetur, qui quotidie plicando collectus, tandem totus absumeretur.

Aeternitatis, Aeui, & Temporis discrepantia.

Cæterum Theologi perspectius tria esse temporum genera dixere; æternitatē, æuū, & tempus: Aeternitatem Deo, Aeuum Angelo, Tempus sensibilibus cunctis adscripsere. Inter æternitatem, & æuum eam constituere discrepantiam, quam inter Dei & Angeli naturam esse decreuerunt. Cùm Deus siquidem sit id, quod est; in Angelo, aliud sit esse, aliud essentia; Deus à se sit, Angelus à Deo; vti esse Angeli est imperfectius; ita æuum ęternitate deterius esse voluerunt. Inter æuum verò & tempus eam posuere differentiam, quam inter sensilium, & spiritalium essentiam esse animaduertere: Nam cùm in esse Angelico perennis sit permanētia; in esse Mundi perennis defluxus: In hoc, aliud sit id, quod prius est, & aliud quod post; In eo, secundum essentiam nulla mutatio: æuum dixere mensuram permanentium, in quorum essentia prius & post cerni non possunt: tempus verò mensuram rerum labentium, perpetuis vicissitudinibus addictarum. Et hæc est D. Thomæ in scriptis doctrina. Nonnulli æuo prius & post, cum successione, sine substantiæ innouatione applicarunt. Extat siquidem successio cum innouatione, vt aquæ defluentis à fonte, & absq; innouatione, vt radij à Sole: Nam radius ab eo coruscantissimo globo emissus semel, perenni continuatione cum ipso Sole rotat. Idque nos D. Bonauentura pulcherrimè edocet. Philosophari igitur ita possumus.

Aeternitas eorum mensura est, quorum idipsum est esse & essentia, & à se sunt: Aeuū eorum, quorum aliud est esse & essentia, & ab alio, nempe à Deo prosiliunt: Tempus eorum, quæ semper delabuntur: Aeternitas perenne habet præsens, quod semper fuit, & erit: Aeuum gaudet præsenti, quod quidem non semper fuit, attamen semper erit; vel quia non agnoscit in substantia succesionem, secundum D. Thomam, vel si noscit, noscit sine innouatione, vt ait D. Bonauentura: Tempus, & præteritum, præsens, & futurum suscipit: Aeternitas non principium, nec finem agnoscit: Aeuū principium habuit, sed finis erit expers: Tempus initio, fineq; conterminatur. Deus igitur æternitate gaudet, aliamq; vitam, alios annos, aliamq; ætatem à nobis beatam degit, tempus aliud diuinius, in quo dum esset, cùm sibi placuit, ad Mundi constitutionem venit: Angelus æuo lętatur, & siue ante Mundum, siue cum Mundo conditus fuerit, secum æuum tulit: Creatarum rerum congeries, quæ corruptioni sunt obnoxiæ, ab edaci tempore absumi ineuitabiliter dolet. Aeternitatis autem, ac æui partes assequi non possumus, nisi ex temporum comparatione, ea serie, vt operationes Dei, quæ sunt ad intra, sola æternitate commensurentur; quæ verò ad extra, quia ex beneplacito sunt, temporum differentijs explicari queant, vti & Angeli operationes.

a. *Verbo In principio, denotatur Dei æternitas, & omnipotentia.*

Aeternitas; Quia si in principio creauit Deus Mundum, ante Tempora extitisse designatur: Potentia, quòd tanta celeritate Mundum creasse in principio narretur.

Ambrosius

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. *Hoc verbo denotatur Dei Æternitas, quòd ante tempora extiterit, & Omnipotentia, quòd tanta celeritate Mundum condiderit.*

b. *Temerè inuestigatur, quo temporis principio, Deus Cœlum, Terramq; crearit.*

AMBROSIVS Hexęmeron libro primo, capite secundo.

Pulchrè quoque ait; In principio fecit; vt incomprehensibilem celeritatem operis exprimeret, cùm effectum prius operationis impletæ, quàm indicium cœptæ explicuisset.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Creationem Mundi insinuans Scriptura diuina, aptè primo statim verbo ęternitatem, atq; omnipotentiam Dei Creatoris ostendit. Quem enim in principio temporum Mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designatur: & quem ipsum conditionis initio Cœlum & Terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat; cui voluisse, creaße est. Nam humana fragilitas cùm aliquid operatur, verbi gratia, domum ædificamus, in principio operis materiam præparamus, & post hoc principium, fodimus in altum, deinde mittimus lapides in fundamentum, deinde pariter augescentibus lapidum ordinibus apponimus, sicq; paulatim ad perfectionem operis propositi perficiendo peruenimus: Deus autem, cuius manus omnipotens est, ad explendum opus suum, non eguit mora temporum: Quia scriptum est; Omnia quæcunque voluit, fecit. Psal. 113.

Tanta fuit celeritas, vt simul fecerit, quæ simul dici non possunt.

IVNILIVS vbi supra.

Vnde bene dictum est, quia in Principio creauit Deus Cœlum, & Terram: vt apertè detur intelligi, quia vtrunque simul ab homine dici non possit: Denique dicit Propheta; Initio Terram tu fecisti Domine. Hic autem Dominus Cœlum, & Terram in principio creasse narratur. Vnde liquidò colligitur, quia factura est vtriusque elementi pariter expleta: & hoc tanta velocitate diuinę virtutis, vt necdum primum Mundi nascentis momentum esset transcensum. Psal. 101.

GLOSSA Ordinaria hæc sic assumpsit.

Creationem Mundi insinuans Scriptura, primo verbo æternitatem, & omnipotentiam Dei ostendit. Quem enim in principio temporum Mundum creasse, eundem ante tempora æternaliter significat extitisse. Et quem in conditionis initio, Cœlum & Terram creasse narrat tanta celeritate operationis, omnipotentem esse declarat, cui voluisse, facere est. Bene ergo dicitur; In principio creauit, &c. Vtrunque scilicet simul, quamuis vtrunq; simul ab homine non dicatur. Vnde Propheta terram in initio factam ostendit, dicens; Initio tu Domine Terram fundasti.

b. Non inuestigandum, quando fecerit Deus Cœlum & Terram.

Temerè inuestigatur, quid faceret Deus, antequam crearet Cœlum & Terram, & in quo principio temporis, seu quando fecerit Cœlum & Terram; quia ibi de tempore inquirere non possumus, vbi non est tempus.

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite secundo.

Quod scriptum est, In principio fecit Deus Cœlum, & Terram, quærunt, in quo principio: & dicunt; Si in principio aliquo temporis fecit Deus Cœlum, & Terram, quid agebat, antequàm faceret Cœlum, & Terram? & quid ei subitò placuit facere, quod nunquàm antea fecerat per tempora æterna? His respondemus. Et post. Sed etsi in principio temporis Deum fecisse Cœlum & Terram credamus, debemus vtiq; intelligere, quòd ante principium temporis, non erat tempus. Deus enim fecit & tempora. Et ideò, antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuiße aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus, quod Deus non fecerat, cùm omnium temporum ipse sit fabricator? Et si tempus cum Cœlo & Terra eße cœpit, non potest inueniri tempus, quando Deus nondum fecerat Cęlum & Terram. Cùm autem dicitur, quid ei placuit subitò? sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non potest esse operator temporum, nisi qui

est

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

In Principio.

a. Igitur nihil eorum quæ videntur, expers est principij, neque etiam Cœlum, quamuis inter omnia sensilia longius à corruptione abesse videatur.

est ante tempora. Certè & ipsi Manichæi legunt Apostolum Paulum, & laudant, & honorant, & eius epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis, quid dixerit Apostolus Paulus; Agnitionem veritatis, quę est secundum pietatem Dei in spem vitæ æternę, quam promisit non mendax Deus ante tempora ęterna. Aeterna enim tempora, quid ante se habere potuerunt? Hoc ergo cogantur exponere, vt intelligant se non intelligere, cùm temerè volunt reprehendere, quod diligenter quærere debuerant. Non enim coæuum Deo Mundum istum dicimus, quia non eius æternitatis est hic Mundus, cuius æternitatis est Deus; Mundum quippè fecit Deus, & sic cum ipsa creatura, quam Deus fecit, tempora esse cœperunt. Et ideò dicuntur tempora æterna, non tamen sic sunt æterna tempora, quomodo æternus est Deus; quia Deus est anto tempora, qui fabricator est temporum. Sicut omnia, quę fecit Deus, bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est Deus, qui illa fecit, hæc autem facta sunt. Nec ea genuit de seipso, vt hoc essent quod ipse est: sed ea fecit de nihilo, vt non essent æqualia, nec ei à quo facta sunt, nec Filio eius per quem facta sunt; iustus est enim.

1. Ad Tit.

BEDA Quæstionibus in Genesim, sententiam, & verba Augustini mutuauit.

a. *Nil visibile, neque etiam Cœlum principio caret.*

Nihil certè eorum quę videntur, expers est principij, neque Cœlum, quanquam non interrupta circumlatione sine principio feratur; & Deum, vel Deo coęternum alij ipsum putarint.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

Nihil igitur, ò homo eorum quę oculis tuis subiecit Deus, opineris expers esse principij. Rursus cùm te vndique cingi his intelliges, quę iuxta Cœli motum in orbem cientur, nec tamen istius sphęricæ motionis principium quiueris sensu deprehendere; nolim eiusmodi corporum, quæ circulari latione aguntur, naturam putes esse principij expertem. Sanè orbis hic (planam dico figuram, quam vnica circumplectitur & ambit linea) tametsi sensum defugiat nostrum, adeò vt ne vnde quidem cœperit, inuenire possimus, aut in quem desiturus sit finem: non continuò decerni debet ob id exors esse principij. Esto id sensum effugiat, re tamen vera ab uno aliquo prorsus cœpit, qui centro ipsum circumscripsit simul & interstitio. Itidem & tu per hoc, quòd corpora hæc, quæ orbiculari cientur motu, intelligis quasi mutua conspiratione, & concordi annutu in seipsa versari: solerter prospice, ne ipsa eorum æquabilis motio, nec vllo prorsus intercisa medio, errorem tuæ menti instillet, aut insertum relinquat; quo male persuasus credas Mundum hunc, vt nullam aliquando sortitum originem, ita nec vllo fine olim contrahendum. Pręterit enim figura Mundi huius. Et, Cœlum, & terra transibunt. Vtrunque hoc dogma certò præcinens futuram consumationem, Mundique in melius permutandi innouationem, ipsa eadem complectitur, quæ & hic verborum compendio ad nostram omnium qualemcunque, nempè elementarem institutionem doctrinæ sibi diuinitus aspiratæ Moses tradit, dicens; In principio fecit Deus. Nam quę ex tempore cœperunt, necesse prorsus, eadem vt aliquando desitura sint & consumanda. De horum igitur fine nihil addubites, quæcunque ex tempore sumpserunt principium.

Progreditur postea Basilius contra Astrologos, qui Cœlum etiam Deum, & Deo coæternum asseuerare ausi sunt, plura disserere.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite tertio.

Cùm ergo tot oracula audias, quibus testificatur Deus, quòd fecerit Mundum, noli eum sine principio esse credere, quia quasi sphęra Mundus esse dicatur, vt principium eius nullum videatur extare: & cùm intonat, quasi in circuitu omnia commoueantur: vt vnde incipiat, vbi desinat, non facilè comprehendas: quia circuitus principium sensu colligere impossibile habetur. Neque enim sphærę potes initium reperire, vel vnde cęperit globus Lunæ, vel vbi desinat menstrua Lunæ defectio. Neque verò si ipse non comprehendas, idcircò non cœpit, aut nequaquam desinet. Si ipse circuitum, vel atramento, vel graphio ducas, vel centro exprimas; vnde cœperis, aut vbi desieris interuallo interposito, non facilè vel oculis colligis, vel mente repetis: & tamen & cępisse & desiisse tibi ipse testis es. Nam etsi sensum subterfugit, veritatem non subruit. Quæ autem initium habent, & finem habent: & quibus finis datur, initium datum constat; finem autem Mundi futurum, ipse Saluator docet in Euangelio suo, dicens; Pręterit enim figura huius Mundi: &, Cœlum, & Terra pręteribunt: & infra;

1. Cor. 7.
Matth. 24.

Ecce

In Principio.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. Igitur Mundus non est sine principio, siue æternus.

Matth. 28.

Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem Mundi. Quomodo ergo coeternum Deo Mundum asserunt,
& Creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam, corpusq; materiale Mundi, inuisibili illi,
atque inaccessibili naturę diuinæ coniungendum putant, cùm præsertim secundum suam sententiam non possint
negare, quoniam cuius partes corruptioni & mutabilitati subiacent, huius necesse est vniuersitatem eisdem pas-
sionibus, quibus propriè portiones eius sunt obnoxiæ, subiacere?

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Licet Cœlum præclarum sit ędificium, attamen non ęternum est. Nam æternum quiddam incorporeum, &
forma carens est: pręterea nec compositum, nec circumscriptum est.

BEDA expositione in Genesim.

Cœlum autem & Terra initium habent & finem apud nos, apud Deum sine initio habentur; idest, in prę-
sentia ipsius more hominis arcam facientis. Multæ autem hęreses in hac sententia præcauentur, quia alij dice-
bant, Cœlum & Terram sine principio fuisse, & nō Deum, sed Deos illa fecisse, & Deum antea non fuisse, & hę-
reses in hoc versiculo soluuntur.

a. *Nec Mundus est sine principio, siue æternus.*

PHILO de Mundi opificio.

Propter traditam à Mose creationem, præclarissima, & omnium optima edocti sumus. Primùm, esse,
& subsistere in natura rerum aliquod numen, aliquam diuinitatem, idq; propter impios ostensum. Secundum,
quod Deus sit vnus, propter eos, qui multos Deos induxerunt. Tertium, quòd Mundus is est creatus propter eos,
qui eum statuerunt sempiternum. Quartum, q̃ vnus sit etiam iste Mundus, quia creauit hunc ipsum, quē fecit.

Hæc autem ex quatuor primæ clausulæ verbis elici possunt. Nam si in principio creauit Deus Cœlum & Terram; igitur ante subsistebat aliquod numen, aliqua diuinitas: Si Deus, igitur vnus: Si Fecit, igitur Mundus est creatus: Si Cœlum, & Terram, & non Cœlos & Terras; igitur vnus Mundus. Sed tertiũ ex his exposcit, vt Mundum non esse æternum, sed à Deo vno fuisse creatum, cumulatiùs edisseramus.

AMBROSIVS Hexæmeron, libro primo, capite primo.

Quid igitur tàm inconueniens, quàm vt æternitatem operis cum Dei omnipotentis coniungerent æternitate,
vel ipsum opus Deum esse dicerent, vt Cęlum & Terram, & Mare diuinis prosequerentur honoribus? Ex quo
factum est, vt partes Mundi Deos esse crederent: quamuis de ipso Mundo non mediocris inter eos quæstio sit.
Nam Pythagoras, vnum Mundum asserit; alij innumerabiles dicunt esse Mundos, vt scripsit Democritus, cui
plurimum de Physicis auctoritatis vetustas detulit. Ipsum quoque Mundum semper fuisse, & fore Aristote-
les vsurpat dicere. Contra autem Plato non semper fuisse, sed semper fore præsumit astruere. Plurimi verò nec
fuisse semper, nec semper fore, scriptis suis testificantur. Inter has dissensiones eorum, quæ potest esse veri æsti-
matio, cùm alij Mundum ipsum Deum esse dicant, quòd ei mens diuina, vt putant inesse videatur: alij par-
tes eius: alij vtrunque in quo, nec quæ figura sit Deorum, nec qui numerus, nec qui locus, aut vita possit, aut
cura comprehendi? siquidem Mundi æstimatione volubilem, rotundum, ardentem, quibusdam incitatum moti-
bus, sine sensu Deum conueniat intelligi, qui alieno, non suo motu feratur.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite quinto.

Sed hoc mutabilitati Dei ascripserunt quidam, quòd fecit istum, quia non erat, Mundum illi videlicet qui vo-
lunt, Deo Mundum esse coæternum. Dixeruntq; , aut Deo coæternus est Mundus, aut certè mutabilis est Deus.
Si enim tandem aliquando fecit, quod in tantis æternitatis suæ spacijs non fecerat, profectò nouo consilio vsus
est: ac proinde mutabilis est. Ad hæc inquam: verissimè neque mutabilis est Deus, neque Deo coæternus est
Mundus. Nunquid mutabilitate vtitur quis, quando sapientiam suam nolens esse occultam, pulchram orationē
vel quippiam eiusmodi, quod vtique in mente habet secretum, describit in charta per atramentum & calamum,
& aduocat multos vt audiant sapientiam & intelligant vtilem scientiam? Nunquid mutabilis animi vitio di-
cendus est, pro eo, quia quod occultum habebat, vtiliter fecit, in publico vt cognosceretur auditorio? Non vtiq;
de mutabilitate culpandus, sed de beneuolentia collaudandus est. At verò Mundus, & omnia quæ Cœlo & Ter-
ra con-

ra continentur, quædam clarissima Sapientiæ Dei signa sunt, quæ videlicet Sapientia, siue Verbum, sic erat in corde Dei, priusquam ista fierent, sicut in corde tuo sapientia, vel ars prius est, quàm notulis visibilibus, aut opere aliquo illam significes. Vnde Euangelista, cùm dixisset, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: statim adiecit; Quod factum est, in ipso vita erat. Quæ videlicet Sapientia Dei, vt sciretur, vt esset vnde, vel à quibus cognosceretur, creauit Deus Cœlum & Terram, & posuit in Cœlo Angelos, & in Terra homines, qui ex seipsis & cæteris quæ facta sunt, tantum artificem vtiliter cognoscerent: Ergo nisi tu nimium ingratus sis, non Deum in hoc mutabilitatis accuses, sed de magna beneuolentia collaudes, & supplices gratias agas ei, quia propter gratuitam bonitatem suam, In principio creauit Deus Cœlum & Terram.

Ioan. 1.

Num Mundus sit Aeternus.

Arduam profectò, atque à Philosophis acrius ventilatam, ac iactatam esse hanc disceptationem agnosco; Sed vt meum exposcit institutum, citiùs diuersis, ac varijs recensitis sententijs, ab ea me exoluam.

Philosophorum de Mundi æternitate sententiæ.

PHILO in libro inscripto, quòd Mundus sit incorruptibilis, inquit.

Tres opiniones dissentiunt: Alij Mundum sempiternum aiunt, nec ortum unquam, nec interiturum: è diuerso alij & ortum, & corruptioni obnoxium; nonnulli vtranque sententiam diuidunt, ortum sentiunt cum posterioribus, corruptibilem negant cum prioribus: atque ita mixtum dogma reliquerunt, creatum esse, sed incorruptibilem. Democritus, Epicurus, & Stoicorum turba Philosophorum aiunt, Mũdos nascibiles, ac corruptibiles; verùm non similiter. Illi multos Mundos imaginantur, quorum generationem conflictationibus, & connexionibus atomorum tribuunt, corruptionem repercussionibus, & dissultibus: Stoici vnum Mundum asserunt, & Deum auctorem eius generationis; corruptionis verò non item Deum, sed indefessam vim ignis rebus insitam, post longas temporum ambages absumpturam, & in semet mutaturam omnia, ex qua denuò Mundum instauraturam Opificis prouidentiam. Iuxta horum opinionem potest dici alter Mundus sempiternus, alter corruptibilis: Corruptibilis, vt nunc est ornatus, & dispositus: Sempiternus, post exustionem reparabilis, vt nunquam desinat. Aristoteles nescio quàm piè, sanctèq; doctus, ingenitum, & incorruptibilem Mundum pronunciat, & impietatis damnat quotquot contrarium asserunt, qui manufactis præstantiorem non existiment Solem, tam magnum Deum visibilem, & Lunam, cæteraq; vel fixa, vel vaga sydera, omnia verè plena numine.

CYRILLVS contra Iulianum, libro secundo, inquit.

Pythagoras, & Stoici Mundum quidem dicebant esse genitum à Deo, & quantum ad naturam attinet, corruptibilem; sensibilem enim esse, idcircò & corruptibilem, non corrumpendum tamen prouidentia, & continentia Dei: Epicurus corruptibilem, vt animal, & plantam: Xenophanes ingenitum, & perpetuum, & incorruptibilem Mundum: Aristoteles partem Mundi sub Sole passibilem, in qua & terrena finiantur.

Theophilus Antiochenus libro primo ad Autolycum, consimilia recitat.

Verùm, quid ego hauserim, adducam. Primò, Chaldæos Mundum esse æternum existimasse, testatur Plutarchus libris de placitis Philosophorum. Hos sequuti sunt Xenophanes, Orthomenes, Calephonius, qui Eleaticæ sectæ princeps fuit, teste Theodoreto de Græcarum affectionum curatione libro quarto, qui est de Materia, & Mundo. Plato quid senserit, non est perspicuum, sed Chaldæis subscripsisse existimarunt Plotinus libro primo Aeneadis, Apuleius de Platonis dogmate, & Simplicius tertio Physicorum, & primo de Cœlo: Alij cum Mose Mundum conditum sensisse putarunt, vt Ioannes Grammaticus libro primo contra Proclum: Nostri etiam, Platonem Mundum conditum consimili cum Mose sententia opinatum fuisse, constanter asseuerant.

Philosophi Mundũ æternũ statuentes.

Platonis sententia de Mũdo.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo, Nicetam orantem istud asserere his inducit.

Quòd si idonei tibi testes videntur Philosophi; Plato de his testatur in Timæo, vbi de Mundi factura discutiens, requirit, vtrumnã semper fuerit, an initium sumpserit; & pronunciat, quòd factus sit: visibilis enim, inquit, & palpabilis, atque corporeus; omnia autem, quæ huiusmodi sunt, facta esse constat: Quod autem factum est, aliquem habet sine dubio auctorem, à quo factum est; hunc ergo, inquit, factorem parentemq; omnium, & inuenire difficile est, & inuentum vulgo enarrare impossibile. Hæc quidem dicit Plato.

Locum hunc insignem, præclarum, & valde memorabilem, citarunt Theodoretus libro quarto Græcarum curationum, qui est de Materia & Mundo; & Minutius Fœlix, & ante hos.

EVSEBIVS, qui de præparatione Euangelica libro vndecimo, capite decimo quinto, inquit.

Mose igitur vniuersa à Deo creata prædicante: In principio, inquit, creauit Deus Cœlum & Terram. Vide quemadmodum non excedit ab hac sententia Plato; Omne, inquit, quod factum est, necessariò à caussa factum est: fieri enim nihil potest absque caussa. Vniuersum igitur, aut Cœlum, aut Mundus, aut quauis alia notetur appellatione, considerandum vtrum erat semper, nullum generationis suæ habens principium; an factum est, & ab aliquo incepit principio. Visibilis igitur, & tangibilis est, cùm corpus sit: cuncta verò hæc sensibilia sunt, Quæ verò sensibilia sunt, opinioni subiacere, & facta esse demonstrauimus. Quod porrò factum est, à caussa factum esse necesse est. Caussam igitur, & Creatorem Vniuersi, qui sit, inuenire difficile est; & cùm inueneris, in vulgus edere impossibile. Et post. *Sic igitur rationem sequentes, nefas est dicere animatum hunc Mundum, ac verè mentalem à Dei prouidentia non esse factum.*

Sed ea est discrepantia inter Platonem, & Mosem, quòd Moses cuncta edidisse asseuerauit: Plato verò Deum, Cœlum, immortaliaq; condidisse elementa, cæteraq; Dijs secundis creanda, demandasse tradiderit.

AVGVSTINVS decimo de Ciuitate Dei libro, capite trigesimo primo, contra quosdam Platonis asseclas Platonis sententiam euertētes, ac ex mente Platonis Mundum Deo coæternum statuentes, ait.

Quanquam & de Mundo, & de his, quos in Mundo Deos, à Deo factos, scribit Plato, apertissimè dicat eos esse cœpisse, & habere initium; finem tamen non habituros, sed per Conditoris potentissimam voluntatem in æternum permansuros esse perhibeat. Verùm id quomodo intelligant, inuenerunt non esse hoc, videlicet temporis, sed substitutionis initium. Sicut enim, inquiunt, si pes ex ęternitate semper fuisset in puluere, semper ei subesset vestigium; quod tamen vestigium à calcante factum, nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamuis alterum ab altero factum esset: Sic inquiunt, & Mundus atque in illo Dij creati, & semper fuerunt, semper existente qui fecit, & tamen facti sunt.

Peripatetici Mundū æternum censuere, atque ex naturæ necessitate manasse, vti ex corpore prosilit vmbra, & radius ex Sole fluit, & speculo imago resultare conspicitur.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima, horum sententiam elegantiùs expressit, cùm dixit.

Et quia complures eorum, qui Mundum ab æterno simul cum Deo fuisse, sunt opinati; non ab ipso factum esse, sed quasi adumbratio quædam potentiæ ipsius esset, sponte velut obiter emersisse ipsum asseruerunt: atque caussam quidem ipsius, Deum esse fatentur, caussam tamen voluntate non concurrente; sed perinde atque corporis vmbræ, lucidumq; splendoris est caussa: ideò talem errorem emendare Propheta percupiens, hac verborum exactissima complexione vsus est; In principio fecit Deus, &c.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quinto, idipsum tradit, vt supra dictum est.

Neoterici attamen omnes de Aristotelis sententia dubitant: existimant alij, quòd ingentis nominis Philosophus Aristoteles, cùm enixè validissimis rationibus cōplures priscorum opiniones, & octauo Physicorum, & primo de Cœlo confutasset; suam de Mundi æternitate sententiam non perspicuam detulerit; maximè cùm primo Topicorum scriptum reliquerit; Quædam sunt problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, vt, vtrum Mundus sit ęternus. Quapropter quęnam fuerit eius mens, nō vtiq; esse exploratum, conspicuumq; concludunt. Sed econtrà alij clamant vsqueadeo Aristotelem suam sententiam prodere conspicuam libro octauo Physicorum, primo libro Cœli, secundo de Generatione & Corruptione, & duodecimo Methaphysicę; vt rudis, & ignarus Peripateticus dicatur, qui ex Aristotelis placitis ratam, dilucidamq; de ęternitate Mundi ipsius opinationem non eliciat: alioquin omnis doctrina de Deo, inquiunt, de Intelligentijs, de Cœlo, ruere, & obrui videretur. Quòd si problema dialecticum id appellauit, inquiunt, id dixit, non quòd de ipso dubitarit, & demonstrari non posse existimarit, sed quia problema hoc diuersis, aduersisq; abstractum sententijs, vtriq; parti disceptandi occasionem administret. Aristotelem apprimè insequuti sunt Proclus, contra quem Philoponus disceptat, & Auerroës; & ante hos Strabo Lampsacenus, & Plinius libro secundo capite primo; & alij asseclę eius quæstionibus innumeris se obuoluerunt: eo euētu, vt physica quadam obtenebrati indagatione, ad hyperphysicam supereminentem sese attollere, ac efferre, minimè potuerint. Aristotelis sētentia de Mūdi æternitate.

Empedocles Mundum singulari, & erronea sententia, specie ęternum, numero verò generabilem, ac corruptibilem existimauit; adeò vt Mundus Mundo succedat; & vno consumpto, alius generetur.

Sed aduersa acie, multò immensior est Philosophorum, ac Vatum antiquorum clas-

Philosophi Mundum genitum existimantes.

sis, quæ Mundum genitum autumat; Siquidem Mundi ęternitatis oppugnatorũ, quàm propugnatorum numerosior est acies. Nam pręter Chaldæos, Eleaticos, & Peripateticos, cunctæ ferè Sectæ Philosophorum vna conspiratione, annuente tacito naturę cõsensu, ac cunctarum gentium ferè iudicio, Mundum genitum tradunt. Vnde & Aristoteles ipse, secundo de Cœlo; Omnes, inquit, Mundum generant. Sed ne in re adeò perspecta, & aliena, in recensendis Gentilium sectis immorer; Ego hoc axioma, Mundũ esse creatum, non vt disceptandum, sed vt Fidei dogma suscipiendum, propono. Ex lapidibus nanq; in sacerdotali pectore insitis, lapis hic nobis prior est, fulgentior, & emicantior: ex Fidei, inquam, nobis confessis articulis, hic primus maior, augustiorq; iudicatur; Credo in Deum Patrem, Creatorem Cœli, & Terræ. Hoc Creationis Mundi dogma totius nostræ Religionis basis est inconcussa. Hoc Scripturæ Sacræ oraculis primum est promulgatum; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram. Hoc cunctorum Christicolarum consensu acceptum est, ac probatum; adeò vt nobis omnimodè execranda aduersa sententia videatur. Prisci nanque Patres, ita hoc dogma exceperũt tanquam certissimum, diuinæq; Scripturę oraculo prolatum, vt non ad astruendam veritatem istam, sed tantùm ad peripateticam de Mundi æternitate assertionem proscindendam, ac euertendam, omne studium, omnesq; vires suas conuerterint. Iustinus in libro de quęstionibus à Christianis Gentilibus positis, lucuĺẽter, & accuratè præcipua Peripateticorum fundamenta, quibus æternitatẽ Mundi astruere autumarunt, prosternit, ac diruit. Eã ipsam, Basilius de Mũdi Opificio, seu Hexæmeron Homilia prima, Ambrosius Hexæmeron lib. primo, Augustinus decimo de Ciuitate Dei libro, Cyrillus contra Iulianũ libro secundo, Theodoretus lib. quarto de Græcarũ affectionum curatione, paucis irriserunt, ac contẽpserunt, Zacharias Sholasticus Episcopus Mitylenensis lucuĺẽtiùs Dialogo de Mũdi creatione, contra Philosophos id edisserit. Fusius hoc dogma cribrarunt Scholastici Doctores in secundo Sententiarũ; definientes, ꝙ articulus sit Fidei, & à Scripturis euidentius sit proditũ; & quòd, si ex Deo naturę necessitate Mundus prodijsset, Deus liber Opifex, & Sator tunc non esset. Verùm, vt eorum mos est, subtilioribus, ac inutilioribus se obuoluentes disceptationibus, in eam quæstionem agmine facto properant: Num Deus potuerit Mundum condere ab æterno. Censuere siquidem nonnulli, Deum ab ęterno Mundum condere potuisse, adeò vt nullum ei impedimentum obstiterit, quominus si voluisset, Mundum ab æterno efficere potuisset: caussæ etenim in momento agenti, potest coęuus esse effectus: Propterea Mundum non fuisse ab ęterno certissimis, ac euidentissimis non posse euinci demonstrationibus dicunt; sed Fidei ratione, & reuelatione diuina tantùm: Vnde Mundi in tempore genesim, ac nouitatem (vt aiunt) nulla probabili ratione demonstrari posse edocent. Huius placiti præcipuus assertor visus est fuisse D. Thomas; cuius sententiæ postea subscripsere Thomistæ, pręcipuè autem Caietanus, & Capreolus. Alij Deum, Mundum ab ęterno non potuisse condere affirmarunt, quòd illi aliquid impedimentum fuerit, hoc est rei ipsius repugnãtia, quam & contradictionem Scholæ appellant; cùm repugnantia sit inconciliabilis, esse aliquid creatum, & esse ab æterno. Duces huius sententiæ sunt Albertus ille Magnus, D. Bonauentura, Henricus de Gandauo; quibus Scotistæ ferè cuncti adhęserunt, maximè Richardus de Media Villa: In eandem pariter sententiam conspirarunt Doctores, qui Mũdi æternitatem clarissimis, validissimisq; ac irrefragabilibus rationibus reijci, ac proscindi posse crediderunt. Horum præcipui fuere, ex recentioribus, Nicolaus Cusanus libro primo Excitationum, & libro De venatione sapientiæ, & Augustinus Steuchus De perenni Philosophia, & in Cosmopęiæ initio: qui & rethoricis figmentis, atq; coloribus (vt solet) immodestius D. Thomam, ac eius sequaces tacitè vexat; cùm se mirari, ac misereri multorum imperitiam, atq; insaniam dicat, qui clariori, & augustiori sapientia destituti, in hoc deceptorum hominum iudicia sequantur, vt putẽt sacrorum librorum auctoritatem sola fide teneri, cùm secum afferant diuinas, & potentissimas rationes; ideoq; falli, quia non sunt ex eorum numero, qui mentes naturali bonitate, & assidua imbuerunt exercitatione philosophandi. Sed hæc calumnia immeritò in D. Thomam, pijssimum, ac iudicij pondere solertissimum, optimę mentis, & indefessæ exercitationis doctorem, illata est; cùm maximè non alias ipse Steuchus contra Mundi

Tex. 102.

Creatio Mundi eminentissimus Fidei articulus.

Gen. 1.

Patres qui cõtra Mundi æternitatẽ scripserunt. Quęst. 2. 3. 4. & 5.

Dist. 1.

An Deus ab æterno Mundum condere potuerit.

Lib. Sent. 2. dist. 2. & pri. par. quęst. 46. art. 1.

Sentent. lib. 2. dist. prima. Quodlib. 1.

Cap. 38.

Lib. 7.

Defensatur D. Thomas.

Mundi æternitatem proferat rationes, nisi eas, quarum semina D. Thomas protulit; & quas, vt vetustas, rancidasq; ipse elusit, atque retudit.

Ego his omissis disceptationibus, veluti in Scholis satis, superq; tritis, atq; vulgatis, in sacrorum Declamatorum gratiam nonnulla adijciam, quæ Mundi æternitatem infringere, ac labefactare videntur; Deumq; liberum Mundi opificem, & sapientissimum effectorem astruere, atque omninò demonstrare conspiciuntur.

Quòd Mundus non sit æternus.

Cùm primum oculos in hoc producti à Deo libero satore Orbis theatrum erigo, Cœlumq; fulgente Sole, pallente Luna, emicantibus Astris perlucidum, perpetuis circũlationibus nuuquam lassatum suspicio; vel etiam erumpentem ignem, enitentem aërẽ, fluentes aquas, considentem terram, tanquàm istius theatri partes immensas, mirificis Vaporum, Lapidum, Metallorum, Auium, Piscium, Animantium generibus insignitas, intueor: pulchrum hoc, ac mirificum opus, pulcherrimam, stupendissimam, ac potentissimam Opificis Maiestatem indicare, ac demonstrare perspicio; adeò vt hac contemplatione, tanquàm prophetica visione perfusus, prodere audeam cum præstantissimo vate; Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum; & plena erat omnis Terra Maiestate eius; & ea, quæ sub ipso erant, replebant Templum: Seraphim stabant super illud, sex alę vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant: Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum, plena est omnis Terra gloria eius, & cõmota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis; & repleta est domus fumo. Siquidem si mentem attollo, elegantes contemplationes à nostro proposito non alienas, Prophetæ visio nobis suppeditat; præcipuè; Quis sit Dominus sedens; Quæ eius immensa Maiestas; Qui Seraphim; Qui clamor; Quæ commotio; ac denique; Quinam ille sit fumus. Quæ omnia paucis perstringentes, breuiter contemplabimur. Dominus sedens super solium, Deus est ipse Mundi conditor, ac opifex, qui quasi post sex dies ab omni opere, quod patrarat, quiescens, consedit in Mundo, vti in Templo; in solio excelso insuper & eminentissimo supernarum caussarum omnium fastigio; Maiestate autem eius plena est omnis Terra; quòd immensæ Dei Maiestatis fulgores in hoc eius opificio insiti, monumentaq;, ac indicia vbiq; splendescant, nitescant, ac appareant, prout in proximè sequenti Patrum Catena cuiq; intueri licebit.

Esaiæ 6.

Gen. 1.

Catena de fulgoribus diuinæ Maiestatis in Creaturis insitis; ex quibus elicitur, Mundum à Deo fuisse creatum.

Emicat siquidem tam ampla Dei sapientissimi opificis Maiestas in omni, tam supernarum, quàm terrenarum creaturarum classe, vt reiterare sępius possimus: Plena est omnis Terra Maiestate eius. Gregorius Nazianzenus, & quamplures Patrum, præcipuè Clemens, Tertullianus, Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus Hierosolymitanus, Theodoretus hos insitos in Mundi partibus quibuscunque diuinę Maiestatis fulgores, fusa, & vberrima oratione adeò lepidè explicant, ac edocent, vt breuissimo argumento eos elicere, ac sua methodo referre non ineptum iudicarim.

Esa. 6.

Esa. 6.

Quæ in Mundi machina Dei opificis gloria emicet.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo, cùm Nicetam alloquentem introduxisset, de splendescentibus in Mundi machina vnius artificis Dei facibus, seu monumentis hæc habet.

Sed etsi ipse, aliiq; Græcorum Philosophi, de factura Mundi silere voluissent: nonne omnibus intellectum habentibus palàm esset? Quis enim est exigui saltem sensus homo, qui cùm cernat domum, omnia quæ ad vsus necessaria sunt, habentem; cuius cameram in sphæræ gyrum videat collectam, eamq; vario splendore, & diuersis imaginibus depictam, Luminaribus præcipuis & maximis adornatam; quis inquam est, qui huiusmodi fabricam videns, non statim pronunciet à sapientissimo, & potentissimo artifice esse constructam?

ATHANASIVS Oratione contra Idola.

Sæpe ex operibus cognoscitur artifex, etiamsi in oculis non sit. Quemadmodum referunt de statuario Phydia, quem sua opera ex commensione, & proportione partium inter se, etiam absentem, extraq; contuitum positum repræsentarint; ita quoq; ex Mundi ordine, eius opifex, & conditor Deus intelligendus est, tametsi corporeis oculis spectari nequeat.

Quæ in Cælo.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo.

Et ita quis inuenietur insipiens, cùm Cæli opus inspiciat, splendorem Solis cernat, ac Lunæ, Astrorum cursus, & species, & vias certis rationibus, & temporibus videat diffinitas; non tam à sapiente hæc artifice, & rationabili, quàm ab ipsa sapientia, & ratione clamet effecta? Quòd et si secundum alios Græcorum Philosophos audire vis, & mechanicis imbutus es disciplinis: de excelsis, quæ traduntur, non te sine dubio latent. Ponunt enim sphæram æqualiter ex omni parte collectam, & ad omnia similiter respicientem, atq; à centro Terræ æquis spatijs distinctam, ipsaq; sui æqualitate ita stabilem, vt eam in nullam partem declinare vndiq; æqualitas collecta permittat: & ita à nullo fulcimento subuecta sustentatur sphæra. Quòd si verè hanc habeat similitudinem Mundi machina, euidens est opus in ea diuinum: Si verò, vt alijs visum est, super aquas posita sphæra, vel super ipsas fertur, vel in ipsis voluitur, etiam sic magni in ea artificis opus declaratur.

GREGORIVS Nazianzenus de Theologia libro secundo.

Porrò si aerem, quæque circa hunc sunt peragrasti, age nunc mecum Cælum, ac Cælestia ingredere. Et huc fides, magis quàm ratio nos ducat; siquidem in proximo cursu tuam imbecillitatem didicisti, & dum, quæ rationem tuam excedunt, cognoscere studes, rationem agnouisti. Cælum, inquam, mecum ingredere, ne semper supra terram, vel circa eam hæreas, hoc ipsum quod nescias, nesciens. Quis igitur circumduxit Cælum? Quis ordine hoc posuit stellas? Quin potius, vt, quod prius est, quæram; Quid cælum? Quid stellæ? Potes hoc expedire tu quisquis es sublimiorum istorum professor? qui, cùm quæ ante pedes sunt, ignores, neque teipsum pemetiri potes; tamen, quæ supra teipsum, & naturam tuam sunt, anxio labore inquiris, & rebus mensuram non subeuntibus inhias.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona, & ipse præclarè plura de Cælo monumenta profert.

Quid enim habent, quod accusent in hoc maximo Dei Opificio? qui stupere potius deberent intuentes Cælorum magnitudinem, qui adorare deberent constituentem, tanquam fornicem Cælum, & ex fluxa aquarum natura indeficientem Cæli naturam fabricantem. Dixit enim Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum: Semel dixit Deus, & permansit, neque deinceps cecidit. Aqua est Cælum, & igneus in illo Sol, & Luna, & Sydera; & quomodo ignea in aqua currunt? Quòd si quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Aegypto tempore Mosis exurentis in grandine, & consideret sapientissimum Dei opificium. Cùm enim futurum erat, vt propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra Cælos, vt cùm Terra pluuiarum irrigatione indigeret, paratum sit à natura ad hoc Cælum. Gen. 1.

IOANNES Chrysostomus alter ecclesiasticus præco, Homilia secunda de incomprehensibili Dei natura, hæc de Cælo edisserit.

Vides Cælum hoc, quàm pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum sit, quemadmodum vario Stellarum ordine exornetur & splendeat, quantum edurare potuerit temporis. Iam enim quinque millia annorum, atque etiam plus seruatur, & constat; nec tamen longo temporis spatio effectum est, vt senescat, sed ad corporis modum adolescentis robusti floret, vigetq; ætate: & quam principio sortitum est pulchritudinem, eandem integerrimam seruat, nulla ex parte factum deterius tanto spatio temporis. Attamen hoc pulcherrimum splendidissimis Stellis elegantissimè ornatum, infessum, eduransq; iamdiu, Deus, quem tu scrutaris, & rationibus tuis subijcis, & definis, quasi quis per ludum tugurium faceret; ita summa cum facilitate creauit. Quam rem Esaias propheta pulcherrimè exprimit, cùm dicit; Qui instituit Cælum sicut cameram, & extendit sicut tabernaculum super terram. Esa. 40.

ATHANASIVS Oratione contra Idola.

Quis enim Cælestem ambitum, cursum Solis & Lunæ, aliarumq; Stellarum situs, rationesq; actas in orbem, contrarias quidem, & diuersas, sed tamen in diuersitate illa æqualiter ordinem suum seruantes, non secum ratiocinetur, illa non à seipsis creata esse, sed alium esse earum rerum conditorem, gubernatoremq;?

Quæ in Astris.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo.

Sed ne de his, quæ non omnibus palàm sunt, incerta videatur assertio; ad ea veniamus, quæ neminem latent. Quis Astrorum cursus tanta ratione disposuit, ortusq; eorum, & occasus instituit, certisq;, & demensis temporibus vnicuique tenere Cæli ambitum dedit? Quis ad occasum alijs etiam redire in ortum permisit? Quis imposuit modum cursibus Solis, vt horas, & dies, & menses, ac temporum vicissitudines diuersis motibus figuret?

gnet? & nunc Hyemem, inde Ver, Aestatẽ, post & Autumnũ, certa cursus sui dimensione discernat? & sem-
per eisdem vicibus anni orbem inconfusa varietate constringat? Quis, inquam, tanti ordinis moderatricem
non ipsam Dei pronunciet sapientiam? Et hæc quidem secundum illa nobis dicta sint, quę de excelsorum di-
sciplinis traduntur à Græcis.

GREGORIVS Nazianzenus de Theologia libro secundo.

Sed Sol hinc concedat, tu verò Lunæ naturam, affectiones, magnitudinem, lucem, & cursus nostin? Tum qui
Sol diei, Luna verò noctis habeat imperium? Vtque hæc belluis inserat audaciam, ille verò hominem ad opus
excitet, dum certis viribus, vt nobis fuerit commodissimum, nunc sublimis fertur, nunc se demittit. Iam Vergi-
liarum nexum, aut Orionis armaturam, scilicet intellexisti? vt qui Stellarum multitudinem numeres, earumq;
singulis nomina indas. Tum quo quæq; decore prę cęteris cõmendetur, qui motus ipsarum ordo, cõpertum habes?
dignus videlicet, cui fides habeatur, res nostras, atque adeò mortalium facta ad syderum rationem applicanti, &
per hoc in Creatorem creaturam armanti?

Splendidissimorum horum luminum fulgores, influxus, magnitudines, cursus nobis propemodum ignoti Dei opificis maiestatem indicant, atque demonstrant, vt clamemus; Plena est omnis terra Maiestate eius.

ATHANASIVS Oratione contra Idola.

Quis item Solem conspiciens diurno tempore exorientem, Lunam verò noctu apparentem, indemutabili lege
pro certo numero dierum incrementa, & decrementa sumere, ex syderibus alia discurrere, & multipliciter cursus
suos euariare, alia verò citra vagationem certo modo procedere; non animo colligat omninò esse aliquem opi-
ficem, qui ista gubernet?

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Operæpretium autem fuerat illis, non modo Solis & Lunę machinam admirari, & stupere: verumetiam A-
strorum ordinatos progressus, & perpetuos cursus, & vniuscuiusque opportunos ortus. Et quomodo alia qui-
dem sunt signa Aestatis, alia verò Hyemis; & quomodo alia quidem tempus seminandi indicant, alia naui-
gandi initium significant; ita vt homo in naui sedens, & incertis fluctibus nauigans, in Stellam aspiciens, diri-
gat nauem. De quibus etiam Scriptura; Et erunt, inquit, in signa & tempora, & annos: non in Astrologiam, Gen. 1.
& Genethliacorum fabulationes. Vide autem, quomodo etiam in die nobis pulchritudinem conferat, non ex
improuiso. Non enim statim Solem orientẽ intuemur, sed progreditur paulatim lumen, vt prospiciens pupilla,
possit deinde maiores radios aspicere. Quomodo verò noctis tenebras Lunari splendore consolatus est?

Quæ in Sole.

GREGORIVS Nazianzenus vbi supra.

Hic splendoris excellentia cæteras Stellas magis obscurat, quàm earum aliquæ minores alias. Cuius argu-
mentum est, quòd hæ, quamuis infra in suis orbibus obscurantur, ille tamen in superiori orbe magna claritate
conspicuus manet, ac eas, ne tum quidem cùm vnà secum existunt, conspici sinit; ipse interim pulcher vt spon-
sus, velox, & magnus vt gigas (neque enim libet hunc aliunde, quàm è nostris literis exornare,) tanta
præditus facultate, vt è tanta Cælorum celsitate, tanto interuallo subiecta, partim luce, partim calore attingat,
nec sensum eius effugiat quidquam, dum implet oculos omnium lumine, & corpoream naturam calore. Nimi-
rum & temperaturæ suauitate, & motus ordinata varietate, fouens, non vrens: omnibus præsens, omniaq; ex
æquo contingens. Atqui illud, quod ab externorum quodam profectum est, si quid valeret intelligeres, imma-
ne, quanti tibi esset? Quod, inquit, in intellectilibus est Deus, hoc in sensilibus Sol. Nam vt ille mentem,
ita hic oculos illuminat, vtq; ille eorum, quæ percipiuntur intellectu; ita hic eorum, quæ sensu, longè est pul-
cherrimum. Sed quid illud, cuius vi ab initio mouetur? quid adeò, quo hic motus in orbem æterna vertigine
ita voluitur, vt dies, noctesque pariat?

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi prænotata.

Quis autem non admiretur aspiciens Solis machinam? quàm paruum vas illud apparet, & quàm magnam Psal. 18.
continet virtutem. In Oriente apparens, & vsque ad Occidentem lumen emittit. Cuius matutinos ortus descri
bens Psaltes, dixit; Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Splendoris illius proportionem, pro ip-
sius modo apparentis in Cælo descripsit; meridianam enim illius rapiditatem persæpe propter feruorem fugi-
mus. Simul vt oritur, calidus est omnibus, tanquam sponsus conspicuus. Aspice autem & cursum ipsius, im-
mò potius non ipsius, sed illius, qui cursum illi per mandatum definiuit. Quomodo altior quidem Aestate, dies
efficit longiores, dans ad labores hominum opportunitatem; Hyeme verò contrahit cursum, vt frigoris tempus
longius non videatur, sed noctes quidem factæ maiores, iuuent homines requie, iuuent & in fructificatione ger-
minum terræ.

AMBROSIVS Hexęmeron libro quarto, capite primo.

Oculus est enim Mundi, iocunditas Diei, Cæli pulchritudo, Naturæ gratia, pręstantia Creaturæ. Sed quan
do hunc vides, auctorem eius considera: quando hunc miraris, lauda prius ipsius Creatorem. Si tam gratus est
Sol, qui consors, & particeps est creaturæ; quàm bonus est Sol ille iustitiæ? Si tam velox iste, vt rapidis cursi-
bus

bus die ac nocte lustret omnia; quantus ille, qui vbique semper est,& maiestate sua complet omnia? Si admirabilis qui iubetur exire; quàm super admirationem qui dicit Soli,& non exoritur, vt legimus? Si magnus est, qui per horarum vices locis aut accedit, aut decedit quotidie; qualis ille, qui etiam, cùm se exinaniret, vt nos eum possemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum? Si præstantissimus qui obiectu terræ sępe patitur defectus; quantæ maiestatis, qui ait; Adhuc semel ego mouebo Terram? Illum terra abscondit, istius motum non potest sustinere, nisi voluntatis eius substantia fulciatur.

Iob. 9. Joan. 1. Agg. 2.

Quæ in Nocte, et Die.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Perspice autem, quomodo ordine pulchro sibi mutuò dies correspondent; Aestate aucti,& Hyeme diminuti; Vere autem & Autumno, æqualitate interuallorum mutuò decorati. Et noctes quoque similiter perficiunt. De quibus Psaltes ait; Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Nam his qui non habent aures hæreticis, modò non clamant per hunc optimum rerum ordinem,& dicunt; Nullum esse alium Deum, præter ipsum opificem, definitorem & gubernatorem vniuersorum.

Psal. 18.

Quæ in Anni temporibus.

ATHANASIVS Oratione contra Idola.

Quis oculis vicissim animaduertens, Hyemem concedentem Veri, Ver Aestati, Aestatem Autumno, eaq; inter se contraria: cùm aliud infrigidet, aliud feruefaciat, aliud foueat, aliud corrumpat; omnia tamen ista ęqualem, innoxiumq; vsum hominibus conficere: non consideret esse aliquem istis prestantiorem, qui omnibus ęqualitatem prębeat, omniaq; gubernet, quanquam sub oculos nostros non veniat?

Qualitates contrarias,cō cordes fieri à Deo.

Quæ in Elementis.

ATHANASIVS Oratione eadem.

Quis item cernens contrarias in se naturas, coaptatas tamen esse, & concordem harmoniam tenere: veluti quis videns ignem frigido,& siccum humido commixtum esse, atque hæc sibi inuicem non resistere, sed vnum quasi ex vno corpus absoluere: non secum cogitet, foris & seorsum esse eum ab istis, qui ista ad hunc modum coniunxerit?

Quæ in Elementorum diuersitate.

IOANNES Chrysostomus Homilia in Psalmum centesimum trigesimum quartum.

Quemadmodum enim qui habet in thesauro, securè omnia,& quando vult, profert;ita etiam Vniuersi opifex fecit facilè, & naturæ tradidit. Vide quanta sit etiam in aëre differentia, quemadmodum sunt in aqua, & igne multæ mutationes. Aquarum enim aliæ sunt fontanæ, alię verò marinæ,alię autem aëreæ,aliæ quæ sunt in nubibus, alię verò cœlestes, aliæ quæ sunt supra Cœlos, alię quæ sunt subterraneę. Et in igne, hic quidem est in Sole, ille verò in Luna, alius in fulgure, alius in aëre, alius qui fit ex lignis, qui est apud nos,& is qui est in lucernis, alius qui ex terra; est enim sæpe eiusmodi ignis, qui è terra editur sicut fontes aquarum, alius qui fit ex collisis lapidibus, alius qui est in comis arborum,quæ ipsę quoque colliduntur, alius autem in fulminibus. Ita etiam in aere, hic quidem est crassior, qui est circa nos: ille verò subtilior, qui est superior, magis igneus. Porrò autem ventorum quoq; sunt multæ differentię: hic quidem subtilior, ille verò crassior; alius quidem frigidior; alius verò siccior; alius quidem humidior, alius verò calidior. Aer autem & nubes, hęc quidem tardior, illa verò progreditur celerius, perinde ac si esset eques. Illa etiam in nubibus & ventis, hę quidem sunt similes vrnis,& vasis aquarijs, vt quę aliquando quidem sint plenæ aquis, aliquando verò ferantur inanes. Aliæ verò sunt flabello similes. Tu autem hæc, eorumq; diuersitatem & varietatem considerans, admirare Opificem.

Quæ in Elementorum commixtione.

ATHANASIVS Oratione contra Idola.

Quis spectans in aëre nubes ferri,& in nubibus aquarum pondus colligatum, non cognitionem concipiat de eo, qui eas res colligauit, cuiusq; iussu hæc omnia fiunt? Aut quis considerans ipsam Terram natura grauissimam in aqua stabiliri, immotamq; consistere in re suapte natura agitabili; non secum expendat esse aliquem, qui hæc ita disposuerit & fecerit, Deum? Quis rursus videns suis temporibus Terræ fæcunditatem, ac pluuias cœlestes, amnium affluxus, fontium scaturigines, animalium ex diuersis sexibus fœturas; eaq; non semper, sed certis temporum vicibus fieri: in summa quis animaduerso in dissimilibus, contrarijsq; parem, similemq; ordinem ex illis conflari, non animo ratiocinetur, vnā esse vim, potentiamque, quæ ista dispenset & gubernet? pro cuius arbitrio, omnia ita ritè in eo statu perseuerant? Ipsa enim per se nunquam vel constiterint, vel apparuerint ob mutuam

Dei opera extra leges Naturæ.

mutuam quæ in illis est naturæ discordiam. Aqua enim per se grauis est,& deorsum fluit; nubes contra leues,
& ex eo numero rerum, quæ agiles sunt, sursumq; feruntur; nihilominus tamen aquam, quæ ponderosior est, in
nubibus per aerem circumferri. Ac rursus Terram omnium grauissimam esse, rursus verò aquam hac leuiorẽ;
tamen grauius à leuiori portari, nec subsidere, sed terram immobilem consistere. Et post. *Et vt compen-*
dio dicam, frigidum calido infestum est, humidum sicco repugnat; ob id tamen postquam conuenerint, nihilo
magis inter sese seditionibus laborant, sed ex concordia vnum corpus,& rerum omnium procreationem consti-
tuunt. Non igitur pugnantia,& contraria ex ipsa natura in vnum coalescerent, nisi præstantior aliquis esset,
& dominus, qui ea coniungeret, cui & ipsa elementa, tanquam ancillæ dominę suæ obsequentes cedunt,
& obtemperant.

Prosequiturq; pluribus id vnum demõstrare, quòd seditione omnia ruerent, si Deus vnus moderator Mundi partes repugnantes non conciliaret.

Quæ in Elementorum duratione.

THEODORETVS libris de Prouidentia mirificè & ipse vberrima Oratione de his edisserit, præcipuè autem libro quarto de Græcarum affectionum curatione, qui est de Materia & Mundo, hæc habet;

Inseruit autem & rebus omnibus quas creauit, sufficientem ad id temporis facultatem, quo esse illas ac per-
durare decreuit. Et quo factum est, vt tellus, hodieq; ita permaneat, sicut ab initio facta fuit; neque item Ma
re augescat, neque decrescat; vtq; aer, quam ab initio naturam sortitus est, inuiolatam conseruet; neque Sol firmis
simum illud Cœlum, per quod assiduè currit, eliquare possit, neque dissoluere; sed neque ipsum firmamentum,
tametsi humida sit natura, flagrantem Solem extinguat. Singulę enim res, quod ab initio munus sortitæ sunt,
illud perpetuò conseruarunt. Contrarias siquidem sicci atq; humidi qualitates, rursusq; calidi & frigidi, in ami
citiam, fœdusq; composuit rerum Opifex. Quotiescunque igitur omnia hæc videmus; quoties Solem modo
ad Boreales tractus, modò ad Australes, modò ad æquatas Cœli partes excurrere; quoties & Lunam modò au-
ctam lumine, modò imminutam; nec minus & stellas certis orientes temporibus, & occidentes, messis præte-
rea & sementis tempus significantes, tum & nautis ostendentes hyemem, ac tranquillitatem: ne quæso amici
homines hęc ipsa nobis Deos faciamus, sed horum potius Auctorem, Opificem, Gubernatoremq; laudemus,
ac per ea quæ contuemur oculis, pergamus ad eum, qui videri non potest. Ad hoc autem nobis non est opus
peregrinatione, sed fide; per hanc enim solam videre illum nobis licebit. Cùm itaque stationes anni videbimus
suis quanq; pertransire temporibus, cùm terræ pluuiam dispensari, cùm terram germinare, cùm virentibus her-
bis obduci, vndare segetes, prata floribus renidere, comare syluas, ramos arborum fructibus prægrauari, lin-
guam moueamus in eius laudem, qui hæc Terræ dona contribuit. Ne verò Montium Nymphas, nève fontiũ
ac fluuiorum, nève filias Nerei referamus in Deos. Ne cantemus Iulum Cereri, nève ipsi Rheæ Lytiersan: Ne
Baccho Dithyrambum: Ne Peana Pythio Apollini, nève Dianę concinamus Hypoepum. Sed rerum omnium Psal. 103.
conditori Deo hymnos Dauidicos proferamus, cumq; eo pariter exclamemus; Quàm magnificata sunt opera
tua Domine, omnia in sapientia fecisti. Quotiescunque canoras aues audiemus varios cantus emodulari, cica-
dasq; tremulos vibrare concentus, Musis, Syrenibusq; dimissis, sapientissimum Deum, eundemq; potentissimum
adoremus, qui & einsmodi auiculis tantam tribuit Musicæ harmoniam, & humanum genus vndecunque nu-
trit, fouet, ac mulcet.

Quæ in Aere.

THEODORETVS libro nuper à nobis citato.

Ego itaque vehementer admiror naturam aeris inconsumptam persistere, cùm tamen tot numero homines,
totq; animalia rationis expertia, illum spirando & attrahant,& remittant, Solisq; adeo ferventes radij permeã
do traijciant, pręterq; Solem ac Lunam idipsum stellæ quoq; efficiant. Sed enim vndique Mundum intuenti, mi
raculum miraculo superadditur. Parum verò abest, ne confidenter dicam miraculum hoc loco pro miraculo ha-
bendum non esse. Cùm sit enim Mundi Opifex Deus omnipotens, quæcunq; ab eo fiant, decet admirari quàm mi
nime, sed auctorem profectò decet laudari quàm maximè.

GREGORIVS Nazianzenus de Theologia libro secundo.

Quis, qui diffudit aerem, ingentes profectò diuitias, adeoq; copiosas, vt benignitatem suam neque dignita-
te, neque fortuna cuiusquam emetiatur: adeò latè patentes, vt nullis finibus terminetur, neq; certis ætatis gra
dibus sese impertiat. Sed ex quo, vt olim Manna quantum satis sit, quisque pro se accipiat, sitq; hoc modo ex
sortis equalitate apud omnes gratiosa largitio. Hic volatilis natura suum vehiculum habet; hic Venti sedem;
hic Anni partes pro rerum opportunitate temperantur; hic animantium refrigerium, immo non aliud est vin-
culum, quo anima cum corpore cohæreat, conseruetur q;. In hoc corpora, & cum hoc etiam loquendi facultas
vigent; In hoc est quidquid aut per se lucet, aut aliunde illuminatur: per huius denique tractum visus, ve-
lut iaculantes vires suas, exercet.

Quæ

Quæ in Aëris impressionibus.

GREGORIVS Nazianzenus vbi supra.

Sed enim cætera considera. Neque enim quæ aeri vulgo tribuuntur, vniuersa hæc concedam in eius esse potestate, quænam Ventorum sunt receptacula? Qui niuium velut thesauri? Quis, qui secundum quod scriptum est, roris stillas peperit? Tum è cuius ventre procedit chrystallus? Quis aquam alligat in nubibus eo temperamento, vt partim quidem supra nubes sistat (tanto miraculo fluxæ naturæ verbo coërcitæ) partim autem supra faciem omnis terræ effundat, dum tempestiuè, & æqualiter velut semina spargit, nec liquidam hanc essentiam liberam, laxatamq; dimittit, (semel enim Mundum hoc lauacro Noë temporibus expurgatum sufficit: nec pacti sui immemor est is, qui ab omni mendacij specie est alienissimus) nec coërcet omnino, vt ne Elia aliquo siccitatem deprecante, denuò sit opus. Si, inquit, Cœlum clauserit, quis aperiet? Si verò aperuerit cataractas, quis eas coërcebit? Quis enim pluuiæ in vtrunq; liberam vim ferret, si non ipse suis ipsius mensuris, certisq; sistendi legibus dirigeret vniuersa?

Iob.38.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Quis est pluuiæ pater? Quis est qui peperit guttas roris? Quis est qui aërem condensat in nubes, & imbrium aquas portare iubet? & aliquando quidem à Borea nubes splendidas adducit, aliquando verò in caliginem transmutat easdem; & rursus in varios circulos transfert, & figuras. Quis poterit numerare nubium varietatem? de quibus dicit Iob; Constituit autem diuersitatem nubium, Cœlum verò declinauit in terram. Et; Non rumpitur nubes sub ipsa. Tot enim sunt aquarum mensuræ super nubibus, & non rumpuntur, sed omni cum ordine in terram sparguntur. Quis est qui educit ventos de thesauris suis? Quis est, vt diximus, qui parit guttulas roris? De cuius ventre egreditur chrystallum? aquea enim substantia, & vis illi est lapidea. Et; quomodo aqua fit nix sicut lana? Quando verò & nebulam sicut cinerem spargit, quandoq; in lapideam substantiam mutat? Cùm madefacit aliquid aqua, vna quidem illius est natura, sed diuersa operatio. Aqua in vineis, vinum facta, lætificat cor hominis; & alibi in diuersa fructuum genera mutatur. In his blasphemare ne Opificem, an adorare oportet?

Quæ in Ventis, & Imbribus.

CLEMENS Papa Recognitionum, libro octauo.

Quid autem & de his, quę vel in Terris, vel in Mari videmus, nonne euidenter edocemur, Dei in his non solùm opus esse, sed & prouidentiam? Nam quòd in Terra Montes excelsi, certis quibusq; habentur in locis; vt ex his velut compressus, & coangustatus aër, ordinatione Dei cogatur, & exprimatur in Ventos: ex quibus & fructus germen concipiant, & æstiuus ardor temperiem sumat: Cùm Pleiades ignitæ Solis ardoribus incanduerint. Sed dices; Cur & ardor Solis, vt temperies requiratur? & quomodo fruges humanis vsibus necessariæ maturescerent? Sed & illud aduerte, quod ad axem Meridianum, vbi plus est caloris, non multa datur nubium constipatio, nec abundans copia imbrium funditur, ne morbus habitantibus generetur; humidæ enim nubes, si calore rapido coquantur, aërem corruptum & pestiferum reddunt. Sed & Terra, calidum imbrem suscipiens, non nutrimenta segetibus, sed perniciem præbet: in quo, quis dubitat opus esse diuinæ prouidentiæ? Denique Aegyptus, quia Aethyopicis è vicino flagrat ardoribus: ne insanabiles corruptelas aëris imbrium necessitate susciperet, campi eius non pluuiam nubibus ministratam, sed terrenum quodammodo imbrem, Nilo inundante, suscipiunt.

Quæ in Fulgetris, & Tonitruis.

GREGORIVS Nazianzenns de Theologia libro secundo.

Deinde, quid certi afferes mihi de fulgetris, de tonitruis, o Philosophe, quisquis in Terra repens Cœlo velut obtonas, cùm ne minima quidem veritatis scintilla tibi illuxerit? Quos vapores à Terra sursum vergentes, qui nubium parentes sint, causaberis? aut aeris quandam densationem, aut nubium velut insanientium collisionem, fragoremq;? Nimirum vt collisio tibi fulgetrum, tonitru verò fragor efficiat? qualis spiritus iste, qui in arctum adeò cogitur, vt exitu inde sibi aliquantisper frustra quæsito, in nubis obiectæ latus impressione facta & stellanti fulgore coruscet, & perruptionis sonitu crepet?

Quæ in Aqua, Fluminibus, Fontibus, et Mari.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo.

Quid de Fontibus dicemus & Fluuijs? qui perenni in Mare fluunt meatu? & per diuinam prouidentiam nec illis abundans deficit cursus, nec Mare, tantas aquarum recipiens copias, vllum sentit augmentum; sed in eadem mensura, & ea quæ conferunt, & ea quæ ibi conferuntur, elementa perdurant. Sed dicis mihi, salsa aqua naturaliter consumit fluentum dulce, quod ei fuerit infusum. Et in hoc ergo manifestum est prouidentiæ opus, vt salsum faceret illud elementum, in quod cursus omnium aquarum, quas ad vsum hominibus præstiterat, declinauit:

nauit: vt ne per tanta sæculi spatia, repletus Maris alueus, inundationem perniciosam terris, & hominibus redderet. Nec ita quisquam insipiens erit, vt hanc tantam rationem, tantamq; prouidentiam, ab irrationabili natura arbitretur esse dispositam.

GREGORIVS Nazianzenus præasserto libro.

At Maris si non possem mirari vastitatem, mirarer tamen mansuetudinem: videlicet, quòd cùm liberum sit ac solutum, tamen inter proprios limites consistat. Quòd si non mansuetudinem, certè magnitudinem suspicerem: verùm quando vtræque res inuitant, vtriusque quoq; facultatem prædicabo. Tum autem, quæ uis Mare hoc sic coëgit, quæ sic velut lege astrinxit? Quæ vndis attollitur, & tranquillitate resistit, Terram velut vicinam suam reuerita? Qui fit, vt cùm tot fluuios excipiat, ipsum tamen tanto accessu nihil increscat? Nimirum propter ingentem aquæ abundantiam, aut ipse quid aliud pro caussa adferri oportet haud scio. Postremo, qua ratione ipsi arena sit margo tali ac tanto elemento. Habentnè hic aliquid, quod probabiliter afferant, naturam sibi exploratam professi vani isti sapientes, & re vera ciato Mare metientes, vt qui ingenii sui angustijs res tantas pertractent? An potius ipse compendio rem ex scriptura transigam, longè certè, quàm istorum prolixæ disputationes, tùm probabilius, tùm verius, præceptum, inquit, circumdedit supra faciem Terræ; hoc est liquidæ naturæ vinculum. Adhæc quomodo Terræ pondere grauem nautam gestat exiguo ligno, & flatu? Hoc cū vides, non miraris? nec cogitationis acies retunditur, dum attendis, vt pro vsibus, & commercijs Terra Mari coniungatur, & in hominis gratiam ea coëant, quæ alioqui tantis interuallis distant?

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi præallegata.

Vna est aquarum natura, & ex eadem est natantium & volatilium substantia; vt sicut illa natant in aquis, sic & aues volent in aëre. Hoc Mare magnum, & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus. Quis poterit enarrare piscium in ipso pulchritudinem? Quis eloquatur cætorum magnitudinem, aut amphiuiorum animantium substantiam? Quomodo & in terra rudi, & in aquis degunt? Quis poterit eloqui Maris profunditatem, & latitudinem, & immensum fluctuum impetum? Qui tamen intra limites suos consistunt, propter eum qui dixit; Hucusq; progrediaris, & non transgrediaris: & in teipso confringantur fluctus tui. Quod sanè manifestat impositam sibi legem, quandoquidem excurrens, fluctuum quandam lineam apertam efficit in littoribus: ostendens intuentibus, quòd præfixos sibi non transgreditur terminos.

GREGORIVS Nazianzenus libro iam allegato.

Hinc percurre mihi Terræ communis omnium matris longitudines, latitudinesq;, ac sinus marinos, qui & inuicem & terræ connectuntur, tùm nemorum pulchritudines, fluuios, fontes vberes adeò, & perpetua scaturigine affluentes, non tantùm frigida, potabiliq; supra terram, sed & qui sub terra fluentes cauernas subeant. Vnde dum violenti flatus impulsu erumpere gestiunt, interuenientis materiæ obiectu reuerberantur, donec eluctationis, mutuæq; impressionis impetu feruescentes, paulatim qua datur, perrumpant, atque hinc calidorum lauacrorum vsum nobis largiuntur, gratuitam sanè Terræ, vltroneamq; sæpenumero Medicinam, reluctantis naturæ facultate temperatam.

Mirabiles hi euentus, non certè à natura casu prosiliunt, sed à Deo auctore naturæ in hominum gratiam. Quapropter; Plena est omnis terra gloria eius.

Et post. *Porrò autem fontium, qui primi sint fontes, inquire homo, si quid horum peruestigare, inuenireq; poteris, dum quis fluuios dissecuerit? Quis illis liberum adeò dederit cursum? postea, vt ex contrarijs existat miraculum, dum neque Mare terminos suos egreditur, neque fluuij vnquam resistunt. Vt insuper alant aquæ, & quod alimenti huius discrimen, quando hinc alia cœlitus irrigantur, alia ipsis radicibus succum adbibunt. Liceat enim mihi animi caussa his verbis deliciari tantisper, dum has Dei delicias expono.*

IOANNES Chrysostomus, Homilia in Psalmum centesimum quadragesimumoctauum.

Nec hæc solum miranda sunt, sed abyssi etiam profunditas. Quod autem in animali, hoc etiam cerni potest in Mari. Nam cùm ipsum ventorum flatibus sit intolerabile, & tantam habeat aquarum multitudinem: nō erumpit ex proprijs terminis, non inundat terram vicinam, sed ipsum quoque est alligatum vinculis immobilibus, licet sit alioqui natura aquarum insolens. Cùm autem tanta sit magnitudine, & à tantis spiritibus impellatur; considera quanti sit miraculi, nec per insolentiam, nec per molem, ac magnitudinem, nec per vim intolerabilem suo loco excedere, sed in tanta insolentia ordinem & modum pulchrè seruare. Hęc ergo apud te reputans poteris hinc quoque Deo laudem & hymnum texere, & eius admirari potentiam, sapientiam, virtutem, potestatem.

THEODORETVS de Grecarum affectionum curatione libro quarto, qui est de Materia & Mundo.

Neque ipsum Mare, quanquam inde nubes vim aquarum incessanter exhauriant, imbresq; pariant, terrisq; diffundant, imminutum olim, exhaustumve esse cernitur; non ab ijs denique littoribus recessisse, quæ olim fluctibus suis obduxit. Sed neque rursus auctum exuberat, tametsi plurimos vndecunque fluuios illabentes accipiat. Neque verò nunc disserendum puto, vnde iugis fluuiorum copia deuoluatur. Ineffabilis enim mibi, penitusq; abstrusa hæc quoque ratio est.

Et cum de ijs parum disputasset, re non diffinita adiecit;

Ego tamen hoc tempore materiam hanc conuenire mihi non arbitror, quippe qui alios cohorter, ne caussas diuinæ gubernationis curiosius indagent, sed admirentur potius ea, quæ facta sunt, ipsumq; opificem hymnis laudando concelebrent.

Quæ in Terra.

GREGORIVS Nazianzenus eodem loco.

Quid autem magna hæc & inartificialis velut fabrica? qui fit vt terra quidem stet fixa, & immobilis cui innititur? & quid tandem id, quo nititur? hoc ipsum, quo deinceps sustinetur? Neque enim ratio hæc præter Dei voluntatem, in quo gradum firmet, habet quidquam. Eadem hæc Terra, quomodo alibi in Montium cacumina assurgit, alibi in campos desidet? idq; specie varia & multiplici, dum crebra permutatione subinde aliã, atque aliam faciem exhibens, tùm est ad vitæ vsum copiosior, tùm ipsa varietate gratiosior? Deinde qui partim pro habitantium vsu distrahitur, partim inhabitabilis iacet: vt interim taceam quotam eius portionem mõtium celsitates abscindant. Tùm vt alia alio fine disterminetur, alia alio porrigatur abeatq;? Quæ consideratio diuini opificij magnificentiam ostendit clarissimè.

IOANNES Chrysostomus Homilia secunda de incomprehensibili Dei natura.

Quid de ipsa Terra? Qui continet gyrum Terræ, qui fecit Terram quasi nihil, tam ingens corpus, tam opus arduum. Animaduerte quot montium moles, quot mortalium gentes, quot stirpium, quot quadrupedum reptilium, denique animantium genera suo dorso sustineat tellus. Sed tamen hanc talem, tantamq; Deus facilè adeò condidit, vt Propheta, quod nè exemplum quidem tantę facilitatis haberet, perinde ac nihil factum tradiderit. Quum enim non satis rerum conditarum magnitudo & ornamenta potentiam, facultatemq; sui conditoris exprimerent, sed longè ab omni illius vi, & excellentia iacerent inferius, modum Prophetæ excogitarunt alium, quo pro viribus possent aliquid plus nobis explicare de diuina potentia: quo magnitudinem non solum creaturarum, sed etiam modum creationis referrent, vt vtraq; ex parte videlicet, tùm rerum magnitudine conditarum, tùm facilitate condendi, possemus dignius quid pro virili nostra de Deo omnipotenti intelligere.

THEODORETVS libro quarto de Græcarum affectionum curatione.

Illud præterea opificis Dei sapientiam planè, potentiamq; ostendit, quòd neq; ipsa tellus, quanquam per tot annorum millia aratris terga scindatur, seratur, conseraturq;, quanquam & fructibus alimenta sufficiat, conculcetur, effodiatur, radatur imbribus, niuibusq; subsidat, atque ardoribus atteratur, vllam sui diminutionem perpessa est, minoresvè agricolis fœtus, aut pauciores educit.

Quæ in germinibus, ac lapidibus, cæterisq; Terræ speciminibus.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo.

An non & in hoc plenissimum demonstratur opus diuinæ prouidentiæ: ubi ex terra, & aqua ad uitam hominum semina iacta reparantur? quæ cùm Terrę fuerint mandata, uoluntate Dei humorem, quem susceperit gleba, uelut uberibus suis seminibus immulget: aquis inest quędam uis spiritus à Deo dati ex initio, cuius opere habitus futuri corporis in ipso statim semine formari incipit, & per culmum, spicamque restitui: tum gefacto etenim ex humore seminum grano, per angustos quosdam venarum meatus, vis illa spiritus, quæ in esse aquis data est, vtpotè incorporea transcurrens, ad incrementum semina suscitat, & crescentium species format. Ministerio igitur humidi elementi, cui vitalis ille spiritus insitus semper, & ingenitus est, efficitur, vt non solum reparetur, sed vt per omnia similis species, & forma his, quæ iacta fuerint seminibus redeat. Quæ ratio, cui vel breuem sensum habenti, per irrationabilem naturam, & non per diuinam sapientiam constare videbitur?

GREGORIVS Nazianzenus vbi supra.

Age & plantarum discrimina considera, adeoque in ipsis folijs artificiosa ratione discutiens, qui hæc simul aspectu sint iocundissima, simul fructibus vtilissima? Tùm fructuum, & varietatem, & abundantiam, præcipuè verò eorum, qui maximè necesßarij sunt, pulcherrimam speciem. Deinde specta facultates radicum, succorum, florum, odorum, qui non suauissimi tantùm sunt, sed & ad valetudinem curandam idonei. Ad hæc colorum gratias, & qualitates; tùm lapidum sumptuosa pretia, fulgoresque. Etenim hęc omnia velut in publico quodam epulo natura tibi proposuit, & quibus vtaris, & quibus oblecteris; vt si non aliunde, saltem ex beneficijs, quibus te affecit, Deum agnoscas; tuaque propria ægestas te prudentiorem, doctioremq; reddat.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Circunspice mihi ver, & diuersi generis flores in similitudine disparata. Rosam quidem rubram, Lilium autem album. Ex vna sanè pluuia hęc fiunt, & ex vna terra. Quis hæc discernit? Quis operatur? Considera solertiam ex una arboris substantia, hoc quidem in tegmen, illud autem in varios fructus crescit. Et vnus opifex vnius vineæ, aliud quidem in combustionem, aliud in germina, aliud in folia, aliud in pampinos, aliud in botros separat. Admirare calami densissimum nodorum ambitum, quem fecit ille Artifex, ex vna

vna Terra reptilia prodeunt, & feræ, & iumenta, & ligna, & cibi, & aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & lapis.

Quæ in Piscibus.

GREGORIVS Nazianzenus loco asserto.

ac. per liqui-
Perpende mihi, quæso, natatilem illam naturam, quæ per aquas lubrico fertur libramine, perinde atque delitijs suis uersetur, in
dum elementum, quasi volat. Quæ cùm in proprio aquarum spiritu, perinde atque delitijs suis uersetur, in
aere hoc nostro periclitatur, non secus, atque nobis periculum est in aquis. Tum eius generis mores, studia,
concubitus, partus, magnitudines, pulchritudines, certas mansiones, vagantium errores, conuentus, & secessus:
breuiter cuiusque proprietates propemodum non minus varias, quàm sunt & terrenorum. Nonnullorum autem & amicitias, & factiones inter se quorundam, cùm specie, tùm nomine contrarias.

Num hæc primùm absque diuinę prouidentiæ nutu manarunt? Num hæc aquæ fluidæ incongestæ à se protulere? Quæ uis aquarum hæc unquam gignere posset? Profluidæ incongestæ à se protulere? Quæ uis aquarum hæc unquam gignere posset? Produxere certè aquæ, sed Dei verbo imperante, & dicentę; Producant aquæ reptile animæ viuentis. Plena est omnis terra gloria eius.

Quæ in Auibus.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione citata.

Post hęc & volucrum expende greges & varietates, siue figuram, siue colores spectes. Ex his aliæ
sunt mutæ, aliæ cantillant etiam. Et quæ cantus huius est ratio? & vnde? Quis cicadæ plectrum dedit in
pectore? Quis cantiones, & garritus, qui bus arborum rami tùm personant, cùm illæ solis temperamento hilarescentes nemoribus meridianæ musices pensum persoluunt, tantâ cum audientium suauitate, vt viatores
nonnunquam ab instituto itinere voce sua distineant? Quo præcinente carmen contexit olor, cùm pennis, velut fistulis quibusdam, in auram explicatis modulos facit.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Quis poterit perspicere aëreorum volatilium naturam? quomodo hæc quidem linguam habent canoram;
ista autem varia pennarum ornantur pictura; illa verò super alia omnia in medium aërem elata stare, & nihil moueri videntur, vt accipiter distentis alis stat immobilis, spectans ad austrum. Quis hominum poterit
visu consequi Aquilam exaltatam? Quòd si auem exaltatam non potes conspicere, quomodo Factorem omnium vis considerare?

Quæ in Pauone.

GREGORIVS Nazianzenus vbi supra.

Quo auctore Pauo volucris planè insolens & curiosa, adeò est formæ studiosus & ambitiosus (vt sentit enim suam ipsius formam) si quando quempiam adesse animaduertat, aut, quemadmodum aiunt, fœminis fucum facere studeat, erecto collo, pennisque in orbem explicatis, speciem auri, stellarumque fulgore coruscantem spectaculi vice sui admiratoribus ostentet, composito in hoc superbo quodam incessu? Iam & diuina scriptura mulierum in texendo sapientiam, admiratur.

Quæ in Apibus, Araneis, & Gruibus.

GREGORIVS Nazianzenus loco adducto.

Vnde Apibus, Araneisque cùm industriæ, tùm artis tantùm suppetat, ut illæ quidem in cellis fauos suos connectant, distendantque per sex angulas fistulas: quas æqualibus in medio spatijs relictis sic ædificant, vt in eorum medio, quasi muro quodam interiecto, angulorum rectorum commißura ipsæ sibi sedes instituant; eaque in alueis adeò caliginosis inuisibili fingendi artificio efficiunt. Hi autem cùm interim unde texturam suam exordiantur conspicuum sit, nihil tamen per stamina subtilia adeò, & propemodum aërea multiplici specie deducta sinuosas, inexplicabilesque telas contexant: quæ simul habitaculum, neutiquam vile, simul in alimenti prædam infirmorum animantium mirabile præbeant aucupium. Et quis Euclides alioqui lineis, quæ nusquam sunt effingendis occupatus, ac in demonstrationibus anxiè laborans, ingenium hoc imitatione consequutus est? Cuius Palamedis opus æquarit tam ordinatos Gruum motus? tam appositas figuras? tantas denique artes volucris? quæ cùm variè volent, certò tamen agmine, ordineque promouent? Qui Phydię? Qui Zeuxides? Qui Polygnoti? Qui Parrhasij? Qui denique Aglaophontes rerum formis pingendis, fingendis ve nobiles, cum ijs animalibus compositi non sordebunt. Immo quis vel Gnosius Dedali Chorus Nymphæ tanta concinnitate ad summam pulchritudinis admirationem elaboratus? vel labyrinthus Cretensis inexplicabili ambagum perplexitate sinuosus, & sæpenumero inexpectata seceßuum reciprocatione exire conantem, frustratus?

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Et rursus vade ad Apem, & disce quàm laboriosa sit: quomodo flores omnis generis oberrans, congerit tibi Mel in vsum: vt & tu circuiens diuinas Scripturas, tuam ipsius salutem apprehendas, & illis satiatus
Psal. 118. *dicas; Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo.*

Quæ in Terrestribus Animantibus.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo.

Quid de animalibus dicam? Nonne per prouidentiam factum est, vt cùm senecta temporis resoluerentur, per progeniem reparentur: & mira quadam dispensatione prouidentiæ, nascituro pecori lac præparatur in vberibus, ac statim, vt natum fuerit, nullo docente, scit, vbi alimoniæ suæ horrea requirat? Gignuntur autem non solum mares, sed & fœminæ, vt ex vtroque possit rursus constare posteritas. Sed ne, vt putant homines, viderentur hæc Naturæ quodam ordine, & non dispensatione fieri Conditoris, pauca quædam ad indicium, & documentum prouidentiæ suę, mutato ordine genus seruare iussit in terris: verbi gratia, vt per os conciperet Coruus, & per aurem Mustela generaret: vt aues nonnullę, sicut gallinę, interdum oua vel vento, vel puluere concepta parerent. Alia quædam animalia, marem vicibus alternis in fœminam verterent, & sexum per annos singulos commutarent, vt Lepores, & Hyęnæ, quas beluas vocant. Alia etiam ex Terra orirentur, atque inde sumerent carnem, vt talpæ: alia ex cinere, vt viperæ: alia ex putrefactis carnibus, vt vespę quidem, equinis: Apes autem, bubulis: alia ex fimo Boum, vt Scarabæi: alia ex herbis, vt de ocymo, Scorpius: & rursus herbæ ex animalibus: vt ex cornu Cerui, vel Capræ, apij, & asparagi. Et quid opus est plura enumerare, in quibus diuina prouidentia, mutato ordine eo, qui à natura datus putatur: multimodis differentijs natiuitatem animalium constare voluit, ex quibus non irrationabilis rerum cursus, sed ipsius dispensatus ratione doceretur?

GREGORIVS Nazianzenus vbi supra.

Quòd si ab homine ad ea, quæ proxima sibi sunt prętergrediemur: Quis animantium discrimina, tum naturas, generationes, pastus, latibula, mores, ac velut Respublicas cōmemorabit? Quomodo, videlicet, sint alia gregaria, alia solitaria: rursum alia herbiuora, alia carniuora: item alia ferocia, alia mansueta: alia quæ hominum consuetudine gaudeant, & inter homines alantur: alia intractabilia omninò, & vagabunda? Item alia quę rationis & disciplinę plusculum habere videantur: alia verò bruta, & per omnia indocilia; alia quæ plures, alia quæ pauciores habeant sensus. Item alia iacentia, immobiliaque: alia progressilia, alia porrò velocissima. Deinde præcellentia quædam, aut magnitudine pariter & pulchritudine, aut horum altero: quædam vicissim humillima sunt, aut deformissima, aut etiam vtrunque. Item robusta alia, alia imbecillia: alia quæ vlciscantur apertè, alia insidiosa magis & suspecta: rursum alia quę non sit opus obseruare. Adhæc alia, quorum industria domesticum prębeant vsum, alia quorum ignauia & stoliditas planè sit otiosa. Sed enim prius in admirationem venit, quomodo alia sint reptilia, alia cruribus erecta. Item alia quæ aliqua & certa sede sese contineant, alia subinde locum commutent: tum alia formæ studio capi, alia huius curam omnino negligere. Item alia coniugij legem sentire, alia vinculum hoc non ferre; alia castitate, alia libidinis intemperantia gaudere: alia foecunda, alia foeturæ rarioris. Denique longæua alia, & alia breuioris viuacitatis. Et sanè deficeret sermo, si quorum genera attigimus, eorum species singulatim pertractare conaremur.

Quæ in Formicis.

GREGORIVS Nazianzenus loco asserto.

Sed & in formicis, quæ sunt omnium animantium terra degentium, infimum genus, animaduerte quantum effulgeat Dei opificis maiestas, quàm in reponendo alimento prouidentiam, destinato tempori mensura respondentem, declarent, taceo. Item quęcunque alia de animalculi huius diuersi semitis, de anteambulonibus, denique operarum suarum ordinatissima varietate præscripta nouimus.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Formica laboriosissima, vt excitet pigrum, & socordem. Cùm enim quis otiatur in iuuentute, tunc ab his
Prou. 6. *animantibus docetur, redargutus à diuina Scriptura dicente; Vade ad formicam, ò piger, & videns æmulare vias eius, & sis illa sapientior. Videns enim, inquit, illam in tempore sibi thesaurizantem cibos, imitare, & thesauriza tibi ipsi fructus bonorum operum in futura sæcula.*

Quæ in minimis quibuscunque rebus.

TERTVLLIANVS libro aduersus Marcionem primo, capite quartodecimo.

Ad humilia deficiam. Vnus opinor, de sepibus flosculus, non dico de pratis; vna cuiuslibet Maris conchula, non dico de Rubro; vna tetraonis pennula, taceo de Pauo, sordidum artificem pronunciabit tibi Creatorem? At quum & animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industria, ingenijs, aut viribus ampliauit,

uit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens: quemadmodum virtutem in infirmitate, secundum Apostolum; 2. Cor. 12. *imitare si potes apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine si potes illas ipsas lectuli & tegetis tuę bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubā, & lanceam. Qualia erunt maiora, cùm tam modicis aut iuuaris, aut læderis, vt nec in modicis despicias Creatorem?*

Quæ in Pulice.

AVGVSTINVS enarratione in Psalmum centesimum quadragesimumoctauum.

Attendat charitas vestra. Quis disposuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Vnam bestiolam breuem, minutissimam considera, quam volueris. Si cōsideres ordinem membrorum ipsius, & animationem vitæ qua mouetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fistula est qua sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expauescis in minimis, lauda magnum.

Quæ in Homine.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo, Niceta orante.

Sed veniamus adhuc, si videtur etiam ad nostram, idest ad Hominis substantiam, qui est paruus in alio Mundus: & consideremus, quanta sit ratione compositus; & ex hoc, precipuè sapientiam conditoris intelliges: qui cùm ex diuersis substantijs constet, idest, mortali & immortali: per artificem prouidentiam conditoris, & societatem diuersitas non refugit: & quidem longè à se substantijs. Alia nanque de terra sumitur, & à conditore formatur; alia verò ex immortalibus substantijs datur.

Rursum de corpore, & eius membrorum concinna elegantia hæc egregia habet.

Et vide in corpore hominis artificis opus, quomodo ossa, velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inseruit: Tum deinde æqualis ex vtraque parte, idest, dextera ac læua, mensura seruetur: vt congruat pes, pedi, & manus manui: digiti quoque digitis: vt singuli ad singulos tota æqualitate concordent: sed & oculus oculo, & auris auri; quæ non solùm consona sibi & concordantia, sed & vsibus necessarijs apta formantur. Manus quidem, vt operi commodæ sint; pedes, vt gressibus; oculi, vt visibus seruiant superciliorum excubijs custoditi; aures ad audiendum ita formatæ, vt cymbalo similes, suscepti verbi repercussum sonitum altius reddant, & vsque ad sensum cordis emittant; lingua autem ad loquendum illisa dentibus, plectri reddat officium: Ipsi verò dentes, alij vt incidant & diuidant cibos, & interioribus tradant: interiores verò, vt in modum molæ conficiant & comminuant: quo opportuniùs stomacho traditi, coquantur; vnde & molares appellati sunt. Sed & nares commeandi flatus, & reddendi, ac recipiendi gratia factæ sunt; vt innouatione spiritus, calor naturalis, qui ex corde est, vel accendi, vel refrigerari, cùm res poposcerit, queat, pulmonis officio; qui pectori inhærere datus est; vt mollitie sua palpet & foueat cordis vigorem, in quo videtur vita consistere: vita dico, non anima. Nam quid dicam de substantia sanguinis? quam velut fluuius ex fonte procedens, & vno prius alueo inuectus: tum deinde per innumeras venas, quasi per areas deriuatus, totam humani corporis terram, vitalibus rigat fluentis, iecoris opere ministratus: quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum, in dextro latere iacet.

Et post nonnulla sic concludit.

Quod si tanta ratione videmus in homine membra disposita, vt cùm in cæteris omnibus similis habitus videatur: in his tantummodo discrepent, in quibus vsus diuersitatem requirit: & neque in viro aliquid superfluum, aut egens, neque in fæmina, quod desit, videamus, vel quod abundet: quis ex his omnibus non euidenter agnoscat rationis opus, & sapientiam conditoris? His adstipulatur etiam cæterorum animalium rationabilis diuersitas, & suo quodque vsui, ministerioque conueniens.

Lactantius libro de Opificio Hominis Cassiodorus libro de anima, Theodoretus sermone tertio, & quarto de prouidentia; & Patrum alii quamplures mirifica edisserunt de anima, & de corpore humano, quæ Catenis suis locis interserenda præseruamus.

GREGORIVS Nazianzenus hæc, vt summatim ea perstringam, habet.

Vt primùm quæ hominis sunt consideremus. Vnde quæso primæua hominis plasmatio? Vnde corporis tam venusta forma? Vnde membrorum tam concinna dispositio? Vnde eorum obedientia, qua quæuis ad solum voluntatis nutum mouentur, muneraque sua obeunt? Vnde sensibus vis ac præstantia? vt specierum rerum extra animam positarum sint receptores, ac quasi hospites, ac delatores? Quis primus viuendi fontem aperuit, & vitæ principia dedit? Quis spiritus, seu animam insufflauit? Quis impertiuit vim rationalem irascentem, concupiscentem, memoriam, quibus cuncta attingit, discurrit, spernit, amplectitur, & conseruat? Quis hominem compegit naturę stuporem, mortalem & immortalem, vinculum cælestium & terrestrium? Qui anima nunquam decidit, quanquam corpore euanescat, lapsus attamen sui iacturam perpetua successione reparat. Non hęc certè naturæ sunt ignaræ vires & effectus, sed opificis Dei sapientissimi.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona.

Intra autem deinceps in teipsum, & ex tua substantia cognosce artificem. Quid improbandum in corpore tuo creatum est? Apprehendas teipsum, & nihil vile ex omnibus membris tuis reperies. Ab initio Adam in Paradiso cum Eua nudus erat, sed non propter membra erat reiectus: non igitur membra caussa sunt peccati, verum malus membrorum vsus. Sapiens autem membrorum creator, quis construxit vasa matricis ad puerperia? Quis inanimatum in ipsa animat? Quis neruis & ossibus carnem, & cutem induit, & simul vt nascitur infans, ex vberibus fontes lactis educit? Quomodo infans crescit in puerum, & is in iuuenem, deinde in virum, atque postremò in senem mutatur, etsi nulla per dies singulos expressa mutatio cuiquam appareat? Quomodo ex cibo aliud in sanguinem, aliud in carnem mutatur, aliud in excrementum secernitur. Quis est, qui cor assidue mouet? Quis oculorum molliciem, palpebrarum obtentu manifestè communiuit.

Quæ in Angelis.

GREGORIVS Nazianzenus vbi supra.

Quid dicam de Angelis? nisi quod scimus Angelos, Archangelos, Thronos, Dominatus, Principatus, Potestates, Splendores, Ascensiones, Virtutes mentales, Mentes, vel Naturas puras, & incorruptas ad malum si non immobiles, certè ægrè mobiles: vt quę circa primam caussam semper exultent (nisi alius aliquis verbum aliud his laudandis aptius inuenerit) & in quas ex illo inexhausto luminis fonte, limpidissimi sanè deriuentur riui; idque pro cuiusque naturæ dignitate ordinisque gradu, imprimitur adeò eis tanta pulchritudinis forma, vt sint & ipsæ secunda lumina, possintque ipsius primæ lucis riuos deinceps per se, velut quosdam canales in inferiores naturas deriuare. Hæ diuinę uoluntatis ministræ robore cùm naturali, tùm ascetro pollentes. Hę obeunt omnia omnibus, & vbique cùm ministerij studio, tùm naturæ agilitate expeditè præsentes. Harum alię aliam orbis partem administrandam accepere, aut certè earum aliæ, alij orbis parti sunt præfectæ: sicut is, qui hæc & ordinauit, & distinxit, nouit. Hæ ad eius, qui omnia fabricauit nutum, in vnum cogunt omnia. Hæ celebres diuinæ magnificentiæ præcones. Hæ æternæ gloriæ æternæ admiratrices.

IOANNES Chrysostomus Homilia secunda de incomprehensibili Dei natura.

Sed cur de Cœlo, Terra, Mari, & natura hominum loquar? Cœlum superet ipsum nostra oratio, & vlterius pergat ad Angelos. Nostis denique vnum quemuis Angelum rependi, paremque esse vniuersę huic visibili creaturæ, uel potius multò nobiliorem, præstantioremque. Nam si homine iusto dignus non sit vniuersus Mundus, vt Paulus auctor est, qui dicit; Quibus dignus non erat hic Mundus, longè minus ad dignitatem possit accedere Angeli, qui omni homine iusto superior est, admodum & præstantior. Veruntamen millia Angelorum sunt innumerabilia, mille millia Archangelorum: adde Sedes, Dominationes, Potestates, Principatus, Cœtus incorporeos, Virtutum innumeros: denique genera cœlestia innumerabilia, quę omnia Deus creauit tanta cum facilitate, quanta nemo ualeat verbis exprimere. Satis enim illi ad omnia fuerat voluisse.

Heb. 11.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quinto.

Est ergo hic Mundus diuinæ specimen operationis: quia dum opus uidetur, præfertur, operatur. Nanque vt istarum artium, alię sunt actuosæ, quę sunt in corporis motu, aut sono vocis; cessauit motus, aut sonus nihil superfluit, nec remansit spectantibus, vel audientibus: alię theoreticæ, quæ vigorem mentis exercent: aliæ huiusmodi, vt cessante quoque operationis officio, operis munus appareat, vt ædificatio, atq; textura, quę etiam tacente artifice, peritiam eius ostendant, vt operatori operis sui testimonium suffragetur: Similiter etiam hic Mundus diuinæ Maiestatis insigne est, vt per ipsum Dei sapientia manifestetur. Quem videns Propheta simul, & ad inuisibilia oculos mentis attollens, ait; Quàm magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti.

Psal. 113.

AVCTOR.

Emicant igitur in huius Theatri singulis partibus fulgores ac splendores; quibus Mundum non casu prosilijsse, nec à Deo necessitate naturę; sed à Deo libero sapientissimo satore conditum fuisse excipimus; quibusq; eius maiestas clarè explendet. Libentiusq; hanc de Dei Opificis fulgoribus Catenam deduxi, non vt libros in libris refunderem; sed vt ætatis nostræ Concionatores ad id genus studij excitem, quò spretis his recentioribus libellis, ad Patrum eruditissimorum lectionem properent; certiores facti nil in his eloquentiæ, contemplationumvè esse adnotatu dignum, quod in Patribus, vti in limpidissimis fontibus, copiosius, ac tutiùs non comperiatur.

Aeterum Mundum ęternum non esse; non casu prosilijsse; non à Deo necessitate naturæ emanasse; sed Deum Opificem, ac Satorem potentissimum, sapientissimumq; habuisse, qui cuncta ex nihilo creauit; Duo Seraphim nobis depromunt, ac referunt. Verùm cur potius Seraphim, qui diuinæ charitatis incendio exardescere, quàm Cherubim, qui scientia pollere dicuntur, hæc Fidei nostræ dogmata referunt ac patefaciunt? Auscultes obsecro; Contendit Deus fidei viuæ, non mortuæ, semina nostris inserere pectoribus: Edocent nos igitur fidei dogmata non Cherubim, qui scientia tantùm excellent, sed Seraphim, qui feruescente charitate flagrant, vt facilè non simplici, & mortua fide, sed viua, & per charitatem feruidam operante, imbuamur. Duo autem Seraphim inclamant, quia de creatione articulus duo genera rerum conditarum explicat, inuisibilium nempè, & visibiliũ: hi sex alas habent: sex alas has cum Origene in Esaiam Homilia quarta, interpretari possumus, quòd Seraphim alis duabus velabant caput, duabus pedes; vt indicarent, quę in Orbis productione, & restauratione vltima (hæc enim sunt caput & pedes) à Deo effecta sunt, vel efficientur, ita humanæ menti obtecta esse; vt ex naturali, physicaq; perscrutatione attingi non possint. Duabus autem volabant, quia natura constituta vsque adeò clara est, vt rectè à physicæ disciplinę indagatoribus percipi, ac cognosci valeat. Sed quid nobis inclamant hi duo Seraphim de Deo conditore? Trinitatem sanctissimam Mundi effectricem laudare, ac celebrare edocent. Quare Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Pater à quo, Filius per quem, Spiritus ad quem sunt omnia; Dominus, ex Maiestate; Deus, ex Sapientia; Sabaoth, ex Bonitate. Nam Maiestas est, qua imperat, Sapientia, qua regit; Bonitas, qua trahit; plenaq; est omnis terra gloria eius. Ac vsque adeò intonuit hęc vox, vt commouerentur superliminaria domus. Tanta enim est creaturarum spiritalium, Angelicarumq; Hierarchiarum de Dei Creatoris pręconijs harmonia, atq; concentus ab Echo creaturarum corporearum reiteratus, vt ferè Mundi Cardines commoueantur, ac immenso applausu, Lętentur Cœli, & exultet Terra. Psal. 95.
Sed vt quid domus repletur mox fumo? Quia profectò adeò emicat Diuina Maiestas, vt profani Philosophi, Fidei nostræ irrisores, coruscantem Maiestatem contemplari quasi fumo obruti non queant.

Verùm non pigeat contra Mundi æternitatem argumentationes quasdam non ineptas ad Mosis historiæ fidem muniendam, corroborandamque colligere, ac depromere. Primùm Mundum ab vnico principio venisse ex tribus his, quæ sunt in Mundo, euinci potest; à rerum multiplicitate, ordine, & perfectione. Si enim in Vniuerso multiplicitas extat diuersarum rerum, igitur ad unum est deueniendum. Si ordo adest in ipsis, igitur proficiscendũ est ad primum. Rursum si rerum creatarum, tùm diuinarum, tùm humanarum ea est discrepantia, ut una sit altera perfectior, incedendum est ad perfectissimum perficiens. His igitur datis, dandum est unum primum perfectissimum, à quo Mundus, vti à principio, emanet, ac proficiscatur; quòd si Mundus ab aliquo principio est, uel Deus illud est, uel aliud præter Deum. Quoduis aliud principium asserere præter Deum, est principiorum immensum numerum ineptè statuere, ac Deos ascire plures: igitur Mundus à Deo, est ab unico principio. Hæc Peripatetici, & Philosophorum priscorum ferè omnis turba admittit. Tunc cùm Deus sit natura intellectu prædita: uel Deus Mundum condidit impellente naturæ necessitate, vel ex beneplacito; quòd si ex naturæ impulsu, cùm agens ex natura, ut asserunt Philosophi, simillima sibi generet, proferatque; productio fuisset ad intra, orbemque natura intellectualem, non corporeum protulisset, edidissetque alium Deum sibi perennitate æqualem, atque hoc nil aliud esset nisi Mundo ipsi adscribere potentissimam Diuinitatem, ac perenniter existendi potestatem; quæ nec à Deo cuiquam dari nisi Deo, nec ab ullo recipi, nisi à Deo potest; perindeque esset, ut filius Dei æternus, quia ex natura genitus esset. Quòd si Deus Mundum condidit uoluntate sua ductus; vel id coactus fecit, uel liber; si coactus, igitur Deus à Deo superiori vi cogi potuit; Deus igitur non erat, qui cuipiam parere necesse habuit; si uerò libero suo beneplacito id fecit, iam Deus fuit artifex liber, potuitque cùm uoluit Mundum condere: propterea ab æterno Mundum condidisse ex necessitate euinci non potest. Neque (vt exemplo utar à D. Augustino de

Rationes contra Mundi æternitatem.

Deus non ex naturę necessitate, sed libera uoluntate Mundum cōdidit.

de Ciuitate Dei ex Platonicis deſumpto) pes ſemper fuit in puluere, ſed tunc fuit, cùm Deus tanquam ſummus opifex figere ipſum ſtatuit, ac maluit. Nec adducta à Peripateticis exempla uſqueadeo conſiſtunt.

Emanationis Mundi à Deo & radiorum à Sole differentia.

Non eſt ſiquidem eiuſdem rationis rerum emanatio à Deo, atque fluxus radiorum à Sole, aut umbrarum à corporibus: ideò enim radij ſemper cum Sole fuerunt, quia à Solis ſubſtantia effluunt. Res autem effectæ, à Deo quidem ſunt, ſed ab eius ſubſtantia non prodierunt: ſic enim Mundus Deus eſſet, ſi à Dei ſubſtantia manaſſet; ac ut Deus, eſſet æternus, ut diximus. Radios autem à Solis ſubſtantia prodire, id eſt efficax argumentum, quòd nec Sol ſine radiis, nec radius ſine Sole aërem illuſtrarit unquam. Mundum autem à diuina eſſentia neceſſariò non proficiſci euidens eſt ratio: quia ſi Mundus non eſſet, Deum tamen eſſe, ſuaque in æternitate perenni conſiſtere proculdubio diceremus. Rueret certè Mundus, ſi Deus non eſſet, ac uti nauis iactata per pelagum ſine gubernatore fluctuaret, & ineuitabili, ac miſerabili naufragio tandem præceps mergeretur. At non rueret Deus, ſi Mundus, ſi Cœlum, ſi Terra non eſſet, cùm gubernator à naui prorſus abſens degere poſſit. Vmbrarum quoque à corporibus proficiſcentium exemplum frigidum admodum eſt, diſſimilisq; certè duabus ſaltem in rebus eſt comparatio.

Inter emanationem Mundi à Deo & vmbrarum à corporibus differentia duplex.

Nam primò neque umbra ſemper cũ corpore adeſt, quando Soli corpus non obiicitur, ſicut Peripatetici Mundum cum Deo ſemper extaſſe contendunt; nec umbra res ulla eſt, cùm ſit tantùm lucis carentia: at Mundus optimum quid eſt, & immenſum; tandemq́ue hæ à corporibus longè alia fluũt ratione, quàm ab opifice Deo eius opificia promanant; umbra enim ex neceſſitate corporis Soli obiecti prodit; fluxus autem rerum à Deo eſt ſubita operatio à potentiſſima ac ſapientiſſima eius uoluntate procedens. Præterea, cùm ea ſit Mundi ac Dei ſeiuncta conditio, quòd ſolus Deus infinitate gaudeat: immenſus ſiquidem eſſentia eſt, æternus tempore: Mundus autem finitus, infinitatem nullam admittat, vt egregiè obteſtantur omnes Philoſophi: ſi Mundus æternus cenſebitur, iam Deo æquiparabitur, infinitatẽq; ſuſcipiet, non tantùm ſucceſſiuarum rerum, vt Cœli ſphæricarum lationum, ſed permanentium & conſiſtentium.

Mundi æternitatẽ aſtruẽtes in quę abſurda ruant.

Nam ſi Mundus æternus eſt, cùm mortalium propagatio infinita fuerit, & futura ſit, adeò ut infinitis hominibus iam tranſactis, ac deceſſis, multitudo infinita adhuc ſucceſſura ſit, ſi non infinita corpora, eo quia marceſcunt, & decidunt, ſaltem infinitæ animæ, quæ immortales ſunt, corruptis corporibus extarent, vagarenturq́ue animæ alias infinitas expectaturæ. Nec euitare certè hanc poſſunt argumentationem, quin ſtatim in maiora, monſtruoſioraq́ue præcipitia ruant. Aut enim ſuas interficient animas, eas immortales inficiando, mortaleſq́ue aſtruendo cum famigeratis ſicariis, Epicuro, Alexandro, Galeno; aut omnium animas, animam unam effici dicent unà cum Arabe Auerroe, & Simplicio, qui vnicam tantùm ſuperſtitem mentem omnium putarunt; aut cum Pythagoricis, vel Platonicis, quin & Indis, ac Perſis, Aegyptiis, atque Chaldæis (ſi Ioanni Pico credimus) animarum tranſmigrationem in corpora, ac circuitum ineptè concedent: Ex quibus omnibus humana cuncta, diuinaque ſubuertentur. Infinitum autem non tantùm rerum ſucceſsiuarum, ſed actu (vt aiunt) permanentium ſpiritualium admittere, quod multi Neotericorum faciunt; non video quam ſit conſentaneum Philoſophis, ipſiq; D. Thomæ, qui argumentis permultis infinitum actu ſuſtulit, ac proſtrauit.

Prima p. q. 7.

Amplius, ſi Mundus æternus eſſet, Deum Mundo non eſſe maiorem, ſaltem quoad temporis rationem, aſſerere cogeremur, cùm tamen nihil Deo æquiparari poſſe omnes vna voce conclament. Cęterum adhuc non leuis mihi ſupereſt argumentatio, quæ Mundi æternitatem facilè euertit. Priſca à primæuis Mundi ſæculis geſtarum rerum memoria, ſiue ſcriptis, ſiue Hieroglyphicis figuris, ſiue alio monumento ab Ethnicis mandata, traditaq;, Noë tempora, Diluuijq; annos non excedit.

Ethnicarum hiſtoriarum initium.

Chaldæi (duce Beroſo) annales à Noëtico Cataclyſmo deſumunt. Græci res Argolicas, ab Inacho geſtas, vetuſtiſsimas omnium, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo exiſtimãt, quæ, ex Euſebij Chronicon, tempeſtate Patriarcharum Iſaac & Iacob euenere. Hiſtoriographi omnes Monarchias ab Aſſyriorum Monarchia ſub Nino, & Belo deſumunt; ac poſt Diluuium exordia capiunt, Herouumq; omnium fabulas poſt Cecropem, quem Euſebius Moſi coëtaneum tradit, reponunt. Nullum igitur apud Ethnicos, neq; ſcientiarum, neq; artium, nec rerum geſtarum ante

Noë-

Noëticum Cataclysmum extat monumentum. At cùm Diluuium ex certissima Cronographorum deductione sex millia non excedat annorum: quærerem, sciscitarerq;, cur ante sex millia annorum de ijs quæ per infinita transacta sæcula gesta sunt, nulla extiterit memoria? Nam si semper fuit Mundus, cur si non centum millium, saltem quadraginta, aut viginti millium annorum vetustiora monumenta non habemus? cùm semper dominandi vis efferbuerit, semper nonnullæ nationes cæteras subiugarint; strages claruerint; bella inter mortales exarserint; semper ingenia pepererint, disciplinæ floruerint, literis, scriptisq; mandari cuncta potuerint. Aut enim tot sæculorum mortales adeò rudes fuere, vt neq; scientias, neq; artes excogitarint, nec quidquam insigne egerint; vel adeò ignari, vt artis scribendi expertes ea posteris non mandarint. Sed quænã ratio est, quòd nunc homines ingenio sint præstantiores, quàm priscis ætatibus? At si scientias, artesq;, ac gestas res scriptis, seu traditione ad posteros detulere: vnde nam recisa est omnis eorum memoria, omnis traditio? Existimant alij hoc euenire à temporis vetustate, quasi quòd ex ætate in ætatem, sicut tempus dilabitur, ita antecessarum rerũ memoria elabatur; sed hoc ineptum est dicere, quoniam sicut nos per sex millia annorum, vel circa, gestarum rerum seriem tenemus; ita & qui post Noë mille annis, vel minus floruere, vt Berosus, superiorum quinq;, vel quatuor millium annorum euẽtus edisscere, & nobis mandare potuissent. Autumant alij hoc euenisse eluuionibus, ac efflagrationibus, quæ certis, ac statis temporum interuallis accidere possunt, adeò vt vnà cum ipsis gentibus rerum bello, paceq; gestarum notitia, & scientiarum, artiumq; vsus perierint. Siquidem disciplinas, artesq; & sępius occidisse, & sępius reuixisse, Philosophi arbitrati sunt. Aristoteles enim dixit, non simpliciter apparere rerum artium, opinionumq; principia, atq; origines, sed certis dũtaxat in locis, eò quòd infinities, pro fluuiorum, marisq;, vel alluuione, vel recessu, ac non sine ordine & certa periodo reiterata re uera hæc omnia fuerint, quæ noua existimantur. Nec longius abijt Plato in Timæo, qui per Aegyptium Sacerdotem, sic quoque alloquentẽ Solonem inducit: Quod ideo vobis contingit, quia multa, & varia hominum exitia fuerunt, eruntque maximè quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundatione. Lactantius præterea libro tertio, Lucretium, & Senecam, qui initia sapientiæ nupera esse dixerunt, illis Persij verbis irridet: Postquam sapere urbi cum pipere & palmis uenit. Sed contra hos asseuerare possumus, quia neque hæc ex necessitate prodijsse naturæ ullus unquam eruditus asserere poterit. Quòd si ex inopinata conflagratione, seu aquarum contingenti colluuie hoc factum est, percunctor: Aut adeò uniuersalia ea fuere excidia, vt totus Mundus perierit, ac ruerit: aut certè particularia: Si uniuersalia, aut tanti exitij, quòd toto humano genere sublato, deletoque, uix unus, qui cladem referre potuisset, superstes fuit, aut non: si superstes aliquis adfuit, quare præteritorum sæculorum euentus, Reges, bella gesta nõ retulit? ac incendium, cataclysmumvè posteris non prodidit? At si funesto, infelicique admodum euentu, superstes nullus permansit; à quonam genus humanum, iterum est emanatum, propagatumque? Quòd si particularia contigere Diluuia, excidiaque; nationes, gentesque ab excidio, & clade immunes, cur non suarum, alienarumque priscarum rerum, si non per centum, saltem per quadraginta annorum millia ante ipsas gestarum monumenta posteris mandarunt? Quanam ratione factum est, ut obliuione cuncta fuerint tot sæculorum gesta obuoluta, quasi omnes conticuerint, ac omnes memoria simul conciderint, & uniuersa conflagrarint? Sed nec generalem interitum, & simul omnium terrarum exitium fuisse ulla tradit historia, traditioque; nec Prouinciarũ, ac Nationum quarundam exitium, omnem sustulisse priscorum sæculorum memoriã uerosimile existimandum est. Cæterum, qui Mundi æternitatem astruunt, duas certè quasi Sampsones cæcitate percussi ex hac immensa, decoraque hominũ aula (Mundo inquam) euellunt, prosternuntque columnas; quibus prostratis, omnis rerum machina labefactatur, declinat, & corruit. Impiè quippe diuinam prouidentiam, ac extremam meritorum, seu demeritorum retributionem auferunt, ac diruunt. Nam si Mundi Creator, Opifexque Deus non est, nec libero suo arbitratu ipsum condidit; igitur nec Moderator est, nec restaurator erit.

Lib. 1. Celi, & primo Metaphisi.

Cap. 16.

Mundũ æternum ponẽtes tollunt Dei Prouidentiã, & operum retributionem.

PHILO in Libro de Mundi opificio hanc rationem deduxit.

Cæterum qui Mundum factum negant, non animaduertunt se tollere quod est in vita vtilissimum, & ad pietatem summè necessarium, nempè prouidentiam. Nam opificium non negligi ab opifice suo, parenteque docet ratio. Etenim pater hoc agit, vt permaneat sua progenies, conditor item diuturnitati à se conditorum consulit, arcens quicquid noxam, damnumve illaturum videtur, contra quicquid utile, commodumque, modis omnibus prospiciens; at quod factum non est, nihil commercij habet cum eo qui se non fecit. Est autem absurda opinio atque inutilis, Mundum tanquam Rempublicam sine Magistratu inducere, cui non Præfectus, non Præses, non Iudex præsit, qui omnia dispensare, gubernareque deceat.

Ablata Dei Prouidentia & operum retributione, quanta absurda sequãtur.

Corruit igitur omnis diuina prouidentia, ac postrema retributio: prodeunt igitur omnia à casu, fortunaque, seu à fato. Nullus igitur uel uirtutum, uel criminum uindicator. Quòd si prouidentia tollitur, omnia igitur siue diro fato, seu labente fortuna cõtingunt, atque eueniunt: si fato, ac fortuna accidunt cuncta; quæ hominum prouidentia? quod consilium? quod iudicium? quę electio? quæ rerum sollicitudo? quis labor? nulla enim hæc sunt, si sæuo à fato, aut à labente casu, mortales rapiuntur ad suas affectiones, ac operationes. Rursus, si omnia à casu, aut fato emanant, nullaque libera inest nobis uoluntas: igitur nec uirtus, nec crimen, nec iustitia, nec impietas. Corruit igitur omnis Philosophiæ moralis ratio, omnis lex tam diuina, quàm humana prosternitur, euanescit, atque ad nihilum redigitur. Impius igitur Moses: impius Lycurgus: impius Minos: impius Pompilius; impii omnes legislatores; impii, inquam, mendaces, & irrisores mortalium, portentosi deuastatores sæculi, humanæ stirpis sicarii, qui leges condere præsumpserunt, libertatem obligarunt, pœnas indixerunt; quibus iniustè, & immaniter mortales supplicia non meriti plecterentur, ac torquerentur. Amplius si nulla retributio, ac remuneratio; igitur nullum Cœlum, nullus infernus, non tantùm Christicolis nota, sed & Ethnicis, qui de Olympo coruscantissima Deorum sede, de campis Elisijs, de Lethi amne, de Cerbero, de Tantali siti, de Sisiphi reuoluto lapide, de aliis pœnarum generibus innumeris, innumeras fabulas cecinere. Consequitur amplius, ut omnis corruat Religio; Nullus igitur Deus, nullum numen, nullus cultus, nullum Templum, nullum sacrificium, nulla uota, nullæ preces. Frustrà igitur in angustiis ad Deum confugimus: frustrà spem erigimus, frustrà lachrymis madentes oculos ad Cœlum attollimus; frustrà orationes; frustrà gemitus; voces frustrà effundimus. Incassum igitur gemunt inter ærumnas iusti: Benè exultant inter cruentas cupiditates impii. Ea tandem miserandi status nos conditio obrueret; de qua inquit Paulus; Miserabiliores omnibus hominibus essemus, si in hoc Mundo tantùm sperantes essemus. Quin vt Lactantius superintulit, pecudibus omnibus, ac quibusvis animantibus esset mortalium conditio vilior, miserabiliorque, cùm in hominis corpore omnia morborum genera congesta sint; in anima uerò errorum, ac prauarum cupiditatum semper repullulantes stirpes insitæ emergant.

1. Cor. 15.

Lib. de Opif. Dei c.3.

Sed hoc perabsurdum, hostileque axioma his relinquamus, qui lumini naturæ innixi in tenebris, ac in regione umbrę mortis sedent. Nos autem ex Fidei lumine perspicuam, claramque de condito orbe delatam nobis veritatem amplecti, ac prosequi non pigeat. Hic est, ut dicebamus, primus lapidum duodecim, in pectore Sacerdotalis amictus insitorum. Hic fons ex duodecim Helim, à quibus perlucidæ cęlestis doctrinæ scatent aquę primus; de quo qui non bibet, in ignorantię deserto arescet. Hic, Ciuitatis illius Sanctæ Hierusalem, è Cœlo descendentis, Deiq; claritate micantis, hoc est, Ecclesiæ nostræ, Cœlesti Fidei lumine decoratę, fundamentum primum, Iaspis, qui præ cęteris fulgentior, proteri, scindive nequit. Hic gradus ille primus, quo ascendimus ad Templum, quo scilicet, conscendimus in Ecclesiam, vt in Sancta Sanctorum postea proficiscamur: hoc est, ad Diuina Christianæ Religionis mysteria assequenda, aditum nobis paremus. Hęc dixisse uolui, cùm Mundum neque æternum, neque creatum, humana ratione demonstrari posse cum D. Thoma existimem.

Exod. 15.

Apoc. 21.

Creauit

Anno Mundi primo. In exordio temporum Ante dies.

Creauit, Hebraicè Barà.

a. *Barà, significat Creare, Formare, vel Effingere.*
b. *Vel, Producere ex aliquo, siue ex nihilo.*
c. *Seu etiam distinguere.*
d. *Græca editio, quæ vertit Creauit, hoc est, Fecit, vitio non caret.*

Creauit.

HEBRAICA lectio, verbum Barà habet. Quid autem ipsum significet, non vna diffiniunt Doctores sententia.

Chaldaicus textus habet; In principio creauit Deus.

Græca editio Septuaginta. ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεός. hoc est, In principio fecit Deus. Quā Doctores omnes veteres ante Hieronymi editionem sequuti sunt.

Vulgata nostra habet; In principio creauit Deus. &c. Hancq; imitati sunt omnes translatores.

Cæterum multa diuersitas est secundum plures inter creare, & facere, & secundum alios idipsum significant.

a. *Barà, Creare, seu Effingere.*

Lippomanus in Catena, & alij quamplures concedunt, & edocent significare Barà verbum, Creare, seu Effingere, seu Formare.

b. *Barà, producere siue ex nihilo, siue ex aliquo.*

LVSITANVS adnotationibus in Genesim.

Apud Hebræos etiam, verbum Barà, vt diximus, non ex nihilo aliquid facere, sed qualitercunq; producere significat: siue ex nihilo, siue ex aliquo. Nam & Rabbi Dauid ponens in libro radicum discrimen inter Barà, idest producere; & Iasar, quod est, fingere, dicit, quòd Iasar, propriè significat formare, aut fingere, quod communiter dicitur de re corporea, aut quę in corpore esse habet, vel susceptiua est sensibilium potentiarum, aut de ipsis sensibilibus potentijs, Barà, verò, dicitur de qualibet re, siue de innouatione cuiuslibet rei.

c. *Barà significat etiam diuidere.*

LVSITANVS vbi supra.

Aduerte etiam hic verbum, Barà, non solum producere, vt iam diximus, sed etiam separare, & diuidere significare, vt exemplis monstrabimus. Nam Iosuè decimoseptimo habes, Vberetha, idest succides eum, videlicet Montem, & erunt tibi exitus. Item Ezechielis vigesimo tertio, Vbara, idest, & succident, seu diuident eas, scilicet duas fœminas gladijs suis, seu scindent eas. Sic Numeri decimosexto; Si separationem Ibra, idest, separauerit Dominus. Vnde hic etiam verti posset; In Principio separauit Deus Cœlum, & Terram.

d. *Græca editio, quæ dixit, Fecit, vitio non caret.*

Creare, est de nihilo producere; Facere verò de aliquo. Quamobrem Septuaginta, qui dixerunt, Fecit, errasse visi sunt.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim;

Nam quod Septuaginta Interpretes inquiunt, Fecit, certè occasionem quibusdam magni erroris obtulere. Facere etenim de his prædicatur, quę ex quadam materia producuntur, vt ex ferro falx, & alia quæ nobis Artifices efficiunt. Hinc quidam in hunc errorem prouoluti sunt, ut uociferarentur, Mosem ab Aegyptijs edoctum, credidisse ex prȩiacenti materia hoc Vniuersum conditum, eamq; sententiam statim in sui operis initio nobis inculcare, cùm utatur verbo Fecit. Horum impudentiam, cùm ignorarent Septuaginta Interpretes, præsentem locum per verbum, Fecit, exposuere; cùm satius fuisset aliter expositum esse: & per verbum, quod Hebræo per omnia responderet, sicut Mosem egisse constat, qui eo verbo, quod ponit, quasi reluctatur summa vi illis, qui

Anno Mundi primo. In exordio temporum, Ante dies,

Creauit.

a. *Creare, apud Latinos est Generare: apud Græcos verò idipsum sunt Creatio, & Conditio; & non dicuntur nisi in magnis operibus.*
b. *Creare dicitur de his, quæ per propagationem gignuntur; Facere verò de omnibus.*
c. *Construendum non est, In principio, quo Deus creauit Cælum & Terram; tunc Terra erat, &c.*

materiam inducebant, ostendens euidenter eam non præiacuiße, Immo Cœlum, Terram, Abyssumq; antecessisse materiam commonstrat, dum ex his Mundi ornatum præcessisse, Populum suæ fidei commiss[ū]m erudit.

a. *Creare, apud Latinos est Generare; Apud Græcos idipsum sunt Creatio & Conditio, & non dicuntur nisi in magnis operibus.*

HIERONYMVS Comm. libro secundo in Epistolam ad Ephesios, capite quarto,

Creatio non idipsum sonat in Latino sermone, quod in Græco. Creatio quippè apud nos, generatio, vel natiuitas dicitur: apud Græcos verò sub nomine creationis, verbum facturæ & conditionis accipitur. Et quod apud nos Conditio, hoc apud Græcos Creatio sonat. Vnde & hæresis Natiuitatem Christi calumnians, Salomonis vsurpat exemplum; Dominus creauit me initium viarum suarum. Considerandum est igitur, quia Creatio, atq; Conditio, nunquàm nisi in magnis operibus nominentur. Verbi caußa, Mundus creatus est, Vrbs condita est, Domus verò quamuis magna sit, ædificata potius dicitur, quàm condita, vel creata. In magnis enim operibus, atq; facturis, verbum creationis aßumitur. (Prou. 8.)

Hamerus hęc ipsa desumpsit Comment. suis in Genesim.

b. *Creare dicitur de genitis, Facere verò de omnibus.*

STEVCHVS Recognitione Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem.

Aduertendum hic, non esse omninò veram differentiam illam Theologorum, qua dicunt, Creare actionem eße diuinam, qua ex nihilo aliquid producatur: Facere verò materiam præexigere, vt aliquid ex aliquo fiat. Primò enim vbi nostra Editio habet Creauit, Hebraicè est Barà, quod omnem ferè actionem, & formationem significat. Septuaginta quoq; verterunt ἐποίησεν, quod verbum nos semper Facere interpretamur. Inferius quoq; inueniemus, Creauit Deus Cete grandia, Creauit hominem. Patet autem tam eiusmodi animalia, quàm ipsum hominem ex aliquo facta fuisse, quę tamen dicimus non facta, sed creata eße. Facere igitur, atq; Creare, hoc propriè differunt, quod Facere generale est, tam animatorum, quàm eorum quæ anima careant: at Creare propriè de his dicitur, quæ per propagationem gignuntur: vndè fit etiam procreare, quod ad prolem tantùm refertur. Creatur ergo ab homine homo, domus autem fit.

Et post, cùm demonstrasset metaphoricè Deum appellari Mundi Patrem, quòd quasi Mundum genuerit, & crearit, concludit;

Tam igitur Septuaginta, quàm Hieronymus, optimè sunt interpretati: sed hoc Hieronymi clariùs operationem illam diuinam explicat. Nam & Mercurius dicit Deum hunc Mundum genuiße, ac procreaße.

AVCTOR.

Existimo ego singulas has voces, hoc est, Barà, ἐποίησε, & Creauit, in suo idiomate proprias singillatim habere significationes. In idiomate igitur Hebræo, Barà, significare quamcunq; productionem, seu ex aliquo, seu ex nihilo, non inficior, vt dixit Lusitanus. Sed denotare etiam formationem, effinctionem, seu creationem arbitror, vt dixere Steuchus, & Lippomanus; quare verti poterat, Barà, hoc est, produxit, effinxit, formauit, seu creauit. Editio Græca, vt has significationes simul complecteretur, transtulit, Fecit. Nostra verò, quia Mũdi effectio, Formatio quædã videtur esse, seu Effinctio, vel, ut melius dicam, Procreatio à Patre illo summo opifice Deo, vertit elegantius, Creauit; Gręca lingua ἐποίησεν habet, & ἔκτισεν; quorum primum, Fecit: secundum Creauit, significant: sed quia, teste Hieronymo, apud ipsos idem sunt Conditio, & Creatio; ideò sine animaduersione ἐποίησεν, dixit, hoc est, Fecit; quod idipsum est, quod Creauit.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

Idest, de nihilo effecit.

a. *Quia cum creare dicitur de ijs, quę non sunt, ex nihilo facere importat.*
b. *Vel: Quia creare Dei, est de nihilo efficere.*

Creare propriè quid significet.

Creauit. In nostra Latina, Creare, si ad strictiorem sensum reducatur, propriè denotat Generare, uel per prolem edere: sed latiori sensu etiam formare, effingere, & similia; vnde natura creare dicitur: quo sensu accepit Cicero quinto de Finibus, dum dixit; Etenim omniū rerū, quas creat Natura, & tuetur. Quapropter uerbū aptius non habuit interpres noster, quo magis explicare posset Mundi generationem, seu formationem, & effinctionem, quàm uerbum Creauit; alludens ad significationem Barà, quæ est formauit, seu effinxit. Qua autem ratione Creare, importet hoc loco aliquid ex nihilo facere, mox uidebimus.

c. *Construendum non est, In principio, quo Deus creauit, tunc Terra erat, &c.*

RABBINI Adnotationibus in Genesim.

Dilucidius sic vertitur; In principio, siue initio, cùm creauit Deus Cœlum & Terram, tunc Terra. &c.

LVSITANVS Adnotationibus in Genesim.

Sunt aliqui ex Hebręis, qui dictionem Resith, in regimine genitiui positam hic asserunt, vt sit sensus; In principio creandi Deum, idest, quo Deus creauit Cęlum & Terram; tunc Terra erat inanis & vacua. Ad quod probandum citant illud Hoseah primo: Principium loquendi Dominum in Hoseah. item illud Hieremiæ vigesimo sexto; In principio Regni Ioachim.

Verùm hanc constructionem ita Lusitanus reprehendit.

Quorum interpretationi non subscribo propter coniunctionem, &, quæ ante dictionem Terram ponitur. Dicendum enim tunc erat, In principio, quo Deus Cœlum & Terram creauit, Terra erat inanis. In textu verò habetur; & terra erat inanis.

Reprobanda est igitur constructio hæc, primùm propter aduerbium, quod legitur eo loco: Terra autem erat inanis & vacua; siue coniunctionem, quam alij interponunt legentes: Et Terra erat inanis & uacua, vt dictum est à Lusitano. Deinde quòd videretur Moses describere id, quod effectum primo non dixisset, uel dixisset quasi contingenter. Legere siquidem; In principio cùm creauit Deus Cœlum & Terram, tùm terra, &c. est prætermittere narrationem ipsius Cœli, & Terrę effectionis, siue contingenter illam insinuare; quod equidem credi haud potest, quia Cœli & Terrę, seu Mundi, seu Chaos manatio, principale illud erat, quod enarrare sumpsit Vates Moses.

a. *Creare, cùm dicitur de ijs, quæ non sunt, ex nihilo facere importat.*

CYRILLVS in libris qui Thesaurus inscribuntur, libro quinto, capite quarto, interpretans id, Dominus creauit me initium viarum suarum, ait.

Et certè, cùm dicitur, Dominus creauit me initium uiarum suarum: siquis diligenter consideret, non ipsum esse sapientiæ significari potest. Nam quæ modo fiunt, vel facienda sunt, creari modo dicentur; quando ergo nondum producta creari dicuntur, necessario ex nihilo ad esse procedere intelliguntur. Quando autem quę iam sunt, nec possunt dici à nihilo ad esse modo procedere; si creari ea dicuntur, non potest significari à nihilo ad esse ipsorum processio, sed ad aliud ab alio translatio.

b. *Creare Dei, est de nihilo facere.*

ATHANASIVS in Epistola, quæ Synodi Nicenæ contra Hæresim Arrianam decreta inscribitur.

Nam tametsi eędem dictiones de Deo & hominibus in Sacris Scripturis habeantur, hominum tamen perspicacium

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

Hoc est, de nihilo fecit.

a. *Quia creare ex sua significatione, propriè importat, ex nihilo facere.*

C. eur propriè quid significat.

spicacium est, vt Paulus præcepit, lectioni attendere, vt rem cum iudicio discernant, & pro natura rerum quæ ibi scribuntur, vocabula accipiant, sine intellectus confusione, ne quæ Dei sunt, humano more fieri intelligas, neq; in rebus humanis tanquam de diuinis cogites. Id enim est vinum aqua miscere, & alienum ignem altari inferre: siquidem & Deus, & homines condere dicuntur, & Deus & homines esse perhibentur, eò quòd hoc ipsu à Deo mutuo accipiant. Quid igitur? itàne Deus condit vt homo? aut eodem modo esse dicitur? Absit: aliter enim de Deo vocabula accipimus, aliter de hominibus eadem illa interpretamur. Deus enim creat, cùm euocat ea quæ non sunt in essentiam, sine vllius rei, aut ope, aut opera: homines autem primùm optant, vt sit, quod tractare statuunt; deinde rem vbi adepti sunt, & sibi subiectam habent, tum demum exercent, operamq; suam, & artem in ea explicant, scientiamq; agendi ab eo Architecto mutuantur, qui omnia per Verbum suum, siue rationem operatur.

RVPERTVS Comm. in Gen. libro primo, capite tertio.

Creauit, inquam, idest, non vt Philosophi Gentilium vanè putauerunt, sibi coæuam habuit Hylen, siue materiam, sed de nihilo fecit Cœli, & Terræ substantiam. Quòd si quis obijciat, hominem quoq;, cùm non de nihilo, sed de terra factus sit, creatum dici, sicut scriptum est; Et creauit Deus hominē ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum; vel quod item dictum est; creauitq; Deus Cete grandia: Dicimus ad hæc, rectè dictum, eò duntaxat respectu, quia iam ipsa, de qua productæ, vel sumptæ sunt species, creata fuerat materia. Quibus nominibus, scilicet Cœlo, & Terra, vt supra dictum est, significari vniuersam creaturam visibilem & inuisibilem simul, & nihil excipi, ex Symbolo quoque comprobatur Apostolico, quo cùm dicimus; Credo in Deum Patrē omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ, nihil creaturarum adijcientes, cuncta his nominibus visibilia simul & inuisibilia nos comprehendisse non dubitamus. Nam in alio nihilominus Catholico fidei Symbolo, cùm dicimus; Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, Factorem Cœli & Terræ, statim exponentes quid dixerimus Cœli & Terræ, subiungimus, Visibilium omnium & inuisibilium.

LYRANVS in Postillis.

Creauit Deus, idest, de nihilo produxit; quod est proprium ipsius Dei.

a. *Creare, propriè significat de nihilo facere.*

Quòd creare importet de nihilo facere, facere verò ex aliquo, existimarunt nonnulli Patrum.

IVSTINVS in Admonitorio ex Platonis placitis hoc adnotauit.

Huic autem vobis necessariò mens adhibenda est, quòd Opificem Deum, non Creatorem Plato nuncupat, inter quæ multum interest, iuxta ipsius dogma Platonis: Creator enim nullo indigens alio, propria vi & potestate facit, quod faciendum est: Opifex autem, opificij potestatem ex materia desumens, quod faciendum est efficit.

HVGO Victorinus noster, huius verbi Creare, emphasim ante Scholasticos præmonuit de Sacramentis Fidei libro primo, parte prima, capite primo, cùm dixit.

In principio creauit Deus Cœlum & Terram: quod creatum est, de nihilo factum est: nam quod de aliquo factum est, factum quidem est, sed creatum non est, quia de nihilo factum non est. Fecit ergo Deus Cœlum & Terram: nec solum fecit, sed creauit, hoc est de nihilo fecit.

BEDA expositione in primum caput Genesis.

Creauit, quasi diceret machinauit: propriè enim Creare absq; materia dicitur: Facere autem de materia.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione prima.

Creator est, qui de nihilo aliquid facit. Et creare, propriè est de nihilo aliquid facere: Facere verò non modò de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Vnde & homo & Angelus dicitur aliqua facere, sed non creare: vocaturq; Factor, siue Artifex, sed non Creator. Hoc enim nomen soli Deo propriè congruit, qui & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit. Ipse est ergo Creator, & Opifex, & Factor; sed creationis nomen sibi propriè retinuit, alia verò etiam creaturis communicauit. In Scriptura tamen sæpe Creator accipitur tanquam Factor; & creare tanquàm facere sine distinctione significationis.

Tostatus

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

Idest, de nihilo Fecit.

a. *Quia emanatio vniuersalis non nisi ex nihilo potuit fieri.*
b. *Quia Cæli, & Elementa secundum se tota non nisi ex nihilo effici potuerunt.*
c. *Igitur bene exponitur, Creauit: idest, in conspectu nostro, quod non erat, demonstrauit.*

TOSTATVS Commentarijs in Genesim, in prima expositione. Et Post. *Creauit: Creatio est eductio*
Creauit, idest, de nihilo produxit; quod requiritur ad creationem.
ad esse, nulla præsupposita materia, sed agente solo; & sic res quæ creatur, non habet potentiam absolutam, vel
respectiuam, quod est aliquid positiuum; quia istæ ponuntur in fundamento naturæ, scilicet in materia, quæ ante
creationem non præexistit.

a. *Emanatio vniuersalis non nisi ex nihilo potuit fieri.*

D. THOMAS prima parte, quæst. sexagesimaprima, art. quinto.
Dicendum, quòd sicut supradictum est, non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particula-
ris ab aliquo particulari agente, sed etiam emanationem totius entis à caussa vniuersali, quę est Deus; & hanc
quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particula-
rem, non præsupponitur emanationi, sicut si generatur homo, non fuit prius homo; sed homo fit ex non homi-
ne; & album ex non albo. Vnde si consideretur emanatio totius entis vniuersalis à primo Principio, impossi-
bile est, quòd aliquod ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igi-
tur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non
ente, quod est nihil.

b. *Elementa secundum se tota effici, & corpora cœlestia incorruptibilia constari non nisi ex nihilo potuerunt.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.
Creauit, hoc est, effecit, non ex aliqua materia præexistente. Hoc enim appellatur facere ex nihilo, quod si-
gnificat creare, vt vsurpatum est à Theologis. Quod ideo dico, quia dictio interpretata creauit, non arctatur ad
significandum facere non ex aliqua materia, sed significatum eius commune, est ad multa faciendi genera. Quo-
circa nos non ex vi significationis Hebraici verbi, sed ex natura actionis significatæ in tali materia (videlicet
efficere Cœlos, & Terram) exponimus creauit: hoc est, non ex aliqua præsupposita materia effecit. Impossibi-
le siquidem est aliter intelligi à sapientibus, qui sciunt, quòd hæc non possunt aliter effici: tum quia primò pri-
ma Mundi Elementa secundum se tota non possunt aliter effici, tum quia Cœlestia corpora non possunt aliter
effici, cum sint ingenerabilia, & incorruptibilia secundum se tota, & singulas partes.

c. *Creauit, idest, in conspectu nostro quod non erat, demonstrauit.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo.
Verùm si Hebraicam dictionem diligentius excutere velimus, reperiemus eam vocem non simpliciter si-
gnificare, Fecit, sed condidit, in conspectum nostrum dedit, & demonstrauit, quæ omnia quodammodo docent quòd
eam, cùm prius non fuerit, nec ex præiacente materia constituerit, & videndam exhibuerit.

AVCTOR.



Nimuerò prædictæ Patrum, Doctorumque Scholasticorum expositioni refragantur hoc loco Pædagogi, Doctoresque ij, qui linguarum eruditione pollere existimantur. Rabbinorum scilicet, turba non modica nostrę ætatis famigeratorum, Caietanus, Lusitanus, Steuchus, ac alij: asserunt enim isti verbũ Creare ad genus illud efficientiæ, quod ex nulla fit substrata, aut præiacente materia, immeritò trahi hoc loco à Scholasticis, Magistro duce libro secundo Sententiarum, distinctione prima; redarguuntque hoc Theologorum placitum, tanquam intempestiuè, ac sine ratione sumptum. Primùm ex vocum Hebraicarum significatu. Nam Barà, inquiunt

quiunt, quod editio nostra Creauit, interpretata est, omnem formationem significat, tã eam, quæ ex nihilo, quàm eam, quæ ex materia substrata efficitur. Deinde Septuaginta Interpretes inquiunt, Barà, ἐποίησεν, verterunt, quod uerbum Latini interpretantur Facere. Amplius, quod magis arduum negocium nobis facit, ex usu Latinæ linguæ apud prophanos, verbum Creare, effectionem potius ex aliqua re, quàm ex nihilo dicit. Cicero enim libro de Finibus, habet, vt supra dictum est. Porrò Natura non ex nihilo, sed ex aliquo producit id, quod efficit. Et primo Tusculanarum Quæstionum; Principium, inquit, extinctum, neque ab alio renascetur, neque ex se aliud creabit. Quo loco Cicero, creare pro generare, non pro eo quod est, ex nihilo facere, accepit. In eadem quoque significatione vtitur hoc nomine Creator, in Oratione pro Cornelio; Princeps, inquit, ille Creator huius Vrbis Romulus. Nunquid hoc loco Creatoris nomine eum, qui ex nihilo aliquid producit, significare potest? minimè certè; cùm Vrbes, non ex nihilo, sed ex lapidibus, calce, & lignis condantur. Sed & diuina Scriptura, Barà, Hebraicè, & ἐποίησεν Græcè, & Creare Latinè, ad id quod ex aliqua præiacente re efficitur, explicandum sæpius excipit; vt Gen. primo; Creauit Deus Cete grandia: & post; Masculum & fœminam creauit eos. Nec est credendum, inquit Lusitanus, Scripturam in hoc capite æquiuocè accipere verbum Barà, vt scilicet hic capiat ea significatione, qua idem est, quod ex nihilo facere: Et paulo inferius, ut significat producere. Cæterum illata hæc a Pædagogis facilè retundere Scholastici possunt, si dicãt interpretari se hoc loco Creare, pro ex nihilo facere, non ex uocis Barà, seu ἐποίησεν, seu Creare significatione, sed alijs de caussis. Primùm quòd enarretur hoc loco rerum omnium productio, ante quam nihil extabat: Quamobrẽ non nisi ex nihilo creari potuerunt, ut edocuit Cyrillus. Deinde quòd aliter excipiẽda sit uox Creare, de Deo; & aliter de natura, & hominibus. Quapropter cùm hoc loco Deum creasse asseratur, ex nihilo id effecisse accipiendum est, ut docuit Athanasius. Et quanquam alijs locis Deum creasse aliqua dicatur, quæ ex præexistenti materia Deus effecit: ut quando dicitur; Creauit igitur Deus Cete grandia: Masculum & fœminam creauit eos: id dici potuit; quia iam & materiam eam præiacentem ipse ex nihilo procrearat, ut dixit Rupertus; vel potius, quoniam creare promiscuè, & indifferenter significat & ex nihilo, & ex aliqua re producere; Sed num illam habeat significationem, an uerò hanc, ex antecedentibus, & subsequentibus elici debet. Vnde hoc loco in prima significatione stare conuincitur. Amplius, quoniam ex usitato Patrum, & Scholasticorum more, Creare importat aliquid ex nihilo efficere; Facere uerò ex aliqua re. Quod quidem etsi non receptum est ab Ethnicis, & Pædagogis; receptum attamen est à Theologis, & in Scholis, quia id edocuerũt Principes Scholasticorum Victorinus, & Magister Sentẽtiarum. Ratio postmodum D. Thomę non est, meo iudicio, paruipendenda. Si enim hoc loco narratur rerum omnium manatio, entisque vniuersalis, certè ex nihilo fuisse ipsam manationem est censendum, quia ante omne ens, non poterat esse aliquod ens, sed tantùm nihil. Caietani adducta caussa verificari potest secundum doctrinæ ipsius principia, qui elementa primùm ante omnia cum Cœlo producta existimauit. Rursum & corpus Cęleste non ex elementis, sed quinta essentia congestum asserit. Amplius Cœli materiam non ex ea sylua, ex qua elementa recisam arbitratur: his enim datis principijs, sequitur certè productionem Mundi haud effici potuisse nisi ex nihilo. Verùm præter hæc nõ defuerunt rationes, & caussæ, quibus interpretari Creare, pro ex nihilo efficere, Patres, & Doctores cogerentur. Primùm hoc ipsum à Scriptura didicerunt, cùm ipsa Cœlum, & Terram ex nihilo alijs locis creata asserat; ut secundo Machabæorum quinto, ubi illa octies martyr Mater filium sic alloquitur; Peto à te, vt aspicias ad Cœlum, ad Terram, & ad omnia quæ in eis sunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus. Pluraque similia loca animaduertunt Scholastici, quæ hoc loco deducere intempestiuum esset. Amplius Ecclesiam, Deum cunctarum rerum Opificẽ Creatorem nominare animaduerterunt; siquidem in articulo primo in Symbolo, Creatorẽ omnium dixit. In Symbolo siquidem, partim Nicæna, partim Constantinopolitana Synodo confecto; Profitemur, inquit, Creatorem Deum Cœli, & Terræ, visibilium, & inuisibilium: & meritò; Nam edocta à Paulo fuit, qui ad Colossenses scribens, sic ait; In ipso creata sunt omnia, siue quæ in Cœlo, siue quæ in Terra, uisibilia & inuisibilia. Qui- (Coloss. 1.)

bus

Anno Mundi primo.
In exordio temporum.
Ante dies.

Creauit.

a. *Non est inuestigandus creationis modus, quia nobis imperceptibilis est: sed simpliciter Mosi credendum dicenti ; Deus fecit.*

bus omnibus clarè patere potest, quòd non sine grauibus causis, Patres, ac Theologi
Scholastici, Creare, hoc loco, effectionem ex nihilo importare dixerint. Cæterum &
amplius nec ipsis vitio est adscribendum, si passim, & agminatim in Scholis nunc Crea-
tionem, & Creare, pro Effectione, & Efficere ex nihilo, sumant. Nam cùm non adsit in
lingua nostra Latina verbum, quod genuina, & peculiari sua significatione, effectionem
ex nihilo perfecte exprimat; & ex his uocibus, quæ effectionem, ac productionem
promiscuè significant, vna ad explicandam ex nihilo emanationem secernenda erat, ac
seligenda; non immeritò equidem, nec leui iudicio, sed meritò, ac ponderosa conside-
ratione, uerbum Creare selegerunt, & excerpserunt Scholastici, perpetuoque, ac agmi
natim usi sunt. Fuitque eorum satis compellens ratio, quòd Latina nostra editio ex Ec-
clesiæ vsu roborata, cùm rerum omniũ effectionem ex nihilo recenset, Creare uerbo vsa
sit. Quapropter verbo huic Creare, ex usu loci huius id contigisse existimãt ipsi, quod no
tis Hieroglyphicis euenisse cognoscimus. Hæ siquidem plura promiscuè cùm significa
re possent, ex Aegyptiorum tamen Sacerdotum usu, certas significationes exceperunt;
qua ratione, Sol Deum, Luna æternitatem, Leo vigilantiam, Aquila maiestatem indi-
care, & significare videmus. Adijciam ego & hoc vnum pro huius loci in-
terpretatione ; nam inusitatus naturæ, ac Ethnicis Philosophis emanationis modus ad
perpendendam breuem agentium antithesim me compellet. Agentium igitur tria sunt
genera; Deus, Natura, Ars. Deus, omnium caussa ex se est; Natura, à Deo manauit; Ars,
ingenij humani est fœtura. Deus immensa pollet potentia; Natura maximam pręfert
insitam uirtutem, sed finitam; Ars exiguis prædita est uiribus. Deus ex nihilo creare po
test, quod non erat; Natura ex principijs, quid aliud essentia distinctum à principijs, ge
nerat; Ars ex vna, vel pluribus rebus aliam congerit, extrinseca, ac aduentitia forma di-
screpantem. Deus sine motu, ac mutatione operatur; Natura per motum, ac alteratio-
nem; Ars per aggregationem, & discretionem. Deus unico actu; Natura successiuè; Ars
iteratis actibus. Deus ex beneplacito; Natura ex necessitate; Ars ex volũtate, sed ea muta
bili. Deus per verbum; Natura ab intelligentia non errante ducta; Ars humano ingenio
directa. Deus imperceptibili momento; Natura temporum lapsu; Ars uicissitudine, &
laborum interuallo. Colligendum igitur ex his, Deus, vt Princeps omnium, libera caus-
sa, immensa sua potẽtia, ex nihilo, sine motu & mutatione, unico actu ex beneplacito,
breuissimo momento condidit Chaos, quem effectionis modũ, verbo Creauit, Moses
nobis indicare, ac significare uoluit, utpotè quòd solius Dei proprium sit creare, hoc est
ex nihilo facere, ut enucleatiùs edisserunt omnes Theologi secundo Sententiarum, di-
stinctione prima.

a. *Non inuestigandus creationis modus, quia imperceptibilis.*

CHRYSOSTOMVS Homilia secunda in Genesim.

Magna gratitudine accipiamus quæ dicuntur, ne progrediamur vltra quàm fert mensuræ nostræ tenuitas, neve curiosius, quæ supra nos sunt, indagemus : id quod veritatis hostibus euenit, qui voluerunt proprijs rationibus vniuersa expendere, non cogitantes, quòd impossibile sit humanæ naturæ Dei opificium penitus ediscere. Quid, inquam, Dei opificium, cùm neq; hominis, qui nobis natura cognatus est, artes vndequaq; disquiri possint : Dic enim, quæso, quomodo per metallicam artem, Auri natura conflatur ? vel quomodo vitri puritas ex arena fit? Verum non habes quæ dicas. Si igitur hęc, quæ ante oculos sunt posita, & quæ per Dei misericordiam, humana operatur sapientia, edisci nequeunt : quæ à Deo ipso facta sunt, curiositate tua inquires homo ?

homo? Quam assequeris veniam, qua te tueberis apologia, ita insaniens, vt quæ supra naturæ tuæ captũ sunt, speculeris? Dicere enim ea quæ sunt, ex præiacente materia esse facta, & non consiteri, quòd ex nihilo creauerit ea omnium opifex, desipientiæ extremæ signum fuerit. Beatus itaq; Propheta iste, obturando insipientium ora, auspicaturus librum, sic cœpit; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Cùm igitur audis, Fecit, nihil aliud vltra curiosius quære: sed humum spectans, crede ei qui dixit. Nam Deus est qui omnia facit, & præparat, & iuxta voluntatem suam omnia aptè componit. Et post. *Verùm interim & omnes hęreses, quæ sicut zizania pullulaturæ erant in Ecclesia, eradicat per hoc quod dicit; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Vnde si Manichæus te accesserit, dicens materiam præexistere, vel Marcion, vel Valentinus, vel Gentilis, dic ad illum; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Sed quid si non credit ille Scripturæ? Tu posthac ipsum auerseris, velut furibundum, & mentecaptum. Nam qui omnium opifici non credit, & veritatem mendacij arguit, qua vnquam dignandus est venia? Habet ille fucatum colorem, & mansuetorum personas induit, tegitq; sub ouina pelle Lupum. Sed tu ne decipiaris, immò hac ipsa de caussa illum magis exosum habe, quòd mansuetudinem quidem erga proximum conseruum simulat, contra Dominum autem vniuersorum bellum gerit, & contra suam ipsius salutem currit insensatus.* Et post. *Quòd si veritatis hostes adhuc dicunt, esse impossibile ex nihilo aliquid fieri: interrogabimus eos, primusne homo ex terra formatus est, an forte aliunde? omninò dicent, ac fatebuntur, quòd ex terra. Dicant igitur nobis, quomodo ex terra facta sit natura carnis. Ex terra enim lutum, & lateres, & figulinum vas, & testa fieri solet: quomodo ergo natura carnis facta est? quomodo ossa, & nerui, & arteriæ, & adeps, & cutis, & vngues, & capilli; & ex vna præiacente materia diuersarum substantiarum qualitates? sed ad hæc ne mutire quidem poterunt. Quid autem dico de corpore nostro? Dicant nobis de pane, quo quotidie reficimur, quomodo, cùm vnius speciei sit, transmutatur in sanguinem, & phlegma, & choleram, & varios humores? & panis quidem sæpe habet colorem frumenti, sanguis autem rufum, vel nigrum. Si igitur hæc, quæ quotidie ante oculos videntur, nunquam nobis dicere poterunt, nullatenus & de alijs Dei opificijs digna dicent. Quòd si post tantam demonstrationum copiam, adhuc suam contentionem roborare volunt: & neq; nos desistemus sæpe eadem ipsis obijcere, dicentes; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Hoc enim vnicum verbum sufficit nobis ad subuertendas omnes aduersariorum turres, & ad reuellendas ab ipsis fundamentis humanas rationes: atq;, si vellent vel serò à sua contentione desistere, possent per hoc in veritatis viam manuduci.*

His consimilia reperiuntur in Sermone de Ieiunijs, & Geneseos lectione.

CYRILLVS Alexandrinus in Genesim libro primo.

Ioann. 1. *Ergo Deus omnium Creator optimus per summam suam potentiam, idest Filium suum, (omnia enim per*
ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Cœlum, Terramq; ante omnia creauit. Et quamuis nulla fuerint
antea, tamen facultate eius creata sunt. At si quis quærat, quomodo, vel quibus principijs creata sint, re-
Rom. 11. *sponsum illud rectum, optimumq; accipiat; Quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Si*
quis enim rem huiusmodi intelligere velit, mentem quoq;, atq; prudentiam, quæ in Deo est, ipsum habere opor-
tere certum est. Sed quòd humanum ingenium exile sit, vel potius nullum penitus Dei comparatione, ipse Deus
Esa. 55. *declarat, cùm ait; Non enim sunt cogitationes meæ cogitationes vestrę; neq; viæ meæ, sicut vię vestræ, dicit*
Dominus. Quia sicut exaltantur Cœli à Terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à
cogitationibus vestris. Omittamus igitur tanquàm superuacuam, & nullo pacto comprehensibilem talem quæ-
stionem. Creat enim Deus, vt ipse & nouit, & potest.

Pia certè est hęc Ioannis Chrysostomi, & Cyrilli interpretatio, & obseruatio: metiri enim si quis vellet Dei summam Potentiam & Sapientiam, qua Mundum potuit, & voluit efficere, modumq; inuestigare, summæ insipientię esset indicium, procacisq; ingenij argumentum, cùm vellet ea penetrare, quæ attingere non potest. Nam vt dicebamus, alæ Cherubim tegebant caput & pedes, vt nobis significarent, Mundi initium, & finem non posse nobis esse perspectum: mirificum, scilicet Dei opus contemplari possumus, opus, inquam, Mundi; sed quomodo manarit, nequaquam. Fide igitur simpliciter ea credere debemus, quæ nobis exponit Moses. Quapropter, cùm dicat; In principio creauit Deus Cœlum & Terram; nec mentionem faciat de materia præiacente aliqua, ex qua ea compegerit, ex nihilo ipsa effecisse credendum est.

a. Non ex materia ingenita.

Prisci omnes Gentilitatis Philosophi, qui Mundum generant, seu rerum omnium vnum principium astruant, quod Hylen appellant ingenitam, & æternam, ex qua casu Mundum prosilijsse opinati sunt; seu duo, Deũ, & Materiam ingenitam; seu tria, Deũ, Materiã, & Ideas, semper quandã materiã ingenitã, æternamq; somniarunt. Sed quænam illa ipsa prima esset materies cunctarum rerum principium, & matrix, non vna diffinierunt sententia. Xenophanes eam, Terram dixit; Thales Milesius, Aquam eam nũcupauit;

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

c. *Non ex materia ingenita.*

cupauit; Anaximenes Aërem; Eraclitus, Hippasus, Hipparcus, & Parmenides Ignem; Democritus Vacuum & Solidum; Metrodorus Indiuisum, & Vacuũ; Epicurus Athomos, hoc est, insectilia corpora; Anaxagoras Homiomerias, idest, similares particulas; Archelaus Infinitum aëra, seu crassitudinem, ac raritatem aëris; Pythagoras Numeros, commensurationesq;, quæque, ex vtrisque componuntur Elementa; Anaximander Quid infinitum; Empedocles, ex quatuor ipsis elementis, Quid commiscelatum; Hesiodus, ac Euripides Chaos, vna communi rudi forma consitum; Xenocrates Iugifluã materiam; Plato Materiam informem assimilem corpori; Stoici Corpus, teste Theodoreto, libro de Materia & Mundo. Horum sententias luculentiùs tradunt Clemens Recognitionum libro octauo, Niceta loquente; Iustinus in Admonitorio; Eusebius de Pręparatione Euangelica, libro primo, capite quarto & quinto; Theodoretus libro de Materia & Mundo; Cyrillus contra Iulianum, libro secundo; Epiphanius in Panario, libro primo; Lactantius libro de Ira Dei, capite decimo. Et Hieremias Philosophus libro inscripto, Irrisio Gentilium Philosophorum, vberiori oratione elegantissimè cunctorum Philosophorum de Principijs sententias recenset & reijcit. Sed præter Ethnicos, Hæreticorum quamplures in eandem præcipitarunt sententiam; vt Hermogenes, teste Tertulliano, libro aduersus Hermogenem; in quo acrius de his contra ipsũ disceptat; Manicheus, Marcion, Valentinus, teste Io. Chrysostomo, Hom. prima in Genesim; Sabellius, teste Dionysio, Verùm quod mihi arduum negotium facit;

PHILO, & hanc materiam ingenitam coæternam ex Mosis mente & sententia visus est concessisse, libro de Mundi opificio, cùm dixit.

Si quis vellet caussam huius vniuersalis opificij perscrutari, non aberraret, opinor, à scopo, si diceret, quod quidam priscus sapiens: bonum esse Patrem, conditoremque, ideoque suapte naturę bonitate non inuidisse substantiæ, nihil boni ex seipsa habenti, quæ tamen quidvis fieri poterat. Erat enim ex seipsa expers omnis qualitatis, indigesta, inanimis, plena ruditate, confusione, atque discordia: sed capax alterationis, mutationisque in contrarium statum optimum, videlicet ordinem, qualitatem, animationem, similitudinem, identitatem, coaptationem, atque consonantiam, cæteraque quæ ad potiorem ideam attinent. Tum Deus nemine mouente (quis enim erat alius?) suopte consilio decreuit diuitias gratiæ suæ copiosè, largiterque profundere in naturam nullius bonæ rei per se capacem sine diuina munificentia.

Et paulo post, cùm declarasset, Deum ex ea materia congessisse Mundum non secundum infinitam suam potentiam, sed ad eius vires se attemperando, his concludit.

Mosis enim est opinio hæc, non mea.

Cæterum contra priscos Philosophos, & Hæreticos præfatos, eorũque de materia ingenita assertionem, Patres prisci acrius disceptarunt, adeò copiosis, prolixisq; disputationibus; vt Catenam de hac re intexere, sit ęquora, in æquoribus refundere. Origenes in Periarchon, libro primo, capite primo; Tertullianus libro aduersus Hermogenem hæreticum luculentiùs; Lactantius libro secundo Diuinarum institutionũ, capite nono; Gregorius Nyssenus, libro de Creatione hominis, capite vigesimo quarto, & uigesimo quinto; Zeno Episcopus Veronensis, sermonum libro secundo; Eusebius de præparatione Euangelica, libro septimo, capite octauo, qui & Philonis, Dionysij, Origenisque argumentationes contexuit; Basilius Hexęmeron, homilia secunda; Ambrosius Hexæmeron libro primo, capite septimo, Athanasius de Incarnatione Verbi Dei; Procopius Gazeus Pręfatione Commentar. in Genesim; Cyrillus aduersus Iulianum; Ioannes Chrysostomus, Homilia secunda in Genesim; Epiphanius in Panario, libro primo aduersus Stoicos; Theophilus Antiochenus ad Autholycum, libro secundo,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

a. Non ex mole aquarum mox ante condita diuisit Deus Cœlum, & Terram.

cundo; Theodoretus Diuinorum Decretorum Epitome, libro quinto. Quantum verò ad Philonem spectat, eum de materia ingenita non locutum fuisse, sed de creata conuincunt ea, quæ (ex Eusebij relatu de præparatione Euangelica, libro septimo capite octauo) exactiùs, & clariùs dixit.

PHILO autem Iudæus, inquit Eusebius, de hac quæstione sic scripsit.

De quantitate autem substantiæ, vtrum facta sit, dicendum est ad formationem vniuersi tantam materiam Deum creasse, vt nec superflueret, nec deficeret. Absurdum enim est, hunc vel illum artificem diligentissimè de quantitate materiæ sufficientis, præcipuè in pretiosa materia prouidere: Deum verò, qui numeros & mensuram omnium nouit, minimè de hoc prouidisse. Ausim igitur exclamare, nec pluri, nec pauciori materia ad creationem Mundi opus fuiße. Non enim integer ex omnibus partibus Mundus esset, si non à sufficienti materia esset formatus. Sed cùm prudentis proprium artificis sit, anteaquàm incepit, sufficientiam materiæ prospicere, homo quidem mortalis errare potest, vt nonnunquam deficienti materiæ additamenta quærat, nonnunquam ablationem à superfluente. Deus verò, cui nihil deest, quique omnia potest, ad vnguem sufficientem produxit Hylen. Sed qui cauillari volunt, argumenta multiplicant; qui verò philosophari, veritate rerum contenti sunt.

a. Non ex mole aquarum ante Mundum condita.

APOLLINARIVS, teste Gregorio Nysseno Philosophię libro tertio, capite quarto, ante Cœlum, & Terram, abyssum, ex qua Deus Cœlum ipsum & Terram formaret, conditam à Deo existimauit, nec eius emolitionem à Mose enarrari dixit.

Apollinarius autem vult ex abysso fecisse Deum Cœlum & Terram: verum abyssi, vt genitę, Moses de generatione Cęli non meminit. In Iob autem dictum est, quòd fecit Abyssum; ex hoc igitur censet omnia alia generata esse, non tamen ingenitam vult, sed ante cuncta corpora productam eam esse, & præsumpsisse à Conditore ad aliorum subsistentiam manifestationem.

NEMESIVS libro de Natura hominis, capite quinto, quod est de elementis, hanc eandem Apollinarij sententiam his recenset.

Qui Hebræorum dogmata defensitant, de Cœlo, Terraque dissentiunt. Cæteri enim ferè omnes ex nulla subiecta materia, quæ prius fuerit, Cœlum & Terram genita esse volunt; quoniam Moses scribit his verbis; In principio fecit Deus Cœlum & Terram. Apollinarius verò ex abysso feciße Deum Cœlum, & Terram contendit. Nam abyssi, vt eius quæ creata sit, Moyses in commemorando Orbis ortu non meminit; sed in libro, qui Iob inscribitur, perscriptum hoc est; Qui fecit abyßum. Ex hac igitur, ut materia, omnia alia nata esse vult, neque tamen eam nullo generatam ortu, sed genitam ante omnia corporea, & ad cæterorum naturam à Deo præparatam eße tuetur. Atque ipsum quoque abyssi nomen (significat autem Latinè fundi expers) infinitatem ostendit. Sed hoc, quoquomodo se habeat, nihil refert. Etenim etiam hoc modo Deus omnium & opifex esse, & ex nihilo feciße omnia, probatur.

HIERONYMVS ab Oleastro Lusitanus hanc ferè sententiam, quam tamen non legisse uereor, insequutus est; Deumque mox antequam in principio faceret Cœlum, & Terram, ex nihilo cum Angelo abyssum aquarum produxisse; vatemque Mosem eius natalia suppressisse, enarrationemque suam à seiunctione Cœli, & Terrę auspicatum esse, constanter asseuerat. Duoque huiusce nuperrimi excogitati sui figmenti iacit fundamenta: Alterum, quòd hoc verbum, Barà, non solum producere, ut iam diximus, sed etiam separare & diuidere significet, ut exemplis ipse deducit. Nam ait; Iosue decimo septimo scribitur Vberethà, idest, succides eum, uidelicet montem, & erũt tibi exitus. Item Ezechielis uigesimo tertio ponitur Vbarà, idest, & succident, seu diuident eas, scilicet duas fœminas gladijs suis, seu scindent eas: Alterum, quòd Cœlum

ante

ante omnem diem in primordio temporum effectum (de quo ait Moses; In principio creauit Deus Cœlum & Terram) non fuerit ex nihilo productum, sed ex aquis ante iam ex nihilo conditis compactum, à terraque, quæ sub aquis & ipsa ex nihilo condita extabat, seiunctum. Ait igitur Lusitanus.

Aduerte, vt iam diximus, & infra probabimus, Cœlum non ex nihilo hic factum describit, sed potius ex aquis. Non enim prius Deus Cœlum cum Terra informi seorsum fecit; sed vt diximus, tunc primum factum est, cùm à Deo fuit ex aquis productum. Quod Petrus Apostolus apertè asserit; Latet enim eos, inquit, hoc volentes, quòd Cœli erant prius, & Terra de aqua, & per aquam consistentes Dei verbo: de aqua quidem quantum ad Cœlos: per aquam verò, idest, aquarum diuisionem, quod ad Terram attinet. Vnde sequenti capite habes; Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ, quibus Cœlum, & Terra genita sunt: vbi Cælum genitum dicitur. Neque me propterea putes negare Terræ, & Cœli creationem, quod neque somniaui: sed puto Terram, non sub nomine Terræ, quæ potius Mare, quàm Terra vocatur, Scriptura testante, quæ asserit, Deum vocasse aridam terram, idest exiccatam, sed sub aquis prius ex nihilo productam. Similiter & aquam: postea verò ex aqua, quemadmodum Petrus dicit; Cœlum, seu firmamentum fuisse productum, separando partem aquarum, & firmando illas; vt Cœlum, seu firmamentum esset. Vnde & Cœli color, quia aqueus esse apparet, attestari videtur, quòd ex aquis productum sit. Et sicut hic non describitur creatio aquarum; quid mirum, si neque describatur creatio terræ illius, quæ sub aquis erat? Et sicut tenemus aquam prius creatam; postea verò à Terra in parte separatam: sic tenere possumus, Terram illam informem, seu quæ erat sub aquis, prius creatam: hic verò describi digestam, seu separatam.

Vtrunque hoc figmentum à cunctis tùm Patribus, tùm Doctoribus reiectum est; nec siquidem adeò erronea est eius assertio, ut non sit frigidior interpretatio, quam de hoc loco habet, si profundius rem ipsam perpendemus. Primum; In principio, ait Moses, Creauit Deus Cœlum, & Terrã. Si, In principio, interpretabimur, Ante omnia; igitur non ante Cœlum & Terram creauit Deus molem aliquam, ex qua post congereret Cœlum, & Terram. Si, In principio, exponemus, In temporum exordio; igitur moles ea, ex qua prosilijt Cœlum & Terra, fuit ante tempus: quo quid absurdius? Deinde ut quid reticuit Moses eam aquarum productionem? Certè cùm eam, nec à Deo factam enarret, multum adhęsisse uidetur ijs, qui materiam ingenitam ante Mũdum præponunt. Nec inducta à Lusitano interpretatio, qua uerbum Creare, hoc loco diuidere uoluit, ut significet, adeò consistit; quicquid enim sit de Barà, Hebraicæ uocis significatione, scripturarum tamen phrasi aduersam, ac alienam eam esse comperimus: si quidem Scriptura, cùm rerum emolitionem à Mose traditam recenset, ac repetit, pro fecisse, nunquam separasse, seu seiunxisse scribit. Sic Abraham; Leuo manum meam ad Dominum meũ excelsum Creatorem Cœli, & Terræ: Et ibidem Melchisedech; Benedictus Abraham à Deo excelso, qui creauit Cœlum & Terram: Et Dauid; Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum & Terram: Ionas Propheta quoque ait; Hebræus ego sum, & Dominum Deum Cœli ego timeo, qui fecit Mare, & aridam, Et Hieremias; Sic dicetis, inquit eis, Dij, qui Cœlos & Terram non fecerunt, pereant de terra, & de his, quæ sub Cœlo sunt: Et etiam inquit; Domine Deus tu fecisti Cœlum, & Terram in fortitudine magna, & in brachio tuo extento; non erit tibi difficile omne uerbum. Deinde cuncti Hebraicæ linguę Rabbini, Græciq; ac Latini Patres, necnon & Ecclesiastici Scriptores, pro Creauit, agminatim semper interpretati sunt, Ex nihilo fecit. Præterea, seiunctio eorum est, quæ iam extant; quòd si interpretemur, Creauit Deus, hoc est, Separauit Deus Cœlum à Terra; iam Cœlum, Terraq; simul coibant, ac commiscebantur: non igitur ex aquis confectum fuit Cœlum. Ab ipsius Vatis insuper scopo diuersum, adeoq; peregrinum, & alienum est hoc figmẽtum, quòd eius finẽ tollat: Nam cùm Mundi ettinctionem narrare susceperit, non Mundi creationem tradidit, (vt egregiè adnotauit Vielmius Præceptor meus lectione secunda, qui & ipse acrius exprobrat, execratq; hanc sententiam) sed compactionem, ferruminationem, & venustationem, quod uiderit, inquit Vielmius, ipse hæreticæ prauitatis Inquisitor, num sit scripturis, & Ecclesiæ vsui consentaneum. Lactantius certè Hesiodum reprehendit, quòd à Chaos sumens exordium, non ante explanauerit; vnde, quando, quomodove esse, aut cõstare cœperit, ergo & explanare Moses debuerat, vnde essent hæc ipsa, quæ nunc separata fuerunt, anteaquam de eorum separatione dissereret. Porrò id, quod iecit fundamentum, Cœlum videlicet, ex aquis congestũ fuisse, non admittunt omnes Patres,

Gen. 14.
Psal. 123.
Ionæ 1.
Hier. 10.
Hier. 32.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

a. *Vel ipsam materiam creauit vniuersali quadam forma præditam; Vel cum ea, & ex ea Mundum sensilem.*

Patres, vt Basilius, Ambrosius, Augustinus, Ioannes Chrysostomus, Theodoretus pręcipuè, qui, vt suo loco disceptabimus, Cœlum ex summitatibus elementorum, ignoto nobis constitutionis genere, conditum existimant. Sed & eorum Patrum classis, quæ Cœlos ex aquis compactos autumat, non ante dies, sed secundo die, vna conspiratione diffiniunt eos fuisse coactos. Refragantur & huic rei omnes tam Theosophi, quàm Philosophi Peripatetici, qui ex quinta quadam essentia ipsum constare dijudicarunt, Thomistæ præcipuè, qui non ex eadem sylua, qua elementa cęsa sunt, eadem inquam materia, sed ex pręstantiori effectum ipsum edocent. Sed hæc contra Lusitanum satis.

a. *Vel materiam creauit vna forma communi præditam; vel cum ea, & ex ea elementa.*

Patrum quamplures non origine, seu, vt inquiunt, potentia, materiem Cœli, & Terræ congestionem eorum præisse autumant, sed actu: nomineq; Terrę, ipsam materiam actu exili, ac imperfecto conditam, ex qua post, Mundus fuerit discriminatus, & venustatus, describi existimant: suntq; hi Gregorius Nyssenus, ac Sectatores illi, qui Chaos vna rudi forma præditum, in quo Cœlum, ac elementa seiuncta, discretave nonextarent, sed tantũ in preseminata potentia, primùm emanasse, hicq; genesim, procreationemq; eius tradi censuere: quorum Catenam infra in quæstione de Chaos speciatim deducemus.

Cæterum reliqui Patres, Theologi, Doctores, Philosophiq; ferè omnes materiam quandam, quam primam appellant, conspirata simul sententia, admittunt: Verùm alij ex nostris, ex ea, & cum ea eodem momento temporis Mundum absolutum prodijsse diffiniunt, vt Augustinus, Eucherius, Beda, & assecle. Alij ex ea, & cum ea, Cœlum supremum tantùm, & elementa congesta fuisse tradunt, vt Basilius, & Ambrosius. Alij elementa tantùm, vt Hugo, Strabus, & cæteri, qui Cœli nomine Empyreum interpretantur. Alij Cœlos omnes luminiferos, ac elementa, vt D. Thomas, & Neoterici volunt. Hęc verò illa est, de qua Sapiens ait; Deus orbem condidit ex materia inuisa; seu, vt Augustinus interpretatur, ex materia informi. Huius cum Mũdo connexã genesim, AVGVSTINVS de Gen. ad literam, eleganti exemplo his describit. *Non informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit vtrunque simul concreatum, & vnde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba verò formatam vocem indicant: non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: ita Creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcunque naturarum, quasi secunda consideratione formauit, formatam quippe creauit materiam. Sed quia illud vnde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud quod inde fit, potuit diuidere Scriptura loquendi temporibus, quòd Deus faciendi temporibus non diuisit. Si enim quæratur vtrum vocem de verbis, an de uoce verba faciamus, non facilè quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de uoce respondeat.*

Sap. 11.

Lib. 1. cap. 15.

Et duodecimo Confessionum libro, capite vigesimo nono.

Quis deinde sic acuto cernat animo, ut sine labore magno dignoscere ualeat, quomodo sit prior sonus, quàm cantus? Ideò quia cantus est formatus sonus, & esse vtique aliquid non formatum potest; formari autem potius fiat; nec prior interuallo temporis. Sic est prior materies, quàm id quod ex ea fit. Non ideò prior, quia ipsa efficit, cùm & eos posteriore tempore in formam cantici coaptamus, aut fingimus, sicut ligna, quibus arca, vel argentũ, quo

quo vasculum fabricatur. Tales quippe materiæ, tempore etiam præcedunt formas rerum, quæ fiunt ex eis.

Et prolixiùs exemplum id edisserit, concluditque post.

Hoc exemplo, qui potest, intelligat materiam rerum primo factam, & appellatam Cælum & Terram; quia inde facta sunt Cęlum & Terra, nec tempore primo factam, quia formæ rerum exerunt tempora, illa autem erat informis, iamque in temporibus simul animaduertitur; nec tamen de illa narrari aliquid potest, nisi velut tempore prior sit, cùm pendatur extremior, quia profectò meliora sunt formata, quàm informia, & præcedunt æternitate Creatoris, vt esset de nihilo, vnde aliquid fieret.

BEDA Quæstionibus in Genesim.

Manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari, simulque & manifestissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ex Deo, licet dicat Scriptura; Qui fecisti Mundum ex materia informi. Non tamen informis materia, formatis rebus tempore prior est, cùm sit vtrunque simul concreatum, & quod factum est; & vnde factum est : sicut vox, materia verborum est, verba verò, formatam vocem indicant : ita Creator Deus non prior tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcunque naturarum, quasi secunda consideratione, formauit; & non potuit non diuidere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diuisit: & nos cùm dicimus materiam, & formam, vtrunque simul intelligimus, nec vtrunque simul possumus enunciare.

Hæc illa est, quam Philosophi tum Platonici, tum Peripatetici, uti omnium rerũ substratum principium agnoscunt, quæ quidem imperceptibilis ferè cùm sit, Plato ex spuria, & adulterina cognitione, Aristoteles verò ex analogia ad materiam rerum artificialium percipi existimarunt: de eaque Philosophi cuncti, sed Peripatetici præcipuè, arduis, ac nunquam terminatis disceptationibus disserunt; An concedenda sit; An potentia eius essentia existimanda ueniat; An actu, ut aiunt, entitatiuo gaudeat; An trinam dimensionem sibi coæternam secum ferat; An sit ingenerabilis, incorruptibilis, & similia.

Num Deus ex eadem materia Cœlos, & Elementa compaginarit.

Disceptatio hoc loco excitatur à Patribus priscis insinuata, sed à Scholasticis fusiùs uentilata, ac à Philosophis omnibus tum uetustis, tum neotericis iactata; Num materia hæc, seu moles indigesta, qua Mundus congestus est, unius sit naturæ, seu affectionis. Difficultasque hæc ea de caussa cõualuit, quod Cœli materies una tantùm forma sit delectata, & formarum vicissitudinis omninò sit expers, generationisque & corruptionis sit innoxia; elementaris uerò perenni formarum mutatione nunquam saturari videatur; ac, ut vno exemplo complectar, quæ ipsissima sit earum disparitas: Cœlorum materies, ut pudica virgo, vno sit uiro oblectata, nescio an insita castitatis propensione, an viri dignitate: Materies uerò elementorum, ut procax meretrix, pluribus quanquam lassata nõ saturetur, nescio nũ libidinis exũdantia, num uirorum defectu, imbecillitateq;.

Classis Doctorum, materiam Cœlestem, & Elementarem vnam arbitrantium.

Sententia prima Cœli, ac inferiorum, vnam esse materiam asserens, vetusta competitur; Prisci, vetustissimique Philosophi ferè omnes (Peripateticis exceptis) materiam cœlestium à mortalibus differre tantùm puritate, & impuritate censuere. Aegyptij propterea Cœlum esse humorem concretum existimarunt; Diogenes eum esse aërem puriorem dixit; Heraclitus, ignem; Stoici, ardorem mobilem; Pythagoras, flammã; Empedocles, quid compactum ex quatuor elementis, sed ex perpetua sancita inter eos amicitia, indissolubile; Plato, Pythagorã in Thimęo sequutus, stellas censuit esse ignes non vrentes, & Cœlum igneum, constareque ex eminentijs omnium elementorum: propè verò finem vocauit hanc materiam communem, syluam ignitam, humefactam, cęterisque qualitatibus affectam, voluitque eam ignem, terram, & reliqua prima corpora constituere. Placitum hoc prosequuti sunt ex Peripateticis nonnulli; Auicennas primo libro suæ sufficientiæ, capite quarto; Ioannes Grammaticus, vt refert Auerroes octauo Physicorum, commento septuagesimo nono; & Simplicius eodem octauo, textu septuagesimonono, & primo de Cœlo, vigesimosecundo; Theophrastus, teste Simplicio, primo commento primi Physicorum. Verùm præter Philosophos ex nostris Patribus

tribus, Cœlos ex elementis compactos, Græci ferè omnes, ac Latini, vsque ad D. Thomæ tempestatem, visi sunt dijudicasse: Siquidem Petrus, Clemens, Gennadius, Hippolytus, Theodoretus, Seuerianus, Acacius, Procopius, Anselmus, Hugo, Beda, Strabus, Gulielmus, & Steuchus, ex aquis eos cōgestos dicūt, vt infra ꝑ catenas deducemus.

Basilius autem, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Damascenus, Ioannes Chrysostomus, Athanasius, Richardus ex summitatibus elementorum, ignoto nobis constitutionis genere, eos compactos edocent. Sed inter eos, qui quintam essentiam admittunt, præcipuus huius sententiæ inter Scholasticos propugnator Aegidius est, tum in proprio quæsito de Materia Cœli, tum prima parte sui Hexæmeron: Contendit Aegidius materiam eam, ex qua condita sunt Cœlestia corpora, elementaq; , seu Cœlum, & Terra, eandem extitisse, idemq; connatum sibi votum, seu potentiam, non magis ad Cœlorum formam, quàm elementorum propensam tulisse: ex summi verò Opificis nutu euenisse, vt pars altera Cœli præstantissima forma indueretur, altera formis elementorū substerneretur, tam dispari euentu, vt quæ Cœli formam sortita est, pręstantissimam susceperit naturam, contrarietatem non admittentem; vnde priuatione, generatione, corruptione, alteratione immunis euaserit, omniq; sua saturata ingluuie, mirifico euentu, incorruptibile corpus constituerit: Quæ verò elementarem formam subierit, ignobiliorem, imbecilliorem, & contrarium admittentem susceperit; adeò vt ipsa citò vna forma, tanquam imbecilli satiata, mox aliam anhelet; ob idq; generatione, priuatione, corruptione, & alteratione obuoluta, obductaq; semper existat. Atq; (vt vno verbo, quod potissimum est horum placitum, complectar) volunt hi materiam illam, qua cuncta compacta sunt, ex sua connata essentia & potentiæ insitę vi, ad omnes formas indifferenter suscipiendas rapi: sed quòd altera suscepta, alteram mox appetat, vel non appetat, hoc ex collatæ formæ conditione admittentis, vel non admittentis contrarium, sibi elargitum esse dicunt. Hęc Aegidius luculenter prima parte Hexæmeron, à capite primo, vsque ad decimum. Cæterum in quinto præcipuè, cùm non ineptè redarguerit Auicebron, Angelis etiam materiam attribuentem; ac Auerroëm, Cœlestibus orbibus etiam materiam omninò subtrahentem, vti nimio ausu materiam amplificantes, vel coarctantes, D. Thomam, ac sectatores materiæ vnitatem tollentes, confutare contendens, ita concludit.

His itaque declaratis, dicamus, quòd materia, considerata secundum suam nudam essentiam, cùm sit pura potentia, non habet per quid differat ab alia materia; tamen in potentia Creatoris est, subijcere eam formæ corporali habenti contrarium, & non habenti contrarium. Et cùm subijcitur formæ habenti contrarium, habet annexam priuationem alterius formæ, cuius ratione est turpis, idest indecora, & effœminata, idest, defectiua; & ex hoc non completur totus appetitus eius, sed cùm est sub vna forma, appetit esse sub alia, vt patet in materia horum inferiorum: Cùm verò subijcitur formæ non habenti contrarium, non habet priuationem annexam; ideò nec habet turpitudinem, nec effœmineitatem; quo posito, nunquam machinatur ad maleficium; & tamen est sub vna forma, & nunquam competit ei esse sub alia: & talis est materia Cœli. Est itaque Cœlum incorruptibile, & hæc inferiora sunt corruptibilia; sed hoc non est quòd materia Cœli omninò informis, cùm sit pura potentia, differat essentialiter à materia elementorum; sed quia materia Cœli est substrata formæ non habenti contrarium; & ideo non habet priuationem annexam; qua priuatione sublata, materia ibi non machinatur ad maleficium, nec ad corruptionem, sed habet satiatum appetitum; & exinde Cœlum est incorruptibile: Elementa verò habent materiam substratam formæ habenti contrarium, & exinde habent priuationem annexam, & materia machinatur ad maleficium & corruptionem, ex quo elementa sunt corruptibilia.

Sententia Cœlestium, ac inferiorum materiam non vnam esse asserens.

Primùm in hanc sententiam declinarunt Peripatetici ferè omnes; Aristoteles siquidem hoc inferre visus est, primo de Cœlo, textu vigesimo, cùm perpendens caussam, quare Cœlum sit æternum, dixit;

Quia Cœlum caret materia.

Hoc est, eiusdem rationis cum materia horum inferiorum. Et libro primo de Generatione, textu octuagesimo septimo, cùm ait;

Quæ

Quæ inuicem non transmutantur, non habent eandem materiam.

Porrò Cęlum, & inferiora elementa, inuicem non transmutari conspicuum est. Et octauo Metaphysices, textu duodecimo scripsit;

In naturalibus quidem sempiternis, alia est ratio, aut non habent siquidem materiam, aut non talem.

Et duodecimo Diuinorum, dixit;

Quęcunque transmutantur, materiam habent; sed aliam sempiternorũ, quęcunque non generabilia sunt, latione autem mobilia, verùm non generabilem habent, sed vnde, & quo.

IVSTINVS libro de Aristotelis decretorum reprehensione, ex libri primi de Cœlo capite secundo, hoc placitum illis verbis decerpsit.

Ex quibus perspicuum est naturam quandam esse corporis, præter concretas, quæ hic sunt, quæ his omnibus & diuinior sit, & antiquior. Et Post. *Quoniam autem Cœlum, diuinum est, natura enim diuina est quædam, ob eam caussam rotundum ei corpus datum est.*

Ex his ænigmaticis Aristotelis oraculis, Peripateticorum numerosa classis, Cœlum corpus esse simplex asseuerarunt omnis materiæ expers, dimensionibus non carens, & in potentia tantùm ad vbi, quanquam ex eo, & intelligentia compositum impropriè fieri non abnuant; intelligentia motrice formæ vices agente, ipso verò cœlesti corpore simplici, materię vices sumente, quod corpus, Cœlum animatum appellant: Huius sententiæ Auerroës primo de substantia orbis assertor fuit præcipuus. D. Thomas, ac Peripateticorum alij quamplures, non admittentes quòd sensile corpus extentum per dimensiones, absque materia comperiri queat, quia tunc esset purus actus, seu spiritalis substantia, & quia in eo accidentia, sine substrato, vt aiunt, subiecto consisterent; Cœlum ex materia & forma compositum esse, vt Cœlum sine intelligentia consideratur, diffiniunt. Contendunt amplius tum Auerroës, tum D. Thomas, Alexandrum, Ammoniũ, Themistium, Simplicium, Iamblicum in suam quisq; trahere sententiam. Omnes attamen hi, vna consensione, Cœlestium, ac elementorum materiam non vnam esse decernunt; persistuntque, maximè D. Thomas, & nuperi omnes Scholastici, qui eum sunt insequuti, quòd alia fuerit materia, qua Deus congessit Cœlum, & alia qua produxit elementa, saltemq; analogicè, vt aiunt, eas differre autumant; reputantq; Cœlestem materiam ad vnam tantùm formam propensionem habuisse, elementarem verò ad plures, diuersasq; formas: Nam si Cœli materia, inquiunt, insitam haberet ad plures formas inclinationem, contingeret, vt simul Cœli forma imbueretur, & simul alias appeteret formas: qui connatus appetitus, vel, cùm nunquam saturari possit, ociosus persisteret; vel, si saturaretur, Cœlorum orbis dirutionem secum ferret. Quapropter concludunt, quòd propensionem ad vnam, vel plures formas habere, materiæ ipsi contingat natura, non autem ex formarum præstantia, vel imbecillitate. Oportet igitur, inquit D. Thomas, quæstione sexagesima sexta primæ partis, articulo secundo.

Quòd materia secundum se considerata sit in potentia ad formam illorum omnium, quorum est materia communis, per vnam autem formam non fit in actu, nisi quantum ad illam formam; remanet ergo in potentia quãtum ad omnes alias formas: nec hoc excluditur si vna illarum formarum sit perfectior, & continens in se virtute alias; quia potentia, quantum est de se, indifferenter se habet ad perfectum, & imperfectum: vnde sicut quando est sub vna forma imperfecta, est in potentia ad formam perfectam; ita econuerso. Sic ergo materia, secundum quòd est sub forma incorruptibilis corporis, erit adhuc in potentia ad formam corruptibilis corporis; & cùm non habeat eam in actu, erit simul sub forma & priuatione, quia carentia formæ in eo quod est in potentia ad formam, est priuatio: hæc autem dispositio est corruptibilis corporis. Impossibile ergo est, quòd corporis corruptibilis, & incorruptibilis per naturam, sit vna materia.

Iudicium Auctoris.

His nunquam terminatis disputationibus Cathedris relictis, quid ego sentiã, aperiã. Esaias oraculum nobis præstat ad hanc dissoluendam difficultatem. Manus quoque mea, inquit, fundauit terram; & dextera mea mensa est Cęlos. Isa.48. Siquidem eleganter hoc loco, quo terrã manu sinistra fundatã, Cœlum verò dextera mensuratũ, Propheta prodidit; percipimus, quòd sicuti dextera manu maiori impulsu, ac vi operamur, quàm læua; ita Cœlestis materia, quã dextera Dei mensa est, eminentiori quadam præstantia ditata à Deo sit, quàm elementaris, quæ à Dei sinistra prosilijt. Decebat siquidẽ vt materia Cœlestis præcellentior, digniorq; esset elementari; tùm quia Empyreo erat

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

a. *Igitur Mundus non à casu, & fortuna ex elementis, seu atomis emersit; sed ex nihilo, Dei dispositione.*

proximior, tùm quòd ad ambienda cuncta, & influxus impertiendos erat destinanda, tùm quia ei motus in Orbem, qui præstantissimus est, attribuendus erat. Verùm num ex formæ præstantia hoc ei contigerit, num quia sua potentia traheretur ad vnam formã tantùm, & non ad plures, parum interest propositi nostri; dummodo insigniorem cõditionem à Deo detulisse eam non ignoremus. Siquidem si materia Cœli in potentia erat ad vnam tantum formam, ad eamq; excelsam sua natura trahebatur, vt censuit D. Thomas, hoc erat illustre, & insigne quoddam super elementarẽ materiam ei largitum à Deo: si autem ita formam præstantem excepit, vt ea satiaretur, sicuti sentit Aegidius, cùm forma omnis educta sit de potentia materię, vt omnes contestantur; certè in vtero quid eminentius gestabat, quod materia elementaris non habebat. Augustior igitur, & præcellentior producta est à Deo materia Cœlestis, seu formam unam, eamq; præstantissimam tantùm sua natura anhelarit, seu ex utero præcellentem formam gestarit. Patres quamplures, & cuncti ferè, qui à primitiua Ecclesia, ad millesimum, & ducentesimum ferè annum degerunt, Cœlos ex elementorum summitatibus depuratis compactos, & natura corruptibiles perhibent. Quòd si id comprobaremus, inutilis redderetur certè omnis discussa disceptatio. Sed de his hactenus.

a. *Igitur Mundus non à casu, et fortuna.*

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

In principio fecit Deus Cælum & Terram. Vis huius sententiæ sanè quàm admirabilis orationẽ sistit meã. Quid dicam primùm? Vnde inducti istius axiomatis narrationem exordiar? Num externæ sapientiæ professorum superciliosam coarguam vanitatem, an veritatem potiùs fidei nostræ meritis laudibus efferam? Et quidem de rerum naturis illi Grecorum sapientes permulta sunt commentati, & in literas trasmiserunt: Atqui ne vna quidem ratio apud hos solidè consistit immobiliter, & inconcussè, nimirum posteriore semper priorem excludente sententiam, adeo vt operosum iam non sit nobis illorum dogmata argumentis elidere, quando per mutuam futilium verborum uelitationem satis ipsi sunt suismet euertendis opinionibus. In his enim, qui verissimi, & vnius Dei ignoratione caligabant, ij caussam illam primariam negarunt prouida mente esse præditam, qua rerum omnium moderandæ generationi præesset: sed & se totos permittentes, atque accommodantes primæ illi suæ de Deo ignorantiæ, quæ videmus cuncta ad ortum progredi, hæc ita emergere conclu serant perpeti quadam serie successionis; quo contigit, vt horum nonnulli ad materiæ præiacentis principia, ceu bases quasdam vniuersi confugerint, caussam Creaturæ totius acceptam ferentes Mundi istius elementis. E diuerso alij minutissima quædam & impartilia corpora, moles item ac meatus naturã continere omnium, quæ oculis quaquauersum subiacent, vecordi imaginatione delusi astruxerunt. Opinati enim sunt nunc quidem illis insectilibus corpusculis inter se coalescentibus & agglutinatis, nunc contrà eisdem disparatis à se ac seiunctis, generationes fieri rerum & corruptiones, simul & tenaciorem atomorum inter se complicationem caussam præbere diuturnioris persistentię longissimè duraturis corporibus. Prorsus istius generis Scriptores, quid aliud dicas, quàm stamen flaccidum araneoli pertexere, dum pertenues adeò comminiscuntur rerum caussas, dum Cæli, Terræ, Marisque principia supponunt nusquam consistentia? Neque enim didicerant illud depromere: In principio fecit Deus Cælum & Terram. Eoque factum est, vt vniuersam hanc Mundi molem citra vllam moderatricis Prouidentię, ac rerum dispensatricis operam, nimirum temerè, ac fortunę nusquàm consistentis impetu ferri arbitrati sint, suamet in Deum circumuenti impietate. In hanc absurditatem plusquàm impiam ne quando nos contingat impingere, is qui mundialis fabricæ conscripsit creationem, in ipso mox aditu suæ conscriptionis, diuini nominis inductione, nostram illustrauit mentẽ, hisce verbis exorsus; In Principio fecit Deus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite secundo.

In principio fecit Deus Cælum & Terram. Non ille, vt atomorum concursione Mundus coiret, serram atque ociosum expectauit negocium: neque disciplinam quandam materiæ, quam contemplando Mundum posset

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit Deus.

a. Igitur non plura principia Mundi, vt Plato posuit, & Aristoteles, & alij Philosophi; sed vnum.

sit efficere, sed auctorem Deum exprimendum putauit. Aduertit enim vir plenus prudentiæ, quòd visibilium, atque inuisibilium substantiarum, & caussas rerum, mens sola diuina contineat, non, vt Philosophi disputant, validiorem atomorum complexionem perseuerantiæ iugis præstare caussam: & iudicauit quòd telam araneæ texerent, qui sic minuta, & insubstantiua principia Cęlo, ac Terris darent, quę vt fortuito coniungerētur, ita fortuito, ac temere dissoluerentur, nisi in sui gubernatoris diuina virtute constarent. Nec immeritò gubernatorem nesciunt, qui non nouerunt Deum, per quem omnia reguntur & gubernantur.

a. Non plura principia Mundi, vt Plato posuit, et Aristoteles; sed vnum.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite primo.

Tantum ne opinionis assumpsisse homines, vt aliqui eorum tria principia constituerent omnium, Deum, & Exemplar, & Materiam: sicut Plato, discipulique eius: & ea incorrupta, & increata, ac sine initio esse asseuerarent: Deumque non tanquam Creatorem materiæ, sed tanquam artificem ad exemplar, hoc est, Idæam intendentem, fecisse Mundum de materia quam vocant Hylen, quæ gignendi caussas rebus omnibus dedisse asseratur; ipsum quoque Mundum incorruptum, nec creatum, aut factum existimarent: Alij quoque, vt Aristoteles cum suis disputandum putauit, duo principia ponerent, Materiam, & Speciem: & tertium cum ijs quod operatorium dicitur, cui suppeteret competenter efficere, quod adoriundum putasset? Quid igitur tam inconueniens, quàm vt æternitatem operis cum Dei omnipotentis coniungerent æternitate?

AVGVSTINVS in Sermonibus de Tempore. Serm.132.

In principio, inquit, fecit Deus Cęlum, & Terram. Exclusit omnium infidelium errores, vnum Imperatorem Deum Patrem ostendit, vnum conditorem vniuersitatis Filium indicauit.

PETRVS Comestor Scholasticæ historiæ, capite primo.

Cùm verò dixit Moyses, Creauit; trium errores elidit: Platonis, Aristotelis, & Epicuri. Plato dixit tria fuisse ab æterno, scilicet Deum, Idęas, Hyle: & in principio temporis de Hyle Mundum factum fuisse, Aristoteles duo; Mundum, & Opificem: qui de duobus principijs, scilicet, Materia, & Forma, operatus est sine principio, & operatur sine fine. Epicurus duo, Inane, & Atomos: & in principio Natura quosdam atomos solidauit in terram, alios in aquam, alios in aërem, alios in ignem: Moyses verò solum Deum æternum prophetauit, & sine præiacenti materia Mundum creatum.

HVGO Carensis hæc sic obstrinxit.

Creauit, idest de nihilo sua auctoritate fecit. Hic notatur omnipotentia, & eliditur trium error: Platonis scilicet, qui posuit tria principia sine initio; idest æterna; Deum, Idęas, & Hylen: Aristotelis, qui posuit duo, ut dicunt, scilicet Deum, & Mundum, & sine principio Deum operatum de duobus, scilicet Materia & Forma: Epicuri, qui duo posuit, Inane, scilicet, & Atomos; & in principio quosdam solidatos in terram, alios in aquam, alios in aëra, alios in ignem.

AVCTOR.

Quæ, & quales fuerint opiniones, & sententiæ de Mundi ortu, infrà prolixiùs enarrabimus: hoc in loco id tantùm animaduertendum est, plures fuisse Ethnicorum errores circa Mundi initium, & circa materiam ipsam, & circa caussam agentem. Omnes siquidem materiam quandam ingenitam æternam ante Mundum præextasse asseuerarunt; sed quænam illa fuerit, non concordi sententia diffiniunt, cùm de ea decem sint sententiæ. Alij nanque Ignem, alij Aërem, Atomos alij, Aquam quamplures, Terram insuper multi, Similares partes nonnulli, Chaos ex elementis consitum quidam, Chaos rude, in quo nullum esset distinctum elementum, multi, Iugifluam materiam, vel Corpus tandem alij eam esse dixere. Rursum de Agente adhuc plures fuerunt sen-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit, seu Fecit.

a. *Sine diminutione suæ potentiæ.*
b. *Nec omni adhibita sui virtute, sed ea, quam res creandæ postulabant.*

tentiæ, cùm quidam fortuna & casu Mundum ex materia ingenita prodiisse velint; alij plures opifices enumerent; quamplures tandem, vnum fuisse Mundi satorem diffiniant. Sed ex his quidã eũ non liberum opificem, sed ex necessitate Mundum producere, quemadmodum corpus umbram porrigit, affirmarunt; alij liberum opificem dixere, sed duo constituerunt principia, Deum, & Materiam ingenitam; alij tandem tria, Deum, Materiem, & Idæas, quasi uoluerint ad instar artificis, Deum respexisse Idæas; & secundum eas, res in materia ingenita procreasse. Cæterum Moses his verbis; In principio creauit Deus Cœlum & Terram, cunctas has opiniones reijcit, & dissoluit, cùm unicum principium Mundi fuisse edocet, Deum videlicet, qui Mundum ex nihilo creauit. Quapropter, quod animaduerterunt hi Patres contra Platonem, Aristotelem, & Epicureos, contra omnes Philosophorum sectas deduci potest; sed nos hæc vberius infra edisseremus.

a. *Fecit sine diminutione suæ potentiæ.*

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

Mox adiecit & illud, Fecit: ut qualecunque tandẽ specimen, id quod factum est, declararetur esse, ac minima portio potentiæ admirandi huius opificis. Quemadmodum enim figulus, cùm ad vnius suæ artis methodum innumera vasa effinxit, ne sic quidem ars illi figulinaria disperyt, aut accisę sunt & attritæ vires: itidem vniuersi huius opifex effectricem illam potentiam suam non creando vni Mundo habet sic admensam & circumscriptam, quò minus tantò possit hoc vno plures effingere, sed quæ in infinitum exuperet, quando & rerum quæcunque oculis sunt conspicuæ magnitudines, vel solo annutu suæ uoluntatis condidit.

Serm. 1. 2.

b. *Creauit, Non omni adhibita virtute.*

PHILO de Mundi opificio.

Attamen non pro magnitudine gratiæ suæ beneficus est, nimirum infinita, ac incomprehensibili: Sed attemperat se ad uires eorum, quos dignatur sua beneficentia. Nec enim, sicut Deus ad benefaciendum natura propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia: Illius enim potentia longè superat, at huius infirmitas impar est eorum magnitudini, succumberetque, nisi Deus pro cuiusque portione moderaretur suam gratiam.

Creauit certè Deus Mundum non omni adhibita sua Potentia, & sine eius aliqua diminutione, vel lassitudine. Huius autem rei hæc ratio est, quia Potentia diuina est infinita; porrò vt infinita potuisset & infinitum Mũdum producere. Infinitam verò Potentiam non ostendit in creatione in substantia facti, quanquam infinitam demonstrarit in modo faciendi; effectus siquidem finitus Mundus est, nec demonstrat Potentiam infinitam; ideò dicitur non impendisse in hoc opificio omnem suam virtutem: Modus autẽ faciendi infinitam patefecit Potentiam Dei, quia ex nihilo Mundum congessit. Nam si tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, vt aiunt in Scholis; certè infinitam euincitur fuisse Dei Potentiam in congerendo Mundo, quia nulla erat in non ente potentia ad esse. Fuit autem hæc potentia sine sui diminutione, & Dei lassitudine, quia infinitum minui nequit, nec uirium iacturam pati potest. Exemplum rei huius à Basilio adductum, elegantissimum est.

Fecit

Anno Mundi primo. In exordio temporum Ante dies.

Creauit, seu Fecit.

a. *Non arte speculatiua, nec practica; sed factiua, cuius opus superest.*

a. Fecit, non arte speculatiua, nec practica, sed factiua.

Fecit Deus quippè; non arte speculatiua, cuius finis est contemplatio in mente tantùm existens; non practica, cuius effectio simul cum arte transit; sed factiua, cuius opus remanet, & conspicitur.

BASILIVS Hexæmeron, libro primo.

Et hæc sanè non admodum multa hactenus libuit dicere è plurimis. Artium porrò cùm quædam ποιητικαὶ
factiuæ dicantur: aliæ item πρακτικαὶ actiuæ, aliæ operatoriæ: aliæ rursus θεωρητικαὶ contemplatiuæ, vel spe-
culatiuæ. Et quidem artis contemplatiuæ finis est ipsa commentatio efficax eorum quæ mente versamus. Finis
practicæ agitatio est, siue motio corporis, quo quidem motu interquiescente, nihil iam eius artis subsistit, aut
residet, quod cerni queat. Neque enim vllus est finis artis saltatoriæ, aut si mauis, gesticulatoriæ, & canen-
di tibia, quando ipsamet in seipsam operatio desinit. In factiua diuersum reperias, vt operis quidpiam desie-
ris efficere, spectandum tamen opus tuum proponitur, eiusmodi artes sunt ædificatoria, fabrilis in ligno, excu-
soria in ære vel ferro, textoria, & quæcunque sunt eius generis: quæ quidem vt non adsit artifex, caussas ta-
men admodum idoneas ipsa in speciem prætexunt opera, quorum contemplatione possis rapi in eius admiratio-
nem, qui ædificator est, excusor, aut textor. Quò igitur sapiens Moses expressius declararet Mundum hunc,
artificiosum sanè opus in commune ob oculos omnium expositum, vt eius sedula contemplatione ad agnitionem
pertingas sapientiæ eius qui ipsum fecit, non alia vsus voce est, de ipso loquuturus, sed dixit; In principio fecit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quinto.

Est ergo hic Mundus diuinæ specimen operationis, quia dum opus videtur, præfertur operator. Nanque,
vt istarum artium aliæ sunt actuosæ, quæ sunt in corporis motu, aut sono vocis: cessauit motus aut sonus, nihil
superfuit, nec remansit spectantibus, vel audientibus: aliæ theoreticæ, quæ vigorem mentis exerceant: aliæ
huiusmodi, vt cessante quoque operationis officio, operis munus appareat, vt ædificatio atque textura, quæ etiam
tacente artifice, peritiam eius ostendat, vt operatori operis sui testimonium suffragetur: Similiter etiam hic
Mundus diuinæ Maiestatis insigne est, vt per ipsum Dei sapientia manifestetur. Quem videns Propheta, si-
mul & ad inuisibilia oculos mentis attollens, ait; Quàm magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sa- Psal. 103.
pientia fecisti.

AVCTOR.

Artes, Patres hi diuiserunt in Speculatiuas, Practicas, & Factiuas; quarum differentias sumpsere à natura effectus eorum: nam Speculatiuæ opus, est ipsa contemplatio, quæ uti spiritualis, non nisi etiam intellectuali luce, hoc est, contemplatione, conspicitur: Practicæ autem effectus, est illa operatio, quæ est transiens, & non manens: tandem Factiuæ opus est, quod in materia aliqua consistente formatum permanet, atque perseuerat, quousque materies ipsa, ex qua est formatum non intereat, ac corrumpatur. Verùm hæc dicta esse per similitudinem animaduertere lectorem velim. Nam in artibus humanis hæc considerari possunt, sed nō in Deo. Deus enim immensum hoc opificium, quod est Mundus, verbo protulit, & sapientia, quasi speculatione quadam; mandato & iussione effecit, quasi practicè, & tandem sine ulla materia: vnde ars Dei in Deo, factiua materia non indiguit, sicut indigere homines perspectum est. Consimul igitur, Deus his tribus artibus Mundum effecit, quia Verbo, hoc est, Idæis, & exemplaribus in Verbo sibi consubstantiali: contemplatur enim seipsum in Verbo, contemplatur & rerum Idæas ibi insitas. Adhibuit & Praxim, quia quod voluit, disposuit, effecitque sua potentia. Tandem & operatus est absque aliqua materia sensibilem hunc Mundum, atque visibilem, multis sæculis permansurum.

Anno Mundi primo. In Exordio temporum, Ante dies.

Creauit, seu Fecit.

a. Non substituit Mundum, sicut corpus substituit vmbram, sed Fecit.
b. Non disposuit, non distinxit, non reparauit; sed creauit ex nihilo.

a. Fecit, & non substituit.

Sicut corpus substituit vmbram: sed fecit vt bonus, quod utile; vt sapiens, quod pulcherrimum; & vt potens, quod maximum.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

In principio fecit: Non egit, neque substituit, aut produxit, sed ἐποίησεν fecit. Et quia complures eorum, qui Mundum ab æterno simul cum Deo fuiße sunt opinati, non ab ipso factum esse; sed quasi adumbratio quædam potentiæ ipsius eßet, sponte velut obiter emersisse ipsum aßeruerunt: atque caussam quidem ipsius Deum esse fatentur, caussam tamen voluntate non concurrente; sed perinde atque corpus vmbræ, lucidumq; splendoris est caussa: ideo talem errorem emendare Propheta percupiens, hac verborum exactissima complexione vsus est; In principio fecit Deus. Non hoc ipsum proximè dictum, caußa vt esset Mundo ad subsistentiam sui præstitit Deus; sed fecit, vt bonus, quod vtile est: vt sapiens, quod pulcherrimum est: vt potentia præditus, quod maximum est. Nam tantum non artificem tibi Deum in ipsam rerum substantiam omnium ingressum, ac partes singulas inter sese coniungentem, atque accommodantem, consentaneumq; sibi, consonumque totum Vniuersum efficientem ostendit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quinto.

Nec ociosè vtique factum legimus: quia Gentiles plerique, qui coæternum Deo Mundum volunt eße, quasi adumbrationem virtutis diuinę aßerunt etiam sua sponte subsistere: & quamuis caussam eius Deum esse fateantur, caussam tamen factam volunt, non ex voluntate, & dispositione sua, sed ita vt caussa vmbræ corpus est. Adhæret enim vmbra corpori, & fulgor lumini, naturali magis societate, quàm voluntate arbitra. Pulchrè ergo ait Moyses, quia fecit Deus Cælum, & Terram. Non dixit, quia subesse fecit: Non dixit, quia caussam Mundo, vt esset, præbuit: sed fecit, quasi bonus, quod foret vtile; quasi sapiens, quod optimum indicabat; quasi omnipotens, quod amplissimum præuidebat. Quomodo autem quasi vmbra eße poterat, vbi corpus non erat, cùm incorporei Dei corporea adumbratio eße non posit? Quomodo etiam incorporei luminis splendor posit esse corporeus? Sed si quæris splendorem Dei, Filius est imago Dei inuisibilis. Qualis ergo Deus est, talis imago. Inuisibilis Deus, etiam imago inuisibilis. Est enim splendor glorię paternæ, atq; eius imago substantiæ.

Sed de his in Quest. An Mundus sit Deo coæternus, atq; an vt vmbra à corpore, à Deo necessariò emanarit, cumulatius tractabimus.

b. Non disposuit, distinxit, vel reparauit, sed Creauit.

Creauit, non disposuit in Sapientia æterna: non distinxit, vt in diebus sex sequentibus: non reparauit, vt quotidie facit; sed creauit ex nihilo.

ALCVINVS Quæstionibus in Genesim.

Int. *Quot modis est operatio diuina?* Resp. *Quatuor. Primo, quòd in Verbi dispensatione omnia ęterna sunt. Secundo, quòd in materia informi; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* (Eccles. 8.) *Tertio, quòd per opera dierum sex varias distinxit creaturas. Quarto, quòd ex primordialibus seminibus, non incognitę oriuntur naturę, sed notæ sæpius, ne pereant, reformantur.*

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione duodecima.

Quatuor enim modis, vt ait Alcuinus super Genesim, operatur Deus. Primo, in Verbo omnia disponendo. Secundo, in materia informi quatuor elementorum, de nihilo eam creando: vnde; Qui viuit in ęternum, creauit omnia simul: Omnia, scilicet elementa, vel omnia corpora materialiter simul creauit. Tertio, per opera sex dierum, varias distinxit creaturas. Quarto, ex primordialibus seminibus non incognitæ oriuntur naturæ; sed notæ sæpius reformantur, ne pereant.

Et certè, si res cunctas disposuerat Deus in verbo ab æterno: si eas non distinxit, nisi sex sequentibus diebus: si reparat non nisi natura constituta; ex nihilo tantùm creasse in primordio temporum asserendum est.

Creauit

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit, seu Fecit.

a. *Creauit; hoc est, metaphoricè vt Pater generauit.*
b. *Fecit, non Faciebat, ne moram aliquam in faciendo fuisse protractam existimaremus.*
c. *Vel, vt non tantùm inchoatum, sed absolutum à Deo Mundum exisse cognosceremus.*

a. *Creauit; hoc est, metaphoricè, vt Pater, generauit.*

Deus metaphoricè Pater Mundi dicitur, vt apud Ethnicos etiam videri potest.

STEVCHVS in Recognitione Veteris Testamenti ad Hebraicam ueritatem.

Quia verò Deus non tam à nobis, quàm Gentilibus, Pater Mundi appellatur; propterea ab eo Mundum genitum, ac creatum dicimus. Sic enim de hac re extat apud Platonem in Timæo; Dij Deorum, eę res, quarum ipse Pater, repertorq; extiti, non possunt me nolente interire. Et ab Auctore grauissimo idem pronunciatur in libro de Vniuersitate: idcircò singularem Deus hunc Mundum, atque vnigenam procreauit. Ecce ipse linguæ latinæ princeps, procreatum à Deo dicit hunc Mundum.

b. *Fecit, non Faciebat, ne moram in faciendo fuisse delapsam existimaremus.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite tertio.

Et pulchrè addidit de celeritate conditionis, Fecit; ne mora in faciendo fuisse existimaretur: vt vel sic intelligerent homines quàm incomprehensibilis operator esset, qui tantum opus breui, exiguoq; momento suæ operationis absolueret, vt voluntatis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum. Vbi igitur mora cùm legas; Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vsum, nec virtutis expendit, qui momento suæ voluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, vt ea quæ non erant, esse faceret, tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, neq; operatio voluntati. Psal. 148.

Bene certè dictum est Fecit, non Faciebat, quia tempus præteritum, & absolutam rē significat, & citiùs factam; vbi Faciebat, diuturnitatem in opere denotare poterat.

c. *Fecit, non Faciebat, vt absolutum Mundi opificium à Deo prodijsse cognosceremus.*

PERERIVS Commentarijs in Genesim libro primo.

Scitum est quod tradit Plinius in præfatione sui operis, veteres pingendi, fingendiq; nobilissimos artifices opera sua, etiam absolutissima illa, & quæ posteri mirando nunquàm satiantur, pendenti titulo sic inscripsisse; Apelles faciebat, vel Polycletus, non autem, fecit: ea re insinuantes opera esse inchoata, nec omninò perfecta, & quod in eis desiderari posset, se quidem emendaturos fuisse, nisi morte essent intercepti. Tria tantùm opera reperiuntur absolutè inscripta, Fecit, tanquam in illis summa artis securitas artifici placuerit: Quæ tamen omnia magnæ hominum inuidiæ fuerunt obnoxia: cautè illi quidem, ac prudenter, quorum non est omni vitio carere. De Deo autem, cuius perfecta sunt opera, & exquisita secundum omnes voluntates eius, & quibus nemo potest quicquam addere, vel detrahere, non erat consentaneum dicere, Deus Faciebat Mundum, sed Fecit; scilicet tanquàm opus omnibus suis partibus expletum, cunctisq; numeris absolutum, atq; consummatum, & iudicio ipsius opificis, cuius est infinita sapientia comprobatum. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Eleganter certè hæc delata sunt à Pererio. Pictoris munere functus est certè Deus, cùm Mundum distinguendo delineauit, & exornando colorauit. Sed ita absolutè, vt nil pulchriùs, perfectiusve desiderari queat.

Quare non dixerit Deus, Fiat Cœlum.

Huic excitatæ disceptationi satisfacit Augustinus libro de Gen. ad literam primo, duasq; defert huius rei caussas, cuius sententiam Glossa desumpsit. Cap. 3. & 4.

Quod

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

a. *Et non dixit, Fiat Cœlum, sicut dixit, Fiat Lux; quia Mundi totum opificium proponitur, & nil effectum enarratur.*

b. *Vel quòd nil absolutum & speciosum Dei Verbo dignum produceretur.*

a. *Quia summatim totum opus proponitur; & nil, vt effectum narratur.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, cap. tertio.

Et cur ita dictum est, In principio fecit Deus Cœlum & Terram, & non dictum est, In principio dixit Deus, Fiat Cœlum & Terra, & facta sunt Cœlum & Terra, sicut de luce narratur; Dixit Deus, Fiat Lux; & facta est Lux? Vtrum prius vniuersaliter nomine Cœli & Terræ comprehendendum erat, & commendandum quod fecit Deus: & deinde per partes exequendum, quomodo fecit, cùm per singula dicitur: Dixit Deus, id est, per Verbum suum fecit quicquid fecit?

GLOSSA ex Augustino.

Non dixit, In principio dixit Deus, Fiat Cœlum & Terra, sed dixit, Fiat Lux, & facta est Lux; quoniam vniuersaliter nomine Cœli & Terræ comprehendendum erat quicquid facit Deus; deinde per partes explicandum, quomodo fecit. Vnde sequitur; Dixit Deus, Fiat, id est per Verbum suum fecit.

b. *Quod nil Dei Verbo dignum produceretur.*

AVGVSTINVS loco asserto, capite quarto.

An cùm primum fiebat informitas materiæ siue spiritalis, siue corporalis, non erat dicendum, Dixit Deus fiat: quia formam Verbi semper Patri cohærentis, quo sempiternè dicit Deus omnia, neque sono vocis, neque cogitatione tempora sonorum voluente, sed coæterna sibi luce à se genitæ Sapientiæ non imitatur imperfectio, cùm dissimilis ab eo, quod summè ac primitus est, informitate quadam tendit ad nihilum: sed tunc imitatur Verbi formam, semper atque incommutabiliter Patri cohærentem, cùm & ipsa pro sui generis conuersione ad id quod verè, & semper est, id est ad Creatorem suæ substantiæ formam capit, & fit perfecta creatura: vt in eo quod scriptura narrat, dixit Deus, fiat: intelligamus Dei dictum incorporeum in natura Verbi eius coæterni reuocantis ad se imperfectionem creaturæ: vt non sit informis, sed formetur secundum singula, quæ per ordinem exequitur.

GLOSSA ex D. Augustino ubi supra.

Vel quia cùm primùm fiebat informis materia spiritualis, vel corporalis, non erat dicendum; Dixit Deus, fiat. Incongruum enim erat à Deo dici, fiat, quia formam Verbi non imitatur imperfectum, nisi cum generis sui conuersione ad Creatorem sit perfecta Creatura, vt cùm dicitur; Dixit Deus, fiat, intelligamus eum ad se imperfectionem creaturę reuocare.

Burgensis idipsum repetit in Additionibus.

GVLIELMVS Parisiensis de Vniuerso prima primæ partis, capite trigesimo nono.

Creauit Deus Cœlum & Terram. Cur autem non sit dictum, Dixit Deus, fiant, vel creentur Cœlum & Terra, iam expediuerunt me, & te Sancti, & Sapientes in hoc, dicentes, quoniam Verbum, quod est Ars ipsius omnifica, non fuit nominandum cum creatione, quoniam creatio non fiebat nisi secundum substantiam, & nondum in complemento perfectionis; Artis autem est propriè formam perfectionis dare. Cùm igitur in creatione, forma perfectionis neque data esset ei, neque danda, non fuit mentio facienda de arte, uel Verbo Dei.

D. THOMAS prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio.

Dicendum ad primum, quod secundum Augustinum, persona Filii commemoratur tam in prima rerum creatione, quàm in rerum distinctione, & ornatu: aliter tamen, & aliter. Distinctio enim, & ornatus pertinet ad rerum formationem: sicut autem formatio artificiatorum est per formam artis, quæ est in mente artificis, quæ potest dici intelligibile verbum ipsius: ita formatio totius creaturæ est per Verbum Dei; & ideò in opere distinctionis & ornatus, fit mentio de Verbo. In creatione autem, commemoratur Filius, vt Principium, cùm dicitur; In principio creauit Deus; quia per creationem intelligitur productio informis materiæ.

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Creauit.

Non dixit Fiat Cœlum; sicut dixit, Fiat Lux.

a. *Quia nondum aderant Angeli, qui audire possent;*
b. *Vel quia principium, quo fecit, ipsum Verbum fuit;*
c. *Vel quòd nondum esset aliquid, cui præceptum fieret;*
d. *Vel vt materię Deus primus creator indicaretur.*

a. *Quòd nondum adessent Angeli, qui audirent.*

PROCOPIVS Gazeus Commentarijs in Genesim, cap. primo, peregrinam aliam deducit rationem.

Cùm autem crearet Cœlum & Terram, nullam emisit vocem: nondum voce enim formati erant, qui diuinæ & instrui, & edoceri debebant. At post Cęli & Terræ creationem condidit Angelos: quos cùm vellet docere, se & ipsorum esse Creatorem, ne fortuitò se substitiße crederent, omnem sequentem creationem interuentu vocis peregit in illorum conspectu. Et post. *Cùm omnia per sermonem facta sint, in commemoratione creationis Cœli & Terræ non addita sit dictio, Dixit. Verùm hæc dubitatio tenues euanescit facilè in auras; Nihil enim obstat, quin Cœlum & Terra tacitè per sermonem sint effecta. Nunc autem, vt audientes erudiantur, insonuisse vocem. Nec enim ita ignoranti loquitur Pater.*

RVPERTVS huic eleganti indagationi occurrens, tres alias huius rei defert caussas in Genesim Commentarijs, libro primo, capite quarto.

b. *Quòd ipsum principium Verbum erat.*

Primùm cùm ipsum Principium Verbum Dei sit, superfluum, vel ineptum est dici, In Principio dixit Deus.

c. *Quòd nondum esset aliquid, cui præceptum fieret.*

Deinde, quia verbum imperatiuum, quale est hoc, quod dicitur Fiat, incongruè præmittitur vbi nondum est aliquid, cui imperetur, vel præceptum ponatur. Nondum autem erat aliquid, si vt verè credimus, & præsens scriptura testatur, Cœlum, & Terram creauit, idest de nihilo fecit Deus. Ergo ne nihilo præceptum dediße diceretur Deus, quod incongruè eßet, rectè prius scribitur materiam qualemcunque confusam siue informen creauiße, & deinde præceptum rei iam existenti dedisse, vt discretas ac speciosas, quas non habebat, assumeret, vel produceret formas.

d. *Vt materiæ Deus creator euinceretur.*

Tertium nihilominus, & hoc sciendum, tantarum Scriptorem rerum sic dicere debuiße, quatenus nulli vacaret suspicari, quod, vt supra dictum est, quidam de corde suo finxerunt Philosophi, scilicet Mundi quidem speciem, vel rerum, quæ in Mundo sunt, formas diuersissimas fecisse: verùm Hylen, idest materiam, de qua cuncta hæc facta sunt, non à Deo factam, sed Deo semper fuisse coæternam. Igitur quomodo dici debuit, sic dictum est, quia in principio creauit Deus Cęlum & Terram.

AVCTOR.

Ex his deductis caussis, quorsum Deus, cùm Chaos creauit, non verbo Fiat, vsus fuerit; Prima ex Augustino sumpta non acceptanda est, quoniam Chaos productionem enarrari non supponit, ut omnes prisci Patres Græci, ac Latini autumant; sed narrationem eam, argumentum dicendarum rerum potius esse maluerit, quod supra reiectum est. Adducta a Procopio caussa prorsus erronea est, cùm non ad Angelos Dei iussio indiceretur, sed ad res ipsas manantes. Illa prima Ruperti elegans esset, si ea interpretatio, quæ exponit, In principio; hoc est, In Filio, ut allegorica non iam reiecta fuisset. Illa postrema non uidetur exactiùs caussam expetitam reddere; quorsum & Chaos, quod Philosophi æternum præextasse reputarunt, per verbum Fiat, Deus etiam non produxerit. Superest igitur, vt illa ab Augustino secundo loco excitata, potior, ac acceptior

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit, vel Fecit.

a. Sola voluntate, non præcepto, nec consilio, nec definitione.

sit existimanda. Indignum certè fuisset, quòd Verbo Dei, quod omnium est forma, & Deus, aliquod indigestum, rude, imperfectumque produceretur. Sed & eam Ruperti, quam secundo loco adduxit, non reijcerem; cùm enim præceptum non nisi his, quæ aliquo modo parere possunt, fiat, si adhuc nihil erat, non potuit præcipi Chaos, vt ex aliquo fieret; sicut condito ipso ex nihilo Chaos, potuit speciosis formis mādare Deus, vt ex eo prosilirent. Redarguit Pererius Cōmentarijs in Genesim, libro primo, hoc Ruperti placitum, tanquam Scripturis sacris aduersum: Siquidem habet Paulus; Vocat ea Deus, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Poterat igitur Deus Cœlum & Terram ex nihilo uocare, sicut firmamentum, germina, astra, pisces, aues, & terrestria animantia ex aliquo. Sed facilè reijceret Rupertus hanc inuectionem; quòd etsi Deus æquè vocat ea, quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt, quoad imperandi virtutem, cùm æque omnia ei pareant, tam ea, quæ non sunt, quàm ea, quæ sunt, non tamen quoad imperandi modum. Nec enim condecens est sapientię eo modo pręcipere, ut fiant rebus ijs, quæ vnde fiant, non habent, uti ijs, quę ex suis principijs extra manare possunt. Sed hæc in gratiam tanti Patris.

a. *Fecit sola voluntate.*

Fecit, non uoluntate, & voce præceptiua, vt cùm dixit, fiat lux; vel deliberatiua, vt faciamus hominem; uel uoluntate, uoce, & definitione, vt germinet terra, & similia; sed sola voluntate.

BEDA Quæstionibus in Genesim.
Generationem sæculi tribus modis Scriptura signauit. Aut enim sola Dei voluntate factum aliquid scribitur, vt est; In principio creauit Deus Cœlum & Terram; aut voluntate simul, & voce, siue præceptiua, vt est; fiat lux; & fiat firmamentum: siue deliberatiua, vt est; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; aut voluntate, voce, ac definitione, ut est; Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et iterum; Germinet terram herbam virentem ferentem semen iuxta genus suum; & lignum fructiferum faciens fructus, cuius semen in seipso sit, &c. quæ post septimum diem, vsque in finem sęculi per partes operatur: ex illa enim definitione proueniunt.

Hæc obseruatio Bedæ nullius ponderis esse videtur, si eam interpretationem, quam habent Patres de verbo illo Dixit; qua exponunt, Dixit, idest, Voluit, ut elegantem & propriam acceptaremus. Cæterum Beda potiùs modum narrationis Mosis obseruauit, quàm rem ipsam. Creata siquidem est lux, non tantùm Dei voluntate, sed & præcepto; quia dixit; Fiat lux. Condita verò dicuntur Cœlum & Terra, sola uoluntate, quia in ipsorum effectione non dictum est, fiat Cœlum, & Terra, sed tantùm, Fecit Deus Cœlum, & Terram.

Deus

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Deus, Hebraicè Elohim.

a. *Elohim, pluralis est numeri; quare potest verti Dij, & Deus.*
b. *Elohim, significat Iudices quoscunque.*

Hebraica, & Chaldaica lectio Elohim habent. Vocem hanc alij, vt pluralis numeri, Dij transtulerunt: quod Hebraicæ linguæ fautores mirificè approbarunt.

a. *Legendum Dij.*

MAGISTER libro primo, distinctione secunda.
Et quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet Elohim, quod est plurale huius singularis, quod est El.

HAMERVS Commentarijs in Genesim.
Nam quod nos legimus; In principio creauit Deus: in Hebræo legitur; In principio creauit Dij. Elohim plurale est nomen, & id, quod Dij apud nos significat; cuius singulare est El, vel potius Eloa, quod etiam idem est, quod Deus.

CAIETANVS Commentarijs in primum caput Genesis.
Textus Hebræus habet; In principio creauit Elohim: & manifestè discordat in numero nominatiuus cum verbo; Nam Elohim, pluralis numeri est.

STEVCHVS Commentarijs in Genesim, capite primo.
Hebraicè Elohim, nomen plurale ductum ab Eloha, eius singulari. Et post. *Vt diceret, Creauit Elohim, ac si dixisset, creauit Dij: quod non solum hoc loco, sed toto etiam Veteri testamento positum reperies.*

LIPPOMANVS.
Alij verò, In principio creauit Dij Cœlum, & Terram, sapienter verterunt. Quibus etiam mirum in modum Chaldaica scriptura fauet; nam dictio Hebraica Elohim, idest, Dij, ibi per triplex Iod scribitur, quod magno non vacat mysterio, ut mox dicemus.

His omnibus subscribunt Lusitanus, & Vielmius.

a. *Legendum Deus.*

Græca editio Septuaginta Interpretum legit, θεός. Nostra verò, Deus habet.
HIERONYMVS, quare legi possit Deus, Epistola ad Marcellam edocet, cùm ait;
Scire autem debemus, quòd Elohim communis numeri sit, quòd & vnus Deus sic vocetur, & plures: ad quam similitudinem Cœlum quoque appellatur, & Cœli; idest Samaim: vnde & sæpe interpretes variant; cuius rei exemplum nos in lingua nostra habere possumus, Athenas, Thebas, Salonas.

COMESTOR in Scholastica historia, capite primo.
Vbi nos habemus Deus; Hebræus habet Elohim, quod tam singulare, quàm plurale est; idest Deus, vel Dij: quia tres personæ vnus Deus creator est.

Quòd si Elohim communis numeri erat, egregiè certè transferri ita potuit Deus, sicut & Dij; quapropter editiones has præstantissimas, Græcam Septuaginta Interpretum, & Vulgatam nostram, non errasse clarè conuincitur. De significatione nominis Elohim.

b. *Elohim nomen commune est tam Deo, quàm Creaturis, & significat Iudices; sed ex vsu de Deo appropriatè dicitur.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.
Elohim, nomen est non proprium Deo, sed commune Deo, & creaturis: quemadmodum sapiens, bonus, iustus, & alia huiusmodi nomina; & communi significatione, significat Iudices. In quæstionem tamen vertitur, an careat singulari.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Elohim, significat præcipuè Iudicem mali imprecatorem.*
b. *Vel idem est, quòd fortis.*
c. *Elohim verti potest Deus, & Dominus.*
d. *Et ipsi attribuitur verbum quandoque plurale, quandoque singulare.*

Et post declarat, quomodo Elohim ex communi vsu appropriatè significat Deũ absolutè, siue Dominum, siue Iudicem Deum.

Crediderim ego fuisse tunc frequenti vsu peruulgatum nomen Elohim absolutè, tanquàm appropriatum Deo, sicut nomen Domini: tanquàm ipse solus sit simpliciter, & absolutè Dominus; simpliciter, & absolutè Iudex. Et propterea Moses conscius vsus, non metuit populo à tali nomine: quin potius eum, quem Elohim, idest Iudicem, vocitabant, docet esse illum, qui creauit Cœlos, & Terram.

b. Significat Iudicem, mali imprecatorem.

LVSITANVS Adnotationibus in primum caput Genesis.

De significatione verò dicunt Hebræi significare Deum, quatenus Iudicem. Sed si radix nominis, scilicet, Alah, rectè expendatur, constabit significare Deum, aut Iudicem, quatenus ab eo mala alicui, aut nobis imprecantur. Nam Alah, propriè significat iurare execratoriè, maximè & maledicere, vt patet Iudicum decimo sexto; Et tu, Alith, idest adiurasti, seu execratus es. Vnde etiam deriuatur, Alah, idest, iuramentum execratorium, aut execratio, aut maledictio, vt Psalmo quinquagesimo nono, Vmealah, idest, de execratione.

b. Elohim, idem est quod Fortis.

LVSITANVS vt supra.

Sunt aliqui ex Hebræis, qui radicem nominis, Elohim, arbitrantur esse, El, idest Fortis: sed propter, He, quod in fine ponitur, rectius sentire videntur, qui Alah, putant esse radicem.

VIELMIVS lectione tertia.

Elohim, à fortitudine desimptum est: & D. Hieronymus in Epistola citata, testis est. Theodotionem vertisse Græcè Ισχυ'ρον hoc est Fortem, adnotaruntque superiori ætate docti viri.

c. Elohim, verti potest Deus, et Dominus.

STEVCHVS in Genesim, capite primo.

Elohim verò, & Deum, & Dominum vertere possumus; sicut promiscuè id nomen Septuaginta, & Hieronymus interpretantur. Neque hoc ostendit, hanc editionem non esse Hieronymi, vt conatur Paulus Episcopus Forosempronienſis probare. Siquidem & nomen Tetragrammaton Septuaginta interpretantur κύριος idest Dominus quos & Hieronymus sequitur.

d. Elohim nomini, attribuitur verbum plurale, et singulare.

HAMERVS Commen. in Genesim.

Hoc igitur nomen Elohim, etsi pluralitatem designet, cum verbo tamen singularis numeri iungi solet, quoties in Scriptura sacra pro Deo vero accipitur, sicut hic locus liquido ostendit, In principio creauit Dij.

LVSITANVS.

Communiter in plurali inuenitur numero Elohim, & tribuitur illi verbum singulare & plurale.

CAIETANVS.

Quocirca hanc amplectendo traditionem, suscipimus Elohim nomen sic plurale, quod caret singulari; & propterea quandoq; inuenitur cum verbo singularis numeri, & quandoq; cum verbo pluralis numeri, vt ex verbo discernendum sit, quando pro vno, & quando pro multis supponit. In toto itaq; hoc capitulo, & frequentissimè postea Moses vtitur Elohim pro vno, videlicet Deo. Ex actione enim apparet, quòd appropriatè ad Deum vtitur hoc nomine: & significat Deum quatenus Iudicem.

Elohim quid propriè significet.

Existimarem ego ex his significationibus, propriam esse eam, quæ Elohim significare Iudicem asserit. Non quidem Iudicem imprecantem mala, quia licet quandoq; Elohim pro Iudice mala imprecante, & execrante positum comperiatur, id non est semper, neque

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Elohim, accusatiui casus; & tunc significat Angelos.*

neque vt plurimum, sicuti in pluribus, & ferè semper Elohim iudicem sapientem denotare inuenitur. Rursum alia significatio, quæ Elohim, Fortem explicare asserit, ex Hieronymi sententia, falsa est; enumerat siquidem Hieronymus duo hæc nomina, El, & Elohim: El, Fortē significare ex Aquilæ obtestatione tradit, cùm ait; quòd Aquila æthymologiam eius exponens, Ischyron, idest, Fortem interpretatur. Deinde de Elohim adijcit; Elohim, quod & ipsum Deus dicitur. Quibus euincitur, non Elohim, sed El, Fortem interpretari, atque etiam non tantùm Creatorem, sed Creaturas quoque Elohim appellari. Rursum adijci posse ipsi Elohim nomini, verbum & singulare, & plurale, clarissimum est ijs, qui in scripturis versantur.

b. *Elohim, accusatiui casus, & significat Angelos.*

Construendum, In principio; Hoc est, In exordio temporum creauit, subintelligitur Deus, Elohim, idest Angelos, Cœlū, & Terrā; quia vox Elohim in accusatiuo est posita.

VIELMIVS lectione in Genesim septima, hanc recitat expositionem.

Recens quidam in sancta lingua peritus, Mosem disertè Angelorum creationem hoc loco exposuisse affirmabat; id autem vt ostenderet, sibi accipiebat, dictionem Elohim hic non esse in casu recto positam, sed obliquo, & accusatiuo, & significare non quidem opificem Deum, vt plerique omnes existimant, sed Angelos, quemadmodum in sanctis literis crebrò quoque significare dictum à nobis alias fuit. Volebatque præterea, vt vel subaudiretur persona efficiens Deus, vel certè, vt contineretur in dictione illa, Beresith, siue, In principio. De qua voce rursum ita philosophabatur, vt nouam quandam, & nobis inauditam interpretationem afferret, ac ita vertendam Mosis Epigraphem latinè contenderet, In principio creauit Angelos, Cælum, & Terram.

Hanc constructionem cumulatè Vielmius tribus rationibus confutat. Prima est.

Sed nouitiam hanc intelligentiam primùm splendidè reijcit totus capitis huius contextus, in quo vox Elohim vbique in casu recto posita est, & non nisi pro Deo capi potest. Deinde. *Quòd si Moses voluisset, vt Angelos significaret, similiter ei præposuisset literam, He, sicuti illam præposuit vocibus, Samaim, & Arez. Nec enim perennes illi, & beati spiritus, minus admirabiles & præstantes, & nobis, & natura sunt, atque sint Cælum, & Terra.* Tertio. *Veterum omnium, ac recentium, cùm Hebræorum, tùm verò Christianorum Interpretum consensio, qui Elohim, Deus, in casu recto interpretati sunt, vt proinde ea facilitate confestim repudiata noua hæc expositio à nobis tunc fuerit, qua ab auctore conficta.*

Quibus & adijcere possumus, quòd hoc loco non subaudiri queat persona efficiens, hoc eit Deus, vt ipsa lectio sumit; neq; siquidem Moses tacere debebat id, quod principale erat in hac narratione, hoc est Mundi auctorem, & opificem, cùm is eius esset scopus, & finis hac in historia, vt Deum Optimum Maximum, cunctarum rerum satorē patefaceret, nec intelligi poterat in dictione illa, Beresith, si huius vocis significationē planam communem consideremus: nemo siquidem non tantum ineruditus, sed etiam perspicacioris ingenij, per Beresith, Deum intelligit.

Quare Moses Elohim maiori numero dixerit, et non Eloha.

Cùm Rabbini Hebræi, & nostri Hebraicæ linguæ professores, Elohim esse legēdum existiment, hoc est, Dij; inuestigandum est, quanam ratione Moses legibus Grammaticalibus paruifactis, Elohim barà dixerit; hoc est, Dij creauit; & singularem numerum non acceperit Eloha, quòd ei non deerat, nec ipsis Hebręis erat omninò incompertum, & peregrinum.

Quod

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Elohim dixit in plurali numero, quia singulari caret.*
b. *Vel, quia Eloha, quod singulare illius reputatur, non nisi contemptus gratia dici solet.*
c. *Elohim Barà dixit, hoc est, Dij Creauit; amplificationis gratia.*

a. *Quòd Elohim singulari numero careat.*

CAIETANVS, Elohim singulari numero carere existimauit.

In quæstionem vertitur tamen an careat singulari. Quidam putant Elohim esse plurale nominis El; sed hi facilè refelluntur, ex eo quòd plurale El, constat esse Elim. Alij putant Elohim esse plurale nominis Eloha: & si Eloha esset dictio Hebraica, verum dicerent; sed aiunt Eloha non esse Hebraicam dictionem, sed vel Chaldaicam, vel iuxta Chaldaicam formationem Hebraicis insertam. Quid horum verum sit, nescio: vtpote Hebreæ linguæ expers. Duabus tamen coniecturis ducor ad opinandum, quòd Elohim caret singulari: prima est, quòd Moses frequentissimè nominans Deum Elohim, (inchoando præsertim doctrinam creationis Mundi) maximam dedisset occasionem Israëlitis existimandi plures Deos. Si enim Elohim habet in Hebræo singulare, vtendo Moses non singulari, sed plurali manifestè significasset pluralitatem Iudicum. Et propterea ex hoc ipso, quòd vtitur plurali, nominando Deum, colligitur, quòd caret singulari. Altera, (quæ maximè vrget) est, quòd expressè Moses manifestat se vti plurali pro singulari, adiungendo verbum singularis numeri, Creauit. Hæc enim adiectio conuincit, quòd pro singulari vtitur plurali: quod oportet sæpe fieri in vsu nominum carentium singulari.

Sed Caietano refragantur Rabbini, idiomatisque Hebraici periti.

HAMERVS commentatione in Genesim.

Elohim plurale est nomen, cuius singulare est El, vel potius Eloha, quod etiam idem est, quod Deus.

LIPPOMANVS in Catena.

Elohim, ab Eloha, plurale à singulari descendit.

STEVCHVS Recognitione veteris Testamenti ad Heb. veritatem.

Hebraicè Elohim, nomen ductum ab Eloha, eius singulari.

Idipsum affirmant Rabbini Hebræi, Lusitanus, & alij.

b. *Quia Eloha non nisi contemptus gratia dici solet.*

RABBI Dauid referente Lusitano.

Elohim singulare in scriptura contemptus gratia inuenitur, scilicet, Habacuch primo, Ista potentia, Leloho, idest, Deo eius: vbi contemnendo dicit huiusmodi verba. Et capite tertio eiusdem; Eloha, idest, Deus ab Austro veniet. Vbi, Eloha, videtur singulare nominis Elohim. Iob etiam duodecimo, & trigesimo sexto ponitur; vbi dicitur, Clamans, Leloha, idest, ad Deum. Quibus locis non contemptus gratia ponitur, meo iudicio. Cuius sententiæ Sanctes in suo Lexico, pagina octuagesima prima subscribere videtur.

c. *Elohim Creauit, amplificationis gratia dictum est.*

STEVCHVS in Genesis caput primum.

Hebraicè Elohim nomen plurale ductum ab Eloha eius singulari. Dubium itaque videtur, cur vocem verbi singularem, nomini plurali addiderit, vt diceret; Creauit Elohim; ac si dixisset, Creauit Dij; quod non solum hoc loco, sed toto etiam Veteri Testamento positum reperies. Quidam Hebræorum dicunt, eum Hebraicæ linguæ morem esse, quem & Ismaëlitæ, & Itali sequantur, vt Principes, atque optimates uiros nomine plurium salutent, atque appellent: eadem ratione & Sacram Scripturam, Deum Deos appellare: idque non solum in hac voce, sed alijs etiam diuinis nominibus, vt est Adonai: plurale enim est hoc, sicut & illud: quo loquendi more non modo erga Deum vti Hebræos, verumetiam ipsos homines. Nam quis Herum suum vocans dicere possit Adonai, idest, Heri mei, vt dicimus Italicè, vos fecistis, ad vnum tantùm sermonem dirigentes: quod & in hac voce fit Bahalim, idest, Heri: multasque esse eiusmodi voces, quæ peculiarem aliquam personam, nomine plurali denotent.

CAIETANVS in Commentarijs.

Nec est incredibile vsum istum ortum ex consuetudine alloquendi Principes, & venerabiles personas in numero

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Elohim Barà dixit, hoc est, Dij Creauit ex Idiotismo Hebraico.*
b. *Vel Elohim maiori numero, ad demonstrandas tres Dei dotes in Mundi opificio ostẽsas.*
c. *Vel siue ad Idæarum, perfectionumq; diuinarum multiplicitatem indicandam.*

mero plurali. In cuius signum Moses pluries alloquitur Deum, dicendo Adonai; hoc est, Domini mei: & certum est inueniri singulare Adonai; hoc est, Domine mi.

VIELMIVS lectione tertia.

Visum enim plerisque est, hic esse amplificationem, quòd, vti dicebamus honorandi gratia, sic Hebræi loqui consueuerint, quemadmodum qui Scripturarum phrases consarcinarunt, & Lusitanus interpres exemplis compluribus periclitantur, & ut arbitror etiam euincunt: Siquidem & hic mos oras nostras Italiæ, vel quadantenus peruasiße videtur: Senibus enim, & maioribus nostris, Voi, honoris gratia, fando dicimus; & Reges, & Principes, amplificandi caussa, Noi, pronunciant, cùm de seipsis loquuntur: totius enim Populi, ac Regni personam repræsentant, quamuis Ludouicus Viues libro quarto de Veritate fidei Christianę, humilitatis causa, sic eos loqui dixerit.

a. Idiotismus est Hebraicus.

LVSITANVS loco asserto.

Sicut Latini vtuntur nominibus singulari: & nominibus singularibus significantibus multitudinem: sic Scriptura hoc nomine Elohim. Sicut enim dicimus: Populus clamat, & populus clamant: & Græci neutra nomina pluralia, verbo singulari copulant; sic & Hebræi vtuntur hoc nomine Elohim. Quod ex multis locis scripturæ constat; quæ breuitatis caußa omittimus.

Sequitur amplius demonstrare quomodo huic nomini aliquando adiectiuum pluralis numeri, nonnunquam verò singularis adiungatur, quod & exemplis declarat.

PERERIVS Commentarijs in Genesim, libro primo.

Discrepantia illa inter Elohim, numeri pluralis; & Barà, numeri singularis, non habet mysterium, sed idiotismum linguæ Hebræę, in qua frequentes sunt eiusmodi discrepantiæ: exempli caussa, Isaię legitur; Tradam Aegyptum in manum dominorum crudelium, Hebraicè est, Dominorum duri, seu fortis. Et Iosue scriptum est; Non poteritis seruire Deo: Dominus enim Sanctus est. Hebraicè legitur, Quia Dij sancti ipse. Neque hæc discrepantia reperitur tantùm, cùm de Deo loquitur Scriptura, sed etiam cùm de alijs: veluti Genesis, vbi nos legimus; Locutus est Dominus terræ duræ: Hebręi codices sic habent; Dixit nobis Domini terra. Et post. Ex his palàm est, prædictam discrepantiam numeri singularis, atque pluralis carere mysterio, cùm Hebraicè vsitata sit, siue de Deo, siue alijs de rebus sermo habeatur.

b. Ad demonstrandas tres Dei proprietates.

Ad declarandas tres Dei dotes, Intelligentiam, Sapientiam, & Prudentiam, quibus ipse congessit Mundum, pluralem numerum positum, Rabbini dicunt. Vnde Rabbi Habenhazra, vt refert Burgensis, uult, quòd Elohim non significet pluralitatem in diuinis, sed pluralitatem virtutum, seu potentiarum à Deo procedentium: in cuius signum allegat ipse, & sui sequaces, quòd in Scriptura quandoque etiam Iudices dicuntur Elohim, propter eorum uirtuosam potentiam in iudicando; vt Exod. vbi dicitur; Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Reprobat hoc Burgensis, sed non, meo iudicio, validis argumentis. Adeas locum.

VIELMIVS lectione tertia.

Rabbinis quibusdam visum est, ideò Mosem ita scripsiße, vt manifestaret Deum tribus proprietatibus; Intelligentia videlicet, Sapientia, & Prudentia condidisse Mundum.

c. Ad Idæarum, & perfectionum Dei multiplicitatem indicandam.

Rabbini alij, vt eo loco testatur Vielmius ad idæarum, & perfectionum multiplicitatem, quæ in Deo sunt, Prophetam respexisse censent, cùm dixit Dij, & non Deus.

Ad

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Siue Elohim in plurali numero, ad insinuandam sanctissimam Trinitatem.*

Ad indicandam Sanctissimam Trinitatem.

Magister sententiarum, Lyranus, Burgensis, Steuchus existimant dixisse Mosem, Elohim, & non Eloha; hoc est Dij, & non Deus; vt eo Elohim nomine insinuaret quodam modo mysterium Sanctissimæ Trinitatis, vt post deducemus.

AVCTOR.

Caussa à Caietano adducta, quare Moses Elohim dixerit, & nō Eloha, omninò falsa reputatur ex obtestatione cæterorū, qui linguæ Hebraicæ eruditione pollēt, cùm passim nomen Eloha, non tantùm singulare ipsius Elohim existimetur, sed à Scriptura sæpius vsitatum, non ut Chaldaicum, sed ut Hebraicum conspiciatur. Deinde ratio illa, quā adducit, Elohim videlicet, minori numero carere, qa si illud haberet, & vates ipso vsus nō fuisset, manifestè significasset pluralitatē Deorū, & occasionem præbuisset Israëlitis plures colēdi Deos, non valet meo iudicio; quia si, teste Hieronymo, indifferēter Elohim vt nomine cōmuni pro singulari, & plurali vtebātur, profectò sicuti nō ex alijs locis, ita neque ex hoc Idololatriæ occasionem Hebræi sumpsissent. Verùm quòd Eloha, nō semper in gratiam contemptus desumatur, cumulatè probauit Lusitanus. Quòd verò Moses hoc loquendi modo vsus sit ad amplificationem, vel dignitatis gratia, eo tropo, quo & Reges seipsos, Nos, appellant, intempestiuè mihi videtur dictum. Primùm, quia semper (vt adnotauit Catherinus) singulari numero Deus seipsum aliàs nominarit, vt eo loco: Ego Deus, & non mutor: & innumeris alijs, quos recensere non duco consentaneum. Deinde, quia si Principes plurali nomine seipsos appellant, adijciunt etiam uerbum plurale: unde si dicunt, Nos, subinferūt etiam, Faciemus; nec vnquàm dicēt, Nos faciam, nisi impropriè, & inelegantius. Amplius, dato quòd Reges eo loquendi fastu vtantur, non tamen alij, qui ipsos memorant, vti Moses hoc loco Deum, istum loquendi tropum sequuntur; nec dicunt, Reges vult, & Imperatores mandat. Quare potius ea amplificatio cēsenda esset, qua dixit Deus; Faciamus hominem ad imaginē, &c. Quæ attulerunt Rabbini, nullius sunt considerationis. Nam quemadmodum per nomen illud plurale Elohim, significatas esse dixere Intelligentiam, Sapientiam, & Prudentiam, quas Deus in Mundi opificio patefecit, pari arbitratu poterant dicere, significatas etiam fuisse Potentiam, Bonitatem, & quoduis aliud attributum, quæ profectò in eodem Orbis opificio manifestantur. Deinde tota Scriptura, inquit Vielmius, illis refragatur, quæ nullibi hac voce vsa est ad Idæarum, & perfectionum multiplicitatem indicandam, sed magis ad efferendam, & amplificandam Dei celsitudinem, & ad pluralitatem explicandam, quandoq; Iudicum, vt Exodi vigesimo secundo, Elohim non detrahes, hoc est, Iudicibus; quandoq; Angelorum, vt in Psalmo; Minuisti eum ab Elohim, hoc est, ab Angelis. Deinde si perfectionum multiplicitatis ratione, quis numero maiori nominari conuenit; certè & homo quilibet, in quo perfectiones, artes, ac scientiæ multæ insiderent, homines appellari posset, & Plato dici Platones; quo quid inelegantius? Idiotismum hunc esse Hebraicum, cùm dicitur; Dij creauit; fateor & ego: attamen à Hieronymo non recedens, dicerem, non contendendum esse, quare Moses dixerit Elohim, & non Eloha, si apud Hebręos in vsu erat, vt Elohim, ad Deum significādum sępius vsurparetur etiam vt singulare; quemadmodū & Venetiarū nomine, Vrbē illam vnam inuictæ libertatis in aquis extructam intelligimus, & maximè si Eloha, vox quasi

Malach. 3.

Gen. 2.

Psal. 8.

quasi peregrina,& aduentitia apud Iudæos, raro, vel nunquam in usu fuisset. Num autem ex hoc loco sanctissimæ Trinitatis mysterium eliciendum sit, necne, in gratiā Scholasticorum superest mihi disputandum.

An dato quòd legendum sit, Dij creauit, Sanctissima Trinitas hoc loco demonstretur.

Quamuis percunctatio hæc; num hic locus Sanctissimam Trinitatem demonstret, à Patribus prætermissa sit; ob idq; intempestiuè admodum, ac molestè iactari videatur: attamen in gratiam Scholasticorum pressè, ac dilucidè eam referam.

Classis Doctorum, qui locum hunc, Sanctissimam Trinitatem non indicare arbitrantur.

LVSITANVS, Rabbinorum Hebræorum hanc fuisse sententiam, his retulit.

Hebræi dicunt,quòd si Moses hoc illis vellet dicere, eos potius in errorem, quàm in mysterium induxisset, cùm neque hic, neque alibi mysterium in Pentateucho aperuerit.

TOSTATVS Commentarijs in Genesim.

Et dicunt aliqui de nostris, quòd hoc posuit Moyses
Plurale, idest, Dij, & ponitur cum verbo singulari. Et aliquan
ad notandum in suppositis diuinis pluralitatem,& in esse vnitatem, cui respondet verbum singulare. Et aliquan
do ponitur in plurali hoc nomen Deus in Hebræo, & adiectiuum suum, vt patet Deuteronomij quinto capite,
vbi nos dicimus, Vocem Dei viuentis,Hebræi habent, Elohin hayn, idest Deorum viuentium.Sed ista argumen
ta valdè debilia sunt contra Iudæos, quia lingua Hebraica aliquando valde disturbato modo facit conuenientiā
in accidentibus suppositi,& appositi,& adiectiui cum subiunctiuo. Sic dicitur Isaiæ decimonono, vbi nos dici-
mus; Et tradam Aegyptum in manum Dominorum crudelium. In Hebræo dicitur, Adouin caset, idest,Domi
nos durum, vel Fortem Et sic habetur Iosue vltimo, vbi litera nostra dicit;Non poteritis seruire Deo,Dominus
enim Sanctus: dicitur in Hebræo, Quedui hu, idest Deus Sancti ipse. Quod autem Moses voluerit hic demon-
strare Trinitatem personarum,& vnitatem naturæ, non nego; sed argumenta non conuincunt Iudæos.

Et tractatu de Trinitate aduersus Lyranum, hoc ipsum pro inconcusso dogmate reliquit.

CAIETANVS post Tostatum centum ferè annis, eammet sententiam prosequutus est.

Non cogit locus hic, quia non est locus mysterio Trinitatis diuinarum personarum; tum quia falsò personæ
diuinæ dicuntur Iudices, quemadmodum falsò dicuntur Dij Domini, vt patet in Symbolo Athanasij;tum quia
si verè dicerentur Iudices; dicendum consequenter fuisset in plurali numero, Creauerunt; quemadmodum, quia
Pater, & Filius verè dicuntur spirantes; dicitur consequenter, quòd Pater,& Filius spirant Spiritum Sanctū.
Stat enim vera hæc, & propria locutio cum vnitate essentiæ diuinæ, cum vnitate principij formalis spirandi,
cum vnitate numeralis spirationis actiuæ; nam Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus,& vna, ea-
demq; omnino spiratione spirant Spiritum Sanctum. Simili itaq; forma dicendum fuisset, Iudices creauerunt,nō
obstante quòd fuissent vnum principium creaturæ, vna & eadem omninò essentia eorum, atq; actione creandi
existente. Non igitur propter mysterium diuinarum personarum, sed propter rem singularem,cui appropria-
tur nomen Elohim, Moses iungit nomen Elohim, cum verbo Creauit, nulla interueniente Grammaticæ incon
gruitate;& quòd est constructio de significato non inusitata apud viros doctos.

LVSITANVS quoque his se subscripsit.

Voluerunt Sancti Patres nostri ex hac sententia mysterium Trinitatis eruere, dicentes: hac de caussa hic di
ctum, Elohim, idest, Dij; & verbum Creauit, in singulari; vt in plurali nomine designetur pluralitas persona
rum;in verbo verò singulari,essentiæ vnitas. Quod vtinam ex hoc loco, & ex alijs multis, quę ad hoc citant,
euincerent. Et Post. *Vnde meo iudicio, si Moses hoc loco mysterium significare voluit Trinitatis, hoc*
non nisi velatè nimis fecisse videtur. Fuit enim mysterium hoc velatissimum Iudæis seruatum, vt Messiæ tem Ioann. 17.
pore reuelaretur. Quare Christus apud Ioannem dicebat; Pater manifestaui nomen tuum hominibus: non quo
vocaris Deus, sed quo vocaris Pater meus. Vnde cùm contendendum cum Iudęis fuerit,non est hoc telo, vt
firmissimo vtendum; ne putent nos non habere aduersus eos solidiora.

PERERIVS in gratiam Caietani, hoc loco rationes,quæ pro hac sententia facere possunt, sic coëgit;

Primùm mirari possumus, quòd grauissimi Patres, præcipuè Origenes,Hieronymus,& Theodoretus,Hebrai
carum vocum scientissimi,& Scripturæ indagatores solertissimi,hunc locum non subodorauint. Deinde, discre-
pantia illa inter Elohim, numeri pluralis,& Barà,numeri singularis, non habet mysterium, sed idiotismus est

linguæ Hebrææ, vtsupra retulimus. Amplius non congruè dicitur de personis diuinis, quòd sint Dij; quia dici etiam posset, quòd essent multi Dij, vel tres Dij, quod tamen in Symbolo Athanasij damnatur. Rursum iudicio Theologorum rectè non loqueretur, si quis diceret, personæ diuinæ, vel Pater, Filius, & Spiritus Sanctus creauit Mundum; sed dici debet Crearunt; sicut non rectè dicitur, Pater, & Filius spirat Spiritum Sanctum, sed spirant. Præterea, si hic modus loquendi inusitatus Hebræis fuisset, fuisset etiam nouus, & admirandus; & certè ob id Rabbini aliquid circa hoc commenti fuissent. Adhuc cur aliàs de Deo loquens, non semper Moses iunxit Elohim numeri pluralis, cum Barà numeri singularis, vt denotaret diuinarum personarum pluralitatem cum vnitate diuinæ essentiæ? Tandem non bene certè consultum fuisset Iudæorum ad Idololatriam procliuitati, hanc præbere occasionem existimandi multos esse Deos.

Classis Doctorum, Sanctissimam Trinitatem hoc loco insinuari, existimantium.

Ex aduersa acie persistunt Doctores perillustres, qui ex hoc loco non subobscurè, sed perspicuè, Trinitatis mysterium posse elici arbitrantur.

MAGISTER Sententiarum libro primo, distinctione secunda.

Et quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet Elohim, quod est plurale huius singularis, quod est El: quod ergo non est dictum El, quod est Deus, sed Elohim, quod potest interpretari Dij, siue Iudices, ad pluralitatem personarum refertur.

D. Thomas in scriptis hoc non reiecit, & quamplures ex Scholasticis Magistro subscribere videntur.

HAMERVS Commentarijs in Genesim.

Habet hic locus insignem recentium Iudæorum confutationem, qui in vnico Deo sacram Trinitatem negant. Nam, quod nos legimus; In principio creauit Deus: in Hebræo legitur; In principio creauit Dij, plurale est nomen; & id quod Dij apud nos significat. Et Post. *Quod quidem absque grandi mysterio factum non est. Quia enim, iuxta D. Augustini sententiam, opera Trinitatis ad extra indiuidua sunt; idcircò Moses ille magnus ad insinuandum omnes tres personas diuinas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, simul ad Mundi creationem concurrisse, Dij in plurali dixit, & non Deus, in singulari. Ad ostendendum autem tres illas personas essentialiter non distingui, sed idem omninò esse hoc est vnum Deum esse, & non tres Deos; Creauit in singulari dixit, & non Creauerunt, in plurali. Constat igitur per nomen plurale cum verbo singularis numeri iunctum, & personarum Trinitatem, & diuinæ essentiæ vnitatem optimè designari. Nec ignoro, quæ Iudæi hic fabulentur, sed ea commodius in alium locum deferentur.*

STEVCHVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Itaque nomen Elohim significare sanctissimam Trinitatem, multa possunt esse argumenta. Principio enim, Elohim & Deum significat, & Angelos, & præclaros viros, ac Iudices, vt nos alibi dicturi sumus: nusquam verò eo nomine peculiarem Angelum, aut Iudicem denotamus, sed multos simul. Cur ergo & cùm Deum significat, non ad plures illud referamus? neque alia certè debet esse hic, atque ibi ratio. Preterea quòd aliquam pluralitatem, cùm ad Deum refertur, complectatur, illud quoque indicio est: adiungitur enim & verbis, & nominibus pluralibus, vt Iosue; quia Dij sancti est; idest quia Deus sanctus est. Capite quoque trigesimo quinto inferius inuenimus; Quia ibi apparuerunt ei Dij. Capite quoque vigesimo; Postquam abduxerunt me Dij: quem locum nostra editio interpretatur; Postquam eduxit me Deus de domo patris mei. His atque alijs innumerabilibus coniecturis cognoscimus nomen illud, non sine diuino quodam mysterio, per plurale efferri, presertim cùm id nulla necessitate fiat: inuenitur enim eius singulare Eloha. Cur itaque placet magis sacris literis Deum Elohim appellare, quàm Eloha, nisi mysticè id fieret? Plura de hac re referre supersedeo, quòd aliud agamus.

BVRGENSIS in additione prima.

Item attendendum, quòd secundum vlteriorem sensum literalem, ex hoc quod dicitur; In principio creauit Deus Cælum, & Terram, intelligitur ad literam secundum Hebraicam veritatem pluralitas in diuinis, prout Magister allegat in prima parte, distinctione secunda; quod patet ex hoc; nam vbi nos dicimus, Deus; Hebraica veritas habet Elohim, quod est plurale nominis huius singularis El, & sic exponit in hoc loco expressè Rabbi Abenhazra: licet ex hoc non veram conclusionem eliciat, sed extortam.

CATHERINVS prolixiori enarratione, & ipse hanc sententiam exponit, & defendit; præcipuè tamen rationes, quibus eam tueri nititur, has adducit.

Conuincitur ergo Iudæus quàm manifestissimè, cùm à forma nominis, quæ est pluralis numeri; tùm à significatione, quoniam apertè deprehenditur hæc vox pluralis significationis, quando non stat pro Deo, sed pro
Exod. 22. *magnis personis, quales sunt Angeli, & qui insignem magistratum gerunt; vt ibi; Dijs non detrahes: &;*
Psal. 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Cur igitur non sic quando stat pro Deo?* Et post. *Deinde addo & hunc sensum longè pleniorem esse; vtpote, in quo toto clauditur Sanctissimæ Trinitatis mysterium: pluralitas*

ralitas

ralitas enim personarum in nomine Elohim, idest Dij, & singularitas essentiæ in verbo illo Barà, idest, Creauit, continetur. Et Infra. *Tertio iunge his conuenienter sic dictum esse: quoniam cùm actiones (teste Philosopho) sint suppositorum, creatio propriè pertinet ad personas; nam & ipsius Trinitatis opera sunt indiuidua, ideoque opportunum fuit indicare personas creantes: Quòd si aliquo Scripturæ loco istud erat indicandum, maximè certè in hoc ipso exordio opportunum erat, vbi commune rerum omnium creationis opus narratur, vt verum sit verbum Christi, qui dixit; In capite libri scriptum est de me.* Psal. 39.

LIPPOMANVS in Catena.

Dictio Hebraica Elohim, idest Dij, per triplex Iod scribitur, quod magno non vacat mysterio, vt mox dicetur. Et post. *Qui tametsi vnus esse intelligitur à probe intellectu vigentibus, & à fidelibus credatur, & minimè plures: pluratiuo tamen vocabulo, cum vnitatis verbo (Creauit inquiens Dij) Spiritus Sancti instinctu vsus est Moses, Elohim enim ab Eloha, plurale à singulari descendit. Tam manifestum autem Iudæis offendiculum in exordio legis Dei, à Moyse minimè ponendum fuerat, quando summi boni vnitas maximè commendanda credentibus suscepta erat, nisi in simplicissima vnitate diuinitatis, & vnius vnici Dei, necessariò etiam credenda fuisset pluralitas aliqua, non Deitatis, sed proprietatum personalium, & personarum; quarum vna Pater Deus; secunda, Verbum, vel Filius Deus; & tertia diceretur Spiritus Deus; vnus tamen essentialiter Deus maxima vnitate.*

VIELMIVS, qui apud me plurimæ est auctoritatis, his subscribit, lectione tertia.

Nullibi fortasse in libris Moysis opportuniorem locum, qui Trinitatem insinuet, sese offerri puto, cùm sit Mundi opificium trium personarum commune, ac splendidissimum opus.

AVCTOR.



EGo cùm in contemplationem excelsæ, Sanctissimæque Trinitatis inciderim, non possum meam referre sententiam, nisi breui præmissa consideratione. Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, in Oraculum Templi, in Sancta Sāctorum, subter alas Cherubim; & cùm impleuisset nebula Domum Domini, inquit Salomon, Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Templū hoc (vt mysticum sensum quandoque inuestigemus) Sacram esse Scripturam asseuerare possumus; Sancta verò Sanctorum, Canonicos libros; Arcam verò, Sanctissimæ Trinitatis mysterium. Nil erat siquidem in Templo eminentiùs Arca; & nihil nobis in Scripturis sublimius traditur Trinitatis Sacramento. In illa reposita erant Virga, Lex, & Manna; in hac resident Patris Maiestas, vt Virga; Filij Sapientia, vt Lex; Spiritus Sancti Charitas & Amor, vt suauissimum Manna. Super Arcam soli Cherubim alas extendebant; Trinitatem sanctissimam Angeli tantùm glorifico lumine contemplantur. Oza, quia procaciter Arcam tetigit, exanimatus corruit in terram; de Trinitate, qui dogma aliquod decernere, præter id, quod ab Ecclesia definitum est, ausus fuerit, quāuis & eruditione, & dignitate præclarus existat, quasi hæresis labe correptus, ab Ecclesia, in qua fidei emicat veritas, decidit. Cæterum in Sancta omni populo ingredi datum erat; in Sancta verò Sanctorum solis Pontificibus, & Sacerdotibus: Sancta nostri Templi, scilicet Sacræ Scripturæ, literalis est sensus, omnibus perspicuus; Sancta verò Sanctorum, mysticus, solis Patriarchis, & Prophetis reseratus. Sed, vt quid hæc edisserui? certè, ut hoc vnum animaduerterem, quòd uti plebi ingredi in Sancta Sanctorum nunquam fas erat, nec Arcam conspicere; ita rudibus Hebræis sensus assequi mysticos, Arcamque, hoc est, Trinitatis Sacramentum attingere, nunquam concessum fuerit. Edocuit hoc egregiè Theodoretus de Principijs libro secundo, cùm dixit.

3. Reg. 8.

Arca fœderis, Mysteriū Sanctissimę Trinitatis præsignabat.

Trinitatis Sacramentum Hebręi rudes non agnouerunt.

Etenim cùm in Aegypto longinquum sanè tempus permansissent, multorumque ibi Deorum cultum ritu Aegyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifestè, apertaque prorsus oratione, Trinitatis mysteria tradidit, ne ita propositam sibi esse Deorum multitudinem arbitrantes, occasionem hanc haberent ad impietatem Aegyptiacam reclinandi.

Sacerdotibus verò summis, seu, vt melius dicam, Patriarchis, & Prophetis nonnullis ingredi certè permissum fuit Sancta Sanctorum, mysticas scilicet interpretationes penetrare, Arcam intueri, vestigia videlicet sanctissimæ Trinitatis cognoscere; sed hi perpauci admodum fuere, & non nisi singulari Dei beneuolentia hoc ipsis contigit. Abraham mysterium Trinitatis certè cognouit, cùm tres vidit, & vnum adorauit: Amplius cùm exultauit, vt videret diem Christi, vidit, & gauisus est: diem inquam, non tantùm Incarnationis, sed æternæ generationis: de qua dicitur; Ego hodie

Vates antiqui perpauci Trinitatis cognitionē habuerunt.

Gen. 18.

Ioan. 8.

Psal. 2. die genui te. Moses etiam tantùm promeruit à Deo, vt inter nebulas, & caligines, & ignem ipsius gloriam; quasi per transennam conspiceret, atque consequenter altissima sacramenta Christi delibaret. Nobis tantùm, quibus velum Templi scissum est, patefacta sunt Sancta Sanctorum, detecta est Arca, quoniam scripturæ latentes sensus spirituales, & Trinitatis sacramentum reserata sunt. Cæterùm vt ad sumptam percunctationem redeamus, ex præmissis diffinirem primùm, propositum locum Hebræis vulgaribus de Sanctissima Trinitate nullam cognitionē afferre, cùm maximè per Elohim nomen, tanquam commune (vt testatur Hieronymus) consueta sua significatione, etiam Deus in singulari numero intelligi possit: Patriarchis autem eadem de caussa minus proprium, ac dilucidum lumen de Trinitate impertiri potuisse. Nobis autem locum hunc aliquam de Trinitate Sanctissima notitiam conferre posse arbitror; sed non passim, & cumulatè: suadeor enim hoc existimare ea certè de caussa, quia Patres, qui de Trinitate loca in scripturis perpenderunt, hunc non subodorasse reperiuntur. Nam Ignatius in Epistola ad Antiochenos, quæ est nona, in qua luculenter valde loca, vbi Sanctissima signatur Trinitas, memorat; & Gregorius Nyssenus libro inscripto, Testimonia aduersus Iudæos de Sancta Trinitate (si tamen ipsius, vt fertur, est fœtus) in quo & ipse cuncta Scripturæ loca Trinitatem Sanctissimam indicantia perpendit, locum hunc silentio prorsus obuolutum reliquerunt. Augustinus etiam de Genesi ad literam libro primo, Cyrillus libro primo contra Iulianum, Theodoretus libro de principijs (ingenui certè, solertissimique Doctores) loca etiam subobscura à Mose in hac de Mundi opificio historia recensita, quæ aliquo pacto Sanctissimam innuerent Trinitatem inuestigantes hunc non commemorarunt. Igitur si locus iste fuisset ita splendidus, & clarus, vti Doctores asserunt, certè tot eximij nominis Patres illum subodorassent, atque animaduertissent. Ex hac autem conclusione sequitur, quòd rationes omnes productæ à parte affirmatiua, concedi possint; hoc tamen in sensu, quòd hoc loco Sanctissima notificetur Trinitas; non quidem Hebræis omnibus, sed tantùm Vatibus, & nobis, quibus reuelata sunt Trinitatis sacramenta. Sequitur amplius, quòd argumenta pro parte negatiua adducta, quæ Hebræis ex hoc loco Trinitatis sacramentum non notum reddi probabant, pariter admitti queant. Superest igitur, vt respondeamus illis, quæ omninò non tantùm rudibus, & vulgaribus, sed nec sapientioribus, nec nobis hunc locum Trinitatem demonstrare, videbantur astruere. Horum primum fuit, quòd grauissimi Patres, præcipuè Origenes, Hieronymus, & Theodoretus, locum hunc non adnotarint. Huic profectò satisfacit Vielmius, cùm ait; quòd proficit Ecclesia gradatim intelligentijs, & donis, adeò, vt fieri potuerit, quòd Patres prisci non ita in numerato habuerint omnia scripturæ monumenta ad astruendam pietatem. Non dici conuenit, inquiunt, primo Caietanus, deinde Pererius, de personis Diuinis, quòd sint Dij, quoniam dici etiam posset, quòd essent multi, vel tres Dij, quod tamen à Symbolo Athanasij damnatur. Sed indoctè hoc colligi edocet Catherinus, quoniam non semper, quæ seorsum dicuntur, coniunctim dici possunt. Verum siquidem est dicere de personis diuinis, quòd Dij sint, vtpotè compotes Deitatis; verum, quòd sint tres; non tamen verum, quòd sint tres Dij; quoniam quando conceditur tres esse, ad personas referri ea Trinitas intelligitur, non ad Deitatem, quæ plurificari non potest. Adijciunt rursum, non congruè dicitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus creauit Mundum, sicut non dicitur, Pater, & Filius spirat Spiritum Sanctum, sed spirant. Quinimmò, & congruè dici posse, assererem ego; cùm enim creare sit opus ad extra competens toti Trinitati, non erraremus dicentes, Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus creat; quia idem est, ac si diceremus, Sanctissima Trinitas creat. Rursum incongruè diceremus certè, Pater, & Filius spirat, quia spirare opus est ad intra; nec toti Trinitati competit, sed tantùm Patri, & Filio, atque ipsis non ratione essentiæ, sed ratione personarum congruit. Cùm autem distinctæ sint personæ, perperam certè vnicuique harum adscriberetur, quod ambabus attribuendum esset. Hæc sunt, quæ vt opportuna pro hac decidenda quæstione, non prætermittenda fore iudicaui.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Moses ex decem Dei nominibus hoc loco Elohim selegit, vt Deum & Creatorem, & Iudicem demonstraret vniuersorum.*

b. *Vel vt eum secundum distributiuam iustitiam, esse, his quidem clarius, & his obscurius, elargitum fuisse indicaret.*

Quorsum ex decem nominibus Dei, quæ in Scriptura reperiuntur, Elohim selegerit Moses, cùm Deū Vniuersi Creatorem nominat.

HIERONYMVS Epistola ad Marcellam, decem Dei nomina ab Hebræis vsitata accuratè his enarrat. Epist. 136.

Primum nomen Dei est El, quod Septuaginta θεὸν, idest Deum verterunt, & Aquila etymologiam eius exprimens, ἰσχυρὸν, idest, Fortem interpretatur. Deinde & Elohim, & Elohe, quod & ipsum Deus dicitur. Quartum Sabaoth, quod Septuaginta, Virtutum; Aquila, Exercituum, transtulerunt. Quintum Helion, quod nos Excelsum dicimus. Sextum Eser eheie, quod in Exodo legitur: Qui est, misit me. Septimum, Adonay, quem nos Dominum generaliter appellamus. Octauum, Ia, quod in Deo tantùm ponitur, & in Alleluia extrema quoque syllaba sonat. Nonum, Tetragrammaton, quod ineffabile putauerunt. Decimum, quod superius dictum est, Saddai, & in Ezechiele interpretatum ponitur. Exod. 3.

ISIDORVS Etymologiarum libro septimo, cap. primo, ita hæc nomina interpretatur.

Primum apud Hebræos Dei nomen El dicitur, quòd alij Deum, alij etymologiam eius exprimentes Ischyrios, idest, Fortem interpretati sunt; Secundum nomen Elohi est; Tertium Elohe, quod vtrunque Latinè Deus dicitur; Quartum, Sabaoth, quod vertitur in Latinum, Exercituum, seu Virtutum; Quintum Elion, quod interpretatur Excelsus; Sextum Eheie, idest, Qui est, Deus enim solus est; Septimum, Adonay, quod generaliter Dominus interpretatur; Octauum, Ia, quod in Deo tantùm ponitur; Nonum, Tetragrammaton, hoc est ineffabile; Decimum Saddai, idest, omnipotens.

Ex his igitur nominibus, cùm El, fortitudinem significet; Elohim, Iudicem; Elohe, Sapientiam; Sabaoth, Deum exercituum; Elion, excelsum; Eser eheie, qui est; Adonai, Dominum; Ia, laude dignum; Tetragrammaton, ineffabilem; Saddai, omnipotentem: Inquirendum est, cur Vates Moses Deum nomine Elohim, & non cæterorum aliquo hoc loco appellarit; præcipuè cùm nomen quadriliteron à recentioribus Iehu, à Pagnino Iehoua dictum, Hebræis adeò sanctum, adeoque celebre esset, vt nunquam nisi in anniuersario, ac præmisso ieiunio (teste Cusano libro primo Excitationum) & per summum solum Pontificem, cùm Sancta Sanctorum ingrederetur, pronunciari posset, quod etiam in aurea lamina incisum Sacerdos summus tantùm ferebat.

a. *Moses opificem Deum, Elohim nominauit, vt eum simul creatorem esse Mundi, vniuersorumq; Iudicem demonstraret.*

CAIETANVS vbi supra.

Quare autem Moses in hoc exordio appellauerit Deum Elohim, in promptu caussa est duplex. Altera, vt vnus atque idem Deus credatur Creator Mundi, & Iudex vniuersorum; ne crederent Philosophis tradentibus, quòd supremus rerum Opifex, non est Iudex humanarum actionum. Percutit siquidem Moses Philosophos omnes describendo Iudicem omnium creasse Cælos, & Terram, & omnia quæ in eis sunt.

b. *Vel Elohim, hoc est Iudicem, appellauit; Quia in Mundi effectione, esse, his clarius, & his obscurius, sit impertitus.*

CAIETANVS vbi supra.

Altera, vt creatio Cælorum, & Terræ, & eorum, quæ in eis sunt, intelligatur actio Dei Iudicis secundum iustitiam distributiuam: ne putaretur Deum creasse res secundum esse earum tantùm, & non secundum diuersos illa-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus, Elohim.

a. *Vel cùm Elohim significet Fortem, vt Dei omnipotentiam in Creatione ostensam indicaret,*
b. *Vel vt Dei timorem hoc nomine in mortalibus excitaret.*

sos illarum gradus, atque ordine res ipsas creando distribuisse. Adhunc siquidem errorem tollendum describitur, quòd Deus quatenus Iudex, secundum iustitiæ distributiuæ rationem, creauit omnes res sic, quòd creando distribuit singulas res suauissimè, suis quasque locis, gradibus, ac ordinibus deputando: vt clarè sonat litera totius huius principij.

LVSITANVS in his Caietanum reprehendit, cùm ait; Epist. 136.

Non rectè illi de nomine sentiunt, qui ex nomine Elohim, volunt rerum distributionem in Mundi creatione deriuare, dicentes; ideò hic poni Elohim, vt explicetur Deum optimè res in creatione distribuisse. Non enim, vt probauimus, Elohim, significat Iudicem, quatenus distribuit, sed quatenus punit, aut ab eo punitionem fieri precamur. Exod. 2.

a. *Vel Elohim Deum nominauit; hoc est Fortem; vt eius omnipotentia in creatione notaretur.*

VIELMIVS, Caietani speculationibus amplificatis, tertiam superaddidit caussam, relato verbo Elohim ad fortitudinem.

Quamobrem dicerem, Mosem nunc voluisse nobis hoc nomine declarare Dei pręcellentem, & indicibilem in creando Mundo fortitudinem, quam omnipotentiam significantius nuncupamus: neque enim hanc apertius vnquam manifestauit, atque creatione Mundi. Nomen enim Elohim, à fortitudine desumptum est; & D. Hieronymus Epistola citata testis est Theodotionem uertisse, Græcè Ischyron, hoc est, Fortem. Et post. Creatorem igitur antonomasticos, Fortem, hoc est Omnipotentem, legislator hoc loco adhibito consilio tam crebrò appellat, vt nimirum de eiusmodi eius Omnipotentia, quam nullibi æquè cernere, atque in Creatione est, vt dicebam, commonefaceret lectores, & in eius admirationem, & cultum, eos, qui Mundum hunc contemplarentur, adduceret.

b. *Vel vt Dei timorem in mortales hoc nomine incuteret.*

LVSITANVS, Adnotationibus in Genesim, capite primo.

Quare autem Moses statim à principio Deum sub nomine vindicantis attulit, putarem, quod vt Dei timorem, & prouidentiam simul cum creatione inculcaret; ac si diceret: Ille, res has, quas videtis in esse produxit, qui non solum rerum omnium auctor est; sed etiam omnium punitionum, qui potest mala gesta punire.

AVCTOR.

Ex his delatis caussis, quænam sit acceptanda, non est difficilè dijudicare. Prima ea Caietani, quæ Deum in Mundi effectione, Elohim nuncupatum voluit, hoc est, Iudicem, vt simul & Creator, & Iudex uniuersorum agnosceretur, non mihi videtur sufficiens, & necessaria; quoniam qui Deum Mundi opificem fatentur, eum Iudicem quoque esse non renuunt; & qui ipsum moderatorem, Iudicemque negant, hi etiam Mundi non fuisse Satorem contendunt. Nil igitur profuit Deum, Elohim, hoc est, Iudicem nominare, & Creatorem simul demonstrare, quia inuicem hæc se consequũtur. Rursus alia caussa à Caietano adducta, intempestiuè lata mihi uidetur. Elohim, inquit ipse, Moses Deum appellauit in Mundi structura, vt in distributione naturarum eum Iudicis munere functum fuisse agnosceremus; dum his quidem clarius, & his obscurius esse impertitus est. Sed Iudex certè tunc, meo iudicio, quis appellatur, cùm merita, & demerita ponderat; & ex meritorum, demeritorumque æqua lance libratorum ratione, præmia distribuit. Cæterum in creaturis necdum formatis, nulla meriti, vel demeriti ratio esse poterat; quamobrem vt Iudex, his clarius, & his obscurius esse conferre non potuit. Ex quibus

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Deus.

a. Theòs Græcè, Deus Latinè, à timore.
b. Vel à videndo,
c. Non Moses, sed Serpens primus Vniuersi opificem Elohim, siue Deum appellauit.

quibus sequitur Hieronymum caussam probatiorem, cur Moses Deum, Elohim, non alio nomine appellarit duxisse, cùm dixit Elohim, apud Græcos θεὸν, & apud Latinos Deum rectius verti, quasi videntem; quoniam in rerum effectione, non vt iudex ex merito, sed ut sapiens, & videns Creaturis nil promerentibus, his quidem eminentius, & his humilius; seu, vt Aristoteles dixit; his clarius, & his obscurius esse, condonarit. P. Cœli tex. 100. Rursum, si vt certum, ac exploratũ accipere debemus, quod supra definiuimus, El, scilicet, & non Elohim, ex Aquilæ auctoritate, Fortem significare; postrema caussa adducta à Vielmio non scite producta euincitur. Superest igitur, vt cum Lusitano dicamus; Vatem nostrum Mosem, Spiritus Sancti afflatu, Deum Elohim, hoc est, Iudicem, nuncupasse, cùm Mundi effectionem narrat; vt simul amorem, & timorem incuteret; animaduerterentque Hebræi, & cuncti mortales, non adeò confidendum esse de Dei beneuolentia, & charitate, qua in eorum gratiam Vniuersum hoc, opus adeò præclarum conflauit; vt etiam non timeant de eius iustitia, quando etiam, dum Vniuersum extrueretur, Iudex voluerit appellari. Perspectum siquidem est Deum semper commiscere misericordiæ, & iustitiæ monumenta, vt beneficio & amore ad bona homines compellat; & pœnis, seueritateque à malis retrahat.

a. θεὸς Græcè, Deus Latinè, idem sunt, & dicitur à timore.

ISIDORVS Etymologiarum libro septimo, capite primo.
Nam Græcè Theòs dicitur; quasi θέος, idest timor: vnde tractum est nomen Deus, quòd eum colentibus sit timor.

b. θεὸς, & Deus; hoc est, videns.

Vulgata est apud omnes hæc etymologia, quæ interpretatur θεὸς, & Deus, hoc est, Videns. Quæ duæ interpretationes adstipulantur maximè his, quæ iam diximus. Egregiè profectò etiã in editione Græca, & nostra, Vniuersi conditor nuncupatus est Theòs, vel Deus, nomine à timore deducto; ea proculdubio de caussa, ut simul timorem in beneficio incuteret, ediscerentque mortales simul & confidere in Deo, & formidare Deũ, dumque beneficia suscipiunt, timoris non obliuisci: timoris, inquam, eius, quem de Vniuersi opifice, & prouisore habere operæpretium est. Deinde bene nuncupatus fuit Mundi opifex Theòs, seu Deus; ut Theòs significat videntẽ, & sapientem; videns siquidem, & sapiens fuit Deus in Mundi opificio, cùm attigerit à fine ad finem fortiter, & disposuerit omnia suauiter.

c. Non Moses, sed Serpens primus vniuersi opificem Elohim, siue Deum appellauit.

BEDA expositione in Genesim.
Hic primo Deus inscriptione reperitur à Moyse dictus; sed à Serpente prius dictus est, vt; Scit enim Deus, & reliqua.

Quamuis siquidem Moses Mundi effectionem narrans, eius opificem Deum appellet, clarissimũ tamen est, ipsum non nisi post plura sæcula, & annos, Volumen hoc, idest Pentateuchum scripsisse; Quapropter cùm ea, quæ nobis in hoc suo uolumine reuelauit, certissima sint, euincitur, quòd primus, qui Dei nomen prætulit; Serpens fuit, cùm dixit;

Anno Mundi primo
In exordio temporum.
Ante dies.

Deus.

a. *Quia Deus solus, Mundi Creator esse poterat.*

dixit; Scit enim Deus &c. Verùm non bene Beda animaduertit, quòd ante dictum illud; Scit enim Deus; iam mulier dixerat; Præcepit nobis Deus, ne comederemus. &c. nec propter hoc non nisi scitè dixit, Serpentem fuisse, qui hoc enunciarit ineffabile nomen; nam ante Euam dixerat Serpens; Cur præcepit vobis Deus. &c.

a. *Quia Deus solus, nomine ineffabilis, maiestate super omnia excelsus, Mundi creator esse poterat.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Hic itaque Mundus, sortitus cùm sit principium, quippe qui olim conditus: relinquitur iam tibi quærendum, à quo principium sit sortitus, quis tantæ molis fuerit opifex. Veriùs vt ne, si humana ratiocinatione nitens, singula exactiùs pergas exquirere, longiùs digrediare, & aberres à via veritatis, anteuertit nos Moses sua hac doctrina tueri, ac communire, quando illud multo omnium preciosissimum nomen Dei adiecit, quasi sigillo quopiam animas nostras consignaret, aut certè eas aduersus cuiuscunque tandem erroris venena præmuniret, præseruatorio, aut tutelari quodam amuleto, idque dum dixit; In principio fecit Deus. Natura planè beata Deus, exuberantissimè abundans, ac luculenta bonitas, cuique rationis capaci mirè amabilis pulchritudo, flagrantibus votis, & exestuanti desiderio, nulli non expetenda, omnium quæ sunt primiceria origo, fons vitæ, spiritualis omnis intelligentiæ lux, sapientia inattingibilis, nec ulli peruia mortalium. Hic inquam ille est, qui Cælum, & Terram creauit, idque in principio.

AMBROSIVS libro primo Hexæmeron, capite tertio.

Miraris opus, quæris operatorem. Quis principium tanto operi dederit, quis tam citò id fecerit; subiecit statim dicens; Quia Deus fecit Cęlum, & Terram. Audisti auctorem, dubitare non debes. Hic est, in quo benedixit Melchisedech Abraham Patrem multarum gentium, dicens; Benedictus Abraham Deo summo, qui fecit Cęlum, & Terram. Et, credidit Abraham Deo, & ait; Extendam manum meam ad Deum summum, qui fecit Cælum & Terram. Vides, quia hoc non homo inuenit, sed Deus annunciauit. Deus enim est Melchisedech, qui est Rex pacis, & iustitiæ, nec initium dierum, neque finem habens. Non mirum ergo, si Deus, qui est sine initio, initium omnibus dedit, vt quæ non erant, esse inciperent. Non mirum si Deus, qui omnia sua virtute continet, & incomprehensibili maiestate vniuersa complectitur, fecit hæc, quæ videntur; cùm etiam illa fecerit, quæ non videntur. Inuisibilia autem ijs quæ videntur, potiora esse, quis neget? cùm ea, quæ videntur, temporalia sint; æterna autem, quæ non videntur? Quis dubitet, quòd Deus hæc fecerit, qui per Prophetam loquutus ait; Quis mensus est manu aquam, & Cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit Montes in libra, & rupes in statera, & nemora in iugo? Quis cognouit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit? vel quis instruxit eum? De quo etiam alibi legimus; Qui tenet circuitum Terræ, & Terram velut nihilum fecit. Et Hieremias ait; Dij, qui non fecerunt Cælum & Terram, peribunt à terra, & de sub Cęlo isto. Dominus, qui fecit Terram in virtute sua, & correxit in sapientia sua Orbem, & in sua prudentia extendit Cælum, & multitudinem aquæ in Cælo: Et addidit; Infatuatus est homo à scientia sua. Qui enim corruptibilia Mundi sequitur, & ex his putat quòd diuinæ possit naturæ comprehendere veritatem, quomodo non infatuatur versutæ disputationis astutia?

Gen. 14.
Ibidem.
Hebr. 7.
2. Cor. 4.
Esa. 40.
Rom. 11.
Esa. 40.
Hier. 10.
Ibidem.
Serm. 1.

ZENO Episcopus Veronensis, sermonum libro secundo.

In principio, inquit Moyses, fecit Deus Cælum, & Terram. Solus Deus est itaque principium, qui ex se ipso dedit sibi principium, solus ante omnia & post omnia; quoniam in eius manu inclusa sint omnia, ex se est, quod est. Solus sui conscius quantus, & qualis est. Solus perfectus, quia non potest illi aliquid addi, nec minui. Solus omnipotens, quia ex nihilo vniuersa constituit, virtute regit, maiestate custodit. Solus indemutabilis, ac semper ęqualis, quia in se non admittit ætatem. Solus sempiternus, quia immortalitatis est Dominus. Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium, ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus Sancti plenitudine, vna originali coæternitate renitens.

Deus.

Deus.

a. *Non Angelus virtute propria.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Aute dies.

AVCTOR.

Hic est ille opifex, satorque Vniuersi, de quo quid fari possimus, non video: Hic ille simplex, corporis expers, inuisibilis, incircumscriptibilis: Hic ille increatus, immensus, omnem comprehensionem, omnemque intelligentiam effugiens: Hic ille sine principio & fine, & perpes, & sempiternus: Hic ille omnipotens, omnisciens, omnioptimus: Hic ille essentia vnus, hypostasibus trinus; sine fine immensus, sine affectione immutabilis, sine necessitate omnium sator, sine tempore æternus, sine loco vbique, sine ui omnium caussa, sine extensione omnia explens, sine contractione omnia viuificans, sine situ inter omnia considens, sine studio omnia regens: Hic ille virtute omnipotens, sapientia inæstimabilis, bonitate summus: Ille, inquam, qui sola charitate impellente, creaturis nil promerentibus, in hominis gratiam, amplissima sua potentia, ac fœcundissima sapientia, ex nihilo Mundum confecit, vt obtestatur Moses; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram. Dei attributa.

a. *Angeli sua virtute Mundi Conditores non extarunt.*

Primùm nobis ea se offert impia, execrandaque sententia, quæ Angelos Mundi opifices astruit.

IRENAEVS libro primo aduersus Hæreses Valentini, & similium, capite vigesimoprimo, delirantissimum hoc placitum Menandro adscribit, cùm ait.

Huius successor fuit Menander Samarites genere, qui & ipse ad summum Magiæ peruenit: Qui primam quidem virtutem incognitam ait omnibus, se autem eum esse, qui missus sit ab inuisibilibus, Saluatorem pro salute hominum. Mundum autem factum ab Angelis, quos & ipse similiter, vt Simon, ab Ennoia emissos dicit.

Et capite uigesimo secundo eandem Saturnino his attribuit;

Saturninus quidem similiter, vt Menander, vnum Patrem incognitum omnibus ostendit, qui fecit Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates. A septem autem quibusdam Angelis Mundum factum, & omnia quæ in eo. Hominem autem Angelorum esse facturam, desursum à summa potestate lucida imagine apparente.

TERTVLLIANVS libro de Præscriptionibus aduersus Hæreticos, capite quadragesimo octauo, eandem Carpocratis fuisse his asserit.

Carpocrates præterea hanc tulit Sectam. Vnam esse dicit virtutem in superioribus principalem; ex hac prolatos Angelos, atque Virtutes, quos distantes longè à superioribus Virtutibus, Mundum istum in inferioribus partibus condidisse.

ATHANASIVS contra Arrianos oratione secunda, idipsum Carpocrati adscribit.

Valentinianus, Angelos congeneres Christo pronunciauit: Carpocras autem eos Mundi conditores appellauit.

Cæterum hanc impiam Hæreticorum sententiam Patres acrius reijciunt.

IRENAEVS aduersus Hæreses Valentini, & similium, libro secundo, capite secundo, duo hæc astruit: Alterum cùm Deus Angelos protulerit, dato quòd Angeli Mundum constarint, id non nisi nutu, & virtute ipsius effecisse: Alterum quod verè Deus vnico verbo Mundum confecit. Quapropter concludit.

Sit fortasse hic sermo (hoc est Hæreticorum) suasorius, siue seductorius apud eos qui ignorant Deum; & hominibus, qui assimilant eum in operibus; & his, qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum fabricationem, non autem verisimilis in totum apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indigens omnium Deus, verbo condidit omnia, & fecit; neque Angelis indigens adiutoribus ad ea, quæ fiunt; neque virtute aliqua valde inferiori ab illo, & igno-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Creauit Deus.

a. *Non Angelus, neq; etiam vt Dei minister.*

rante Patre; neque aliqua labe, neque ignorantia, vt is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret, sed ipse in semetipso, secundum id quod est inenarrabile, & inexcogitabile, nobis omnia prædestinans fecit, quemadmodum voluit, omnibus consonantiam, & ordinem suum, & initium creationis donans. Spiritalibus quidem spiritalem, & inuisibilem, & supercælestibus Cælestem, & Angelis Angelicam, & animalibus animalem, & natantibus aquatilem, & terrigenis terrigenam, omnibus aptam æqualitatis substantiam; omnia autem, quæ facta sunt, infatigabili verbo fecit. Proprium est enim hoc Dei supereminentiæ non indigere alijs organis ad conditionem eorum, quæ fiunt; & idoneus est, & sufficiens ad formationem omnium proprium eius verbum, quemadmodum & Ioannes Domini discipulus ait de eo; Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In omnibus autem est & hic, qui est secundum nos, Mundus: & hic ergo à Verbo eius factus est, sicut scriptura Geneseos dicit, omnia quæ sunt, secundum nos fecisse Deum per Verbum suum; Similiter autem & Dauid exequitur: Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Cui igitur magis credemus de Mundi fabricatione, his ne, qui prædicti sunt, Hæreticis, sic fatua, & inconstantia garrientibus, an discipulis Domini, & fideli famulo Dei Moysi, & Prophetæ? qui primo genesim Mundi narrauit, dicens; In principio fecit Deus Cælum, & Terram, & deinceps reliqua omnia; sed non Dij, neque Angeli.

Ioan. 1. — Psal. 148.

ATHANASIVS contra Arrianos Sermone tertio.

Neque enim quicquam Angeli vel creare possunt, cùm & ipsi sint creaturæ; quamuis in diuersam sententiam Valentinus, Marcion, & Basilides eant, & vos vnà cum ijs, vt asseclas decet, & æmulatores; Quinimmo ne Sol quidem, quum sit res creatitia, vnquam effecerit, vt quod nihil est, aliquid fiat, neque homo hominem effinxerit, neque lapis lapidem excitauerit, neque lignum ligno augmentum dederit: sed Deus est, qui in vtero fingit hominem, & qui montes collocat, & qui ligno proceritatem addit, homo verò mentis, scientiæque capax hanc materiam concinnat, & modificatur; & quæ iam sunt, operatur pro ratione suæ scientiæ, & contentus est, quòd ipse duntaxat sit genitus, suamque naturam agnoscens, vbi alicuius rei indigus est, Deum inuocat.

THEODORETVS Diuin. Decret. Epit. lib. quinto, cap. de Creatione.

Oportet autem omnia ostendere, quòd creationis est opifex, non qui, vt vult Valentini fabula, ex passione Achamoth formatus est, & post triginta quinque æonum productiones, ex conuersione, & passione factus est: neque Angeli quidem, vt vult Basilides, & Cerinthus, & alij, quorum principatum dicunt obtinere Iadabaoth: nec vt execrandus Marcion, aliquem alium præter bonum opificem esse dicimus: sed vniuersorum Deum cum Vnigenito, & Sanctissimo Spiritu omnia esse fabricatum, & didicimus, & docemus: Verbo enim Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Psal. 32.

Prosequiturq; toto eodemmet capite plurimas, tum Noui, tum Veteris Testamenti obtestationes adducere: sed cùm sententia hæc hæretica explosa sit conformi omnium Patrum, & Ecclesiæ consensione, vtì suamet dementia sordidata, derelinquatur.

a. *Angelorum ministerio in Mundi creatione, Deus vsus non est.*

Non defuere, qui Deum in Mundi structura, Angelorum ministerio, vsum fuisse existimarint.

Præcipitauit in hanc assertionem ex nostris vnus ferè Lactantius Diuinarum institutionum, libro secundo, capite nono, quod summopere demiror; ait enim.

Habētur hęc in libro Hæreseologia inscripto.

Fabricaturus Deus hunc Mundum, qui constaret in rebus inter se contrarijs, atque discordibus, constituit ante diuersa, fecitque ante omnia duos fontes rerum sibi aduersantium, interseque pugnantium; illos videlicet duos spiritus, rectum, atque prauum; quorum alter est Deo tanquam dextera, alter tanquam sinistra, vt in eorum essent potestate contraria, quorum mixtura, & temperatione Mundus, & quæ in eo sunt vniuersa constarent. Et post. *Et quoniam fas non erat, vt à Deo proficisceretur malum, neque enim contra se ipse faciet, illum constituit malorum inuentorem, quem cùm faceret, dedit illi ad mala excogitanda ingenium, & astutiam, vt in eo esset & voluntas praua, & perfecta nequitia, & ab eo contraria virtutibus suis vo-*

luit

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus.

1. Neque etiam Angelis demandata est à Deo Animantium Creatio.

luit oriri, eumque secum contendere; Vtrumne ipse plus bonorum daret, an ille plus malorum? Sed rursus quoniam Deo summo repugnari non potest, bonorum suorum potestatem illi vltori assignauit, quem supra bonum, ac perfectum esse diximus. Ita duos ad certamen composuit, & instruxit; sed eorum alterum dilexit, vt bonum filium; alterum abdicauit, vt malum. Postea autem ad multos genuit alios operum suorum ministros, quos Græci Angelos nominant, & illos vnius, sed repugnantis naturæ, qualis Deorum. Sed pars illa corruptibilis non vtique statim corrupta est in ortus sui principio, sed post compositum, ordinatumque Mundum, sicut mox docebimus à substantiæ Cælestis vigore, peruersa voluntate desciuit. Cæterum in principio partes vniuersi, æqua conditione apud Deum fuere, & idcircò Angeli omnes, quorum principes erant illi duo. Cùm autem Deus ex his duobus, alterum bono præposuisset, alterum malo, exorsus est fabricam Mundi, omnibus his, quos creauerat, ministrantibus, & per certa officia dispositis. Exorsus igitur Deus fabricam Mundi, illum primum, & maximum Filium præfecit operi vniuerso, eoque simul & consiliatore vsus est, & artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisque rebus: quoniam is & prouidentia, & prudentia, & ratione, & potestate perfectus est: de quo nunc parcius, quòd alio loco & virtus, & nomen eius, & ratio enarranda nobis erit.

Sed hanc Lactantij sententiam iamdudum explosam esse, ac reiectam, mirifica Patrum, ac Doctorum Scholasticorum, & Ecclesiæ totius consensione arbitror. Ante Mundum Angelos conditos fuisse dubium est; vt post demonstrabimus. Dato attamen hoc ipsi Lactantio, ac Basilio, pluribusque Patribus: tria deinde inseruit Lactantius, aut non clarius explicata, aut prorsus à veritate aliena. Primum, quòd Deus aliquid contulerit Dæmoni, siue Lucifero supra cæteros spiritus, quo ad malum declinaret: Deinde, quòd duorum Angelorum ministerio Mundum condiderit; id siquidem inficiantur Scripturæ, ac omnes Patres, & Scholastici cuncti, qui soli Sanctissimæ Trinitati creationis opus adscribunt. Tandem quòd ille primus bonus, ac maximus Filius, quem vniuerso operi præfecit, cuius consilio & arte, Mundum fabrefecit, Angelus fuerit (si tamen id intellexit, sicut innuere visus est) Ipse siquidem Verbum est æternum, genitum non factum, consubstantiale Patri, Idæa rerum. Sed hæc assertio, cum ea Platonica, quæ sequitur, Patrum obtestationibus cumulatiùs euertetur. Sent.2.dist.1.

2. *Deus Angelis creationem Animantium non demandauit.*

Animantium creationem Deum Angelis demandasse quamplurimi censuerunt. Prosilijt hæc sententia à Platone: nam Plato in Timæo, Animalium omnium opus à Deo Dijs secundis commissum fuisse tradit. Num autem intellexerit Plato per Deos secundos, Sydera; num Dæmones aëreos in res caducas imperium exercentes; num Angelos, non est perspectum.

CYRILLVS Alexandrinus contra Iulianum libro secundo, inter cæteros Patres disertiùs Platonis sententiam his enarrat.

Audi igitur & Platonis opificium, quod vniuersorum tribuit opifici. Dij Deorum, inquit, quorum ego opifex, paterque operum, insolubilia erunt, me scilicet volente. Omne quidem quod compactum, hoc & solutile; & quod pulchrè coaptatum, beneque habet, potest solui à malo. Idcircò quoniam nati estis, non estis quidem immortales, & insolutiles omnibus modis sanè, neque soluemini, neque habebitis mortis sortes, idque ob eam voluntatem, per quam adhuc maius vinculum, & magis firmum sortiti, quàm illa, in quibus quando nascebamini, coniuncti estis. Nunc igitur, quod vobis dicens ostendo, discite. Mortalia adhuc genera alia tria sunt nondum genita, quibus non factis, Cælum imperfectum erit, neque omnia in se genera animalium habebit: A me autem si hæc fierent, & vitæ participium haberent, Dijs æquarentur. Vt igitur & mortalia sint, & nunc Vniuersum reuera Vniuersum sit, conuertamini secundum naturam vos ad animalia formanda, imitantes meam virtutem, qua in vestra natiuitate vsus sum, & inquantum ipsis immortalibus cognomines esse

esse conuenit, Dij dicimini; Ducesque etiam vos eorum, qui vos iustè semper volunt sequi, semina & initia ego tradam. Cæterum vos immortali mortale adiungentes, facite animalia, & generate; ciboque dato facite crescere, & corruptibilia iterum accipite.

Verùm enimuerò sententiam istam tanquam à veritate maximè aberrantem, quamplures Patrum labefactare, ac prorsus euertere studuerunt.

CYRILLVS Alexandrinus, loco iam asserto.

Illis enim, qui omninò non sunt Dij, animati, vel mentales non dixisse Deum, quòd aliquid formare debeant, ostendit nobis ipsius rei natura congruis probationibus vtens. Quòd enim omninò per se intelligens, vniuersorum opifex alijs Dijs commisisset esse laborandum circa trium generum formationem, hoc vtique dixisset, vel quòd grauetur, vel quòd omninò nihil curet nostra: quæ, vt arbitror, à summa omnium substantia, aliena sunt penitus. Etenim si bonus est opifex, quomodo illum vllius rei pigeret? sic enim ipse Plato dicit, Bonus erat, bonoque nullius rei inest inuidia. Dicere autem, quòd hoc non fuerit dignatus, nihil aliud esset quàm fastum, & indignabundæ superbiæ crimen ei tribuere. Quomodo illis imperare vellet, quæ formare non dignatur? vel quomodo nostris cultibus oblectabitur, si principio nos condere non est dignatus?

AVGVSTINVS ipse etiam de Ciuitate Dei, libro duodecimo, capite vigesimoquarto, clarius hanc sententiam Platonis his repudiat.

Illi autem qui Platoni suo credunt, non ab illo summo Deo, qui fabricatus est Mundum, sed ab alijs minoribus, quos quidem ipse creauerit, permissu, siue iussu eius, animalia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum, Dijsque ipsis cognatum teneret locum: si superstitione careant, qua quærunt vnde iustè videantur sacra, & sacrificia facere, quasi conditoribus suis, facilè carebunt etiam huius opinationis errore. Neque enim fas est vllius naturæ, quamlibet minimæ, mortalisque Creatorem nisi Deum credere, ac dicere etiam antequam possit intelligi. Angeli autem quos illi Deos libentiùs appellant, etiamsi adhibent, vel iussi, vel permissi operationem suam rebus, quæ gignuntur in Mundo, tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum, atque arborum.

Et post capite vigesimoquinto eiusdem libri, omnium naturam, & omnium speciem vniuersæ creaturæ, non nisi opere Dei formari, his euincere contendit.

Cùm enim alia sit species, quæ adhibetur extrinsecus cuicunque materiæ corporali, sicut operantur homines, figuli, & fabri, atque id genus opifices, qui etiam pingunt, & effingunt formas similes corporibus animalium: alia verò, quæ intrinsecus efficientes caussas habet de secreto, & occulto naturæ viuentis, atque intelligentis arbitrio, quæ non solùm naturales corporum species, verumetiam ipsas animantium animas, dum non sint, facit: supradicta illa species artificibus quibusque tribuatur: Hæc autem altera non nisi vni artifici Creatori, & conditori Deo, qui Mundum ipsum, & Angelos sine vllo Mundo, & sine vllis Angelis fecit. Qua enim vi diuina, & vt ita dicam, effectiua, quæ fieri nescit, sed facere, accepit speciem, cùm Mundus fieret, & rotunditas Cæli, & rotunditas Solis: eadem vi diuina, & effectiua, quæ fieri nescit, sed facere, accepit speciem rotunditas oculi, & rotunditas pomi, & cæteræ figuræ naturales, quas videmus, in rebus quibusque nascentibus non extrinsecus adhiberi, sed intima Creatoris potentia, qui dixit, Cœlum, & Terram ego impleo; &, Cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Proinde facti primitus Angeli, cuiusmodi ministerium præbuerint Creatori cætera facienti nescio: nec tribuere illis audeo, quod fortè non possunt; nec debeo derogare, quod possunt. Creationem tamen, conditionemque omnium naturarum, qua fit, vt omninò natura sint, eis quoque fauentibus illi Deo tribuo, cui se etiam ipsi debere, quod sunt, cum gratiarum actione nouerunt. Non solum igitur agricolas non dicimus fructuum quorumque Creatores, cùm legamus: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Hier. 23. Sap. 8. 1. Cor. 3.

Progrediturque amplius Augustinus similitudine terræ proferentis germina, & fœminæ parturientis puerperium, idipsum demonstrare, cùm non ipsa, sed naturam operari in ipsis dicatur: Et exemplo artificis vrbem extruentis, cùm non ipse, sed Rex vrbis conditor nuncupetur.

PROSPER in Sententijs.

Nullius quamuis minimæ naturæ, nisi Deum Creatorem credi, aut dici licet ab aliquo. Quia etiamsi Angeli iussi, vel permissi adhibeant operationem suam rebus, quæ gignuntur in Mundo, tam non sunt creatores animalium, quàm nec agricolæ frugum, atque arborum.

DAMASCENVS Orthodoxę Fidei libro secundo.

Quicunque autem dicunt Angelos conditores esse cuiuscunque substantiæ, ipsi os Diaboli sunt, eorum quidem Patris. Creaturæ enim, cùm sint, non sunt conditores. Omnium verò factor, & prouisor, & contentor Deus est, solus increatus, qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto hymnis concelebratur, & glorificatur.

THEODORETVS Quæstione nona in Genesim.

Non præcepit Deus alteri cuidam creare, sed quæ non sunt, vocat, ita vt hic præceptum sit ipsa voluntas. Omnia enim, ait, quæcunque voluit, Deus fecit.

Psal. 113.

D. THOMAS (quem vnicum pro omnibus Scholasticis hac in re adduco)

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Deus.

a. *Creauit Deus, quia Creatio est actio, quæ soli Deo competit.*
b. *Non autem aliqua Creatura dispositiuè, vt instrumentum, cùm nulla possit esse dispositio in ijs quæ fiunt ex nihilo.*

co) prima parte, quæstione sexagesima quinta, articulo tertio, hanc deducit argu-
mentationem.
Considerandum est, quòd quanto aliqua caussa est superior, tanto ad plura se extendit in causando. Sem-
per autem id, quod substernitur in rebus, inuenitur communius, quàm id quod informat, & restringit ipsum;
sicut esse, quàm viuere; & viuere, quàm intelligere; & materia, quàm forma. Quanto ergo aliquid est
magis substratum, tanto à superiori caussa directè procedit. Id ergo quod est primo substratum in omnibus,
propriè pertinet ad caussalitatem supremæ caussæ. Nulla igitur secunda caussa potest aliquid producere,
non præsupposito in re producta aliquo, quod causatur à superiori caussa. Creatio autem, est productio alicuius
rei secundum suam totam substantiam, nullo præsupposito, quod sit vel increatum, vel ab aliquo creatum;
vnde relinquitur, quod nihil potest aliquid creare, nisi solus Deus, qui est prima caussa; & ideò, vt Moyses
ostenderet corpora omnia immediate à Deo creata, dixit; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram.

Verùm adeò exploratum, comprobatumque est istud axioma, tùm apud Patres ve-
tustissimos, tùm apud Scholasticos omnes eruditissimos, & ab Ecclesia diffinitum, axio-
ma inquam hoc, Deum, absque Angelorum, creaturarumve qualiumcunque ministe
rio, seu ope, Mundum, & quæcunque in Mundo sunt etiam exigua, conflasse, ut non sit,
cur amplius mentem fatigemus, & calamum comprimamus. An autem Deus Ange-
licæ, vel alteri creaturæ istam creandi facultatem impertitus sit, vel ipsarum ministerio
vsus fuerit, ex Scholasticorum doctrina inferius demonstrabitur.

a. *Creatio est actio solius Dei.*

Creatio quippe est actio solius Dei; nam vniuersalissimum effectum nullus potest producere, nisi vniuersalissima caussa.

D. THOMAS prima parte, quæst. quadragesima quinta, art. quinto.
Creare non potest esse propria actio, nisi solius Dei: oportet enim vniuersaliores effectus in vniuersaliores,
& priores caussas reducere. Inter omnes autem effectus, vniuersalissimum est ipsum esse: Vnde oportet, quod
sit proprius effectus primæ & vniuersalissimæ caussæ, quæ est Deus. Vnde etiam dictum est libro de caussis,
quòd neque intelligentia, vel anima nobilis dat esse, nisi inquantum operatur operatione diuina. Producere
autem esse absolutè, non inquantum est hoc, vt tale pertinet ad rationem creationis; vnde manifestum est, quòd
creatio est propria actio ipsius Dei.

Proficiscitur inde D. Thomas demonstrare, non posse, Deum hanc actionem creaturę
communicare, seu quòd nulla creatura, virtute Dei creare queat; contra Auicennam,
qui primam substantiam separatam, alteram creare, illamque efficere substantiam or-
bis, & animam eius: orbis denique substantiam, materiem horum inferiorum creare as-
seuerabat: Et contra Magistrum, qui quarto Sententiarum distinctione quinta, assere-
bat posse Deum creaturæ conferre, vt ministerio saltem, si non propria auctoritate crea
re ualeat. Demonstrat autem id rationibus & caussis nunc adducendis & subinferendis.

b. *Nulla creatura dispositiuè, ut instrumentum, creare potuit.*

Deus, & non aliqua creatura, Dei virtute creare potest, quoniam superflua esset, si aliquid non adijceret, quod à se prodiret, nil autem addere potuit dispositiuè, vt instrumentum; quia nulla præcurrit dispositio in ijs, quæ fiunt ex nihilo.

D. THOMAS loco asserto.
Caussa secunda instrumentalis non participat actionem caussæ superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis. Si igitur nihil ibi ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustrà adhiberetur ad agendum. Nec oporteret esse determinata instrumenta determina-
tarum

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Deus.

a. *Quia nulla creatura potentia infinita est prædita, quæ in Mundi effectione necessariò exposcebatur.*

tarum actionum: Sic enim videmus, quòd securis scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ formæ, producit scamni formam, quod est effectus proprius principalis agentis. Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, est illud, quod præsupponitur omnibus alijs, scilicet, esse absolutè. Vnde non potest aliquid operari dispositiuè, & instrumentaliter ad hunc effectum, cùm creatio non sit ex aliquo præsupposito, quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est, quòd alicui creaturæ conueniat, creare neque virtute propria, neque instrumentaliter, siue per ministerium.

a. *Nulla creatura, vt finita, Mundum efficere potuit.*

Deus, & non aliqua creatura, Dei etiam virtute, creare potuit; quia nulla potentiam habet infinitam, sicut nec esse infinitum: & producere ex nihilo, potentiam supponit infinitam.

D. THOMAS loco asserto, ad tertium.

Quamuis creare aliquem effectum finitum non demonstret potentiam infinitam, tamen creare ipsum ex nihilo, demonstrat potentiam infinitam. Quod ex prædictis patet; si enim tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, oportet, quòd virtus agentis ex nulla præsupposita potentia, quale agens est creans, sit infinita: quia nulla proportio est nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam præsupponit virtus agentis naturalis, sicut non entis ad ens. Et quia nulla creatura habet simpliciter potentiam infinitam, sicut neque esse infinitum; vt supra probatum est; relinquitur, quòd nulla creatura possit creare.

AVCTOR.

Creaturæ, an Dei virtute creare possint.

Non ignoro maximam esse controuersiam inter Scholasticos, cùm alij Magistrum sequantur, alij D. Thomam. Durandus enim secundo Sent. dist. prima, quæst. quarta, in Magistri sententiam proficiscitur; quinimmò & D. Thomas secundo Sent. dist. prima, quæst. prima. Et quarto, dist. quinta, quæst. prima, art. tertio: & quæstiuncula tertia Magistri sententiam approbat, quamuis hoc loco, & in quæst. de Potentia, oppositam assertionem habeat. Quapropter pro tantorum Doctorum reconciliatione, animaduertendum esse existimo, quòd alia creantur nulla præsupposita materia, nec ex qua, nec in qua, vt in Scholis aiunt, vt Angeli, & Chaos prima sua prosilitione producti sunt; & pro horum creatione nulla secunda caussa operari potest dispositiuè: Alia verò creantur non ex materia ex qua, sed ex materia in qua, vt anima rationalis: qua in effectione potest præcedere dispositio; anima siquidem non infunditur nisi in corpore organizato: Alia tandem sunt, quæ creantur ex materia ex qua; vel, vt melius dicam, compaginantur; vt aues, & pisces ex aqua, animantia ex terra effecta dicuntur; quo in genere creationis, dispositionem etiam præire posse non est ambigendum. Si igitur respiciemus earum rerum creationem, quæ ex materia in qua, vel ex qua producuntur, quemadmodum dispositio præsupponi potest; ita & creaturam aliquam, Dei virtute, vt ministram, vel instrumentum, creare posse non est negandum cum Magistro. At in prima rerum effectione, in qua, quæ facta sunt, prodiere ex nihilo, & non ex aliqua materia, siue in qua, siue ex qua, nulla certè creatura neque spiritualis, neque corporea, neque dispositiuè, neque instrumentaliter aliquid potuit operari, vt bene sensit D. Thomas. Sed hæc Scholis relinquamus.

Creationis rerum varia genera.

Cœlum

Cœlum, & Terram.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. Samaim verti poterat Cœlos, & Cęlum.
b. Et significat corpora quæque admiratione digna.

Cœlum, & Terram.

Hebraicus textus legit, Hèt Hasamaim, vehet haarez.
Chaldaica editio ita quoque legit. Græca, τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν.
Vulgata nostra, Cœlum, & Terram. Pagninus, & alij ab his non discedunt, nec Rabbini in obseruationibus Hebraicis.

a. Samaim verti poterat Cœlos.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Quia apud Hebræos, Cælorum nomen caret singulari numero, ideò interpres transtulit Cœlum: poterat tamen ad verbum transferri Cœlos, quoniam materia, de qua est sermo, non cogit ad interpretandum de vno Cœlo.

a. Sed melius dictum est Cœlum.

LVSITANVS econtrà in Genesim.

Duo hic admonebo: Alterum dictionem Samaim, idest Cœlum, non inueniri in singulari in sacris literis: quare verti poßet; In principio creauit Deus Cœlos. Psalmo enim habetur; Cœlum Cœli, aut Cœlum Cœlum Domino, idest, duo Cœli: quia tamen hoc capite vnius Cœli sub extensionis nomine mentio fit, potius hic Cœlum, quàm Cœlos vertendum putarem. Psal. 113.

LIPPOMANVS inquit.

Samaim reperitur solum in numero plurali; sed ponitur aliquando pro singulari, vt hoc loco; & aliquando pro plurali, vt eò loco. Audite Cœli, quæ loquor. Deuter. 32.

AVCTOR.

Disputandum non est, Samaim maioris esse numeri, cùm hoc clarissimum sit apud omnes eruditionis Hebraicæ non ignaros; nec etiam, quòd poni possit pro singulari, quia id obseruatum videmus in pluribus Sacræ Scripturæ locis. Ex significatione igitur, quam habere potest hoc loco, num Cœlos, vel Cœlum sit dicendum, excipere debemus. Caietanus, & cum eo D. Thomas, & Scholastici, qui per Cœlum, hoc loco Cœlestia corpora capiunt, Cœlos legendum esse libenter diiudicabunt. Cæterum prisci Patres, quorũ alij Cœli nomine Empyreum, alij supremum Orbem significari autumant, Cœlum in singulari vertendum esse diffinient. Verùm non discederem ego ab editione Chaldaica, Græca, & Vulgata nostra, quibus tantam adscriberem auctoritatem, vt hoc loco non Cœlestia corpora, sed vel Empyrei, vel supremi Cęli narrari effectionem iudicarem: quia Chaldæi, Septuaginta, & Hieronymus; Samaim, Cœlum, & non Cœlos, interpretati sunt.

b. Samaim, idest, corpora admiratione, & stupore digna.

LVSITANVS loco asserto.

De significatione verò nominis Samaim, licet variè sentiant Hebræi: putant tamen qui rectiùs sentiunt, à Samam deriuari potius, quàm à Sem, quod est nomen. Significat autem Samam præter alia, admirari, obstupescere: vt patet in Isaia: Quemadmodum, Samemù, idest obstupuerunt super te multi; quòd Cœlum sit corpus stupore, & admiratione dictum. Et secundum hoc, sensus esset; Creauit Deus Cœlos, idest corpora admiratione, & stupore digna. Isa. 52.

Sine

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Samaim Haarez: Coelum, & Terram.

a. *Hoc est corpora nominatissima, & famosissima.*
b. *Ponitur He, ante Samaim, & Eres, vt significatum insignem reddat.*
c. *Samaim, idest, ibi aquę.*
d. *Eres, significat Terram tum habitabilem, tum inhabitabilem, si radix eius est Eres.*
e. *Vel Terram siccam, seu fluidam, si radix eius est Rus.*

a. *Siue corpora nominatissima, & famosissima.*

LVSITANVS eodem loco.

Si verò radix sit, Sem, idest nomen, tunc Cœli dicentur Samaim, quòd sint corpora nominatissima, & famosissima. Vocat enim Hebraismus viros celebres, viros nominis, seu nominatos. Hi sunt potentes à sæculo viri nominis: quod noster vertit viri famosi. Gen. 6.

b. *Ponitur He ante Samaim, & Eres, vt significatum insignem reddat.*

LVSITANVS loco præcitato.

Alterum, quod te admonere vellem, est, quòd nomini Samaim in Hebræo adiungitur He, litera notificatiua, quæ cùm nomini iungitur, significatum eius insignem reddit. Nam si dicas Nabi, idest Propheta, vulgarem significabis. Si verò præponas He, dicendo Hanabi, iam insignem designabis. Nam sensus est; Propheta ille, scilicet insignis. Si ergo hic discrimen hoc obserues, iam interpretaberis; In principio creauit Deus Cælos illos insignes, ac celebratos. Quæ quidem litera He, etiam additur sequenti dictioni, scilicet Eres, idest Terram, vt sit Haares, vt vertere liceat: & Terram illam; scilicet insignem magnitudine, & pulchritudine.

c. *Samaim, idest, ibi Aquæ.*

LIPPOMANVS in Catena.

Samaim, nomen est compositum secundum Hebræos, à positione Cæli, & aquis. Vnde & Cœlum Chrystallinum veteres nominarunt ex aquis compactum, quod vsu vulgi, dum depluunt pluuiæ, chrystallum illud ferè liquefieri videtur.

Verùm, quid sit iudicandum de his significationibus, in expositione clausulæ illius; Et vocauit firmamentum Cœlum, exactius habebimus.

d. *Eres, significat terram habitabilem, & inhabitabilem.*

LVSITANVS vt supra.

Est etiam aduertendum nomen Eres, idest terra: quod hic ponitur, significare propriè apud Hebræos terram, tam habitabilem, quàm inhabitabilem, & in hoc differre à Tebel, idest, Orbis: Nam hoc Orbem habitabilem significat.

e. *Vel Terram siccam, seu fluidam, vt est arena.*

LVSITANVS vt supra.

Sunt tamen inter Hebræos, qui putant literam Aleph in nomine Eres, esse addititiam, & non radicalem; & radicem nominis Eres, esse Rus, quod est currere; vt Eres, significet terram siccam, seu fluidam, qualis est arena; quorum sententiam textus ipse iuuare videtur, qui hoc eodem capite dicit appellasse Deum aridam, idest exiccatam partem terræ, terram: eam verò, quæ sub aquis erat, vocasse maria. Puto tamen, Eres esse per se radicem.

Quicquid sit de harum significationum diuersitate, hoc vnum ignorare non debemus, hoc loco terræ nomine explicari terræ elementum, vt aquis subiacebat, siue cœnosam, lutosamque superficiem gereret, siue fluidam, & certè inhabitabilem, & eius fortè generis, cuius est nunc solum in profundo pelagorum, lacuum, & fluminum.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Coelum, & Terram.

a. *Cœli, & Terræ nomine, totius Mundi opificium summatim proponitur, nec aliquid effectum narratur.*

TERRA, & Cœlum hæc duo nomina, quid hoc loco significent, cùm interpretari cogor, in Labyrinthum Cretensem certè me raptum video. Locus enim hic multiplices, diuersas, atque aduersas habet interpretationes apud Patres: diuersas, inquam, adeoque repugnantes, vt quæ uera sit, atque genuina, dijudicare non audeam. Sed fune ordinis mihi præscripti non omisso, per hunc labyrinthum minimè vagari studebo; eo maximè, quòd ex huius loci clara, & vera interpretatione, omnem Mosis narrationem, claritatem, & ordinem suscipere non ignorem. Verbis enim his Chaos quoddam certè nobis exponitur, cuius distinctionem, & ornatum haud assequemur, nisi prius distinctè, & clarè quid ipsum fuerit, cognoscamus.

a. *Cœli, et Terræ vocibus, non quid peculiare à Deo effectum significatur, sed summatim totius Mundi opificium proponitur.*

Prima ea se nobis offert sententia, quæ hoc loco Mosem argumento vti, hisque verbis strictim, ac summatim totum opus diuinum, quod post dierum spatio successiuè faciendum erat, quasi argumento proponi contendit: ea serie, qua posset aliquis dicere. Salomon Rex ille pacis, qui magnificatus est vehementer, amplissimum condidit Templum: Deinde prosequeretur Templi structuram sic enarrare: Primo ex ingentibus saxis, ipsisque expolitis iecit fundamentum, postea parietes marmoreos extulit: Pari ratione isti, Mundi omne opificium, Cœli, ac Terræ nomine complecti asserunt; quoniã Cœli nomine, cœlestia omnia, & Terræ uoce, terrestria, seu elementata (quæ in processu sex dierum producenda erant) cumulatè comprehenduntur.

AVGVSTINVS inter plures, quas habet huius loci interpretationes, hanc non omisit, secundo de Genesi contra Manicheos, capite tertio.

Vel certè prius totam creaturam Cœli & Terræ nomine proposuerat dicendo; In princio fecit Deus Cœlum, & Terram & postea particulatim per ordinem dierum, sicut oportebat, propter prophetiam, quam in primo libro commemorauimus, Dei opera exequutus, exponit.

Et duodecimo Confessionum, capite decimo septimo.

Quid est illud? nomine, aiunt, Cęli & Terræ, totum istum visibilem Mundum prius vniuersaliter, & breuiter significare voluit, vt postea digereret dierum enumeratione, quasi articulatim vniuersa, quæ Sancto Spiritui placuit sic enunciare: tales quippe homines erant rudis ille atque carnalis populus, cui loquebatur, vt eis opera Dei non nisi sola visibilia commendanda iudicaret.

CYRILLVS Alexandrinus contra Iulianum libro secundo.

Igitur, quando Moses dicit; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram: intellige, quòd complexim quidem, & quasi in parua tabula omnia comprehendens, totius naturæ enarret natiuitatem. Deinde procedit pulchrè ad dicendum, quomodo ornatus, ac dispositus sit Mundus, & quomodo singulæ creaturæ suam pulchritudinem sortitæ sint, nempè, verbo potentissimo ipsum omnia condidisse inquit.

D. THOMAS prima parte, quęstione sexagesima octaua, articulo tertio.

Dicendum, quòd secundum Chrysostomum, primò Moyses summariè dixit, quid Deus fecit præmittens; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; postea per partes explicauit: sicut si quis dicat; Hic artifex fecit

domum istam: & postea subdat; Primò fecit fundamenta, deinde erexit parietes, tertio superposuit tectum.

STEVCHVS in Cosmopœia hanc sententiam & ipse sequi visus est.

Proponit totum opus ante oculos, vt auctorem Mundi ostendat, quidquid oculis aspicimus à Deo quondam docens creatum, ac constitutum; vt si cui peregrino, primùm Romam contemplanti, obuius quis diceret; Hæc vrbs, quam cernis, à Romulo condita est: Deinde assumens totam conditionem, eamque per partes suas distribuens, ostenderet singula.

PAVLVS Burgensis additione prima, interpretationem hanc Chrysostomo adscribit, & ipse eam prolixiori oratione prosequitur; contenditque Cœli nomine non Empyreum, seu Orbem supremum, seu Sydereum solum, seu Planetarum orbes; sed simul omnia Cœlestia significari; & Terræ nomine non aridā, seu elementum Terræ, sed totam substantiam generabilium, & corruptibilium notificari.

In primis igitur, quoddā summariū totius Diuinæ operationis, seu creationis, in toto spatio sex dierum contentū, Moyses videtur proponere, cùm dicit; In principio creauit Deus Cœlū & Terram: In his enim verbis secundum Chrysostomum, præmittitur summariè, & compendiosè totum opus diuinum, circa creationem, distinctionem, & ornatum Mundi in omnibus sex diebus primis successiuè factum: sicut si quis dicat, talis artifex ædificauit hanc domum: & postea subdatur; Primò iecit fundamenta, secundò erexit parietes, & tertiò suprapposuit tectum, & huiusmodi: secundum quam expositionem, cùm dicitur Deum creasse Cęlum, & Terram, intelliguntur omnia cœlestia, & terrena esse à Deo creata, quæ in processu sex dierum fuerunt creata, seu producta; & hoc videtur sentire Basilius in Hexęmeron, qui super hoc verbum Creauit Cœlum, & Terram, sic dicit; Ex duobus autem quæ extrema sunt totius existentiam ænigmaticè significat, & sic non oportet per Cœlum in hoc loco intelligi Empyreum tantùm, vel Sydereum, seu firmamentum, & huiusmodi; sed simul omnia Cęlestia in hoc intelligenda sunt: similiter per Terram in hoc loco non solum intelligenda est arida, seu elementum Terræ, sed tota substantia generabilium, & corruptibilium, tam elementorum, quàm mixtorum in prædictis sex diebus à Deo productorum.

Gen. 2.
Exod. 31.
Hier. 23.

Contendit amplius hunc esse tropum Scripturarum, vt Cœli, & Terræ nomine, totum Vniuersum denotetur: sicuti est illud; In die qua fecit Deus Cœlum & Terrā: Et illud; Sex diebus fecit Deus Cœlum, & Terram: item & illud; Nunquid non Cęlum, & Terram ego impleo? & similia. Et doctrina Apostolica; Credo in Deum Creatorē Cęli, & Terræ; quibus omnibus locis integritatem Vniuersi nomine Cęli & Terræ significari constat; adeò, vt superfluum sit inuestigare, de quo Cœlo, & de qua Terra Moses nunc loquatur; seu cuius Cœli, siue elementi, effectio tradatur; cùm hic omnia sint comprehensa.

AVCTOR.

Cœli & Terræ nomine non summariè Creationis opus traditur.
Gen. 1.

Sed aduersus hanc interpretationem euidentes emergunt difficultates. Primùm si hoc loco totum opus creationis summariè proponitur, nec quid describitur tunc verè fuisse conditum; vndenam Moses exordium auspicatur suæ historicæ enarrationis, qua cunctarum dicti Vniuersi partium emolitionem singulatim tradit? Si ab opere primæ diei; quid est illud, quod describit, cùm ait; Terra autem erat inanis & vacua, si aliquid fuisse creatum ante primum diem, non adhuc dictum est? Quę Terra inanis & vacua? quæ tenebrę? quæ facies abyssi? quæ aquæ? qui spiritus Domini delatus super aquas esse poterat? Certè omnis historia Mosis, quę dilucida à nitido manat fonte, obscuratur, ac Lectoribus, vt Camelis aqua, perturbatur. Quòd si historica narratio Mosis ab his verbis incipit; Terra autem erat inanis & uacua; cùm hæc sit quædam descriptio, nonne ineptum est putare, id describere Mosem, quod effectum fuisse ante, non narrauerit? Deinde hæc copulatiua, Autem, quid copulat? quid connectit? Certè si id describit, quod non recensuit effectum, adiecta copula, Autem, Mosis historia, & manca censebitur, quia Chaos genesim non narrarit, & incongrua, quod per copulatiuā, Autem, describere incipiat id Chaos, cuius primùm genituram non recensuerit. Verùm Chrysostomi, & Cyrilli assertio rectiùs interpretari potest, si dicamus æstimasse eos, verba illa, Creauit Deus Cœlum & Terram, summam esse rerum in primordijs temporum à Deo productarum confusè, quasi in Chaos elementis commiscelato; sequentique enarratione, Terra autem erat inanis & uacua, Chaos informe describi, vt inde per sex dies formationis modus postea enarretur. Augustinum verò sub hæsitatione illud dixisse, perspicuum est, & quòd non huic sententiæ acquiescat; vt infra conspiciemus. Verùm Steuchus quomodo Syrtim hanc elabi possit, non video. Ipse enim Mundum delapsu

tempo-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Coelum, & Terram.

a. *Idest, Idæas Cęli & Terræ.*

temporum conditum credit, ac primò Chaos quoddam ex aquis & terra preextasse vo-
luit; ita vt prima die ex eo Deus Cœlum, ac Solem eduxerit; secunda verò Solis ardo-
re aërem; tertia eiusdem Solis virtute, absumptis aquis, maria coëgerit, & terram denu
darit. Nam vel huius ab ipso conficti Chaos emolitionem suppressit Moses, vel non: si
suppressit, nōne redarguēdus est, quia dū Mundi genesim coaceruat, Chaos illud, quòd
primum prosilijt, & ex quo seiunctus, venustatusq; est Mundus, prætermiserit? Deinde
nonne potius de distinctione Mundi censenda esset hęc historia, quam de creatione? Ac
tertiò, nonne Philosophorum, Ethnicorūq; sententiam, qui materiam ingenitam ante
constitisse autumant, approbare videbitur?

STEVCHVS autem inquit.

*Chaos Genesim enarrat Moses, cùm ait; Terra autem erat inanis, & vacua. Hoc principium descriptionis,
hinc fieri quondam Mundus à Deo, à Mose postea cœpit describi, re à Deo, sermone creatus à Mose. Terram
dicit id, quod postea terra vocatum est, explicatque quo hæc creata sit modo. Duas habuit terra creationes à
Deo, easque ambas à Theologis commemoratas. Prima cùm vnà cùm aquis est effecta vna rerū sylua, vna con-
geries homeomeriaque: hanc innuit, cùm ait; In principio creauit Deus Cælum, & Terram. Secunda creatio ter-
tia die fuit, cùm ab aquis est segregata.*

Sed num hæc sit structuræ Chaos narratio, num eius speciei, siue formæ descriptio,
diiudicent ipsi ingenui lectores. Burgensi quidē assentio Cœli & Terræ nomine intel-
ligi posse totum Vniuersum, ex eò quòd tanquam extrema ipsum comprehendant, vt
dixere Basilius, Ambrosius, Nyssenus, & alij. Sed insisto, & assero Vniuersi creationem,
vt in Chaos manauit, hic tradi non summariè, veluti post per partes enarrandam, sed vt
effectam actu proponi, quod euincunt iam adductæ argumentationes: Nec video, da-
to, quòd compendio totum opus diuinum descriptum præmittatur, vt post secundum
singulas partes explicetur; cur tunc de quauis Vniuersi parte, num eius conditio singu-
lariter tradatur, & qua serie, & loco, inuestigare non possimus. Quòd autem Chrysosto-
mum nuncupat huius sententiæ assertorem, fateor certè me locum non comperisse: ar-
bitror attamen id ex eius doctrina elici posse: siquidem cùm Angeli mentionem pror-
sus obliteratam fuisse diffiniat, Empyreum nunquam commemorarit, vt infra in quæ-
stionibus de Angelorum, & Empyrei genesi deducemus; Cœlum verò esse vnum au-
tumet, idque secundo die compactum: superest, vt Cœli, ac Terræ nomine, hoc loco
nil aliud præter summam totius operis creationis, seu cœlestia, terrestriaque omnia in-
telligere potuerit. D. Thomas parte prima, quæstione sexagesima octaua, articulo pri-
mo, idipsum Chrysostomo adscribit, vt retulimus.

a. *Idæas Cœli, & Terræ.*

IVSTINVS, Platonem fuisse huius sententiæ primum assertorem, in
Admonitorio adnotauit, cùm ipsum Idæarum doctrinam à Mose sumpsisse, hæcq; no-
mina Cœli, & Terræ, ad Idæas ipsas retulisse his scribit.

*Qui Plato post Deum, atque materiam, tertij ponendi principij, quod speciem dixit, non aliunde quàm à Mo-
se sumpsisse occasionem videtur. Nanque speciei nomen ex Mosis verbis percepit; minimè tamen edoctus
ab his, qui nouerant; nihil enim eorum, quæ à Mose dicta sunt, absque speculatione mystica clarè cognosci vn-
quam potest. Scripserat nimirum Moses, veluti ex persona Dei ad se, de Tabernaculo loquentis; Sic autem* Exod. 25.
facias mihi secundum omnia, quæ in Monte monstrauero, exemplar Tabernaculi: atque iterum; Et constitues Exod. 26.
Tabernaculum secundum exemplar omnium partium eius. Et Post. *Sic igitur facies secundum formam
tibi in Monte monstratam. In hæc igitur incidens Plato, & non ea, qua decebat contemplatione suscipiens, au-*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Coelum, et Terram.

a. *Idest, Naturam inuisibilem, & visibilem.*
b. *Seu, Intelligibilem substantiam, & sensilem.*
c. *Vel, Spiritualem creaturam, & corporalem.*

tumauit speciem separabile quiddam esse, & rei sensibili praeexistere; quod & rerum, quae fiunt, exemplar saepius appellauit. Quoniam verò de Tabernaculo Mosis hoc litera significat, secundum speciem, quae ostensa tibi est in monte, sic illud efficies, & in terra, item in Caelo, & in homine, ludificatus videtur Plato, vt horum scilicet ideas esse putauerit. Nanque vti scripserat Moses; In principio creauit Deus Caelum, & Terram, & deinde subdiderat; Terra autem erat inanis, & vacua, idest inuisibilis, & incomposita: existimauit hanc de qua loquitur, Terra autem erat, praeexistentem Terram dictam fuisse: quandoquidem ita disseruit; Terra autem erat inuisibilis, & incomposita. Illa autem de qua scriptum est; Fecit Deus Cęlum, & Terram; arbitratus est ipsam illum dicere terram, quae à Deo, iuxta praeexistentem speciem, condita fuisset. Pari pacto, & de condito Cęlo putauit. Id nanque quod creatum fuit, cuique firmamenti nomen inditum est, sensibile factum opinatus est. Aliud autem esse intelligibile, de quo Propheta dicat, Cęlum Cęli Domino, Terram autem dedit filijs hominum. Et ad hunc pariter modum arbitratur Plato de homine, cuius primo meminit Moses.

Psal. 113.

PHILO de Mundi opificio tam ea, quae ante diem primaeuum, quàm ea quae primo die condita scribit Moses, ad Mundum Idaealem refert; Coeli, Terraeque nomine ideas Coeli, & Terrae his interpretatur.

Itaque ante omnia conditor fecit, in Mundo intelligibili Cęlum incorporeum, & Terram inuisibilem, & aëris idaeam, & vacui. Hunc vocauit tenebras, vtpote atrum naturaliter; vacuum verò abyssum, profundissimum enim est, & dehiscit patentissime. Deinceps fecit aquae incorpoream essentiam, itemque spiritus, denique postremam lucis septimam, aeque incorpoream, & exemplar Solis intelligibile, omniumque stellarum, quae Cęlo lucem erant illaturae dignatus priuilegio lucem, & spiritum.

Verum Platonica haec interpretatio, vti in aëre appensa, mox ex seipsa ruit. Primùm nanque ideas non separatas, vt autumauit Plato, sed in diuina mente insitas consistere; nec in tempore, vt visus est Philo censuisse, sed ab aeterno manasse, vera Theologia edocet. Deinde procul abest, vt Moses historici munere fungens, rudibus Hebraeis Mundum intelligibilem, atque ideas vix à perspicacibus ingenijs comprehensas proposuerit, obieceritque, ac vna eademque historiae serie ab intelligibilibus, ad corporeas res transierit.

a. *Naturam inuisibilem, & visibilem.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite tertio.

An Cęlum omnis creatura sublimis, atque inuisibilis dicta est, Terra verò omne visibile, vt etiam sic possit hoc, quod dictum est; In principio fecit Deus Cęlum, & Terram, vniuersa creatura intelligi? Fortasse quippe non incongruè in comparatione inuisibilis creaturae, omne visibile terra dicitur, vt illa Caeli nomine nuncupetur. Quoniam & anima, quae inuisibilis est, cùm rerum visibilium amore tumesceret, & earum adeptione extolleretur, Terra dicta est; sicut scriptum est; Quid superbis Terra, & cinis?

Eccles. 10.

b. *Intelligibilem substantiam, & sensilem.*

AMBROSIVS libro secundo de Abraham, capite octauo exponit.

Qui fecit Cęlum, & Terram, hoc est, intelligibilem, & visibilem substantiam: intelligibilis enim idea, est Cęlum: & visibilis, vel sensibilis substantia, Terra est.

c. *Spiritualem creaturam, et corporalem.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, cap. primo, ait.

Et quid significetur nomine Cęli, & Terrae, vtrum spiritalis, corporalisque creatura Cęli, & Terrae vocabulum acceperit.

ANSELMVS Laudunensis in glossa interlineari.

Idest spiritualem, & corporalem creaturam.

ANA-

Cœlum, & Terram.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Hoc est, Creaturam superiorem, & inferiorem.*
b. *Aut, Continens, & Contentum.*

ANASTASIVS Synaita Commentarijs Hexęmeron libro primo expressius eadem habet.

Sic enim dicit; In principio fecit Deus Cęlum, & Terram. Cęlum quidem simul comprehendendo nominat omnes cęlestes, & intelligentes, sanctarum virtutum, & intelligentis Mundi constitutiones, vt intelligas supernum Mundum prius fuisse fabricatum, congruenter voci Theologi, quæ dicit: Primum quidem mente cogitauit Angelicas virtutes, & Cęlestes; & cogitatio opus fuit: Nunc autem rursus hunc Mundum sensilem, & qui cernitur, simul complexus, cum ipso Cœlo, etiam omnia, quæ super Terram cum homine facta sunt, & sunt, res inquam, animatas & inanimas. Nam cùm dixit; In principio fecit Deus Cęlum, sustulit mentem tuam ad creationem superni ordinis. Deinde cùm subiunxit, Et terram; dimisit mentem tuam ad posituram inferni adimplementi, cuius vniuersam exhibuit comprehensionem à parte, nempe à terra; docens te non solum nosse terram, sed etiam Cœlum, quod eam ambit, ac continet: Synecdochicè veluti quodam termino complexus, per duas dictiones opificium, & creationem Mundi, qui aspicitur; & Mundi, qui intelligitur, quem in principio fecit Deus: in principio inquam, paterno, nempe ratione, seu Verbo: In ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt.

a. *Idest, vniuersam creaturam superiorem, & inferiorem.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite tertio.

Potest enim Cęlum, & Terra pro vniuersa Creatura positum videri, vt & hoc visibile, æthereum firmamentum, Cęlum appellatum sit, & illa creatura inuisibilis supereminentium potestatum, rursusque Terræ omnis, inferior pars Mundi cum animalibus, quibus inhabitatur.

PETRVS Riga Remensis, quem Sixtus Senensis in sua Bibliotheca circa annum Domini Millesimum centesimum septuagesimum floruisse tradit, in libro nuncupato Aurora.

Accipe cum Cœlo Cœlestia quæque creari,
Aethereas species, Angelicumque decus;
Materiam, de qua terrestria singula surgunt,
Terra tulit secum, quando creata fuit.

Comperitur liber hic manuscriptus in Bibliotheca illa nostra Cœnobij Sancti Ioannis in Viridario, quam Bernardinus Scardeonius, libello de Rebus Patauinis mirificè commendat.

b. *Continens, et contentum; hoc est Cœlum cum Angelis, Mundum ex elementis constantem.*

PETRVS Comestor in principio Historiæ Genesis, inquit.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram, idest continens, & contentum; idest Cœlum supernum, & Angelicam naturam: Terram verò materiam omnium corporum; idest quatuor elementa, idest Mundum sensibilem ex his constantem.

Hæ duæ interpretationes, quanquam diuersæ in modo explicationis, idipsum attamen dicunt: differunt autem à supradictis tribus, quia illæ Cœli, & Terrę nomine, spiritualem creaturam tantùm, & corporalem, significari arbitrabantur; adeò vt Cœlum tantùm spiritualem denotaret, Terra autem solum corporalem: hæ verò per Cœlum, intelligant quid aggregatum ex spirituali, & corporali, scilicet Angelum, & Cœlum, & per Terram, non omnem corpoream essentiam capiant, sed elementarem tantùm.

Cæterum quinque supradictę interpretationes, in vnum ferè proficiscuntur.

Idest

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum, & Terram.

a. *Ideſt, Cęleſtem ſupernam, & Elementarem infernam naturam, hoc eſt Corpora Cœleſtia & Elementa,*

b. *Vel, informem illam Materiam, ex qua formari poterant Cœlum & Terra.*

a. *Ideſt Cœleſtem naturam ſupernam, & elementarem infernam.*

AVGVSTINVS de Geneſi ad literam, libro primo, capite primo, inquit.

An tantummodo corporalis, vt in hoc libro de ſpiritali tacuiſſe intelligatur; atque ita dixiſſe Cœlum, & Terram, vt omnem creaturam corpoream ſuperiorem, atque inferiorem ſignificare voluerit.

Et libro Quæſtionum ex vtroque Teſtamento, quæſtione centeſima ſexta.

Arbitramur, quia Moyſes, vt omnem errorem inferioris creaturæ auferret, & impenſarum facti Mundi, in principio ſubſtantias ipſas, ex quibus Mundus conſtat, factas eſſe ſignificauit: quia ſi hoc tacuiſſet, æternæ fortè putarentur eſſe ſubſtantiæ Deo iugabiles æſtimatæ: vt qui huius rei teſtimonium recipit, ambigere non poſſit factum eſſe Mundum, quando ſubſtantias, quæ ad impenſas Mundi profecerunt, initio ſubiectas fatetur. Igitur in principio fecit Deus Cœlum, & Terram, ideſt ſupernam, & infernam ſubſtantiam. Superna eſt, qua conſtat Cęlum: inferna autem concretio eſt quædam fæculenta, quæ profecit in aridam, quę dicitur terra, & tenebras.

ATHANASIVS libro de Incarnatione Verbi Dei.

Sub appellatione autem Cœli, & Terræ, omnia quæ in Cœlo, & in Terra genita ſunt, complexa voluit.

COMESTOR in Hiſtoria Scholaſtica, capite primo.

Quidam Cœlum ſuperiores partes Mundi ſenſibilis intelligunt; terram inferiores, & palpabiles.

GLOSSA interlinearis.

Omnem creaturam corporalem, ſuperiorem, & inferiorem.

HVGO Carenſis in Poſtillis.

Cœlum, ideſt ſuperlunarem regionem, Terram inferiorem.

RABBINI Hebręi, teſte Hamero Commentarijs in Geneſim.

Nomine Cęli vocant omnia hæc viſibilis Mundi, quæ ſupra Lunam ſunt; & quæ ſubter ſunt, appellant Terram, vt ſit tanquam ſuperior quidam Mundus, & inferior. Itaque cùm legunt; In principio creauit Deus Cœlum & Terram, Symbolicè Cœlum ſumma, terram infima deſignare putant, hoc modo interpretantes; In principio creauit Deus ſumma, & infima, quo nimirum arbitrantur ſimplicem, & immaterialem Mundum ſumma continere; compactum verò, & cæmentarium hunc infima.

b. *Informem illam materiam, ex qua poterat eſſe Cœlum, & Terra.*

AVGVSTINVS libro primo de Geneſi contra Manichæos, capite ſeptimo, naturæ cœleſtis, & elementaris informitatem ſignificari hoc loco expreſſius his edocet.

Informis illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata eſt primo Cęlum, & Terra: & dictum eſt; In principio fecit Deus Cœlum & Terram; non quia iam hoc erat, ſed quia hoc eſſe poterat. Nam & Cœlum ſcribitur poſtea factum. Quemadmodum ſi ſemen arboris conſiderantes, dicamus ibi eſſe radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia, non quia iam ſunt, ſed quia inde futura ſunt. Iſto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cùm dicit; Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis; non quia iam factum erat, ſed quia certiſſimè futurum erat. Nam poſt paululum dicit illis; Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Vt quid ergo dixerat; Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis; niſi quia ſe ſciebat hoc eſſe facturum.

Ioan. 15. Ioan. 16.

Et libro de Geneſi ad literam imperfecto, capite tertio.

Sed quæri poteſt, vtrum iam diſtincta, & compoſita omnia dixerit Cęlum, & Terram, an ipſam primo informem vniuerſitatis materiam, quæ in has formatas, & ſpecioſas naturas Deo ineffabiliter iubente digeſta eſt,

est, Cœli, & Terræ nomine nuncupauerit? Quanquam enim scriptum legerimus; Qui fecisti Mundum de informi materia, tamen etiam ipsam materiam cuiusmodicunque sit, non possumus dicere non ab eo factam, ex quo omnia confitemur, & credimus. Vt etiam ipsa digestio & ordinatio, singularum quarumcunque rerum formatarum, & distinctarum Mundus vocetur: ipsa verò materies Cœlum, & Terra, veluti semen Cęli appellata sit, quasi confusum, atque permixtum ab artifice Deo accipiendis formis idoneum. Hactenus de hoc quęsitum sit, quod dictum est; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram; nihil enim horum temerè affirmare potuit. Sap. 11.

AVGVSTINVS de Gen. ad literã primo, cap. quartodecimo, cùm demonstrasset Terræ & aquæ vocabulo, non hæc elementa intelligi debere: concludit propterea inde, Terræ nomine non aliud accipiendum, quàm materiam primam.

Hæc enim consideratio suasit, quoniam manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari: simulque illud & Catholica Fides perscribit, & certissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium rerum, non solum formatarum, sed etiam formabilium, inchoatore Deo, atque Creatore; de quo etiam dicit ei quædam Scriptura; Qui fecisti Mundum ex materia informi: hanc materiam illis verbis, quibus pro spiritali prudentia tardioribus etiam lectoribus, vel auditoribus congrueret, fuisse commemoratam, quibus ante dierum enumerationem dictum est; In principio fecit Deus Cęlum, & Terram. &c. donec diceretur, Et dixit Deus, vt deinceps formatarum rerum ordo consequeretur.

Edocet deinde materiam eam formam non præcessisse, idque demonstrat eleganti exemplo vocis, & verbi.

Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit vtrunque simul concreatum, & vnde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba verò formatam vocem indicant: non autem, qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: Ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcunque naturarum, quasi secunda consideratione formauit; formatam quippè creauit materiam. Sed quia illud vnde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quàm illud, quod inde fit, potuit Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diuisit. Si enim quæratur, vtrum vocem de verbis, an de voce verba faciamus, non facilè quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respondeat, ita quamuis vtrunque simul qui loquitur faciat, quid vnde faciat naturali attentione satis apparet. Quamobrem cùm simul vtrunque Deus fecerit, & materiam quam formauit, & res, in quas eam formauit, & vtrunque à Scriptura dici oportuerit, nec simul vtrunque dici potuerit, prius illud vnde aliquid factum est, quàm illud quod inde factum est dici debuisse quis dubitet? Quia etiam cùm dicimus materiam, & formam, vtrunque simul esse intelligimus, nec vtrunque simul possumus enunciare. Sicut autem in breuitate temporis contingit, cùm duo ista verba proferimus, vt alterum ante alterum proferamus: ita in prolixitate narrationis, alterum altero prius narrandum fuit; quamuis vtrunque, vt dictum est, simul fecerit Deus: vt quod sola origine prius est in faciendo, etiam tempore prius sit in narrando: quia duæ res, quarum etiam altera nullo modo prior est, nominari simul non possunt, quanto minus simul narrari? Non itaque dubitandum est, ita esse istam informem materiam propè nihil, vt non sit facta nisi à Deo, & rebus, quæ de illa factæ sunt, simul concreata sit.

HVGO Carensis in Postillis.

Cœlum & Terram, idest vtriusq; materiam informem: materia verò de nihilo facta est: sed Mundus de materia informi.

Hæc expositio reijcitur à nonnullis: primum, quia vt figurata, voces Cęli & Terrę, trahit ad inusitatas & improprias significationes: Deinde nimis insolens videtur, materiã primam ideò appellari Cœli & Terræ nomine, quia ex ipsa formanda essent illa corpora; quoniam pari ratione potuisset uocari aqua, & aër, & ignis. Præterea, consentaneum non videtur voluisse Mosem Hebræis rudibus, & indoctis, materiem primam notificare, quæ vix à doctis, & eruditis comprehendi potest. Nec tandem est arbitrandum, quòd creationis effectus tantùm à scripturis magnificatus fuerit materia ea prima omnium infima, & vilissima; vbique enim prædicant Scripturæ Cœli, & Terræ productionem, ut quid singulare, & excelsum.

a. *Idest Angelum beatum, & materiam corporalem.*

AVGVSTINVS de Gen. ad literam libro primo, cap. primo.

An Cœlum intelligendum est creatura spiritalis ab exordio, quo facta est, perfecta illa, & beata semper: terra verò corporalis materies adhuc imperfecta; quia terra, inquit, erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super Abyssum? quibus verbis videtur informitatem significare substantiæ corporalis.

GLOS-

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Coelum, & Terram.

a. *Idest, Angelum beatum, & Materiam corporalem.*
b. *Vel, informem Materiam rerum spiritualium & corporalium, siue Angelum in pura natura, & Materiam primam.*

GLOSSA ordinaria.

Cęlum creatura spiritualis ab exordio perfecta, & beata; Terra corporalis materies adhuc imperfecta.

b. Idest informem materiam rerum spiritualium, et corporalium.

ORIGENES Homilia prima in Genesim.

Isa. 66. *Fecit Deus Cœlum prius, de quo dicit; Cœlum mihi sedes est.* Et post. *Firmamentum. Cùm enim ea, quæ facturus erat Deus, ex spiritu constarent & corpore, ista de causa in principio, & ante omnia, Cęlum dicitur factum, idest, omnis spiritalis substantia, super quam, velut in Throno quodam, & sede, Deus requiescit.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, capite primo.

An vtriusque informis materia dicta est Cęlum, & Terra, spiritalis videlicet vita, sicuti esse potest in se non conuersa ad Creatorem: tali enim conuersione formatur, atque perficitur; si autem non conuertatur, informis est: corporalis autem, si possit intelligi per priuationem omnis corporeæ qualitatis, quæ apparet in materia formata, cùm iam sunt species corporum, siue uisu, siue alio quolibet sensu corporis perceptibiles. Et post. *An vtriusque informitas his etiam posterioribus verbis significatur. Corporalis quidem, eò quòd dictum est; Terra erat inuisibilis, & incomposita: spiritalis autem, eò quòd dictum est; Tenebræ erant super abyssum; vt translato verbo, tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi conuertatur ad Creatorem; quo solo modo formari potest, vt non sit abyssus; & illuminari, vt non sit tenebrosa: & quomodo dictum est; Tenebræ erant super abyssum? an quia non erat lux? quæ si esset, vtique superesset, & tanquam superfunderetur. Quod tunc fit in creatura spiritali, cùm conuertitur ad incommutabile, atque incomparabile lumen, quod Deus est.*

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite primo.

Cęli nomine, quidam cęlestem, idest Angelicam creaturam creatā extimant. Ad cuius comparationem Cœlū hoc corporeum, terra nuncupatur. Terræ autem nomine, materiam illam informem insinuat, ex qua hoc visibile Cœlum, & Terra, & vniuersa moles huius Mundi formata est. De qua scribitur; Qui fecisti Mundum de
Sap. 11 *informi materia. Sed materia facta est ex nihilo, Mundi autem species de informi materia, quæ Cœli, & Terræ nomine appellata est, non quia iam hoc erat, sed quia iam hoc inde esse poterat. Primò igitur voluit Cœlum, & Terram, velut quandam spiritalem, corporalemque materiam dicere; & sic quemadmodum sigillatim facta sunt, ordinem texere.*

BEDA in primum caput Geneseos.

Quod ergo dictum est; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; materiam totius creaturæ ostendit, rationalis & corporalis, idest, Angelorum, & huius Mundi. Vtrunque igitur fecit Deus; materiam, & formam; sicut vox, & verbum simul fit, quamuis vox prior sit origine. Denique Scriptura ait; Qui fecisti Mundum de materia informi. Sed materia facta est de nihilo: Mundi verò species, de informi materia. Et Post. *Proinde duas res ante omnem diem, & ante omne tempus condidit Deus, Angelicam videlicet creaturam, &*
Eccl. 18. *informem materiam; quamuis enim omnia simul facta sunt. Qui enim, inquit Salomon, viuit in ęternum, creauit omnia simul: sed tantùm, vt prædiximus, originem materiæ informis formatam speciem, sicut vox verbum antecedit.*

Glossa ordinaria consimilia supradictis desumpsit.

BEDA quæstionibus in Genesim.

Primò igitur voluit Cœlum, & Terram, velut quandam spiritalem, corporalemque materiam dicere: & sic quemadmodum singillatim facta sunt, ordinem texere. Quod enim dixit Cęlum, hoc mihi dixisse videtur aquarum abyssum tenebrosam, Adæ quodammodo fluitantem vitam, nisi conuertatur ad Creatorem, & fiat lux, & contempletur Trinitatem, Deum esse in Deum. Neque enim ita dicimus, vt ista materies præcedat formam suam, sicut præcedit lignum arcas, & sicut præcedit vox verbum; neque enim tempore, sed origine. Igitur prima creatura lux, non ista, quæ quarta die facta est, sed spiritalis, idest, Angelica natura. Hoc tamen intelligendum, quòd simul creauit Cœlum, & Terram, & Lucem.

GLOSSA Ordinaria.

Cœlum informem materiam spiritalis vitæ, sicut in se potest existere non conuersa ad Creatorem in quo formatur. Terram, corporalem sine omni qualitate, quæ apparet in materia formata. Scriptura ait; Qui fecisti Mundum de materia informi. Materia facta est de nihilo; species Mundi de materia informi. Sap. 11.

GREGORIVS Magnus Comment. in Ezechielem, Cœli nomine, & ipse Angelum intelligendum esse existimauit, cùm dixit.

Tales creati sunt Angeli, vt si vellent, in beatitudinis luce persisterent; si autem nollent, etiam labi potuissent: vnde & Sathan cum sequacibus legionibus cecidit; sed post eius lapsum, ita confirmati sunt Angeli, qui perstitere, vt cadere omninò non possent. Quod bene in ipso exordio Geneseos libri, ex historica descriptione signatum est; Quia creauit Deus Cœlum, & Terram; quos postmodum vocauit firmamentum. Cœli ergo fuere ij, qui prius bene sunt conditi: sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia ne omninò iam caderent, virtutem incommutabilitatis accepere.

Consimilia habet in expositione beati Iob libro vigesimo septimo, capite vigesimo quinto: quemadmodum & Patherus adnotauit.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione duodecima.

Cùm Deus in sapientia sua Angelicos condidit spiritus, alia etiam creauit, sicut ostendit supradicta scriptura Genesis, quæ dicit; In principio Deum creasse Cœlum, idest Angelos; & Terram, scilicet materiam quatuor elementorum adhuc confusam, & informem, quæ à Græcis dicta est Chaos; & hæc fuit ante omnem diem. Et post. In principio creauit Cœlum, idest Angelicam naturam; sed adhuc informem, vt quibusdam placet.

Assentit Magister Augustino in hoc, quòd per Cœlum interpretatus est Angelum; dissentit autem in hoc altero, quia per Terram, materiem primam nobis notificari noluit, sed Chaos; in quo quatuor elementa suis formis substantialibus prædita, confusa essent, & informia. Hæc enim fuit Magistri sententia, vt post demonstrabimus.

HVGO Victorinus Summæ Sententiarum, Tractatu tertio, capite primo.

In principio creauit Cælum, idest Angelum.

Et clariùs de Sacramentis libro primo, parte prima, capite quinto.

Sed nec illud (quantum opinor) absurdum erit, si credimus vnum, & idem prorsus momentum temporis fuisse, quo in principio simul creata sit & rerum visibilium, corporaliumque materia, & inuisibilium Angelica natura essentia: & hoc esse, quod Scriptura refert, omnia simul creata fuisse, sicut supra diximus. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul; quia eodem momento simul & visibilium materia essentialiter creata est, & inuisibilium natura. Ecclesiast. 18.

IO. MAVBVRNVS Canonicus Regularis Augustinianus, & Liuriacensis Monasterij Abbas, in Roseto, Titulo vigesimo quinto.

In principio creauit Deus Cælum, & Terram, idest, spiritualem, & Angelicam naturam, & corporalem materialem, &c. producens duo extrema, scilicet, nobilissimam, & vilissimam: supremam, & infimam; Angelicam, scilicet, naturam, & Materiam informem, ad maiorem suæ potentiæ expressionem, & elucidationem. Grandis hic dignitas notatur Angelicæ naturæ immediatè, & primo omnium formari à Deo.

ALBERTVS Magnus prima parte summę de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo nono, Augustino consensit, quanquam Cœli nomine, & quintam essentiam, & Cœlum Empyreum intelligi etiam posse non abnuerit.

Dicēdum, quòd secundū omnium Sanctorū expositiones, Terra pro materia informi accipitur, quando dicitur; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram, eo quòd informitati materiæ nihil est ita propinquum sicut Terra; sicut dicit Augustinus in duodecimo Confessionum, sic dicens, quòd in omnibus partibus Mundi reperiri potest nil propinquius informitati omnimodè quàm Terra, & abyssus: minus enim speciosa sunt pro suo gradu infimo, quàm cætera superiora perlucida, & luculenta omnia. Cur igitur accipiam informitatem materiæ, quam sine specie feceras, vnde speciosum Mundum feceras, ita commodè hominibus interminatam, siue intimatam, vt appelletur Terra inuisibilis, & incomposita? Cœlum autem, secundum quosdam Sanctos, ponitur pro Angelica natura; & secundum quosdam, pro tota quinta essentia; & secundum alios, pro Cœlo Empyreo; & quocunque modo sumatur, ipsum secundum esse tempori non subiacet, vt supra in Quæstionibus de Tempore ostensum est.

Consentiunt igitur simul omnes hi Patres, quòd Cœli nomine, Angelus intelligendus veniat, seu in pura natura, seu beatus: Terrę verò, materia prima informis.

HVGO Carensis in Postillis.

Per Cęlum & Terram, vtriusque spiritalis & corporalis creaturæ materia informis intelligenda est.

AVCTOR.

Augustinus in explicatione verborum horum, adeò est multiplicis sententiæ, vt difficilè, quam sequutus sit, assequi possimus. Primùm interpretationes has supradictas,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum, & Terram.

a. Ideſt Chaos vna vniuerſali, communi, rudiq; forma congeſtum, ex quo elicienda eſſent corpora Cœleſtia, & elementata cuncta.

vel plures earum, pluribus locis tradidit, & coëgit, ſed præcipuè vndecimo de Ciuitate Dei, cap. trigeſimo tertio, de primis tribus hæc habet.

In principio fecit Deus Cęlum, & Terram; quibus nominibus vniuerſalis eſt ſignificata creatura, vel ſpiritalis & corporalis, quod eſt credibilius: vel magnæ duæ Mundi partes, quibus omnia, quæ creata ſunt, continentur, vt primitus eam totam proponeret, ac deinde partes eius, ſecundum myſticum dierũ numerum exequeretur.

Et duodecimo Confeſſionum, capite vigeſimo, reliquas etiam non reticuit; ſed ſimul ſic compendiauit.

Ex his ergo omnibus aliud ſibi tollit, qui dicit, In principio fecit Deus Cęlum, & Terram: ideſt in Verbo ſuo ſibi coæterno fecit Deus intelligibilem atque ſenſibilem, vel ſpiritalem, corporalemque creaturam. Aliud, qui dicit, In principio fecit Deus Cœlum, & Terram, ideſt in Verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus vniuerſam iſtam molem corporei Mundi huius, cum omnibus, quas continet manifeſtis, notiſque naturis. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus Cœlum, & Terram, ideſt in Verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informem materiam creaturæ ſpiritalis, & corporalis. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus Cęlum, & Terram, ideſt in Verbo ſuo ſibi coæterno, fecit Deus informem materiam creaturæ corporalis, vbi confuſum adhuc erat Cœlum, & Terra, quæ nunc iam diſtincta atque formata in iſtius Mundi mole ſentimus. Aliud qui dicit, In principio fecit Deus Cęlum, & Terram, ideſt in ipſo exordio faciendi, atque operandi fecit Deus informem materiam confuſè habentem Cœlum, & Terram; vnde formata nunc eminent, & apparent cum omnibus, quæ in eis ſunt.

Verùm ex his expoſitionibus eam, qua per Cœlum, & Terram interpretatur Angelum nondum formatum, ſeu ad Deum conuerſum; & materiam primam origine, non tempore res præeuntem, magis illi acceptam fuiſſe multa euincunt, ſed præcipuè ex hoc arguitur, quia Mundum non dierum delapſu, ſed vnico momento productum cenſeat, vt ſuo loco adnotabimus. Deinde ea quæ habet in expoſitione verborum, Fiat lux, in qua Angeli iam prius, quaſi in pura natura conditi, formationem & ad Deum conuerſionem explicari tradidit. Tandem quòd Patres Auguſtini doctrinæ ſectatores, vt Eucherius, Strabus, Beda, Magiſter, & alij, hanc, vt ab Auguſtino approbatam, inſequantur. Verùm hanc interpretationem Neoterici repudiant eo argumento, quoniam hæc Moſis narratio omninò eſt hiſtorica; quapropter verba illius propriè, & non figuratè ſunt accipienda. Cæterum Cœli nomine naturam Angelicam, Terræ verò vocabulo, materiem informem appellare, eſt extra propriam & vſitatam ſignificationem voces extorquere, & extra communem loquendi proprietatem, nomina proferre; nã ſi myſticas interpretationes admiſerimus, iã variæ aiunt, multipliceſq; illæ exurgẽt: Vnde nullam ſtabilem, certamq; Moſis ſententiam ſtatuere poterimus.

a. Ideſt Chaos vna vniuerſali, rudiq; forma congeſtum.

GREGORIVS Nyſſenus, ſingulari arbitratu, Chaos quoddam vna rudi forma compactum, in quo præſeminata eſſent omnia, primò proſiliſſe arbitratus eſt, vt in Quæſtione de Chaos ſpecie, eius prolixam ſententiam referẽtes conſpiciemus, ipſumq; Cœli, & Terræ nomine, tanquã extremitatibus cætera omnia comprehẽdentibus, non vt tunc extantibus, ſed vt nobis cognitis deſcribi voluit, edocuitque præcipuè in Hexæmeron ſuo, ſcribens.

Quoniam enim Propheta fecit librum originis, quo ad cognitionem Dei quaſi introduceretur propoſitumque Moyſi eſt eos, qui ſenſui obnoxij eſſent, per ea quæ apparerent, quaſi manuducere ad ea, quę ſenſuum comprehenſionem ſuperant: Cœlo autem, ac Terra definitur ea, quæ per viſum nobis cognitio contingit: idcircò tanquam comprehendentia res vniuerſas eorum, quæ per ſenſum à nobis cognoſcuntur, extrema ſcriptura nominauit; vt per hoc, quod dixiſſet, amplectentia res cæteras à Deo facta eſſe, ſimul comprehenderet quicquid intra extrema illa contineretur; ac pro eo, vti diceret, omnia, quæ ſunt,

Coelum, et Terram.

a. *Idest, Empyreum, & Chaos, vna communi, rudiq; forma conflatum.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

sunt, Deus aceruatim, collectim & vna complexione fecit, dixit; In summa, siue in Principio fecisse Deum Cælum & Terram. Et post. *Sed paululum quiddam sermonem repetamus, vt & ea, quæ de diuina Scriptura deprompta sunt, ad seriem redditæ explicationis nos adiuuent. Dixit enim in primis historia Mundi originis, quòd in principio fecit Deus Cælum, & Terram; per id autem verbi nos existimauimus scripturam, per id quod continet, etiam id quod intus sit, ostendentem significare eam, quæ vna complexione aceruatim repentè repræsentata est, rerum conflationem, atque creationem: nam intra extrema, prorsus etiam media continentur. Extrema autem, quantum attinet ad sensum humanum, Cælum & Terra sunt; propterea quòd his hominum visus vtrinque terminatur. Quemadmodum igitur ille, qui dixit; In manu eius fines terræ sunt, vnà cum horarum comprehensione, media quoque complexus est: ita Moyses etiam materiarum totius Mundi congestionem & molitionem per fines indicauit.* Psal. 94.

ALCVINVS visus est in hanc declinasse sententiam, quæstione in Genesim vigesima octaua.

Int. *Quid in Cęli, Terræque nomine significatur?* Resp. *Informis ea materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primò Cælum, & Terra, non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat; Cælum istud sydereum siquidem secundo die factum legitur, & tertia die Terram apparuisse, & vestiri floribus cœpisse.*

a. *Idest, Empyreum, & Chaos, vna communi, rudiq; forma conflatum.*

Patres prisci subobscurè elegantem suscitarunt interpretationem, quæ post, vt acceptissima, singularem sibi locum vindicauit, mirificoque studio quamplures eam proseguuti sunt. Patrum priscorum igitur nonnulli, duorum Cœlorum à Mose traditam fuisse genesim voluere; illudque primum Cœlum (cuius effectionem narrat Moses hoc loco) perpetuum quoddam, æternumque beatorum domicilium vocarunt.

CLEMENS Papa, ex diui Petri ore, Recognitionum libro primo & secundo, id memorat, præcipuè cum ait.

Cœlos autem esse qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit, quorum vnum sit superius, quo continetur visibile firmamentum illud esse perpetuum, & æternum cum his, qui habitant ibi: istud autem in consummatione sæculi resoluendum esse, & transire: vt illud Cælum, quod est antiquius, excelsiusque post Iudicium, Sanctis, & dignis appareat.

PHILO de Mundi opificio, de hoc Cœlo sic ait.

Hæ voces; In principio fecit, idem valent, quod primum fecit Cælum. Est enim reuera consentaneum rationi, primùm in generatione illud prouenisse, cùm sit præstantissimum ex his, quæ facta sunt, & è purissima constet essentia: Quamobrem Deorum tàm non apparentium, quàm sensui patentium, destinatum est domicilium sacratissimum.

ORIGENES in Genesim Homilia prima. Isa. 66.

Cùm iam antea Deus fecisset Cœlum, nunc firmamentum facit; fecit enim Cęlum prius: de quo dicit; Cælum mihi sedes est.

DIODORVS Tarsensis.

Post visibiles, ac intellectu præditas substantias, Deus Cęlum statim vnà cum Terra fabricatus est; non illud, quod aspectabile est, sed quod super omnes Cęlos, & quod Dauid Cælum Cæli nuncupare solet.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Vt quid enim hæc de Terra, prætermisso Cęlo, intulit? nisi quia de Cælo nil tale intelligi voluit. Ipsum enim est Cælum superius, quod ab omni huius Mundi volubili statu secretum, diuinæ gloria præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro Cęlo, in quo posita sunt Luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus, Scriptura, quomodo, vel quando sit factum, declarat.

Glossa Ordinaria hæc desumpsit, Bedæque adscripsit.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum libro secundo.

Primo autem loco, vbi Scriptura sacra tractat creationem, seu Mundi generationem, non loquitur de isto firmamento visibili, sed aliud quoddam Cœlum nobis inuisibile proponit, secundum quod visibile hoc, firmamentum nuncupatum est.

HILARIVS enarratione in Psalmum centesimum trigesimum quintū.

Cùm regionem cognitionis suæ, qui infinitus est, collocaret, Cœlo superiore atque primo, eodemq; in orbem collocato; terminum quendam virtutibus, quæ primum ad cognoscendum se gignerentur, inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent, nisi naturæ temperatioris obiectu, sedē hanc moderatè ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis etenim eleuatis, illam ipsam primi Cœli naturam temperauit, quæ superni Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cęlum verò inferius non vniforme, sed multiplex tetendit: quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemque aëris nostri firmitate solidauit. Et idcircò plures Cœlos prophetica doctrina ostendit.

ANSELMVS Canthuariensis de Imagine Mundi libro primo, capite vigesimo octauo.

Supra firmamentum est spirituale Cœlum hominibus incognitum, vbi est habitatio Angelorum, per omnes ordines dispositum. Et Post. *Hoc est Cęlum, quod in principio legitur cum Terra creatum.*

BRVNO Carthusiæ Patriarcha, libro de Nouis, capite secundo.

Moyses duos ponit Cęlos; ait enim; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram; ecce vnum. Secunda die fecit Dominus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas quæ erant super firmamentum, ab his, quæ erant sub firmamento; vocauitque firmamentum Cœlum; ecce alterum: & hoc quidem est illud Cęlum, quod per Solem, Lunam, & stellas, quæ in eodem fulgent, nostris oculis reuelatur. Primum enim Cęlum de hoc Mundo videre impossibile est; quoniam hoc quod videmus, inter nos & illud, positum est. Sed cuius excellentiæ pulchritudinis illud esse putabimus, cùm huius inferioris tantam esse videamus? Et primum quidem Cęlum statim eadem die factum & illuminatum est, dicente Domino; Fiat lux; & facta est lux. Hoc autem tertia die postquam factum est, Solem, Lunam, & stellas suscepisse narratur.

Quod igitur hi Patres subobscurè insinuarunt, alij in consequentibus ætatibus, etiam sub nomine Empyrei, clariùs explicarunt.

STRABVS in Glossa Ordinaria.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram. Cœlum autem non visibile firmamentum, sed Empyreum, idest igneum, vel intellectuale, dixit, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim repletum est Angelis.

HVGO Victorinus in Sententijs, tractatu secundo, capite primo.

Nec appellamus hic Cęlum firmamentum, quod secunda die factum est; sed Cęlum splendidum, quod dicitur Empyreum, idest splendidum, quod statim factum, Angelis est repletum, illam scilicet superiorem partem, vsque ad quam machina illa elementorum adhuc indistincta porrigebatur.

Hucusque Patres hi omnes, Cœli nomine, Empyreum intellexerunt, vt dilucidè ex eorum attestationibus claret; sed Terræ nomine; num Chaos vnica exigua forma compactum, num ex elementis obductum, intelligendum sit, non explicarunt.

D. BONAVENTVRA secundo, distinctione duodecima, cùm Nysseni primùm, Augustini secundo loco, Hugonis tertio, interpretationes retulisset, quarto loco, quasi ipsi magis probatam, hanc subiecit.

Quarta expositio, quæ communior est, secundum expositores planior est, quòd per Cęlum intelligatur Cęlum Empyreum, quod est Angelorum habitaculum, in quo Angeli sunt creati: per Terram verò materiam omnium corporum intra ipsum contentorum, siue Cęlestium, siue terrestrium. Hæc expositio sequenti literæ concordat, quæ exprimit de illa materia facta esse corpora cęlestia, & elementaria.

LYRANVS in Postillis, hanc interpretationem, qua Cœli & Terræ nomine Empyreum, & Chaos incongestum, in quo nec Cœlum, nec elementa essent, nisi per præseminationem capitur, Straboni, & Bedæ adscribit, cùm ait in secunda à se inserta expositione.

Secunda autem expositio literalis, quam tenent Strabo, & Beda, & aliqui alij Doctores, est, quòd materia omnium corporalium, & elementarium per opus creationis producta est sub vna forma communi in genere substantiæ, vtpotè corporeitatis, & diebus sequentibus sit distincta secundum diuersas sui partes, per formas specificas, tam cœlestes, quàm elementares. Et post. *Igitur secundum opinionem illam, quæ ponit materiam eiusdem rationis in corporibus cœlestibus & elementaribus, quam sequuntur Beda, & Strabo, est exponenda sic litera; In principio creauit Deus Cœlum; scilicet, Empyreum, quod statim factum, Angelis est repletum: & dicitur Empyreum, ἀ πῦρ, quod est ignis; non quia sit de natura elementari, sed quia conuenit cum igne in splendore: sicut & Cęlum Chrystallinum dicitur aqueum, quia conuenit cum aqua in diaphaneitate,*

neitate, vt prædictum est. Et est Cœlum Empyreum, secundum istam expositionem, locus splendidus, immobilis, & quietus, contemplationi gloriæ aptus. Et Terram, idest materiam omnium corporum, quæ sunt sub Empyreo, quæ producta est sub vna forma communi in genere substantiæ, vtpotè corporeitatis; & propter talem communitatem, nominatur diuersis nominibus, vtpotè nomine Abyssi, & Aquæ. Terra autem erat inanis & vacua, quia illa materia non erat adhuc per formas speciales distincta.

Cæterum quòd Cœli nomine, Empyreum capiendum sit, fatetur Strabus (vt supra retulimus) cùm ait; Non uisibile firmamentum, sed Empyreum.&c. Verùm de materia, vna rudi forma congesta, nullam, quam viderim, mentionem habet in suis lucubrationibus. Beda verò in expositione sua super Genesim, & Cœli nomine, Angelum; & Terræ nomine, materiam origine, non tempore præexistentem, intelligenda esse, conformi cum D. Augustino sententia, clarè edocet. Porrò in Hexæmeron, quod Iunilio adscribitur, & Empyreum, & Chaos, non vna communi forma præditum, sed ex elementis commistum agnouit, ut parum post ex Iunilij doctrina perspici poterit.

TOSTATVS Genesis primo hanc interpretationem, vt probatiorem commendat; Bedæ, & Straboni, eam pariter assignans.

Cælum, intelligitur solum Cœlum Empyreum secundum istam expositionem secundam, & veram, quia Empyreum non ponitur de materia illa communi creatum. Alij autem Cœli in secundo die creati, sunt de materia communi corporea. Est autem Cęlum Empyreum locus capacissimus, splendidus, immobilis, quietus, contemplationi conueniens, & gloriæ beatorum; nec de alio Cęlo hic intelligitur, quia tunc frustrà de firmamento, quod continet octo orbes, postea subderetur; Et Terram, idest materiam communem sub quadam forma corporeitatis; ex qua postea distincta fuerunt omnia corpora Cœlestia, & elementaria intra concauitatem Empyrei: & uocatur tota ista materia, Terra, quia maximè visibilis est Terra: & ideò post inductionem elementorum, licet Deus, ignem, & aërem, ab alijs elementis distinxerit, faciens de illa materia; tamen nunquam mentionem de igne fecit: de aëre autem modicam, vel quasi nullam.

CATHERINVS enarratione in primum caput Geneseos, vsque adeo hoc Commentarium, quod Cœli nomine Empyreum, & Terræ crassam vnam rerum molem interpretatur, toto marte recipit, & extollit, vt diserta oratione ipsum solum esse verissimum attestetur. De Cœlo ait;

Est ergo tertia expositio, quæ intelligit Deum creauisse Cęlum Empyreum cum ipsis Angelis; aut (quod idem est) ipsos Angelos cum Cęlo illo, vt simul cum ipso Cęlo inuenirentur; immo vna illa Cœli appellatione contineri etiam corporeum illud Cœlum, & spirituale, ipsos scilicet Angelos, qui & Cœli dicuntur, immo & Cęli Cælorum: Si ad eum sensum intelligas, plana sunt omnia, & silet omnis hinc inde exorta quæstio. Quocirca hanc ego sententiam puto esse verissimam, cùm omnia ei consonent.

De Terra loquēs, contendit primo loco, nomine Terrę, elementum hoc nobis substratum non fuisse significatum. Primùm, quoniã omissa tunc de digniorum elementorũ genesi, intēpestiuè fuisset Terræ genitura tradita. Præterea, quia indigesti illius Chaos mentio, immeritò obliteraretur, quod tantùm celebrarunt Hesiodus, Mercurius Trismegistus, Anaxagoras, Euripides, Ouidius, Virgilius: Tãdem & quia hoc Chaos genus, ab Augustino, Beda, Hugone, & prius à Nazianzeno fuerit positum; tãdem concludit.

Sed quid diutiùs moror? Scriptura ipsa Sancta hoc manifestè probat, vt mirer quospiam disputantium minus considerasse. Ait enim Sapiens; Manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa: siue (vt beatus Augustinus citat) ex materia informi. Sic enim Græcè legitur, ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Prius ergo præparatam fuisse materiam, ex qua productus est Orbis terrarum fateri debemus, nisi velimus verba Scripturæ prorsus violare. Nam si creata simul fuisset materia cum reliqua creatura, quomodo verè diceretur, Orbem fuisse ex illa creatum? Sic enim dicitur creatus homo de limo terræ, nimirum prius existente limo: & de viro mulier, prius existente viro: & sic quæcunque isto modo dicuntur, etiam isto modo sunt intelligenda. Sap.11.

Quæ verò extarit eius inconditi Chaos substantia, his edisserit.

Nos talem non ponimus fuisse materiam, quæ prorsus esset omni forma destituta, sed eã, quæ debilissimum habebat actum, quem dicimus confusum, imperfectum, & primum entitatis, seu potentiæ. Non enim habebat certam formam specificam, quæ contraheretur ad certum esse.

a. *Empyreum, & Chaos ex elementis commiscelatum.*

IVNILIVS de Cœlo hæc habet, vt diximus.

Non ergo superius illud Cęlum, quod mortalium est omnium inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & vacuum; vt terra, quę nil in sua prima virentium germinum, & viuentium produxit animantium creatione; quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est: quos in

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Coelum, & Terram.

a. *Idest, Empyreum, & Chaos ex Elementis commiscelatum.*
b. *Vel, Empyreum sine Luce, & Chaos ex Aqua & Terra conflatum.*

principio cum Cœlo, & Terra esse editos. De Terra autem. *Vbi notandum est, quòd cum Cœlo in principio duo Mundi elementa, aqua videlicet, & Terra, nominatim facta memorantur; quibus tamen duo reliqua fuisse constat indita: ignem videlicet in ferro, & lapidibus, quæ Terræ viscera tum condita latebant: aërem verò in ipsa terra, cui esse permixtus ex eo cognoscitur, quòd cùm fuerit humectata, & temperiem Solis acceperit, mox uapores exhalat largissimos.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite sexto.

Iam quidem cùm audimus Cœlum, & Terram, animalis homo, qui nunquam in Cęlo conuersatus est, nec dicere potest cum Apostolo; Nostra autem conuersatio in Cęlo est: hic talis nec opinari potest, qualis habitatio Cœlum sit, vel fuerit, mox vbi creatum fuit; quippe cùm nec spiritualis homo quantumcunque Cęlestia contempletur, dum viuit, sufficienter dijudicare possit, nisi quia magnus & immensus locus, magna & spiritualis est Patris domus, in qua ab initio mansiones multæ paratæ sunt beatis Angelis, & Sanctis hominibus; vbi localis est, & localiter sedet secundum verum hominis corpus, Pontifex summus, qui penetrauit Cęlos Iesus Christus Filius Dei. Cuius videlicet spiritualis habitationis comparatione, Terra est, quicquid carneis oculis cernitur: vt rectè per Psalmistam, Cœlum Cęli dicatur; qui cùm præmisisset: Benedicti vos à Domino, qui fecit Cœlum, & Terram: statim subiunxit; Cœlum Cœli Domino; Terram autem dedit filijs hominum. Cęlum Cęli dixit, eò quòd comparatione eius, hoc visibile firmamentum, quod secundo die factum est, non sit Cęlum, sed Terra, aut vt multum quiddā Terræ ornatus sit, quia videlicet illud inuisibile est, istud autem terrenis animantibus conspicabile est. De Terra verò. *Illud, inquam, Cœlum Cœli, quale factum sit, animalis homo nec opinari potest: Terra autem fortè statim animo eius talis occurrit, qualis in sua forma conspicitur, scilicet herba virenti, lignisque, & pomiferis vestita arboribus, & diuersis animantium generibus plena. Proinde continuò sequitur; Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Et post. *Creatis, inquit, Cœlo, & Terra, Cęlum quidem non omni ornatu inane, vel vacuum erat, quippè quod ex lumine diuinæ maiestatis resplenduit, sicut ad illius similitudinem Cęlum istud visibile, & aër, Solis huius refulgent lumine; verùm Terra, idest corpulenta substantia, inanis erat, & vacua. Non quidē ipsa à diuina magnitudine remota erat, cùm de illo uerissimè Seraphin clament, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Plena est omnis Terra gloria eius: sed eam maiestas eadem, etsi iam potestate, nondum tamen actu impleuerat, vel ornatu, licet hoc propheticè de prædicatione Euangelij Christi dictum possit intelligi, quia effectum est, vt non iam vna gens Iudæorum tantum, sed omnis Terra diuinitatis impleretur notitia. Cæterùm, secundum quod iam dictum est, Terra erat inanis, & vacua, quia nondum illam Creator ab aquis aridam segregauerat, nondum firmauerat, nondum sydera Cęli huius palla vestiuerat, nondum tot creaturarum generibus exornauerat.*

Philipp. 3. Psal. 113. Isa. 6.

b. *Empyreum sine Luce, & Chaos ex Aqua et Terra conflatum.*

GVLIELMVS Parisiensis prima, partis primæ de Vniuerso, capite trigesimo primo, his primum proponit.

Restant adhuc quæstiones de Cęlo in principio creato; quid, vel quod illud sit, videlicet, an totum quod est à Luna supra, idest, inter intimam Cęli Lunaris superficiem, & extremam, siue extimam superficiem Cęli, quod Græci Aplanon nominant, an sit aliud Cęlum supereminens huic toti; de quo soli sapientes Christianorum loquuntur, & Græco nomine vocant illum Empyreum; hoc est, valde igneum, non à vehementia ardoris, vt ipsimet dicunt, sed à supereminentia splendoris.

Et post prolixam disceptationem, his concludit capite trigesimo secundo.

Dico igitur, quòd Cęlum vltimum, vt prædixi, est vltra nouem notos, ac nominatos Cęlos, supereminens eis distantia multa; & est istud Cęlum habitatio substantiarum, quæ vocantur Angeli sancti.

Et capite quadragesimo, sic ait.

Empyreo Cęlo ab initio suæ creationis non fuit lux illa, qua postea splendidatum fuit.

Qui & insignis Doctor, & primo die luce insignitum fuisse, quadragesimo primo capite edocet; & fortè ex beatorum, Angelorumque glorifico lumine id effectum esse insinuat.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum, & Terram.

a. *Hoc est, tria superna Elementa, & Elementum hoc Terræ in centro Mundi libratum.*

insinuat. De significatione Terræ, quid ipse maluerit, non audeo diffinire, nisi quòd mixtum illud Chaos ex Terra tantùm & aqua intellexerit, ut infra deducemus disceptatione de Chaos; & ea obtestantur, quæ habet capite trigesimo nono.

Ex aqua generandi erant Cęli nouem, & pisces; omniaque reptilia similiter, & volatilia; & forte aër, & ignis elementa.

ALEXANDER de Hales hanc visus est insequi sententiam, cùm parte secũda summæ Theologiæ, quæstione quadragesima quinta, membro secundo, dixit.

Cęlum Empyreum continetur nomine Cęli, sed sicut Angeli quodammodo dicebantur informes, priusquam reciperent formam gratiæ, quæ nomine lucis designatur; ita & Cęlum Empyreum poterit dici informe, quousque Dominus in formam perfectam redigeret, dicendo; Fiat lux: &c. & secundum hoc, nomine lucis non intelligitur tantùm lux, quæ distinguit per reuolutionem sui noctem, & diem; sed etiam lux distincta à tenebris: quomodo Cœlum Empyreum est lux distincta: tenebræ enim hic fiunt in aëre, aqua, & terra; ibi autem non. Et Ante. *Cęlum diuiditur contra terram, idest materiam informem; de qua hæc fierent, & inter se diuiduntur; nihilominus cùm dicitur, Terra erat inanis, &c. ibi Cęlum continetur sub informitate terræ. Aliter enim quodammodo accipitur nomen terræ: nam primò accipitur pro materia, in quantum ex ea futura erat terra: secundo verò accipitur communiter.*

Concordi igitur sententia hi Patres, Cœlum hoc in primordijs conditum, Empyreum extasse decernunt; & quanquam alij Empyrei nomen non expresserint, satis tamen clarè ipsum insinuarunt Clemens, Philo, Origenes, Diodorus, Iunilius, Theophilus, Hilarius, Anselmus, Rupertus: Alij nomen Empyrei non conticuere, Strabus, Hugo, Magister Sacræ historiæ: & recentiores, D. Thomas, Lyranus, Tostatus, Catherinus, Gulielmus. Terræ autem nomine quidnam capiendum sit, difficilè est attingere: euincimus attamen Iunilium, Magistros duos, D. Thomam commiscellationem quatuor elementorum pro Chaos admisisse; Catherinum vnum rude constituisse; Lyranum, & Tostatum in ambas sententias decidisse.

a. *Tria superna elementa, et elementum hoc Terræ in centro Mundi libratum.*

HVGO Victorinus noster, selectam, ac peregrinam induxisse visus est interpretationem, cùm Cœli nomine, non Empyreum, seu Angelum, seu Cœleste corpus; sed tria superna elementa, ignem, aërem, & aquam, simul ad nebulę speciem commista; & Terræ nomine, infimum hoc nostrum Solum significare censuit. Edocuit hoc Adnotationibus dilucidatorijs in Genesim, capite primo, cùm dixit.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram: tria, inquit, superiora elementa, Cęlum vocat.

Et de Sacramentis libro primo, prima parte, capite sexto, cùm ait.

Per Cęlum nanque, & Terram, materiam illam omnium Cęlestium, terrestriumque hoc loco significari puto, de qua postea succedenter in forma facta sunt, quæ in ipsa prius per essentiam simul creata fuerunt. Ibi nanq; Terra erat ipsum Terræ elementum; & Cęlum mobile erat illa leuis confusio reliquorum trium, quæ circuitu medio iacentis terræ suspensa ferebatur; & his duobus, omnium corporum Cœlestium, siue terrestrium formandorum materia continebatur.

RICHARDVS noster, Exceptionum libro secundo, capite septimo, eandem prosequutus est sententiam, inquiens.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram. Cęlum vocat tria elementa, ignem, aërem, aquam, quæ erant in vna confusione permixta, siue in vna permixtione confusa, circa quartum, quod est Terra, fluctuantia; quæ Terra in medio, & in imo trium suo pondere librata subsedebat. In principio itaque creata sunt Cęlum, & Terra, idest quatuor elementa simpla omnium faciendorum materia.

Porrò, quas interpretatio hæc secum ferat difficultates, infra obseruabimus.

Supre-

Anno Mundi primo. In Exordio emporum. Ante dies.

Coelum, & Terram.

a. *Idest, supremum Orbem, & elementum Terræ.*

a. *Supremum Orbem, et elementum Terræ.*

Basilius, Ambrosius, duo præclara Ecclesiæ lumina, Cœli significationem in Cœleste corpus reijcientes, per Cœlum, supremum Orbem, qui Mundi est ambitus, terminusque interpretati sunt: per Terram autem, hoc infimum substratum elementum: vt senseruntque in his, & cum his, quasi in extremis Mundi partibus, cætera elementa, vt media, fore intelligenda.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Ex duobus principijs, Vniuersi sanè totius innuit essentiam, Cęlo quidem prærogatiuam in generatione dignitatem: Terræ autem ad rerum essentiam, secundas adscribens. Quicquid autem istorum medium est, id vnà cum ipsis omninò finibus exortum est. Itaque etiam si nihil de cæteris dixerit elementis, igne (inquam) aqua, atque aëre, tuopte tamen solerti ingenio capere velis. Primùm quidem, quoniam in omnibus omnia sunt permixta: atque adeò in Terra, aquam, aërem, & ignem inuenies: siquidem tam è silice, quàm è ferro, quæ suam originem è Terra trahunt, ignis exilit, ac frictionibus copiosus emergens elucet. Vbi dignum id est etiam admiratione, quonā pacto cùm in ipsis corporibus innoxius latitet ignis, idem cùm egressus fuerit, ipsa quæque absumat, à quibus eatenus seruatus est. Aquæ verò naturam ipsi insitam esse Terræ ij demonstrant, qui puteos effodiunt: & aëris item naturam eidem Terræ inesse ipsi vapores, quos ab humectata terra Sole tepefacta resultare, sursumque ferri conspicimus. Deinde quoniam Cœlum natura locum superum occupat, Terra verò infimum: fit hinc, vt quæ leuia sunt, Cęlum suapte natura petant, ponderosa verò ad Terram suopte nutu ferantur. Aduersantur porrò sibi mutuò maximè superus, inferusque loci: qui quum & mentionem eorum fecit, quæ plurimū inter sese suapte natura distant, is & ea comprehensim notauit, quæ mediam inter illa regionem occupant, atque implent. Quare singulorum enarrationem quærere noli, sed ea, quæ silentio præterita sunt, per iam declarata intelligere velis.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto.

Tamen satis est ad præsentem assertionem, quòd in principio Cęlum fecerit, vnde prærogatiua generationis, & caussa: & Terram fecerit; in qua esset generationis substantia. In his enim quatuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista, quæ Mundi sunt. Elementa autem quatuor, aër, ignis, aqua, & terra, quæ in omnibus sibi mixta sunt. Siquidem & in terra ignem reperies, qui ex lapidibus & ferro frequenter excutitur: & in Cęlo, cùm sit ignitus, & micans fulgentibus stellis polus, aqua esse possit intelligi, quæ vel supra Cęlum est, vel de illo superiore loco in Terram largo frequenter imbre demittitur. Quæ pluribus colligere possemus, si quid ad ædificationem Ecclesiæ ista proficere videremus. Sed quia his occupari infructuosum negocium est, ad illa magis intendamus animum, in quibus vitæ sit profectus æternæ.

DAMASCENVS Libro secundo Orthodoxæ Fidei, de Cœlo, capite sexto.

Dicimus, in totius Mundi generatione, Cœli facturam nos intelligere eam sphæram, quam quidam Sapientum (qui non ex nostris sunt) instellarem appellant, ea quæ Moscos dogmata sunt, sua efficientes.

De Terra autem, capite decimo.

Terra quatuor elementorum vnum est, siccum & frigidum, grauissimum & immobile, à Deo ex nihilo ad esse prima die deductum. In principio enim, inquit, fecit Deus Cęlum, & Terram, cuius sedem, & basim nullus hominum dicere valuit.

Cum his autem cætera elementa condidisse Deum, demonstrat capite quinto.

Ipse Deus noster, qui in Trinitate, & vnitate glorificatur, fecit Cęlum, & Terram, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo ad esse deducens. Vniuersa hæc quidem Cęlum, Terram, Aerem, Ignem, non ex subiecta materia. Alia autem ex ijs, quæ ab ipso facta fuerunt, puta animalia, plantas, semina. Hæc enim ex Terra, Aqua, Aereque & Igne, Conditoris præcepto exorta sunt.

INNOCENTIVS Tertius, Commentarijs in quintum Psalmum Pœnitentialem.

Tria verò simul creata fuerunt, Angelus, Mundus, & Tempus. Et in creatione Mundi simul creata fuerunt

fuerunt Cœlum, & Terra, primum, & infimum inter quatuor elementa; & cum ipsis pariter duo media, videlicet aër, & aqua, confusa insimul, & commixta: quoniam aqua vaporabilis erat, & aër spissus, sed postea discreta sunt, & diuisa.

CAIETANVS apprimè hos Patres est insequutus, Genesis capite primo.

Sapientissime Moses Vniuersum comprehendit ex duabus præcipuis illius partibus, corpore scilicet simplici circulariter mobili; & centro, circa quod oportet illud moueri Cęlo, & Terra: hæ siquidem duæ naturæ sunt etiam à Philosophis descriptæ præcipuę Vniuersi partes substantiales; vsqueadeo, vt quærentibus; quare totum Vniuersum corporeum, non constat ex natura Cęlesti, reddant rationem, quia natura Cęlestis est circulariter mobilis, ac per hoc oportet habere immobile centrum (non Mathematicum, sed naturale) circa quod moueatur; & propterea ex eo, quod Cœli sunt, oportet quod Terra sit; & ideò Moses prius nominat creationem Cœlorum, & postea Terræ: & in his duobus, scilicet Cęlis, & Terra, comprehendit concomitanter reliqua corpora simplicia, & spiritus Angelicos, vt ipsemet manifestat, explicando dispositiones in quibus Cœli, & Terra creati sunt, vt infra patebit.

Quomodo verò ex his reliqua omnia constitisse elementa notificatum fuerit, his demonstrat Caietanus. Et primo de elementis sic.

Et Philosophi quidem ex eo, quòd est Terra, probant esse reliqua tria corpora simplicia. Existente enim in rerum natura vno contrariorum, videlicet Terra, corpore simplici, quod mouetur ad medium, oportet esse alterum extremum contrariorum, quod mouetur à medio: & hoc extremum appellamus ignem. Existentibus verò extremis contrarijs in rerum natura, oportet quoque in rerum natura esse media, quæ mouentur ad media loca, quæ appellamus aërem, & aquam. Ex his siquidem quinque corporibus simplicibus (Cęlo, & vocatis elementis quatuor) constituitur prima substantialis perfectio Vniuersi. Mixta siquidem omnia spectant ad secundam Vniuersi perfectionem.

De Cœlestibus autem.

Ex eo verò quòd Cęlum mouetur circulariter, probant spirituales substantias mouentes Cęlos: vt hinc pateat, quàm sapientissime Moses inchoauerit creationem Mundi, dicendo; In principio creatos Cęlos, & Terram. In his siquidem duobus apparet comprehendi integrum Vniuersum secundum primariam Vniuersi perfectionem; quia his duobus explicatis, tanquam præcipuis partibus, reliquæ Vniuersi partes spectantes ad primam Vniuersi perfectionem, implicitè, & concomitanter sunt comprehensæ. Prætereo rationem ex parte figuræ sphæricæ: Mundus enim ex eo, quòd est sphæricus, describitur aptissimè primo creatus in circumferentia, & centro, Cęlo, & Terra: vtpotè primis sphæræ principijs.

Ex horum Patrum doctrina excipimus quatuor modos; quibus per Cœlum, & Terram, vniuersa significari conuincitur: Primum, quia hæc extrema sunt; & cum extremis, media etiam intelligi solent: Deinde, quia cætera elementa virtute in Terra, & etiã actu quãdoq; extare dignoscimus: Amplius, quoniã ratione philosophica, dato vno contrariorum, scilicet Terra grauissima; concedendum est & alterum leuissimum, quod est ignis: & leue, & graue, quæ sunt aër, & aqua. Vel data siccitate, necessariò ponẽda est humiditas, frigiditas, & caliditas, quæ sunt elementorum insitæ proprietates. Tandem quia vbi in sphæra est centrum, circumferentiaque, hoc est Cœlum, & Terra, cætera, ipsam sphæram conflantia, extare cointelliguntur. De Angelo autem ex Patrum sententia, hic mentionem non fieri perspectum arbitror; maximè cùm Basilius, & Ambrosius eum longè ante Mundi initium manasse censeant: & consequentia, quam habet Caietanus, cùm ait: Ex eò quòd Cęlum mouetur circulariter, probantur spirituales substantiæ; non necessariò concludere mihi videtur, nisi præsuppositis Aristotelicis placitis, quæ Cœlos ab Intelligentijs moueri decernunt. Cæterum Patrũ quamplures, & astra sua natura circumferri, & in exordio temporum Cęlestium corporum motionem inchoatam non esse, sed post, dilucidè edocent, vt aliàs obseruabimus.

a. *Cunctos Orbes Cœlestes, & elementum Terræ.*

TERTVLLIANVS, huius sententiæ primus excitator fuit libro aduersus Hermogenem, capite vigesimo sexto.

Nobis autẽ vnus Deus, & vna est Terra, quã in principio fecit Deus, cuius ordinem incipiens Scriptura decurrere, primo factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit. Sicut & Cœlum primò factũ professa, In principio fecit Deus Cœlũ; dehinc dispositionẽ eius superinducit: & separauit inter aquam, quæ erat infra firmamentũ, & quæ super firmamentũ; & vocauit Deus firmamentũ Cœlũ, ipsum quod in primordio fecerat. Proinde & de homine: Et fecit Deus hominẽ, ad imaginẽ Dei fecit illum. Dehinc qualiter fecerit, reddit: Et finxit Deus hominem de limo terræ, & afflauit in faciẽ eius flatũ vitæ, & factus est homo in animã viuã. Et vtique sic decet narra-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Coelum, & Terram.

a. *Ideſt cunctos Orbes Cęleſtes, & Terræ Elementum.*

narrationem inire, primò præfari, poſtea proſequi; nominare, deinde deſcribere; alioquin vanum, ſi eius rei, cuius nullam præmiſerat mentionem, ideſt materiæ, ne ipſum quidem nomen, ſubito formam, & habitum promulgauit: ante enarrat qualis eſſet, antequam an eſſet: oſtendit figuram deformati, nomen abſcondit. At quanto credibilius ſecundum nos eius rei diſpoſitionem Scriptura ſubiunxit, cuius inſtitutionem, ſimulque nominationem præmiſit. Quàm denique integer ſenſus eſt; In principio Deus fecit Cęlum, & Terram; Terra autem erat inuiſibilis, & rudis, quam Deus ſcilicet fecit; de qua Scriptura, cùm maximè edixerat. Nam & Autem ipſum, velut fibula coniunctiuæ particulæ, ad connexum narrationi appoſitum eſt; Terra autem. Hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua ſupra dixerat, & alligat ſenſum. Adeò aufer hinc Autem, & ſoluta compago eſt, vt tunc poſſit de alia terra dictum videri, Terra erat inuiſibilis, & rudis.

D. THOMAS, quanquam in Scriptis, in hanc declinare expoſitionem clarè non comperiatur, in prima attamen parte, quæſtione ſexageſima octaua, articulo primo, ad primum, viſus eſt ei adhęrere, vbi cùm Chryſoſtomi, Auguſtini, Bedæ, Strabi, ac Damaſceni interpretationes recitaſſet, adiecit.

Secundum autem aliam expoſitionem, quam Auguſtinus tangit, Cælum prima die factum, eſt etiam ipſum Cælum ſydereum.

In Poſtilla autem in Geneſim (ſi ipſius eſt factura) capite primo expreſſius eam declarauit, cùm dixit.

Cælum, ideſt totam naturam Cæleſtem ſuper elementa conſtitutam: Et ponitur hic Cęlum ſingulariter, non pluraliter, quia omnes Cæli in vna natura conſiſtunt luminoſa, & in vna figura circulari, & in vna periodo, vel menſura in eſſe corporali. Et dicitur Cęlum à cælando, quia totam naturam inferiorem integraliter ambit, & in ſe, & ſua continentia claudit. Et Terram, ideſt naturam opacam, & inferiorem. Et dicitur Terra, quia teritur pedibus animalium, & eſt eorum ſolidum ſuſtentaculum; & etiam vomeribus, & alijs inſtrumentis, vt exculta fructificet, quia eſt animalibus in nutrimentum, & pabulum.

HAMERVS Commentatione ſua in Geneſim, cùm Cœli nomen quandoque aërem, quandoque Cœleſtes Orbes ſignificare narraſſet, ex Moſis verò Aegyptij auctoritate, nouem eſſe Orbes ſtatuiſſet, his concludit.

Sic igitur conſentaneum eſt Moyſen, omnes Cælos, ſiue nouem ſint, ſiue decem, intellexiſſe, cùm inquit; In principio creauit Deus Cælum, & Terram. Nec obſtat, quòd Græcè & Latinè in ſingulari legimus Cælum; cùm Hebraicè in plurali legimus, In principio creauit Deus Cęlos & Terram. Terræ vocabulo haud dubio, quartum hoc elementum intelligitur, quod inhabitamus; nec mirum videri debet, quòd Cælo, ſtatim Terram addit.

LYRANVS in Poſtillis ſua prima expoſitione.

Cęlum, ideſt corpora cęleſtia omnia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta, licet adhuc in aliquibus proprietatibus accidentalibus eſſent informia, vt patebit infra. Et Terram; in ſua forma ſubſtantiali diſtinctam, & aliquibus proprietatibus formam ſubſtantialem neceſſariò concomitantibus: quia tamen adhuc quantum ad aliqua erat informis; ideò ſequitur, Terra autem erat inanis, &c.

TOSTATVS ſimilia docuit prima ſua expoſitione, quam tamen non approbat.

Cęlum, ideſt omnes Cęlos in ſuis formis ſubſtantialibus diſtinctis, ſiue Empyreum, ſiue alios: quia ſecundum iſtam poſitionem, omnia in ſuis ſpeciebus fuerunt ſimul creata. Quod autem dicitur poſt de eis, quòd fuerint facti, vel creati; intelligitur quantum ad aliquas diſpoſitiones accidentales. Et Terram: perfectam in ſua forma ſubſtantiali: & intelligit etiam aquam, aërem, & ignem; etiam diſtinctos in ſuis formis: licet eos in textu non nominauerit, quia non ſunt ita viſibiles ſicut Terra.

PERERIVS Commentarijs in Geneſim libro primo.

Ego igitur arbitror, nomine Cæli hoc loco intelligendum eſſe vniuerſum corpus Cęleſte, cunctos Orbes complectens; ita vt in principio Deus creauerit ſubſtantiam, & numerum omnium Cęlorum, ſine luce tamen, motu, & diſtinctione ſyderum; poſtea verò tribuit eis lucem, & ſuum cuique Cęlo motum, & accendit in eis ſydera, magna vi & poteſtate ad agendum pollentia. Itaque corpus Cæleſte factum eſt ab initio perfectum, quod

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Coelum, et Terram.

a. *Idest, quicquid supra nos est, & subter.*

quod attinet ad substantiam, numerum, ordinem, seu dispositionem, magnitudinem, figuram, denique partium densitatem, & raritatem: deinde verò multa sunt illis addita primo, & quarto die; hoc est, suus cuique Orbi Angelus motor, proprius cuiusque motus, decor lucis, & astrorum distinctio: denique singularis, & mira cuiusque Cęli vis, & potentia agendi; Porrò nomine Terrę interpretor, & intelligo id, quod nomen ipsum præsefert, & significat, verum, inquam, Terræ elementum. Cùm enim doctrina hæc Mosis (vt sæpe diximus) historica sit, verba eius propriè, non figuratè, seu allegoricè sunt accipienda: nanque ob hanc potissimum causam, Tertullianus valde reprehendit Hermogenem, quòd, quam Moses vocat Terram inanem, & vacuam, is proprias vocum notiones deprauans, dixerit esse materiam primam.

a. *Quicquid super nos est, & subter.*

Cœlum, quicquid supra nos est, Orbes scilicet Cœlestes, ignem, & aërem; Terram, hoc est, quæ sub nos sunt, aquam, & terram: Nam & Doctores præclari tandem non defuere, qui adeò amplificarint Cœli, ac Terræ significationes, vt per Cœlum omnia nobis superna & per Terram, omnia nobis inferna intellexerint.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Cùm his tamen speculationibus, intellige secundum literæ sonum, explicata omnia corpora simplicia Hebræo populo: eo quòd Cœlorum nomine intelligunt omnia superiora corpora, videlicet, Corpora Cęlestia, & Sphæras ignis, & aëris: Terram autem coopertam aquis.

STEVCHVS expressit id clariùs Cosmopœia in Genesim.

Tripliciter enim dicitur, Aristotele auctore, Cęlum: Primùm id quod est habitatio Deorum, extra Cęlestem vertiginem, vbi neque locus sit, neque vacuum, neque tempus, sed res tantùm beatissimæ. Secundo dicitur Cęlum, substantia Orbium Cęlestium, Orbis Solis, Lunæ. Tertio, Cœlum est, quicquid est præter terras. Quicquid est supra terras, cum quo & aër, & æther est adiunctus. Hoc igitur postremum memoratur apud Mosen.

HVGO Carensis in Postillis, ante præfatos.

Vel Cęlum, idest, superiora duo elementa; Terram, duo inferiora.

VIELMIVS Lectione Tertia.

Porrò autem existimo Cęli nomine complexum esse Mosem omnia superna corpora ab aqua, & terra, quorum est vnum centrum, & per analogem posuisse singulare pro plurali. Etenim, cùm sit necesse, vt ab alterutra voce stent, nec desint, qui à terra cætera elementa velint, quòd cum ea cognationem quandam habent, fit nihilominus mihi probabilius, vt potius Cęli nomine veniant, quod Psalmo octauo citra ambiguitatem, Aër Cœlum dictus fuerit, constetque ignem, & aërem (magis tamen ac minus) conuersione Cęlum cieri. Quicquid igitur terræ & aquæ elementis supernum est, nunc Moses, (quantum ratione consequi possum) appellauit Cęlum, vt proinde nullum omiserit in hac propositione corpus insigne, quod hunc sensilem orbem constituat: quamobrem & repente de aqua, tanquam, quæ iam extaret, & cuius creationem exposuerit, sermonem est habiturus.

Et post de Terra.

Terram, sedem illam firmam, & perenniter duraturam, Ecclesi. primo, medio libratam axe, centrum, ac basim Mundi, eamque Dei scabellum. Isaiæ sexagesimo sexto præstantem, & admirabilem plantarum, atque animalium parentem, nutricem, & receptricem: Psalmo centesimo tertio, Isaiæ quadragesimo. Quam & nobis, dum peregrinamur à Domino, incolendam, terendamque, & subiugandam amanter ille, & benignè dedit.

LIPPOMANVS etiam maiori amplificatione nomine Cœli cum aëre, igne, & Cœlis, etiam Empyreum, Angelosque venire his tradit.

Cœli autem nomine complectitur omnia, quæ sursum sunt, aërem, ignes, corpora Celestia omnia cum spiritualibus creaturis, quæ sunt in Cęlis, & sensibus nostris capi non possunt. Terra verò dicitur quicquid deorsum iuxta Terram conspicitur, cum aquis ipsis, terræ adhærentibus. Ac si dicat, quicquid in toto Mundo vides, vel non vides, sursum ac deorsum, initium suscepit, aliquando non fuit, de nihilo conditum est à Deo vno, & solo, quem solum colere debet homo, & adorare, cui hæc omnia seruiunt, & Dei creaturæ sunt, proque Deo coli omninò non possunt.

Sed de his postremis duabus expositionibus, quid existimandum sit, mox aperiam.

Iudicium Auctoris.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante diem.

Colligo primùm funem, vt è labyrintho egredi possim; Cœli nomen ad significandam partem Mundi supernam, hoc est, Cœlestia, traxit Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Steuchus, Burgensis. Ad Idæas Plato, & Philo. Ad Angelum, seu in pura natura, seu beatum, Augustinus, Eucherius, Beda, Strabus, Magister, Hugo, non ex sua quidem sententia, sed vt D. Augustino applauderet. Ad Empyreum Philo, Clemens, Origenes, Diodorus, Hilarius, Iunilius, Anselmus, Rupertus, Strabus, Hugo, vt communi faueret sententiæ, Petrus Comestor, D. Bonauentura, Lyranus, Tostatus in sua secunda expositione, & Catherinus. Ad corpus Cœleste præseminatum in Chaos, Gregorius Nyssenus, Alcuinus. Ad tria superna elementa in specie nebulæ expansa, Hugo, Richardus. Ad supremum Orbem tantùm, Basilius, Ambrosius, Damascenus, Theodoretus, Gennadius, Acacius, & nuperrimè Caietanus. Ad cunctos Orbes Cœlestes, Tertullianus, D. Thomas, ac Scholastici ferè omnes, Hamerus, Tostatus, Lyranus in secũda expositione. Ad cunctos Orbes Cœlestes, & Empyreum, Aegidius, & Pererius. Ad duo superna elementa, aërem, & ignem, & cœlestia corpora, Vielmius. Ad eamet, & Angelum, Lippomanus. Terræ pariter significationem ad inferam, vel mediam Mundi partem, hoc est terrestria, seu elementata, Chrysostomus, Cyrillus, D. Augustinus, Steuchus, Burgensis. Ad Idæam Terræ, Plato, & Philo. Ad materiam primam, Augustinus, Eucherius, & Beda, ac Strabus. Ad Chaos vniuersali quadã forma rudi præditum, Gregorius Nyssenus, Catherinus. Ad Chaos congestum ex elementis, Iunilius, Magister, Petrus Comestor. Ad Terram elementum, Basilius, Ambrosius, ac cæteri prisci Patres, D. Thomas, Hugo, Richardus, Caietanus, Pererius. Ad Terram, & Aquam, Vielmius, Lippomanus, Steuchus. Non ignoro autem ex hac bene agnita interpretatione, quasi ex bene apprehenso tramite, iter mihi parari ad certam Mosis historiæ intelligentiam, atque quòd à vera huius loci commentatione aberrare, sit vagos, difficilesque calles mihi præparare. Prosiliunt certè tot totius Mosis historiæ interpretationes, ac creationis Mundi modi, quot sententiæ sunt recitatæ. Cùm igitur ex huius loci interpretatione totius ferè præsentis capitis clari, & veri sensus emergant, ac proficiscantur, necessarium est, vt arduam & prolixam suscipiamus disceptationem: Primumque genesim Angelorum, & Empyrei exponentes, num in hac conditi Orbis narratione comprehendantur, definiamus. Quòd si exclusos esse tum Angelos, tum Empyreum, tantumque Mundi huius sensilis genituram, & effectionem describi decreuerimus; inuestigandum mox erit, Num Mundus absolutus vnico momento manarit, an sex dierum tempore; & si eo ordine Mundum prodijsse statuerimus, vt primùm Chaos quoddam Deum produxisse dicamus, ac post tribus diebus perfecisse, & alijs tribus exornasse; inquirendum etiam supererit, quodnam Chaos illud fuerit, num rude vna vniuersali forma preditũ, an ex elementis, & Cœlis conflatum. Si verò ipsum ex Cœlo, & elementis suis substantialibus formis præditis constare asseruerimus, mox facilè apparebit, quid Cœli & Terræ nomine intellexerit Moses, habebimusque claram seriem, quo ordine illud distinxerit, aut venustarit. Quæ maximè facient ad literæ huius capitis declarationem, ad omnemque opificij Mundi effectionem assequendam.

De Genesi, seu de productione Angelorum.

Vm Angelus præstantissimus sit rerum, tum diuinarum, tum humanarum à Deo creatarum, eiusque productio, vt benè censuit Augustinus, vel à *Mose* prętermissa non fuerit, vel si ab ipso obliterata fuit, saltem à nobis in *hac de* rerum omnium genesi narratione omitti & præteriri non debeat; ratio expostulat, vt de ipsius natalibus hęc saltem inuestigemus: Quomodo scilicet manarit; Quo tẽpore; & Quo loco; Quo substantiæ genere; Qua essentiæ præstantia; & Quibus dotibus fuerit insignitus; tandem, Num eius creationem Moses hoc loco tradat. Mihi parcat, quæso, ingenuus lector, si exactiùs hæc omnia perpendam. Glossa enim magna

gna hæc est, & magnæ Glossæ prolixitas non est indecens, maximè vbi Patrum plurimorum sententiæ sunt deducendæ.

Fateor præstantissimi Ciues cælestes, meum potius munus esse encomia uestra celebrare, excellentem vestram spiritalem naturam, immortalem, gloriosamque suspicere, innumera vestra, nobis Dei iussu, beneficia impensa contexere, pias nobis intercessiones, ac orationes vestras æstuanti animo deposcere, contra infestas Dæmonum impulsiones vestra munimina expostulare: quàm importuno ausu vestram indagare genesim. Verùm parcite, quæso, meæ non dicam temeritati, sed necessitati: Inclyta quippè, ac super omnem creaturam augusta natalia vestra, Patrum sententijs manuductus, ex instituti mei ratione, pro incomparabili vestra gloria enarrare compellor. Fauete igitur, Dei impetrata mihi gratia, onus hoc libenti animo suscipienti, intellectum rudem illustrate, dirigite calamum, labia calculo mundate ignito; Mea siquidem tanta est imbecillitas, vt nil rectum ex me enunciare queam; sed si quicquam probè dixero, id vestra tantùm ope me dixisse cognoscam. Ad Angelos deprecatoria conuersio.

Mortalium origines, gestaque contexere, si alij arduum existimant, difficillimum certè experior ego, præstantissimorum Cœlestium Spirituum, illorum sublimium diuinæ gloriæ præconum, Mundique præsidum, primæuam prosilitionem, natalia ignota, excelsas dotes, cæteraq; eorum gesta enarrare. Quis nāq;, vt à primo exordiar, ex coruscantissimo Triadis vtero radios illos incomprehensibili, ineffabili, mirifico, excelsoque modo profluentes, eo citatissimo temporum primordio, inuestigare vix poterit? quis attingere? quis proferre? Vnum mihi superest refugium; consulam oracula nostra, & ex ipsorum ore eloqui studebo.

Prosiliere Angeli Dei Verbo.

GREGORIVS Nazianzenus, in Christi Natiuitatem Oratione Panegyrica.

Quoniam autem bonitati nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moueri, sed bonum diffundi, ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur (id enim summæ bonitatis erat) primùm Angelicas, & Cælestes virtutes cogitauit; atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri.

NICETAS in Commentario.

Atque hic tibi animaduertendum, principem eorum, quæ fiunt, caussam, Patrem esse, effectricem verò Filium, perfectricem autem Spiritum Sanctum; Ita vt Patris quidem voluntate administri Spiritus existant; actione verò Filij in rerum naturam producantur; Spiritus autem præsentia, perfectionem, & expletionem accipiant.

Et Oratione secūda in Pascha, quæ est quadrag. secūda, Gregorius Nazianzenus eadē ferè recitat, & Carmine de Mundo elegantissimo Poëmate, idipsum his edisserit.

Hoc quoque præterea, quò se exerceret, habebat,
Sancta Trias. Mundi formas nanque ipsa futuri,
Iam sibi præsentis, lustrabat mente beata. Et post.
Post autem fœtus in ortum
Tempore maturo erupit, cùm cuncta retexit,
Vnigenus Sermo, claraque in luce locauit.
Ac ratione quidem pollentem, & mente volebat
Condere naturam, quæ partim sedibus altis
Degeret, & terra partim, primique referret
(Vt speculum quod labe uacat, præstatque nitore)
Luminis effigiem, sanctæque imitamina formæ:
Sic tamen, vt superæ mentes, regisque ministræ
Vndique fulgenti radiarent lumine, contrà
Hic imæ imperium, & regalia sceptra tenerent.
Nanque suum latè cupiebat fundere numen:
Scilicet, vt plures, quibus induperaret, haberet
Cœlicolas, pluresque sua quos luce bearet.
Nam Patris hæc demum superi est natura, beare.

Pro-

Prosiliere ex sola Dei bonitate.

Ad Angelos depraecatoria conuictio.

CHRYSOSTOMVS libro primo de Prouidentia Dei.

Principio cùm Angelos crearet Deus, immò vero, vt priora complectatur oratio, antequam Angelos conderet, Cęlestesq; reliquas virtutes; Deus erat sine vllo vnquam suæ substantiæ principio. Cùm verò nullius rei egens semper esset, id quippè proprium Diuinitatis est, creauit Angelos, Archangelos, omnesq; reliquas incorporeas, immortalesq; substantias. Creauit verò ob aliud nihil, nisi sola bonitatis suæ caussa. Quorum enim obsequio non indigebat, nunquam eos profectò creauisset, nisi supremè bonus, atque clemens esset.

Emanarunt ex nihilo.

Obtestantur id plures Patrum; quorum sententias intexere vt in re conspicua superfluas, non consentaneum iudicaui.

CYRILLVS Alexandrinus in Genesim libro primo.

Quid igitur quæso? oportet enim hunc sermonem ad illa, quæ modum humani generis superant, redigere, scilicet ad beatos Angelos, qui à Deo facti sunt, atque ex nihilo producti, Angeli, Archangeli, Throni, Potestates, Virtutes, atque Principatus, ipsa quoque superna Seraphim.

Emanarunt Angeli modo ineffabili.

CHRYSOSTOMVS Homilia de Lapsu hominis.

Deus sine initio sempiternus, sine fine perpetuus, præscius omnium futurorum, non ab initio aliquid facere inchoauit, quod antea non disposuerat: sed ita omnis creatura in eius fuit dispositione, vt initium ea, quæ facta sunt, in Deo non habeant: quia semper fuit in Dei dispositione, quod postea factum est in operatione: fecit ergo Deus Angelos miro, & ineffabili modo, dicente Propheta; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Psal. 103.

Prodiere repente, & simul.

THEODORETVS de Græcarum affectionum curatione, libro tertio, de Dijs, & Angelis, sic inquit.

Naturam eorum spirituum, qui videri non possunt, nequaquam ex duobus, vt humanæ naturæ primæ propagines Adam, & Euam: sed vniuersam simul, semelq; creauit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repentè simul produxit.

ATHANASIVS contra Arrianos, sermone tertio.

Et ex creatione Mundi visibilis, inuisibilia eius hoc genere operum intellecta contuemur, colligimusque, ne illic quidem quicquam seorsum in suo genere, aut prius, aut posterius creatum esse; sed omnia simul, quæ eiusdem conditionis sunt, extitisse.

Prodiere tanquam radij à Sole.

GREGORIVS Nazianzenus, Oratione allegata.

Atque ita secundi splendores procreati sunt primi splendoris administri.

Et in Oratione trigesima quarta, quæ est secunda de Theologia, idipsum ferè testatur. Mirifica certè comparatio: quemadmodum siquidem Sol mox vt coruscantem lucem ad extra in aërem ineffabili radiatione diffundit, innumeros radios ocyssimè vbique splendentes exhalat: ita sanctissima illa Diuina essentia, vt se ad extra communicare dignata est, mox primo loco innumerabiles Angelicorum spirituum acies, naturæ splendore micantes, effudit.

Erupere tanquam scintillæ à Silice.

GREGORIVS Magnus expositione morali in Iob, libro trigesimo primo, capite decimo nono, Angelos, Silices appellari posse, luculenter his demonstrauit.

Et in præruptis silicibus commemoratur, atque in accessis rupibus. Qui enim sunt alij prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorum Chori; qui quamuis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis Angelis Diabolo, remanserunt? Prærupti enim sunt: quia pars eorum cecidit, pars remansit.

Quemadmodum igitur ex lapide, ferro percusso, innumeræ prosiliunt scintillæ; ita verbo à diuina sanctione ad proferendos Angelos destinato, immunerabiles erupere Angeli, vt scintillæ suæ naturæ eminentia fulgentes: seu quemadmodum ex accenso ignito stipite cōcitante ferro, infinitæ exeunt fauillæ; ita ex flagrantissima Diuina voluntate, qua pulsus Deus dedit esse, his quidem clariùs, his autem obscuriùs, infiniti propè erupere Angeli. Quis igitur non obstupescet genesim adeò mirificam Angelorum, Dei verbo ex immensa bonitate, modo ineffabili, repentè, & simul, ad instar radiorum ex Sole, seu scintillarum ex lapide, seu fauillarum ex igne prodeuntium? Demirari nobis certè potius, atque suspicere hanc eorum genituram incumberet, quàm imperitè eam enarrare.

Prosiliere non ab æterno.

AMBROSIVS libro de Sacramento Incarnationis Dominicæ, capite tertio.

Remaneant etiam Angeli, & Archangeli post Verbum, etsi principium eorum non inuenio, erat tamen Verbum quando non erant; Non erant enim, qui aliquando cęperunt.

Angelos à classe Creaturarum eximendos non esse, nec ab ęterno prosilijsse, (quod & ipsi non nisi inuiso, ac rubenti ore, vtpote suæ conditionis memores audient) Theologia nostra ex ipso veritatis Scripturæ nitore elicit. Quamuis enim Thomistarum sit sententia, potuisse Deum ab æterno Mundum & pari ratione Angelos conflare; produxisse tamen ab æterno vel Mundum, vel Angelum; nullus vnquam omninò Patrū, seu Doctorum, autumasse conspicitur. Siquidem si Angeli ab æterno emanassent, vel sine Deo, vel à Deo prodijssent; Si sine Deo, igitur Dij essent, Deoque in æternitate compares: Si à Deo, vel ex natura, vel ex beneplacito emersere: Si ex natura, iterū Dij essent: quoniam quæ à Deo ex natura proueniūt, Deus esse dicuntur; quo quid absurdius? quid magis impium? Si verò ex beneplacito, igitur creati sunt, cùm Deo placuit. At Deo non libuisse vllam conflare in ipso æternitatis apice creaturam, oracula Scripturarum, omnisque Theologorum cętus edocet. Da igitur quodcumque uolueris momentum post Deum, in quo manarint Angeli, iam eos ab æterno non extasse euictum est. Enarrandum igitur nobis superest, disceptandumque grauius, Quando prosilierint: Quo loco: Qualis prodierint substantiæ: Et quibus præcipuè insigniti dotibus, tum naturalibus, tum supranaturalibus.

Deo non placuit vllam rē ab æterno producere.

Num Angeli conditi sint ante Mundum.

De genesis Angelicæ tempore, plures adsunt illustriores sententiæ. Ecclesia Græca ferè omnis, ac prisca Latina ante D. Augustinum, permultis ante Orbem sæculis, æonis (vt D. Basilius loquitur) intelligibilibus nobis incognitis, ac incompertis, vel saltem parum ante Mundum, Angelos fuisse à Deo editos existimauit.

Catena Patrum asserentium Angelos conditos ante Mundum.

AENEAS Gazæus libro inscripto Theophrastus, Apollinis Oraculum, hoc prodidisse his tradit.

Sed & Apollo quodam Oraculo edito respondit: ante hominum, Mundique creationem, Dæmones factos esse, qui Conditori salutem hominis curanti subseruirent. Oraculum autem ipsum sic habet; Conditi sunt ante nos, diuinamque Mundi generationem, immortales Spiritus in nostram vtilitatem.

TERTVLLIANVS, seu, vt Iacobus Pammelius mauult, Nouatianus, Romanæ Vrbis Presbyter, libro de Trinitate.

Quanquam etiam superioribus, idest super ipsum quoque solidamentum partibus, quæ non sunt hodie nostris contemplabiles oculis, Angelos prius instituerit, spiritales virtutes digesserit, Thronos, Potestatesque præfecerit, & alia multa Cœlorum immensa spatia, & sacramentorum infinita opera condiderit; vt immensus hic licet Mundus, penè nouissimum magis Dei corporalium rerum appareat opus esse, quàm solum.

ORIGENEM, Angelos ante Mundum creatos existimasse, clarè educitur ex Periarchon doctrina; his siquidem in libris, præcipuè libro primo, ac etiam libro

bro secundo, capite primo, demonstrare Origenes (erroneè quidem) contendit, inuisibiles Creaturas ante Mundum æquales à Deo fuisse conditas: ob earum autem inæqualia merita & crimina ad dispares functiones, vel pœnas fuisse destinatas. Quapropter opificem Deum, hunc sensibilem Mundum compegisse, inæqualiaque entium genera, & naturas in eo excogitasse, vt impares eis functiones impertiretur, & inuisibiles illas creaturas in corpora ipsa, tanquam in carceres detrudens, inæqualibus pœnis mulctaret. Ait igitur.

Cùm ergo tanta sit Mundi varietas, atque in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diuersitas, propter quam etiam omnis reliqua varietas, ac diuersitas putanda est extitisse: quam caussam aliam dici oportebat, qua Mundus extiterit, præcipuè si intueamur illum finem, per quem omnia restituenda in statum initij sui, libro superiori dissertum est. Quod vtique si consequenter dictum videtur, quam aliam (vt dicimus) caussam putabimus tantæ huius Mundi diuersitatis, nisi diuersitatem, ac varietatem motuum, ac prolapsuum eorum, qui ab illa initij vnitate atque concordia, in qua à Deo primitus procreati sunt, deciderunt; & ab illo bonitatis statu commoti, atque distracti, diuersis dehinc animorum motibus, ac desiderijs agitati, vnum illud & indiscretum naturæ suæ bonum pro intentionis suæ diuersitate, in varias deduxerunt mentium qualitates?

Origenem hoc loco de animabus sermonem habere suspicari haud inscienter possumus; sed si animas ante Mundum creatas censuit, multo magis id de Angelis, ipsum existimasse affirmandum est. Idipsum insinuauit Homilia quarta in Isaiam. Sed hęc execrati sunt Patres prisci, præcipuè Augustinus vndecimo de Ciuitate Dei, capite vigesimo tertio: Hieronymus in Epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani.

GREGORIVS Nazianzenus in Christi Natiuitatem Oratione Panegyrica.

Deus primum Angelicas, & Cælestes virtutes cogitauit: atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Et post. *Posteaquam autem primas creationis partes præclarè constitutas vidit, alterum Mundum materia constantem, & aspectabilem cogitauit, hanc nimirum ex Cælo, & Terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem, & concretionem.*

Deo non placuit vllam rē ab æterno producere.

NICETAS eo loco sic inquit.

Intellectilis Mundus creatus est, hoc est, primo ordine, & vnica cogitatione; atque ob has caussas, hoc est, non propter necessitatem, sed propter bonitatem solam; & quia bonum illud permanere, ac propagari oportebat. Postquam autem Cælestia ita creata, præclareque constituta sunt, (nec enim aliter contingere poterat) Mundum quoque aspectabilem, atque ex materia constantem, moliri, & efficere voluit.

Consimilia consimilibus ferè clausulis edocet præstantissimus is Pater, Oratione secunda in Pascha, quæ numero quadragesima secunda compilatur.

NICETAS Græcus Commentator insignis Patrum, Commentatione sua in Orationem Gregorij Nazianzeni Panegyricam, in sancta lumina, ait.

Deus quippe motus sese ad rerum procreationem & fabricationem, agitauit; ac primò quidem ipsius motu Angeli procreati sunt, vtpotè ante tempus conditi: quandoquidem ante Cęlum, & diem, ac Solem, qui tempus constituit, Angeli creati sunt; secundo autem hic Mundus, qui aspectu sentitur.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima, dilucidè certè Angelos beatos ante Mundi ortum extitisse asseuerauit, caussamque cur eorum Moses genesim non meminerit, explicauit, cùm dixit.

Erat sanè status quidam Mundi generatione superior, abstractis illis à concretione materiæ potentijs Mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum, ac perpes. Creaturas autem in ipso Creator omnium, atque opifex perfecit, lucem spiritualem eorum beatitudini accommodam, qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè præditas atque inuisibiles, omnesque beatarum mentium ordines, quotquot nostræ mentis quantamlibet dixeris, facultatem exuperant; quorum ne nomenclaturas quidem possimus inuenire. Et hæc substantiam complent Mundi illius inuisibilis, vt & ipsi instruimur Coloss. 1. *Doctore Paulo: In ipso, ait, condita sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, siue Virtutes, siue Angelorum exercitus, siue Archangelorum præfecturæ. Tum demum conueniebat, his iam conditis Mundus, vt accederet, & adiungeretur, qui in primis locus esset perdocendis animabus hominum, atque erudiendis sanè quàm accommodus.*

ANASTASIVS Synaita Hexæmeron libro primo, D. Basilij assertioni his annuit.

Diuinus autem, & sublimis Basilius soluens, quæ de principio infertur, obiectionem, dixit sensili Mundo esse vetustiorem intelligentium virtutum constitutionem. Et post. *Cælum quidem, simul comprehendendo, nominat omnes Cęlestes, & intelligentes, sanctarum virtutum, & intelligentis Mundi constitutiones, vt intelligas*

telligas supernum Mundum prius fuisse fabricatum, congruentem voci Theologi, quæ dicit; Primum quidem mente cogitauit Angelicas virtutes, & Cęlestes; & cogitatio opus fuit.

CYRILLVS Alexandrinus in Ioannem libro sexto, capite sexto, in hanc cadere sententiam visus est, cùm ait.

Atqui cùm Mundus iste sensibilis productus est, & homo formatus: iam creata subsistit substantia Angelica, primò omnium (vt complurium est sententia) ad esse deducta.

IOANNES Cassianus, quanquam Scytha, inter Græcos attamen connumerandus, Collatione octaua, capite septimo.

Ante conditionem huius visibilis creaturæ, spiritales, cęlestesque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quòd scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio Creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes, indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. Nec enim existimare debemus creationis, & opificij sui principia ab huius Mundi constitutione Deum primitus inchoasse, quasi in illis anterioribus, atque innumeris sæculis, ab omni prouidentia, & dispensatione diurna fuerit ociosus, ac tanquam non habens in quos bonitatis suæ beneficia exerceret, solitarius, atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur; quod de illa immensa, ac sine principio, & incomprehensibili Maiestate satis humile est, incongruumque sentire, ipso Domino de illis Potestatibus hæc dicente; Quando facta sunt simul sydera, laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei. Qui ergo interfuerunt creationi syderum, ante istud principium, in quo factum dicitur Cęlum, & Terra, creati fuisse manifestissimè comprobantur: quippe qui pro istis omnibus visibilibus creaturis, quas videbant ex nihilo processisse, Creatorem magna voce referuntur, & admiratione laudasse. Et Post. *Ante istud, inquam, geneseos temporale principium, omnes illas Potestates, Cęlestesque virtutes Deum creasse non dubium est. Quas Apostolus per ordinem numerans, ita describit; quia in Christo creata sunt omnia, siue quæ in Cœlis, siue quæ in Terra sunt, visibilia, & inuisibilia; siue Angeli, siue Archangeli, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Coloss. 1.

IOANNES Damascenus Orthodoxæ fidei libro secundo, capite tertio, ex Gregorij Nazianzeni præceptoris, quem ipse Deiloquum appellat, sententia, idipsum affirmauit.

Nonnulli porrò dicunt, ante omnem creaturam factos Angelos, vt Deiloquus dixit Gregorius: & primum quidem excogitasse Angelicas, & Cœlestes virtutes, & eius cogitationem opus fuisse: Alij autem, post primum Cœlum factum. At quòd ante hominis plasmationem creati sint, concordant omnes. Ego verò Deiloquo Gregorio accedo. Nam par fuit primùm intellectualem substantiam creari, atque sic sensibilem, & tunc ex vtrisque hominem.

IOANNES Chrysostomus Homiliis in Genesim idipsum retulit.

Propter te, ait, ò homo, hæc omnis corporea creatura, non enim Angeli eius indigebant. Qui enim fieri potest, qui ante extiterant. Nam quod multo sunt priores Angeli corporea creatura: Audi quid dicat is qui cum Iob disserebat; Quando facta sunt astra, laudabant me omnes Angeli mei voce magna, & celebrabant stupentes super multitudine, & pulchritudine. Iob. 38.

Et libro primo de Prouidentia Dei, ait.

Principiò cùm Angelos crearet Deus; immò verò vt priora complectatur oratio, antequam Angelos conderet, Cœlestesque reliquas virtutes, Deus erat sine vllo, inquam, suæ substantiæ principio. Cùm verò nullius rei egens semper esset (id quippe proprium Diuinitatis est) creauit Angelos, Archangelos, omnesque reliquas incorporeas, immortalesque substantias. Creauit verò ob aliud nihil, nisi sola bonitatis suæ caussa. Quorum enim obsequio non indigebat, nunquam eos profectò creauisset, nisi supremè bonus, atque clemens esset; post verò illorum creationem fecit hominem, ipsa scilicet, atque eadem caussa, Mundumque hunc omnem; quem cùm innumeris bonis, omnique ornatu, ac decore insignisset, paruum illum atque vilissimum puluerem his omnibus præfecit, hoc illum in terra constituens, quod ipse esset in Cœlo. Deus sola bonitate Angelos creauit.

SEVERIANVS Gaballorum, interprete Steucho.

Creati sunt Angeli ante Cęlum, post Angelos Cęlum, & quæ infra Cœlum sunt. Aderant igitur rerum creationi Angeli: stabiliebatur Cœlum, Angeli laudabant. Nam quoniam se ipsos nascentes non viderant, Cęlum creatum admirati sunt; intuebantur Solem rutilantem, videbant Lunam radiantem; item nata sydera, attonitique stupebant. Dicit enim Deus ad Iob; Quando faciebam astra, omnes Angeli mei laudabant me. Iob. 38.

DIODORVS, vt ex Catena habetur, si non multis annis, saltem paulò ante Mundum fuisse conditos Angelos asseruit, cùm dixit.

Post inuisibiles, atque intellectu præditas substantias, Deus Cœlum statim, vnà cum Terra fabricatus est: non illud, quod aspectabile est, sed quod sub omnes Cęlos est, quod Dauid Cœlum Cęli nuncupare solet.

PROCOPIVS Præfatione Commentariorum in Genesim, inquit.

Adest Iobis testimonium, cuius tenor est: Cùm congratularentur stellæ matutinæ, & iubilarent cuncti

filij Dei. Per stellas matutinas, intellige Angelos, vt habent Septuaginta Interpretes. Quibus ex verbis liquet satis Angelos ante Cœlum & Terram suam essentiam adeptos. Nam, vt dilucidè distinguit Moses, Astra tertio demum post die facta sunt.

Ex Latinis (vt euitandæ prolixitatis caussa multos omittam) huic sententiæ plurimum detulerunt auctoritatis duo splendida lumina, Ambrosius, & Hieronymus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quinto: cùm omnia facta esse per Verbum disceptaret, in hæc incidit verba.

Et factus est ergo Mundus, & cœpit esse qui non erat. Verbum autem Dei in principio erat, & erat semper. Sed etiam Angeli, Dominationes, & Potestates, etsi aliquando cœperunt; erant tamen iam, quando hic Mundus est factus. Omnia nanque creata, & condita sunt, visibilia, & inuisibilia, siue Sedes, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt.

Ioan. 1.

HIERONYMVS super primum caput Epistolæ ad Titum hoc ipsum contestatur.

Sex millia necdum nostri Orbis implentur anni, & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est: in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteræque Virtutes seruierint Deo, & absque temporum vicibus, atque mensuris, Deo iubente substiterint.

Magister secundo sententiarum distinctione secunda, Hieronymum ex aliorum sententia id prodidisse autumat.

Cæterum idem Hieronymus in Epistola centesima quadragesima secunda ad Damasum, exponens ea verba (& duabus uelabant faciem eius,) ait.

Velabant faciem, non suam, sed Dei. Quis enim eius potest scire principium? qui antequam istum conderet Mundum, interim fuerit in æternitate, quando Thronos, Dominationes, Potestates, Angelos, cæterumq; ministerium cœleste condiderit?

Locus, meo iudicio, est conspicuus, maximè si quis subsequentia dignabitur rimari.

HILARIVS his accedit duodecimo de Trinitate non longè à fine.

Quid enim magnum est, vt ante Terram, Deus Dominus Christum generaret, cùm Angelorum origo Terræ creatione reperiatur antiquior?

Et in libello contra Auxentium paulo ante finem, his Arrium infestat.

Christum ante tempora natum asseris, & creatum; nega igitur Diabolum ante sæcula, ac tempora substitisse.

LACTANTIVS Firmianus Diuinarum institutionum libro secundo, capite nono.

Deus fabricaturus Mundum fecit ante omnia duos fontes rerum, duos spiritus, rectum, atque prauum; postea ad multos genuit alios operum suorum ministros, quos Angelos nominant Græci.

Sed hæc à Theologica veritate multū abscedunt: Deus siquidē oēs Angelorum acies creauit ob sui sanctitatem, bonitatemq;, nec in Mundi emolitione eorum ope vsus est.

BEDA in libello Separatarum quęstionum, quæstione nona.

Angeli ante creationem Mundi creati sunt, & ante omnem creationem Angelorum, Diabolus est conditus, sicut scriptum est; Ipse est principium viarum Dei.

Iob. 4.

ANSELMVS Cantuariensis de imagine Mundi libro secundo, capite primo.

Deus solū bonitate Angelos creauit.

Aeuum est ante Mundum, cum Mundo, & post Mundum, hoc ad solum Deum pertinet, qui non fuit, non erit, sed semper est, tempora æterna sub quo sunt; & hęc ad Archetypum Mundum, & Angelos pertinent, qui ante Mundum esse cœperunt, & cum Mundo, & post Mundum erunt.

MOSES Barcepha Syrus Episcopus, Commentariorum de Paradiso, parte secunda, capite septimo.

Illud verò quod ait: Ab initio est; ac si dicat, eam vitam spiritualem atque beatam ab ipso Deo institutam fuisse ante conditum hunc corporatum Mundum; hoc est, ante eam machinam, quę ex Cœlo, Terraq;, & ijs, quæ inter hæc media sunt, constat: atque in ea vita versatos, oblectatosque fuisse Angelos ante hanc Mundi aspectabilem, & corporatam molem creatos fuisse, etsi Syri hoc negent.

Rationes probantes Angelos ante Mundū conditos.

Sententiæ tantorum Patrum, vetustate, & auctoritate grauissimorum, plurimę fauent non modici ponderis rationes. Primùm nanque Angelus dignitate præcessit Mundū; igitur & genesi. Siquidem naturæ Angelicæ dignitas exposcebat, vt quæ omnem aliā creaturam superexcedit, ac superat, ante omnem aliam etiam conderetur; Nec frigida est, vt multi existimarunt, hæc ratio, quam Patres detulere; Angelus siquidem eminentior est creaturis omnibus corporis mole præditis, ac Deo ipsi proximior, eminentior certè natura, cùm purus spiritus sit nulli addictus corpori; eminentior loco, quoniam

niam Empyreum extra Orbem excelsum, coruscantiq; fulgore enitentem inhabitat:
eminentior igitur erit & genesi. Quamobrem vtì Deus perenni gaudet æternitate,
Mundus in tempore conditus, tempore mensuratur: Angelus ante tempora prodire
debuit, ut æuo commensuretur. Amplius id à Theologis, vt ratum, exploratumque
excipitur, Angelos, scilicet, ac Intelligentias post beatitudinem comparatam, Cœle-
stibus orbibus addictos fuisse: Hac iacta basi, cùm Augustinus princeps eorum, qui
Angelos ante Mundum non extasse contendunt, ac sectatores eius asserant, simul
vnico temporum primordio prosilijsse Angelos, & Cœlum: Si Angelus non pri-
mo cecidit momento (nam morulas saltem duas, vel tres, ut addunt Theologi, à crea-
tione ad lapsum interfuerunt) igitur vel Angelus conditus est ante Mundum, vel certè
Cœlum non statim cieri cœpit, quando compactum est, vt ipse Augustinus tradit; quę
omnia ordinem, decoremque Mundi perturbant, atque confundunt. Præterea sum-
ma Dei Maiestas exposcebat, vt quàm citius præcones haberet, qui laudes ipsi redde-
rent; igitur si non ab æterno, saltem multis æuis & sęculis ante Orbem laudantes An-
gelos Deum habuisse censendum est: iuxta illud Iob; Vbi eras cùm me laudarent astra
matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Argumentationem hanc, licet Theodoretus
videatur eludere, contendens primò Deum laudatoribus non indigere, & deinde quòd
hac ratione Angelos necessariò sempiternos fuisse, asserendum esset; persistit tamen,
meo quidem iudicio, nec labefactatur hæc ratio: quanquam enim Deus laudatoribus
non indigeret, Maiestatis tamen eius decus, ac specimen expostulabat, vt multo ante
orbem conditum laudatores habuerit: Nec ob id dicendum æternos eos esse. Præ-
termitto Scripturæ locum illum, à Magistro secundo Sententiarum, distinctione se-
cunda delatum, & à Scholasticis passim traditum, Prior omnibus creata est Sapientia,
quòd facilè ipsi satisfieri posse non ignorem, seu dicendo, quia dignitate, non tempore
prior omnibus dicitur Angelus, seu quòd non de Angelo, sed de æterno Verbo id di-
ctum sit. Nec obstat, quòd illa Sapientia creata dicatur; nam alij profundius locum
ponderantes, creata, pro eo quod est semper producta, seu genita, exposuere.

Angeli post Beatitudinē comparatam Cœlis addicti.

Iob. 38.
Quæst. 3. in Gen.

Catena Patrum, Angelos cum Mundo conditos esse existimantium.

AVGVSTINVS, ex aduersa acie, princeps, ac dux adest, qui &
Angelos cum Mundo congestos, & Mosem eorum genesim recensere, pluribus, ac plu
ribus in locis edocuit; Explicatum autem est hoc eius placitum, primùm, ac præcipuè
de Ciuitate Dei libro vndecimo, eo argumento, quia cùm in Mosis chronologia, nul-
lum Dei opus prætermissum sit, non potuit prætermitti nec Angelus, qui Dei opus iu-
re meritò appellatur. Verba Augustini sunt hæc.

Cap. 9.

*Vbi de Mundi constitutione Sacræ literæ loquuntur, non euidenter dicitur vtrum, vel quo ordine creati sint
Angeli: sed si prætermissi non sunt, vel Cęli nomine, vbi dictum est; In principio fecit Deus Cęlum, &
Terram; vel potius lucis huius, de qua loquor, nomine significati sunt. Non autem prætermissos esse, hinc
existimo, quòd scriptum est, requieuisse Deum in septimo die ab omnibus operibus suis, quæ fecit, cùm liber
ipse sit exorsus; In principio fecit Deus Cęlum & Terram: vt ante Cęlum, & Terram nihil aliud fecisse
videatur. Cùm ergo à Cęlo, & Terra cœperit, atque ipsa Terra, quam primitus fecit, sicut Scriptura conse-
quenter eloquitur, inuisibilis & incomposita, nondumque luce facta, vtique tenebræ fuerint super abyssum,
idest, super quandam terræ, & aquæ indistinctam confusionem: vbi enim lux non est, tenebræ sint, necesse est.
Deinde cùm omnia creando disposita sint, quæ per sex dies consummata narrantur, quomodo Angeli præter-
mitterentur; tanquam non essent in operibus Dei à quibus die septimo requieuit? Opus autem Dei esse Ange-
los, hic quidem etsi non prætermissum, non tamen euidenter expressum est: sed alibi hoc Sancta Scriptura
clarissima voce testatur. Nam & in Hymno trium puerorum, cùm prædictum esset; Benedicite omnia opera
Domini Domino: in exequutione eorundem operum, etiam Angeli nominati sunt. Et in Psalmo canitur; Lau-
date Dominum de Cœlis: Laudate eum in excelsis: Laudate eum omnes Angeli eius: Laudate eum omnes
Virtutes eius: Laudate eum Sol, & Luna: Laudate eum omnes Stellæ & lumen. Laudate eum Cœli Cęlorum, &
aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini: Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit,
& creata sunt. Etiam hic apertissimè à Deo factos esse Angelos diuinitus dictum est, cùm eis inter cætera Cœ-
lestia commemoratis, infertur ad omnia; Ipse dixit, & facta sunt. Quis porrò audebit opinari, post commu-
nia omnia ista, quæ sex diebus enumerata sunt, Angelos factos. Sed & si quisquam ita desipit, redarguit istam*

Gen. 2.

Angeli, Dei opus sunt.

Daniel 3.

Psal. 148.

Iob. 38. *vanitatem illa Scriptura pari auctoritate, vbi Deus dicit; Quando facta sunt Sydera, laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei. Iam ergo erant Angeli quando facta sunt sydera: facta sunt autem quarto die. Nunquidnam ergo die tertio factos esse dicemus? Absit. In promptu est enim, quid illo die factum sit. Ab aquis vtique Terra discreta est, & distinctas sui generis species duo ista elementa sumpserunt: & produxit Terra quicquid ei radicitus inhæret. Nunquidnam secundo? Nec hoc quidem: tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores & inferiores, Cœlumque appellatum est: in quo firmamento facta sunt sydera quarto die. Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cuius vnitas vt commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies vnus.*

Consimilia habet idem Doctor egregius, de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite sexto.

THEODORETVS quæstione tertia in Genesim, prolixam, ponderosam tamen hac de re habet disceptationem.

Quòd autem Angeli substantiam habeant circumscriptam, nemo, vt arbitror, repugnabit: cùm Dominus
Matt. 18. *dixerit, singulos homines subesse singulorum Angelorum imperio. Videte enim, inquit, ne contemnatis vnum ex minimis, qui in me credunt; quia Angeli eorum vident semper faciem Patris mei, qui in Cęlis*
Deuter. 32. iuxta septuaginta Int. *est: Quinetiam cuique genti proprium Angelum præesse, affirmat Scriptura: verbi gratia, Statuit terminos gentium pro numero Angelorum Dei. Si igitur hic istis, ille verò illis præfectus est, singuli verò homines sub vnius, videlicet Angeli, cura degunt; certum est, Angelos determinatæ esse substantiæ. Quòd si verum est istud, sicuti profectò est, loco vtique opus habebunt. Nam sola Diuinitas, veluti minimè circumscripta, loco non est obnoxia. At si quod circumscriptum est, in loco est, qui fit, vt Angelos ante Cœlum & Terram extare arbitrentur? Nam si non sit in rerum natura, quod comprehendat, quomodo esse possit quippiam, quod comprehendatur? Sed aiunt quidam, necessariò dicendum prius Angelos extitisse, quàm Cęlum & Terram. Si enim Angeli, inquiunt, non extabant, quomodo Deus omnium laudabatur? Verùm qui hæc dicunt, non animaduertũt, quòd hoc sermone Angelos carere principio astruunt. Nam si Deus omnium laudatoribus indigebat, & hos semper habebat laudatores, coæterni igitur erant Angeli cum Deo omnium. Quòd si non semper erant, sed Deus eos condidit, quando id expedire iudicauit; erat igitur sæculum quoddam, quo Deus vniuersorum illos prædicatores non habebat. Non indiget ergo Dominus Deus laudatoribus, quippe qui natura nullius indigeat: sed sola bonitate ductus, Angelis, Archangelis, & vniuersæ creaturæ largitus est, vt essent. At verò, quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem præcedebant: cùm nullus esset, qui indigeret, aut adiuuaretur eorum opera? Siquidem in ministerium hominũ,*
Heb. 1. *Deo omnium subesse dicuntur. Cuius rei testis est Diuinus Apostolus, inclamans. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiũnt salutis?*

GREGORIVS Magnus expositione morali in Iob libro vigesimo
Iob. 38. octauo, capite septimo, eam sententiam, Cùm me laudarent astra matutina, interpretans, ait.

Quia enim prima in tempore condita natura rationabilium spirituum creditur, non immeritò matutina astra vocantur.

Fatetur igitur D. Gregorius Angelos in tempore congestos fuisse.

EPIPHANIVS contra Hæreses, libro secundo, tomo secundo, Hæresi sexagesima quinta, exponens id, Ex ventre ante Luciferum genui te.

Psal. 109. *Quo ex sermone cognoscas, quòd Deus Verbum in substantia, ex Patre natura genitus est sine principio, & sine tempore, antequam quicquam esset. Non enim Luciferum solùm dixit stellam, & quidem cùm multa sint sydera, & Sol, & Luna in quarta die facta, mare verò & ligna, ac fructus antea facta, firmamentumque Terræ, ac Cœli, & cum his simul Angeli facti fuerint. Nisi enim vnà cum Cœlo, & Terra Angeli quoque creati essent, non vtique dixisset ad Iob; Quando genita fuerunt sydera, laudauerunt me*
Ioan. 1. *omnes Angeli mei voce. Itaque ante Luciferum, quasi diceret, antequam eßet quid, & creatum esset. Erat enim semper Verbum cum Patre; per ipsum enim omnia facta, & sine ipso factum est nihil. Porrò dixerit quis, ostendisti Angelos fuiße ante sydera; & vnà cum Cęlo, & Terra hos factos eße dixisti: vnde facis demonstrationem, dic nobis? Nunquid ergo ante Cœlum, & Terram, omninò creati sunt? Nusquam enim clarè indicat Scriptura tempus creationis Angelorum. Et bene quidem ostendisti ipsos fuisse ante sydera: nisi enim fuissent, quomodo laudaßent Deum hymnis ob syderum creationem? Nos equidem vniuscuiusque quæstionis inuentionem, non ex proprijs ratiocinationibus dicere possimus, sed ex scripturarum consequentia. Clarè enim indicat Diuina Scriptura, quòd neque post sydera facti sunt Angeli, neque ante Cęlum, & Terram, cùm palàm intransmutabile sit dictum hoc, quòd ante Cęlum, & Terram nihil erat ex creatis. Nam in principio fecit Deus Cęlum, & Terram: vt principium sit, & nihil ex creatis ante hoc ipsum fit.*

ALBINVS Flaccus, cognomento Alcuinus, libro de Diuinis Officijs, sub titulo de Die Sancto.

Apparet autem hanc diem etiam in Sanctis Scripturis esse solemnem; Ipse est enim dies primus seculi: in ipso formata sunt elementa: in ipso creati sunt Angeli: in ipso quoque à mortuis surrexit Christus.

GEN-

GENNADIVS Libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, falsò D. Augustino adscriptus.

Et cùm adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, & aqua Terram absconderet, facti sunt Angeli, & omnes cœlestes virtutes, vt non esset ociosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet: & ita hic visibilis Mundus, ex materia, quæ à Deo facta fuerat, factus est, & ornatus.

Intelligas tu, cùm adhuc tenebræ aquam occultarent, eo momento quo Chaos tenebricosum prosilijt, emanarunt & Angeli.

RABANVS Maurus de Instit. Clericorum libro secundo, capite quadragesimo secũdo. Quod Alcuinus ab Isidoro mutuauerat; & ipse vel ab Isidoro, vel ab Alcuino deprompsit; siquidem tres hi Patres eadem ferè verbis etiam mutuatis produnt.

Apparet autem hunc diem esse solemnem. Ipse enim est dies primus sæculi, In ipso formata sunt elementa Mundi; In ipso creati sunt Angeli; In ipso quoque à mortuis resurrexit Christus.

ACACIVS libro Selectarum quæstionum, vsqueadeò primam irridet sententiam, vt Platonicam fabulam appellet. Ait enim.

Hi, qui Angelos ante Cęlum conditos volunt, Platonis Græcorum sapientissimi fabulas sequuti sunt, qui voluit rationalia, quæ sub intelligentiam cadunt, longè priora, atque antiquiora esse his, quæ sensibus subiacent.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Non ergo superius illud Cœlum, quod mortalium est omnium inaccessibile comspectibus, inane creatum est, & vacuum, vt terra, quæ nihil in sua prima virentium germinum, & viuentium produxit animantium creatione: quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est: quos in principio cum Cęlo, & Terra, esse editos, ac mox conditionem suam, simul & totius creaturæ primordialis, ad laudem conditoris retulisse, testatur ipse conditor, qui loquens ad sanctum suum famulum, dicit; Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Et paulò post: Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Iob 38.

ISIDORVS de Summo bono libro primo, capite duodecimo, Augustino consensit.

Ante omnem creaturam, Angeli facti sunt: dum dictum est; Fiat lux. De ipsis enim dicit Scriptura; Prior omnium creata est Sapientia. Lux enim dicuntur, participando luci æternæ: Sapientia verò dicuntur ingenitæ inhærendo Sapientiæ. Ecclesiast. I.

Et supra capite decimo.

Dies prior factus Angeli sunt: quorum propter vnitatem insinuandam, non dies primus, sed dies dictus est vnus.

HVGO Victorinus in Adnotationibus in Genesim, capite quinto, his accedit, dicens.

Constat, quòd in principio temporum ante omnem diem, ita scilicet, vt simul cęperint, tempus, & materia, & in eodem tempore Angelus; de qua re dictum est: Primò omnium creata est Sapientia, non ante Mundi constitutionem, sicut quidam Græci existimauerunt; cui sententiæ alludens Hieronymus, dicit; Quis nouit, quot annis, aut lustris ante Mundum Angeli laudauerunt Creatorem suum? & consimile Salomon dicit in quodam loco; Quis nouit, an spiritus iumentorum feratur inferius, hominum superius? Neuter tamen ponit hoc pro sententia, quod in quæstione proponit. Ecclesiast. 3.

Idipsum Summæ Sententiarum tractatu secundo, capite primo, his fusiùs retulit, ac clariùs.

Cui auctoritati quidam adhærentes, dicunt cum Mundo tempus cępisse, quoniam non fuit mutabilitas ante Mundum, & tamen fuisse Angelos astruunt immutabiliter, & intemporaliter. Nos tamen, quod dictum est prius, magis approbamus; & quod Hieronymus dicit, ex dictis Origenis fuit: nec asserendo dictum est, sed dubitando dixit, inquirendo quantas æternitates arbitrandum prius fuisse &c.

Et adhuc clariùs de Sacramentis Fidei libro primo, parte quinta, capite quarto.

Quantum verò pertinet ad momenta temporum, & interualla, & spatia, hoc interim commodius, & veritati vicinius profitemur: quòd simul in tempore vno, & in principio temporis, quando tempora ipsa cęperunt, facta est, siue creata pariter rerum omnium visibilium materia, & inuisibilium in creatura Angelica, & spirituali natura. Nec fuisse in tempore, nec cępisse alteram sine altera, nec prius vnam quàm alteram, sed vtranque simul in tempore, & cum tempore: & tamen priorem fuisse, ad quam facta est altera, in qua fuerunt exemplaria Sapientiæ; quorum effectus sunt, & expressiones, quæ visibilia condita sunt: & hoc modo primo omnium creata est Sapientia. Qui autem dicunt ante Cœlum, & Terram Angelos creatos, & substitisse ante omnia, quæ mutabilia facta sunt, & computant spatia, & annos, & sæcula, quibus ante Mundi constitutionem Deo seruierunt; asserunt, quòd cum Mundo tempus cœpit, & non fuit tempus ante Mundum, quoniam mutabilitas non fuit; & tamen fuisse Angelos immutabiliter, & intemporabiliter, priusquam Mundus factus est: & cùm Mundus cępit, tunc primum cœpisse tempus, quoniam mutabilitas cœpit, & factum Mundum in principio

cipio temporis. Sed nos interim magis approbamus, quod dictum est, pro captu intelligentiæ nostræ, salua reuerentia secretorum, in quibus nihil temerè asserendum putamus. Et ad hunc modum interim diffinimus, quòd simul facta sunt omnia visibilia, & inuisibilia: sicut Scriptura dicit; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.

RVPERTVS Abbas apprimè D. Augustini expositionem, ac sententiam declarat in Genesim libro primo, à capite decimo, vsq; ad vigesimum secundum, & inter plura, præcipua hæc habet.

In principio creauit Deus Cælum, & Terram; Sanè Cœli nomine inuisibilis illa sanctorum Angelorum patria: Terræ autem vocabulo, visibilis iste Mundus designatus est; porrò ornatus Cœli, Angelica fuit creatura, Terræ autem præter cætera, quæ nascuntur, & sunt in ea, præcipuè genus humanum est.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione secunda.

Ecclesiast. 18. Ecclesiast. 1. Cap. 1.

Videtur itaque hoc esse tenendum, quòd simul creata est spiritualis creatura, idest Angelica, & corporalis, secundum quod potest accipi illud Salomonis; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul: idest, spiritualem, & corporalem naturam; & ita non prius tempore creati sunt Angeli, quàm illa corporalis materia quatuor elementorum; & tamen primo omnium creata est Sapientia, quia etsi non tempore, præcedit tamen dignitate. Quòd autem simul creata fuerit corporalis, spiritualisq; creatura, Augustinus super Genesim ad literam apertè ostendit, dicens; per Cœlum & Terram, spiritualem, corporalemq; creaturam intelligi: & hæc creata sunt in principio, scilicet temporis; vel in principio, quia primo facta sunt. Et post. *Simul ergo cum tempore facta est corporalis, & spiritualis creatura, & simul cum Mundo: nec fuit ante Angelica creatura, quàm Mundus.*

Magistro omnis ferè Scholasticorum acies consentit loco asserto.

HVGO Carensis Cardinalis in Postillis super Genesim, capite primo.

Cœlum, idest Angelum. Quòd si dicitur, primo omnium creata est Sapientia, exponit primo propter dignitatem: vel primo, quia ante ipsum, nihil: vel primo, quia prima præuisa est creatio: vel de Sapientia loquitur æterna, quæ dicitur creata, hoc est genita; vel prima, vna de primis scilicet; Quòd si D. Hieronymus super Epistolam ad Titum ait; Quòd Angeli seruierunt Deo ante tempora, expono, seruierunt in præscientia Dei, sicut dicitur; Agnus occisus est ab origine Mundi, idest præuisus occidi.

Apoc. 13.

ALBERTVS Magnus, præcipuè prima parte Summæ de quatuor coæquæuis; quæstione duodecima, articulo primo, inter quatuor coæqueua contendit Angelum fuisse; edisseritque vndenam numerus quatuor coæuorum desumendus sit.

Sunt enim quædam creata ex materia corporea mutabili, & illorum principium est materia. Quædam verò ex materia immutabili per generationem, & corruptionem, & horum principium est Cælum. Quædam verò sunt non ex materia corporea, & hæc non possunt esse principiata ex materia, vel ex Cœlo, sicut Angelica natura: & ideò ista tria coæquæua sunt. Tempus autem coæquæuum ipsius ponitur, secundum quod sumitur extenso nomine pro mensura cuiuscunque mutationis ad quodcunque esse. Vnde dicitur ibi, tempus mensura progressionis eorum in esse per creationem.

Censuitque amplius Gregorium Nazianzenum, & Damascenum, non emanationis, sed naturæ, & intellectionis ordinem respexisse, cùm Angelos ante Mundum conditos diiudicarunt.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima prima.

Cùm inueniatur duplex Sanctorum sententia, probabilior videtur, quod Angeli simul cum creatura corporea sunt creati: Angeli enim sunt quædam pars Vniuersi. Non enim constituunt per se vnum Vniuersum, sed tàm ipsi, quàm creatura corporea in constitutionem vnius Vniuersi conueniunt. Quod apparet ex ordine vnius creaturæ ad aliam. Ordo enim rerum adinuicem est bonum Vniuersi. Nulla autem pars perfecta est à suo toto separata. Non est igitur probabile, vt Deus, cuius perfecta sunt opera, vt dicitur Deuteronomij, creaturam Angelicam seorsim ante alias creaturas creauerit.

Cap. 32.

Dist. 2. q. 3.

Et in Scriptis super secundum Sententiarum, probabiliorem D. Augustini sententiam asserit.

Tum ex parte Diuinæ omnipotentiæ, cuius est non successiuè operari, tum ad excludendum errorem, ne teneatur Angeli corporalium esse creatores. Non tamen est alteri sententiæ præiudicandum, quia vt in litera dicit, nõ est demonstratum, nec fide expressum.

ALEXANDER de Hales parte secunda, quæstione decima nona, membro primo, enixè idipsum contendit, pro themateque id assumit.

Creatura Angelica simul creata est cum aliis, & inter opera sex dierum tanquam primum opus.

Edisseritque, quòd si quæ in Sacris Scripturis, vel apud Patres, Angelorum supra res corporeas prioritas vspiam legatur, non temporis propriè, sed dignitatis potius censeatur.

D. BO-

D. BONAVENTVRA loco asserto, articulo secundo, quæstione tertia.

Concedendum igitur, quòd quatuor sunt primo creata, & quòd Angelica natura, & corporea simul sunt creata, quantum ad mensurarum concomitantiam, quia simul cœpit duratio materiæ, & intelligentiæ, sicut probatum est.

Quibus ducibus cuncta ferè Scholasticorum omnium classis subscribit.

STEVCHVS de rebus incorporeis, & inuisibilibus.

Num Angeli conditi sint ante Mundum, nullum est clarum super eo in Sacris Scripturis testimonium.
Videturque alia quædam magna Theologia de creatione Angelorum, & eorum habitatione, vt quomodo de
nostro Mundo, & habitatoribus, ac partibus Mundi, quædam Philosophia collecta est, si de illo alio Mundo,
alia quædam Theologia, & alius quidam genesis sint necessaria. Illum quidem Mundum, si tantùm anteit
dignitate Mundum nostrum, si non solùm maior est, & diuinior, sed etiam immortalis, habet immortales ci-
ues, si digniora præcedere semper debent, fas est ante nostrum istum creatum. Ac quoniam tunc tempus
fuit, cùm fuit Sol, & Luna, hæc autem fuerunt post creationem; hinc fit, vt si Cęlum Empyreum est crea-
tum, ut ne sit in tempore creatum, sed alia quadam ratione. Illud quidem videtur oportere dissòlui, si Cęlum
Empyreum est creatum ante firmamentum, quantum intercesserit ab illo creato, ad Mundum nostrum crea-
tum; & quare spatium interquiescere Opifex voluerit. Deinde cùm vna sit Respublica hominum, atque
Deorum, & Angeli non solum diuina præsentia fruantur, sed per eos à Deo res humanæ gubernētur, cùm in-
quam illi rectores sint & principes, minores, & obsequentes, videtur probabile, vno eodemque tempore totam
hanc Rempublicam extitisse, non prius principes, postea parentes, & subiectos, sicut eodem tempore sunt
Reges, & recti; sunt gubernatores, & gubernati; caput, & membra; totiusque corporis coniuncta procedit
creatio, nunquam interrupta, nunquam sistens, sed à corde, si vera dicunt, vel à capite inchoata, ducitur dein-
de ad reliqua membra, totaque simul res absoluitur. Lacerum autem fuisset corpus Reipublicæ mundanæ, si
ab illis creatis, ad nos creatos, non intercedente infinito, intercessit aliquod certum, diffinitumque spatium; nec
videtur quicquam in hoc spatio probabile, quod assignatum animos tranquillet, & dubitationis fluctu sedatos
reuocet ad quietem. Si impium est, & assertioni scripturarum contrarium Angelos esse ęternos dicere, non
quidem impium, sed non probabile, ab illis creatis, ad creationem rerum nostratium, vel diuturni, vel quid-
uis spatij interfuisse.

Colligendæ modo sunt rationes, quibus hæc Classis, Angelos non ante Mundum conditos, arbitrata est. Ex D. Augustino; Cùm Moses in hac orbis historia nullum prætermittat opus Dei, vtpotè qui à Cœlo, & Terra exordiatur, quæ ante omnia facta obtestatur, & Angelus eminens sit Dei opus: Igitur eius genesis recensita est: Quòd si memorata, vt cum Mundo facta, igitur non ante Mundum. Deinde si omnis creatura in tempore facta est, & ante Mundum nullum fuit tempus; igitur nec Angeli ante Mūdum emanarunt. Amplius, quænam est ex ingenua Augustini interpretatione, lux illa primo die effusa, nisi Angelus? conditus igitur Angelus est cum Mundo. Ex Theodoreto, Cùm Angeli loco obnoxij sint, nullusq; esset ante Mundum locus, Angeli certè ante Mundum extare nequiuerunt. Præterea, si ad ministerium Mundi, & hominum effecti sunt Angeli, ante Mundum quo ministerio & munere fungi poterant? Ex D. Thoma. Si Angeli Vniuersi pars sunt cum Mundo, igitur cum suo toto emanarunt. Deinde non decuit sapientiam, ac potentiam Dei, cuius est haud successiuè operari, tantum tempus inter Angelos, & Mundum interiecisse. Ea ipsa dixit Steuchus, & Vielmius. Amplius, sicut opifex vnus est, opificium quoque non nisi vnum esse debuit: igitur non nisi unus Mundus, & vna actio, qua cuncta à Deo de non esse ad esse prodirent. Tandem Angelos ante Mundum statuere, plurimùm hæresi illi fauet, quæ Mundum Angelorum ministerio conditum autumat. Verùm, meo iudicio, superest validissima argumentatio ab his Patribus non memorata, sed à Neotericis excitata; Cùm ante Mundum nihil aliud esset, nisi fortè Empyreum; tunc sciscitor, expostuloque: Creatus Angelus, vel statim ex merito est confirmatus, vel ex casu depulsus: nec enim per multa sęcula in gratia constitisse dicendum est; & postea mereri, vel demereri potuisse. Si igitur statim cecidit Angelus, igitur & statim ex Empyreo deturbatus: minimè nanque simul cum Angelis bonis perduelles, impiosque tot æonis, ac sæculis stetisse asseuerandum est; siquidem non ferebant hoc Dei Maiestas, neque Empyrei sublimitas, neque Angeli illustrati, ac glorifico fulgore amicti dignitas, nec Dei tandem Optimi Maximi in Empyreo perennis præsentia. Si itaque pulsus, si detrusus, quò proiectus? in quem detrusus locum, cùm ante Mundum solū Empyreum

Rationes probantes Angelos non ante Mundum cōditos.

pyreum extaret? Siquidem nec extra Mundum, Infernum fuisse censendum est. Quare saniori iudicio, Angelos cum orbe conditos dicere debemus, vt fateamur, quòd mox lapsi, rebellesque facti, in Mundo ablegari, seu in Infernum detrudi potuerint. Preterea Infernum, ignemque paratum ab æterno Diabolo, & Angelis eius, quoquomodo

Mat. 25. insinuauit Saluator, cùm dixit; Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius: Si paratum, igitur paratum ante lapsum illius, vel in ipso lapsu, vt mox detrudi potuerit; at Infernus non potuit esse ante Mundum, igitur nec Dæmon. Cæterum, Diabolum non multum perstitisse in sua innocentia, excipitur ex pluribus Sa-

Apoc. 12. cræ Scripturæ locis. Nam in Apocalypsi traditur; Factum est prælium magnum in Cœlo; Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus est amplius eorum in Cęlo. Si prælium illud, fuit quædam voluntatis contentio, mox certè tunc commissum fuit, quando conditi sunt; cùm & electio, & voluntatis inclinatio, in Angelis, qui præstantissi-

1. Ioan. 3. mo pollent intellectu, citò fiat. Amplius illud adest Scripturæ testimonium; Ab initio

Isaiæ. 14. Diabolus peccat: & illud; Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?

Ioan. 8. & illud; In veritate non stetit. Has Scripturæ auctoritates, eleganter Augustinus libro

Cap. 15. decimo de Ciuitate Dei explicat.

HVGO Victorinus noster dilucidè Summæ Sententiarum tractatu secundo, capite tertio, Augustini excerpta doctrina, his declarat.

Quæritur vtrum aliqua mora fuerit inter creationem eorum, & casum. Ad quod potest dici, quòd non

Ioan. 3. & 8. *fuit mora, & tamen illud prius, istud posterius, sed sine interuallo; non enim semper fuerunt mali, vt quidam dicere volunt pro illa auctoritate; Ab initio homicida fuit, & in veritate non stetit: sed non dicit, in initio hoc fecit, sed ab initio, idest, statim post initium; & in veritate non stetit, idest, non permansit, etsi*

Matt. 13. *in ea fuerit. Homicida potest dici suiipsius, quia & ipse appellatur homo; vt, Inimicus homo hoc fecit. Vel vt Augustinus exponit, ab initio, idest, ex quo homo fuit, homicida fuit; quia eum per inuidiam in mortem præcipitauit. Item dicit Augustinus super Genesim, non frustra putari posse ab initio temporis Diabolum superbia cecidisse, nec fuisse vllum tempus ante, quo cum Angelis Sanctis pacatus vixerit, & beatus; sed ab ipso primordio creaturæ apostatasse: quia, vt ait Dominus, non stetit ab initio, ex quo ipse creatus est, qui staret, si stare voluisset; quæ auctoritas supradicto modo potest exponi.*

Hæc certè ardua sũt, & negociũ difficile his faciũt, qui Angelos lõgè ante Orbẽ cõditos esse existimant. Rursum adhuc in huiusce sententiæ corroborationem, tres de creationis ordine, præter testimonium Mosaicum, scripturarum contestationes habemus: in hisque omnibus Angeli cum sensibilibus vtì simul producti, ac effecti, eadem serie connectuntur. Dauid immensum creationis beneficium per Verbum æternum, in primordijs Mundi confectum, extollens, & magnificans, ad referendas summo Opifici laudes, omnia genita à Deo excitans, inclamat; Laudate Dominum de Cœlis, laudate eum in excelsis. Eademque narratione, ac catalogo, Angelos quoque, licet ex dignitatis emi-

Ps. 148. nentia, supremum locum eis deferat, cũ Sole, Luna, & cæteris euocat, cùm dicit: Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, laudate eum Sol, & Luna, stellæ, & lumen. Tres pueri in flagrantissimo fornacis centro prostrati, cùm ad rependendas Deo laudes secum omnes tam supremas, quàm infimas creaturas expostulant, etiam Angelos cum cæteris, quasi vno ordine concreatos exposcunt, ac interpellãt;

Daniel. 3. Benedicite Angeli Domini Domino. Ad Iob quoque loquitur Deus; Vbi eras quan-

Iob. 38. do ponebam fundamenta Terræ, cùm me laudarent Astra matutina; hoc est mane, ac primum facta; & iubilarent omnes Filij Dei? Cæterum quoniam hæc Iobbi attestatio, ex diuersis eius interpretationibus, ad ambas sententias roborandas rapitur, quæ eius sit germana expositio, inferius disceptabimus.

Sententia Angelos post Mundum sexto die cum homine genitos existimantium.

Præter has duas illustres delatas sententias, superest tertia, Gennadio, & Acacio, sed fortè immeritò attributa: Angelum scilicet, post Mundum corporeum, fuisse conditũ.

Dupli-

Duplici autem ratione hæc assertio fulcitur. Altera, quòd cum idipsum censendum sit de magno Mundo, quod de Microcosmo; quemadmodum in hominis plasmatione primùm formatum fuit corpus, quàm insufflata anima; ita in magno Mundo primò decuit effici, quod corporeum erat, quàm Intelligentiæ ipsæ: nam & Paulus prius esse, quod est animale, quàm quod est spirituale, edocuit. Deinde simul cum homine conditum fuisse Angelum, elici videtur ex eo, quod apud Iob scriptum est: Ecce Behemoth, quem feci tecum; hoc est, quem eodem tempore, quo te, creaui: Per Behemoth autem, multos ex Patribus interpretatos fuisse Diabolum, perspectum est. Sed prima fronte adeò futilis apparet hæc sententia, vt refelli, reijcique apprimè possit. Primùm Acacium, Gennadiumque eam tulisse non exploratum habeo, licet eorum nomine insignita circunferatur, cùm non hucusque in ipsorum scriptis tale quid legerim. Deinde Angelicæ naturæ eminentia, dignitasque expetebat, vt si non ante omne tempus, saltem in primordio temporũ produceretur. Amplius, si sex diebus quibus fabrefactus est Mundus, Orbis circumuoluebatur, mutuaque horarum vicissitudine, dies, noctesq; seipsas consequebantur, certè absque Angelo motore id perfici nequibat. Nec adducta Microcosmi comparatio, vrget multum; Anima siquidem, vt forma, informare corpus solet, pręextare igitur & corpus ante necesse erat: verùm Angelus, cùm sit pars Vniuersi, non forma informans, vt insignior, præstantiorque, primo loco produci cùm Mundo debuit. Quòd si alijs visus est id sensisse Gennadius; scias ipsum eo sensu loquutum fuisse, vt acrius Angelos non fuisse ante Mundum editos suaderet, simulque tacitæ oppositioni responderet, nempe Angelos ante Mundũ productos inferri nõ posse, ea ratione, quòd pręstantiores Mundo censeantur, cùm & Anima quamuis melior corpore, ante corpus condita non dicatur. Auctoritas asserta Iob libro Antecimenon dicto, interrogatione quinta, egregiè ex D. Gregorij doctrina his explicatur.

1. Corint. 15.

Iob. 40.

Cùm primo die Angeli, sexto homo creatus sit, quomodo Dominus ad Iob loquitur, quasi simul Angelum, & hominem creauerit? Dicit enim, Ecce Behemoth, quem feci tecum, &c. Resp. *Simul creati sunt, non vnitate temporis, sed cognitione rationis. Scriptum nanque de Homine est; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et per Ezechielem ad Sathan dicitur; Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs Paradisi Dei fuisti. In cuncta igitur creatura homo, & Angelus simul conditus existit, quia ab omni creatura irrationabili distinctus processit.*

Gen. 1.

Ezech. 28.

Iudicium Auctoris.

IAM me maximo coarctari discrimine sentio, cùm hinc inde Patrum de Angelorum emolitionis tempore Catenis deductis, iudicium ferre necesse habeo.

D. HIERONYMVS Commentarijs in Danielem, cùm in arduã de Septuaginta Danielis hebdomadibus interpretationẽ incidisset, hæc habuit. *Quia periculosum est de magistrorum Ecclesiæ sententijs iudicare, & alterum præferre altero; dicam quid vnusquisque senserit, Lectoris arbitrio derelinquens, cuius expositionem sequi debeat.*

Lib. 1. cap. 9.

Inde intextis Aphricani, Eusebij, Hippolyti, Apollinaris, Clemẽtis Alexandrini, Tertulliani, Hebræorum ad verbum sententijs, disceptationem indiscussam reliquit. Quis igitur me non temeritatis, ac procacitatis arguet, & meritò, qui de diuersis, & aduersis Patrum sententijs iudicium, ac sententiam ferre præsumam? Verùm hoc vnum protestatum opto: in axiomatum eorum, quæ in via Patrum neutra sunt, diffinitione, me non ita iudicium deferre, vt alteram partem prorsus vnquam explodam; sed ampliori, qua possum, in Patres obseruantia, ea tantum recensere, quę verisimiliorem, atque acceptiorem alteram mihi faciant, & astruant. Priscam eam, vetustamque Græcorum sententiam, non prosequendam esse primùm arbitror, sed maxima reuerentia suscipiendam, quòd Patrum vetustate, sanctitate, eruditione præcellẽtium, auctoritate fulciatur, cùm omnis prisca, tàm Græca, quàm Latina Ecclesia vsque ad Augustini tempestatem eam sit consectata; Immo

Græcorũ sententia nõ approbatur, nec omnino reijcitur.

AVGVSTINVS vndecimo de Ciuitate Dei, capite trigesimo secundo, ita suam affert opinionem, vt alteram non damnet. Dicit enim.

Proinde, vt volet, vnusquisque accipiat; quod ita profundum est, vt ad exercitationem legentium à fidei regula

gula non aberrantes, plures possit generare sententias: dum tamen Angelos sanctos in sublimibus Cæli sedibus, non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna, & vera fælicitate securos, & certos esse nemo ambigat.

THEODORETVS pariter tertia quæstione super Genesim, Augustini sententia comprobata, ac pluribus fulcita argumentis, ita concludit.

Hoc autem concesso, si quis Angelorum turbas ante Cælum, & Terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima prima, expressius ait.

Quamuis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipuè propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina Christiana auctoritas, vt nullus unquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit.

Solutio rationum D. Augustini, & Sectatorum.

Amplius sentio, quòd problema neutrum censeri hoc posset, nisi Concilium Lateranense, de quo infra, alteri faueret sententiæ, nec negocium multum arbitrarer oppositas rationes elidere, ac euadere. Contra D. Augustini placita afferre possumus, Mosem non de cunctis à Deo prolatis creaturis, & de inuisibilibus pręcipuè, humanum captum superexcedentibus, sed de sensilibus tantum, & de sensilis Mundi genesi historiam contexere. Præterea, & quòd supra tempus extare æuum possit, quo Angeli commensurari queant. Rursum Angelum Cœli, seu lucis nomine, capi non incongruam quidem esse interpretationem, sed allegoricam, & importunam, historicoque indecentem inferius demonstrabimus. Theodoreto etiam satisfacere possumus, si dicamus cum Theologis, Angelum esse in loco certè diffinitiuè, ut aiunt, sed non circumscriptiuè, adeò vt à corpore ambiatur; quare cùm spiritus sint Angeli, extra Mundũ eos extare potuisse sine ambiente loco. Deinde quid esset, si cum D. Basilio, Empyreum longè ante Mundum extasse asseueraremus, in quo degerent Angeli? Amplius, cùm Angeli propter diuinam bonitatem, & ad Deum contemplandum præcipuè editi sint: deinde propter nos ad Mundi, nostrique ministerium; quid obfuit eis, si multis æonis Deum sunt contemplati, & munere, quod sibi contingenter quasi post obuenit, non sunt perfuncti? D. Thomæ, ac Steucho, Angelos Vniuersi partem esse astruentibus, laceramque fuisse simul Mundi Rempublicam, si non conditi simul fuissent, arbitrãtibus: Respondeo, Angelum non esse partem Mundi integralẽ, vt aiunt, seu essentialem, sed ratione dumtaxat ordinationis; & quòd ad Mundum spectat, non vt pendens à Mundo, sed vt ipsum mouens, ac regens; propterea potuisse Angelum existere ante Mundum, sicut ante nauem gubernator, & ante exercitum Dux esse potest. Coordinatum verò esse Angelum Mundo, non ad sui necessitatem, sed propter Dei prouidentiam, in Mundi ac nostri gratiam. Dei potentiæ successiuè operari esse necessarium non arbitror, cùm sit opifex, & sator liber; & ex beneplacito producat, quæ, vbi, & quando sibi libet: & sicut ab opere ad opus diem horarum vigintiquatuor supersedit, potuit etiam ab Angelorum creatione ad Mundi emolitionem tot, quot sibi placuit, æonis immorari. Hanc ante Mundum Angelorum genesim, his qui Angelorum ministerio Deum Mundum effecisse censuerunt, erroris occasionem præstare non arbitror, sed ex eorum prauo arbitratu eam sumptam duco; quemadmodum, nec ex eo quòd Deus Solem, cæteraque Astra præstantissima compegit, erroris fuit caussa Deus, vt ea in Deos sibi ascirent mortales. Auctoritates illæ desumptæ ex Psalmo centesimo quadragesimo octauo, & Hymno puerorum, inferunt certè Angelos creaturas esse, & à Verbo manantes; sed non eodem tempore cum Mundo conditos euincunt, cùm ibi catalogus creaturarum promiscuè recenseatur. Superest allata de Dæmonibus difficultas, quæ non Patribus his, qui priorum ante Mundum conditos Angelos putarunt, sed D. Basilio, & his, qui multis æonis ac sæculis extasse eos duxerunt, arduum facit negocium. Asserere nanque Angelos prauos tot æonis, sæculisque in gratia perstitisse, ac tantùm in Mundi exordio decidisse, seu quòd Deus tot sæculis suam eis voluntatem non reserauerit, vel ipsi ad eam acceptandam, respuendamue tot æonis insudarint, ineptum prorsus esse censeo; cùm Angelorum intelligendi, ac decernẽdi vis nesciat moras tam diuturnas; & eò magis, quòd Angeli boni tamdiu extassent non beati, & ad gloriam non assumpti, & apostatæ non damnati, quod nullus ferè admittit. Asseuerare etiam eos post creationem mox lapsos esse,

Angelus est in loco diffinitiuè, nõ circũscriptiuè.

Angelus non est pars integralis Mũdi.

esse, ac pulsos, excitat difficultatem non modicam, in quem pulsi, detrusi, relegatique fuerint locum, cùm non extaret nisi Empyreum. Ardua sunt hæc, & maximè à scripturarum Oraculis aliena, quæ Luciferum, dum mane orisetur, tanquam fulgur è Cœlo cecidisse produnt. Sed pro D. Basilio dicere fortè possumus, Dæmonem non multò post suam effectionem corruisse è supernis illis Empyrei partibus in has inferas, vbi nostri Mundi nunc residet centrum, quæ partes Dei potentia ea coruscantissima luce mox fortè caruerunt, condignique Dæmonum carceres euaserunt. Hæc tamen non facilè admittuntur ab omnibus, quòd aniles sapiant fabulas. His igitur omnibus, vetustissimam, primæuęque Ecclesiæ acceptissimam sententiam, quamuis non sectandam esse iudicē, non prorsus tamen detestandam, ac reiiciendam arbitror; adeò vt censeam eos omninò redarguendos esse, qui eam damnare non sunt ausi. Verùm quid est, quod ego nunc profero? nonne arduum subeo discrimen, quando contra Concilij Lateranensis definitionem hoc concedere videar? Cæterum id dixisse volui, in D. Thomæ præstantissimi Doctoris gratiam. Quanquam enim idipsum Augustinus, ac Theodoretus, quod D. Thomas definierint, nullam attamen Augustino, ac Theodoreto difficultatem, sed maximam D. Thomæ, atque his qui Græcorum Patrum sententiam nunc insequuntur, potest decretum illud Concilij Lateranensis afferre; cùm decreta Conciliorum absoluere soleant ab erroris nota illos, qui ea antecesserunt; damnare autem eos, qui deinceps aliter sentire ausi fuerint. Sed inquiramus, num D. Thomæ Sectatores, licet in hoc ab eius recedant sententia apprimè eum defendant. Existimant alij hanc Synodi definitionem in mentem Sancto Doctori, cùm hæc scriberet, non venisse. Defensatur D.Thomas.

VIELMIVS hanc sententiam memorat, nec abnuit, cùm subijciat.

Quæ sententia, & si ægrè profectò recipi possit, cùm ob incredibilem viri memoriam, tùm verò quòd suis Commentarijs non ita pridem hanc decretalem Innocentij in Gregoriano sub titulo de Summa Trinitate, ac Fide Catholica, relatam illustrauerat, fortè tamen verior est quod soleat operi longo interdum obrepere somnum, & euenisse magnis viris aliquando certum est, vt sint alicubi rerum obliti. Et Augustinus libro Retractationum, cùm loquitur de libris de Doctrina Christiana sibi contigisse ingenuè fatetur.

CAIETANVS, reiecta superenarrata assertione, ita D. Thomam defensare conatur. 1. Par. q. 61. art. 3.

Mihi videtur quòd sciens & prudens hæc scripserit. Nam illa verba decretalis interpretanda sunt in sensu, quem faciunt: &, vt dicit D. Thomas in expositione illius Decretalis, verba illa apposita sunt contra errorem Origenis, & eorum qui ponunt creaturas spirituales tantùm esse per se productas à Deo, ac post Mundum propter demerita earum, corporales productas creaturas fuisse. Vnde cùm dupliciter teneat Angelos productos ante corpora, scilicet, tanquam res sic per se productas, quòd propter earum demerita, quodammodo per accidens, Mundus corporeus sit productus; vel simpliciter & absolutè, quòd ex voluntate Dei, Angeli præcesserint Mundum visibilem. Decretalis illa, quamuis secundum verba, vtranque opinionem destruat, contra primam tamen, tanquam contra hæresim, interpretanda est. Ad secundum verò, tanquam ad minus probabilem, applicari potest; & ratio huius glossæ est, quia determinationes istæ non nisi contra aliquos errores consueuerunt fieri.

Diuini iuris periti alia via Sanctum Doctorem tueri contenderunt: Dixeruntq; idcircò Sanctum Doctorem existimasse definitionem hanc non sustulisse illam Patrū opinionem, aut tanquam in fide erroneam repudiasse; quoniam Synodus, anathema, aut excommunicationem in eos non pronunciauit; qui postmodum illam sequerentur. Et concedit responsio hæc, vbi in pronunciationibus Synodorum, vel formula execratoria illa posita non fuerit, vel non fuerit excommunicationis sententia inflicta, aut damnata sententia contraria disertè, non esse periculum hæresis contrariam sententiā sequi, sed esse potius temeritatem: iniuriam etenim facit Sacræ Synodo, qui semel ab ea definita, audet in dubium reuocare; sicut & Martianus princeps dixit, & ita fermè censuit doctissimus Melchior Cano Episcopus Canariensis de locis Theologicis libro quinto, capite quinto, & libro duodecimo, capite secundo.

Cæterum harum assertionum Diuum Thomam tuentium prima non parum Diui Thomæ accuratissimi ingenij dignitatem, ac uiuidæ memoriȩ tenacitatem, disciplinarumque omnium eruditionem labefactare videtur: Altera certè nimis Concilij supradicti sententiam, ac decretum, quàm eius verba præseferant, coarctat,

ctat, ad inopinatamq; fugam D. Angelicum Doctorem ducere studet: Tertia exactiùs ipsum pertueri mihi videtur. Quapropter exploratum esse puto, Patres immunes esse ab errore, quòd longè præcesserint Ecclesiæ definitionem: Deinde asserendum arbitror D. Thomam, ac Doctores subsequutos non aberrare à Concilij definitione; cùm eam, non vt dogma fidei certum, Concilium decernat. Atque, vt obiectionibus allatis occurramus, licet Concilia summi Pontificis auctoritate coacta, Spiritus Sācti afflatu, sub verbo, Credo, plura definiant; ac Episcopi definitis, sancitisque placitis se subscribant; non æquè tamen omnia pronuntiant, ac definiunt, sed alia vti dogmata inconcussa; de quibus dubitare, est aberrare, & in hæresim præcipitare: alia vt probabiliora, tutioraque axiomata produnt. Quorum discrepantia ex eo apparet, quòd dogmata Fidei anathematis mucrone, ac censuris roborant, & fulcire conantur. Quòd autem hæc proposita Innocentij Tertij, ac Concilij Lateranensis definitio, constitutioq; sancitum Fidei dogma à D. Thoma non fuerit existimata, ipsemet vigesimo tertio Opusculo pulcherrimè edocet, atque exponit. Cæterum D. Augustini sententiam, quę Angelos cum Mundo conditos edocet, prosequendam esse, ac passim in sacris concionibus publicandam duco. Primùm, quia standum sit supra petram, si Dei posteriora, ex lumine per foramen, ex scientia scilicet reuelata, conspicere volumus: Ecclesiæ, scilicet definitioni, & sententiæ semper inhærendū sit. Decretū autem adest Concilij Lateranensis sub Innocentio Tertio, de quo in Decretalibus de summa Trinitate & Fide Catholica, capite Firmiter, simul creaturam spiritualē, corporalemque creatam decernētis his verbis; Deus sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtranque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam, & Mundanam. In cuius definitionis Concilij gratiam, hoc theosophari non dedeceat. Maturato Thamar partu, apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, cui obstetrix obligauit coccinum, dicens; Iste egredietur prior; illo verò retrahente manum, egressus est alter. Eleganter ex his, si internum attendamus sensum, Angelicæ, ac corporeæ, visibilis, ac inuisibilis naturę emanationem connexam contemplabimur. Deo effundente per creationem res cunctas, duplex rerum genus ex vtero diuinæ omnipotentiæ simul prodiere, spiritualis, corporeaque creatura; sed altera manum proferente, corporea scilicet creatura, quasi manum emittente, Phares primo exilijt, excelsa, videlicet, ac supereminens natura Angelica. Verùm quid est quod Zaràm manum emittenti (vt partus Thamar ab exemplo non discedam) obstetrix coccinum alligat non ipsi Phares? Mysterium vberrimum hoc indicat. Moses obstetricis officiū agit, dum Mundi genesis historiam enarrat. Is igitur coccinum, temporis scilicet defluxum, Zaràm creaturæ sensibili adstringit, cùm sensilis Mundi emanationem in temporis exordio, in quo Chaos productum est, factam tradit, eiusq; distinctionem, ornatumq; secundum dierum sex seriem, explicat, de Angelo, vt qui non tempore, sed æuo mensuratur, nulla facta commemoratione. Nam licet Angelus cōgruè satis Cœlum, & lux ex metaphorica, ac translata voce dici possit, tùm quia natura intellectualis puritate conspicua prædita fuerit, tùm quia gratia refulgeret, tùm etiam quòd gloria postea sit redimita, atque adeò, inquam, lux dici valeat, vt in eius comparationem Astra hæc visibilia, tenebræ censeantur: In Mosis tamen historia, lucis nomine Angelos non venire, vt alibi vberiùs demonstrabimus, asserendum est. Deinde sententia D. Augustini minora suscipit incommoda, quàm ea prisca, vt profundiùs eam perpendentibus, compertum erit. Argumentationes autem illæ, quæ Angelos ante Mundum conditos inferre videbantur, suadent certè aliquantum, sed non cogunt: Dignitati nanque Angelicæ satis fuit, vt saltem in exordio effectionis rerum primo ipsa prodiret; nec specimen, decusq; Diuinæ Maiestatis necessariò poscebat, ut Angelos tot ante æuis laudatores habuerit: dato enim quocunque imaginato momento, quo Angeli conditi sunt, adhuc eternitas æquè eos præcessit. Tandem non adeò inconsentaneum existimo, Cœlos aliquatenus immotos extitisse, quousque bello Angelico peracto, ac profligatis Dęmonibus, Angeli beatitudinem compararint; quod quidem citissimis, ac velocissimis momentis factum fuisse, D. ipse Augustinus, atque Hugo arbitrati fuerunt. Superest, vt de loco Iob in aduersas ambas sententias distracto, iudicium nostrum feramus.

Concilia nō pariter omnia decernūt.

Sententia Augustini acceptior.

Lateranensis Concilij decretum de tēpore creationis Angelorū

Gen. 38.

Partus Thamar Creationis Angelicæ & corporeæ naturæ typus.

Locus verò Iob, est; Vbi eras, quando ponebam fundamenta Terræ? indica mihi si habes intelligentiam: Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel, Quis tetendit super eam lineam? super quos base illius solidatæ sunt? Aut quis demisit Lapidem angularem eius, cùm me laudarent simul Astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Duo in hac enarratione nobis discrimen faciunt. Quæ primo sint Astra hæc, aut Dei Filij à Iob memorati: Deinde num enarrare contendat Iob his Chaos prisci emolitionem, an Terræ, & Maris tertia die secretionem peractam? Comperio etenim quinque admodū inter sese discrepantes interpretationes suscipere verba illa; Vbi eras, cùm me laudarēt Astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Iob 38.

Perpēditur locus Iob, adductis varijs interpretationibus.

STEVCHVS de rebus incorporeis, & inuisibilibus, nō tantùm Astra, sed filios Dei ipsas insensatas creaturas per prosopopęiam intelligi edocuit.

Sint igitur duæ sententiæ; vna, quam prætulimus, vt filij Dei quasi creationes, resque creatæ dicantur, quibus attribuatur per prosopopæiam iubilatio, sicut Cœli enarrant gloriam Dei: & Dies diei eructat verbum. Vt loquens de rerum creatione Iob, amplexusque superiora, & inferiora, dum Terra fundaretur, dum in glebas constringeretur, dixerit exultasse sydera matutina nascentia, & erumpentia. Et Post. *Iob expreßè sydera matutina, & filios, vel opera Dei memorat, hæc ipsa Moses appellat lucem, præcipuè ipsum Solem lucis Patrem primum & fontem. Sicq; est vnus sensus. Alter erit, vt filios Dei, Angelos interpretemur; sed non video quomodo nos ab Idololatria tueri poßimus, quam olim veteres Patres definierunt, siquis animata sydera fateretur, eum esse anathema. Nam si postremum est de Angelis, filios, inquam, Dei, si Angelos exponas, etiam primum erit de eisdem, vt sydera matutina sint spiritus diuini, corpora rutilantia regentes, & circumducentes, quæ fuit vetustißima Idololatria, non displicens, sed approbata etiam à Philosophis, Deos eße perspicuos quosdam stellas illas. Hoc, inquam, non video, an Theologia concederet, cùm præsertim nunquam apud Mosem in hanc sententiam pronuntietur, sed in contrarium potius vbicunque ferat neceßitas tacentem, & tacendo fortaße negantem, stellas animatas.* Psal. 18.

Verùm interpretatio hæc Steuchi, non tantùm ab editione Septuaginta Interpretū, & à Vulgata nostra maximè abscedit, sed & vltronea, ac arbitraria est; nec Scripturæ vllus locus affertur, in quo filiorum Dei nomine, creaturæ rationis expertes significentur.

THEODORETVS interpretatur secundo loco aliter, aliterq; legit hanc Iob auctoritatem: legit inquam.

Vbi eras quando creabam Astra, & laudabant me Angeli mei? Cæterum Angelos, inquam, præcedere Cœlum, & Terram astruunt, pro firmo, & inuicto fundamento nobis proponunt illud, quod ipsi Iob Deus omnium Conditor dixit; Quando creabam astra, & laudabant me Angeli mei: & non aduertunt die quarta, vnà cum Sole, & Luna, Deum omnia Astra produxisse.

Sed editionem vulgatam vltra genuinum, placidumque sensum deferre hæc videtur interpretatio: legit siquidem contextus noster; Vbi eras cùm me laudarent simul Astra matutina? asseueratque & Astra laudasse.

Verum præfactæ hæ interpretationes fauent illis Patribus, ac Doctoribus, qui hac Iob auctoritate, Angelos non ante Mundum conditos demonstrare conantur.

Econtrà Origenes per Astra, animas syderum; & per filios Dei, Angelos ipsos interpretatur; Astra siquidem esse animata in Periarchon libro primo, capite septimo, edocet. Sed num hæc assertio tuta sit, postmodum in alia quæstione; An scilicet Astra sint animata, suo loco disceptabimus. Interpretantur quarto loco plurimi Patrum, tàm syderum, quàm filiorum Dei nomine, Angelos ipsos, quasi metaphoricè Angeli, & Astrorum, & filiorum Dei nomen sibi vendicent; & expressiùs per Astra, non ipsos cunctos Angelos, sed orbium motores tantùm, ac per filios Dei, sublimiores spiritus, Deo ipsi proximiores, intelligunt. Fauetque huic Patrum interpretationi non modicum Septuaginta Interpretum editio, quæ loco horum verborum; Cùm me laudarent Astra matutina, ac iubilarent omnes filij Dei, vno verbo habet, cùm me magna voce laudarent omnes Angeli mei: Et textus Chaldaicus, qui dicit; Exaltauerunt omnes acies Angelorum. Quorsum autem Astra, non Astra simpliciter, nulla adiecta nuncupatione vocarit, sed matutina, eleganti contemplatione

IVNILIVS prodidit, cùm dixit.

Astra videlicet matutina, eosdem Angelos, quos & filios Dei nuncupans, ad distinctionem nimirum hominum Sanctorum: quæ postmodum creandi, ac velut Astra vespertina post confeßionem diuinæ laudationis per mortem erant carnis occasuri.

D. HIE-

D. HIERONYMVS Commentarijs in Iob capite trigesimo octauo, aliam interpretationem attulit, dicens.

Astra, & filij Dei, Angeli intelliguntur, qui in Natiuitate Saluatoris exultauerunt; Sicut ait Angelus ad Pastores; Ecce euangelizo vobis gaudium magnum. Et post. *Facta est multitudo militiæ Cœlestis cum Angelo laudantium Deum. Ideò autem Angeli Astra matutina dicuntur, quia inter creaturas rationales, primi facti sunt in die, qui est Christus; & filij Dei sunt, non filij tenebrarum.*

Lucæ 2.

ANASTASIVS Synaita in Hexemeron libro quarto, parum à D. Hieronymo abscedens, Angelos quarto die Deum laudasse censuit, quòd ex mysterio didicissent futuram Christi incarnationem, & assumptionem.

De hoc autem die quarto, inquam, & primo perfecto, in quo ortus est Sol iustitiæ, & Stellæ, & Luna, videtur Deus dicere fortissimo viro Iobo; Quando facta sunt Astra, laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei, & hymnis celebrarunt: & quamobrem? Quoniam facta sunt Astra? non certè propterea. Sed cùm vidissent Solem è Terra recurrentem, in mysterio didicerunt, quæ extremis temporibus futura erat, Christi incarnationem, & è terra assumptionem: & ideò cùm vidissent eum ex Sancta Virgine, tanquam ex abysso exortum, statim exclamarunt, dicentes; Gloria in excelsis Deo, & in Terra pax.

Sunt igitur quinque interpretationes. Prima, Astrorum, ac filiorum Dei nomine, ipsas creaturas insensibiles per prosopopœiam Deum laudantes accipit: Altera textum peruertit, Angelosque Deum laudasse profert, cùm Deus quarta die Astra conderet: Tertia, Astrorum nomine, animas Astrorum; & filiorum Dei nomine, Angelos capit. Quarta, tàm Astrorum, quàm filiorum Dei nomine, Angelos significari vult; sed Astrorum nomine, Angelos tantùm motores excipi existimat. Quinta, Astrorum, & filiorum Dei nomine, Angelos intelligit; sed laudationem, & iubilationem eam, non in Mundi emolitione factam vult, sed in Christi incarnatione. Et quamuis omnes istæ interpretationes grauissimorum Patrum sint; meo tamen iudicio, nulla opportunior, atque acceptior censenda est; quàm ea quarta, quæ prima fronte videtur facere pro ijs, qui ante Mundum Angelos prodijsse voluerunt: si etenim Deus cùm Mundi primordia, ac fundamenta moliretur, Terramq; crearet, Angelis laudantibus constipatus erat, certè iam ante Mundum aderant. Nec fuga à Iunilio sumpta, quòd Angeli in principio cum Cœlo, & Terra editi; mox conditionem suam, simul & totius creaturæ primordialis ad laudem conditoris retulerunt, vim argumenti effugit, atq; elabitur: Nam si momento eodem effecti sunt æquè Angeli, & Chaos, iam non poterant Angeli Deũ laudare, cùm conderetur Chaos corporeum, & ipsi tunc manarent; quod tamen dictus locus inferre videtur. Amplius, nec mox Angeli creationem suam, & totius creaturæ primordialis ad laudem Conditoris retulerunt; quoniam moras quasdam ab eorũ conditione, ad casum, seu gloriæ adeptionem intercessisse non immeritò existimatur. Quapropter pro his, qui Angelos cum Mundo conditos volunt, potius intendit Iob hoc loco non Chaos primæui effectionem, & Terræ primam illam ac rudem genesim in primordio temporum factam, sed potius Terræ denudationem, ac venustationem tertio die effectam commemorare; quia etsi ea quæ de Terra prodit, & ad rudem formam, quam in Chaos Terra hæc præferebat, & ad decoram faciem, quam die suscepit tertio, referri apprimè possint: attamen quoniam in prosequenti orationis contextu de Mari, ostijs, ac vectibus concluso, & de Aurora rutilante à Sole præeffusa sermonem habet, quæ tertio, & quarto die à summo emanarunt Opifice; ea etiam quæ de Terra protulit, de hac facie Terræ, quæ tertio die detecta, germinibusque induta est, prolata arbitraret. Ex quibus consequitur, quòd Iob locus hic ex genuino suo, approbatoq; sensu illis non obsistat, qui cum Mundo Angelos editos existimarunt: Potuerunt siquidem Angeli cum Cœlo & Terra in primordijs temporum conditi, Deum tertio die, Terram, ac Mare discernentem, ac perficientem, laudare.

Vera interpretatio illius loci Iob, Vbi eras cùm me.

Si Angeli conditi sunt cum Mundo, quonam in loco conditi sint.

Difficultas hæc, cùm ex prænarratis, breui oratione explicari possit, prætermittendam non esse censui. Siquidem eorum Patrum, qui cum Mundo Angelos emanasse opinati sunt, nõ eadẽ consimilisve de loco, in quo Angeli sunt producti, sententia extat.

Patres

Patres, in Aëre Angelos conditos, existimantes.

AVGVSTINVS tertio de Genesi ad literam, capite decimo, in suprema aëris parte, eos productos innuere videtur, inquiens.

Superior verò pars aëris, propter puram tranquillitatem, Cęlo, cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo nunc Diabolo, tunc Archangelo (Nam nonnulli nostri, non eos putant Cęlestes, vel super cœlestes Angelos fuisse) non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, vbi tamen & aër sit, & humore tenui contexatur, qui commotus Ventos, & vehementiùs concitatus &c.

RVPERTVS Abbas, fidissimus Augustini sectator, sumpto à serie creationis argumento, hoc ipsum constanter affirmauit, Commentarijs in Genesim, libro primo, capite vndecimo; ait enim.

Quid enim? Nunquid putamus, quòd de Cœlo fuerint Angeli, & non potius hic facti, & in Cœlum translati? Nempè non magis Angeli facti sunt in Cœlo, quàm homo plasmatus in Paradiso: plasmatus nanque fuit homo extra Paradisum, & positus in Paradiso, sicut scriptum est; Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat. Ita nimirum & Angeli extra Paradisum conditi, & in Cęlum translati, non natura, sed gratia, Cęlum inhabitant. De Cęlo nanque nemo venit, nisi qui super omnes est; & inde super omnes, quia Spiritus simplex est, & nullo compositus est; vnde & humanum spiritum cum corpore induere potuit, quod facere nemo potuisset ex spiritibus Angelicis. Gen.2.

Suffragatur & huic assertioni Empyrei Cœli dignitas. Indecens siquidem fuisset, quòd Dæmones tenebrosi locum fulgore præditum conscendissent, & Regia illa, in quam nemo cum macula, & ruga ingredi potest, Dæmonis peccato fœdaretur; in Regnoque pace munito, bellum illud omnium cruentissimum committeretur. Deinde vrget multum illud Esaiæ, perfidi ac desertoris Angeli nomine prolatum: Ascendam in Cœlum, & super Astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis; Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Quòd si in Cœlo extabat, quò ascendere efflagitabat, ac contendebat? Nam ea interpretatio passim adducta, Ascendam in Cœlum, hoc est, in Sanctissimam Trinitatem; allegorica prorsus est æstimanda. Isa.14.

Patres, Angelos in Empyreo editos, asserentes.

Ex opposita acie adsunt Iunilius, Hugo, Strabus, Magister Sententiarum, & D. Thomas.

IVNILIVS enim Hexæmeron, sub verbo Terra, inquit.

Non ergo illud Cœlum, quod mortalium est omnium inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & vacuum, vt Terra; quæ nihil in sua prima virentium germinum, & viuentium produxit animantium creatione, quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est.

STRABVS, explicans id, In principio creauit Deus Cœlum & Terram, sic fatur.

Cęlum non appellatur visibile firmamentum, sed Empyreum, idest, Igneum, vel intellectuale; quod non ab ardore, sed à splendore dicitur; quod statim factum, repletum est Angelis. Vnde Iob; Vbi eras cùm me laudabant Astra matutina? Iob. 38.

HVGO Summæ Sententiarum, tractatu secundo, capite primo.

Vbi facti fuerunt quæritur, & videntur Auctores velle eos fuisse factos in Cœlo: Vnde in Euangelio; Videbam Satan sicut fulgur de Cœlo cadentem. Nec appellamus hic Cœlum, firmamentum, quod secundo die factum est, sed Cęlum Empyreum, idest splendidum, quod statim repletum est Angelis, illam scilicet, superiorem partem, vsque ad quam machina illa elementorum adhuc indistincta porrigebatur. Simul enim, vt diximus, creati sunt Angeli, & illa corporea materia; vnde Augustinus exponit ita locum illum; In principio creauit Deus Cœlum & Terram: Cœlum, idest Angelos; Terram, idest corpoream machinam; in cuius superiori parte facti sunt Cœli, idest Angeli. Sed si in Cœlo erant, quomodo (vt legitur in Esaia) diceret Lucifer; Ascendam in Cęlum, ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo. Sed ibi vocat Cęlum sublimitatem Diuinitatis: Ascendam in Cęlum, idest, ad æqualitatem Deitatis. Lucæ 10. Isa. 14.

MAGISTER Secundo Sententiarum, distinctione secunda, adductis Strabi, & Bedæ supra enarratis obtestationibus, concludit.

Ex his liquet, quòd in Empyreo omnes Angeli fuerint ante quorundam ruinam: simulq; creati sunt Angeli cum Cœlo Empyreo, & cum informi materia omnium corporalium.

Quod

Quod Magistri placitum omnis Scholasticorum acies sine delectu approbat, & in Scholis passim recipitur.

Tit. 25. I O. M A V B V R N V S Canonicus Reg. Augustinianus in Roseto.

Tertio, considerare habemus locum, vbi conditi; quia, in Empyreo Cœlo. Et hoc valde congruenter.

Quæst. 61. art. 4. D. T H O M A S, post Magistrum, in prima parte ait.

Quòd sicut dictum est, ex creaturis corporalibus vnum Vniuersum constituitur, vnde sic creatæ sunt spirituales creaturæ, quòd ad creaturam corporalem aliquem ordinem habent, & toti creaturæ corporali præsident: Vnde conueniens fuit, quòd Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti creaturæ corporeæ præsidentes, siue id dicatur Cœlum Empyreum, siue qualitercunque nominetur.

Fauent huic sententiæ Scripturæ, quæ cùm Luciferi casum exprobant, è Cœlo eum cecidisse clarè obtestantur. Hæc sunt autem loca huiusce rei præcipua: Esaiæ decimo quarto; Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Lucæ decimo; Videbam Satan tanquam fulgur cadentem de Cœlo. Quare Theophilactus super Lucam ad verba asserta, inquit; Non miremini, si Dæmones subijciuntur vobis: Princeps enim illorum de Cœlo cecidit. Apocalypsis duodecimo capite; Factum est prælium magnum in Cœlo, &c.

A V C T O R.

Hæc diuinarum Scripturarum testimonia prima fronte sibiinuicem aduersantia, ac Patrum inter se contrarias, repugnantesq; sententias, superiore à nobis sancita diffinitione, quòd Angeli cum Mundo emanarint, conciliare quoquomodo possumus; si Angelos non in Empyreo, sed in Cœlorum Astriferorum supremo creatos dicamus.

D. H I E R O N Y M V S Commentariorũ in Esaiam, libro sexto, huius cõ-

Esa. 14. ciliationis assertor est, vt Iunilius etiã retulit in Hexæmeron; in eius sententiæ siquidem expositione, quæ est; Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in Terra, qui vulnerabas gentes, & qui dicebas in corde tuo; In Cœlum ascendam, super sydera Cœli exaltabo solium meum, D. Hieronymus ait.

Psal. 113. *Vel antequam de Cęlo corrueret, ista dicebat: vel postquam de Cœlo corruit. Si adhuc in Cęlo positus, quomodo dicit, Ascendam in Cœlum? sed quia legimus; Cœlum Cœli Domino: cùm esset in Cœlo, idest in firmamento, in Cęlum, vbi solium Domini est, cupiebat ascendere; non humilitate, sed superbia. Sin autem, postquam de Cœlo corruit, loquitur ista verba, arrogantiam debemus intelligere, quòd nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat; non vt inter Astra, sed super Astra Dei sit.*

T H E O P H I L V S Alexandrinus Episcopus, Epistola Paschali prima, in regionibus Cœlorum Angelos productos his tradit, cùm ait.

Si Principatus, & Potestates, quæ in Cœlorum regionibus conditæ sunt, &c.

Quibus certè Hieronymi placitis visus est subscripsisse.

I N N O C E N T I V S Tertius ab his Patribus non discessisse cõperitur; nam quamuis in Sermone de Annunciatione dixerit;

Cùm enim Lucifer esset in Empyreo constitutus, non erat Cęlum superius, quò posset ascendere.

Attamen expositione in quintum Psalmum Pœnitentialem, habet.

De superioribus autem Cęlis cum Syderibus, & alijs Luminaribus, non est certum omninò, vtrum & ipsi sint aliquatenus immutandi, cùm ad eos fœtor, & fœditas ex prauis hominum operibus non peruenerit, quanquam in illis Angeli peccauerint Apostatici, qui sunt de Cęlo proiecti.

Sentit igitur D. Hieronymus Luciferum extasse in firmamento, quasi ibi conditum: & cùm dixit; Ascendam in Cœlum, quòd in Empyreum conscendere concupierit. Quamobrem si ex Hieronymi placito, Angelos emanatos in Cœlis Astriferis, siue firmamento, definierimus; Scripturæ obtestationes pręallegatæ, nullum nobis negocium facessent. Admittemus libenter certè Luciferum primo mane, hoc est primo temporum primordio ortum, & tanquam fulgur corruisse è Cœlo, hoc est, è firmamento, atque à Michaële, & Angelica acie pulsum, deturbatum, proiectumq́ue fuisse è Cœlo syderibus micante, eo euentu, vt mox deinde Dæmones vel in aëre hoc crasso, vel in Inferno obligati fuerint; Angeli verò in Empyreum euecti. Neque ex Patribus in Catena positis, Iunilius, seu Beda, Strabus, & D. Thomas, huic refragantur sententię. Nam quantum ad Iunilium spectat, & Strabum, Magister nimium eos in suam trahit sententiam, si ex eo quòd asserunt Cœlum Empyreum mox factum fuisse Angelis bonis repletum,

pletum, Angelos in Empyreo conditos perhibere eos concludit. Quinimmo ex hac Iunilij, seu Bedæ, & Strabi enarratione, oppositum elici ego arbitror; Nam si statim, vt creatum est Empyreum, sanctis Angelis expletum est; igitur in eo conditi non sunt. Deinde Dęmones, Angeli sancti nuncupari minimè possunt; igitur illis Empyreum ornatum non est, nec in illo producti. Angeli ergo extra Empyreum manarant, & iam ex eis, alij peccato obnoxij redditi erant, alij Sancti euaserant, antequam Empyreum sanctis Angelis repletum fuerit. Magister siquidem, cui Centonarij nomen nonnulli perperam ascribunt, diligentissimus fuit Patrum sententiarum indagator, sed nec omnes potuit profundiùs perscrutari sententias, nec discrepantes simul conciliare; quapropter mirum non est, si non semper, quod tradidit, apud omnes Patres exploratum est. Nec mirum, si Scholastici, quorum munus est, non Patrum placita, à quibus vti fontibus, Magister Theologica omnia hausit dogmata, indagare, sed eius doctrinā explanare, tueriq;, in eius verba iurasse visi sunt; Nec alijs ad temeritatem adscribendum, si in his dogmatibus, de quibus non adest certa Ecclesiæ sanctio, ac definitio, diuersas à Magistro ex Patribus eliciunt sententias. D. Thomam libentiùs in hanc properare sententiam demonstrant postrema illa eius verba; Conueniens fuit, quòd Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes: Creati igitur sunt in eo supremo corpore, quod supremum est sensilis Mundi: Igitur in primo Orbiū Cœlestium, quod primum Mobile est, & tunc firmamentū existimabatur. Hac conciliatione posita, sequitur, quòd dignitas, ac specimen Empyrei non eam subibit notā, vt in ipso tenebræ, Dæmon, culpa, rebellio, aut quid aliud huius sacri Dei domicilij candorem inficiens, extiterit vnquam; eleganterq; illud interpretabimur, quod dixit Dęmon; In Cœlum ascendam, &c. si pro Cœlo, non tantùm altissimam Trinitatem, vt D. Thomas quæstione asserta exposuit; sed Cœlum ipsum Empyreum supereminentius intelligamus. Quòd si in Chaos illo primęuo cuncta simul obuoluebantur, adeò, vt Cęlum non esset à cæteris elementis adhuc discretum, certè nec distans, discrepansuè à D. Augustino, ac Ruperto assertio nostra reputabitur: Quanquam D. Augustinus ex aliorum sententia, non sua, Dęmones fuisse Angelos cœlestes sub dubio prodat.

Magister sententiarnm à calumnia vēdicatur.

Esa. 14.

Quales in substantia Angeli conditi sunt: Num corporei.

Angelos vnico Dei verbo prosilijsse tradunt vnica voce omnes Patres. Sed num puri spiritus, num aliqua admixti materia prodierint, disceptatio est non exilis inter eos. Quam profectò disceptationē, An Angeli corpori alicui obnoxij primùm prosilierint, non extra euocatam, aut a longè accersitam, seu (vt aiunt) emendicatam; sed huius instituti nostri propriam, germanamque existimandam velim. Cùm enim de genesi creaturarum tam supernarum, quàm terrenarum omnium nostrum sit negotium exquisitè pertractare; ratio etiam expostulat, vt Creationem Angelicam profundiùs nunc exquirentes, de conditionis etiam modo, & an Angeli creaturarum spiritualium classi, An corporalium adijciendi sint, prænoscamus. Nam si Angeli cognata habent corpora vel ignea, vel aërea, certè Mundi sensilis fuisse indigenæ, & cum eo manasse, & non ante intelligimus. Adijciam, quòd & cùm de Angelicis apparitionibus, seu spectris multa vagetur per Scripturas mentio, an corporeæ moli Angeli addicti sint, præscire, non exiguas suppetias ad percipiendas res à Scriptura enarratas ferre videbitur. Demiror perinde, quòd in re tam incomperta, & latente, tot repugnantes comperiam Patrū sententias, videamq; nonnullos eorum, qui ante Mundum emanasse Angelos existimarunt, eos etiam corporis non immunes reputasse.

Catena Patrum asserentium Angelos corporeos conditos fuisse.

PLATO, vt refert Dionysius Chartusianus Comment. in primum caput Cœlestis Hierarchiæ, articulo quartodecimo, in hanc sententiam descendit.

Plato, inquam, in Dæmonibus posuit etiam corporalem materiam, quamuis inuisibilem nobis. Vnde Apuleius Platonicus, in libro de Deo Socratis, affirmat Dæmones esse animalia, corpore aërea, animo passiua, mente rationalia, tempore æterna. In superioribus demum intellectualibus substantijs, posuit Plato simpli- ciorem

tiorem quandam materiam, quam Proclus in Elementatione sua Theologica, nominat Schema. Auctor quoque libri de caussis affirmat, quòd intelligentia est habens hyleathyn.

ORIGENES in Periarchon, libro secundo, capite secundo, Angelos corporea mole deuinctos ea ratione arbitratur, quòd solius Dei singulare sit, spiritum prorsus esse: his nanque verbis suam deducit sententiam.

Si verò impossibile est hoc vllo modo affirmari, idest, quod viuere præter corpus possit vlla alia natura præter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, necessitas consequentiæ ac rationis coarctat intelligi, principaliter quidem esse coarctatas rationabiles naturas, materialẽ verò substantiam, opinione quidem, & intellectu solùm separari ab eis, & pro ipsis, vel post ipsas effectam videri, sed nunquam sine ipsa eas vel vixisse, vel viuere: solius nanque Trinitatis incorporea vita existere rectè putabitur.

TERTVLLIANVS libro contra Praxeam.

Sed & inuisibilia cuncta ea quæcunque sunt habent & apud Deum, & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt.

Et aduersus Marcionem, libro tertio capite nono, non tantùm Angelis corpus sublimis generis visus est tribuisse, sed vt humanum, veræ, solidæque substantiæ.

Dehinc scito nec illud concedi tibi, vt putatiua fuerit in Angelis caro, sed veræ, & solidæ substantiæ humanæ: si enim difficile non fuit illi putatiuæ carnis veros & sensus, & actus exhibere, multo faciliùs habuit veris & sensibus, & actibus veram dedisse substantiam, vel qua proprius auctor, & artifex eius.

Cæterum in libris eodem scriptis & exaratis tempore, aduersa sensisse apparet, præcipueq; libro de carne Christi, & libro de Resurrectione carnis, vbi humanũ corpus gestare Angelos inficiatur, corpus attamen aliquod sui generis ipsis condonare videtur: nam libro de carne Christi hæc habet.

Constat Angelos carnem non propriam gestasse, vtputa natura substantiæ spiritalis: & si corporis alicuius, sui tamen generis: in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, vt videri, & congredi cum hominibus possint.

Ex quibus suspicari licet, Tertullianum (vt alij etiam ipsi impingunt) extimasse Angelos, & Dæmones, si non humano, incomperto tamen nobis corporis generi obnoxios esse.

Cap. 16. BASILIVS libro de Spiritu Sancto, ad sanctum Amphilochium Iconij Episcopum, differens, quòd aliud sit in Angelo natura, aliud verò in eo Spiritus Sancti sanctificatio, Angelos gestare corpora ignea, ac aërea, his protulit.

Neque enim Cælorum Virtutes suapte natura sanctæ sunt: nam si id esset, nulla re differrent à Spiritu Sancto; sed iuxtà portionem, qua se inuicem superant, à Spiritu habent sanctificationis mensuram. Quemadmodum enim cauterium non sine igne intelligitur, cùm aliud sit subiecta materia, aliud ignis: itidem & in cælestibus virtutibus, substantia quidem earum, puta spiritus est aëreus, aut ignis materialis; iuxtà id, quod scri-
Psal. 103. *ptum est; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem: Eapropter & in loco sunt, & fiunt visibiles, dum ijs, qui digni sunt, apparent in specie propriorum corporum. Attamen sanctificatio, quæ est extra substantiam illorum, perfectionem illis adiungit per communionem spiritus.*

Cap.17. AVGVSTINVS, Angelos cognata habere corpora, pluribus in locis
rata sententia decernit. Edocet nanque libro secundo de Genesi ad literam, Angelos
Cap.10. tàm bonos, quàm malos, subtilia ferre corpora: & ea in tertio eiusdem operis libro, de-
clarat esse aërea, sed per mortem indissolubilia, eo quòd præualeant in ipsis elementa
magis ad agendum, quàm ad patiendum propensa, hoc est, aër, & ignis sydereus, quæ
Epist.105. duo aptiora sunt ad agendum, sicut fumus & humor ad patiendum; cui sententiæ con-
sentiens in Epistola ad Nebridium, scribit, Angelos esse animantia aërea, siue ætherea
Cap.1. acerrimi sensus. Et tertio libro de Trinitate obtestatur, illos spirituale corpus habere,
non cui subdantur, sed quod subditum gerant. Amplius in enarratione Psalmi octua-
gesimi quinti asserit, corpora Beatorum futura post resurrectionem, qualia sunt corpo-
ra Angelorum; atque idipsum repetit in explanatione Psalmi centesimi quagragesimi
Cap.27. quinti, addens corpus Angelicum inferius esse anima. Item libro vndecimo de Ciui-
tate Dei asseruit Dæmones ea habere corpora, quibus possint coire cum fœminis. Sed
ne videamur clauso ore ex locorum allegatorum numero auctoritates eripere: vt perspicuas D. Augustini assertiones habeas, audias quid ipse de bonis Angelis, & malis enunciauerit. De bonis quidem libro tertio de Trinitate, inquit.

Quærendum est, in illis antiquis corporalibus formis, & visis, vtrum ad hoc opus tantùm creatura formata sit, in qua Deus sicuti tunc oportuisse iudicauit, humanis ostenderetur aspectibus, an Angeli, qui iam erant, ita mitteban-

mittebantur, vt ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in vsum ministerij sui: aut ipsum corpus suum; cui non subduntur, sed subditum gerunt, mutuantes, atque vertentes in species, quas vellent, accommodatas, atque aptas actionibus suis secundum attributam sibi à Creatore potentiam.

De Dæmone autem, libro tertio de Genesi ad literam.

Dæmones aërea sunt animalia, quia corporum aëreorum natura vigent; & propterea morte non dissoluuntur; quia præualet in eis elementum aptius ad faciendum, quàm ad patiendum. Et Post. *Superior aëris pars propter puram tranquillitatem, Cœlo cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores Angeli cum principe suo nunc Diabolo, tunc Archangelo (nam nonnulli nostri, non eos putant Cęlestes, vel supercœlestes Angelos fuisse) non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, vbi tamen & aër sit, & humore tenui contexatur; qui commotus ventos, & vehementius concitatus, etiam ignes & tonitrua, & contractus nubila, & conspissatus pluuiam, & congelantibus nebulis, niuem, & turbulentius congelantibus densioribus nebulis, grandinem, & distentus serenum facit, occultis imperijs, & opere Dei à summis ad infima, vniuersa, quæ creauit, administrantis. Vnde & in illo Psalmo, cùm commemorata essent, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis; ne talia sine prouidentia diuina fieri, mouerique putarentur, continuò subiecit; Quæ faciunt verbum eius.* Psal. 148. *Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, Cęlestia corpora gerebant; neque hoc mirum est, si conuersa sunt ex pęna in aëream qualitatem, vt iam possint ab igne, idest ab elemento naturæ superioris aliquid pati, nec aëris saltem spatia superiora, atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, vsque ad tempus Iudicij. Et si quid de his transgressoribus Angelis, diligentius requirendum est, alius erit accommodatior scripturæ locus.*

TATIANVS Oratione contra Græcos, Angelos ex materia congestos, perspicuè prodit.

Quinetiam Dæmones, vt vos eos vocatis, ex materia concreti, & spiritu ex ea sumpto, luxuriosi, & delicati euaserunt; alij quidem ex ipsis ad puriorem vitam conuersi; alij verò vilioris materiæ ratione assumpta, & pro eius modo agentes. Istos adoratis ò Græci, qui ex materia geniti procul à laudabili disciplina discesserunt.

ANASTASIVS Episcopus Nicenus, quæstione nonagesima tertia.

Neque enim sic tanquam cum hac crassa, & materiata carne commiscetur immundus spiritus, & eam quodammodo induit: hoc enim potest sola sancta Trinitas, quæ omnia peruadit & continet, ac circuit, vt quæ propriè sit incorporea. Non enim Angelorum, & Principatuum, & ipsius etiam animæ naturas, à corporibus omninò nudas existimamus.

CAESARIVS Germanus frater Gregorij Nazianzeni, Dialogo primo.

Incorporei quidem sunt Angeli, ratione, respectuque naturæ nostræ: corpus verò habent secundum naturam suam, vt ventus, vel ignis, vel fumus, vel aër: corpora enim sunt subtilia, crassæ materiei nostræ expertia. Quippe corpora quædam sunt Cęlestia, quædam terrestria, inquit sanctus ille Apostolus.

AMBROSIVS de Abraham Patriarcha libro secundo, capite octauo, Cœlos ex quinta quadam essentia congestos reijciens, adiecit.

Nos autem nihil materialis compositionis immune, atque alienum putamus, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam, quæ verè pura, & simplex, sinceræ, impermixtæque naturæ est.

GENNADIVS auctor (teste D. Thoma) libri de Ecclesiasticis dogmatibus, eius inquam, qui inter volumina D. Augustini excuditur; idipsum prorsus reliquit scriptum capite duodecimo. Quodli. 12.

Nihil incorporeum, & inuisibile natura credendum, nisi solum Deum. Et post. *Creatura omnis corporea est, Angeli, & Cœlestes virtutes, corporeæ, licet non carne, subsistant; ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quod localiter circumscribantur, sicuti, & anima humana, quæ carne clauditur, & Dæmones, qui per substantiam Angelicæ naturæ sunt.*

IO. CASSIANVS libro septimo Collationum, capite tertio decimo huic subscripsit sententiæ.

Licet enim pronunciemus nonnullas esse spiritales naturas, vt sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aër iste subtilis; tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo tenuius quàm nos. Nam sunt corpora, secundum Apostoli sententiam, ita dicentis; Et corpora cœlestia, & corpora terrestria, Et iterum; Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. 1. Cor. 15. *Quibus manifestè colligitur, nihil esse incorporeum, nisi solum Deum; & idcirco ipsi tantummodo penetrabiles omnes spiritales, atque intellectuales esse substantias, eò quòd solus, & totus, & vbique, & in omnibus est: ita vt & cogitationes hominum, & internos motus, atque abdita mentis vniuersa conspiciat, atque perlustret.*

EPIPHANIVS libro secundo, Tomo primo, contra Hæreses, mate-

riæ congenitos esse Angelos censuisse visus est, cùm dixit.

Ipse igitur Diabolus dicetur spiritus circa materiem se habens: Quemadmodum etiam reliqui facti sunt ab ipso Angeli, & ob materiam, & materiæ species, concreditam sibi habent administrationem.

MACHARIVS Senior Aegyptius, Homilia quarta, cui titulus est; Qua ratione proficiscendum in vita Christiana.

Deus, cùm sit infinitus, inaccessus, & increatus per infinitam, & incomprehensam bonitatem suam corpus assumpsit, atque (vt ita dicam) imminuit se ab inaccessa gloria, vt vniri posset creaturis suis visibilibus; nempe animis Sanctorum, atque Angelorum, vt ita participes esse possent vitæ diuinæ. Vnumquodque enim horum, pro natura sua corpus est, siue sit Angelus, aut anima, seu Dæmon. Licet enim hæc corpora tenuia sint, nihilominus in substantia, charactere, & repræsentatione, pro subtilitate suæ naturæ, corpora sunt subtilia; quemadmodum & corpus istud, secundum substantiam, crassum est.

NICENA Synodus secunda, in cuius quarta actione probantur verba Ioannis Thessalonicensis Episcopi, plurimam huic sententiæ defert auctoritatem, ita rem diffiniens.

De Angelis, & Archangelis, & eorum Potestatibus, quibus & nostra anima adiungitur, ipsa Catholica Ecclesia sic sentit esse quidem intelligibiles, sed non omninò corporis expertes, verùm tenui corpore præditos,
Psal. 103. *& aëreo, siue igneo, vt scriptum est, facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem; sic autem multos Sanctorum Patrum sensisse cognouimus; quorum & Basilius cognomento Magnus, & beatus Athanasius, & Methodius, & qui stant ab illis: solummodo autem Deus incorporeus est. Quanquam autem Angeli non sint, vt nos, corporei, vtpote ex quatuor elementis & crassa illa materia, nemo tamen Angelos, vel Dæmones, vel animam, dixerit incorpoream.*

Cap. 4. D. BERNARDVS de Consideratione libro quinto, Angelos corpore obstringi æthereo visus est asseruisse, vel saltem, an corporei sint Angeli, nec ne, sub dubio reliquisse.

Et primò quidem Ciues spiritus esse illic, potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos, impassibiles, non creatos, sed factos; idest gratia, non natura, mente puros, affectu benignos, religione pios, castimonia integros, vnanimitate indiuiduos, pace securos, à Deo conditos, diuinis laudibus, & obsequijs deditos. Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus. Quanquam de corporibus horum, non modo vnde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Vnde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo.

RVPERTVS Abbas, D. Augustini eximius sectator, Angelorum corpora ex aëre crasso, & humido, vti extabat, cùm tenebræ obruerent faciem abyssi, compacta fuisse in ipsorum conditionis primordio, tradit in Commentario in Genesim, libro primo, capite vndecimo.

Angeli autem etsi ad comparationem nostri, spiritus dicuntur & sunt; in comparatione tamen Dei, corporei sunt. Habent nanque, vt docti quoque & magni viri perhibent, corpora ex isto aëre crasso, atque humido, qui vento flante sentitur impulsus, presertim qualis erat cùm adhuc tenebræ essent super faciem abyssi; de
2. Cor. 4. *quibus (vt Apostolus ait) Deus lucem splendescere iussit. Cuius eorum conditionis experimentum capere licet ex eis, qui ceciderunt. Nam sicut homo mortuus, redeundo in terram, palàm facit, quia de terra sumptus fuit; sic isti, qui deserto perenni fonte luminis extincti sunt, obscuritate sua palàm faciunt, quia de tenebris, cùm essent, non natura, sed gratia, splendidi facti sunt: Quod bene idem Apostolus perspiciens, non ait; Deus, qui dixit in tenebris; sed, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in faciem cordis nostri ad illuminationem claritatis in faciem Iesu Christi. Etenim vtriusque propositiunculæ non parua distantia est. Nam splendet in tenebris lux vera Deus, cùm sedentibus in tenebris nobis illuminare dignatur. Splendescimus de tenebris nos, cùm ab infidelitate exeuntes, in faciem eius per fidem aspicimus. Itaque cùm Angelos, quamuis subtilia corpora, tamen ex ipsorum origine habere constet, ex eo quoque liquet, quia & locales sunt; & cùm volunt, hominibus apparent. Quòd si idcircò non permanens, sed ad horam sumptum, de aëre corpus habere putantur, quia non semper apparent; & cùm apparuerint, repentè disparent: nos econtrà dicimus, Dominum nostrum post resurrectionem tale corpus suum, vtique terrenum sic exhibuisse, vt cùm vellet, repentè hominibus appareret; & cùm vellet, protinus euanesceret. Habent ergo Angeli corpus, ex illo vtique aëre & humore, super quem cum ferreretur spiritus Domini, dixit; Fiat lux. Quare, inquis, non de Cœlo fecit Deus Angelos, vt eßent natura cęlestes? Videlicet, quia non idcircò fecerat Deus Cœlum, vt inde eos crearet, sed vt creatos, sola in Cęlum gratia subleuaret.*

CLAVDIANVS Mamertus Episcopus Viennensis, de statu animæ libro tertio, Angelos spiritu & corpore quodam compactos, prolixiori oratione cùm se demonstrasse putasset, his concludit.

Satis, vt arbitror, patet, beatos Angelos vtriusque substantię, & incorporeos esse in ea sui parte, qua ipsis visibilis

visibilis Deus est; & in ea itidem parte corporeos, qua hominibus sunt ipsi visibiles; quoniam nec Deus ab Angelo per corpus, nec Angelus ab homine sine corpore videri potest. Quę, cùm ita sint, negari nequit Diabolum quoque ex incorporeo, corporeoq; factum, vtpotè Sanctis Angelis concreatum duplicis esse substantię, qui postquam improbè superbia tumuit, & inuidiæ febre tabuit, spontè illocaliter sanctitate prolapsus, eaq; localiter è Cœlo non spontè deiectus, quum non Angelus, sed bonus esse cessauerit, innocentiam perdidit, non naturam. Proinde sicut Angelorum multitudo, quę persistit, in vtroque sui beatificabitur; ita quæ desistit, in sui vtroque punietur. Igitur haudquaquam rectè duas in Diabolo substantias inficiabere.

Classis Patrum, Angelos corporis prorsus expertes esse, arbitrantium.

PHILO Libro de Mundo, ait.

Enimuerò in terra, in aqua, in aëre, fictor ipse duplicia finxit genera, vt in aëre volatilia, aliasq; potestates sensu quidem illas nusquam, nulloq; pacto comprehensas. Animarum illic conuentus est corpore vacuarum, ordinibus non iisdem descriptarum.

Philo hoc loco siquidem, & libro de Gigantibus, duplex animarum genus comperiri censuit: Aliud corpore solutum, & huius generis Angelos esse; atque hos Philosophos Heroës, Lares, & Genios, Mosen nuncios appellasse perhibet; quorum purissimos in Cœlo, impuriores in aëre degere dixit: Aliud corporibus addictum & connexum, in quod genus animas redigit: Et harum alias in corpore, vt in flumen delapsas, corticibus sensuum absorbi vult: aliàs reluctantes retrò euolare, vnde erant profectæ. Sed in his Philo, non Ecclesiasticis munitus dogmatibus, Platonizat.

DIONYSIVS Areopagita de Cœlesti Hierarchia, libro primo, capite primo.

Quoniam non est possibile animo nostro, ad non materialem illam ascendere cœlestium Hierarchiarum imitationem, & contemplationem, nisi ea quæ secundum ipsum est, materiali manuductione vtatur; visibiles quidem formas inuisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans; sensibiles suauitates, figuras inuisibilis distributionis: & immaterialis loculentiæ imaginem, materialia lumina.

Et innumeris ferè locis, Dionysius, Angelos à materia prorsus innoxios, autumat; quapropter & Dionysius Chartusianus, articulo quartodecimo in idipsum caput, inquit.

Simplicitatem, & puritatem Angelorum, & quòd immateriales existant, probant multæ auctoritates huius capituli, in quo Theologus non solùm nominat eos incorporales, & immateriales, sed etiam deiformes simplicitates, aliquando verò immaterialitates.

DIONYSIVS de Diuinis nominibus, capite quarto.

Angeli sicut incorporales intelliguntur; ita & immateriales. Et post. *Quòd autem neque malitiæ caussa sit corpus animæ, ex eo constat, quòd etiam sine corpore malitia possit irrepere, sicuti in Dęmonibus.*

Eximius igitur hic Pater citra controuersiam, vt exploratum & pro comperto habet, Dæmones, cùm peccarunt, corporis molis fuisse expertes.

BASILIVS Homilia, Quòd Deus non est auctor malorum.

Natura Diabolus incorporea est secundum Apostolum dicentem; Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritalia nequitiæ. Ephes. 6.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione trigesima quarta, quæ est secunda de Theologia.

Quid ais? Hic dicendi finem faciemus, nec vltra res eas, quę materia constat, oculisque corporis cernuntur, orationem diffundemus? An potius, quoniam Mosaicum illud Tabernaculum Mundi totius figuram, & imaginem extitisse docet Scriptura. Mundus porrò ex visibilibus, & inuisibilibus constat; idcircò penetrato primo velo, transcensisq; rebus illis, quæ sensum mouent, in Sancta prospiciemus; hoc est, in supercęlestē naturam, quęque non nisi ratione atque intelligentia percipitur? Sed ne hanc quidem, tametsi corporis expertem, incorporeo modo cernere possumus, quippe quæ ignis, & Spiritus appelletur, aut efficiatur. Deus enim, vt literis sacris proditum est, Angelos suos spiritus facit, & ministros suos flammam ignis. Nisi fortè hoc loco, facere, nihil aliud significat, quàm eadem, qua primùm procreati sunt; ratione tueri & conseruare. Spiritus porrò, atque ignis, Angelus appellatur: illud, quia intellectili natura est præditus, hoc, quia purgandis animis nostris adhibetur. quandoquidem primaria quoque illa essentia iisdem nominibus in Scriptura nuncupatur. Sed sint sanè illi incorporei, aut quàmproximè ad hoc accedentes. Psal. 103.

Et Oratione in Christi natiuitatem Panegyrica, quæ enumeratur trigesima octaua.

Atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri: siue intelligentes spiritus, siue ignem

ignem velut materiæ expertem & incorporeum, siue aliam quandam naturam quàm proximè ad has accedentem, eas existimare oportet.

NICETAS in Commentarijs.

Psal. 103. *Angelos porrò, vel ignem materia & corpore carentem, esse existima; iuxta illud Dauidis; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis; siue aliam quandam naturam impassibilem, & motus expertem, ac tenuem & simplicem, ab ijs, quas commemorauimus, non longè remotam, hoc est, ab igne & spiritu. Cauendum enim tibi est, ne corporeum quiddam de Angelis animo concipias.*

GREGORIVS Nazianzenus pariter Oratione secunda in Pascha, quæ est quadragesima secunda in ordine, ea ipsa ferè eadem contextus serie edisserit; & Oratione, seu libro secundo de Theologia, cùm Deum corporis expertem demonstrare contendat, in hæc incidit.

Iam si aliud quoddam corpus præter quintum illud, Deum esse statuant, siquidem Angelicum; Vnde probabunt Angelos corpore constare? & quo tandem corpore?

GREGORIVS Nyssenus libro de Oratione Dominica, Angelos incorpoream naturam appellat, dicens.

Omnis creatura rationalis partim in incorpoream naturam diuisa est; est autem Angelica quidem incorporea: Altera verò species, nos homines sumus. Atque illa quidem, quæ incorporea cùm sit, solamente comprehenditur, vt quæ nimirum à grauante corpore remota, atque seiuncta sit: (de hoc loquor duro, renitenti, ac pondere suo ad terram vergente, corpore) per superam partem obuersatur, in leuibus, & æthereis locis immorans, in agili, & expedita natura.

PROCLVS Constantinopolitanus Episcopus, Epistola de Fide ad Armenios, Angelos & ipse nuncupat incorporeos, cùm ait.

Galat. 1. *Altitudo siquidem Fidei, cunctam insurgentis audaciam, temeritatemq; prosternit; nec humanam tantùm, sed & illorum, qui natura incorporea sublimantur, beato Paulo dicente; Aut si nos, aut Angelus de Cœlis euangelizauerit vobis, præter id quod accepistis, anathema sit.*

IO. CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia vigesima secunda, disserens ex filijs Dei, hoc est Angelis, gigantes editos non fuisse, inquit.

Verùm Scriptura nos aliter docet, quòd antequam formaretur protoplastus, à sua dignitate exciderunt & Diabolus, & qui cùm eo maiorem, quàm decebat, dignitatem ambiebant. Sicut & Sapiens quidam inquit; Sap. 2. *Inuidia autem Diaboli mors intrauit in Mundum. Dic oro mihi, si non ante factum hominem excidit, quomodo in tanta dignitate manens, inuidit homini? Quomodo rationi consonum est, Angelum incorporeum, & in tali dignitate constitutum, homini inuidere corpore circumamicto? Sed inuidit, qui à superna gloria, in extremam ignominiam deiectus est, licet esset incorporeus: videns autem formatum hominem, & in corpore tantum honorem conditoris beneuolentia sortitum, inuidia exarsit, & deceptione, ad quam serpentis opera vsus est, hominem mortis supplicio obnoxium fecit.* Et post. *Alioquin quanta dementia plenum fuerit, dicere Angelos deiectos, vt cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus? An* Matth. 22. *non audis Dominum dicentem de Angelorum substantia; In resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei? Neque enim possibile est incorpoream naturam, talem vnquam concupiscentiam habere. Ad hæc etiam cogitare oportet, quòd hoc omnibus modis absurdissimum fuerit probare. Nam Sancti, & qui Spiritum Sanctum assequuti sunt, neque visionem Angelorum videre potuerunt. Enimuerò vir desideriorum fermè animam expirasset conspecta Angeli præsentia, non tamen substantia; quo pacto enim videri posset incorporalis substantia? Sed transformatione solùm quadam visa parum aberat, quin & animam relinqueret, defectis viribus. Ita tantus ac talis vir, penè absque spiritu iacebat. Quis enim etiam valde insanus comprobaret talia verba dementiæ plena, quòd incorporea & spiritualis natura, corporis complexum ferret?*

CYRILLVS Alexandrinus libro quarto Commentariorum in Ioannem, super illud Psalmi; Panem de Cœlo dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, ait. Psal. 77.

Videtur enim hæc de maioribus suis dixisse, verè autem non de illis, sed de nobis potius dicit: furoris enim penitus plenum est, Angelos (qui natura incorporei sunt) rudiore vti alimento putare, patrociniòq; indigere cibi, quemadmodum animata hæc, & terrestria corpora. Patet enim, quia spiritus sunt, naturaq; intellectus, spiritali quoque illos ac intellectuali frui alimento.

Gen. 6. Et in Genesim libro tertio, in illud; Videntes filij Dei filias hominum.

At in nonnullis exemplaribus hunc in modum scriptum esse comperio: Videntes Angeli Dei filias hominum: atque ita fit, vt nonnulli crimen libidinis, tamq; sceleratam voluptatem, Angelis è Cęlo lapsis adscriberent, qui dignitatem suam, vt scriptum est, non obseruarunt. Ego tamen nullum vitium cum illis, quia incorporei sunt, commune esse dixerim, neque faterer. Nam absurdum profectò esset, si rem ipsam, quę à recta omnium opinione abhorreret, concedere vellemus.

ATHA-

ATHANASIVS libro de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, habet.

Angelus est animal rationale expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.

THEODORETVS in Zachariam, capite primo, ait.

Planum est, quos vidit inuisibiles spiritus esse in ministerium missos, iuxta Apostolum; Propter eos, qui hæreditatem capient salutis, eorum naturæ non videntur, hæ enim incorporeæ sunt. Sed horum & omnium Dominus, visionem eorum diuinam conformat, pro ratione vsus: idque nos apertè diuina Scriptura docet, diuersas eorum figuras ostendens. Aliter enim eos vidit Daniel, aliter Ezechiel, & Esaias, & Micheas; alijs, & alijs figuris. Non tamen multiformes, sed incorporeæ naturæ intellectu comprehensibiles sunt; sed ad vsum Dominus format visiones eorum, idq; in diuino Zacharia fecit. Heb. 1.

Sed clariùs Diuinorum Decretorum Epit. libro quinto.

Quando ergo audierimus Sacram Scripturam dicentem; Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, ne incorporeos Angelos accusemus. Gen. 6.

SOPHRONIVS Archiepiscopus Constantinopolitanus, de Angelorum excellentia, Oratione sexta, Angelos materiæ expertes, & vacuos esse dixit.

O Diuini, materiæque expertes Dei exercitus: ò mente, rationeque prædita Intelligentiæ: At præstat gradatim & ex ordine vos prædicare, magnificare, & inuocare. O' Seraphim, quæ sex alis exornata, inque prima Cœlestium exercituum acie collocata, vestro ardore cæteros omnes incenditis: Vos estis, quæ propter inconcussam stabilitatem, corporeæq; concretionis vacuitatem, tum ob æternitatem vobis communicatam, cognoscendique & inflammandi virtutem, expressum quoddam diuinæ similitudinis simulachrum præ vobis fertis.

ANSELMVS Canthuariensis de Imagine Mundi, libro primo capite vigesimo tertio, ait.

In hoc aëre commorantur dæmones, cum tormentis diē Iudicij præstolantes, ex quo sibi corpora assumunt, dum hominibus apparent. Et post. *Hic etiam æther, quasi purus aër dicitur, & splendore perpetuo lætatur. De hoc Angeli corpora sumunt, cùm ad homines missi veniunt.* Cap. 24.

Ex quibus elicitur, Anselmum Angelos existimasse à mole corporea solutos, ex aëre, igneque corpora tum tantùm assumere, cùm id sibi à Deo est mandatum.

POTHO Presbiter Prumiensis de statu Domus Dei, libro quarto, capite quarto.

Cœlestem quippe habitationem sortiti sunt Angeli, Terram autem dedit Deus filijs hominum. Duo nanque sunt rationales spiritus, vnus qui in Cœlis sedem habet, alter qui Terræ locum obtinet. Superior ex his sine corporeæ molis pondere Deo ministrans, in Cęlo semper assistit: Inferior, corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam, gestans, superioris illius ministerio, & adminiculo necessariò fulcitur. Sunt enim omnes administratorij spiritus missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Heb. 1.

HVGO Summæ Sententiarum, tractatu secundo, capite secundo.

Deinde restat videre quales Angeli facti fuerint. In prima conditione tria videntur esse attributa: essentia indiuisibilis & immaterialis, & ideò indeficiens per rationem naturaliter insitam: intelligentia spiritualis: liberum quoque arbitrium, quo poterant sine violentia ad vtrumlibet propria voluntate deflecti.

Magister Sententiarum, libro secundo, distinctione octaua, D. Augustini placita, ex diuersis locis hausta, deducit, Angelosque corporis prorsus expertes esse diffinit, eique omnes Scholastici eo loco subscribunt.

D. THOMAS prima parte, quæstione quinquagesima prima, art. primo, hac irrefragabili ratione Angelos corpore immunes euincere arbitratur.

Quod enim accidit alicui naturæ, non inuenitur vniuersaliter in natura illa, sicut habere alas, quia non est de ratione animalis, non conuenit omni animali. Cùm autem intelligere non sit actus corporis, nec alicuius virtutis corporeæ, vt infra patebit, habere corpus vnitum non est de ratione substantiæ intellectualis in quantum huiusmodi, sed accidit alicui substantiæ intellectuali propter aliquid aliud, sicut humanæ animæ competit vniri corpori, quia est imperfecta, & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporeos à sensibilibus rebus, vt infrà dicetur. In quocunque autem genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet præexistere aliquid perfectum in genere illo. Sunt igitur aliquæ substantiæ perfectæ intellectuales in natura intellectuali, non indigentes acquirere scientiam à sensibilibus rebus. Non igitur omnes substantiæ intellectuales sunt vnitæ corporibus, sed aliquæ sunt à corporibus separatę: & has dicimus Angelos.

AVCTOR.

Ego verò huius disceptationis definitionem, quin potius solutionem, ac tantorum Patrum, & Doctorum reconciliationem ex Ioanne Damasceno excipi posse arbitror. Sentētiarum superiorū cōciliatio ex Damasceno.

Hic

Hic siquidem Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite tertio, hanc præclaram tulit sententiam.

Ipse Angelorum factor, & opifex, Deus est, ipsos ex nihilo ad esse deducens, ad propriam illos creans imaginem, naturam incorpoream, vt spiritum quendam, aut immaterialem ignem: quemadmodum diuinus inquit David; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis; agilitatem, ignitionem, feruorem, penetrabilitatem, & acumen circa diuinum desiderium, & ministerium designans, atque ipsorum sursum ferentem, ab omni materiali intelligentia liberam puritatem. Angelus igitur est substantia intellectualis, semper mobilis, suæ potestatis, arbitrioque libera, incorporalis, Dei ministra, per gratiam, non natura immortalitatem consequuta: cuius substantiæ speciem, & terminum, solus Creator agnouit. Incorporeus autem & immaterialis dicitur, quantum ad nos. Nam omne ad Deum collatum, (qui solus incorporalis est) crassum, & materiale comperitur. Sola enim verè immaterialis, & incorporea Diuinitas.

Psal. 103.

Hæc Damascenus. Nec mirum est, quòd Damascenus, spiritus crassitiem dicat corpus in Angelis;

TERTVLLIANVS enim libro aduersus Praxeam, substantiam ipsam corpus appellauit, non tantùm in Angelo, sed & in Deo, cùm inquit.

Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis, & in sua effigie, sed & inuisibilia quæcunque sunt, habent & apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt.

Angeli quomodo corporei, & incorporei dicēdi.

Pro huius igitur conciliatione disceptationis, theophari possumus cum Damasceno, statuereque, quòd Angelus incorporeus, & immaterialis potius perhibeatur, si ad nostri corporis rationem comparetur; At corporis, ac materiæ similitudinem gerere, si cum Deo conferatur. Quapropter definiendum, quòd Angeli corpus non habent coactum ex quatuor elementis, nec ex aëre crasso, obtenebrosoque, vt asserit Rupertus; neque ex aëre purissimo compactum, vt tradit Augustinus; nec ex igne, vt alij arbitrati sunt; neque ex supereminente, simplicique quadam quinta corporis essentia, vt innuebat Basilius; sed quòd substātia impuriores, longeque imperfectiores sint Deo; & quòd crassities ea, seu materies spiritus, qua longè distant à Deo, corporis similitudinem gerere visa sit Patribus illis, qui ignitam, seu aëream, puram, nitidamque substantiam eos habere docuerunt. Non desunt siquidem pro hac munienda veritate, euidentissimæ rationes. Primo, aut corpus Angelis attributum ex elementorum duorum, seu trium, seu quatuor mixtione concretum est, aut ex vno eorum coactum, aut ex quinto quodam corpore, seu sexto formatum. Si compactum est ex pluribus, elementatum igitur erit, & physici corporis affectiones subibit, eritque dissolubile & alterabile: at si ex vno tantùm elemento, eoque purissimo confectum dicetur, iam corpus illud nō erit, quanquam corporis nomen gerat, sed ipsummet erit elementum: si quintum corpus, cœlestibus simile asseuerabitur esse, quomodo per ipsa elementa vagari Angeli dicentur? Quòd si corpus gloria imbutum objicient, quodnam, quæso, fuit antequam glorificatum esset? Si verò gloriosum conditum est, præcessit igitur gloria naturam & gratiam. Præterea in scripturis crebrò leguntur Angeli descendisse de Cœlo, aut igitur Cœlos ipsos discindi, disrumpique oportuit, aut Angelicas dimensiones Cœli molem subire, penetrareque. Deinde non retinentur (inquit Damascenus loco adducto) Angeli, Dæmonesque portis, muris, vel claustris; igitur nec corpora cognata habent naturalia, seu ex elementis compacta, vel ex simplici altero eorum, seu ex quinto corpore, aut corporum penetrationem concedi necesse omninò erit. Adiicias quòd legitur in Euāgelio, Dæmoniorum legionem, quæ (si Romanorum vsum sequamur) numerum sex millium sexcentorum sexaginta sex Dæmonum complectebatur, in oppresso à Christo repertam fuisse. Perquirere ergo possumus, si corpore deuincti sunt Angeli, aut adeò exiguum est, quòd ferè locum non obtineat, cùm tam numerosa corporum multitudo, humano in corpore coarctaretur, obstringereturque, aut corpus in corpore penetrabit. Adnotauit hoc etiam D. Thomas in quæstionibus disputatis. Amplius cùm anima humana multum impurior censeatur Angelo; igitur anima, præter corpus humanum hoc, ex elementorum massa coactum, vehet aliud etiam corpus spirituale Angelorum corpori consimile, vt Cassianus, Gennadius, & alij visi sunt existimasse; sicque corpus in corpore formæ vicem geret, duplicique corpori anima obnoxia erit: si autem animæ spirituali illo corpore immunes erunt, animæ certè eorum, qui iam diem suum

Rationes probantes Angelos non esse corporeos.

Luc. 8.

q. 16. art. 1.

suum obierunt, rebusque excessere humanis, vsque ad resurrectionis momentum perfectiori, eminentiori, puriorique essendi genere, ditatæ essent, quàm Angelus; cùm Angelus corpori semper alligetur, illæ ab omni crassitie & corpore solutæ, puriores, ac spiritualiores consistant. Tandem cùm nil in natura superfluum, ociosumque excogitandum, admittendumque sit; percunctari possemus, ad quod munus corpus hoc Angelo annexum fuerit: An propter intellectionem? at Angeli, Dæmonesque nullo suffulti sensu, aut phantasmate comprehendunt, vt bene disseruit D. Thomas loco asserto: An propter motum? sed vt spiritus, quantò magis immateriales erunt, quasi pondere exonerati, tantò concitatiori motu vagari vbique poterunt: An potius vt medij sint inter Deum summum spiritum, & corpora? certè hac ratione decebat, vt post corpus illud quintũ alterans, ac inalterabile (ita enim cœleste corpus Peripatetici nuncupant) omnis peregrinæ impressionis expers, non mox ad summum spiritum transiremus, sed spiritum immaterialem, crassitie quadam affectum, non corpore præditum, vt medium haberemus. Superest, vt Dauid auctoritatem, quam adduxere Patres illi in suæ sententiæ munimen interpretemur: Scribitur siquidem in Psalmis; Qui facit Angelos suos spiritus, ministrosque suos flammam ignis. Contenditur hoc loco, num Dauid Angelorum naturam spiritum, hoc est aërem, vel ignem esse obtestetur, an potius à spiritus, & ignis metaphora, Angelorum agilitatem, cognitionem, feruorem, penetrabilitatem, & acumen circa diuinum obsequium, ac ministerium declaret. In primum sensum Basilius, ac plures alij Patres traxere hanc auctoritatem, quemadmodum supra narratum est. Expositio verboũ Dauid, qui facit Angelos. Psal. 103.

IOANNES Chrysostomus econtrà Homilia in Psalmum centesimum tertium, sic eam est interpretatus.

His verbis demonstrauit eum non visibilium dumtaxat, sed eorum etiam, quæ aspectum fugiunt, effectorem, & architectum esse. Eosdem porrò & spiritus, & ignem appellauit; vt per vtranque vocem, vim ac celeritatem indicaret: Celer enim est spiritus natura: robusta autem ignis actio.

PROSPER in alterum sensum surripuit hunc locum, expositione in Psalmum centesimum tertium, cùm dixit.

Secundum literam non dubitamus esse spiritus, nobis inuisibiles, ministros Dei; qui ab officio, quod agunt, Angeli nuncupantur. Spiritus enim naturæ nomen est, Angelus actionis. Hos itaque ministros suos, Deus facit etiam ignem vrentem, siue flagrantem; sicut legimus, ignem in rubo apparuisse; &, missum ignem desuper, & implesse, quod præceptum est, ministerio executionis Angelicæ. Exod. 3.

STEVCHVS in libello de rebus incorporeis ac inuisibilibus, quænam interpretatio sit potior, literæq; accommodatior egregiè his edisserit.

Ad tertium accedens Dauid, ait; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Hæc illa loci obscuritas oblata oculis, & eadem caligine, atque Mosaica, ante aciem nostram densata. Non enim claret an creationem Angelorum, an ministerium, & velocitatem eorum hic describat. Nam quod ait; Qui facit Angelos suos spiritus; pro spiritibus est in Hebraico id, quod etiam Latinè & Græcè, & spiritum separatum significat, & ventum. Duoque proinde sensus efficiuntur: Aut Angelos à Deo velocissimos ventos, & quasi volucres, sicut subdit; Et ministros suos ignem vrentem: Aut eorum substantiam esse spiritalem. Qui hoc posterius sequerentur, plurimi enim è Græcis sequuntur; dicerent etiam Angelos esse igneos, quia testetur vates facere Deum Angelos suos ignem, referentes superius, & inferius ad substantiam Angelorum, non eorum velocitatem. Ergo Græci, & Latini, non admodum phrases Hebraicas tenentes, sequuti sunt postremum; igneam, spiritalemq;, & Angelorum substantiam prætendi à Dauid factam: Hebræi ad vtrunque sensum inclinant. Quoniam autem quod Septuaginta transtulerunt, ignem vrentem, Græcè, ignis flammam, Hebraicè habet, ignem fulgurantem, radiantem, splendentem: substantia autem Angelorum fulgurare non potest, & splendere, cùm sint inuisibiles, & incorporei; videtur potius esse comparatio de eorum velocitate, quàm proprius sermo de substantia, vt dicat Deum fecisse Angelos suos velocissimos, pernicissimos, ventis velociores, fulguribus similes, vno oculi ictu, à Cęlo ad Terras, à Terris ad Cęlum discursantes.

D. DIONYSIVS de Cœlesti Hierarchia, prolixiori oratione has metaphoricas Angelis, à Scriptura delatas similitudines edisserens, quare ignis appellati sint, edocet, cùm ait. Cap. 15.

Incohandum autem ratione, & quærendum in prima formarum discretione, ob quam caußam Theologia ferè vltra omnes inuenitur honorans ignitam sacram descriptionem. Inuenies ergo eam non solum rotas igneas conformantem, sed & animalia ignita, & viros quasi ignem fulgurantes. Et circa eas Cœlestes essentias, cumulos carbonum ignis circumponentem, & flumina immensurabili sonitu, igne flagrantia. Sed & Thronos ait Ezech. 1. Dan. 7. 4. Reg. 2.

igneos esse, & ipsos excelsissimos Seraphim cęlitus ardentes, ex cognominatione significare: & ignis proprietatem, & operationem ipsis distribuit, & omninò sursum, deorsumque ignitam honorificat selectim formarum facturam. Ergo igneum significare censeo cœlestium animorum Deiformissimum. Et Infra *Ipsos etiam Ventos nominari, eorum velocitatem significat, & in omnes ferè absque mora peruenientem effectum, & desursum in ea quæ sunt deorsum, ad sursum transuectiuum motum, erigentem quidem secunda ad superiorem celsitudinem, mouentemque prima ad communicatiuam, & prouidam minorum processionem. Dicet autem fortassis quis, aërei spiritus ventosam cognominationem, & Deiforme cœlestium significare. Habet enim & hoc diuinæ operationis imaginem, & formam, vt in symbolica Theologia per tetrasticam diiudicationem per plura demonstratur, secundum naturæ motiuam, & gignentem, & velocem, & potentem capacitatem, &* (Ioan. 3.) *ignotum nobis, & inuisibile latibulum mouentium principiorum, & consummationem. Nescis enim, inquit, vnde venit, aut quo vadit.*

Colligo ex prænarratis, Angelos nulla corporis mole obstrictos esse; eam verò spiritus crassitiem, qua impuriores, ac imperfectiores Deo perhibentur, similitudinem corporum, seu ignis, seu aëris (nam hęc intra elementa sublimiora censentur) præseferre: sententias Patrum, Angelos corpore non immunes asserentium, pie interpretandas esse, quòd scilicet, impuritatem, informitatemque spiritus nobis certè imperceptibilem, corporum ignitorum, atque aëreorum nomenclatura, explicare, ac declarare voluerint.

Quales prodierint Angeli naturæ præstantia.

(Cantic. 6.) Cùm demirari, & suspicere tantùm nobis datum sit excellentem Angelorum prosilitionem, proclamare cum Salomone non erit indecens; Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata? Exposuerunt hæc alij de Deipara Cœlorum Regina, alij de Ecclesia Christi sponsa; & meritò. Verùm detur & mihi, ea ipsa de Angelica, egregia, augustaq; natura interpretari. Hæc siquidem, Aurora est in naturæ puritatis nitore constituta: Luna, vt gratia est insignita; Sol, vt gloria decorata; Acies, quatenus ex collatorum ei donorum vbertate in Ordines, Hierarchiasq; est redacta. Hæc nobis omnia in sacrorum declamatorum gratiam sunt declaranda.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens? Consurgens natura Angelica, vt Aurora exilijt; nec alio accommodatiore symbolo conspicua, purissima, nitensq; (Angelus Auroræ similis.) Angelorum natura à Deo ipsis elargita, quàm Auroræ explicari potuit. Aurora, lumen est à Solis radiatione descendens, sed lumen est secundum: Angelus lumen est radiatione Dei effusum; verùm non interna, vti Filius, & Spiritus Sanctus emanatione, sed productione ad extra effectum.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione prima de Reconciliatione Monachorum.

Secundo verò ea perpendamus, quæ prima ex Deo sunt & circa Deum, Angelicas dico virtutes, ac Cœlestes, primi luminis splendores primos, & veritatis verbo lucentes: nam & ipsæ lumen sunt, perfecti luminis radij fulgentes.

DAMASCENVS libro secundo, capite tertio.

Angeli secunda sunt intellectualia lumina, ex primo, & carente principio lumine illuminationem suscipientia.

Aurora nitet, sed non rutilat, fulgetve; Angelica natura claret, sed non coruscat, quousque gloriæ luce, quasi radijs Solis perfundatur: Aurora prima è tenebris erupit; Angelus primus ex nihilo, ad vitæ radiationem prosilijt: ex Aurora & Astreo nati feruntur (Hesiodo auctore) Zephyrus, Boreas, Nothus; ex diuina gratia & Angelo, sanctæ emergunt inspirationes: Aurora secum omnia germina refrigerantem rorem defert; (Gen. 32.) Angelus, cœleste solatium, spiritualemq; confert hilaritatem: ideò Iacob proclamat; Dimitte me, quoniam Aurora est; spiritalis enim homo, post luctam Angeli, tanquam viuidæ consolationis compos effectus, dimitti postulat. Sed quanam fœcunda oratione, vberiq;, hanc naturam Angelicã demonstrabo? cùm Patres de ipsa pauca nobis prodiderint, & Scholastici Doctores de ea disputantes, infinitas quæstiones suscitarint. Eliciam id, si potero, ex Prophetico oraculo: Nam quæ partes illius sint simplicissimę na- (Dan. 10.) turæ, Daniel indicat, cùm scribit; Et ecce vir vnus vestitus lineis: & renes eius accincti auro

auro obryzo. Et corpus eius quasi chrysolithus; & facies eius velut species fulguris; & oculi eius vt lampas ardens; & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis; & vox sermonum eius, vt vox multitudinis. Ecce. D. Hieronymus Commentarijs in Danielem, inquit; Eleuatione, opus est oculorum, vt visionem mysticam cernere valeamus. Vir. Symmachus (teste D. Hieronymo) posuit quasi Vir, quòd Angelus vir non esset, sed viri gereret similitudinem. Hinc Pictores, iuuenes alatos Angelos effingunt, vt iuuẽtute, immarcescibilẽ, non decidentẽque naturam, alis verò agilitatem circa diuina ministeria designent. Vir, inquit, vestitus lineis. In hac porrò Angelica apparitione, plures Angelicæ naturæ dotes luculentiùs exprimuntur: Candor siquidem naturæ, in byssinis vestibus: Sexus indifferentia, in auro obryzo: Immortalitas, in chrysolitho: Voluntatis momentanea flexibilitas, in fulgure: Intellectus perspicacitas, in lampade ardente: Vires inæstimabiles, in brachijs ex ære candente conflatis; Locutionis modus in ea multitudinis voce demonstratur. His certè quasi symbolis mirificè Angelicæ conditiones produntur, atq; significantur. Quis igitur vnquã exactè hæc attinget? Quis apprehensa enarrare, nisi parũ ipsis digna oratione valebit? Videamus attamen, si quid non balbutientes de his insinuare possimus. In Angelis nõ adest indifferentia sexus. Apoc. 15. Luc. 20. Sup. 4.

Vir vnus vestitus lineis. Septuaginta dixere veste byssyna: & Symmachus præcipua, vt D. Hieronymus adnotauit. Candor hic indumentorum, naturæ puritatem, simplicitatemque designat: Qui autem nitor, quæ puritas, simplicitasq; ipsa sit Angelicæ naturæ, vna pericope, ex Scholasticis hausta, attingam. Puritas in Angeli natura, maxima est, si reliquis extructis rebus comparetur. Nulla quippe in eo est compositio, congestiove ex partibus; quarum alia sit spiritus, & alia corpus; vt in homine: neque ex partibus, quarum alia sit materies, alia forma è materia prosilita, vt in animali quouis, seu mixto: nec ex partibus quantis, ut est Cœlum: nec homogeneis, seu similaribus, ut aër, & ignis. Verùm si Deo Angeli comparentur, in illis impuritas inuenitur, cùm Angeli secunda sint lumina. In ipsis siquidem uiget impuritas dependentiæ, quoniam in eis differt, quo est, & quid est; à Deo enim prosiliunt: & impuritas entis in genere, quia compinguntur ex actu, & potentia; seu, vt Dialectici aiunt, ex genere, & differentia: Et impuritas entis in se; nam quantum ad esse, insidet in ipsis compositio essentiæ & esse; quantum ad essentiam, ex quo est, & quod est; quantum ad indiuiduum, quod est, & quis est: Et impuritas comparata ad effectum, quia congeruntur ex substantia, & potentia. Nix, si ad indicis lapidis nigredinem comparetur, insignem habet coloris eminentiam; ad illustre uerò Solis iubar, obtenebrescit, & minus præfert dignitatis: tanta igitur, ac maiore intercapedine decidunt Angelici spiritus à Dei eminentissima natura. Deus enim solus à seipso est, super omne entis genus purissimus actus; in quo idipsum sunt ens, & esse; quo est, & quod est; quod est, & quis est; substantia, & potentia: iuxtà illud Theologicum axioma; Quicquid in Deo est, Deus est. Hæc ferè D. Bonauentura.

Angelicæ naturæ puritas.

Quæ impuritas, seu compositio in Angelo reperiatur.

2. Sent. dist. 3. art. 1. q. 1.

DIONYSIVS Areopagita, libro de Diuinis nominibus, capite quarto, quanta sit Angelicæ nature præstantia, his egregiè demonstrat, cùm dicit.

Imago Dei est Angelus, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, recipiens totam (si iustum est dicere) speciositatem bene formatæ deiformitatis, & purè declarans in seipso, sicut possibile est, bonitatem, quæ est in abditis.

DIONYSIVS Carthusianus, articulo trigesimoquinto.

Veruntamen Angelus cum omni celsitudine, & excellentia sua, deficit infinitè ab infinita perfectione, gloria, & eminentia Dei, atque à plenaria repræsentatione, & comprehensione illius, secundùm quod ex sua actualitate, & cognoscibilitate, cognoscibilis est; quamuis ista non excellenter dicantur de Angelo, & eminentia eius in genere & ordine suo, & per comparationem ad intellectum humanum, inferioresque creaturas.

Num autem expers sit Angelus compositionis ex materia & forma, sicuti asseruit D. Thomas prima parte, quæstione sexagesima; & cum illo omnis Thomistarum acies: An potius illam admittat, vt censuit D. Bonauentura loco asserto, vnà cum omni Cæsianorum familia, non est meum hoc loco disceptare. Quanquam hoc vnum intrepidè asseuerare non reformidem, Angelos immunes esse materiæ illius, quæ cum hac corporearum rerum materia sympathiam, seu conuenientiam, & coniunctionẽ habet: non tamen

men absolutè abnuerem, quid in Angelo extare posse secundum naturam spiritus, quod materiæ formæve vices agere queat. Angeli siquidem, simplices non sunt omninò, sed ex esse, & essentia, tanquam suis partibus gestant coalescentiam; quarum esse, vt actus substantialis, respondet formæ; essentia verò, vt potentia, substantificæ proportionatur materiæ. Cæterum, quia essentia spiritualis est molis & figuræ expers, materia ob id ingenuè dici nequit.

In Angelis nō adest differētia sexus. Apoc. 15. Lucę 20. Sap. 4.

Renes eius accincti auro obryzo. Sexus indifferentia his nobis depromitur, quemadmodum interpretantur Patres; vnde in Apocalypsi, Ioannes septem vidit Angelos zonis accinctos aureis. Quare apud Lucam; Saluator inquit, In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. Nam & pulchra est, & casta generatio cum claritate. Euincitur autem id, cùm ex eo, quòd immortales sint Angeli, tùm quia in magno numero sibi congruo congesti sunt, tùm denique quòd corporis expertes sobolę non indigeant.

THEODORETVS hæc cuncta disertissimè tradit de Dijs, & Angelis libro tertio, cùm ait.

Sexus differētia cur tributa mortalib. creaturis, & non Angelis.

Angelicam incorpoream naturam in mares, fæminasque non distinguimus. Hac enim sexus discretione indiget eorum natura, qui subiecti mortis legibus viuunt. Quia enim mors hominum genus quasi in seruitutem adducit, nuptiæ liberorum propagatione reponunt, quod interitus ipse consumpsit. Mortale itaque animal, instrumentum hoc habet ad immortalitatem tuendam, sibi à Creatore Deo tributum, quòd gignere filios ex se potest, eamque ob rem morituro quidem homini, fęminæ vsum necessarium esse cognoscimus. Angelis verò, quos immortales Deus creauit, fœmineus ille sexus omninò superfuisset; neq; enim augeri, propagarique indigent, qui decrescere, comminuique non possunt; neque item commisceri opus habent, qui corporum sunt exortes. Comprobat autem vera esse, quæ dicimus, vtriusque speciei creatio. Neque enim Deus ab initio multos numero homines luto effinxit, sed virum vnum duntaxat, vnamque mulierem, duorumque commixtio totam continentem, marisque omnis insulas genere humano compleuit. Naturam autem eorum spirituum, qui videri non possunt, nequaquam ex duobus constituit: sed vniuersam simul, semelque creauit. Quot enim millia eorum spirituum ab initio esse sanxit, tot repente simul produxit, vt superfluus continuò illis futurus fuerit fœminarum vsus, qui vt immortales propagatione non indigent, vtque incorporei commixtionem non patiuntur. Idcircoque Hagios eos nuncupamus, tanquam nihil terreni insitum habentes, sed cunctarum infirmitatum exortes, quæ circa terram gignuntur.

Et Diuin. Decret. Epit. consimilia edocet.

Corpus eius quasi chrysolitus. Chrysolithus lapis est scintillis aureis coruscans, à chrysos, hoc est, aurum, & lythos, hoc est, lapis, nuncupatus. Hoc autem chrysolitho nihil est perennius, atque incorruptibilius: eiusque symbolo Angelicæ naturæ incorruptibilitas, perennitasque designatur. Cùm enim vt spiritus, ex sui natura sit ab omni materiæ compactione alienus, incorruptibilis etiam est censendus. Cæterùm inter Patres, & Doctores Scholasticos de hac re non modica est controuersia; Patrum quàm plures, Platonicis imbuti dogmatibus, Angelos natura dissolutioni obnoxios esse, edocuerunt.

Angelus, an ex sui natura sit incorruptibilis.

PLATO siquidem in Timæo vt D. Augustinus de Ciuitate Dei libro vndecimo, Iustinus in Admonitorio, Clemens libro quinto Stromatum, Eusebius de præparatione Euangelica libro primo, Cyrillus contra Iulianum libro secundo, & alij memorant; de Angelis hæc prodit.

O' Dij Deorum, quorum opifex, Paterque ego, opera siquidem mea dissolubilia natura.

DAMASCENVS Theologus (nam cæterorum Patrum Catenam intexere hoc loco opportunum non iudico) libro secundo Orthodoxæ Fidei, capite tertio.

Immortalis Angelus est, non natura, sed gratia: nam omne quod cępit, & desinere suapte natura potest. Solus enim Deus semper ens, magis autem, & super semper: nam in tempore nequaquam est sed super tempus, qui temporum est factor.

Quæst. 50. artic. 5.

Refragantur, aduersanturq; huic sententiæ Scholastici ferè oēs, pręcipuè D. Thomas, asseuerantes constanter, Angelum, quia ex sua natura immaterialis est, sua quoque natura esse incorruptibilem; cùm actu tantùm (vt aiunt ipsi) ens sit; hoc est, pura forma; cui secundum se adeò competit esse, vt seiungi ab ipsa haudquaquam queat, sicuti nec sphærica figura à circulo, quamuis à circulo æneo dissecari possit.

Sed

Sed facillimè conciliari potest hæc disceptatio, si proferamus Angelos & corruptibiles, & incorruptibiles simul extare: Incorruptibiles, si eorum attendatur natura, cùm in ipsa non vigeat aliqua corruptionis insita radix: Corruptibiles, si principis caussæ, Dei nempe vis, quam in ipsos exercere potest, perpendatur: Nam Deus suam ab illis subtrahendo conseruantem virtutem, ad nihil eos redigere posset, sicut & cunctas cæteras res ab ipso editas. Quapropter sanciendum, quòd incorruptibilis profectò natura in ipsis vigeat: verùm ea ipsa ex gratia indita sit; nam ex gratia Deus sator eam ipsis largitus est incorruptibilem naturam. Exinde probè æuo commensurantur Angeli, quod non recipit prius & post, vt sensit D. Thomas; vel si recipit, id sine decidentia excipit, quemadmodum voluit D. Bonauentura; quasi eius defluxus, non vti aquæ vel fluminis, sed veluti radiorum à Sole defluxus existat.

Facies eius velut species fulguris, inquit Daniel. Fulgur enim inter atras nubes citatissimè coruscat, exhalatq; , adeò vt vix cōspici queat. En volūtatis Angelicæ celerrima flexibilitas, ex liberi arbitrij eminentia, qua semel, seu ad bonū, seu ad malum rapi poterat: sed adeò celerrimè, enixeq; , vt vbi semel corruerit, inde exurgere nunquā potuerit. Voluntate siquidem maximè excellente Angeli ad bonum pertrahebantur, nō naturali habitudine ducti, ceu mixta sensus expertia; neque à bono cognitione sensili agnito, rapti, vt sensu prædita animantia; nec à bono cognitione fallibili percepto, vt homo: sed à bono scientia perspicaci, & certa apprehenso. Quapropter quod apprehenderunt, ac voluerunt, adeò constanti electione, affixaq; voluntate selegerunt, vt amplius negligere, nolleq; minimè prorsus queant. Ac proinde Redemptor noster dixit; Videbam Satan tanquam fulgur cadentem de Cœlo. Quid fulgure rapidius, quando aërem discindens, obuiaq; cuncta conterens, ad ima descendit? nil certè, & nil Angelicæ voluntatis defluxu velocius.

Angelicę voluntatis celeritas in eligēdo.

Lucę 10.

HIERONYMVS Commentarijs in Iob caput vigesimū quintum.

Sub nomine Lunæ, siue stellarum, Angelos, & supernas Potestates intelligere possumus: qui ad comparationem diuinæ reuerentiæ, immundi, & tenebræ possunt videri; ex eo vtique, quoniam natura conditæ creaturæ, licet non peccent, capaces tamen peccati sunt, vt apparuit in alijs Angelis eiusdem naturæ peccantibus. Sed post eos, nullum Angelorum peccasse credendum est; quia omne liberum suum arbitrium insolius Dei charitatem verterunt: sicq; immobiles facti sunt, persistentes in veritate, in qua prædictus Angelus cum suis stare noluit. Proinde Angelorum voluntas per amorem Dei facta est inconuertibilis, quæ in Deo est per naturam. Ideò illi soli incorrupto honor & gloria.

Et oculi eius, vt lampas ardens. Oculi, intellectus symbolum sunt: vt lampas igitur ardentissima fulgere existimandus est Angelicus intellectus, omnium perspicax. Vis enim intellectiua in Angelo, potentijs prædita non est intellectus agentis, & passi, nec recipere phantasmata, nec denudare, illustrareq; rerum species necesse habet: cunctaque comprehendit, non sua essentia, quia infinitate non gaudet, vt Deus; sed per species sibi inditas, eoq; ordine distributas, vt sicuti Deus sua vna essentia, simul omnia agnoscit; ita Angelorum qui sublimiores sunt, per pauciores, atque vniuersaliores species intelligant. Apprehendit autem Angelus seipsum, & Angelicas cæteras substantias per sibi impressas à Deo earum rationes: insita nanq; est in vnoquoque Angelo suimet species secundum esse, tùm naturale, tùm intellectuale, qua subsistit, & se percipit: alterius verò secundum esse tantùm intellectuale: Deum verò per exaratam Dei imaginē in sua essentia contemplatur. Apprehendit autem materialia cuncta per expressas rerum species, rationesq; , & simplicius, atque immaterialius, quàm ipsę res in seipsis sint; multiplicius autem, & imperfectius, quàm in Deo. Percipiunt & singularia Spiritus illi sublimes, non in causis vniuersalibus (tunc etenim non vt singularia ea caperent,) sed quoniam impressæ sunt rerum species in ipsis, vt species ipsæ subsistunt proprijs in naturis, hoc est, non tantùm secundum naturam vniuersalem, sed secundum indiuiduata principia. Percipiunt futura, & necessaria quidem in caussis suis, contingentia verò vt in pluribus, solertia ingenij; & contingentia rarò, ex coniectura, sed longè humana prudentiore, atque perspicaciore. Percipiunt cogitationes cordium, non in cordis fonte, sed in affectionibus tantùm apparentibus extra, & pręsignantibus quæ intra sunt. Percipiunt cuncta ea, quæ ipsorum cognitio naturalis attingere potest, non quidem potētia,

Intellectionis Angelicæ præstantia & modus.

tia, quasi ad habitum scientiæ coalescant; sed tamen non omnia actu simul. Percipiũt
plura non simpliciter, sed ea quæ in vna specie coadunantur. Percipiunt non discur-
su, ratiocinationeve, compositione, aut diuisione; sed vno intuitu, vna simpliciq; ap-
prehensione, composita simpliciter, mobilia immobiliter, & materialia, vt aiunt, im-
materialiter. Hæc Theologi de Angelica apprehensione, & præcipuè D. Thomas edis-
P. P. à quæst. 54. ad 58. serunt. Quis igitur intellectus Angelici dotes non suspiciet? maximè si cum intellectu
humano non ineptè comparetur, cùm ille splendescat, vt Sol, hic quasi Luna exilem,
atque pallentem habeat fulgorem. Sed de his aliàs.

Brachia eius, & quæ deorsum sunt vsq; ad pedes, quasi species æris candentis. Vi-
Angelorũ uires quantæ. res Angelicæ hoc loco describuntur. His brachijs siquidem orbes cęlestes circumlatio-
nibus nunquam interruptis circumaguntur: Vnde & motrices intelligentiæ à Philoso-
phis Angeli nuncupantur. Quàm verò sint præstantes & efficaces, Angelicæ vires, in
Gen. 3. scripturis memorata exempla demonstrant. Eiectio Protoparentum à Paradiso; Ca-
Gen. 7. taclysmus Noëtici Diluuij, (si ministerio Angelorum, vt quidam opinantur, effectus
Gen. 19. est;) igneum, sulphureumq; Pentapolis, (hoc est quinque vrbium) fędo peccato obno-
Exod. 10. xiarum excidium; Plagæ illæ immanes decem in Aegyptum illatæ; Beneficia in popu-
Exod. 14. lum Israeliticum in deserto, tot mirificis portentis ab Angelis Dei iussione collata; Pe-
2. Reg. 24. stis Dauid regnante in Hebraicam gentem inflicta; Centum octuagintaquinq; millium
4. Reg. 19. in castris Sennacherib trucidatio, & innumera ferè alia exempla. Nam & Mundi ex-
Luc. 21. cidium tunc erit, cùm virtutes Cęlorum commouebuntur. Angelumq́ue (si Deus id
iuberet) Mundum oculi obtutu, diruere, prostrareq́ue posse, cunctaq́; subuertere, non
est qui ambigat. Hæc sunt igitur brachia æris candentis, fortia admodum, atque effica-
cissima. Operantur autem Angeli, prout se loco & rei adijciunt, non circumscriptio-
ne, vt inquiunt in Scholis: sed diffinitione, hoc est virtutis suæ applicatione, non vbiq;
vt Deus, nec pluribus locis simul; sunt nanque limitatæ virtutis: cùm enim sunt in Cę-
lo, vt inquit Damascenus, non sunt in terra; nec plures in vno, eodemq́; loco, quoniam
eiusdem rei, duæ absolutæ caussæ extare nequeunt: euolant autem à loco ad locum,
quando virtutem applicant, siue absque successu, medioq́; loco, seu per media, prout
eis libet, spatia. Euolant non in instanti; sed citatissimis momentis longè à natura no-
P. P. quęstio. 52. & 53. stri temporis semotis. Hæc ferè D. Thomas.

Locutio Angelorum qualis. Et vox sermonũ eius, vt uox multitudinis. Angelos locutionis non esse expertes,
censendum est. Nam Esaias inquit; Seraphim clamabant alter ad alterum; Idemq́ue
Isa. 6. Propheta de Christo peregrina carnis veste amicto in Cœlum scandente, Angelos hæc
Isa. 63. loqui inducit; Quis est iste, qui uenit de Edom, tinctis uestibus de Bosra? iste formosus
Zach. 1. in stola sua. Zacharias, quoque Angelum Deum sic alloquentem describit; Respon-
dit Angelus Domini, & dixit; Domine exercituum, usquequo tu non misereris Hieru-
1. Corint. 13. salem? Et Paulus Angelorum linguam memorat, dicens; Si linguis hominum loquar,
& Angelorum. Et nunquid Angelum præstantissimum creaturarum intellectualium,
à locutione alienum censebimus, cùm magis singulare sit ac proprium intellectualis
creaturæ conceptus suos patefacere, uota sua reserare; quàm ignis sursum ferri, & Solis
splendescere? Loquuntur autem, non singularibus quibusdam suæ naturæ proprieta-
tibus, atque affectionibus, occulta ostendentes, quia tunc nolentes etiam suos pateface-
rent conceptus; non signis quibusdam, seu hieroglyphicis figuris in Cœlo exaratis: tũc
enim non uni alteri, sed omnibus, etiam inuiti, uota sua manifestarent; non lingua, seu
idiomate aliquo, ut alij senserunt: sic nanque quasi semper nouo miraculo, & corpora
effingere, atque in aëre uoces plectro formare cogerentur. Colloquuntur igitur, ut be-
nè sensere Scholastici, præcipuè D. Thomas, dum conceptus suos alter alteri reserat, at-
que dirigit, non quidem intelligibilibus signis in ipsius mente discriminatis, sed solo
uoluntatis nutu, atque consensu. Cæterum uox est multitudinis, quia clara, sonora,
aperta, & adeò efficax est, ut à Polo ad Polum, & à Cœlo supremo ad Terram; si adeò
Angeli distarent, attingere possit. In his etenim, quę abstracta sunt à loco, & tempore,
& hic, & nunc, cuius certè generis est locutio Angelica, nil obsistit nec loci distantia, in-
tercidentiaq́;, nec temporis fluxus, ac discrepantia.

Quales

Quales Angeli in supernaturalibus dotibus.

Quales Angeli conditi sint in dotibus supernaturalibus, Num mali, Num in naturæ puritate, Num in gratia, Num in gloria, superest modo disputandum.

Quæ est ista, quæ cōsurrexit ut Aurora, sed pulchra ut Luna? Ista est Angelica supereminēs creatura, quæ quidē suis nālibus dotibus clarescit ut Aurora; sed si gratia Dei perfundatur, pulchra redditur vt Luna. Quid enim aptius, atq; accōmodatius naturam Angelicam gratia insignitam præsignare potest, quàm Luna plena, cùm suo decoro lumine nitescit? Luna siquidem ac Stellæ, lucem mutuant à Sole: Angelus, & anima, si gratia pollent, à Deo ipsam hauriunt: Gratiam enim, & gloriam dabit Dominus. Luna & Stellæ ad Solem versæ, luce decorantur; auersæ verò, tenebris obruuntur: Angelus, & anima, si facie, hoc est, voluntate Deum affectant, gratia insigniuntur; si verò vel suam ipsorum præcellentiam, vel res congestas à Deo amore prosequuntur, tanquā auersa à Deo facie, luce orbantur, & atrescunt. Luna, si subsequitur Solem, luce paulatim expletur; si antegreditur, ea destituitur: Angelus, qui Diuinæ maluit obtemperare voluntati, gratia est cohonestatus: At Dæmon, quia anteire Deo concupiuit, cùm dixit; Ero similis altissimo, corruit à gratia, atque funesta ruina in has infimas regiones collapsus est. Ac quemadmodum deliquium Lunæ fit ex terræ inter ipsam & Solem interpositione, ita & Diabolis Eclypsis, seu gratiæ defectio tunc effecta est, quando propriæ excellentiæ fastum, ut obicem inter se, & Deum interposuere. Disceptandum igitur nobis est; Num Angelus prosilierit malus; Num puritate suæ naturæ emicans; Num gratia indutus; Num beatitudine inchoata decoratus. Patres siquidem, & Doctores in diuersas rapi uidentur sententias.

Cant.6.
Angelica natura vt Luna.
Psal.83.
Isa.14.

Num Dæmones creati sint mali.

Priscos Gentiles, Dæmonum duplicem classem fecisse: alteram malorum sua natura: alteram bonorum, Eusebius de Præpar. Euang. edisserit; cùm malignorum Dæmonum Serapin, hoc est, Plutonem, & Proserpinam, principes eos æstimasse obtestatur. Lib.4.cap.12.

AVGVSTINVS decimo libro de Ciuitate Dei, dari quoddam genus Dæmonum, natura fallax, & simulans, Porphyrium reputasse tradit. Et libro vndecimo, capite tertiodecimo, Diabolum natura esse malum, Manichæos existimasse his enarrat.

Huic sententiæ, quòd Diabolus creatus bonus, iustitiam recusauerit, quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit, idest, Manichæis: & si quæ aliæ pestes ita sentiunt, quòd suam quandam propriam tanquam ex aduerso quodam principio, Diabolus habeat naturam mali.

Et de Genesi ad literam libro undecimo, capite vigesimo, sententiam hanc erroneam his memorat.

Nonnulli Diabolum non in hanc malitiam libero voluntatis arbitrio esse deflexum, sed in hac omninò creatum putant, quamuis à Domino Deo summo, & vero naturarum omnium Creatore: adhibentque testimonium de libro Iob, quoniam ibi scriptum est, cùm de illo sermo esset; Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit, vt illudatur ab Angelis eius. Cui sententiæ congruit, quod in Psalmo scriptum est; Draco iste quem finxisti ad illudendum ei: nisi quod hic, quem finxisti, dixit: non autem sicut ibi; Hoc est initium figmenti Domini, tanquam in initio eum ita finxisset, vt malus, vt inuidus, vt seductor, vt omninò Diabolus esset, non voluntate deprauatus, sed ita creatus. Iob.40. Psal. 103.

CYRILLVS Alexandrinus in Ioannem libro sexto, capite sexto, fusiùs & vberiùs hoc execrandum placitum confutat; ubi etiam argumenta, quibus innititur, hæc ignorantiæ tenebris oppleta sententia, refert, dicens.

Porrò non incongruum fuerit hoc loco nonnullorum assertionem destruere, sentientium Diabolum à Deo malum esse conditum, & in prauitate creatum fuisse. Cuius sententiæ astruendæ occasionem sumunt ex hoc loco, quo dicitur; Ille homicida erat ab initio; putantes his verbis significari, eum à principio suæ productionis, quinimmò in ipso suijpsius exordio, malitiæ addictum fuisse. Et post. *Insuper adducunt illud Ioannis in Epistola sua dictum; Qui facit peccatum, ex Diabolo est; quoniam ab initio Diabolus peccat: Si ab initio, inquiunt, ipse peccat, in peccato productus est, & creatus malus: alioquin non ab initio peccasset ex principio suæ constitutionis.* Et Post. *Præterea innituntur & huic sententiæ Psalmi; Draco iste quem fecisti ad illudendum ei: Et huic verbo Iob; Ecce Behemoth, quem feci tecum. Vbi nomine Draconis, & Behemoth, intelligitur Diabolus, ratione suæ malitiæ his nominibus nuncupatus. Dominus autem contestatur se illum*

Ioan.8.
1.Ioan.3.
Psal.103.
Iob 40.

illum fecisse, quò à bonis viris tentationes eius, & machinamenta fraudum superantibus, ei illudatur. Consequens est igitur, inquiunt, ipsum à Deo creatum esse malum.

Hæc igitur sunt fundamenta, quibus ea impia munitur sententia: quatuor, scilicet, productæ à D. Augustino, & Cyrillo, Scripturæ auctoritates. Porrò argumenta, quæ Scholastici, præcipuè D. Thomas secundo Senten. distinctione tertia, & alibi; disputandi gratia, in eius comprobationem deferunt, nullius adeò sunt ponderis, ut ea hoc loco interserere superfluum diiudicarim.

Classis Patrum, Angelos conditos fuisse natura malos, confutantium.

Patres omnes prisci, sententiam hanc, ut execrandam, atque omninò à vera Theologia abolendā, reiiciēdamq;, mirifica consensione passim cōfutarunt; Angelosq; ex propria ipsorum malitia sponte decidisse, à Deoque apostatasse, obtestati sunt. Quorum Catenam, non tantùm vt reiectam illam, profligatam, atque execratam opinionem explodam, sed ut desertorum Angelorum lapsus modum, & apostasię flagitiosum crimen declarem, amplissimam interijcere statui.

I G N A T I V S Epistola ad Philippenses, his contra Luciferum inuehitur.

Tu qui omnium malignorum spirituum malignissimus es, & pro malitia, ventre, & pectore in terram repere iussus es; & per inanem gloriam inhonoratus es: Qui per auaritiam, & arrogantiam, ad impietatem deductus es: Tu incensor, Draco, Apostata, Serpens perplexus à Deo discedens, à Christo separatus, à Sancto Spiritu alienus, & à Choro Angelorum exulans: Iniuriator legis Dei, & legitimorum inimicus, qui super protoplastos insurrexisti, & à mandato Dei auertisti eos, qui nihil te læserunt; qui aduersus Abel Caim fratricidam excitasti; qui in Iob mala exercuisti: Tu ergo huiusmodi dicis Domino; Si cadens in terram, adoraueris me? Matth. 4.

D I O N Y S I V S Areopagita de Diuinis nominibus capite quarto, à bono conditore, bonam fuisse conditam naturam Angelicam, sed sponte sua à bono defecisse, atque ad malum esse prolapsam his probat, cùm dicit.

Sed neque Dæmones natura mali. Etenim si natura mali, neque ex bono, neque in existentibus, neque ex bonis conuersi, natura, & semper mali sunt. Et post. *Deinde quomodo à Deo facti Dæmones sunt mali? Bonum enim bona adducit, & substituit. Et quidem dicuntur mali, dixerit quis, sed non secundum quod sunt, (ex optimo enim sunt, & optimam sortiebantur essentiam) sed secundum quod non sunt: Infirmi, vt eloquia aiunt, seruare suum principatum. In quo enim, dic mihi, vitiari dicimus Dæmones, si non in cessatione diuinorum bonorum habitudine, & actione?* Iudæ 1.

T E R T V L L I A N V S aduersus Marcionem libro secundo.

Ezech. 28. *Si euoluas Ezechielis prophetiam, facilè animaduertes tam institutione bonum Angelum illum, quàm sponte corruptū. In persona n. Principis Sor, ad Diabolū pronunciatur; Et factus est sermo Domini ad me dicens; Fili hominis, sume planctū super principē Sor, & dices; Hæc dicit Dominus. Tu es resignaculū similitudinis, qui scilicet integritatē imaginis, & similitudinis, resignaueris, plenus sapiētia, corona decoris, (hoc vt eminentissimo Angelorū, vt Archāgelo, vt sapientissimo omniū) in delitijs Paradisi Dei tui natus es. Illic n. vbi Deus in secunda animaliū figuræ formatione, Angelos fecerat. Lapidem optimum indutus es, Sardium, Topazium, Smaragdum, & Carbunculum, Sapphirum, Iaspin, Ligurium, Achaten, Amethystum, Chrysolithum, Berillum, Onychinum, & auro replesti horrea tua, & thesauros tuos. Ex qua die conditus es, cum Cherub posui te in Monte sancto Dei, fuisti in medio lapidum igneorum, fuisti inuituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es, donec inuentę sunt læsurę tuæ. De multitudine negociationis tuæ, promas tuas replesti, & deliquisti, & cætera. Quæ ad sugillationem Angeli, non ad illius principis propriè pertinere, manifestum est, eo quòd nemo hominum in Paradiso Dei natus sit; ne ipse quidem Adam, translatus potius illuc, nec cum Cherub positus in Monte sancto Dei, idest in sublimitate cælesti, de qua Satanam Dominus quoque decidisse testatur: nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes syderum ardentium radios; vnde etiam quasi fulgur deiectus est Satanas.*

G R E G O R I V S Nazianzenus, Oratione prima de Pace, quæ est in ordine duodecima, idem voluit, dicens.

Ex Angelis autem, is, qui seditionem concitare, ac supra dignitatem suam sese efferre, ceruicemque aduersus Isa. 14 *Dominum omnipotentem attollere, atque vt Scriptura testatur, supra nubes sedem sibi ipsi excogitare ausus est, dignas arrogantia sua pęnas dedit, lucis loco tenebris mulctatus, aut, vt verius loquar, à seipso caligo effectus.*

Sed

Sed apertiùs, & explicatiùs in Christi Natiuitatem Oratione Panegyrica, cùm ait.

Atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri. Et post. *Gestit quidem animus dicere ad malum immobiles, atque ad bonum dumtaxat agitationem habentes, vtpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes; (hæc enim inferiora secundariæ illuminationis sunt) verùm, vt non omninò immobiles, sed egrè mobiles existimem, ac dicam; mihi persuadet illè ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo, & effectus est, & nominatur, ac subiectæ ipsi rebelles potestates, quæ per boni fugam, vitium effecerunt, ac nobis contraxerunt.*

BASILIVS Homilia, quòd Deus non est auctor malorum.

Hinc consequenter alia quæstio de Diabolo nascitur: vnde Diabolus sit, si non ex Deo sunt mala. Quid igitur dicemus? Satis facilis est responsio. Eadem omninò ratio nobis ad istam quoque quæstionem satis erit, quam et de hominis iniquitate supra commemorauimus. Vnde enim iniquus est homo? ex ipsius libera voluntate. Vnde malus Diabolus? ex eadem penitus caussa. Habebat enim & ipse liberam vitam, & insitã sibi potestatem, aut Deum sequendi, aut à bono discedendi. Gabriel Angelus à Deo iugiter stetit: Satan item Angelus ex ordine suo prorsus cecidit. Et illum propria voluntas in Cœlo retinuit; hunc verò voluntatis libertas Cœlo deiecit. Poterat enim & ille à Deo deficere, & iste non excidere. Sed illum, insatiabilis dilectio Dei seruauit; hunc à Deo relictum esse ostendit per peccatum alienatio. Malum igitur hoc tantum, à Deo alienatio. Nam parua quidem oculi conuersio, paruus nutus, vt Solis particeps aliquis existat, vel in vmbra remaneat, facit. Nam & illic in promptu est, vt suspiciens illustretur; auertens verò intuitum, necessariò in tenebris erit. Sic & Diabolus malus Deo aduersatur, non ex natura, sed mala volũtate habens malitiã.

ATHANASIVS in Vita D. Antonij, Antonium hæc alloquentem inducit.

Quod autem in promptu est, & ignorare non expedit, dolos scilicet eorum aduersus non compositos breuiter indicabo. Hoc primùm debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse, quod malum est, nec ab eius institutione Dęmonum cępisse principia: peruersitas ista, non naturæ, sed voluntatis est vitium. Boni etenim, vtpote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de Cœlis, ibique in cœni sordibus volutati Gentilitatis impias constituere culturas, & nunc de nobis torquentur inuidia, atque vniuersa mala commonere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus.

GREGORIVS Magnus Commentarijs in Ezechielem, vt etiam excerpsit D. Paterius libro primo supra Genesim.

Tales creati sunt Angeli, vt si vellent, in beatitudinis luce persisterent; si autem nollent, etiam labi potuissent: Vnde & Satan cum sequacibus legionibus cecidit: sed post eius lapsum, ita confirmati sunt Angeli, qui perstitere, vt cadere omninò non possint. Quod bene in ipso exordio Geneseos libri ex historica descriptione signatum est: Quia creauit Deus Cœlum, & Terram, quos postmodum vocauit firmamentum. Cęli ergo fuere ij, qui prius bene sunt conditi, sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia ne omninò iam caderent, virtutem incommutabilitatis accepere. Gen. 1.

HIERONYMVS in Esaiam libro sexto: super illud; Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? ait. Isa. 14.

Pro Lucifero, Aquila transtulit vlulantem Auroræ filium. Verè enim vlulare debuit, & eiulare, qui propter superbiam suam de Cęlo in Terram pręcipitatus est, atque contritus. Vnde & Saluator ad Discipulos loquitur; Videbam Satanam quasi fulgur de Cęlo cadentem. Non modò video, sed prius videbã quando corruit. Et Post. *Iste est princeps sæculi, qui inter stellas cæteras mane oriebatur, & suo vitio de Lucifero vesper effectus est: & non oriens, sed occidens; qui vulnerabat gentes, siue qui mittebat ad gentes satellites suos; vt omnes sua fraude deciperet.* Lucę 10.

Et in illud Psalmi, Vos autem sicut vnus de Principibus cadetis. Psal. 81.

Vbi sunt qui dicunt, Diabolum esse factum? vbi qui dicunt malam naturam à Deo?

CRYSOSTOMVS Homilia de Adam & Eua.

Angelos ergo fecit in spiritu sine carne, præceptum dedit eis nullum. Vnus Angelus primus, qui Sathabel dictus est, malignam & nefariam præsumptionem aßumens, dixit; Pono sedem meam in Aquilonem, & ero similis Altißimo. Et ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, vt Angelus primus præcipitatus de culmine Angelico, Diabolus nominaretur. Ecce sine præcepto ita cecidit irreparabiliter, vt consequentes sibi hodie, hodieq; occidat. Isa. 14

Et homilia de Lapsu primi hominis.

Factis Angelis, præceptum eis nullum dedit. In quibus Angelis Sathabel Angelus principatum tenebat. Hic ex defectu boni, fecit initium mali, quia malum Deus non fecit. Ergo quando ei obortum est, vt diceret; Pono sedem meam in Aquilone, & similis ero altissimo: recessit à bono, vt faceret, vt dixi, initium mali. Pro tali errore, & tyrannica præsumptione præcipitatus, cecidit irreparabiliter.

GREGORIVS Nyssenus disputatione de anima, & resurrectione, ait.

Persuasum est enim tam ex communi opinione, quàm ex Scripturarum traditione, esse quandam naturam

extra talia corpora, quæ recto, atque honesto aduersa, contrariaq; sit, & in humanæ naturæ detrimentum, atque perniciem incumbat, quæ sponte sua à meliori sorte exciderit, atque defluxerit, & in locum boni, & beneficij à quo defecit, id, quod ex contrario intelligitur, in sese substituerit.

EPIPHANIVS contra Hæreses, hæresi sexagesima quarta, libro secundo, Tomo primo, post plura hæc adiecit.

Cæterum reliqui in his, ob quæ fecit, ac constituit ipsos Deus, manserunt. Hic verò Diabolus violauit, & prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit. Quemadmodum & qui postea carnes amauerunt, & cum filiabus hominum ob concubitus amorem conuersati sunt. Spontaneam enim etiam ipsis habere ad utraque voluntatem Deus constituit, velut etiam in hominibus: vt aut obedientes verbo essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, eaque fruerentur; aut non obedientes iudicarentur. Isa. 14. *Erat autem & Diabolus Stella Lucifer. Quomodo excidisti, inquit, è Cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Erat lucis sidus matutinum, sed excidit, & in terram contritus est, vbi procurasset homini contraria. Deus enim indignatur superbis, & contumacem sententiam impendit.*

Et libro secundo, Tomo secundo, hæresi sexagesima sexta.

Siquidem enim de Diabolo sermo est, iam sæpe ostendimus, quòd non malus creatus est: Nihil enim malum Deus fecit, & hoc intelligentibus manifestum est. Si enim ex ijsdem procedimus, nihil molesti fuerit demonstrare etiam in præsenti veritatis rationem. In principio itaque malus non erat, verùm euasit malus.

CYRILLVS Hierosolymitanus, Cathechesi secunda.

Peccauit Diabolus non ex necessitudine naturæ vitium suscipiens, quò sic peccati occasio rursum in opificem retorqueatur: sed bonus creatus, propria voluntate factus est Diabolus: ab actione capiens cognomen. Archangelus enim cùm esset bonus, Diabolus postea, seu calumniator, à calumniando dictus est: bonus cùm esset Dei minister, Satanæ deinceps nomen tulit. Satanas autem aduersarium significat. Ezech. 28. *Non mea sunt hæc dogmata, sed Ezechielis spiritiferi Prophetæ. Ille enim deplorans istum, dicit; Tu signaculum similitudinis.*

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite quarto.

Ex ijs Angelicis virtutibus, ea quæ præerat terrestri ordini, & cui à Deo terræ custodia commissa erat, non natura mala facta est: sed bona existens, & à bono facta, & nullo pacto in seipsa à conditore malitiæ vestigium tenens: non ferens illuminationem, & honorem, quem ipsi conditor indulserat, libera voluntatis potestate demutata est ex eo statu, qui secundum naturam, in eum qui contra, & præter naturam est. Et euersa est aduersus Deum, qui illam fecit, rebellare illi volens, & prima prolapsa à bono, in malo constituta.

THEODORETVS libro tertio de Dijs, & Dæmonibus.

Quoniam verò in Dæmonum mentionem incidisse me video, commodum puto, quæ de ijs nostrorum bonorum sit sententia, hoc maximè nunc loco vobis referre. Hos enim suo cum principe, quem sacræ literæ modo Hebraico vocabulo Satanam, idest apostatam vocant, modo Diabolum, quippe qui Deum Patrem apud homines criminando traducat, interq; ipsos homines alternas lites, controuersiasque inijciat. Hos, inquam, ab initio nequaquam malos fuisse à Deo creatos perhibemus, neque qua nunc præditi sunt, sortitos naturam fuisse, sed vitio voluntatis à melioribus ad peiora præcipites corruisse. Cùm enim datis sibi muneribus contenti non essent, sed altiora quoque appeterent, contraxisse labem superbiæ illos dicimus, ita vt ea quoque dignitate cassi, prorsus exciderint, qua honestati ab initio fuerant.

Et Diuin. Decret. Epit. libro quinto, cap. de Diabolo, & Dæmonibus, longiuscula oratione idipsum toto eo capite edisserit.

ANASTASIVS Episcopus Nicenus, quæstione sexagesima prima in scripturam consimilia ex Theodoreto excerpta, rememorat.

Eos nos dicimus ab initio à Deo creatos esse non malos, sed mentis auersione à melioribus ad deteriora esse prolapsos: & ijs non contentos, quæ præbuerat Creator, maiora quidem appetijsse, superbiæ autem & arrogantiæ vitium suscepisse, excidisse verò, & esse priuatos honore, qui eis fuerat datus ab initio.

LACTANTIVS libro secundo, capite nono. Cùm prius dixisset, cùm esset Deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus, antequam ordiretur hoc opus Mundi, fecit in principio bonum & malum: postea subiecit.

Deinde fecit alterum, in quò indoles diuinę stirpis non permansit. Itaque suaptè inuidia, tanquam veneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio, quod à Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen asciuit. Vnde apparet, cunctorum malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim illi antecessori suo, qui Deo Patri perseuerando tum comprobatus, tum etiam & charus est. Hunc ergo ex bono per se malum effectum, Græci Διάβολον appellant, nos criminatorem vocamus: quòd crimina, in quæ ipse illicit, ad Deum deferat.

MACHARIVS Senior Aegyptius, Homilia sextadecima.

Omnes intellectu prędite substantiæ; Angelorum, inquam, Animarum, ac Dęmonum; syncerę, & simplicissimę

plicissimę creatæ sunt ab Opifice. Quòd autem illarum nonnullæ conuersę sunt ad malum, à libero profectum est arbitrio, quia voluntate propria diuerterunt à recta ratione. Itaque si dixerimus tales ab opifice creatas esse, Deum esse iudicem iniquum asserimus, qui Satanam in ignem miserit. 1 Ioan. 3.

APONIVS in Cantica Canticorum, libro secundo.

Dæmones cùm boni creati essent à conditore, proprio libertatis arbitrio in malitiam Tyrannidis sunt conuersi, & contra salutem hominum quotidie inflammantur. Et Infra. *Non ignoret hominem bonum, à bono Deo creatum, per liberam voluntatem malum fieri propria culpa, persuadente Diabolo: Quem ignorare non debet bonum Angelum à Deo formatum, & per voluntatem propriam malum effectum: quem ignorare non debet, vinci non posse ab homine, nisi Christi auxilio inuocato.*

LEO Magnus huius nominis Papa primus, in Epistola nonagesima tertia, quæ est ad Turbium Episcopum, capite sexto.

Sexta annotatio indicat eos dicere, quòd Diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex Chao & tenebris emersisse, quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium, atque substantia: cùm fides vera, quę est Catholica, omnium creaturarum, siue spiritualium, siue corporalium, bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam; quia Deus, qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & Diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret.

ANASTASIVS Synaita Anagogicarum contemplationum in Hexæmeron libro sexto.

Fuit autem aliquando quoque Satanas in Cœlis discipulus Christi cum ceteris sanctis discipulis (cum Angelicis, inquam, Virtutibus) sed erat vnus ex principibus.

PETRVS Laodicensis in expositione Orationis Dominicæ.

Malus porrò Diabolus est, non natura, sed προαιρέσει, *hoc est, optione, liberaque electione. Siquidem malitia, seu vitiositas rebus naturalibus haudquaquam accensetur, sed ex vitioso affectu, qui nostra in potestate positus est, atque à voluntate procedit.*

THEOPHILACTVS in Lucæ Euangelium, capite decimo.

Dicit autem illis Dominus; Ne miremini, si Dęmones vobis subijciantur. Princeps enim ipsorum olim de Cœlo decidit, & nullam fortitudinem habet. Nam licet hoc homines non viderint, ego tamen inuisibilium spectator vidi. Decidit autem sicut fulgur, quia lux erat, & Archangelus, & Lucifer, ac in tenebras decidit.

Augustinus de Gen. ad literam libro vndecimo: cùm hanc sententiam, vt asserebamus, proposuisset, eam reiecit; ex eo præcipuè, quòd Deus fecerit omnia valde bona, vt obtestatur Scriptura; Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona. Quo loco etiam improbat expositionem eam, quæ omnia fuisse valde bona dici autumat, non quòd in eis mala vlla non sint; sed quoniam malitia sua non efficiant, vt sub Dei moderatoris imperio, & sapientia, ordo Vniuersi aliquo pacto turbetur, vel obturpetur. Insulsè enim, inquit Augustinus, & ineruditè prolata est. Nam nullo modo naturā, quam Deus creauit, ignis æterni pœna plectendam ipsemet traderet sine præcedente proprio demerito: iuxta illud; Ite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius. Ad auctoritatem illam ex Iob desumptam; Hoc est in[itium] figmenti Domini, quod fecit, vt illudatur ab Angelis, triplicem affert expositio[ne]m cap. vigesimo secundo. Vel quòd id dictum sit, non de Natura Angelica, sed de corpore aëreo, tali voluntati cōgruè aptato; vel quòd eum etiam nolentem fecerit vtilem bonis; aut etiam quia licet eum præsciret malum futurum, non tamen destiterit bonitate sua ipsum creare. Hæc D. Augustinus. Et quod prolixiori oratione alijs locis edisserit, illatisque ex aduers[is] Scripturæ auctoritatibus satisfacit; concisa certè, & eleganti assumit de Ciuitate Dei libro vndecimo, oppositasque omnes elidit auctoritates; eam nanque: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, sic esse capiendam affirmat; vt non solum homicida fuerit ab initio, idest, in initio humani generis, ex quo vtique homo factus est, quem decipiendo posset occidere: verumetiam ab initio suæ conditionis in veritate non steterit, & ideò nunquam beatus cum sanctis Angelis fuerit. Et capite decimoquinto ad illam: Ab initio Diabolus peccat; respondet, quòd non ab initio ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum. Cyrillus Alexandrinus pariter libro sexto in Ioannem, primùm obiectis auctoritatibus satisfacit, & deinde varijs argumentis hanc erroneam sententiam elidit. Primùm sententiæ iam adductæ; Ille homicida erat ab initio, sic respondet; Non dictum esse, quòd in initio homicida fuerit, sed ab initio. Ab initio, scilicet, peccati, vt ait Augustinus, quoniam ab ipso incepit peccatum, & præuaricatio. Aut ab initio creationis humanæ, &

Cap. 21. Gen. 1. Matth. 25. Iob. 40. Diluūtur fundamenta sententiæ aduersæ ex Augustino. Cap. 13. Ioan. 8. Ioan. 3. Cap. 6. Diluūtur eadem ex Cyrillo. Ioan. 8.

productionis Mundi: Tunc siquidem in ipso Mundi primordio, mortem humano ge-
1. Ioan. 3. neri intulit. Insuper auctoritati illi; Qui facit peccatum, ex Diabolo est; quoniam ab
initio Diabolus peccat; satisfaciens perhibet, quòd huic rationi eadem fermè adhiben-
da sit dilutio, hoc est, non propterea dictum esse, ab initio Diabolum peccare, quia for-
matus fuerit à Deo malus; sed quia ab ipsius peccati exordio, quod ab eo cœpit origi-
nem (nam ante illius lapsum non erat peccatum) præuaricatus est Dei legem, prolap-
susque à natiua bonitate sua, & decidit in prauitatem. Eludit autem duas eas productas
Psal. 103. postremo loco Scripturæ obtestationes, videlicet; Draco iste, quem formasti ad illu-
Iob 40. dendum ei. Et; Ipse est principium viarum Dei; omnes bestiæ agri illudent ei: adiiciēs,
quòd aliud sit in Diabolo substantia à Deo condita, & aliud malitia sibi aduentitia ex ip-
somet profecta; ex qua euenit vt post illuderetur. Sæpius siquidem nominari res di-
cit ab ipso euentu; vt hic Draconem, seu Behemoth, dicitur factum fuisse ad illuden-
dum ex hoc euentu; quoniam à Sanctis, & pijs, malitiam illius post illudi contigerit.
Rationes ex Cyrillo Angelum creatū esse bonum ostendentes. Comprobat autem Angelum in principio bonum extasse, ex eodem Psalmo. De Deo
nanque ibidem dicitur; Omnia in Sapientia fecit. Porrò diuinæ Sapientiæ non est, in-
quit, consonum, vt à bono auctore, malum producatur: Siquidem boni est bona produ-
cere; neq; potest à bono malum proficisci, sicuti neque à calido frigidum, aut à lucido
Psal. 103. tenebrosum. Præterea non iustè malitia, ait, ipsi Angelo desertori imputanda esset, ne-
que iustè pœna vlla infligeretur, cùm nemo pro his, quæ à natura sunt, laudem, aut vitu-
Psal. 10. perium mereatur, neque præmium, aut pœna ipsi debeatur: Iustus est autem Dominus,
& iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Insuper obtestatur Dominus, quòd
Diabolus in veritate non stetit: si non stetit; igitur fuit aliquando. Rursum, inquit idem
Lucæ 10. Dominus; Videbam Satanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem: si in Cœlo non
fuisset, certè non decidisset è Cœlo: at si in Cœlo fuit, bonus quandoque extitit: Nam
in Cœlo malitia locum habere non poterat; non enim fœdare Ciuitatem supernam
Esa. 14. quicquam inquinatum valebat. Amplius per Prophetam dicitur; Quomodo cecidi-
sti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Satanam igitur, Propheta mane exortum di-
cit; sed quod mane fulgore præditum potuit illud esse, nisi quando à summo rerum om-
nium Opifice Lucifer conditus, præclaro virtutum lumine, ac scientia exornatus, de-
coris præstantia, & splendoris excellētia, inter creaturas conspicuus, & admirabilis cen-
Ezech. 28. sebatur? Rursum Ezechiel sub typo, & nomine Regis Tyri de eo scribit: Tu signaculū
similitudinis, plenus Sapientia, perfectus decore, in delitijs Paradisi Dei fuisti, omnis
lapis preciosus operimentum tuū. Tu Cherub extentus. &c. Quis itaque non videat, nisi
prorsus cæcutiat, Prophetam, eius non tantum bonitatem, sed bonitatis præstantiam his
Apoc. 12. metaphoris nō minus clarè, quàm elegāter asseuerare? Et tandē in Apocalypsi habetur:
Factum est præliū magnum in Cœlo, Michael &c. Quibus verbis apertè significatur, in-
quit Cyrillus, ipsum consedisse cum cæteris, vt bonus, in Cœlo; post verò commisso præ-
lio, deturbatum, deiectumq; fuisse. Atque hæc epilogus sunt eorum, quæ Cyrillus
longa oratione contexuit.

2. Sent. dist. 3. Magister Sententiarum, prolixiùs hanc reiiciens sententiam, D. Augustini omnem
ferè iam recitatam supra doctrinam inseruit.

Lib. 2. arti. 1. q. 1. D. Bonauentura, libro secundo, sententiam modò confutatam, hæreticam appellat,
& adeò falsam, vt suæ falsitatis euidentiam ferre perhibeat, ex eo quòd Deus perfectis-
simus, & optimus nil vnquam vituperio dignum, nil ad pœnam destinatum, nil inacce-
ptabile, nil imperfectum, vel imperfectibile prorsus condiderit. Quatuor enim has con-
ditiones ab omni opere Dei penitus secludendas esse testatur.

P. p. q. 63. D. Thomas, ex eo astruit Angelum non malum creatum esse, quòd natura intelle-
ctualis habeat ordinem in bonum vniuersale; & id, cuius natura ordinatur in aliquod
bonum secundum communem boni rationem, malum esse non possit. Ex quibus
Patrum, Doctorumque doctrinis accuratè hauriri possunt, & argumenta omnia, quæ
ad hanc elidendam sententiam faciunt, & responsa, quæ aduersariorum rationes, au-
ctoritatesque in oppositum adductas refrangunt, atque prosternunt.

Classis Patrum, Angelos in naturæ puritate tantùm prosilitos asserentium.

GREGORIVS Nazianzenus Carmine Iambico quintodecimo.

Natura simplex Angelus primus satus.

AVGVSTINVS perplexa quidem sententia, modò pura in natura, modò in gratia, modò beatos productos fuisse Angelos videtur asserere. Colligam loca præcipua, magisq; clara in singula Classe. Ipse nanque sæpius nomine Cœli in principio conditi, de quo dicitur; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, Angelũ; & nomine lucis primo die productæ, eius formationem, atque ad Deum conuersionẽ; & discretione lucis, ac tenebrarum, bonorum à malis separationem capiendam esse edisserit: præcipuè de Genesi ad literam imperfecto, capite quarto & quinto; & de Genesi ad literam libro primo, capite primo, & tertio, & decimoseptimo; & libro quarto, capite vigesimoprimo, & vigesimosecundo; Et de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite vigesimonono, & trigesimo; Et libro duodecimo Confessionum. Quorum locorum sententias, vt antea enarratas, non repeto. Ex quibus euincitur primùm Angelos in naturę puritate congestos fuisse; postea verò ad Deum conuersos, lucem euasisse. Sed præcipuè id explicat, de Genesi ad literam libro primo, capite tertio, cùm ait.

Si spiritualis lux fuit, potest esse ipsa prima creatura iam hoc dicto perfecta, quæ primo Cęlum appellata est; cùm dictum est, In principio fecit Deus Cœlum, & Terram: vt quod dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, eam reuocante ad se Creatore, conuersio eius facta, atque illuminata intelligatur.

Emanarunt igitur Angeli in pura natura, iuxta D. Augustini placita, quanquam verè loca ista sint intelligenda de antecessione naturæ, & non temporis; Augustinum siquidem, Angelos in gratia productos censuisse, testatur D. Thomas. P. par. q. 62. art. 3.

CYRILLVS Alexandrinus libro sexto in Ioannem, pluribus, Angelũ non malum à Deo creatum fuisse edisserens, toto eo capite, fęcunda certè Theologia, persæpe Angelum in suæ naturæ puritate productum insinuat, primùm eo loco, cùm dicit. Cap. 6.

Fuit ergo Angelus ipse in suæ conditione naturę antequam prolaberetur, & homicida fieret. Et Post. *Prolapsus est à natiua bonitate.* Et Iterum. *Habuit ergo priusquam caderet, bonitatis rectitudinem, in qua creatus est.*

Cæterum conditio naturæ, natiua bonitas, rectitudo bonitatis indicant eam naturalem innocentiam, quæ sibi ex natura competit; maximè verò hoc fuisse placitum Cyrilli ostendunt eius postrema verba: quæ inferunt, quòd fuit Angelo innata bonitas, & quandiu illam seruauit, in Cœlo mansit; sed ubi primum eam deperdidit, Cœlo delapsus est.

GREGORIVS Magnus trigesimosecundo Moralium, capite decimo octauo (referente etiam D. Bonauentura) tractans illud Ezechielis. Aurum opus decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt, inquit. 2. Sent. dist. 4. arti. 1. q. 2. Ezech. 28.

Quia videlicet capax charitatis est conditus; qua si repleri voluisset, stantibus Angelis tanquam in ornamento Regis positis lapidibus inhærere potuißet. Habuit ergo iste lapis foramina, sed per superbię vitium charitatis auro non sunt repleta.

En quam expressè Luciferum nunquam aurum gratiæ assecutum fuisse, prodit Gregorius.

ANSELMVS Dialogo de casu Diaboli, capite sexto, in hanc declinasse sententiam visus est, cùm ait.

Illi verò Angeli, qui maluerunt illud plus, quod nondum Deus illis dare volebat, quàm stare in iustitia, in qua facti erant; eadem iustitia iudicante, & illud, propter quod illam contempserunt, nequaquam obtinuerunt; & quod tenebant bonum, amiserunt. Sic ergo distincti sunt Angeli, vt adhærentes iustitiæ nullum velle bonum possint, quo non gaudeant; & deserentes illam, nullum velle queant, quo non careant.

Iustitia autem illa, quam Anselmus Angelos habuisse asseuerat, nil aliud fuit, quàm innocentia, rectitudoque naturæ.

HVGO Victorinus Summæ Sententiarum, Tractatu secundo, capite secundo, clariori sententia Angelos non malos, sed sua in conditione puros prodijsse his tradit.

Solet à nibusdam quæri, vtrum boni, an mali, iusti, an iniusti, beati, an miseri creati sunt Angeli. Eos fuisse

fuisse bonos in primo exordio creationis constare debet, idest sine vitio; Non enim Creator optimus, auctor mali poterat esse. Sed nec iusti, nec iniusti tunc fuerunt, nec aliquam virtutem tunc habuerunt. Est enim omnis virtus meritum, & omne meritum ex libero arbitrio: sed liberum arbitrium semper est ad futurum, & non est ad præsens, & præteritum. Et Post. *Et ideò dicimus eos in principio creationis non habuisse aliquam virtutem, vel iustitiam, nisi acciperemus virtutem naturalem, vt ratio, ingenium, & huiusmodi.*

Magister secundo Sententiarum, distinctione quarta, & quinta manifestè in hanc cõcedit sententiam: verùm, quod ipse prolixiori oratione declarat, ego breui perstringam argumento. Cùm distinctione quarta, Angelos non beatos, nec miseros prodijsse disseruisset, sed in naturæ suæ simplicitate, & puritate: in quinta clariùs habet, quòd cõuersis Angelis, in ipsa eorum conuersione gratia fuerit à Deo condonata; auersis verò atque desertoribus non subtracta, quia nunquam fuerat apposita: sed non apposita ex eorum culpa, quoniam illam renuerant. Gratiam autem eam asserit non fuisse gratiã cooperantem, siquidem iustificatione non indigebãt, vtpote qui mali non erant; sed cooperantem, qua ad bene uolendum efficaciter, & Deum præ omnibus diligendum adiuti sunt. Appositam quidem bonis, non ex meritis ipsorum; tunc etenim gratia non extasset: non appositam verò malis ex eorum culpa, qui cùm stare possent, deciderunt, antequam gratia eis apponeretur.

D. BONAVENTVRA secundo Sententiarum, distinct. quarta, quæstione tertia; non reiecta, nec approbata ea sententia, quæ Angelos in gratia conditos asseruit, hanc his recitat.

Fuerunt etiam alij, qui dixerunt Angelos non habuisse gratiã gratũ facientem ab instanti creationis, sed post. Et ratio, quæ eos mouit, est dispositio Angelicæ naturæ, quæ fertur in id quod appetit sine retardatione. Vnde sicut ex conuersione ad malum, ita profundè conuersi sunt, vt non possent redire: sic immo multo magis ex conuersione ad bonum, siue ex habilitate, ita bono totaliter adhæsissent, si gratiam habuissent, quòd nunquã lapsi essent. Vnde non videtur aliquo modo probabile, quòd Lucifer habuerit gratiam: & si ipse non habuit, cùm inter cæteros esset excelsus; à maiori arguitur, nec alios habuisse à sui origine. Hanc positionem videtur acceptare Magister: hanc positionem communiter tenent Doctores: & ita huic tanquam probabiliori, & communiori concordant.

Hanc non pauci Scholasticorum hoc loco amplectuntur.

Rationes pro hac sentẽtia.

Cæterum rationes potissimæ, quibus hoc placitum prosequendum esse arbitrarer, duæ mihi sese offerunt. Prima ea, quam D. Bonauentura excitauit; Cùm enim natura Angelica ocyssimè, & nulla indita mora, efficacissimeq; feratur in id, ad quod declinat; si Dei gratia in bonum rapta fuisset, ita adhæsisset, vt nunquam lapsa fuisset: Altera est, quòd mos sit Dei, gratiam preuenientem quidem omnibus impertiri, exponereque; operantem verò, & cooperantem non nisi liberi arbitrij annutu præcedente: iuxta illud Augustini; Non saluabit te sine te: Non præcessit igitur gratia illa Angeli lapsum, cùm mox ceciderit, vbi praua voluntate à Deo se auertit.

Classis Patrum, & Doctorum, Angelos in gratia conditos existimantium.

Numerosior est Patrum, Doctorumq; classis, quę Angelos in gratia manasse putauit. Audiamus Patres.

BASILIVS Homilia in Psalmum trigesimum secundum apertè id tradit.

Nihil enim sanctum est citra Spiritus Sancti præsentiam: Angelos nanque initio, vt essent, Verbum opifex omnium condidit, sanctificationem verò simul impendit ipsis Spiritus Sanctus. Non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati, atque perfecti, sic spiritus susceptione digni sunt habiti: sed in prima constitutione, & quasi quadam conspersione suæ substantiæ, simul infusam habuere sanctitatem. Quapropter & ad malitiam difficilè se poterant transmouere, nimirum in sibi indulta sanctitate, quasi tinctura quadam confirmati penè momento, stabilitatemq; ad virtutem dono Spiritus Sancti adepti.

GREGORIVS Nyssenus, Philosophiæ libro primo, qui est de Homine, capite tertio.

Ita verò quidam Angelos volunt post casum, minimè ea, quę ex pęnitentia est, venia potiri (mors enim horum est casus) at ante casum ad similitudinem vitæ hominum, etiam gratia dignos eos effici, quod quia non fecerunt, irreminiscibilem, & perennem deinceps nequitiæ suæ conuenientem habebunt vindictam.

Locus

Locus mutilus est,& obscurus,& suspicor ita legendum esse: Ac ante casum ad similitudinem vitæ hominum etiam gratia dignos eos effectos fuisse, quam quia neglexerunt,perennem deinceps nequitiæ suæ conuenientem habebunt vindictam.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite tertio.

Per verbum igitur Dei,creati sunt Angeli; Et per sanctificationem Spiritus Sancti perfecti, pro suæ dignitatis,& ordinis ratione,illuminationem,& gratiam participantes.

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei libro duodecimo,capite nono,contendens Angelos conditos fuisse,ita vt bona voluntate Deo adhærerent,inter plura alia quæ ait,in hæc incidit verba.

Porrò,quia facta est in Angelis bona voluntas,vtrum cum ipsis facta est,an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis,non dubium quòd ab illo facta sit,à quo & ipsi: simulque vt facti sunt,ei à quo facti sunt,amore, cum quo facti sunt, adhæserunt, eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quòd ij in eadem voluntate bona manserunt,illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate,hoc ipso quòd à bono defecerunt, à quo non defecissent, si vtique voluissent. Si autem boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt; ergo meliores à seipsis, quàm ab illo facti sunt? Absit. Et post. *Nam & hoc discutiendum est, si boni Angeli ipsi in se fecerunt voluntatem bonam, vtrum aliqua eam,an nulla voluntate fecerunt. Si nulla, vtique nec fecerunt. Si aliqua,vtrum mala, an bona. Si mala, quomodo esse potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona, iam ergo habebant. Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, idest, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? Vnde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est.*

D. HIERONYMVS in Osee caput tertium: super illud, Et diligunt vinacia vuarum,hæc habet.

Filij Israel diligunt vinacia vuarum,quæ vinum non habent, & pristinam gratiam perdiderunt, sicut Dæmones, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiquæ gratię possidentes, aridi sunt, & veteri siccitate marcescentes.

Sic enim legitur locus hic in Codicibus à Mariano Victorio emendatis, quanquam D. Bonauentura secundo distinctione quarta, articulo primo, quęst. secunda,& alij locum hunc sic protulerint.

Dæmones, qui creati sunt in magna pinguedine Spiritus Sancti, superbia arefacti, ceciderunt de Cælo.

CASSIANVS, collatione octaua, capite decimo.

Intelligitis ergo, quòd ante illam circumuentionem primi hominis, Dęmones de Angelica discesserant sanctitate.

PETRVS Abbas Cellensis, de mystica expositione Mosaici Tabernaculi,libro secundo.

Productiles quoque facti sunt Cherubin, non quia volentes auerti,vel conuerti,creati sunt; sed quia habiles ad volendum hoc,vel illud. Post creationem verò,quia productiles facti sunt; spontanea voluntate, alij elegerunt bonum,alij malum;& de operante gratia(quam acceperant in creatione) seruata,cooperantem meruerunt: qua non sicut ex operante iustificatur impius; sed qua cooperante, iuuatur ad bene volendum, & perseuerandum pius.

ALBERTVS Magnus prima parte de Coæqueuis, quæstione sexta, articulo primo, in hanc descendit sententiam,cùm ait.

Quidam dicunt, quòd in solis naturalibus creati sunt Angeli; alij verò dicunt, quòd in gratia gratis data creati sunt, & non in gratia gratum faciente; alij autem,quòd in gratia gratum faciente creati sunt. Et istis videntur consentire,omnia originalia Sanctorum, si quis bene perspexerit.

Atque eodem loco Doctor hic verè magnus, doctissimè oppositas rationes ventilat,atque elidit.

D. THOMAS prima quæstione sexagesima secunda, articulo tertio,hanc vt magis Sanctorum placitis consonam sententiam approbans, & concludens, ait.

Manifestum est autem, quòd gratia gratum faciens, hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura,ad effectum naturalem. Vnde primæ Ioannis tertio; Gratia semen Dei nominatur. Sicut igitur secundum opinionem Augustini ponitur, quòd statim in prima creatione corporalis creaturæ, inditæ sunt ei seminales rationes omnium naturalium effectuum, ita statim à principio sunt Angeli creati in gratia.

Rationes, meo iudicio, quæ præstantiores pro hac sententia existimari possunt, illæ sunt, quæ ex Patribus elici queunt. Ex D. Basilio: Cùm nil effectum sit à Deo, quin operatus sit in eo, vti Verbum, ita & Spiritus Sanctus: iuxta illud; Verbo Domini Cœli

Rationes pro hac sentẽtia, ex Patribus. Psal. 32.

Cœli firmati sunt: &, Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Sicut Angeli Verbo effecti dicuntur, ita, & Spiritus Sancti virtute, sanctificatos fuisse asserendum est. Ex D. Augustino: Angelus bona cum voluntate Deo adhærens, prosilijt; at bona voluntas sine gratia esse nequit; Igitur in gratia emanauit Angelus. Ex D. Thoma: Si omnia producta sunt secundum seminales suas rationes, igitur & Angelus cum gratia, quæ seminalis est virtus ad gloriam. Ex D. Bonauentura, qui ad vtranque partem arguit: Si Deus ex se liberalissimus est, elargitorque locuples, & Angeli vasa sunt purissima, & amplissima; quid prohibere potuit, quin Deus cùm Angelos conderet, statim etiam simul sua ipsos gratia ditarit? Tandem, si cuncta Deus non tantùm absoluta in eorum natura edidit, sed aduentitijs etiam speciminibus ornauit, atque venustauit, Cœlum replens micantibus facibus, aërem auibus, aquam piscibus, & terram animantibus: quomodo non etiã & Angelum gratia honestauit? Præterea, si homini Deus præter præstantem naturam, originalem iustitiam, & gratiam adiecit, nonne multò magis Angelo longè homine præstantiori, eam detulisse existimandum erit?

Classis Patrum, & Doctorum, Angelos beatos conditos fuisse perhibentium.

Non desuere Patres, qui Angelos suo in primordio, visionem Verbi attigisse asseuerent, adeò vt beatos etiam eos appellarint: sed non absolutè, ex eo quòd excidere possent.

IGNATIVS Epistola ad Philippenses, Angelum ex sublimi gloria cecidisse obtestatur, cùm ait.

Matth. 4. *Tu ergo, qui tanquam fulgur de sublimi gloria decidisti, audes dicere Domino, Mitte te deorsum?*

Gloria igitur Lucifer potiebatur sublimi, si ex ea collapsus proditur.

GREGORIVS Nazianzenus, Oratione prima de Pace, secundum vnam translationem, Angelos luce Verbi perfusos fuisse, his tradit.

Perpendamus Angelos, dico virtutes, ac cœlestes, primi luminis splendores primos, & veritatis verbo lucentes: nam & ipsæ lumen sunt, perfecti luminis radij fulgentes. Et post. *Diabolus à semetipso Diabolus effectus est: at reliqui in sua permanent dignitate, quibus præcipuum est, vt pacificè, & absque seditione agant; ac vt vnum sint, à sancta & laudabili accipiunt Trinitate, à qua & splendorem suscipiunt, quoniam & illa Deus est vnus.*

Si igitur Dæmon decidit ab ea, in qua cæteri permanent dignitate, in qua & splendorem suscipiunt à Sancta Trinitate, certè beatus erat, vti & nunc Angeli beati extant.

Et Oratione in Christi Natiuitatem.

Gestit quidem animus dicere ad malum immobiles, atque ad bonum dumtaxat agitationem habentes, vtpotè Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite tertio.

Angeli sunt intellectualia numina ex primo, & carente principio lumine, illuminationem suscipientes.

Et quòd de Angelis desertoribus id etiam intelligat, ostendunt ea, quæ de ipsis habet capite quarto, cùm ait.

Non ferens natura Angelica, cui à Deo terræ custodia commissa erat, illuminationem, & honorem, quem ipsi Conditor indulserat, libera voluntatis potestate demutata est.

Si igitur illuminabantur, luceque Dei radiabantur; igitur beatificæ gloriæ censendi sunt compotes fuisse. Et quanquam hæc à Nazianzeno, & Damasceno dicta, ad naturalia pertinere, meritò ambigere possimus: suspicari tamen nobis occasionem tradunt, quòd de lumine glorifico verba faciant.

CYRILLVS Alexandrinus in Genesim libro primo.

Erat etiam inter eos & Draco ille præuaricator, & quæ cum eo erant prauissimæ potestates, & communes cum cæteris Sanctis, rationabilibusq; creaturis sedes obtinebant, splendentes gloria summa, longeque meliorem, incomparabilemq; statum, quàm homines adepti sunt. Et quidem dictum à Deo est; Cum Cherubin te collocaui. Ezech. 28. *Sed sancta Cherubin firmatam gloriam habent, suumq; statum firmissimè seruant, & millia millium Deo ministrant, atque decies centena millia ei adsistunt. At Satan cum alijs delapsus est, & pristina dignitate priuatus.*

Splen-

Splenduere igitur Angeli mali in primordijs summa gloria, eaq; ipsa potiebantur, quam nunc confirmatam Cherubim obtinent.

GREGORIVS Magnus Commentarijs in Ezechielem, vt Patherius etiam elicit.

Tales creati sunt Angeli, vt si vellent, in beatitudinis luce persisterent: si autem nollent, etiam labi potuissent.

Si in beatitudinis luce persistere potuerunt, igitur luce beatifica potiti sunt.

AVGVSTINVS pluribus in locis idipsum existimasse visus est, sed precipuè libro vndecimo de Ciuitate Dei, capite vndecimo, cùm hæc fusiùs habet.

Quæ cùm ita sint, nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus. Sed simul, vt facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantùm creati, ut quoquo modo essent, & quoquo modo viuerent, sed etiam illuminati, vt sapienter, beateq; viuerent. Ab hac illuminatione auersi quidam Angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis, beatæq; vitæ, quæ proculdubiò non nisi æterna, æternitatisq; suæ est certa, atque secura: sed & rationalem vitam, licet insipientem sic habēt, vt eam non possint amittere, nec si velint. Quatenus autem antequam peccassent, illius sapientiæ fuerint participes, definire quis potest? In eius tamen participatione æquales fuisse istos illis, qui propterea verè, pleneq; beati sunt, quoniam nequaquam de suæ beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi sumus: quandoquidem si æquales in ea fuissent, etiam isti in eius æternitate mansissent pariter beati, quia pariter certi? Neque enim sicut vita quandiucunque fuerit, ita æterna vita veraciter dici poterit, si finem habitura sit. Siquidem vita tantummodo viuendo, æterna verò finem non habendo, nominata est. Quapropter quamuis non quicquid æternum, continuò beatum sit, (dicitur enim etiam pęnalis ignis, æternus) tamen si verè, perfecteq; beata vita non nisi æterna est, non erat talis istorum vita beata, quia quandoq; desitura, & propterea non æterna, siue id scirent, siue nescientes aliud putarent: quia scientes timor, nescientes error beatos esse vtique non sinebat. Si autem hoc ita nesciebant, vt falsis, incertisve non fiderent; sed vtrum sempiternum, an quandoque finem habiturum esset bonum suum, in neutram partem firma assensione ferrentur, ipsa de tanta fælicitate cunctatio, eam beatæ vitæ plenitudinem, quam in Sanctis Angelis esse credimus, non habebat.

In his Augustinus tria prodit maxima animaduersione perpendenda. Primum, Angelos luce diuinæ sapientiæ fuisse perfusos, atque illustratos; supra verò, capite decimo, augustissimam, Sanctissimamq; Trinitatem esse sapientiam eam, in qua immensi, infinitique thesauri rerum intelligibilium, inuisibiles, incōmutabilesque rationes rerū etiam visibilium, & mutabilium resident, clarè tradiderat: Alterum, quod docet Augustinus, est, Angelos, quanquam luce diuinitatis perfusos, non plenè tamen beatos extitisse; duo nanque ad absolutam beatitudinem spectantia, illis deficiebant, & æternitas, & æternitatis certitudo. Postremum, quòd omnes Angeli, tàm qui casuri, quàm qui permansuri erant, æquali modo beatitudine illa potirentur, quòdque tam hi, quàm illi, nec æternitatis, nec securitatis præscientiam haberent.

AVGVSTINVS explicatiùs id detulit capite decimotertio, cùm hæc habet.

Aut si durum videtur, quando facti sunt Angeli, alios credere ita factos, vt non acciperent præscientiam, vel perseuerantiæ, vel casus sui: alios autem ita factos, vt veritate certissima, æternitatem suæ beatitudinis nossent; sed æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt, & ita fuerunt, donec isti, qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent: proculdubio multo est durius nunc putare Angelos sanctos æternæ suæ beatitudinis incertos, & ipsos de semetipsis ignorare, quod nos de illis per Scripturas Sanctas nosse potuimus. Quis enim Catholicus Christianus ignorat, nullum nouum Diabolum ex bonis Angelis vlterius futurum; sicut nec istum in societatem bonnorum Angelorum vlterius rediturum?

Et de Genesi ad literam, libro secundo, capite octauo.

Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent; qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate sancta, & pia contemplatione perfruuntur: atque inde ista despicientes, secundum id quod intus vident, rectè facta approbant, vel peccata improbant. Nec mirum est, quòd Sanctis Angelis suis in prima lucis conditione formatis prius Deus ostendebat, quod erat deinceps creaturus. Rom. 1.

Et libro de Correptione, & Gratia, capite decimo, Dæmones diuinam bonitatem refugientes, aliquando fuisse beatos asseuerat: Quod intelligendum est, non plenè, absolutèq; ob id quòd poterant ab illa beatitudine excidere. Et pluribus locis, præcipuè de Genesi ad literam libro quarto, capite vigesimo secundo, duplicem Angelicam cognitionem; matutinam, qua in verbo cuncta emolienda præintuebantur; vespertinam,

qua ea suo in genere contemplabantur, celebrat tanquam omnibus Angelis æqualiter collatam.

HIERONYMVS in Iob, capite vigesimo quarto.

Hi ergo ministri eius, cùm adhuc beati essent in illa æterna fœlicitate, in die illo vtique sempiterno, qui non habet initium, neque finem, in hoc sacrilegium tyrannidis sunt cum suo principe collocuti: & putauerunt, quod Deus, qui est lux vera, sapiens, & intelligibilis, hoc malum contumaciæ eorum impunitum relinqueret, vt non eos de illa beata, atque gloriosa sede deijceret.

ALBERTVS Magnus ex Scholasticis, de quatuor coæqueuis, quæstione sexta, articulo secundo, disceptans in quo fuerit meritum Angelorum, in hanc incidit diffinitionem.

Dicimus, quòd meritum eorum est in hoc solo, quòd verbo adhæserunt, cùm possent ab ipso deflecti: & si quæratur, vtrum hoc ipsum fuit eis actus gloriæ, dicendum, quòd gloria vitæ æternæ, & beatitudo, dicuntur per confirmationem cum perfruitione Verbi; & illam confirmationem nondum habuerunt Angeli. Vnde si aliquando inuenitur beatitudo, & vita æterna dicta de Angelis in primo statu, intelligitur de beatitudine secundum quid, scilicet, quæ non habet confirmationem coniunctam sibi; & hoc videtur sentire Augustinus, & Anselmus, qui dicunt, quòd Angelus in primo statu habuit vnde proficeret ad confirmationem, & beatitudinem.

Ioannes Arboreus in sua Theosophia libro primo, capite primo, sicut pluribus prosequitur hanc Augustinianam doctrinam, ita eleganter eam declarat.

Rationes Angelos cōditos fuisse beatos probantes.

Non desunt plures etiam pro hac sententia argumentationes. Primùm, Dæmones de Cœlo deciderunt Empyreo, Angelos siquidem in Cœlo Empyreo conditos clarissimè obtestati sunt, Iunilius in Hexæmæron, Strabus, Hugo, Magister, D. Thomas, vt in Catenis supra deductis demonstrauimus: Si igitur in Empyreo aliquando extarũt, igitur quandoque beati, gloriosique: neque etenim in Empyreo considere quis potest, nisi ad beatitudinem ascitus intelligatur. Deinde scriptum est; Videbam Satan tanquam fulgur de Cœlo cadentem. Cæterum plures interpretati sunt de Cœlo, idest, de gloria. Rursum Esaias Lucifero casum exprobrans, ita eum alloquitur; Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Igitur lux erat, vt exponit Theophilactus; at lux esse non poterat, quin gloria perfunderetur: Nam D. Augustinus, lucis nomine, Angelicam formationem, seu glorificationem interpretabatur. Amplius Ezechiel de ipso Lucifero scribit; In delitijs Paradisi Dei fuisti. Et post. Posui te in Monte sancto Dei. Quid aliud affluentes delitiæ Paradisi, præter ipsam beatificã gloriam præmonstrant? Quid Mons Sanctus Dei, nisi ipsam Regiam Cœlestem, beatorumque Sedem, in qua cuncta emicant fulgentissima maiestate, designat? Insuper, nunquid existimandum est, Angelos ante lapsum, nunquam Dei contemplatione, visioneque potitos fuisse? Certè non minora contulit Deus Angelo præstantissimo inter creaturas spirituales priuilegia, & gratias, quàm homini; at homo in iustitia originali, non tantùm diuina fuit gratia insignitus, sed etiam Dei visione delibutus. Sensere profecto multi Patrum, plura Adam cum Deo colloquia, ac congressus habuisse. Contendit igitur hæc sententia, Angelos beatos conditos esse, quia Dei visione potirentur; sed non plenè beatos, cùm nec perenniter in ea essent permansuri, nisi confirmarentur, nec eiusdem beatitudinis certitudine lætarentur: quanquam nacti essent gratiam gratum facientem, qua Deo hærentes certitudinem eam, perennitatemque adipisci poterant, si vellent; sicuti etiam excidere ab ea, si liberet. Quæ auersio, & conuersio in ipsis demeriti, & meriti rationem exhibuit.

Luc. 10.

Isa. 14.

Ezech. 28.

AVCTOR.

De re grauissima, atque difficillima, cùm Patrum, Doctorumque sententiæ inter se vehementer dissideant, iudicium laturus, veniam præposco, si non ita ingenuo Lectori satisfaciam. Arbitror ego primùm, sententiam illam, quæ Angelos prodijsse malos autumat, omninò, vt hæreticam, falsam, impiam, erroneam, à veraque Theologia aberrantem explodendam, execrandamque esse rationibus illis, quibus eam Patres refutarunt. Arbitror amplius reliquas tres sententias problemata neutra esse posse in via Patrum, & Doctorum, quoniam æqua lance in iurgijs disputationum, atque in Scholis eas defen-

Sententia Manichæorũ impia & hæretica.

defensari conspicio. Opinor attamen postremam hanc assertionem, Angelos productos fuisse beatos astruentem beatitudine ea, quæ ex clarissima Dei visione, quanquam nec perennitate, nec certitudine fulcita, promanabat, magis à verisimilitudine recedere, eo quòd nunquã Angelos prauos, Dei clara visione, nec per transennam etiam, vt aiunt, potitos esse existimẽ. Suadeor primũ ratione à D. Thoma allata: Cùm enim duplex sit naturæ intellectualis perfectio, seu beatitudo; naturalis altera, quæ & naturæ viribus comparari potest; supernaturalis altera, quæ non nisi auxilio supernaturalis infusæ virtutis, vtpotè gratiæ, obtineri valet: Quemadmodum Angeli ex dignitate, excellentiaque naturæ, beatitudinem primam sunt consequuti; ita postremam attingere in sui origine nequiuere; neque enim simul & gigni, & mereri potuerunt. Neque ea distinctio, qua omnes effugere Syrtes sibiipsis persuadent huius sententiæ propugnatores; quòd beatitudo scilicet ea fuerit non absoluta, sed secundũ quid, quia confirmationis, perennitatisque expers erat, satisfacere præstantissimis Doctoribus visa est. Tota siquidem merces, & ipse beatitudinis apex est visio, quam deinde fruitio, & amor, siue amoris excessus, voluntatisque raptus, atque ipsa perennitas; difficillimè nanque hęc seiungi possunt, consequuntur. Amplius consentaneum non videtur, Angelum, cùm ad gloriam destinaretur per meritum non ipsam beatitudinem, sed beatitudinis perennitatẽ; tantùm, vel securitatem promeruisse. Adiicias, quomodo fieri potuerit, vt Angelus delibutus gloria, supernaque Dei visione, qua semel ebrius factus Moses, exclamabat; Ostende mihi gloriam tuam: Et Iacob; Vidi Dominum facie ad faciem; & salua facta est anima mea: Et Petrus, Domine bonum est nos hic esse: Ipse, inquam Angelus, qui vehementer in bonum prouehebatur; adeò trucem, efferatamque habuerit mentem, ac propriæ gloriæ, fastusque cupidam, vt tantum bonum, quod iam degustarat, & quo nil excellentius, nil sublimius esse, expertus fuerat; ita facilè spreuerit, atque neglexerit? Arbitror ego certè Patres in hanc minimè declinasse sententiam, sed D. Dionysium Angelos lucem nuncupasse, Gregoriumque Nazianzenum, & Damascenum ipsos dixisse splendores primos veritatis verbo lucentes, & radios fulgentes, non quidem vt beatos illos assererent, verùm vt præstantem eorum dumtaxat, excellentemque naturam hac metaphora demonstrarent. Rursum, Ignatium, Cyrillum, & D. Gregorium Magnum, Angelos in maxima gloria constitutos tradidisse, non prout gloria beatitudinem supercœlestem significat, sed quatenus excellentem statum, seu naturæ præstantem dignitatem exprimit. Quantum autem ad D. Augustinum spectat, existimarem ipsum Angelos beatos appellasse, ad tantamque conditionem eos elatos, vt sapienter, beatèq; viuerent, perhibuisse, non vt beatitudinem supernaturalem, illamque cœlestem gloriam, qua Deum in Deo sancti Angeli modò contemplãtur, & qua cuncta in Verbo clarè conspiciunt, ipsis ascriberet, sed eam naturalem tantùm, qua Deus in insita ipsis imagine ab Angelis percipi poterat, & qua res in seipsis imperfectè, & obscurè cognoscuntur. Hanc enim iuxta D. Augustini mentem, fuisse beatitudinem eam, & cognitionem, quam habuere Angeli, etiam mali sua in origine, D. Thomas interpretatus est. Patefaciunt autem hoc ipsum ea, quæ Augustinus tradit de Ciuitate Dei libro vndecimo; vbi & Protoparentes nostros in Paradiso terrestri beatos pariter extitisse prodit; & tamen ipsos beatitudinem supernaturalem non consequutos fuisse, certissimum est. Sed de Genesi ad literam libro item vndecimo, clarissimè Angelum desertorem beatæ, Angelicæque vitæ dulcedinem non gustasse, his obtestatur.

Angelos conditos fuisse beatos nõ valde probabile est.

q.62.art.1.

Exod.33.

Gen.32.

Matth.17.

Patres, q Angelos creatos fuisse beatos dicunt, quomodo intelligendi.

P.p.q.62, art.1.ad 3.

Cap.12.

Cap.23.

Diabolus factus, continuò se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus: vnde beatę, atque Angelicæ vitę dulcedinem non gustauit, quam non vtique acceptam fastidiuit; sed nolendo accipere, deseruit, & amisit. Proinde nec sui casus præscius esse potuit, quia sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuò impius, consequenter & mente cæcus, non ex eo quod acceperat, cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi voluisset Deo; quod profectò, quia noluit, & ab eo quod accepturus erat, cecidit, & potestatem illius, sub quo esse noluit, non euasit; factumque in illo est pondere meritorum, vt nec iustitiæ possit lumine delectari, nec ab eius sententia liberari.

Amplius, qui ex matutinæ, vespertinæque cognitionis serie, Angelos Dei visione potitos, D. Augustinum existimasse deducunt, ipsam Augustini mentem non assecuti esse conuincuntur. Siquidem desertores, & rebelles, Angelos matutinam cognitionem attigisse,

tigisse, nunquam edocuit Augustinus: Immo post vespertinam, malos nimio sui fastu elatos, delapsos esse, tenebrasq; redditos, nec vnquam ad matutinam, adeò vt Deo gratias referrent, in laudemq; Creatoris exurgerent, peruenisse, pluribus quidem locis demonstrat. Ex quibus elici potest, D. Augustinum in hanc sententiam non properasse, vel saltem ancipitem eã protulisse; cùm modò eã approbasse, modò refutasse videatur.

Soluuntur rationes Angelos beatos cõditos astruentes.

Sed quid dicemus ad illatam eam obiectionem, quæ Angelos in Empyreo conditos, ex Strabi, Hugonis, Magistri, & D. Thomæ placito asserebat, & in Empyreo sine gloria, Deique visione nil considere posse autumabat? Dicemus certè primùm ex D. Hieronymi auctoritate, Angelos non in Empyreo, sed in Firmamento productos, vt supra iam deduximus: Vel estò etiam quòd in Empyreo manarint: euincere attamen possumus contra aduersarios in sua origine beatos eos non prodijsse, quoniam meritum semper præcedit præmium origine, & tempore. Vt autem obiectis Scripturæ auctoritatibus occurramus; dicemus, Luciferum luce quidem coruscasse non beatifica, sed naturali, eo breuissimo spatio, quo in nitida suæ naturæ puritate perstitit: Lux enim metaphoricè, & beatam vitam, & naturæ Angelicæ præstantiam, claritatemque indicare potest. Dicemus etiã, quòd tanquam fulgur è Cœlo ceciderit, seu è gloria; non è gloria superna, sed gloria ea, qua ipse naturæ eminentia cunctas superexcedebat creaturas. Dicemus ad ea quæ adducta sunt ex Ezechiele, quòd metaphorica sunt encomia de Rege Tyri, & quòd allegoricè etiam de Lucifero interpretari possunt, prout eius innocentiæ sublimem statum explicant, ex quo beatitudinem supernam nancisci facillimè poterat. Tandem dicemus, vt delatam ex Adæ exemplo argumentationem, euitemus; non adhuc exploratum esse, an Adam Dei visione delibutus fuerit, cùm nec Scriptura id clarè tradat, nec Patres id conformi, communique sententia diffiniant. Deinde potuisse Adam ea gratia potiri, qui non tantùm momentis, verùm & horis in innocentiæ statu perdurauit, non autem Dęmonem, qui secundo momento, seu mora à Deo se auertens, corruit: satisque Deum Lucifero contulisse, cùm eum ad adipiscendam quàm citissimè gloriam destinasset, atque prouehisset.

Cap. 28.

De puritate Angelorum duę sententię possunt sustineri.

Arbitror tandem, duarum earum sententiarum, quæ vel Angelos in naturæ puritate, vel cùm gratia ipsa productos edocent, neutram esse reijciendam: præstantissimos etenim vtraq; illarum habet assertores. Sed quantum ad propositum meum spectat; non ex temeritate factum velim accipi; si in ea, quam de Bello Angelico contexam historiam, Angelos, vt in pura natura esse poterant, nulla insignitos gratia proferam, effingamque Angelis euenisse, quod hominibus contingere conspicimus: Vt quemadmodum hominibus gratia confertur paranimpha, seu præueniens, quæ cuncta præcedit; Ita in Angelis naturam ipsam, dotesque præstantissimas, quibus prouehebantur ad optima, in Deumque enixè efferebantur, vices gratiæ præuenientis egisse, perhibebo. Deinde Deum voluntatis Angelicæ primum assensum expectasse, moxque annuentibus bonis gratiam apposuisse, non operantem, seu iustificantem, peccato siquidem immunes ipsa non egebant, sed cooperantem, quæ voluntatis motum adiuuaret, perficeretque, atque meritò eos condecoraret; non annuentibus verò eandem non contulisse, quòd malitia sua eam renuerint, vnde & mox corruerint, præcipitesque exciderint. Nam, vt quid eos gratia insignitos dicemus, si in ipsis malis Angelis nil ipsam effecisse compertum est? vt quid eam superfluam, superuacaneamque in ipsis Angelis desertoribus concedere? Gratia certè nil operari potuisset, nisi voluntatis assensus simul extitisset; & si quid operata fuisset, gloriam certè meruisset, nec vnquam Angelus aliquis decidisset: si nil igitur illis ea profuit gratia, tantùm est, quantum si ea honestati non fuissent. Hac igitur serie meam infra contexam historiam.

An Moses in hac de Orbis effectione historia, Angelorum mentionem habeat.

An uerò Angelorum genesis in historia hac Mosis habeatur, multiplex adest sententia.

Catena

Catena Patrum, Angelorum genesim à Mose non omissam fuisse arbitrantium.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, & quinto: & de Genesi imperfecto, & alijs multis in locis, certam de Angelorum genitura enarrationẽ fuisse contextam asserit: Et, vel Cœli nomine, vbi dictum est; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: vel potius lucis, Angelos significatos esse autumat. Et amplius eò vsque progressus est, vt hunc literalem, germanumq; sensum dixerit. Excerpi potest hæc ipsius sententia ex pluribus deductis & deducendis locis; sed ne ea ipsa sæpius repetamus, vnum tantummodo iam expositum locum veluti opportunum interijcio. Nam clariori oratione de Ciuitate Dei libro vndecimo, id asseruit, cùm dixit.

Non autem prætermissos esse Angelos in hac rerum creatione hinc existimo, quòd scriptum est, requieuiße Deum in septimo die ab omnibus operibus suis quæ fecit, cùm liber ipse ita sit exorsus: In principio fecit Deus Cœlum, & Terram, vt ante Cœlum & Terram nihil aliud feciße videatur. Cùm ergò à Cœlo, & Terra cœperit, & cùm omnia creando disposita sint, quæ per sex dies consummata narrantur, quomodo Angeli prætermitterentur, tanquam non essent in operibus Dei, à quibus die septimo requieuit? Opus autem Dei esse Angelos hic quidem, etsi non prætermissum, non tamen euidenter expressũ est: sed alibi hoc Sancta Scriptura clarissima voce testatur. Nam & in hymno trium in camino virorum, cùm prædictum esset: Benedicite omnia opera Domini Domino: in executione eorundem operum etiam Angeli nominati sunt; Et in Psalmo canitur: Laudate Dominum de Cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes Stellæ & lumen. Laudate eum Cęli Cœlorum, & aquæ, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Etiam hic apertissimè à Deo factos eße Angelos diuinitus dictum est, cùm eis inter cętera Cęlestia commemoratis, infertur ad omnia: Ipse dixit, & facta sunt.

Gen. 2. Dan. 3. Psal. 148.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite secundo, Augustino consentit.

In hac luce historialiter recapitulatur creatio Angelorum, qui pro participatione æternæ lucis, lux & dies nuncupati sunt.

Et post, breuissimo epilogo doctrinam Augustinianam supra recitatam colligit, & compendiat, quam in expositione eius clausulæ, Fiat lux, veluti in accommodatiori loco deducemus.

BEDA Expositione in Genesim.

Spiritualis autem facta est lux, cùm dixit: Fiat lux, idest, Angeli, & virtutes Cœlestes; de quibus dicitur: Prior omnium creata est sapientia. Hæc autem ipsa spiritualis creatura, Cęlum appellata est, cùm dictum est: In principio creauit Deus Cœlum, & Terram. Ecclesiast. 1.

ANASTASIVS Synaita suo Hexæmeron libro primo.

In principio fecit Deus Cęlum, & Terram; Cęlum quidem, simul comprehendendo, nominat omnes Cœlestes, & intelligentes sanctarum Virtutum, & intelligentis Mundi constitutiones.

RVPERTVS Abbas, Commentarijs in Genesim, libro primo, capite decimo, post plura hæc concludit.

Melius magni, & nominatissimi Patres intellexerunt naturam Angelicam lucis nomine significatam. Eorum sensum rationabilem magis approbamus, & sequimur, Angelicam creaturam rectè lucem esse appellatam, lucem intellectualem, lucem, inquam, non solum, quia vim discernendi habentem; verumetiam quia veri, & incircumscripti luminis gratia refulgentem. Et post. Nec verò pro similitudine, sed pro re vera lucem dicimus appellatam, idest, non ideò quòd similitudinem visibilis huius lucis habeat. Cap. 11.

GREGORIVS Magnus in trigesimum septimum caput Iob, hoc existimasse uisus est, cùm ea, quæ de Cœlo enarrat Moses, ad Angelos ipsos referat, dicens. Lib. 27. c. 24.

Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore fixę perstitere, lapsis superbientibus Angelis, hoc in munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine surripientis culpę mordeantur, vt in contemplatione Conditoris sine fęlicitatis fine permaneant; & in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant. Quod benè apud Mosem ipsa de Mundi origine historiæ verba testantur, cùm & prius factum Cœlum dicitur, & hoc idem postmodum firmamentum vocatur: quia videlicet natura Angelica, & prius subtilis est in superioribus condita, & post ne vnquam potuißet cadere, mirabilius confirmata.

Sed hæc Gregorij à Patherio etiam collecta, allegoricè dicta esse perspicuum est.

HVGO in Summa Sententiarum, tractatu tertio, capite primo.

In principio creaturarum, creauit Deus Cœlum & Terram, idest Angelos; & Terram, scilicet illam materiam

teriam quatuor elementorum adhuc confusam, quæ dicta est Chaos.

ISIDORVS de Summo bono, libro tertio, capite duodecimo.

Ante omnem creaturam, Angeli facti sunt, dum dictum est, Fiat lux.

MAGISTRVM Sententiarum hoc ipsum arbitratum esse, clarè patet ex eius verbis: Nam in libro secundo, distinctione duodecima, hæc habet.

Gen. 1. *Cùm Deus in sapientia sua Angelos condidit spiritus, alia etiam creauit, sicut ostendit supradicta scriptura Genesis, quæ dicit; In principio Deum creaße Cœlum, idest Angelos; & Terram, scilicet materiam quatuor elementorum adhuc confusam, & informem, quæ à Græcis dicta est Chaos: & hæc fuit ante omnem diem.*

Collegi horum Patrum obtestationes, quanquam aliàs memoratas, ne in eis inquirendis, molestia lector afficeretur.

Verùm ex aduersa parte non deest numerosa classis Patrum, qui, & omissam à Mose Angelorum emolitionem arbitrentur, & huiusce prætermissionis caussam reddant.

Catena Patrum, prætermissam Angelorum mentionem, arbitrantium.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Erat enim aliquid, vt videtur, & ante hunc Mundum, quod mente quidem percipi potest, omissum est autem, neque de ipso quidquam est dictum; propterea quòd qui initiantur, adhuc vt paruuli, ad cognoscendum inepti sunt.

Hom. 2. in Gen. CHRYSOSTOMVS illustri certè oratione, & Angelos omninò fuisse omissos, & duas huiusce rei exposuit caussas. Ait enim.

Et vide quantum docendo nostræ paruitati se attemperat. Nihil de inuisibilibus virtutibus disserit, neque dicit; In principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos. Non simpliciter, neque temerè hanc nobis doctrinæ viam parauit: Iudæis enim loquebatur, qui toti præsentibus rebus inhiabant, neque spirituale quicquam comprehendere valebant. Itaque eos à sensibilibus ad cognoscendum Vniuersi opificem inducit, vt ex creaturis fabricatorem Mundi discentes, adorent Creatorem omnium, & non in creaturis ipsis permaneant & quiescant. Nam cùm licet hæc ita facta sint, non intermiserunt ex creaturis Deos facere, & diuinum honorem fœdissimis brutis exhibere: in quam non amentiam incidissent, ni tanta erga nos humilitate, & attemperatione fuisset vsus? Nec mireris dilecte, quòd Moyses hac via incesserit, qui in principio, & in præludijs, crassioribus loquutus est Iudęis; quandoquidem Paulus quoque tempore gratiæ, cùm tantum prædicationis esset incrementum, disputaturus cum Atheniensibus, à visibilibus doctrinam cœpit, & eis sic dixit; Act. 17. *Deus qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic Cęli & Terrę cùm sit Dominus, non in manufactis habitat Templis, nec humanis manibus colitur. Et ideò, quia talem eis congruere sciebat doctrinam, hanc docendi uiam arripuit. Ad eos enim qui suam suscipiebant doctrinam, à spiritu ita dirigebatur, & docebatur. Et vt scias huius caussam fuiße personarum varietatem, & auditorum crassitudinem, audi illum ipsum:* Colos. 1. *Ad Colossenses enim epistolam scribens, non hac ambulat via, sed aliter cum eis loquitur, & dicit; Quia in ipso creata sunt omnia, quæ in Cęlis sunt, & quæ in Terra, visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per illum, & in illum creata sunt. Ioannes autem tonitrui filius clamabat, dicens;* Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. At non sic Moses, & meritò.*

Et Sermone de Ieiunijs, & Geneseos lectione.

Quid hæc epistola per Mosem nobis directa contineat, videamus; In principio inquit, creauit Deus Cœlum & Terram. Requiris forsitan, cur non prius de Angelis nobis, vel Archangelis indicat. Si enim ex frequentia, & magnitudine creaturarum conditor intelligatur, multò magis ex Virtutum Cœlestium conditione potest agnosci. Magnum est Cœlum, sed non ita vt Angelus: Decorus est Sol, sed excelsior Archangelus. Et ideò excelsam illam & arduam viam relinquens, per hanc planiorem & humiliorem, nos ad rerum scientiam ducit. Considera enim qui erant, quibus hæc recitabatur Epistola: nonne illis qui educebantur ex Aegypto, ubi Dei cultum in Crocodilis haberi, & Canibus, ac Simijs viderant? Non ergo consequens videbatur, eos tunc per excelsiorem viam ad agnitionem Conditoris adducere: & ideò ista planiore, & faciliore vtitur, Cœlum eis, terramq; ostendit, & Mare, atque omnem visibilem creaturam.

THEODORETVS in Genesim, quæstione secunda.

Quamobrem non meminit creationis Angelorum? Qui lege regebantur, solidæ, vel constantis fidei nihil habebant. Mox enim post plura, & ineffabilia miracula, imaginem Vituli Deum designauerunt. Quod si tam facilè sibi Deos finxerunt è iumentorum simulacris, quid non perpetraturi fuißent, inuisibilis naturæ notitiam aßequuti? Huiusce rei gratia, Deus vniuersitatis conditor, neminem veterum alloquutus est per Angelum, vsque ad tempora integerrimi Abrahæ.

ATHA-

ATHANASIVS in Quæstionibus ad Antiochum Principem, quæstione prima.

Vnde declarari potest, quòd creati sint Angeli? Nam in libro Geneseos id non memoratur. Resp. *Cùm nosset Deus esse Iudęos ad Idola, & multorum Deorum cultum propensos, eius rei gratia abscondit in Genesi hanc rationem de Angelis, ne & illos Deos facerent, qui Vitulum & alia quędam deificauerant, quasi Dij essent. Quòd verò creati sint Angeli, audi Dauidem Prophetam dicentem; Laudate eum omnes Angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Psal. 148.

HIERONYMVS in Epistola ad Cyprianum, quæ est centesima trigesima nona, hoc ipsum asserit, dicens.

Mosis ore, creationem Mundi, & eorum dumtaxat, quæ visibilia sunt, conditionem hominis, & omnis retro historię didicimus veritatem.

CYRILLVS contra Iulianum libro tertio, inquit.

Sed Mosem nihil scripsisse de Angelorum natura inuenitur, inquit; At non oportebat dicere ea, quę intelligi nequibant. Nam si verum est, quòd ea quæ in manibus, reperimus cum violentia, vt scriptum est, & ipsa sensibilium, & imaginabilium inquisitio, nostris mentibus ferè inaccessa, quomodo quis diceret ea, quæ super sensum, & separata, cognitionem vltra nostram rationem sortiuntur? Etenim genitos esse quomodo dubitaret quis, cùm ministros eos nominet, & alterius nutibus, quasi necessitate subiugatos? Seruum enim omne quod sub iugo, liberumque natura omninò nihil, quod dicitur ministrare. Psallit item diuinus Dauid; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Psal. 103.

PROCOPIVS Gazæus in Præfatione Commentarij in Genesim, ait.

Verùm enimuerò, antequam oratio nostra per partes decurrat, Lectorem admonendum existimaui, Mosem non totius operis à Deo effecti, hoc loco mentionem fecisse. Haud enim nominauit Angelos, vel eas substantias, quæ solo intellectu apprehenduntur. Nec tamen desunt, qui audent aßerere prædictas substantias ante Mundi fundationem à Deo esse creatas. Sunt & alij, qui pronunciant simul cum Mundo produxisse omnia entia, quæ sub sensum, & quæ sub intellectum cadunt: Nam vnà cum Cœlo Angelorum sede, etiam Angelos conditos esse. Quemadmodum enim non posuit aërem, vel ignem, vel extremis, vel summis media coniunxit; ita licet nullibi nominatim Angelos nuncupet, attamen sub Cœli nomine, quod Angelos continet, etiam Angelorum creationem nobis cautè insinuat. Verùm quam huius rei annotabimus caussam? Si enim ex pulchritudine creaturarum, Opificis excellentia cognoscitur, & visibilibus creaturis præstantiores sunt inuisibiles: quare non potius has nobis proposuit? Dicas; Scio, harum creationem consultò transiliuit, vt credamus Angelos esse increatas substantias. Absit; eadem enim ratio persuaderet, etiam elementa non esse condita: siquidem & horum creationem nullibi explicat. Cæterum quare mentionem harum rerum intermiserit, ego dicam: Cum Iudæis balbutientibus balbutiebat, illa sola memorans, quæ non supra captum ipsorum esse iudicabat. Nullum inter Mosem & puerorum Doctorem discrimen videas. Prima enim verę Religionis elementa populo suæ fidei commisso tradidit, haud ignorans, vbi hæc didicissent, affuturos alios Doctores, qui ad altiora mysteria ipsos essent deducturi. Arbitrabatur etenim Iudęos hisce elementis, seu gradibus vsos; tandem audire posse doctrinam abstrusiorum mysteriorum.

STEVCHVS præcipuè libro de Rebus incorporeis & inuisibilibus, hæc fatur.

Positum igitur sit primum, ideò Mosem creationem Angelorum non prodidisse, etsi maximum erat, plenumq; diuinitatis, vltra mundanas mentes mysterium, quia vel non esset necesarium, vel altissimum, nimiumque captum humanum excedens, & rudi populo penè incomprehensibile.

AVCTOR.

Mihi de hac inter Patres disceptatione, iudicium allaturo, illud primò diffiniendum est; non ineptè D. Augustinum, ac eius sectatores, Angelos Cœlum per metonymiam interpretatos esse; analogia certè inter Cœlos, & Angelos maxima, atque perspicua, quam Vielmius eleganti oratione prosequutus est. Assero quapropter & ego, Angelos etiam eleganter, ex metaphorico sensu, hac voce translata lucem nuncupari posse; tum quia & natura, & gratia, & scientia, & gloria splendidissimi cùm sint, quadruplicem splendoris nitorem præseferunt; tum quòd lucem inhabitant inaccessam, Empyreum nempe Cœlum fulgentissimum. Verùm duplici de caussa eam interpretationem reiiciendam existimo. Primùm, quoniam etsi Poëtarum munus sit metaphoris, ac translationibus vti, quò magis rem ipsam extollant, poëmataque, ac orationem suam exornent; eorũ tamen, qui annales scribendos desumunt, & historias contexunt, partes sunt, eas paruipendere, atq; omninò negligere: nam obscũriorem, suspectam, fucatamque historiam reddunt, & non modicum fabularum apparatum præseferunt. Deinde quia

Lux metaphorice potest significare Angelos.

Lux literali sẽsu minimè Angelos significat.

quia imperitiæ, inconstantiæque notam Moses non effugisset, si nomine Cœli, lucisque Angelos significasset; quoniam hac breui admodum conditarum rerum historia, ac genesi, has dictiones Cœlum, diem, noctem, vespere, mane, lucem, & tenebras, modo metaphoricè, modo proprio sensu eas sumens, ad diuersas, aduersasque distraxisset significationes. Quibus & addi potest; si Hebræo populo admodum rudi, ac crasso, de Angelis scientia obscura, difficilis, ac supra captum ex se erat, atque ob id sanctum Vatem silentio eam obruisse senserunt tot Patres eximij: quomodo non multò obscurior, imperceptibiliorque eidem populo reddita fuisset, si metaphoricis verbis ipsi penitus inusitatis, atque ignotis Moses eam explicasset?

Cur Moses de Angelorũ creatione nõ loquatur.

Amplius ex Patrum deducta Catena, cur Moses Angelorũ genesim opportuno, ac tẽpestiuo obuoluerit silentio, duas potissimum caussas excerpere possumus. Prima est ea, quam Basilius, Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, ac plurimi prodiderunt; Mosem, scilicet Hebræis in Aegypto, ac deserto degentibus, vt rudibus, obesique ingenij, & omni prorsus eruditione carentibus altiora mysteria nõ capientibus, tantùm sensilis huius Orbis historiam tradidisse: præbuitque Hebræis Moses, vt rectè adnotauit Chrysostomus tanquam nutrix lac, & tanquam Pædagogus elementa prima pueris ægrè solidum cibum, ac grauissimas res ferentibus: quæ caussa ab omnibus ferè Doctoribus læto animo, hilarique consensu excepta est, atque amplexata. Altera est, quam Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, atque Athanasius recensuere: Mosem de Angelorum natalibus historiam nõ contexuisse, ne Iudæis ad Idololatriam propensis, ac procliuibus, ipsã tã præcellentẽ, ac sublimem substantiam obiiceret, veritus, ne eorum eminentis status veneratione ducti in Idololatriam ruerent, ac diuinos eis honores, obsequiaque impenderent. Hæc Patres.

Cæterum recentiores Doctores, Tostatus, Vielmius, Pererius, secundam hanc à Patribus assertam caussam maximè infestant. Primum, quoniam constat Mosem sæpenumero Angelorum meminisse, in hac rerum à suis maioribus gestarum historia. Deinde, quoniam & eorũ ministeria, & præsidia experturi essent, maximè cùm per deserta, Terram Patribus promissam peterent. Amplius, quia Angelos fuisse à Deo creatos enarrare augustam fecisset Dei omnipotentiam, & Angelorum existimationem tantisper extenuasset: Quapropter ad eos colendos non adeò præcipites Hebræi corruissent. Postremo tandem, quoniam non tantum Hebræis, verùm & nobis, & quampluribus eruditis, hæc historia mandabatur; de quibus verendum non erat, quòd illis futura esset occasio in errores decidendi, quin potius ad magnificandam Dei conditoris gloriam, maximum ipsis, ac perenne monumentum extitisset.

Defensantur Patres contra recentiores.

Verùm pro Patribus pugna sumpta, dicerem; quòd licet Moses crebram de Angelis post egerit mentionem, non æqualis certè fuit commemorationis modus, & mentionis series; & quidem sæpius repetijt Angelorum in hominum ministerium, studium, & obsequium gesta, nunquam prorsus eorum dignitate reserata, ac celebrata; vt inde erubescerent homines Deo contempto illos suscipere, ac colere, qui Dei iussu ipsis deseruirent, & tot eis beneficia impenderent. Atqui eorum conditionem, ac genesim, si expo suisset, certè effugere nequiuisset Moses, quin eorum naturæ sublimitatem, præstantiã, ac dignitatẽ, licet nõ disertè, concisè saltẽ nõ memorasset, ac celebrasset: ex quo in stuporem ducti Hebræi propensius fortè in eorum cultum corruissent. Deinde quamuis de conditione Angelorum historia, augustiorem fecisset satoris Dei amplitudinem, ac dignitatem, non modicumque extenuasset eam, quam habere poterant Hebræi de Angelis ipsis existimationẽ, parum attamen Iudæis profecisset; qui Vitulum cõflatilem, ac pecudes, quas à Deo creatas ex Mosis historia didicerant, turpiter colere non erubuerunt. Tandem licet posteris tàm sapientibus, quàm insipientibus mandaretur Mosis historia, primo tamen loco ex præscripto à Mose sibi scopo, ac instituto, Hebræis contexebatur, vt cuius legem, ac cultum contendebat Moses in eorum corda imprimere, Dei omnipotentis studium nunquam erga illorum maiores infractum extolleret, celebraretque. Quare, pace tantorum virorum, non ita subfrigida hæc delata à Patribus caussa, censeri atque æstimari debet.

Non paruifaciendum etiam duco, Mosem de genesi Angelorum perspectè scribere præterijsse, eorumque natalia suppressisse, atque occultasse, eò quòd aliena prorsus à suo fero scopo, ac intentione videretur. Nam cùm Moses Dei afflatu Hebrços ad Christum, tanquam ad humani generis Reparatorem, legibus, ceremonijs, vmbris, & figuris præpararet; ob id egregiè Mundi sensilis, & hominis, qui à Christo reparandi erant, natalia recensuit; Angelos verò reticuit, quorum futurus non erat Christus Reparator, Redemptorq;. Cumq; Hebraicæ gentis stemmata, ac res vetustas enarrare suscepisset, alienum certè fuisset de Angelorum ortu, quin & de lapsu, ac cæteris eorum euentibus insignibus, ac memorandis historiam contexere; Quare quemadmodum de ortu, ita prorsus & de lapsu Angelico, nil, vel parum admodum, conciseq; & subobscurè in Sacra Scriptura proditū est, eaq; sola de Angelis ac Dæmonibus insita, ac interposita sunt, quæ ad Hebraicæ prosapiæ, Heroumque præclarorum gesta, quoquo modo pertinere viderentur.

Angelorum creatio aliena erat à Mosis scopo.

Verùm cùm ea euicta sit veritas, Mosem Angelorum genesim in hac sua de rerum creatione historia suppressisse, atque occultasse; subsequitur alia quæstio, & anceps valde inter eos, qui conditionem Angelorum omissam arbitrati sunt: Num saltem eam Moses insinuauerit. Consentiunt autem ferè omnes, quòd Moses ex consequentia saltem (vt aiunt) eam innuerit, sed modum ac seriem, qua id Moses indicauerit, dissimili sententia proferunt. Patres cuncti, qui Mosis verba; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram, perpendentes, Cœli nomine Empyreum intellexere; si non dilucidè, & clarè, tacitè saltem, & obuolutè etiam Angelorum procreationem, tanquam in ipso conditi sint, inferri putarunt. Fuisse in hac acie visi sunt Philo, Clemens Papa, Origenes, Diodorus, Theophilus Antiochenus, Hilarius, Iunilius, Strabus, Beda, Anselmus, Hugo, Rupertus, Magister, Catherinus, & omnes ferè Scholastici, quorum assertiones per Catenas infra, vbi de Empyreo Cœlo negocium habebimus, sum relaturus. Neoterici, vt D. Thomas, ac eius sectatores, qui Cœli nomine Cœlos sydereos interpretantur, censent, quòd licet disertè Moses Angelorum commemorationem non expo suerit, luculenter tamen ex illatione eam intelligi voluerit. Nam ex eo quòd Cœlos, Solem, Lunam, & Stellas, vt essent in signa, & tempora, & dies, & annos, condita prodidit; ex consequentia & Intelligentias, motrices pręcipuè indicauit, cùm sine his omninò nec motus fieri, nec à motu Cęli tempus prodire posset: Sicuti etiam motus Cęli, & temporis originem ideo suppressit, eò quòd per consequentem intelligentiam cū Cęlo edita intelligi possent; quemadmodum aëris quoque, & ignis effectionem, seu genesim, nusquam apertè protulit, sed in extremorum corporum Cęli, & Terræ mentione commemoratā esse voluit, ex D. Basilij, Ambrosij, Damasceni, ac plurium Patrum sententia. Caietanus non tantùm ex his Angelos hac in emanatione insinuatos, opinatus est, sed illud Mosis dictum; Spiritus Domini ferebatur super aquas, ita interpretatus est, vt spiritus nomine, Angelos dilucidè significari voluerit, ac propterea non semel, sed sæpius ipsorū mentionem à Mose iteratam fuisse tradit. Prisci Patres, qui Cęli nomine, supremum Orbem interpretantur, nullam prorsus, nec apertè tra ditam, nec occultè insinuatam fuisse Angelorum conditionem dixere, vt Basilius, & Ambrosius.

Angelorum creatio an saltem tacite insinuata.

Quapropter his Patribus adhærens, sentio ego Mosem tantùm sensilis Mundi genesim narrare, nec Cęli nomine Empyreum intelligi, quare neque etiam ex consequentia ex eius enarrata creatione Angelorum mentionem haberi censeo. Neque ex motu Cęlestium orbium, Angelorum genesim cum Mundo effectam elici posse arbitror, tum quòd multo ante Angeli esse potuerunt, quàm mouendis Orbibus assignarētur; tum quòd licet mortales crasso quodam sensu peruolitantia sydera, Lunam, & Solem conspiciant; Orbes tamen virtute intelligentiarum cieri vix docti homines, syderumque scientiæ periti comprehendunt. Nam & plurimi non tantùm imperitorum, sed & Patrum Doctorum contrarium sentiunt; alij nanque sydera animata à se moueri existimarunt; alij non motu Orbium, sed vno in moto Cęlo Dei iussu sydera vagari crediderunt. Quapropter existimo ego omnem Angelorum etiam subobscurā insinuationem à Mose penitus opportuno inuolutam fuisse silentio, ac eruditos tantùm, scientijsque prędi- tos,

Angelorum creatio nec ēt insinuata à Mose.

Angelorum creatio aliena extra Mosis scopo.

tos, maximè si Peripatetici erunt, ex consequentia eam excerpere, quasi extra Mosis intentum, posse arbitrarer. Et de his satis.

De Genesi Empyrei.

Empyrei sublimis illius Orbis, Dei, ac Beatorum domicilij, cunctorum bonorũ affluentia insignis, perpeti fulgore nitentis, ab omnium malorum labe semoti, quem tam æstuanti animo anhelamus, genesim inuestigaturus, arduo me obstringi negocio & sentio, & fateor; cùm Patres, & Doctores in varias, disparatas, ac prorsus repugnantes sententias raptos comperiam. Nonnulli etenim nullam aliam esse Dei, ac Beatorum sedem dixere, quàm sydereos Orbes. Alij Deum extra Mundum, electis nulli corporeo addictis loco, Beatitudinem impertiri, propria imaginatione delusi censuere. Aliqui locum quendam coruscantissimum supra Mundi machinam, Beatorũ sedem reputarunt. Horum alij eum longè ante Mundum cum Angelis conditum fatentur. Alij in exordio emolitionis Mundi à Deo compactum cum Chaos existimarunt. Alij demum Empyreum non corpus esse aliquod conditum, sed æternam lucem à Deo perenniter manantem duxere. Ego, ut mei instituti postulat series, Catenas diuersarum sententiarum ingenue deducam; deinde quid ipse arbitrer, subijciam.

Sententię uariæ de Empyreo.

Angelorum creatio aliena extra Mosis scopo.

Catena Patrum, Sydereos Cœlos Dei, ac Beatorum esse sedem arbitrantium.

Patres omnes, qui Cęlestes orbes astris micantibus insignes, motu raptos sphęrico, Dei & Angelorum, Beatorumq; esse domicilium existimarunt; certè Empyreum Cęlum supernum, immotum, effulgens, non agnouisse visi sunt.

IVSTINVS Martyr in Admonitorio, seu (ut Ioachinus Perionius interpres dixit) in Oratione Parænetica; Platonem, ac Aristotelem Cęlos hos sydereos Dei domicilium existimasse, his narrat.

Nam Plato quidem tanquam è Cœlo delapsus sit, resq; Cœlestes omnes & accuratiùs didicerit, & acriùs viderit, summum Deum in ignea essentia esse vult. Aristoteles autem in libro, quem ad Alexandrum Macedonem scripsit, breuiter Philosophiæ suæ rationem exponens, apertè & perspicuè Platonis repellit sententiam, cùm ait, non in ignea essentia esse Deum, sed quintam quandam æthereamn naturam immutabilem fingit, in qua Deum esse censet: scripsit enim his ferè verbis; Non quemadmodum quidam eorum, qui in rebus diuinis errant, Deum in ignea essentia esse confirmant.

GREGORIVS Nyssenus libro de infantibus, qui præmaturè obripiuntur, inquit.

Cùm igitur in hæc duo diuisa sint omnia quæ sunt, in sensibile, inquam, & in id, quod per mentis agitationem, & cogitationem consideratur, & intelligitur, atque Angelica quidem, & incorporea natura (quæ ex inuisibilibus est) in supramundanis & supercœlestibus partibus domicilium habeat; propterea quòd ea sedes illi naturæ conueniens & accommodata sit; nam sicut natura intellectualis, tenuis quędam, pura, ponderis expers, & agilis est, ita corpus quoque Cęleste, tenue, leue, & semper mobile est.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto, ait.

Cœlum est circundatio visibilium creaturarum, & inuisibilium: intra enim ipsum, & intellectuales Angelorum virtutes, & omnia sensibilia concluduntur, ipsoq; determinantur ambitu. Solus enim Deus incircumscriptus est, omnia implens, omnia continens, & omnia ambiendo terminans, vt super omnia existens, & condens vniuersa.

Angelorum existit locus Cœlum sidereum.

CYRILLVS Hierosolymitanus, Cathechesi tertia.

Angelorum habitaculum est Cœlum, atque ex aquis sunt Cœli.

Cùm autem Cœlum ex aquis conflatum, secundum Patrum assertiones astrigerum hoc Cęlum esse existimetur, manifestè constat, Cyrillum Cęlos hos sydereos Angelorum regiam existimasse.

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta, in caput tertium Matthæi.

In Cœlo celatur Deus. Hoc Cœlum corporale, omnes quidem homines vident, non autem aspiciunt Deum inhabitantem in eo.

LACTANTIVS Diuinarum Institutionum libro secundo, capite decimo.

Fecit igitur Deus primum omnium Cœlum, & in sublime suspendit, quod esset sedes ipsius conditoris; summ verò

verò habitaculum distinxit claris luminibus, & impleuit, Sole, scilicet, Lunæque orbe fulgenti; & astrorum micantibus splendoribus adornauit.

HIERONYMVS Commentariorum in Esaiam Prophetam libro decimotertio, capite quadragesimo quinto.

Ego enim sum Deus, qui non in vacuum creaui terram, vt esset deserta, & squalida; sed vt homines habitarent in ea. Ego extendi, siue firmaui Cœlos, vt Angelorum essent habitaculum: Stellarumque eos varietate distinxi; & imperaui singulis, quo currerent ordine, & dierum, ac mensium, annorumque diuersa spatia complerent.

Consimilia plures Patres prodidere; quibus visi sunt, si eorum dicta non pie exponantur, nullum Cœlum supra sydereos Cœlos attigisse, ac propterea Empyreum non cognouisse.

Sententia, nullo in corpore Beatos degere, ac nullum Empyreum extare asserens.

CAIETANI audacior est sententia, quam & Catherinus enarratione in Genesim, sub verbo, Cœlum: & Vielmius lectione tertia memorant, & reijciunt. Hic nuperrimè, (quod nullus Patrum, aut Doctorum affirmare ausus est) nullum Empyreum extare; sed Deum, vltra Mundi machinam, Beatis nullo corporeo in loco, suam impertiri fœlicitatem asseuerauit. Præcipuè autem in posteriorem Epistolam D. Pauli ad Corinthios; vbi inquit. 2. Cor. 12.

Vsque ad tertium Cœlum, hoc est, vsque ad supremum Cęlum, vsque ad locum, in quo Deus, & Beati habitare dicuntur, vsque ad Cœlestem Patriam. Appellauit autem locum illum summum, Cęlum tertium; quia in Sacra Scriptura trium Cœlorum mentio fit. Infimum est Cęlum aëreum, iuxta illud; Volucres Cœli. Medium est Cęlum Astratum, de quo in principio Genesis: & posuit eas in firmamento Cęli. Tertium, ac summum est aquę omnes, quæ super Cęlos sunt; cuius pluries Scriptura meminit, quod appellamus Cœlum aqueum, Philosophi verò appellant Primum Mobile; Empyreum siquidem Cœlum à posterioribus traditum, nullibi inuenitur in Scriptura.

His autem delusus est rationibus iste eximius aliàs Doctor: Tum quoniam nullibi Scripturæ Empyrei Cœli meminerunt: tum verò, quòd sine caussa, vt inquit, & absque ratione efficaci, prisci Patres illud in Ecclesiam inuexerunt; Etenim nec visu comprehenditur, ait, nec motu circumuoluitur: & Angeli incorporei sunt, multoque magis eorum conditor Deus: quare superuacaneum est, locum eis assignare. Ita Vielmius, Caietani placitum, lectione tertia, restrinxit. Sententię Caietani fundamenta.

Catena, ac classis Vatum gentilium, Regiam aliquam supernam habitationem Deo attribuentium.

Cæterum supra Lunam, Solem, cunctasque inerrantes Stellas, ac omnem Orbem motui obnoxium, Cœlum aliud existere immotum, fulgentissimum, sacerrimum, incorruptibile, inalterabile, incommutabile, atq; hoc esse Dei Regiam, Angelorum, Beatorumque omnium habitationem, ac domicilium perpetuum, fortunatasque sedes, Poëtæ, priscique Gentilitatis Vates, etsi subobscurè admodum, aliquo tamen modo subodorarunt: Patrum rursus immensa classis apertè edocuit: antiquissima, receptissimaque traditione Ecclesia excepit: Doctores euidentibus demonstrationibus comprobarunt. Videamus igitur primo, quid Vates sæculi subodorarint, idque ex oraculis nostris, hoc est, ex nostris Patribus depromamus.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro quinto: Orpheum vetustissimum antiquitatis Poëtam de Empyreo scripsisse paraphrasticam ferè scripturarum sententiam tradidit, dicens.

Deinde illud subiungit; Cęlum mihi est sedes, Terra autem scabellum pedum meorum. Esa. 66.

Ipse autem in magno constans & firmus Olympo est.
Aureus huic Thronus est, pedibus subiectaque Terra.

Homerus item, *Semper vbi sedem firmam dixere Deorum*
Esse, neque hæc ventis quatitur, neque spargitur imbre,
Non nix albescit, sed semper lucidus æther:

Nubibus insuetus, nitida & circumuolat aura.
Virgilius Ecloga quinta. *Candidus insuetum miratur limen Olympi,*
Sub pedibusque videt nubes, & sydera Daphnis.
Idem Aeneidos, libr. decimo. *Panditur interea domus omnipotentis Olympi,*
Conciliumque vocat Diuum Pater, atque hominum Rex,
Sydeream in sedem, Terras vnde arduus omneis,
Castraq; Dardanidum spectat, populosque Latinos.

IVSTINVS in Admonitorio, siue in Oratione Panegyrica ad Gentes, de supremo inspectabili Cœlo, hoc idipsum sensisse Platonem contestatur, inquiens.

Eodemque modo de Cælo, quod ortum est, illud quidem Cælum, quod effectum est, existimauit esse id quod factum sub sensum cadit: alterum autem esse, quod intelligentia & ratione comprehenditur; de quo Propheta ait; Cælum Cæli Domino, Terram autem filijs hominum dedit. Psal. 113.

EVSEBIVS de præparatione Euangelica libro vndecimo, capite decimonono, cœlestem terram cognouisse Platonem refert; quoniam ait.

Matth. 5. *In repromissionibus Scripturæ, solis pijs Terram quandã reseruari fertur, secundũ illud; Mites autem hæreditabunt Terram. Hæc verò Cęlestis est, quam Propheta ex pretiosis lapidibus allegoricè constare significat,* Isa. 54. iuxta Sept. *dicens; Ecce præparo tibi carbonem lapideum, & ponam pinnacula tibi ex Iaspide, & fundamenta ex Sapphiro, & circuitum tuum ex lapidibus electis. Considera quomodò ipse quoque Plato similia in libro de Anima, ex persona Socratis scribit; Glauci artificium, inquit, non posset exponere quæcunque ibi sunt: ego autem etiam, si possem, ò Simmia, vita tamen mihi non sufficit; nihil tamen prohibet formam illius terræ, vt mihi quidem videtur, breuiter explicare. Satis hoc est, Simmias inquit. Credo igitur, Socrates addit, quoniam est in medio Cælo rotundo, nihil sibi opus esse, ne cadat, nec aëre, nec vlla re alia. Deinde maximam rem quandam esse, nec huic similem, in qua tanquam in sterquilinio formicas, aut in palude ranas, homines video habitare. Et post pauca; Ipsam verò Terram mundam in Cælo mundo, vbi Stellæ sunt, positam esse credo. Et progressus; Si natura, inquit, humana, illa posset superiora perspicere, cognosceret ibi esse verum Cęlum, veram lucem, & veram Terram. Hæc enim Terra, & isti lapides, & omnia quæ hic sunt corrupta, exesaque sunt, quemadmodum ea quæ prope mare sunt, à salsedine maris.* Et Post. *Socrates, inquit, talem illam Terram esse, siquis totam ab alto prospiceret, qualis esset duodecim coloribus exornata sphæra; quorum isti colores, quibus Pictores abutuntur, quasi feces sunt. Ibi autem vniuersam illam Terram à fulgentioribus, & melioribus esse depictam, atque aliam partem eius cęruleam, aliam auream, aliam albam multo albiorem niue, & ex alijs coloribus, alias mirabili pulchritudine coloratas, & vltra quàm oculus hominis perspexerit. In tanta igitur, talique Terra, proportionabiles arbores nascuntur, flores & fructus proportionabiliter ferentes montes quoque, collesque sunt, & lapides in simili proportione; quorum quasi particulæ isti lapides sunt, Sardius dico, Iaspis, Smaragdus, & similes, quibus multo meliores illi sunt. Nihil enim boni est, quod ibi non sit.*

STEVCHVS in libris de incorporeis & inuisibilibus rebus Aristotelis sententiam recenset, quam idem Aristoteles in libris de Mundo, siue Theophrastus melius & clariùs explicauit, inquit.

Deus in supremo Cælo habitat, qui & Olympus dicitur, quasi ὁλολαμπὴς, totus lucens ab omnibus tenebris, & inordinato, incompositoque motu sepositus, cuiusmodi sint apud nos, tempestates, venti, & turbines. Et post. *Attestatur etiam & tota vita dans supremam regionem Deo, ex quo & manus porrigimus in Cælum deprecantes: qua ratione non male ille cecinit; Iupiter accepit latum Cælum, æthera, nubes. Sic ille. Ex quibus Homeri, & Aristotelis verbis significatur, declaratur, ostenditur quod sentiunt Christiani, qui solent vsurpare, & dicere Cælum Empyreum, idest igneum, lucidissimum, fulgentissimum.*

Quibus ex affatis, Vates, Philosophosque Gentilitatis nostrorum iudicio, Empyreum in latebris quoquo modo conspexisse, perspicuum est. At classis immensa Patrum & vetustate, & auctoritate præstantissimorum, Regiam Dei, dictam Empyreum, supra astrigeros, motuque raptos orbes comperiri mirifico consensu docuit, ac statuit; sed de eius genesis tempore non vtique inter eos conuenit.

Classis Patrum, Empyreum in exordio emolitionis Mundi productum, tradentium.

Gen. 1. Patrum, ac Doctorum classis, qui, Cœlum illud cum Terra conditum: de quo Moses; In principio creauit Cœlum: interpretantur fuisse Empyreum, in exordio temporum cum hoc Mundo, seu cum Chaos illo prisco ipsum emanasse arbitrantur. Ex his plures selegi: & nonnullorum obtestationes alias recitatas, ad hanc amplificandam Catenam, adieci.

PHILO de Mundi opificio, de Cęlo primo condito, inquit.

In principio fecit: idem valet, quòd primum fecit Cœlum. Est enim reuera consentaneum rationi primum in generatione illud prouenisse, cùm sit præstantissimum ex his, quæ facta sunt, & è purissima constet essentia; quamobrem Deorum tam non apparentium, quàm sensui patentium, destinatum est domicilium sacratissimum.

CLEMENS Papa, ex D. Petri ore, Recognitionum, libro primo.

Iam verò aqua, quæ erat intra Mundum, in medio primi illius Cœli, Terręq; spatio, quasi gelu concreta, & chrystallo solidata, distenditur: & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media Cœli, ac Terræ spatia, idq; firmamentum, Cœlum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum: & ita totius Mundi machinam, cùm vna domus esset, in duas diuisit regiones. Diuisionis autem hæc fuit caussa, vt superna regio Angelis habitaculum, inferior verò præberet hominibus.

Et libro secundo.

Cœlos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit, quorum vnum sit superius, quo continetur visibile firmamentum: illud esse perpetuum, & æternum cum his qui habitant ibi; istud autem in consummatione sæculi resoluendum esse.

Et libro octauo.

Quòd autem alius sit inuisibilis Mundus, qui hunc visibilem intra seipsum continet, patebit, cùm de visibili Mundo disseremus, & ad illum veniemus.

Et libro nono.

Ego Clemens dicere ita cœpi; Deus per Filium suum creauit Mundum, tanquam duplicem domum: interiectu firmamenti huius, quod Cœlum appellatur, distinctam: & in superiori quidem Angelicas habitare virtutes: in isto autem visibili Mundo, nasci hominum multitudinem dedit.

ORIGENES clariori oratione Periarchon libro secundo, capite nono, ait.

Totum hoc Mundus vocatur, in quo quædam dicuntur esse supercœlestia, inhabitationibus beatioribus posita, & corporibus cœlestioribus, ac splendentioribus. Et in his ipsis multæ differentiæ ostenduntur: sicut verbi caussa, etiam Apostolus dicit; Quòd alia sit gloria Solis, alia Lunæ, alia Stellarum: Stella enim à Stella differt in claritate. 1. Cor. 15.

Et in Genesim, Homilia prima. Isa. 66.

Fecit Deus Cœlum prius, de quo dicit; Cęlum mihi sedes est: post illud autem firmamentum fecit, idest corporeum Cęlum.

AVGVSTINVS enarratione in Psalmum centesimum vigesimum secundum.

Sunt autem iam Cœli, in quibus iam per speciem habitat Deus, videntes eum facie ad faciem: omnes Sancti Angeli, omnes sanctæ Virtutes, Potestates, Sedes, Dominationes, Hierusalem illa cœlestis, vnde peregrinando ingemiscimus, & quam desiderando oramus: Ibi habitat Deus. Illuc leuauit iste fidem, illuc ascendit affectu desiderando: & ipsum desiderium facit animam desudare sordes peccatorum, & mundari ab omni labe, vt fiat & ipsa Cęlum, quia leuauit oculos ad eum, qui habitat in Cœlo. Nam si Cœlum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei; quia Cœlum, & Terra transient. Deinde, antequam faceret Deus Cęlum, & Terram, vbi habitabat? In se habitabat Matth. 24. *Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.*

DIODORVS Tarsensis, quem Chrysostomi fuisse præceptorem tradunt, inquit.

Post visibiles, ac intellectu præditas substantias, Deus Cœlum statim vnà cum Terra fabricatus est, non illud quod aspectabile est, sed quod super omnes Cœlos, & quod Dauid Cœlum Cœli nuncupare solet. Psal. 113.

IVNILIVS, D. Hieronymum illud Prophetæ exponentem In Cœlum ascendam, super sydera Cęli exaltabo solium meum, inducens, inquit; Isa. 14.

Sanctus Hieronymus meminit & superioris Cœli, ita scribens; Et antequam de Cęlo corrueret, ista dicebat: & postquam de Cęlo corruit. Si adhuc in Cęlo positus, quomodo nunc dicit, In Cęlum ascendam? sed quia legimus, Cęlum Cęli Domino: cùm esset in Cęlo, idest firmamento; in Cęlum, vbi solium Domini, cupiebat ascendere, non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de Cœlo corruit, ista loquitur verba, arrogantiam debemus intelligere: quòd nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat, non vt inter Astra, sed super Astra Dei sit.

THEOPHILVS Antiochenus, ad Autolicum libro secundo.

Primo autem loco, vbi Scriptura Sacra tractat creationem, seu Mundi generationem, non loquitur de isto firmamento visibili, sed alud quoddam Cęlum nobis inuisibile proponit, secundum quod, visibile hoc firmamentum nuncupatum est.

HILARIVS enarratione in Psalmum centesimum trigesimum quintū.

Sed cum regionem cognitionis suæ, qui infinitus est collocaret, Cœlo superiore, atque primo, eodemq; in orbem collocato: terminum quendam virtutibus, quæ primum ad cognoscendum se gignerentur, inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuißent, nisi naturæ temperatioris obiectu, sedem hanc moderatè ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis etenim eleuatis, illam ipsam primi Cæli naturam temperauit, quæ superni Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cœlum verò inferius non vniforme, sed multiplex tetendit: quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemq; aëris nostri firmitate solidauit.

ANASTASIVS Synaita, Commentarij in Hexæmeron libro secundo.

Duorum ergo Cęlorum tantùm fabricationem didicimus ex Sacra Scriptura, in typum, ac figuram duorum Velorum Templi, quæ significant duas naturas Iesu; & duorum populorum, & duarum Ecclesiarum, supernæ, inquam, Hierusalem, & nostræ fidelium. Quod enim superiori Cęlo Deus est ad lumen, hoc Cęlo inferiori est Sol, & firmamento Ecclesiæ Euangelium. Et quod sunt sancti Angeli in Cœlo, quod non cadit sub aspectum, hoc sunt & in firmamento stellæ, & in Ecclesia Sancti. Si autem in Hymnis Dauidicis audias etiam Cęlos Cęlorum, hoc est, proprietas linguæ Hebraicæ, quæ singulare sæpe nominat in plurali. Quando autem audis Paulum raptum ad tertium Cęlum, primum Cœlum existima esse aërem; congruenter ei quod dicitur; Noui omnes volucres Cęli, hoc est, aëris: Deinde secundum Cœlum, Stellarum: & tertium, supremum Cœlum Angelorum. Etenim in exteriori parte Templi stabat magna multitudo Israelis: in interiorem autem solum ingrediuntur Sacerdotes: in eam autem, quæ est intra secundum Velum, solus Pontifex. Quomodo etiam in Cœlis inuenies, in exteriori quidem Cœlo, & quod est apud nos, in firmamento, inquam, aëreo, volucrum genera simul versari; quæ significant gregalem Israelis multitudinem. Intra firmamentum autem quod apparet & ingredi, & degere, & seruire, ac colere intelligentes Potestates, & fortè etiam iustorum animas. Supra secundum Cœlum (quodnam sit autem non intelligo) hoc est secundum Velum, nemo est ingressus, nisi solus verus Pontifex Christus, qui est Pontifex secundum ordinem Melchisedech: Superius autem Cęlum, existimo esse sinus Paternos.

2. Cor. 12.

PROSPER expositione in Psalmum centesimum tertiumdecimum.

Deus autem noster in Cęlo sursum, & super terram, omnia quęcunque voluit, fecit. Non in Cœlo, vbi Solem, & Lunam vident, qui creaturam colunt, sed in Cęlo sursum, quod transgreditur omnia corpora Cęlestia, & terrestria, quanquam nec in ipso ita sit, vt sine ipso esse non possit.

SEDVLIVS Scotus Hyberniensis in collectaneo Epistolæ ad Romanos, super ea verba; Spes quæ videtur, non est spes.

Rom. 8.
1. Cor. 2.

Nihil est ergo prorsus sperandum in futuro de his, quæ videntur. Oculus enim non vidit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum. Videt autem oculus Cęlum & Terram. Non ergo oportet hoc quod videtur, credi præparatum esse à Deo his, qui diligunt eum, sed Cęlum quidem, immò potius Cœlos multò eminentiores, & celsiores, quàm est istud firmamentum, quod videri potest. Et Terra speranda est, non tamen hæc arida, quæ oculis subiacet, sed illa erit mansuetorum terra, quam oculus non vidit.

Cæterùm, quòd hi Patres obuoluto sermone, nullo declarato nomine, atque ea orationis ambiguitate disserunt, vt quodnam Cęlorum, num scilicet supremum astriferorum orbium, Empyreum esse intellexerint, non clarè appareat: clariori oratione

STRABVS Empyrei nomine excogitato (Strabus quippe, ac Beda, non auctores, sed disseminatores censendi sunt) expressit, dicens.

In principio creauit Deus Cęlum & Terram. Cęlum autem non visibile firmamentum, sed Empyreum, idest igneum, vel intellectuale, dixit, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim repletum est Angelis.

BEDA in Hexæmeron, Iunilio adscripto.

Ipsum enim est Cœlum superius, quod ab omni huius Mundi volubili statu secretum, diuinæ gloria præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro Cœlo, in quo posita sunt luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus, Scriptura quomodo, vel quando sit factum, declarat. Non ergo superius illud Cœlum, quod mortalium est omnium inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & vacuum.

Et post multa, quāpluribus Angelis mox creatum expletum fuisse disseruit, adijciēs.

Sed nec tenebris in eo, vel abysso locus remanere vllus perhibetur, quod Dominus illuminat, & cuius lucerna est Agnus.

ANSELMVS Cantuariensis de Imagine Mundi, libro primo, capite vigesimo octauo.

Supra firmamentum est spirituale Cęlum, hominibus incognitum, vbi est habitatio Angelorum, per nouem ordines dispositorum. Et post. *Hoc est Cęlum, quod in principio legitur cum terra creatum. &c.*

HVGO

HVGO Victorinus noster in Sententijs, tractatu secundo, capite primo.

Nec appellamus hic Cœlum, firmamentum, quod secunda die factum est; sed Cœlum Empyreum, idest splendidum, quod statim repletum est Angelis, illam scilicet superiorem partem, vsque ad quam machina illa elementorum adhuc indistincta porrigebatur.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione secunda.

Nec appellatur hoc Cœlum firmamentum, quod secunda die factum est, sed Cœlum splendidum, quod dicitur Empyreum, idest, igneum, à splendore, non à calore: quod statim factum, Angelis est repletum, quod est supra firmamentum: & illud Empyreum quidam expositorum sacræ Scripturæ nomine Cœli intelligi volunt, vbi Scriptura dicit; In principio creauit Deus Cœlum & Terram.

RVPERTVS Abbas Commentarijs in Genesim, libro primo, capite sexto, inquit.

Iam quidem cùm audimus Cœlum, & Terram, animalis homo, qui nunquam in Cœlo conuersatus est, nec dicere potest cum Apostolo; Nostra autem conuersatio in Cœlo est: hic talis nec opinari potest, qualis habitatio Cœlum sit, vel fuerit, mox vbi creatum fuit; quippe cùm nec spiritualis homo, quantumcunque Cœlestia contempletur, dum viuit, sufficienter dijudicare possit, nisi quia magnus, & immensus locus, magna & spiritualis est Patris domus, in qua ab initio mansiones multæ paratæ sunt, Angelis beatis, ac sanctis hominibus; vbi localis est, & localiter sedet, secundum verum hominis corpus Pontifex summus, qui penetrauit Cœlos, Iesus Christus filius Dei. Et supra. *Scripturarum omnium vertex sublimis liber Geneseos, sic incipit; In principio creauit Deus Cœlum & Terram. Sanè Cœli nomine, inuisibilis illa sanctorum Angelorum Patria; Terræ autem vocabulo, visibilis iste Mundus designatus est.* Philip. 3. Cap. 1.

Albertus Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione quarta, articulo tertiodecimo, non tantùm Cœlum Empyreum fatetur, sed illud esse nobilissimum inter omnia corpora simplicia. Et articulo quartodecimo, esse vniforme coruscantissimum. Et quintodecimo, omnis motionis immune extare, ex sententia Magistrorum concludit.

ALEXANDER de Hales secunda parte, quæstione quadragesima septima, membro primo, tribus his rationibus euincit superlocatum esse Empyreum.

Dicendum, quòd Cœlum, quod dicitur Empyreum, est: & propter aliquam caussam. Caussa verò illa, non est ratione continuationis in generatione & corruptione, vel conseruationis in esse rerum corruptibilium; sed vt compleatur vniuersum in genere corporum, secundum determinata extrema, & medium, ad ostensionem summæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Extrema verò sunt luminosum in fine, & opacum in fine: luminosum autem in fine dicitur Empyreum. Præterea, licet spiritus separati à corporibus, non indigeant quantum ad suum esse aliquo corpore; tamen est congruentia alicuius corporis ad ipsos spiritus propter magnam conuenientiam. Præterea spiritus rationales, qui coniunguntur corporibus, cùm peruenietur ad incorruptionem corporum, congruenter collocabuntur in corpore, quod est vltimæ nobilitatis in vniuerso: eo quòd habebunt corpora illa maximam nobilitatem: & ante illam coniunctionem cum huiusmodi corporibus, ibi propter meritum suum congruenter collocantur.

Prosequiturque membro secundo, Cœlum Empyreum corpus esse continens, non saluans demonstrare; & membro tertio, ipsummet minimè moueri, sed tantùm esse ad sedem, & quietem beatorum agminum.

D. BONAVENTVRA libro secundo Senten. distinctione secunda, articulo primo, quæstione prima.

Ponendum est etiam illud Cœlum, quia persuadet ratio finis triplex. Vna est perfectio vniuersi, alia est propter motum firmamenti, tertia principalis propter habitationem hominis beati. Et quoniam finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem; propter perfectionem vniuersi, necesse est ipsum esse vniforme. Quia cùm sit Cœlum luminosum difforme, si non esset Cœlum vniforme, non esset vniuersum completum. Propter motum firmamenti, ponendum est ipsum immobile, vt motus mobilis fiat circa immobile, scilicet centrum, & intra continens immobile, & locum, scilicet Empyreum. Propter habitaculum hominis beati, ponendum est ipsum luminositatis perfectæ, vt habitatio congruat suo habitatori. Ex his ergo colligitur, quare sit factum, & cuius sit dispositionis inter alios Cœlos, quia vniforme, & immobile, & luminositatis perfectæ.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima sexta, articulo tertio, auctores Empyrei cùm præmonstrasset, rationē asserendi Empyrei, his verbis ostendit.

Potest autem conuenientior ratio sumi ex ipsa conditione gloriæ: expectatur enim in futura remuneratione duplex gloria, scilicet, spiritualis, & corporalis, non solum in corporibus humanis glorificandis, sed etiam in toto Mundo innouando. Inchoata est autem spiritualis gloria ab ipso Mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum æqualitas Sanctis promittitur. Vnde conueniens fuit, vt etiam à principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit absque seruitute corruptionis, & mutabilitatis, & totaliter lucidum: sicut tota creatura corporalis expectatur post resurrectionem futuram. Et ideò illud

Cœlum

Cœlum dicitur Empyreum, id est igneum, non ab ardore, sed à splendore.

Scholastici omnes, vno excepto Caietano, D. Thomæ succenturiari comperiuntur. GVLIELMVS Parisiensis libro de Vniuerso, Empyreum quietissimam sphęram in primordijs temporum cum terra conditum prolixiùs edisserit, prima primę partis à capite trigesimo primo ad trigesimum sextum; & post in quadragesimo tertio, hic tantus Doctor, quando, quo situ, quâ ex materia, qua serie, quibusque de caussis congestum sit Empyreum, non incompta oratione fusius tradit. Adeas Doctorum eximium.

Classis, ac Catena Patrum, Empyreum ante Mundum conditum existimantium.

Existimant nonnulli ex Patribus, ante sensilem hunc Mundum, alium extasse intelligibilem, & genesi anteriorem, & ætate diuturniorem, & substantia eminentiorem. Genesi quidem anteriorem illum astruunt, cùm longè ante hoc Vniuersum à Deo optimo extructum esse contendant: ætate diuturniorem; nam secundum ipsos, ante illi, si non æternitas, tempus saltem indefinitum annexum fuit, post verò perennitas ipsum comitatur: substantia tandem eminentiorem dicunt, quoniam luce fulgentissima est perfusus, atque Angelorum conditioni accommodatus. Pergunt deinde isti Patres asserere, Deum, cùm hunc sensilem Mundum sancito à se tempore compaginare voluit, in ipsius effectionis auspicatione, Cœlum supremum expandisse, qui primi, ac præstantissimi illius Mundi coruscantissimam lucem velaret ac obtegeret, Mundúq; hunc sensilem obumbraret, atque opacum redderet.

GREGORIVS Nazianzenus Theologiam hanc de duplici Mundo, carmine quarto, quod est de Mundo, egregiè his edisserit.

Iam duo sunt Mundi, quorum est antiquior alter,
Cœlum aliud, sedesque hominum tranquilla piorum;
Conspicuus solis animis, atque vndique clarus:
Ad quem cùm mentem, carnem quoque sordibus atris
Eluerint, virtusque illos æquarit honori
Cœlicolum, humanis aditus, sedesque patebit.
Alter at est fluxus, fluxis tum denique Mundus
Conditus, Omnipotens cùm iam proferre pararet
Et Solem, Lunamque & cætera sydera Cœli,
Atque hic mole sua nobis miroque decore
Prædicat æterni nomen, laudesque parentis.
Estque homini, quem nobilitat Cęlestis imago,
Primus & extremus, tanquam sua regia, Mundus.

Et Oratione in Christi Natiuitatem panegyrica, quæ est trigesima octaua.

Sic igitur, atque ob has caussas, intellectilis Mundus ab eo creatus est, quantum quidem ipse de his rebus philosophari queo, exigua oratione res magnas expendens. Postea quam autem primas creationis partes præclarè constitutas vidit, alterum Mundum materia constantem, & aspectabilem cogitauit, hanc nimirum ex Cœlo, & Terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem, & concretionem.

NICETAS quoque eo loco.

Sic inquit, intellectilis Mundus creatus est, hoc est primo ordine, & vnica cogitatione, atque ob has caussas, hoc est, non propter necessitatem, sed propter bonitatem solam; & quia bonum illud permanere, ac propagari oportebat. Postquam autem cęlestia ita creata, pręclareque constituta sunt, (nec enim aliter contingere poterat) Mundum quoque aspectabilem, atque ex materia constantem moliri, & efficere voluit. Est autem Mundus secundū Aristotelem, compages ex Cęlo & Terra, ijsq; naturis, quæ eorum ambitu continentur.

Similia ferè habent Oratione secunda in Pascha, quæ est quadragesima secunda, reiterata etiam enarratione.

ANASTASIVS Synaita Hexæmeron libro primo, hanc primæui, & secundi Mundi constructionem simul factam ex sententia eiusdem Nazianzeni arbitratur, & Mundum intelligibilem tantùm dignitate, vel exiguo momento præisse, recensitamque fuisse horum Mundorum molitionem, cùm Moses dixit; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram.

Dixit

Dicit enim, In principio fecit Deus Cęlum & Terram. Cœlum quidem, simul comprehendendo nominat omnes Cœlestes, & intelligentes, sanctarum virtutum & intelligentis Mundi constitutiones, vt intelligas supernum Mundum prius fuisse fabricatum, congruenter voci Theologi, quæ dicit; Primùm quidem mente cogitauit Angelicas virtutes & Cęlestes; & cogitatio opus fuit. Nunc autem rursus hunc Mundum sensilem, & qui cernitur, simul complexus; cum ipso Cęlo complectitur etiam omnia quę super terram cum homine facta sunt, & sunt; res inquam animatas, & inanimas. Nam cùm dixit; In principio fecit Deus Cœlum; sustulit mentem tuam ad creationem superni Ordinis. Deinde, cùm subiunxit; Et Terram, dimisit mentem tuam ad posituram inferni adimplimenti, cuius vniuersam exhibuit comprehensionem à parte, nempe à terra; docens te non solùm nosse terram, sed etiam Cęlum, quod eam ambit, ac continet; synecdochicè veluti quodam termino complexus, per duas dictiones, opificium & creationem Mundi, qui aspicitur, & Mundi, qui intelligitur, quem in principio fecit Deus; in principio, inquam, paterno; nempe ratione, seu Verbo. In ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt. Cùm hucusque constituisset Cęlestium, & Terrestrium omnium creationem, qui cum Mose loquebatur Dei Angelus; transit ad mysticam Ecclesiæ rationem.

Quę Anastasij sententia, si accepta fuerit, omnem controuersiam de Empyrei genesis tempore inter Patres apparentem, elidet, atque tollet.

BASILIVS in Hexæmeron Homilia prima.

Nec tamen absimile vero fuerit credere fuisse quiddam, vel ante Mundi istius constitutionem, id quod arcana quadã animi contemplatione licuerit intelligi, tametsi hac de re nihil in literas Moses transmiserit, quòd rei tantæ cognitio parum idonea videretur istis paruulis, qui lactedum doctrinæ initiandi rudimentorum fidei veniunt & instituendi. Erat sanè status quidam Mundi generatione superior, abstractis illis à concretione materiæ potentijs Mundo præstantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum ac perpes. Creaturas autem in ipso Creator omnium atque Opifex perfecit, lucem spiritualem eorum beatitudini accommodam, qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè prędita atque inuisibiles, omnesq; beatarum mentium ordines, quotquot nostræ mentis quantamlibet dixeris, facultatem exuperant, quorum ne nomenclaturas quidem possimus inuenire. Et hæc substantiam complent Mundi illius inuisibilis, vt & ipsi instruimur Doctore Paulo; In ipso ait, condita sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, siue Virtutes, siue Angelorum exercitus, siue Archangelorum præfecturę. Colos. 1.

Et Homilia secunda.

Arbitramur sanè si quid erat ante Mundi sensilis, atque corruptiui constitutionem, id in lumine nimirum fuisse. Neque enim Angelorum dignitates, neque Cœlestis exercitus vniuersus, neque omninò si quæ naturæ sunt participes rationis, aut nomen sortitæ, aut nomine carentes, spiritusq; subministrantes degebant in tenebris: sed in hac commodatissima sibi luce, lætitiaq; spirituali suum statum habuerunt. Atque his controuerterit nemo, non is saltem, qui supercęlestem lucem inter bonorum promissiones expectat: De qua Salomon ait; Lux iustis semper est præsens. Et Apostolus Paulus; Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit in parte sortis Sanctorum in lumine. Etenim si qui condemnantur, in tenebras exteriores mittuntur: qui dignè egerunt voluntate diuina, nimirum hos in lumine supercęlesti; suam habere requiem constat. Colos. 1.

D. Ambrosius Hexæmeron libro primo, capite octauo, hanc Basilij de Mundi opacatione insequutus est sententiam, vt suo loco referemus; quare & Empyreum, seu locum lumine præditum admisisse visus est.

Amplius hi duo Patres in Hexæmeron, ille homilia tertia, hic libro secundo, capite secundo, plura esse Cęlorum genera autumantes, duoq; à Mose tradita, supremum scilicet Orbem instellarem nuncupatum, & firmamentum stellarum sedem: tertium Cœlum, ad quod raptum fuisse Paulum Scriptura prodit, Empyreum fuisse innuere videntur. 2.Cor. 12.

BASILIVS enim hęc habet:

Nos autem tam absimus, vt de secundo Cœlo ambigamus, vt & tertium insuper quærendum esse arbitremur, aspectu cuius olim D.Paulus est potitus.

AMBROSIVS autem ita scribit.

Itaque non solum secundum, sed etiam tertium Cœlum esse negare non possumus, cùm Apostolus raptum se ad tertium Cęlum scriptorum suorum testificatione confirmet. Dauid etiam Cęlos Cęlorum, in illo laudantium Dominum constituit Choro.

THEODORETVS in Genesim quæstione sexta, consimilia docuit, inquiens.

Animaduertendum est, quòd si quid erat ante hunc sensibilem Mundum, in lumine certè erat. Neq; enim dignitates Angelorum, nec vniuersi Cęlestes exercitus in tenebris agebant, sed in lumine, & in omni spirituali lætitia. Quibus nemo repugnabit, qui lumen supercœleste inter bona promissa recipit; de quo lumine

Colos. 1. *Salomon ait; Lumen iustis perpetuum est. Et Apostolus; Gratias agentes Deo Patri, qui nos idoneos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

2 Cor. 12. Io. Chrysostomus in Oratione, quæ est de dicto illo; Sufficit tibi gratia mea, memorat hos duos Mundos, Intellectilem, & Sensilem, non attamen de eorum origine aliquid prodit.

IVNILIVS in Hexæmeron, D. Basilij sententiæ meminit, nec eam refutat, cùm dicit.

Homil. 2. *Ideo Moses tam breuiter superioris Mundi fecit mentionem, quia hoc mirum ad statum inuisibilis illius, ac spiritualis creaturæ pertinebat. Cuius superioris & inuisibilis creaturæ, Sanctus Basilius in libro Hexæmeron, ita meminit: Arbitramur enim, quia si fuit quidpiam ante institutionem sensibilis huius, & corruptibilis Mundi, profectò in luce fuit. Neque enim dignitas Angelorum, nec omnes Cœlestes militiæ, neque omninò si quid est nominatum, aut incompellabile, aut aliqua rationalis virtus, vel ministrator spiritus, vel degere posset in tenebris; sed in luce, & omni lætitia spirituali decentem habitum possidebat.*

Cæterum non facilè est iudicare, quid Mundi superni nomine exceperint Patres; num corpus aliquod luce micans; num Deum ipsum; num gloriam beatificam; quanquam cùm Angelos corpori spiritali obnoxios esse arbitrentur, & corpus quoddam spirituale ad ea corpora concludenda eos admittere, suspicandum sit.

Sententia, Empyreum nil aliud esse, quàm lumen non creatum, perperam asserens.

GREGORIVS Nazianzenus, Angelis, Beatisq; nullum aliud effulsisse lumen, quàm Deum, apertè asserit Oratione in nouam Dominicam, quæ est quadragesima tertia.

Nam cùm Deus hunc ex visibilibus, & inuisibilibus rebus constantem Mundum, hunc, inquam, magnum, & admirabilem maiestatis suæ præconem fingere, ac construere voluisset, æternis quidem nullum aliud lumen, quàm seipsum præbuit. Quid enim secundo lumine opus ijs erat, qui maximum habebant?

Et Nicetas eo in loco.

Adhuc in sermone de lumine commoratur, aitq; ; Mundus intellectilis, ac spiritualis, à Deo creatus, ipsum Deum lumen maximum habebat: ac proinde nihil erat, cur secundum lumen requireret.

PROCOPIVS ex antiquis, quos viderim, primus Basilij sententia neglecta, Empyreum lucem esse diuinam asseruit, Commentarijs in Genesim, capite primo.

Quod autem dicitur tenebras natas esse ex obstructione inuisibilis, vel intellectualis lucis; videamus num congruam, vel probabilem rationem habeat. Nam, quæso, mihi narrato, quodnam corpus intellectuale lucem suo oppositu obscurare potest? Deus etenim est lux illa inuisibilis: vita & illuminatio ex hoc fonte spiritualibus hauritur.

Sed quod subobscurè fortè Gregorius Nazianzenus, & Procopius dixerunt, STEVCHVS vltronea, & perpera sententia, Cęlum Empyreum non corpus conditum, sed lucem quandam, perenniter à Deo manantem esse docuit, in Cosmopœia sua, in Genesis caput primum.

Cęlum autem hic intelligendum est, quod Aristoteles in tertio significato posuit. Tripliciter enim dicitur eodem auctore Cœlum, primum id quod est habitatio Deorum, extra cęlestem vertiginem, vbi neque locus sit, neque vacuum, neque tempus, sed res tantùm beatissimæ. Secundo dicitur Cęlum, substantia Orbium Cęlestium, orbis Solis, & Lunæ. Tertio, Cęlum est, quicquid est præter terras, quicquid est supra terras, cum quo & aër, & æther est adiunctus. Hoc igitur postremum memoratur apud Mosem. Quare & ab Hebræis, & Latinis, & Græcis, quorum nonnulli censent, hic Cœlum Empyreum designari, quod ante omnia fuerit creatum, duabus de caussis cogor dissentire. Primùm quòd non sit verisimile, Mosen rerum corruptibilium, visibiliumq; origines describentem, ab inuisibilibus inchoasse sermonem, & cùm reliqua Historia sit naturalis tota, & physica, nihil erat, quamobrem principium esset Theologicum. Qui si Cœlum Empyreum respexit, mirabile est, cur non & Angelorum creationem induxerit, & vna tantum spirituali re commemorata, refugerit subito ad res corporeas. Altera est caussa, quia non videtur Cęlum Empyreum, nisi quod dixit Aristoteles, Habitaculum Dei, vbi neque locus sit, neque tempus, neque res vlla corruptibilis. Hoc ergo non potest esse creatum. Nam quod creatum fuit, fuit locus, & tempus, idest, ipse Mundus. Deinde cùm illud sit Regnum Dei, non videtur fas Regnum Dei non semper fuisse. Est enim Cęlum Empyreum claritas diuina, quam semper fuisse cum Deo necesse est. Ad quam claritatem admisit Angelos, incredibili humanitate sua, & homines pios. Regnum Dei, est regnum omniū sæculorum, ait Psalmus. Semper Sol ille, lucem æternam secum

Psal. 144. *habuit*

habuit comitem. Nec potest aliud esse Cœlum Empyreum, idest, igneum, nisi claritas illa manans à Deo circumquaque, extra Mundum, extra rerum creatarum, corruptibiliumq; Regnum.

Sed vberiùs hoc ipsum asseruit de rebus corporeis, & inuisibilibus tractatu. Præmissa enim suæ assertionis prolixa enarratione, ferè eadem concludit, Diuiniq; Pauli, ac Basilij auctoritate, sententiam suam fulcire nititur. Ait ergo.

Quod Cœlum etiam eodem modo D. Paulus, vt mirum sit, vocat lucem inaccessibilem, eamq; dicit à Patre inhabitari. Nimirum à se ipso manantem, non alienam ab se; ipso in medio à sua circumflammante luce circumfuso. Hocq; nunquam creatum est: quod & Basilius videtur innuere. Quod testimonium, quòd diuinum est, subijciam. Erat, ait, ante Mundi constitutionem, quidam antiquior status, supermundanis potestatibus congruens, ante tempora æternus, perpetuus, in quo Creator & opifex, creaturas absoluit. Ecce Basilius hunc statum, vbi sint Angeli, sempiternum dicit. Hæc lux, an corporea sit, an incorporea quædam, non facilè dixerim. Arbitrarer tamen talem esse, vt hæc corporea & nostra possit esse, & dici quasi simulachrum eius, vt illa sit diuinissima lux, nota, visibilisque & animo & oculis, qualem CHRISTVS ostendit in Monte, cùm vestimenta eius facta sunt aba vt nix, & facies vt Sol enituit, & qualem ostendit Mosi in Rubo. Hæc lux manat dumtaxat à Deo. Quæ cùm sit lux diuinitatis eius, semper eam cum eo fuisse necesse est. Et hęc si Cęlum Empyreum est, semper ab æterno fuit Cœlum Empyreum, idest, immensa lux diuinitatis, beatissimum illud quod est supra Cęlum, quod appellare non audeo. Nam neque locus est, neque corpus, neque tempus. Et post. *Hoc enim est Cęlum Empyreum, nascens, proficiscens, manans à Diuinitate. Quod nunquam dixerim ego creatum, paratus recantare, si male sentio.* 1. Timo. 6. Matth. 17. Exod. 3.

Hæc sunt, quæ de Empyrei genesi ex fontibus nostris hausi, placita.

Iudicium Auctoris.

Ego in eam propero sententiam, vt credam, sublime, ac supra sydereos, & volutatos Orbes extare corpus immotum, coruscantissimum, Dei Regnum, Dei singulari fruitione insignitum, Angelorum, ac Beatorum domicilium, atque omni fœlicitate refertum. Primùm id mihi persuadet, quòd complicata, si non explicata sententia, Scripturæ undique locum quendam singularem, vti Dei peculiarem locum extra Mundũ memorent, elegantibusq; metaphoris celebrent; modo Cœlum Cœlorum; modo firmissimum habitaculum Dei; & præparatum, modo Regnum, modo domum Domini; modo Hierusalem supernam, ac Ciuitatem præclaram, ipsum appellantes; tradantq; eum locum esse cunctorum bonorum vberem, omniumque noxiorum expertem, immensum, emicantem, Dei præsentia beatificum, excelsum, viuificum, ac mira omnium deliciarum vbertate expletum. Sapientissimus nanque Salomon de ipso Deo testatur; Quis ergo potuit præualere, vt ædificet ei dignam domum, si Cœlum Cœlorum eũ capere non possunt? Ac rursus. Tu exaudies de Cœlo firmissimo habitaculo tuo, & facies cuncta pro quibus inuocauerit te ille peregrinus. Dauid quoque in Psalmis inquit; De Cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum; De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant Terram. Alibi etiam idem Propheta dicit; Dominus in Cęlo parauit sedem suam, & Regnum ipsius omnibus dominabitur. Atque iterum; Cęlum Cęli Domino, Terram autem dedit filijs hominum. Isaias quoque Dei nomine loquens, ait; Cęlum mihi sedes est, Terra autem scabellum pedum meorum. Immò (quod potissimũ est) Saluator noster nos edocet ita deprecari; Pater noster, qui es in Cęlis. Et de ipso Domino, ac Saluatore nostro scriptum est; Videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum in Cęlo. Diuus quoq; Paulus ad Hebræos inquit; Non habemus hic Ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus. Rursumque idem ad Galatas scribens, ait; Hierusalem, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra. Quibus valde consonat illud Prophetę; Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Pariter & illud alterius Prophetæ; Quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius?

Cœlum Empyreum esse probatur & Scripturis. 2. Paralip. 2. Ibid. Psal. 32. Psal. 102. Psal. 113. Isa. 38. Matt. 6. Act. 1. Heb. 13. Gal 4. Psal. 121. Baruch. 3.

Amplius Patres, ac diuinarum Scripturarum disertissimi perscrutatores, plures de loco eodem exprimunt figuras, ac simulachra, & comparationes per Scripturas disseminatas. Hic locus siquidem est præstantiori lucis genere emicantior, ac coruscantior, quàm ea primæua lux primo die manans, cùm illa ad vesperam tenebris obrueretur: huius verò lux nullas vesperas sciat, nullos patiatur noctis horrores. Hic ille est Paradisus à Deo consitus, in quo diuinitas omni ambrosia, ac nectare suauior, quasi vitæ

Figuræ Empyreum Cœlũ innuentes. Gen. 1. Gen. 2.

 lignum,

lignum, perpetuò beatis vitam renouat; in quo fons gloriæ in anima scatet, quatuorq; dotibus, quasi amnibus, Beatorum corpora irrigat; in quo Arbor scientiæ boni, non mali, perpetim virescit, eo quòd pulso, ac in inferos detruso omni malo, summum, in-
Gen. 9. deficiensque bonum ibi elargiatur, ac diffundatur. Hic ea est Noë vinea, cuius hausta
Cant. 5. suauitate, ebriæ animæ inclamant cum Sponsa; Comedite amici, & bibite, & inebria-
Gen. 18. mini carissimi. Hic Abrahæ illud Tabernaculum, in quo Deus cum Angelis, & homi-
Gen. 41. ne conuiuatur. Hic Aegyptus illa fœcunda, in qua Beatus, ceu alter Ioseph, veste bissi- na gloriæ, torque immortalitatis, curru secundo post Christum triumphat. Hic Arca
Exod. 16. est ea, Virgam, ac Manna, Maiestatem Dei, ac iocunditatem complectens. Hic illa
Exod. 3. Terra est fluens lac & mel, Christi humanitate, ac Diuinitate vti suauissimo nectare, Bea
Psal. 147. tos inebrians. Hic Hierusalem Cœlestis, cuius seras confortauit Deus; cuius fines pa- ce muniuit; cuius filios benedictione locupletauit; cuius ciues adipe frumenti satiat.
3. Reg. 8. Hic Templum illud est, gloria Dei, quasi nube repletum, in quo inclamare non desinũt Angeli, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Hic Templum est illud Salomonis, viuis ex lapi-
3. Reg. 10. dibus extructum. Hic domus ea est, cuius mirifico apparatu obstupescit Regina Sab-
4. Esdr. 7. ba. Hic Ciuitas est ea campestris, omnium bonorum vbertate ditissima, ad quam per
Matth. 17. semitam inter ignem & aquam proficiscimur. Hic Tabor mons est, in quo emicat Chri sti facies vt Sol, vestimenta albescunt vt nix; in quo clamat Petrus; Bonum est nos hic
Apoc. 21. esse. Hic Ciuitas est ea sancta, noua, descendens de Cœlo, lapidibus consita preciosis.
Esa. 25. Hic est ea Terra viuentiũ, in qua auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie. Memorat igitur sæpius Scriptura, indicat, insinuat locum quendam peculiarem, vt Dei Regiam, Beatorumque fortunatas sedes. Exposco itaque; Nunquid in Orbibus cœlestibus perpetuò rotatis, ac circumactis, dicendum sit, Deum Angelis, atque Beatis splendidam, rutilantemque sui visionem impertiri? Nunquid in elementis, & rebus ip- sis perpetim decidentibus, ac permutationi, corruptionique obnoxijs, Beatorum gloria comperitur? Quæ, obsecro, comparatio quietis tutæ, ac perpetuæ, cum citatissima, & nunquam intermissa Orbium latione? Aeternitatis cum temporum delatoribus? Splen descentis Cœli cum diaphano corpore? Corruptibilium Orbium cum incorruptibili- bus? Visibilium Cœlorum cum inuisibilibus substantijs? Sensilium, cum his, quæ sensu attingi minimè queunt? Igitur Diuinitas illa purissima, Diuinitas illa sanctissima, An-
Psal. 103. gelorum illæ immensæ classes, quos Deus facit spiritus, & ignem vrentem, Beatorum enitentes animæ, ac coruscantia corpora expostulant, vt augustiorem locum habeant, quàm Orbes Cœlestes, & elementa. Quòd si extra Mundi machinam hanc Regiam nõ euectã dixerimus, iam non erit eis locus vllus peculiaris, quem tamen Scripturas sacras sæpius obtestari demonstrauimus. Præter hæc, Empyreum Cœlum credere, ac affirma- re, me compellit vetustissima ab Apostolis ad nos vsque manuducta traditio, acceptissi- ma Christicolarum omnium opinio, ac persuasio; quam cum Ecclesia omnis, præcipuè Romana, nunquam reiecerit, sed potius amplexata, ac prosequuta sit, tantum sibi veri- tatis nitorem, atque existimationem vendicauit, vt eam in dubium reuocare, aut peni- tus explodere, sit ferè vniuersæ Ecclesiæ præstantissimæ parenti, procaci quadam teme- ritate aduersari.

Cœlum Empyreũ esse rationibus cõprobatur.

Insuper non desunt euidentes, insignesque rationes, quibus idipsum, quod tradide- runt Patres de Empyreo Cœlo, comprobemus. Primùm, quia consentaneum valde est, vt detur condigna, ac concinna sedes corporibus glorificatis, præcipuè sacerri- mo, ac fulgentissimo corpori Christi, quod quidem corpus, gloria summa redimitum, Cœlos verè scandisse ex fide confitemur.

IGNATIVS etiam Epistola ad Smirnenses, hisce obtestatur.

Nam & postquam ostendit se eis, quia verè, & non putatiuè resurrexisset, manducauit cum eis, & bibit. Et sic videntibus illis, assumptus est cum carne ad eum, qui miserat illum, in qua & iterum venturus est cum glo-
Act. 1. *ria, & virtute, secundum quod dictum est ab Angelis ad Apostolos: Hic Iesus, qui assumptus est à vo- bis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in Cœlum.*

Nec certè nisi atroces, atque acerrimi hostes, ac emulatores humani generis censen- di sunt, extraque humana consortia proijciendi, qui tam singulare corporis humani do- micilium subripere nobis perperam contendunt. Decuit deinde, quemadmodum adnotabat

adnotabat D. Thomas, vt sicuti in exordijs Mundi, spiritualis electorum gloria in beatitudine Angelorum præsignata est; ita etiam & Vniuersi, ac corporū nostrorum restauratio mirifica, vel gloria corporalis, auspicium, & auspicationem, quodam in corpore immensa luce insignito desumeret. Adhæc, si præscripti, ac damnati in locum quendam corporeum, in imum scilicet Terræ centrum, caliginibus, & obdēsissimis tenebris obrutum relegantur: quare electi & Beati, in locum alterum supernum, & corporeum, fulgentissima luce profusum, extolli non debent, cùm & hi corpore coruscante, vti illi corpore atro potiantur? Postremo, vltro accepta est apud Philosophos plures sententia; supra Cœlos motu concitatos, sphæram extare quiescentem. De hac egregiè siquidem Phœnix illa ætatis nostræ Ioannes Picus in suo Heptaplo scribit: Supra nouem Cœlorum Orbes, idest septem Planetas, & Sphæram octauam, quam vocant inerrantem, nonumque Orbem, qui ratione, non sensu, deprehensus est, primusque est inter corpora quæ mouentur, creditū esse decimū Cœlum extare, fixū manens, & quietum; quod motu nullo participet. Neq; hoc tantum creditum esse à nostris, maximè iunioribus, Strabo, & Beda, sed à pluribus etiam Hebræorū, prætereaque à Philosophis, & Mathematicis quibusdam: è quibus duos præsertim affert, Abraham Hispanum Astrologum maximum, & Isaac Philosophum, quorum vterque hoc attestatur. Ac tandem doctissimus iste vir, post multa concludit, supra nouem Cœlos, decimum statuendum esse, quod Theologi vocant Empyreum.

P.p.q.66.ar.3

Cap.1.

Empyreū Cœlum Philosophi subodorarunt.

Petrus Cardinalis Aliacensis super tractatum Sphæræ Ioannis de Sacro Busto, quæstione tertia, si non demonstrantibus, saltem suadentibus rationibus, super Sphæras mobiles, Sphæram quiescentem (quam fortè Empyreum esse non abnueret) superpositam esse, probare nititur. Primò, quoniam si suprema Sphæra illa Orbes omnes superambiens non esset, minimè verū esset, quia omne quòd mouetur sit in loco. Rursus, Sphæra Empyrei sublata, positiones loci sursum, deorsum; ante, & retro; dextrum, & læuum, ægrè Cœlo, & Mundo natura inessent. Tandem, quia rerum ipsarum, vti lapidum, plantarum, animalium varietates, ac in primis morum hominum diuersitates, nunquā in Cœlestia corpora redigere possemus. Videas, quæso, Doctorem satis ingeniosum hæc fusiùs disserentem. Quamuis autem Vielmius hæc ipsa acrius impugnet, ac irrideat; scribens, quòd primùm repudiandus illi fuerat Themistius, qui primum corpus motum censuit in loco esse per partes; mox & Auerroës, cui placuit hoc esse ratione centri; & alij postremo, qui ab ea vniuersali enunciatione, omne quod mouetur est in loco; corpus illud, quod primum mobile nuncupant, hac ducti ratione eximunt; vt sicut in intellectualibus, & intelligibilibus, vnum est, quod cætera quæque locet, ipsum autem minimè locatur; ita in corporalibus vnum sit oportet, quod reliqua omnia ambiat, locetque, ipsumque in loco non existat. Rursum, quòd ei expugnandus erat Aristoteles, qui existimauit positiones illas sartas & tectas, vel inuitis Pythagora, & Platone Mundo se asseruasse, quòd Cœlum animal esse statuisset. Amplius, quòd Moses diuersitatem in stipitibus & animalibus insitā, diuinæ prouidentiæ, & imperio hoc loco ascribat; & Galenus varietatem morum humanorum, temperaturæ corporū assignet. Attamen has refellere posset Aliacensis inuectiones, ac diceret; quòd si Themistius, Auerroes, alijque, qui tantùm ratione partium, ac centri, supernum Orbem in loco esse contendunt; & qui à lege illa, omne quod mouetur, est in loco, primum mobile eximunt; ac denique si Aristoteles, qui Cœlum statuit esse animal; pietatis Christianæ emulatores fuissent, ac nostra dogmata hausissent, vel Empyreū agnouissent; certè non tantum fatigati essent, quo Cœlum primum in loco esse, seu per partes, seu ratione centri excogitarent; neque à loco primum mobile tam temerè exemissent, nec Cœlum frigida ratione, animal esse statuissent: quæ omnia ita recipiuntur in Scholis, vt perpetuis sint obuoluta disputationibus, ac dissidijs. Nec Aliacensis abscedit à Mose, qui varietatis, diuersitatisque stipitum, & animalium, in Deum caussam refert. Nanque licet primæ rerum institutiones, à Dei sapientia, ac bonitate prodierint, earum tamen effectiones, ac progressus, ita à Deo prima caussa emanant, vt per secundas caussas, Cœlos inquam, eas Deus nunc peragat, ac efficiat. Nec Galeno, cæterisque adductis grauissimis viris, qui morum varietatem, à corporum temperatura proficisci

Lect.3.

Lib.2. cœl. tex.13.

Defensatur Aliacensis.

proficiſci exiſtimarunt, ita aduerſatur Aliacenſis, vt reputauit Vielmius: quia temperaturæ ipſæ corporis noſtri, Cœlorum impulſibus immunes non ſunt; quorũ ratione, licet Cœli voluntatẽ non cogant, non modicè tamen demulcent eas, trahuntque; quamuis & aſtris ſapientem dominari poſſe non ignoremus. Verùm præter Philoſophos, & Theologi ferè omnes, Empyreum Cœlum, vti Sphæram quieſcentem, pro Vniuerſi ordine admittunt. Alijque inde analogiam, proportionemque concinnam inter ſpiritualia, & corporalia eliciunt. Ita ſunt enim, vt inquit Ambroſius, Catherinus, nouem Chori Angelorum, quaſi nouem orbes mobiles, ſed vnus eſt ſummus Chorus; qui cunctos continet, ipſe immobilis Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Alij influxuum vim ei adſcribunt, vt D. Thomas; qui quanquam in ſcriptis ſecundo Sententiarum, Empyreum influentiam nullam habere dixiſſet, attamen in Summa, ipſum in inferiores ſphæras, non quidem motum, ſed cauſandi, continendique virtutem, vel quid huiuſmodi infundere tradit. Alij in humanum corpus agere illud arbitrantur, vt Richardus de Media villa, qui dixit, quòd fortè influẽtia eius maximè cooperetur, ad debitam proportionem diſpoſitionis corporis humani, cùm ipſum ſit nobilius inter Cœlos, & corpus humanum inter corruptioni obnoxia præſtantiſſimum, & Cœlo ipſo etiam nobilius, cùm Cœli ipſi ſint inanimati, ipſum anima perfectum. Alij, quòd lucis ſit prima cauſſa, autumant, & origo, vt Picus deducebat. Hæc & ſimilia de Empyreo orbe philoſophantur Theologi, ac Philoſophi. Quibus omnibus id compertum velim, non delirantiſſimum eſſe (etiam Philoſophicis, ac Theologicis placitis non ſpretis) quieſcentem ſphæram, effulgentemque ſupra cunctas cæteras ſtatuere, ac decernere.

Lib. 2. ſent. diſtin. 2.

Empyreum Theologi cõcedunt.

In primũ capite Gen.

Diſt. 2. q. 3.

P. p. quæſt. 66.

2. ſent. diſt. 2. quæſt. 3.

Quapropter exploſas, eliſas, ac euerſas eſſe arbitror duas primo loco recenſitas ſententias. Sed quantum ad dicta ea Patrum, quæ Deo, Beatiſque in domicilium ſydereos Cœlos adſcribunt, ſpectat; animaduertendum, quòd Patres ea, & conſimilia aſferentes (nam plures ſententias in voluminibus Patrum, eiuſdem ſenſus comperire facilè eſt) aut hos orbes, ac Cœlos proponunt, non vt Regiam, ſed vt ſolum, & pauimentum, partemque Regni Dei, ac Beatorum; vel vt per viſibiles hos, ac ſublimes ſplendeſcentes Cœlos, ad inuiſibilem, atq; altiſſimum, coruſcantiſſimumque nos ſimilitudine manuducant; aut quòd ineruditis illud memorare non opportunum reputent.

Cœli ſyderei qũo Dei, ac Beatorum domicilium dicantur.

Quantum verò ad Caietani rationes attinet: Quòd Scriptura nullibi Empyreum memoret, hoc nos minimè diſcruciat; tùm quòd traditio, & priſcorum Patrum obteſtatio, quæ duo, quando Scriptura ſilet, maximæ ſunt auctoritatis, id tradiderint; tùm quòd Scriptura alijs vocibus ipſum circumſcripſerit. Nec locari in Cœlo Angelos, aut Beatos arbitramur, quia loco circumagantur, vti corpora noſtra hoc fluxibili aëre ambiuntur, inepta ſiquidem, ac pueriliſ eſſet cogitatio, huius generis noſtri loca, vel tempus ibi adeſſe exiſtimare; ſed quòd eo modo, qui glorificis competit corporibus, Beati in eo fulgentiſſimo corpore degant, ſuamque beatitudinem adipiſcantur.

Caietani rationum ſolutio.

Conſtituto igitur dogmate, ſuper hos motu raptos orbes; Cęlum Empyreum immotum, ac ſplendidum extare; diſceptandum modo eſt, ex tribus poſterioribus ſententijs eius geneſim variè decernentibus, quænam probatior, atque acceptior ſit exiſtimanda. Nempe num æternum ſit; num multis annis ante Mundum conditum fuerit; num in exordio Mundi cum Terra emanarit.

Principio nobis proſcindenda, improbanda, profligandaque eſt ea ſententia Steuci, quæ non tantùm erronea, ſed impia ſanioribus iudicijs viſa eſt; ad quod efficiendum, ſufficiat mihi hoc loco Catenulam Neotericorum acrius eam impugnantiũ, ſubijcere.

Empyreũ Cęlum non ęternum, contra Steuchum.

CATHERINVS Enarratione in Geneſim, his eam redarguit.

Illud omninò notatione dignum, quòd quidam noſtræ ætatis tractator, & Moſeos interpres, in ſua Coſmopœia (ſic enim ſuum opus inſcripſit) poſtquam conatus eſt demonſtrare non potuiſſe Mundum eſſe ſempiternum, & hoc ipſum ſe demonſtraſſe arbitratus eſt; tandem de Cœlo Empyreo tractans, non putat eſſe quid creatum, paratus tamen recantare ſi malè ſentiat. Sed multò prudentius erat rem ipſam accuratiſſimè prius vel perpendere, vel ſilentio ſupprimere, & non ita ineptè tam periculoſa literis mandare. Iam enim diem ſuum ille obijt, libellus autem viuit aſſiduè. Quis igitur nomine illius recantabit, cùm tam manifeſtus error pateat, & poſſit fortè rudioribus nocere. Quicquid enim non eſt Deus, illud oportet eſſe creatum: Cœlum verò Em-

pyreum

pyreum, nemo vnquam Catholicus, sed nec Paganus (quod sciam) esse Deum putauit; neque hic homo dixit esse Deum, sed quoddam potius manans ex ipso Deo, & tamen æternum cum illo.

VIELMIVS vsqueadeò execratus est eius sententiam, vt eam hæresi Arnaldistarum comparet: nam inquit. Lect. 3.

Iam verò de eo scripsit præ cæteris Augustinus Steuchus in libro, De rebus incorporeis, & inuisibilibus: qui & increatum esse id, & æternum, sub correctione tamen (vt Catholicum decebat Episcopum) existimauit. Et videtur fuisse hæresis Arnaldistarum, non eorum quidem, qui Arnaldum de Villa noua sequuti sunt, sed quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abhominatur, Italia non vult recipere, (hac enim periphrasi eum nobis commendat Bernardus in Epistola ad Episcopum Constantiæ.) Ferunt enim qui de Hæreticis scribunt, hos quoque eius fuiße articulos: Aliquid esse præter Deum æternum. Et rursum, Aliquid esse, quod nec Creator, nec creatura sit.

PERERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, inquit.

Atque hæc fuit Eugubini opinio, quam ego non tam refellendam, quàm omninò explodendam, atque execrandam, ac si fieri posset, sempiterna obliuione sepeliendam iudico. Cuius enim animus non horreat audire, rem esse aliquam, quæ Deus non est, Deo tamen ipsi coæternam, & increatam? Quid magis contrarium Scripturæ dici potest? cuius illæ sunt tot in locis tam illustres sententiæ. Omnia per ipsum facta sunt. &; Qui omnia creauit, Deus est. & rursus; Creauit, vt essent omnia. Apud Paulum etiam primo capite Epistolæ ad Colossenses; & in Symbolo Fidei, Deus pronunciatur, ac declaratur conditor omnium rerum visibilium, & inuisibilium. Vix autem possum existimare, quæ fuerit Eugubini de suo illo Empyræo Cœlo mens, qui sensus, quæ cogitatio. Ait esse lucem, & claritatem quandam; sed qualis est ista lux? num accidens solitarium, per se cohærens? at repugnat hoc naturæ accidentis, nec sine miraculo fieri potest. At dicet esse substantiam: sed vtram? num corpoream? verùm qualis erit ista natura corporea, & ex quo genere corporum? fuit igitur corpus aliquod ante Mundi huius emolitionem: num incorpoream? erit igitur spiritus aliquis & natura intelligens. Præterea, si manat ista lux ex natura, & maiestate Deitatis, haud dubiè manabit ex necessitate naturæ, hoc est tanta, quanta est vis Diuinitatis: erit igitur infinita; quo quid absurdius, & incredibilius dici potest? Denique quocunque se verset Eugubinus, mille implicabitur, & irretietur laqueis, nec se vlla ratione extricare poterit. At enimuerò, dicet aliquis, Eugubinum satis modestè hanc opinionem suam prodidisse; subiecisse enim eam iudicio, & censuræ Ecclesiæ; paratum, si ab Ecclesia damnetur, eam quoque damnare. Rectè istud quidem; sed quanto satius fuisset, tam peruersum, & impium dogma non euulgare, quàm cum istiusmodi correctione relinquere in scriptis, quod lectori non admodum cauto & erudito, errandi præbeat occasionem? Itaque verè dici potuisset Eugubino, quod in quendam scitè dixit Cato; Quare, inquit, culpam deprecari, quàm ea carere maluisti?

Ioan. 1. Heb. 3. Sap. 1.

Sed his dilemmatibus, & ego eam refellerem. Quicquid à Deo manat, aut à Deo manat ad intra, aut ad extra, vt aiunt in Scholis: Quæ ad intra à Deo manant, nil aliud sunt, quàm ipse Deus: Ea autem secundum duas tantùm sacratissimas prodeunt emanationes, Filius per generationem, Spiritus Sanctus per spirationem: Quæ ad extra, ex beneplacito prodeunt, & vt creaturæ, conditæ sunt à Deo, non coæternæ Deo: quamobrem lux hæc à Deo manans, si ad extra est, creatura est, condita, non æterna. Præterea, vel lux illa spiritualis est, ex metaphora lux dicta, vel corporea, seu naturalis, seu gloriosa; si lux ea, & claritas supercœlestis, in qua inhabitare Deus dicitur, spiritualis est, atq; ex similitudine nomine lucis exprimitur; porrò ea ipsa est Deus, non quid manans à Deo; si corporea, cùm accidens sit, vehi corpore aliquo operæpretium est, seu sensili; si sensilis est; seu glorioso, si gloriosa est; igitur & creata, &, non æterna. Sed quid sibi voluerit Steuchus, vtpotè disciplinarum expers, nec ipse declarare quiuit. Hac sacra, ac sana Theologia, & D. Paulus dixit Deũ inhabitare lucem inaccessibilẽ, sed non Deo eam dixit coæternam. Et Basilius, si profundiùs mentem eius perpendimus, Mundum intelligibilem Angelis accommodatum, esse Mundo sensili generatione superiorem dixit, hoc est, ante Mundum factum, sed non ab æterno: Dixitq; Mundum illum tempore etiam anteriorem fuisse, hoc est, tempus habuisse perfectius, æternum nimirum, & perpetuum à parte post; quoniam tempus illud æuum est; quod & ante certa mensura diffiniri non potest; & post æternum erit, cùm æuum mensura sit substantiarum non decidentium, sed in se permanentium. Ex quibus euincitur, quantũ aberrarit Steuchus, quodq; eius sententia ijs nomenclaturis, quibus ipse nonnullas à se reiectas, exornare solet, à nobis condecorari possit. Vocare siquidem eam possumus erroneam, vltroneam, delirantissimam, absurdam, exibilatam, profligatam.

Rationes cõtra Steuchũ.

1. Timoth. 6.

Cæterum elisa, ac euersa Steuci assertione, quænam deinceps sit probatior sententia, an ea Basilij, multis æonis ante Mundum Empyreum extasse asserentis, an Strabi, & Bedæ,

Empyreum quãdo à Deo conditum.

Bedæ, eum cum Terra in exordio effectionis Mundi compactum autumantium, iudicare non audeo; existimoq; hoc problema esse neutrum in via Patrum: Aliquam tamen ipsius diffinitionem haberi posse ex anteacta de Angelorum genesi disceptatione. Nam si Angeli multis ante Mundum æonis, maximè si corpore aliquo prẹditi, licet nobis ignoti generis, conditi sunt, eorum etiam domicilium corporeum vnà cum ipsis ante Mundum constructum fuisse, meritò existimare possumus: si autem cum sensili Mundo Angeli emanasse putantur, & Empyreum ante Mundum non extasse, sed cum eis prodijsse rectiùs arbitrari debemus. Vt acceptior, ac probatior attamen ab omnibus ferè Theologis Scholasticis amplexata est ea Strabi assertio, quæ coæua simul fuisse, hoc est simul emersisse, Angelum, Empyreum, Tempus, & Chaos decernit; à qua & nos discedere, non æquum iudico.

De Cẹli Empyrei nomine.

Regia autem hæc Dei, Angelorum domicilium, Beatorum illa sedes, Cẹli Empyrei nomen nacta est. Quis primus ei hoc nomen imposuerit, non est compertum.

AVGVSTINVS libro decimo de Ciuitate Dei, capite vigesimoseptimo, primus fortè Empyrei nomen memorauit, cùm Porphyrium redarguens, errorem Apulei eum transcendisse, his verbis tradit.

Quantò humanius, & tolerabilius consectaneus tuus Platonicus Apuleius errauit, qui tantummodo Dæmones à Luna, & infra ordinatos agitari morbis passionum, mentisq; turbellis, honorans quidem eos, sed volens, nolensq; confessus est; Deos tamen Cæli superiores ad æthera spatia pertinentes: siue visibiles, quos conspicuos lucere cernebat, Solem, ac Lunam, & cætera ibidem lumina: siue inuisibiles, quos putabat ab omni labe istarum perturbationum alienos, quanta potuit disputatione, discreuit. Tu autem didicisti hoc non à Platone, sed à Chaldæis magistris tuis, vt in æthereas vel Empyreas Mundi sublimitates, & firmamenta Cœlestia extolleres vitia humana, vt possent Dij vestri Theurgis pronunciare diuina.

P.P.q.66.

Sed certè Augustinus Empyrei nomine, nõ Empyreum nostrum super sydereos Orbes euectum intellexit, sed Orbes hos tantũ astripheros, ex Platonica doctrina igneos existimatos, vt rectè etiam D. Thomas adnotauit. Quapropter præcipui huius nominis excogitatores, ac institutores Beda, & Strabus censentur, vt ex eorum relatis sententijs videtur. Hi quippe Empyreum non immeritò Cœlum appellarunt; primùm quòd eminentissimè omnium Cœlorum cuncta sensilia ambiat; deinde quod beatos celet: ac etiam quoniã si Cœlum οὐράνον dicitur, à videndo, rectissimè Empyreum Cœlum dixerunt, cùm Deus ibi clarissimo intuitu conspiciatur. Empyreum tandem, Cœli nomen præripuit, vt ex Astrorum Cœlestium ordine, Beatorum, qui in ipso emicãt, Symbolum haberemus. In Cẹlis siquidem his astrigeris, cuncta sydera splendent, sed lucis fons in Sole est; Luna, ac Stellæ mutuata luce fulgent: In Empyreo etiam Diuinitas coruscantissimi Solis vices gerit, inter Angelos, ac beatos vti Sol inter sydera refulgens, omnibusq; beatitudinis lucem impertiens; Humanitas sacratissima Christi, Lunẹ typũ fert: Hæc enim ea est, quæ dum per hunc Mundum quasi extra Eclypticam spatiaretur, obscura rudibus Hebræis visa est; hoc est, his infirmitatibus obuoluta, immo in funesto Passionis tempore, in sanguinem versa est, splendoremq; suum quasi in eclypsi posita obtexit: sed in die Resurrectionis splendida ex omni parte reddita, in Empyreo ante beatos coruscat: Angeli, ac Sancti in gloria dispares splendent, vt stella differt à stella in claritate. Empyreum autem dictum est Cẹlum istud, Strabo ac Beda fortè auctoribus, quasi igneum, non quidem ab ardore, sed à splendore, vt omnes Theologi edocent, nuncupatum; siquidem non tantùm emicare, sed coruscantissimum esse existimatur.

Locus Beatorum, cur Cœlum & Empyreũ dicatur.

Empyreũ cur vsque ad nos lucem non emittat.

P.P.q 66.

Cæterum quare fulgorem vsque ad nos Empyreum non emittat, non vna sententia Patres Theologi diffiniunt. Basilius, Ambrosius, Theodoretus à supremi Cẹli ambitu spisso, ac valido præpeditam esse Empyrei lucem, opacatumq; fuisse Mundum tradunt, vt aliàs referemus. D. Thomas hanc sententiam reijcit, contendens, quòd Cẹlum illud, quanquam sit solidum, sit tamen diaphanum, nec lumen retundere possit; Empyreum autem, lumen suum non effundere ad nos autumat; seu ex eo quòd nõ clareat luce cõdensata, sicut iubar Solis; seu quòd claritate polleat glorię, quę non est cõformis claritati naturali. Alij Theologi alias referunt caussas, nempe quòd vel improportionata sit ea lux oculis nostris non glorificatis, vel quoniam aquæ, quæ super firmamentum consident, eam non traducant; vel etiam, quia nimia longinquitate, atque distan-

distantia, uis luminis ad nos non protendatur. Hæc Richardus de Mediavilla secundo Sententiarum, distinctione secunda: quo loco Scholastici hæc fusiùs disputant.

AVCTOR.

Ego in Patrum gratiam, non quòd eorum sententiam tutiorem reputem, dicerē: Empyreum sua naturali luce pollere, eaq; condensata, maximè cùm à Patribus fulgere, coruscareq; dicatur. Verùm posito quòd Empyreum glorioso lumine præditum fulgeat, hanc quoque lucem gloriosam, vti naturalem, aërem nostrum illustrare posse opinor: Nam quòd claritas gloriæ, etiam si alterius sit rationis à nostra hac à Sole manante, aërem illustret, & oculos nostros percutiat, euidentissimum est exemplum Christi Transfiguratio; in qua Apostoli eius faciem vti Solem rutilantem conspexere; & qua percussi, ceciderunt in facies suas; nilq; aliud fuit is prosiliens à facie Christi fulgor, quàm claritatis dos à Christo detecta, vt Patrum plurimi, ac ipsemet D. Thomas, edocent. Quòd lux gloriosa non proportionata sit oculis nostris, admitto; sed non ea ratione, qua conspicabilis non sit, quasi non splendeat; sed ea ratione, qua nimio, ac superexcedente suo fulgore nos obcæcat, nec accommodatè illa frui, nisi glorificati oculi queunt. Asseuerare, quòd aquæ eas non traducant, ineptum est; cùm illæ, seu glaciales, seu in vaporis speciem redactæ, clariores sint, quàm hæ terrestres. Opinari, quòd ob nimiā intercapedinē ille fulgor nos non attingat, est immensitati eius lucis, quæ septies Solis candorem exuperat, derogare. Quapropter nobis non superest probatior caussa, nisi quòd supremum Cœlum sua valida obdensitate, ac opacitate, splendorem illum retundat. Nec ratio, qua D. Thomas hanc Patrum refellit sententiam, multum consistit; nam ex stellarum fixarum conspectione, egregiè certè omnes Orbes vsq; ad ipsum firmamentum diaphanos esse euincitur; sed secus est de Orbibus superioribus, nono, ac decimo, cùm super ipsos nullum sit astrū, ex cuius lucis emissione, ac ad nos transitione, certi reddamur ipsos quoque esse diaphanos. Et quis est sensus, aut quæ est ratio, quibus Orbes supra cuncta astra elatos, potius diaphanos, quàm opacos esse, demonstrari possit? Sed hæc pro Patribus dicta sint ea, qua decet, modestia in tantum Doctorem.

Empyreū fulget ac coruscat.

Matt. 17.

Empyreum igitur hi Patres rectissimè Dei Regiam dixere. Idq; de fulgore Empyrei non reticebo, quod Ioannes in Apocalypsi scriptis mandauit; Et lumen, ait, eius simile lapidi precioso, tanquam lapidi Iaspidi, sicut Chrystallum; quasi dixerit; si tam splendida est Prouincia Regis, hoc est, Mundus hic à Deo conditus, Astris, ac Luna, Soleq; in eo micantibus; ne reputes non splendidiorem, ac præstantiorem esse vrbem ipsam Regiam, Empyreum ipsum, cùm simile sit lapidi Iaspidi sicut Chrystallum. Concipias, precor, Iaspidem coruscantissimum tantæ molis, quantæ ostensum est esse immensum Empyreum, nulla sordescentem macula, sed nitentissimo fulgore perfusum: quid eo splendidius? quid emicantius? Sed adnotes, quòd memoret Ioannes simul & Iaspidis ruborem, & Chrystalli nitorem, & lapidis soliditatem, vt & summum in eo corpore charitatis ardorem, & beatificæ visionis splendorem, & immortalitatis firmitatem simul vigere intelligas. Olympi nomen, quanquam à Vatibus, ac Philosophis Gentilium summopere celebratum, non desumpserunt Patres, ne sacra nostra prophanis fabulis commiscentes fœdarent, ac deturparent; nobis siquidem omnia noua, & superexcelsa esse debent, qui nouum hominem nos induere profitemur. Faxit Deus, vt tanta Regia potiri valeamus.

Apocal. 21.

Superest & nunc mihi disceptandum; num Moses in hac generali rerum tum supernarum, tum infernarum manationis historia, Empyrei huius coruscantissimi Orbis natalia, genesimque prodiderit; an potius ipsius mentionem suppresserit, atque opportuno silentio obuoluerit. Qua de re breuissimè meam sententiam proferam. Assero igitur Mosem Mundi tantùm sensilis genituram, & structuram tradere, propterea Empyrei Cœli, veluti inuisibilis, sicut & Angelorum nullam penitus mentionem egisse. Compellunt me id existimare quamplura. Primùm, quoniam vberior Patrum classis idipsum censuit; quamuis siquidem Clemens Papa ex Petri fortè traditione, Philo, Origenes, Diodorus Tarsensis, Theophilus Antiochenus, Iunilius, Anselmus, Bruno,

An Moses Empyrei mentionem faciat.

Strabus, & Hugo ex Patribus, supereminens quoddam Cœlum subodorarint, quod alij post Empyreum denominarunt, ac ipsum Cœli nomine interpretantur: numerosior tamen Patrum acies his refragatur, cùm Cœli appellatione aliud intelligi voluerint, vt supra in Catenis conspici potest. Suadeor amplius, quoniam historiam hanc Moses Hebræis demandabat, qui rudes admodum erant, diuinarumque rerum ignari, nec Cœli nomine Empyreum intelligere potuissent: quapropter perplexa, obscuraque illis fuisset Mosis narratio. Adiiciamus, quòd si Angelorum productionē Moses prætermisit, vt supra demōstrabamus, iisdem etiam de caussis, Empyrei structuram non recensuisse, est asserendum. Age amplius, quòd tota hæc historia de rebus sensibilibus, quæ sub aspectum nostrū cadunt, profectò esse conuincatur. Quamobrem si Moses inuisibilium, nec sub sensus nostros cadentium rerum narrationem haberet, peculiaribus quoque vocibus, & nonnullis etiam descriptionibus, eas declarandi, exponendique prouinciam suscepisset, vt historiam claram, ac præclaram, dilucidam, & elegantem contexeret. Quibus omnibus certè suadeor, Mosem in hac sua rerū omnium à Deo effectarum narratione, insensilia, vti sunt Angelus, & Empyreum, prorsus prætermisisse; & tantùm de sensili Mundo negocium habuisse.

De Genesi Chaos.



Mplissimæ huius Mundi machinæ, Regiæ nostræ venustissimæ, ex Cœlo emicantibus astris nitente, & elementis quatuor compactæ, genituram, ac primordia, Vates, Philosophiq; gentilitatis, necnon & oracula nostra, non vna, concordive referunt sententia. Alij plures, alij vnicum esse Mundum diffiniere. Horum quidam eum finitum, quidam verò infinitum putarunt: eorum qui vnū Mundum finitum agnouerunt, alij ingenitum eum, ac æternum somniarunt, adeò vt res fuerint ab æterno, sicuti nunc sunt; alij verò genitum tradiderunt. Atque horum nonnulli vnico principio statuto, materia scilicet ingenita, ac æterna; quam alij ignem, alij aërem, alij athomos, alij vacuum, alij aquam, alij terram, alij infinitum, alij medium quid inter elementa, alij Chaos esse dixerunt, Mundum à casu sua sibi insita virtute prosilijsse affirmarunt; alij tribus statutis principijs, Deo, Materia, ac Idæis, Diuina mente, quod confusum erat, dirimente, prouenisse Mundū existimarunt: Ac ut D. Ambrosius scitè enarrat, Deum non tanquam creatorem materiæ, sed tanquam artificem ad exemplar, hoc est ad Idæam intendentem, Mundum hunc ex materia conflasse crediderunt. Moses certa, & irrefragabili veritate, augustiori ac clariori sapientia, vnico principio Deo cognito, Deum, vt liberum & sapientissimum satorem, atque opificem, ex nihilo vnicum Mundum, cùm sibi placuit, produxisse, nobis reserauit, ac patefecit.

De Mundi genesi, & eius principijs variæ sententiæ.

Hexēm. lib. I. cap. I.

Cæterum de serie, qua Deus Mundum effuderit, inter nostros disceptatio non aspernanda conspicitur. Alij etenim Deum vnico momento, seu vnica die Mundum omnibus numeris absolutum, hoc est, Cœlo fulgentibus astris decorato, elementis natura vigescentibus, sibiq; competentibus in locis dispositis, rerum speciebus tantùm præseminatis, ornatum, & cohonestatum effecisse tradunt. Alij Deum Chaos tantùm quoddā in primordijs temporū edidisse autumant, quod postea tribus diebus dissecarit, ac perpolierit, & tribus venustarit, atque locupletarit. Rursum alij huiusce Chaos vnam fuisse rudem naturam, atq; inconditam speciem, in eoque nullum extasse Cœlum, nullum elementum, sed vnam omnium incongestam materiam exili forma præditam, arbitrati sunt. Alij id Chaos ex Cęlo & elementis substantialibus formis ditatis, indigesto ordine compactū dixere. Amplius de huius Chaos effectione, nō vnus est horū consensus. Alij sub cunctis Orbibus cœlestibus, sphæricè se concludentibus, seu sub vno primo, ac supremo Orbe, vt alij maluerunt, primùm ignem, deinde aërem, tandem aquam ingenti mole vndique terram ambientem, atq; obuoluentem constitisse arbitrati sunt. Alij nullo posito Cœlo, igne autem, & aëre, in terræ antris coactis, aquas usq; ad Empyreum inundasse immensa colluuie, ac mole existimarunt. Alij terra subsidente, ac in centro suo pondere librata, aquam, aërem, ignem commixtim, in nebulæ formam, ac speciem, immensum hoc usque ad Empyreum interuallum expleuisse opinati sunt. Tot igitur repugnantes, ac uagæ sunt de huius Mundi sensilis nostri natalibus, ac primordijs

mordijs excitatæ assertiones. Verùm ijs, quæ ad principia spectant; Num scilicet ea sint plura, an vnum tantùm, in accommodatiorem locum reiectis, mihi modò incumbit unius Mundi à Deo conditi structuræ seriē inuestigare. Indagabo igitur; Num Mundum absolutum primùm Deus produxerit, vel potius Chaos quoddam perficiendum, & exornandum crearit: Et si Chaos primum prosilijt, quale illud fuerit. His siquidem ut præuijs enucleatis, ad literæ Mosis intelligentiam, facilis nobis aditus parabitur.

Num Mundus primùm absolutus à Deo prodierit, seu an omnia condita sint simul.

Mundum perfectum, absolutumq; primo momento, seu die, à summo vniuersorum effectore Deo procreatum fuisse, adeò vt Cœlum fulgentibus astris splendidum, elementa suis sphæris disposita, ac rerum cunctarum species saltem in seminaria vi præinsitæ simul prosilierint, plures ex Patribus tradiderunt.

Catena Patrum, Mundum vnico momento perfectum, absolutumq; prodijsse, asserentium.

EVDOXIA clarissima illa fęmina, Theodosij iunioris Augusti vxor, Poëticæ artis, & Sacræ Scripturæ studio insignis, eo poëmate, quo ad imitationem Probæ Falconiæ, ex Græca Homeri Poësi plures sacras collegit historias, in hanc properare sentętiam videtur, cùm cecinit.

Vt bene cognoscatis atque Deum, atque etiam virum;
Qui omnibus mortalibus, atque immortalibus imperans,
Simul quidem Terram struxit, simul Cęlum, simul verò Mare,
Solemque indefessum, Lunamque plenam:
Simul autem astra omnia, quibus Cęlum coronatum est,
Virgilias, Hiadasque, & robur Orionis,
Vrsamque, quam & currum cognomento vocant,
Quæque ibi vertitur, atque Orionem spectat.

PHILO Iudæus de Allegorijs legis Mosaicæ, Mundi opificium perfectè primo temporis momento expletum censet, adeò vt inepti ingenij eos existimet, qui temporis decursu conditum arbitrantur. Ait nanque. Lib. primo.

Sed gentis rusticanæ est putare, sex diebus, aut vtique certo tempore Mundum conditum; quia totus Mundus vicissitudo est dierum, ac noctium, quam Solis motus super terram, sub terraque meantis necessariò conficit. Sol autem pars Cęli censetur, vt fatendum sit tempus posterius Mundo esse, quippe quod Mundi est effectus: nam Cœli motus indicauit naturam temporis: Ergo cùm audis; Compleuit sexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquot, sed de senario perfecto numero.

RABBI MOSES Aegyptius libro secundo Ductoris, referente Hamero sua commentatione in Genesim, Mundum vnica hora manasse his edisserit.

Quod inquit, debes scire est, quòd illud, quod dictum est, In principio creauit Deus Cęlos, & Terram: Sapientes dixerunt multis locis, quod eius expositio est, cum Cęlis, & cum Terra, hoc est, quòd Creator creauit cum Cęlis quicquid est in Cęlo; & cum Terra, quicquid est in Terra. Tu verò scis, quia dixerunt, quòd Cęli, & Terra simul sunt creati, eo quòd Propheta dixit; Ego vocans eos stantes simul. Omnia verò simul creata sunt, & omnia primò apparuerunt: Et assimilauerunt hanc rationem agricolæ seminanti diuersa genera seminum simul in terra: Pars autem oritur post vnum diem, alia verò pars post duos dies, alia post tres dies; sed omnia semina proiecta fuerunt in vna hora. Secundum igitur hanc opinionem, sine dubio poterit solui dubitatio illa, quæ induxit Sapientem quendam ad dicendum illud quod dixit, cui difficile fuit intelligere, quomodo fuerit primus dies, & secundus, & tertius. Manifestè verò dixerunt Sapientes de ratione lucis, de qua facta est mentio in lege, quia fuit creata in prima die; quòd ipsa sunt luminaria, quæ fuerunt creata in prima die; sed non ostendit ea Deus vsque ad quartam diem. Esa. 48.

HAMERO ipsi hæc placuisse demonstrant ea, quæ subscripsit.

Hæc Rabbinorum interpretatio, non solum veritati consona est; sed etiam veritas ipsa, & Deus omnia simul creauit verbo suo, & imperij sui dicto, quod Sacra Scriptura attestatur; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Ecclesiast. 18.

CLEMENS Alexandrinus libro sexto Stromatum, ait.

Vt ergo discamus Mundum esse genitum, non in tempore autem facere Deum existimemus, subiungit Prophe-

Gen.2. *Prophetia; Hic est liber generationis: & eorum quæ sunt in ipsis, quando facta sunt, quo die fecit Deus Cælum & Terram. Illud enim, quando facta sunt, enunciationem significat indefinitam, & ex parte tempo-*
ris. Hoc autem, quo die fecit Deus, hoc est, in quo, & per quem fecit omnia, & sine quo factum est
Psal. 117. *nihil, significat eam, quæ per Filium fit operationem, quem dicit Dauid; Hic est dies, quem fecit Dominus, exultemus, & lętemur in ea, hoc est, per eam, quæ per ipsum tradita est cognitionem, diuinis fruamur epulis. Dies enim dictum est Verbum, quod occulta illuminat, & per quod in lucem, & ad generationem accessit vnaquęque creatura.*

D. Augustinus præ omnibus hanc extulit sententiam, libro vndecimo de Ciuitate Dei, cap. nono: & de Gen. ad literam libro quarto, capite vigesimo. Contenditq; sanctissimus ac doctissimus Pater præfatis in locis demonstrare, Deum omnipotentem sua virtute primo temporum momento, Mundũ, hoc est, tam Cœlestes orbes cum Sole, & Luna, & Stellis, quàm elementa, ignem, aërem, maria, terram, natura ac situ, vt nunc sunt absoluta constituisse: cæterum plantas, pisces, aues, animantes, ac hominẽ non nisi in potentia, ac præseminaria facultate præparasse: quòd si Moses, Spiritu Sancto dictante, sex dierum spatio Mundi emanationem aptauit, id secundum seriem cognitionis Angelicæ intelligendum esse, ordinemq; rerum creatarum sanctissimum Vatem tantummodo exprimere, vt rude, imbecilleq; humanum ingenium instrueret.

AVGVSTINVM ipsum audias libro quarto de Genesi ad literam, cap. trigesimo tertio sic dicentem.

Ecclesiast. 18. *De quo enim Creatore scriptura ista narrauit, quòd sex diebus consummauerit omnia opera sua: de illo alibi non vtique dissonanter scriptum est, quòd creauerit omnia simul. Ac per hos, & istos dies sex, vel septem, vel potius vnum sexies, septies ve repetitum simul fecit, qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tam distinctè, dispositèq; narrari? quia scilicet ij, qui non possunt videre quod dictum est, creauit*
Gen. 2. *omnia simul: nisi cum eis sermo tardiùs incedat, ad id quo eos ducit, peruenire non possunt.*

Rursus libro quinto, capite primo, sumpto argumento ex eis verbis Mosis; Hic est liber generationis Cœli, & Terræ, in die, &c. eam ipsam astruit sententiam.

Nunc certè firmior fit illa sententia, qua intelligitur vnum diem fecisse Deum; vnde iam illi sex, vel septem dies, vnius huius repetitione numerari potuerunt, quandoquidem apertius Sancta Scriptura iam dicit, concludens quodammodo cuncta, quę ab initio vsque ad hunc locum dixerat, atque infert; Hic est liber creaturæ vel facturę Cęli, & Terræ, cùm factus est dies.

Et infra capite tertio.

An fortè hoc illud est, quod in libro superiore moliebamur ostendere, simul Deum fecisse omnia, quandoquidem narrationis illa contextio, cùm sex dierũ ordine cuncta creata, & consummata memorasset, nunc ad vnam diem omnia rediguntur nomine Cœli, & Terrę, adiuncto etiam fructicum genere?

Et clariùs libro primo contra aduersarium legis, & Prophetarum, capite octauo.

Quanquam qui munere Dei potuerit perspicaciùs ista rimari, inueniet fortaße in creatura, quę ita facta
Sap. 11. *narratur sine interuallis temporalium morarum, distinctum mirabiliter ordinem rerum. Neque enim materies omninò nihil est, de qua in libro Sapientię legitur; Qui fecisti Mundum de materia informi. Non ergo quia informis dicta est, omninò nihil est. Et Post. Nec putandus est Deus informem prius fecisse materiam, & interuallo aliquo interposito temporis formaße quod informe prius fecerat: sed sicut à loquente fiunt verba sonantia, vbi non prius vox informis, post accepit formam: sed formata profertur: Ita intelligendus est Deus de materie quidem informi fecisse Mundum, sed simul eam concreaße Mundo: Non tamen inutiliter prius narratur vnde aliquid fit, & postea, quod inde fit: quia etsi potest vtrunque simul fieri, non potest simul vtrunque narrari.*

Præstantissimi quoque Patres illi, qui cum Augustino per ea Mosis verba; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erãt super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas: non chaos aliquod vna rudi forma præditum, seu ex elementis commistum, quod seiungendum, venustandũq; esset, sed materiam eam primæuam origine non tempore præeuntem, explicari voluerunt; Mundum non sex diebus, sed vnico congestum fuisse die, visi sunt censuisse, vt Eucherius, & Beda, & Glossa; de quibus suo loco.

HILARIVS de Trinitate, libro duodecimo, Augustino consentire videtur, si rectè eius verba rimemur.

Perpetua enim & æterna rerum creandarum est præparatio; neque partibus cogitationum vniuersitatis huius corpus effectum est, vt primum de Cœlo sit cogitatum, postea Terræ cura, & tractatus Deum inierit, consultatumq; per singula sit, vt primum in planiciem diffunderetur, deinde postea meliori consilio montibus eleuaretur, rursum autem etiam collibus variaretur: quarto deinde habitabilis etiam in ipsis cacuminibus redde-

redderetur, preparareturq; Cœlum, ac sedes Dei segregaretur, ventorumq; exhalationes nubes in summo validæ continerentur. Tunc deinde certi sub Cęlo fontes manarent, ac postremo fundamentis Terra fortibus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorem se sapientia esse profitetur. Sed cùm omnia per Deum, quæ sub Cœlo sunt, facta sint, & componendo Cęlo Christus adfuerit, & ipsam præparati Cœli pręueniat ęternitatem, non patitur hoc existimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes, quia omnis horum præparatio Deo est coæterna. Nam tametsi habeat dispensationem sui secundum Moysen firmamenti solidatio, aridæ nudatio, maris congregatio, astrorum constitutio, aquarum, terræq; in eijciendis ex se animantibus generatio; non tamen Cœli, Terræ, cæterorumq; elementorum creatio leui saltem momento operationis discernitur, quia eorum præparatio ęquabili penès Deum æternitatis infinitate constiterat.

PROCOPIVS Augustini in hoc sectator fuit in Gen. caput primum. *Moses enim in describendo Mundi opificium, sex dierum distinctione vsus est, docendi gratia, videlicet ruditatem Iudæorum, quibus hæc scribebat, quique ea quæ Deus simul fecerat, ob tantam eorum multitudinem, & varietatem simul, & coniunctim capere, & comprehendere, vt erant angustissimi ingenij, nequaquam potuissent.* Et post. *Docet numerum dierum assumptum esse ordinis gratia, & ob nostram imbecillitatem intellectus. Nam alioqui non quiuissemus ordinem rerum creatarum ob multitudinem assequi. Quemadmodum rerum naturalium corpora, vbi primum in essentiam progressa fuerunt, simul colorem, & magnitudinem continent; quorum alterum prius intellectui, alterum secundum est; sic & Mundus ordine conditus, non tempore, sed decenti, & debita harmonia vndique absolutus est. Haud enim pars Mundi vna formata est, deinde altera defuit.*

Et Commentarijs in secundum caput Genesis.

Si rem recta reputare velis, non in die Cęlum, & Terra condita sunt, sed in principio, nec omnia in vno die. Cæterum manifestum arbitror, cùm omnia iam essent facta, & consummata, ordinis gratia, & debitæ consonantiæ assumptum esse illum numerum.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ, quæ est de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo quinto, Augustino consentit, & eius sententiam fusiùs disceptat, & hæc habet.

Solutio, sine præiudicio sententię melioris, videtur Augustino consentiendum. Et vt melius intelligantur solutiones, accipienda est eius sententia in libro super Genesim ad literam, vbi sic dicit in primo libro; Sicut vox, materia verborũ est, verba verò forma, quæ vocem indicant: non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam postea possit colligere, atque in verba formare: Ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcunque naturarum, quasi secunda consideratione formauit, formatam quippe creauit materiam: Sed quia illud vnde fit aliquid, & si non tempore quadam origine prius est, quàm id quod inde fit; potuit diuidere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diuisit. Dicendum ergo, quòd per distinctionem quam ponit Moyses, intelligitur distinctio rerum, secundum naturæ principia, & non distinctio temporum, secundum quem modum distinguitur substantia materię à forma, & forma generalis actiuorum, & passiuorum, sicut elementorum à forma speciali, quæ determinatam in specie habet actionem, & passionem, secundum quod supra distinximus opus creationis ab opere dispositionis, siue distinctionis; & opus distinctionis ab opere ornatus.

CAIETANVS etiam ex nuperrimis, D. Augustini sententiam excitauit; in hoc ab ipso Augustino discrepans, quòd quæ Augustinus ad Angelicam cognitionem retulit, ipse tantùm rerum gradibus aptauit, cùm dixit.

Quia itaq; effecta à Deo in sex distributa gradus se habent inter se, ac si facti fuissent singuli gradus singulis diebus, & septimo die quieuisset opifex perfectis omnibus: Ideo absque fictione Moses effecta à Deo omnia in primo instanti, quo creauit Deus Cęlos, & Terram, distributa in sex perfectionum gradus consequenter se habentes, accommodauit sex diebus naturalibus, & quietem diei septimo. Nec somnio hæc, quoniam omnia fuisse creata simul non solum in Ecclesi. legitur; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul; sed Moses ipse testatur in hoc libro; Istæ sunt generationes Cęlorum, & Terræ, in die qua fecit Deus Cęlos, & Terram, & omne virgultum agri, omnemque herbam, &c. vbi clarè explicat vegetabilia, quæ sunt opus tertiæ diei, facta esse in die, qua fecit Deus Cęlos, & Terram. Simile est autem iudicium de operibus reliquorum dierum.

Ecclesiast. 18.

Gen. 1.

Fauet huic sententiæ primo in loco Diuinæ potentiæ maiestas, ea siquidem est uis potentiæ, vt quanto validior est, tanto citiùs, atque angustiori temporum interuallo operetur; Potestas igitur diuina, cùm infinita sit, Deum quoque in momento cuncta creasse dicendum est. Nil etenim instantanea Mundi creatione, ac exornatione, inexhaustam Dei potentiam nobiliùs pandit, luculentiusq; demonstrat. Nam & Arist. scriptum reliquit, maiorem virtutem mouere idem mobile super æquali magnitudine in minori tempore. Atq; etiam, quòd si virtus infinita esset in magnitudine, moueret in instanti. Deinde eundem fuisse Mundi creationis modum, qui erit & restaurationis, censendum est, sed de restauratione contestatur Paulus, quòd fiet in momento: ait siquidem; In momen-

Rationes istorum Patrum sententiã cõprobantes.

Phis. lib. 6.

Phis. lib 8.

Creationis & restaurationis Mũdi idẽ modus.

1.Cor.15. momento, in ictu oculi, in nouissima tuba; Canet enim Tuba, &c. Porrò tubæ metaphora, nil aliud nobis Apostolus exprimit, quàm Dei edictum. Quapropter theosophari possumus, quoquomodo in ore Dei duplicem affuisse tubam: Nouissima, qua reparabitur Orbis; & prima, qua est conditus. Si igitur canente tuba ultima, in ictu oculi, hoc est, citatissimo momento, (quid enim oculorũ ictu velocius?) ruent omnia, & Mundus restaurabitur: simili etiã euentu, canente prima tuba, Vniuersum hoc, in ictu oculi, hoc est, in momento creatum esse existimandum est. Præterea Dei operandi modus, à modo operandi naturæ, & artis, in hoc differt, quòd natura, & ars ab imperfecto ad perfectum proficiscuntur: Dei autem opera absoluta, primùm ex omni parte, perfectaque prodeunt: iuxta illud, Dei perfecta sunt opera: Absolutum igitur, ac non in tempore compegit Mundi opus. Nec more naturæ & artis, primò congessit, deinde perfecit Mundum; tunc enim opus eius imperfectum quandoque extitisset; Nam si Deus in primæ diei momento, lucem effudit, quid vsque ad secundæ diei initium peregit? Si secunda die Cœlum congessit, vt quid vsque ad tertiam ociosus subsitit? Hæc nanque ociosa interualla, immensæ Dei potentiæ, quæ nescit temporum vicissitudines, ac viuidæ sapientiæ, quæ hæsitationem non admittit, & insitæ ipsius bonitati, qua ad emanationem rerum impellebatur, indecentissima fuissent; parum etiam ipsis creaturis opportuna, quæ efflagranti voto perfectionem exposcentes, imperfectæ consistere tamdiu cogebantur. Amplius irridendi Deum occasioni mora hæc aditum præstat, teste ipso D. Augustino, qui turpe esse ait, nimisque perniciosum, ac maximè cauendum, Christianum de his rebus, quasi secundum Christianas literas loquentem, ita delirare, vt quilibet infidelis audiat, & dicat, quòd toto Cœlo erret, & risum tenere vix possit. Sed ad euidentissimas, perspectasque Scripturæ auctoritates descendentes, primo scriptum comperimus. Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ, quando creata sunt in die qua fecit Deus Cœlum, & Terram, & omne virgultum agri. Quid igitur amplius hæsitandum, si in eodem die, quo Cœlum conditum est, & plantæ emanarunt? quòd si tertio die plantæ conditæ dicuntur, id non asseritur, quia creatæ fuerint diuerso die ab eo quo effectum est Cœlum; sed vt rudibus historia de re tam ardua, ac præcellenti, ad sex dies accommodata magis enitesceret. Amplius testatur Sapiens; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Si ergo simul omnia Deum congessisse, prodit Scriptura, quæ amplius superest hæsitandi ratio?

Tuba duplex in ore Dei.

Deus diuerso à Natura & arte operatur modo.

Deut.32.

Gen. 2.

Eccle.18.

Catena Patrum, Mundum sex dierum spatio conditum, arbitrantium.

Ex aduerso, Patrum numerosa Classis, Mosis literam prosequuta, Orbem non vnico temporis primordio, sed sex dierum delapsu conditum existimauit. Et primo in hanc deueniunt sententiam omnes ij Patres, qui licet non clarè Mundum decursu temporis editum dixerint, attamen literam Mosis iuxta eius peruulgatam significationem capientes, sex dies priscos naturales extasse, & non vniformes fuisse asserunt, sed triduum primum igne, vel nube lucida, seu luce Solis nulli addicta globo splenduisse; quarto verò die conditum fuisse Solem voluerunt: Et qui rem post rem productam exponunt, scilicet primo die lucem, secundo firmamentum, in quo sita consident astra, tertio maria coacta, & Terram denudatam fuisse, & germina pullulasse perhibent: item quinto die pisces, & aues; & sexto animantia & hominem, non in præseminata materia, sed actu producta fuisse à Deo constanter asseuerant. Hi fuere D. Clemens Papa, Dionysius Areopagita, Iustinus, Origenes, Basilius, Ambrosius, Io. Damascenus, Iunilius, Rabanus, Alcuinus, Strabus, Petrus Comestor, & alij plerique, quorum placita, deductis suis locis Catenis apparent. Sed explicata sententia, Mundum sex dierum lapsu prodijsse, plures alij edocuerunt.

PHILO de Mundi opificio.

Sex autem diebus fabricatum ait Mundum, non quòd temporis spatio opus habuerit conditor: Deum enim non iussu solum, verum & cogitatu operari creditur. Sed quoniam opus erat res creari quodam ordine; ordini autem numerus est proprius. Inter numeros verò, lege naturę aptissimus generationi est senarius. Et post.

Nam

Nam si omnia simul & semel fecisset condita, minus ordinis fuisset in rebus tam pulchrè conditis: nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine. Ordo verò est consequentia, seriesq; rerum præcedentium, & sequentium, si non ipso opere, certè consilijs opificum; si modò caueatur vt ea certa, inconfusaq; sint.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione in nouam Dominicam.

Ita procreato lumine, primum quiddam inter dies numeratur, & secundum, & tertium, ac sic deinceps vsq; ad septimū diem, & cessationē operibus afferentem; quibus ea quæ creata sunt, diuiduntur, ac distinguuntur, arcanis rationibus ordinata, & constituta; nec confertim in rerum naturam ab omnipotenti illo Verbo producta, cuius sola etiam cogitatio, vel solus sermo, confectum opus repræsentat.

NICETAS hunc locum sic commentatur.

Ita producto lumine, primus dies, & secundus numeratur; ac sic deinceps vsque ad septimum, quo Deus requieuit ab omnibus operibus, quæ fecerat; quemadmodum testatur Scriptura. Diebus enim opificium Dei diuiditur. Primo etenim lux facta est, quæ & diffusa, & collecta, tres dies ante Solis creationem fecit. Secundo, firmamentum: tertio, aquarum collectio, terræq; germinatio: quarto, luminaria; quinto, animalia ex aquis producta, sexto, animalia terrestria, & homo. Quòd autem hęc opera eo ordine constituta sint, vt aliud sit primum, aliud secundum, ac sic deinceps, non temerè ac frustrà factum est, sed propter rationes quasdam arcanas, & ineffabiles. Rebus enim creatis ordine opus erat. Ordini porrò familiaris, & accommodus est numerus, vt Philo Hebræus scripsit. Ordini aptus est numerus. *Proinde haud subitò, atque confertim opifex Verbum, Deiq; filius, omnia in rerum naturam extulit, licet alioqui omnia facere possit, non modo iussu, atque imperio, sed sola etiā cogitatione. Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Psal. 148. *Quid autem dico, dixit, & facta sunt, cùm cogitatio sola perfectū opus Deo sistat, ac representet? Horum autem verborum sententiā, Theologus à libro Iudith accepit, Deum his verbis alloquentis; Cogitasti ac præsto fuerunt tibi omnia, quę fecisti.* Cap. 9.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione in Sanctam Pentecosten.

Quanquam ea perspicua caussa afferri potest, quòd cùm Deus sex dierum spatio materiam produxisset, & informasset, atque omnis generis speciebus, & commixtionibus exornasset, Mundumq; hunc, quem nunc cernimus, condidisset; septimo die ab operibus conquieuit, velut ipsum quoque Sabbati nomen indicat, quietem Hebræa lingua significans.

Nicetas idipsum eodem loco astruit.

GREGORIVS Nissenus in Hexæmeron, inquit.

Quocirca principium Mundi originis hoc intelligendum esse suggerit, quòd Deus omnium rerum, quæ sunt, materias, & caussas, & vires comprehensim, in momento temporis congesserit, atque molitus sit, & in primo voluntatis impetu, vniuscuiusque rerum natura concurrerit, Cælum æther, stellę, ignis, aër, mare, terra, animalia, plantę; quæ diuino quidem oculo omnia, cùm ratione potentiæ ostenderentur, cernebantur, nimirum ab illo, qui, vt inquit Propheta; Omnia ante ortum ipsorum nouit. Psal. 138. *Potentiam autem pariter, ac sapientiam in vnum collatam ad perfectionem, & consummationem vniuscuiusque particulæ Mundi, series quædam necessaria per quendam modum, rationem, & ordinem consequuta est; vt vnum quiddam eorum, quæ in vniuersitate rerum cernuntur, præcederet; & ante cætera existeret, & ederetur; atq; ita post illud id, quòd necessario præcedens exciperet, ac sequeretur, secundum hoc item tertium, prout artificiosa natura cogebat, itēq; quartum & quintum, & reliqua per quandam consequentem vicissitudinem, non temerario quodam casu, atq; concursione, per quendam inordinatum, & fortuitum motum, & impetum ita existentia, atque prodeuntia; sed vt necessarius ordo naturæ vicissitudinem in ijs, quæ existunt, requirit: ita res quasque & factas esse ait per formam narrationis de naturalibus sententijs philosophicè tractans.*

THEODORETVS Diuinorum Decret. Epitome libro quinto.

Qui autem Mundi ortum conscripsit, apertè docuit, quænam quidem ex ijs quæ non erant, & quænam ex ijs quę erant, fabricatus est opifex; & quòd Cælum quidem, & Terram, & alia elementa, ex ijs quæ non erant, fecit. In principio enim, inquit, fecit Deus Cælum, & Terram. Similiter autem & lucem, ex ijs quæ non erant, fabricatus est. Dixit enim, inquit, Deus, Fiat lux, & facta est lux. Firmamentum autem produxit ex ijs, quę iam facta fuerant. Fiat enim, inquit, firmamentum in medio aquæ, & sit diuidens inter medium aquæ & aquæ. Semina quoque & arbores, è Terra germinare iussit. Germinet, inquit, Terra herbam fœni, seminans semen secundum genus, & secundum similitudinem; & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen ipsius in ipso secundum similitudinem, secundum genus in Terra. Ita etiam ratione carentium animalium genera produxit. Ex aquis quidem, quæ per aërem ingrediuntur, & quæ in aquis degunt, & quæ amphibia, quòd nunc in aquis, nunc in terris viuant, appellantur. Producant enim, inquit, aquæ reptilia animarum viuentium, & volucres volantes in firmamento Cæli. Ex Terra autem, quadrupedes, & serpentes. Producat enim, inquit, Terra animam viuentem, quadrupedes, & pecora. Hominem autem, ex ijs quæ erant, & ex ijs quæ non erant, fecit. Corpus enim formauit limo de terra accepto; animam autem ex ijs, quę non erant, fabricatus est.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite septimo, Deum non simul Mundum creasse, ac venustasse, explicatiùs declarat, dicens.

Et fortasse dicant: cur enim Deus, sicut dixit, & facta sunt: non simul ornatus congruos rebus asurgentibus

tibus donauit elementis, quasi non potuerit Cœlum insignitum stellis subito vt creatum est refulgere, & floribus, ac fructibus Terra vestiri? Potuit vtique, sed ideò primò facta, postea composita declarantur, ne verè increata,& sine principio crederentur, si species rerum, velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita Terra legitur,& iisdem à Philosophis æternitatis, quibus Deus priuilegiis honoratur: Quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum addicta naufragio, & adhuc à nonnullis facta non creditur: Quid si decorem primogenitum vendicaret? Accedit illud, quòd imitatores nos sui Deus esse voluit, vt primò faciamus aliqua, postea venustemus: ne dum simul vtrunque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit. Ideo primum fecit Deus, postea venustauit, vt eundem credamus ornaße, qui fecit,& fecisse qui ornauerit: ne alterum putemus ornasse, alterum creauisse: sed eundem vtrunque esse operatum, vt primò faceret, postea componeret, ne alterum sine altero crederetur.

Et de Cain, & Abel libro secundo, capite sexto.

Vtique simul omnia fieri iubere potuit Deus, sed distinctionem seruare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis.

Et libro sexto epistolarum, Epistola trigesima nona ad Horuntianum.

Psal. 148. *Sex itaque diebus factum Mundum exprimit, non quòd Deus tempore indiguerit ad constitutionem eius, cui intra momentum suppetit facere quæ velit (dixit enim, & facta sunt) sed quia ea quæ fiunt, ordinem quærunt. Ordo autem, tempus & numerum plerunque exigit. Illud quoque præcipuè, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum seruauit,& tempora. Nos enim tempore indigemus, vt aliquid maturiùs agamus, ne præcipitemus consilia, atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus.*

IO. CHRYSOSTOMVS dilucidam huiusce rei detulit sententiam, Homilia tertia in Genesim.

Verùm scire,& discere debemus à Spiritu Sancto per linguam beati huius Prophetæ, quæ primo die condita sunt,& quæ aliis. Nam & istud ipsum misericordis Dei condescensionem declarat. Neque enim inops erat omnipotens illius manus,& infinita sapientia, vt non posset vno die producere omnia. Quid, inquam, vno die? & simplici momento poterat. Sed quandoquidem res non ob suam vtilitatem produxit, (nullius enim rei indigus est, qui sufficientissimus) sed ob suam benignitatem, & bonitatem fabricauit omnia. Idcircò non simul, sed successiuè,& per partes condidit,& doctrinam nobis manifestam de rebus conditis, per linguam beati huius Prophetæ tradidit, vt hæc exactè discentes, non accedamus eorum sententiæ, qui humanis rationibus mouentur.

GREGORIVS libro trigesimo secundo Moralium, capite nono, à D. Augustino discedere visus est, cùm rerum substantiam primò informem, non tantùm origine, sed tempore præextitisse perspicuè tradat.

Rursum quærendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit; dum Moyses sex dierum mutatione variante distinctè creata describat? quod tamen citiùs agnoscimus, si ipsas caussas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est: sed simul species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cùm enim simul factum Cęlum, Terraque describitur, simul spiritalia, atque corporalia, simul quicquid de Cœlo oritur, simul factum quicquid de Terra producitur, indicatur. Sol quippe, Luna, sydera quarto die in Cœlo facta perhibentur; sed quod quarto die processit in specie, primo die in Cęli substantia extitit per conditionem. Primo die creata Terra dicitur, & tertio arbusta condita, & cuncta terræ virentia describuntur: sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa, de qua ortum est, terræ substantia conditum fuit. Hinc est, quòd Moyses, & distinctè per dies singulos Gene. 2. *condita omnia retulit,& tamen simul omnia creata subiunxit, dicens; Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Dominus Cęlum,& Terram,& omne virgultum agri, antequam oriretur in Terra, omnemque herbam regionis. Qui enim diuersis diebus, creatum Cœlum,& Terram, virgultum, herbamque narrauerat, nunc vno die facta manifestat; vt liquidò ostenderet, quòd creatura omnis simul per substantiam extitit, quamuis non simul per speciem processit.*

ATHANASIVS contra Arrianos, sermone tertio.

Tota rerum natura intra sex dies condita est: primò quidem lux, quod spatium diem appellauit, secundo firmamentum,

Et de Virginitate.

Ipse enim Deus pater omnium, intra sex dies fecit Cęlum,& Terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.

THEOPHILVS Patriarcha Antiochenus, ad Autolycum libro secundo.

Terra autem erat informis,& inanis,& tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei mouebat se super faciem aquarum. Hæc in primis Scriptura agit, & monet, vt doceat materiam à Deo esse quodammodo factam, ex qua Mundum constituit,& in decentem ordinem redegit.

IVLIANVS Pomerius Archiepiscopus Toletanus lib. contra Iudæos tertio.

In sex quippe diebus fecit Deus Cœlum, & Terram, & omnem à se formatam distinctis diebus, condidit creatu-

creaturam, vnumquemque diem lucem initians, vespere consumans.

Verùm quod in hoc negotio maximè refert, est, quòd D. Augustini acerrimi, ac perpetui defensores, & qui ab eius doctrina nec latum vnguem recedere consueuerant, hac in re ab eo in arduam sententiam præcipitato, desciuerunt.

ALCVINVS libro quæstionum in Gen. ad primam respondens ait.

Requieuit à nouarum conditione creaturarum, non à conditarum gubernatione; & ideò Deus tunc creator, in sex dierum creatione putandus est; nunc verò gubernator in totius Mundi naturis.

Et amplius quæstione decimanona.

Quot modis est operatio diuina? Resp. *Quatuor. Primò quòd in Verbi dispensatione, omnia æterna sunt. Secundo, quòd in materia informi, qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Tertio, quòd per opera sex dierum varias distinxit creaturas. Quartò, quòd ex primordialibus seminibus, non incognitæ oriuntur naturæ, sed notę sæpius, ne pereant, reformantur.*

Hæc eadem habet Glossa ordinaria ex Alcuino.

HVGO Victorinus noster, Adnotationibus in Genesim, capite quarto, hanc vberius disputans difficultatem, ait.

De modo creandi magna quæstio est; quidam enim dicunt, Deum omnia simul fecisse quæcunque; alij distinguũt per sex dierũ operationem, & dicunt illam distinctionem figuratiuam esse, & propter mysterium tantũ, nec ita fuisse ad literam. Et hoc volunt probare illa auctoritate; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Et alia etiam de hoc eodem libro sumpta, vbi recapitulando post opera sex dierum; Istæ sunt, inquit, generationes Cæli, & Terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Deus Cęlum, & Terram, & omne virgultum agri. Dicunt etiam hanc rationem, quia Deo non conuenit ad modum hominis aliquid imperfectum facere, aut inordinatum, aut deforme. Sed facilè est illas auctoritates soluere. Contra hanc rationem quoque possumus dicere, quòd Deus, qui in momento poterat omnia facere, sex diebus distinxit opera sua: non propter suam (quæ nulla est) impotentiam, sed propter rationabilium creaturarum instructionem & exemplum. Sicut enim prius rebus dedit esse, & postea pulchritudinem; ita & Angelo, & homini, quibus dederat rationales esse, si perstitissent, dedisset & beatos esse; & hoc esset pulchrum esse. Quod exemplum, quia neglexit Angelus, respiciens ad esse suum, quod rationale erat, nimium de se præsumens, cecidit irrecuperabiliter, sicut alij immobiliter sunt confirmati. Ad hominis verò reparationem, sex diebus distinguere voluit opus suum, vt in hoc haberet homo animum occupatum ad sui institutionem. Quòd autem Deus dicitur creasse aliquid imperfectum, aut informe, non nocet, nec est inconueniens; quia ad comparationem maioris perfectionis, aut pulchritudinis, quas ipsemet per se, quando oportuit, addidit, dici debet: sicut quotidie facit pueros imperfectos, quantum ad augmentum quod sequitur: sed tamen perfectos ad numerum partium, manuum scilicet, pedum, & cæterorum membrorum: & hæc sententia probabilior videtur. Capu. Ecclesiast. 18. Gen. 2.

Idipsum libro de Sacramentis Fidei parte prima, vberiùs disputat: sexto autem, quantum informitas ea perstiterit, edisserit. Cap. 2. & 3.

RVPERTVS Abbas, Commentarijs in Genesim, libro primo, capite trigesimoseptimo, ab Augustini vexillo defecit.

Iam nunc tamen quærendum est ab eis, qui omnem creationem repentinam, & commixtam fuisse volunt, quomodo accipiant illud quod dictum est; Plantauerat Paradisum voluptatis à principio. Nam propter illud quod alibi scriptum est; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul; volunt repentè, & absque vllis profectibus, herbam maturam, & ligna robusta, cum pomis, & seminibus suis constitisse; simul luminaria in firmamento; simul reptilia maris, & volatilia Cæli efferbuisse; simul nihilominus animantia terræ, & ipsum hominem subitò obambulasse in pedes. Hoc planè à ratione dissentit, nec huiusmodi sensum præsentis lectionis textus admittit. Nam à principio iam dictum est, quòd plantauerat Dominus Deus Paradisum voluptatis, & homo non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Gen. 2. Ecclesiast. 18

PETRVS Riga Remensis, poëmate inscripto Aurora.

Principio Terram, Cælumq; creasse refertur,
Qui sine principio, qui sine fine manet:
Ex nihilo, non ex aliquo, simul omnia fecit;
Non tamen effigiat cuncta creata simul;
Quòd careat formis, & non habitetur, inanem
Et vacuam Terram, pagina sacra refert.

MAGISTER Sententiarum, libro secundo, distinctione duodecima.

Res non simul, vt quibusdam Sanctorum Patrum placuit, sed per interualla temporum, ac sex volumina dierum, vt alijs visum est, formauit. Quidam nanque Sanctorum Patrum, qui verba Dei, atque arcana excellenter scrutati sunt, super hoc quasi aduersa scripsisse videntur. Alij quidem tradiderunt omnia simul in materia & forma fuisse creata; quod Augustinus sensisse videtur. Alij verò hac magis probauerunt, ac asserue-

seruerunt, vt prima materia rudis, atque informis quatuor elementorum commixtionem, atque confusionem tenens, creata sit: postmodum verò per interualla sex dierum, ex illa materia rerum corporalium genera sint formata secundum species proprias. Quam sententiam Gregorius, Hieronymus, & Beda, aliiq; plures commendant, ac præferunt. Quæ etiam scripturæ Geneseos (vnde prima huius rei ad nos manauit cognitio) magis congruere videtur.

D. THOMAS has duas D. Augustini, & Sanctorum Patrum tam aduersas sententias conciliare nititur, prima parte, quæstione sexagesimasexta, articulo primo: sed luculentiùs quæstione septuagesima quarta, articulo secundo: licet in disceptationis illius progressu (si accuratiùs attendatur) ad secundam magis, quàm ad D. Augustini sententiam declinare videatur. Cæterum in quæstionibus disputatis, quæstione quarta de omnipotentia, articulo secundo, aurea decisione de ipsis hoc tulit iudiciū.

Harum igitur expositionum, prima, scilicet Augustini, est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturam defendens. Secunda verò, scilicet aliorum Sanctorum, est planior, & magis verbis literæ propensior; ideò vt neutri harum expositionum præiudicetur, vtranque opinionem sustinentes, vtriusque rationibus respondendum est.

Cap.22. GVLIELMVS Parisiensis libro de Vniuerso, prima parte.

Si quis autem quærat, quomodo non cum ipsa prolatione huiusmodi Verbi omnia simul facta sunt, cum ex Verbo, & per Verbum, tanquam caussa efficiente, & sufficiente, omnia facta sint? Respondeo, quia non omnia simul effici potuerunt, immo cùm reuera dicta fuerint, simul tamen omnia fieri non potuerunt. Tu enim & pater tuus, atque mater, simul fieri non potuistis: similiter neque pullus, & ouum, ex quo generandus erat ipse, eodem modo neque semen, & id quod generandum erat ex semine; & in exemplis etiam, quæ præmisi, manifestum est. Etsi enim vno verbo imperetur expugnatio vrbis, & propter hoc omnia, quæ ad eiusdem expugnationem faciunt, non tamen omnia illa simul fieri possunt. Scire etiam debes, quia Creator benedictus, non aliter dixit res fieri, quàm factę sint; immo dixit vnumquodque fieri suo tempore, ordine, & loco, sicut & tu non cogitas omnia scribi simul, quę scribis, sed vnumquodque suo ordine scribis, & etiam cogitas in vniuersali scribere librum, non cogitas ipsum scribere totum simul, sed particulatim, & ordinatè; & de vnoquoque per artificium sic se habet. Quantò fortius igitur Creator sapientissimus, nec dixit omnipotentissimo Verbo, nec cogitauit ineffabili cogitatu suo, omnia fieri simul, sed magis ordine, quo congruebat eis esse & fieri, similiter & tempore.

Et post, capite vigesimo nono.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram. Vbi præmittam hanc radicem: Ordo naturæ, ordo est creationis; cuius hæc est intentio, vt quę priora sunt natura, intelligantur esse priora creatione, siue prius creata. Quoniam igitur extrema in omni contrarietate priora sunt aliis, Cęlum autem vltimum, & Terra, extrema sunt inter corpora, atque contraria, sicut loco suo declarabo: ex necessitate ergo primo creata sunt. Idem autem est dicere primo creata, & in principio creata. Manifestum igitur est, quia in principio creauit Deus Cælum, & Terram; hoc enim est ante corporalia.

TOSTATVS in Genesim, cap. primo, molestè Augustini assertionem perferens, alteram probare visus est.

Ista autem positio altissima est, quia à tanto Doctore principium habuit. Sed non videtur concordare multum intentioni legislatoris, quia Moses loquebatur hic populo rudi, qui de cognitione Angelorum, nec de ipsis Angelis aliquid intelligere poterat: sed ea quę loquebatur, Moses volebat quòd populus intelligeret: ideò de rerum creatione, & non de cognitione Angelica intellexit. Et ista est intentio omnium Doctorum.

ALEXANDER de Hales secunda parte, quæstione nona, membro septimo, in vtranque sententiam rapi videtur, cùm ait.

Respondendum est secundum Augustinum super Genesim ad literam, quòd res simul creatæ sunt: licet sit ordo inter ipsas res creatas secundum minus nobile, & magis nobile: & iste est ordo secundum dignitatem: quem ordinem tangit Damascenus, cùm dicit; Decebat primum intellectualem substantiam fieri, & ita sensibilem; & tunc ex vtroque hominem. Potest tamen hic intelligi, vt sit prioritas temporis secundum intentionem beatorum Gregorii, & Hieronymi, & aliorum expositorum.

Sed expressiùs quæstione quadragesima quarta, membro tertio, suam explicauit sententiam.

Dicendum, quòd non est simile de creatione & factione: factio enim respicit formas distinctas vbi ordo designatur, & ita potest designari dies, secundum quod dies est ex reuolutione luminosi: Creatio verò, vt distinguitur à facere, respicit materiam, & ita non dicitur ibi prius, & posterius, quod respicit formam, sed simul. Nec oportet, si mensurata sunt in natura ordinata, quòd propter hoc sit ordo ex parte mensuræ: ad prius enim, & posterius natura, non sequitur prius, & posterius in duratione.

Et post, quòd in momento effecta fuerit creatio, edocet, cùm ait.

Con-

Concedimus, quòd omnia creata sunt in vnico nunc: & illud nunc, non est nunc æternitatis, nec nunc temporis, sed nunc æui; & hoc dicimus, tum quia magis manifestatur Dei potentia, creando in vno nunc multa; tum quia creata hoc modo, plus conueniunt cum primo.

D. BONAVENTVRA, Magistri acerrimus sectator, sub huius sententiæ vexillo se recepit, libro secundo Sententiarum, distinctione duodecima, quæstione secunda. Dicit enim.

Quidam Sancti in hac quæstione magis secuti sunt viam Theologicam, trahentes rationem ad ea, quæ sunt Fidei. Quidam verò (inter quos præcipuus fuit Augustinus) magis secuti sunt viam Philosophicam, quæ illa ponit, quæ videntur magis rationi consona: vnde & intellectum Scripturæ trahit ad rationis confirmationem, & attestationem. Vnde cùm videatur rationabilius, à summa potentia omnia produci simul, & mora temporis interiacentis nullius videatur esse vtilitatis, vel necessitatis; posuit omnia simul esse producta: suam positionem confirmans per auctoritates sacræ Scripturæ; & exponens illud, quod videtur sibi contradicere, videlicet, de dierum distinctione: ostendens, quòd illi dies non fuerunt dies materiales, sed potius spirituales; qui omnes simul potuerunt esse: & hæc positio multum fuit rationabilis, & valde subtilis. Veruntamen, quia ad hanc positionem videtur intellectus Scripturæ distrahi, & securius est, & magis meritorium intellectum nostrum, & rationem omninò Scripturæ supponere, quàm ipsam aliquo modo distrahere: ideò communiter aliqui Doctores, & qui præcesserunt Augustinum, & qui secuti sunt; sic intellexerunt, & posuerunt sicut textus in litera sacræ Scripturæ Genesis sonare videtur. Vnde posuerunt omnia materialia, & corporalia simul esse creata in materia, sed per senarium dierum esse distincta in forma. Et Post. *Dicendum, quòd Scriptura facit vim inter creare, & facere. Nam creationem, vocat productionem ex nihilo; factionem verò, ipsam distinctionem; & hoc benè signatur Genesis secundo, vbi dicitur, quod cessauit ab omni opere suo, quod creauit, vt faceret. Omnes igitur Sancti in hoc concordant, quòd omnia sunt simul producta in materia: & ideò omnia concedunt simul esse creata, sed tamen non simul facta.*

Verùm minimè silentio prætereunda sunt huius tantorum Patrum assertionis solida argumenta. Potissimum igitur huius sententiæ fundamentũ, est literæ series; siquidē historiã intexebat Moses; Historici ergo munia obire debebat: sed Historici partes sunt, res gestas prout gestæ sunt enarrare, ac voces secundũ vsitatã significationē desumere; igitur & gesta, & verba, prout sonant, sunt accipienda. Turbatur nimium hæc Mosis de opificio Mundi enarratio, si in tēporum primordio verè simul condita sunt omnia. Quę enim Terra illa inanis & uacua? Quomodo aquis cooperta, & post detecta? Quæ tenebræ? Quæ abyssus? Qui spiritus latus super aquas? Quæ lux primo die ante Solē præcreata? Et qui Sol post quarto die conditus? Quare firmamentum aliud fuit compactum à Cœlo primo die conflato? Certè hæc omnia præisse tempore informem Orbem, & Chaos non fictum, & commentitium, sed uerum arguunt, atque conuincunt: aut nulla est historiæ ratio, nullusque literalis sensus. Quare D. Augustini interpretatio longè abscedit à litera, ac tota in peregrino sensu uersatur, & ea quæ splendidiora sunt ipso Sole, densissimis nubibus obscurat. Nec Mosen rudibus Hebræis, quod momento actum est temporis, sub decursu exposuisse, vt digestam, ac perfacilem rudibus ingenijs afferret rerum omnium conditarum enarrationem eorum captui accommodatã, dicendum est; potuisset enim primùm Moses creationem rerum in momento effectam, uti momento factam dilucidè, & clarè proponere; deinde Chaos explicare, ac postea secretionis, venustationisque opera, nulla sex dierum commemoratione facta, nec uespere, & mane toties inculcata mentione, repræsentare, ac enarrare. Siquidem si Moses historiæ suæ hos sex dies intexuit, ac apposuit, quasi per eos ex vi literæ, seu literaliter cognitiones Angelorũ matutinas, & uespertinas studens explicare, quis attingere eum potuit? si allegorijs vsus est, quomodo potuit Moses rudibus, obesique ingenij Hebræis obscurè, enigmaticèque cognitiones Angelorum vix Theologis prospectas, & cognitas obijcere? Igitur Mosis historia, nullum literalem sensum, ratum, ac firmum deferret, sed omnia ad allegoriam redigenda essent. D. Thomas quæstionibus disputatis, & post eum plures ex recentioribus hoc aliud contra Augustinum proferunt argumentum. Moses præceptum de Sabbati obseruatione promulgans, hanc unam mandati eius caussam reddidit; Quòd Deus creatis intra sex dies, Cœlo, & Terra, die septimo quieuerit ab omni opere, quod patrarat; at si simul, seu uno die omnia Dei nutu emanassent, ratio ea non tantùm infirma, & futilis, sed minus sincera uideretur. Amplius in D. Augustinum inuehuntur alij: si omnia simul condita sunt, omnia inquam, quæ sex diebus facta narrantur; & ea, quæ ante sex dies in primordijs temporum

Distinctio sex dierũ in creatiõe, quē ordinem importe.

Rationes pro hac sentētia.

Exod. 20.

porum creata recensentur; simul igitur creatum est Cœlum, simul formata lux, simul diuisæ tenebræ à luce: Quòd si Cœli nomine (vt inquit Augustinus) intelligitur Angelus, paritérq; segregatione lucis à tenebris, Angelorum bonorum à prauis seiunctio; igitur simul editus est Angelus, eodemque ipso momento ad Deum conuersus est, ac ipsomet Angelus assumptus, Dæmonque expulsus, ac deiectus. Hæc autem & doctrinæ omnium Theologorum, & Scripturæ, & rationi admodum aduersa sunt: Theologi enim, inter Angeli conditionem, & lapsum, & assumptionem, seu propulsionem, morulas (vt aiunt) quasdam intercessisse perhibent. Verùm & de homine maior est difficultas, quomodo enim potuit eodē momēto formari homo? in Paradisum ferri? somno corripi? Eua educi? & similia. Amplius, distinctio sex dierum à Mose tradita; aut importat ordinem temporum in rerum creatione, ita vt prius enarrentur, quæ prius editæ sunt; aut ordinem dignitatis, quo præstantiores præire scimus; aut naturæ, quo caussæ effectus præcedunt; aut ordinem cognitionis Angelicæ, vt ea prima prodijsse tradantur, quæ primùm Angeli percepere. Non denotat certè ordinem dignitatis, quia tunc homo Mundi princeps, primo die emanasse perhiberetur: non naturæ, tunc enim Solis, & Astrorum creatio plantarum originem antecessisset: non ordinem Angelicæ apprehensionis; & primò non matutinæ, cùm beatifica visio nullam multitudinem, ac successionem suscipiat, simul enim ea omnia, quæ ipsorum competunt gloriæ, Angeli in Verbo contuentur; nec vespertinæ, Angeli nanque saltem nobiliores unico prospectu plura rerum genera simul comprehendunt, quàm inferiores. Rursus hæc uespertina Angelorum cognitio naturæ ordinem insequuta esset, quem tamen Moses in rerū ipsarum à Deo effectarum narratione haudquaquam obseruauit. Superest igitur, ut sola ratio, ac ordo temporis, quo res conditæ sunt, dies istos discernat, distinguatque, & ex temporis ratione Moses eos contexuerit. Accedit vltimo in loco id quod scitè admodum adnotauit Vielmius, quòd sacra volumina, secundum numerum septenarium tempora computant, ac hebdomadum genera plura proponunt, vt D. Gregorius perpendit, & infrà luculentius à nobis enarrabitur. Vnde & in vsu fuit apud Hebræos hebdomada septem dierum, & septem annorum, ac etiam magna hebdomada septem annorum complectens hebdomadas, quam è vestigio subsequebatur Iubilei annus. Amplius, populi cuncti vetustim, confertim, agminatim, tàm Barbari, quàm Græci, ac Latini, hebdomadibus perpetuò vsi sunt, quamuis in denominandis diebus non omnes inuicem consenserint. Quæsitare igitur possumus, cur tam Scripturæ, quàm sæculi sapientes, septimanas, & non decimanas, seu octomanas sibi selegere; certè nullam aptiorem huius instituti rationem proferre possumus, quàm quòd septem dies hebdomadæ nostræ primorum septem dierum simulachrum insigne, illustrisque imago censeantur. Quapropter primam eam creationis hebdomadam, quam nobis conscribit Moses, fuisse septem integras Cœli conuersiones, septemque naturales, & non fictitios dies, asserendum est. Postremò Ecclesiam contra D. Augustinum decreuisse, ac statuisse, non imbecille est argumentum, quòd in hymnis vespertinis singulo die, de singulo opere, in creationis Mundi primordijs, & ipso die peracto, immortales, quoad potest, Deo conditori referat gratias.

Distinctio sex dierū in creatiōe, quē ordinem importet.

Lect. 17. in Gen. Homil. de Magdalena.

Iudicium Auctoris.

Quanquam isti arduo admodum, ac perdifficili negocio, huic tantæ, & tam graui Patrum disceptationi iudicium meum interponere, non modicè reformidem: dicam attamen ingenuè, quid ipse existimem. Dialecticum istud in via Patrum problema esse arbitror: ac D. Thomam vt ducem insequens, neutram harum opinionum apprimè reijcio, nec vt falsam repello; sed primam D. Augustini ingeniosiorem, atque ad refellendas gentilium Philosophorum irrisiones promptiorem: alteram autem planiorem esse magis, ac Mosis literæ arridentiorem reputo. Quapropter cùm ad exponendam Mosis historiam, Basilij, cæterorumque Patrum, Mundum delapsu temporum constructum existimantium, sententiam aptiorem, & accommodatiorem perspiciam, hanc altera non reiecta, prosequar: si prius ad argumentationes ex utraque parte deductas,

D. Augustini sententia subtilior est, sed alia literę accōmodatior.

ctas, concisè, quoad fas erit, responsa insinuauero. Ad primam pro D. Augustino delatam argumentationem, quòd Dei inæstimabilis potentia calumnia affici videatur, si tarda molimina ei, quæ operosissima est, in Mundi emolitione ascribantur: Duo dicerem; primùm, illam in creando moram, ac protractionem duo demonstrare, quæ Deo æquè connexa sunt, ac immensa potentia; Sapientiam, inquam, & libertatem. Emicat enim in rerum effectione per dies protracta, non momento peracta, Sapientia Dei; cùm triplex Mundi status, ac facies repræsentetur, creationis, seiunctionis, atque exornationis; & mirificè quantum Sapientia in discretione, ac venustatione Chaos effulserit, enarratur; adeò vt de seipsa eleganter prodat Sapiētia; Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo, ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Oblectationem maximam, ac quasi ludentis suscepit Sapientia æterna, quando vniuersa constituens, ordini ordinem, pulchritudini pulchritudinem, decori decus semper adiungebat. Emicat insuper diuinæ uoluntatis libertas. Noluit enim Deus Orbem in instanti venustare, sed sensim, ac gradatim, vt suam voluntatem, ac libertatem patefaceret. Quapropter Deus Mundum effecit certè vastissimum, ac amplissimum, vt suam omnipotentiam demonstraret; cōdidit dierum sex prolapsu, vt voluntate, non necessitate eum protulisse cōprobaret. Quemadmodum igitur licet ab æterno (si Thomistis credimus) vel saltem multis ante æonis, ac sæculis Deus Orbē procreare, amplioreq; ipsum, & rerū speciebus magis refertum efficere potuisset; attamen & diffinito, præscriptoq; à se tempore, & hac præfinita mole, ac rerum numero, condere eum voluit, quia sibi placuit: Ita prorsus quamuis vnico momento, & simul, omnia perficere certè valuisset, sex tamen dierum interuallo creationem protraxit, quia id sibi beneplacitum fuit. Aristotelis axiomata de agentibus ex naturæ necessitate verificari, omnibus compertum est; At nos verum Deum opificem liberum agnoscimus, ac nulla coactione obstrictum prædicamus. Non igitur ex agentis imbecillitate, seu ex materiæ reluctantia, sex diebus immoratus est Deus, cùm Orbem emolitus est; sed vt æquè Sapientia, ac libertas, quæ in Deo non minoris sunt præstantiæ, quàm ipsa potentia, enitescerent. Arbitror amplius, Dei summam potentiam magis ex Orbis structura per sex dies dilata, quàm si vnico momento omnia fabricasset, elucescere. Immensa siquidem Dei emicat potentia, quòd ex nihilo cuncta crearit; sed in hac per sex dies effusa rerum emanatione explendescunt eiusdē potentiæ potiora monumenta, vtpote quòd efficere potuerit, vt accidentia sine aliquo substrato subsistant, & quòd absque vllo secundarum caussarum auxilio, effectus quos vult, ipse producat; quæ præcipuè apparent, cùm lucem primo die absque Solis globo effulsisse, & Cœlum secundo die sine Sole, Luna, ac Syderibus conditum, plantas quoque tertio die ante Sydera ipsa creatas fuisse, historia tradit; quibus luce clariùs demonstratur, Deum accidentia, ac ornamenta à subiectis rebus seiungere, & absq; secundis caussis res efficere, conseruareque posse: quæ profectò, si vnico momento cuncta produxisset, haudquaquam apparuissent. Nec ob id imperfectum manauit opus à Deo, cùm ipsum non vt absolutum, sed vt absoluendum proferret. Sciscitari verò quid Deus à diei initio, quo opus sibi à seipso præscriptum absoluerat, ad sequentis diei exordium ageret, puerile prorsus ac ineptum est: siquidem Deus perenni eo fruebatur otio, quo ante Mundum in seipso beatus potitus est. Præterea, indagare, num rebus ipsis, quæ efficiebantur, cunctationes illæ molestæ essent, tædiosum est, ac intempestiuū. Siquidem asseuerare possumus, quòd in eo crasso, indecoroq; statu, in quo creaturę ab imperfecto ad perfectius contendebant, nil ipsis violentum contingebat, vt quæ in manu opificis collocatæ, illius voluntati omninò obsequebantur; & quanto flagrantius absolutionem suam expetebant, tanto magis creatione per dies protracta, immensum sibi collatū à Creatore munus sentiebant, atque à Deo cuncta, à seipsis nihil habere posse, experiebantur. Vt alteri argumentationi ex creationis, ac restaurationis Mundi conformitate deductæ satisfaciam, ponderandum existimo; aliud esse efflagrationem, & restaurationem Mundi, aliud mortuorum resurrectionem: siquidem licet mortuorū resurrectionem in instanti faciendam asseueret D. Paulus, dicens; In momento, in ictu oculi in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: Orbis tamē restau-

Diluuntur rationes p D. Augustino adductæ.

Creatio per sex dies protracta, summæ Dei sapientiæ, & libertatis argumentum. Prou. 8.

Creatio protracta, Dei potentiā magis ostēdit quàm momētanea.

1. Cor. 15.

Mūdi restauratio non in momēto fiet. Luc. 21. restaurationem in tempore explendā, expressè, dilucidèq; ex alijs Scripturę locis euincitur. Primùm nanque præibunt plura portenta, vt edocet Scriptura: Erunt, inquit, signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus: & deinde conflagratio non nisi in tempore fieri poterit. Nec ob rerum emolitionem sex diebus protractam Deus irridendus venit; nam, vt dictum est, omnipotentia eius augustissima nullo modo obscuratur, aut labefactatur; sed cum Sapientia, & libertate magis enitescit, atque resplendet. Duabus propositis Scripturæ auctoritatibus occurrere non arduum est; prima enim illa; Gen. 2. Hic est liber generationis Cœli, & Terræ, in die quo fecit Dominus Cœlum, & Terrā, & omne virgultum agri; peritorum in Sacris literis iudicio, ad D. Augustini sententiā comprobandam, inefficax, imbecillis, ac nullius esse ponderis agnoscitur, cùm dies singulari numero pro plurali, hoc est, pro diebus, & pro eo quòd est in tempore, sæpius ex Isa. 9. Isa. 14. phrasi Hebræa in sacris literis accipiatur; vt eo loco apud Prophetam; Sicut in die Madian: Iterumq; apud eundem. Et erit in die illa, dicit Dominus.

HVGO Victorinus primus attulit hanc solutionem. Adnotat in Gen. capite septimo, cùm inquit.

Moses prius visus est dixisse, sex diebus omnia esse creata: hic verò vno die. Sed si diem confusè pro tempore accipiamus, & verisimilis, & facilis erit solutio: Possumus & secundo interpretari illud verbum in sententia allegata antequam orirentur, hoc est antequam orirentur per propagationem, aut successionem, sicut modo.

D. Thomas quæstionibus disputatis, articulo secundo, hanc delatam auctoritatem, altero etiam modo ita exponit, quòd in die, quo creauit Deus Cœlum, & Terram, scilicet corpora cœlestia, & quatuor elementa secūdum suas formas substantiales, creauit etiam omne virgultum agri, non in actu; sed antequam oriretur super Terrā, idest potentialiter, quod postea tertia die fuit in actuali existentia productum. Verùm Catena Patrum hunc locum explicantium, suo loco vberiùs deducetur. Loci illius apud Ecclesiast. 18. Ecclesiasticum, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul; tot certè adsunt Patrum, Doctorumq; interpretationes, vt Catenam ferè conficere possimus.

Catena exponentium locum Ecclesiastici, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.

GREGORIVS libro trigesimosecundo Moralium, capite nono, inquit.

Rursum quærendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante, distinctè creata describat, quod tamen citiùs agnoscimus, si ipsas caussas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est: sed simul species formata non est; & quod simul extitit per substantiam materię, non simul apparuit per speciem formæ.

Hanc ipsam interpretationem Gregorij adduxit Glossa ordinaria; Hanc pariter liber Antecimenon dictus, Interrog. & Respon. prima; Hanc Iunilius in Hexæmeron; Hanc Alcuinus quæst. in Gen. decimanona; Hanc D. Thomas prima parte, quæstione sexagesima quarta, protulerunt.

RVPERTVS Abbas Commentarijs in Genesim libro secundo, capite decimo octauo.

Proinde cùm dicitur; Qui viuit in æternum, creauit omnia simul: subaudiamus, antequam faceret. Sic etenim hic habemus, creauit, vt faceret: creauit, inquam, omnia simul in sua sapientia, vt vnumquodque illorum in sua propria faceret essentia. Nam ne putes sic esse dictum, creauit omnia simul, vt intelligendum sit, repentè in proprijs speciebus, vel formationibus constitisse omnia simul, nec herba virens, nec ligna pomifera Cælo, & Terra, vel vno momento minora existerent.

HVGO de Sacramentis libro primo, prima parte, capite quinto.

Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Quia eodem momento simul, & visibilium materia essentialiter creata est, & inuisibilium natura: nihilq; postea factum, cuius in ipso primordio, aut materia, vt in corporibus: aut similitudo, vt in spiritibus non præcesserit. Nam etsi nouæ adhuc quotidie creantur animæ, noua tamen creatura non fit: quia in Angelicis spiritibus, iam tunc quando creabantur, eius similitudo præcessit.

LVSITANVS Commentarijs in Genesim.

Hoc modo omnia à Deo simul facta dicit Ecclesiasticus, quòd videlicet opus suum non interposuit, sed continuauit, donec absoluit.

VIELMIVS Lectione decimaseptima.

Ad locum autem Ecclesiastici respondemus; ea tunc communi hominum sermone dici simul fuisse facta, quando vel nulla, vel quæ videatur admodum parua mora, exiguumque temporis interuallum intercesserit, dum efficerentur. Quamobrem & Cyrillus in Catena in Psal. trigesimum sextum, capi Simul quandoque pro repentè, ac statim, dixit. Et Sanctus Thomas tertia parte, quæstione quinquagesima tertia, art. secundo, ea quoq; dici posse fieri statim, adnotauit, quæ breui, aut certè non interposito longiori tempore conficiuntur: sic dicitur domus tota simul extrui, ac statim, quæ successiuè sine temporis interpellatione ædificatur, quanquam iaciatur antea fundamentum, moxque erigantur parietes, aut etiam muri, & postea tectum superponatur, atque adeò in tempore consummatur; & quoniam Deus iugi quadam, & continuata dierum serie, in quibus feriatus non est, nec suum reliquit opificium, illa omnia, quæ Mundum perficiunt, & exornant, absoluit; rectè profectò, & appositè Sapiens scribere potuit, illum omnia simul creasse. Habetur in Catena Græca Danielis Barbari.

PERERIVS in Genesim libro primo, duas alias ab his diuersas affert interpretationes.

Omnia creata sunt simul, ea nempè, quæ sunt propriè loquendo creata, idest, ex nihilo facta; hæc autem simul omnia vno instanti sunt condita, Cœlos dico, Angelos, & quatuor elementa. Sed verum, & germanum illorum verborum Ecclesiastici intellectum reddit verbum Græcum ibi positum κοινῇ, quod noster interpres vertit Latinè Simul, significat enim idem, quod pariter, seu communiter, vel vniuersaliter: vt proprius eius loci sensus sit, Deum omnia pariter, vel sine vllius rei exceptione creasse. Similiter, vt dicit Ioannes de Verbo diuino; Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ioan. 1. *Quare Latina illa vox Simul, non denotat eo loco simultatem temporis, vt putauit Augustinus, sed simultatem collectionis, seu vniuersalitatis, qua significatione aliàs non rarò ponitur in Scriptura, velut in Leuit.* Leu. 25. *Numerabis, inquit, septem hebdomadas annorum, idest, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem: & in libro Numerorum vox Simul eadem significatione sumpta, ter, quaterve legitur:* Num. 25. *necnon in Psalmo decimotertio: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum: & in Psalmo quadragesimo octauo. Simul insipiens, & stultus peribunt.*

Luculenter igitur satisfecimus auctoritatibus pro D. Augustino adductis; hæcque pro Basilij sententiæ munimine dici possunt.

Verùm ad dissoluendas argumentationes contra Augustinum illatas transeamus. Soluuntur rationes cõtra D. Augustinum allatæ. Illud itaque quod primò obijciebatur; nempe quòd Moses historici partes prætergressus fuisset, si de Mundi opificio enarrationem, metaphoris, ac translatis, obscurisque vocum significationibus locupletasset; facilè euertetur, si perpendamus aliam esse rerum humanarum rationem, aliam Diuinarum, ac supernarum, quæ hominibus sunt & cognitu arduæ, & summa veneratione suspiciendæ: Aliter Diuina, aliter humana exprimenda. Quamobrem sicuti humanæ humanis vsitatis vocibus sunt explicandę, ita & diuinę humanum captum superantes, symbolis, figurisque sæpius sunt exprimendæ, vt & maiori studio eruditi ea contemplentur, & maiori cultu à rudibus suspiciantur. Hac igitur serie gentilitatis prisci Vates, celeberrimique Poëtæ, vt Hesiodus, Homerus, Thales Milesius, Mercurius Trismegistus, ac cæteri, qui summum apud gentes nomen sibi vendicarunt, suæ Theologiæ arcana pluribus obuoluta enigmatibus, ac fabulis prodiderunt. Gentiliũ Vates arcana sua cur metaphoris tegebant. Huius rei testes sunt Iustinus, Clemens Alexandrinus, Eusebius libris de pręparatione Euãgelica, cũ de priscorum Aegyptiorum, Phrygium, Græcorum, cęterorumque Barbarorum Theologia, verba habent. Lib. 1. & 2. Quid enim Iouis nomine, nisi spiritum? quid Vulcani, nisi ignem? quid Cereris, nisi Terram? quid Oceani, nisi humiditatem? quid Mineruę, nisi aërem, mystica Aegyptiorum Theologia innuebat? quẽadmodum Eusebius in libris de præparatione Euangelica recensuit. Lib. 3. cap. 2. Quapropter mirum non est, si eundem morem prosequutus est Moses. Verùm quòd ipse magis clarus fuerit veritatis assertor,

CYRILLVS Alexandrinus contra Iulianum libro secundo, his asseruit.

Igitur quare accusat Mosem sacrorum monstratorem, qui dilucidum, & minimè erroneum, verarumque narrationum composuit librum? facta enim dicit esse à Deo Cœlum, & Terram, Solemque, ac Lunam, Stellas, ac lucem, volatilia, & natatilia, & irrationalium animalium genera, & arborum pulchritudines, fructusque, qui edi possunt, & herbas in agris. Vide autem quomodo per illos sermones errorem, quo antiqui delirabant, amputat, An non Iouem quidem nominant Cœlum; Cererem verò Terram; Apollinem autem Solem; & venatricem

venatricem aurea spicula gerentem, Dianam, hoc est Lunam, & Neptunum humidam substantiam? Et in summa vnumquemque Deorum, vt libebat, celebrarunt, & vt Deos adorauerunt.

Hæc ille; Quapropter bene Moses, non figmentis, aut fabulis, vt Poëtæ, & Gentiliũ Vates, sed sex rerum conditarum genera, iuxta cognitionis Angelicæ typum, quasi sex diebus edita, absolutaque expressit; vt rudes quidem ex literę crasso sensu, quasi sex diebus ea facta perciperent: eruditi verò, qui Mundum vnico die effectũ non ignorabant, creatarum rerum numerum, ac ipsarum emolitionis modum ex altissimæ Angelorum cognitionis serie caperent, atque comprehenderent. Ad illud autem secundo loco obiectum, quòd ex rerum opificio sex diebus ęnigmaticè tantùm protracto, promulgatum de Sabbato pręceptum minus sincerum reddi videatur,

Art. 2. in resp. ad 5. D. THOMAS Quæstionibus disputatis, quæstione quarta de Potentia Dei, respondet, cùm ait.

Ideò statutum est in lege, vt septima die quiescerent, & festum ducerent, in qua Mundus consummatus est, vt per nouitatem Mundi simul producti, & per sex genera rerum distincta, homo semper in Dei cognitione maneret; & de tam vniuersali, & præcipuo creationis beneficio, Deo gratias exhiberet; & in ipso tanquam in fine quietem suæ mentis poneret, in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam.

Ex argumentationibus Nuperorum contra D. Augustinum illatis; eos D. Augustini mentem non assequutos esse constare potest. Siquidem Augustinus vnico momento Angelum, Cœlos, Astra, Elementa manasse opinatus est, non autem eodem momento Angelum cecidisse, neque eodem plantas, pisces, aues, animalia prodijsse, nisi potentia, aut præseminata materia; nec eodem hominem formatum fuisse edocuit, sicuti ex libro quinto de Gen. ad literam elicitur. Quare rescinduntur plura illa de Angelis, ac homine allata incompossibilia.

In resp. ad 22. D. THOMAS loco citato hoc intellexit, & docuit, cùm dixit.

Augustinus vult in ipso creationis principio, quasdam res per species suas distinctas fuisse productas in natura propria, & quatuor elementa, quæ ex nihilo producta sunt, & corpora cœlestia. Huiusmodi enim productio non præsupponit materiam ex qua, nec in qua. Alia verò dicit esse producta in rationibus seminalibus tantùm, vt animalia, plantas, & homines, quæ omnia postmodum in naturis proprijs producta sunt, illo opere, quo post senarium illorum dierum numerum, Deus naturam prius conditam administrat. De quo opere dicitur Ioan. quinto; Pater meus vsque modo operatur, nec in productione, & distinctione rerum, vult attendendum esse ordinem temporis, sed naturæ. Et Post. *Corpus humanum non fuit productum in actu in illis sex diebus, sicut nec corpora aliorum animalium, sed tantùm secundum rationes causales, quia Deus in ipsa creatione indidit ipsis elementis virtutem, seu rationes quasdam, vt ex eis, virtute Dei, vel stellarum, vel seminis, possent animalia produci. Illa ergo, quæ in illis sex diebus fuerunt in actu producta, non successiuè, sed simul creata sunt. Alia verò simul secundum rationes seminales, vel in suo simili, fuerunt producta.*

In resp. ad 23.

In resp. ad 29. Cæterum ipsemet D. Thomas asserto loco, naturæ ordinem egregiè in rerum emolitione fuisse seruatum, his edocet.

Quamuis enim non fuerit in productione Vniuersi seruatus ordo temporis, fuit tamen seruatus ordo originis, & naturæ. Nam secundum Augustinum, opus creationis præcedit opus distinctionis, ordine naturæ, non temporis. Similiter & opus distinctionis præcedit ordine naturæ opus ornatus. Nec argumentatio de plantis creatis ante Solem, vllius est momenti, contra D. Augustinum, qui plantas potentia tantùm, non actu conditas asseuerat.

Deinde ordinem rerum effectarum non prætermissum fuisse, contendit ipsemet D. Thomas asserta quæstione, cùm edocet Mosen obseruasse numerum sex dierum, non penès ordinem Angelicæ cognitionis, sed penès distinctionem ipsorum primorum operum ad cognitionem relatorum. Proinde Sacrarum Scripturarum, & gentiũ vsum quo eas labentia tempora ad septenarium numerum redegisse, omnes scimus, ex Mosis historia desumptum fuisse arbitrarer; Verùm quòd Moses dierum septem numerum, vt à Deo verè in Mundi emolitione obseruatum recensuerit, & nõ à seipso ad explicandam opificij Mundi enarrationem eum excogitarit; is vsus gentium non arguit, neque conuincit. Sed de his satis.

Quale Chaos à Deo primò effectum fuerit.

Cæterum sancita, ac statuta ea assertione, Mundum non omnibus numeris absolutum vnico temporum momento prodijsse, sed primò Chaos quoddam deinceps per temporum

temporum interualla secretum, ac venustatum prosilijsse: excitatur mox disceptatio, quodnam Chaos illud fuerit. Tria siquidem Chaos genera Philosophi, Patresq; tradiderunt: Alij Chaos quoddam, quod non tempore, sed origine tantùm Mundum præcesserit, proposuere: quod Materiam primam informem appellarunt: de quo, vt de re apud omnes notissima, non est cur exactiùs hoc loco edisseramus: Alij Chaos alterum, quod & tempore, & origine ante Mundum extiterit, excogitarunt: sed horum alij id reputarunt fuisse Chaos vna rudi forma præditum, seu corpulentam quandam massam, indigestamq; molem, ac materiam exili actu consistentem, in qua Cœlum, & elementa, non actu, sed potentia tantùm essent præseminata: Alij fuisse Chaos illud ex elementis formis substantialibus præditis conflatũ dixere: & hi adeò diuersam speciem ac formam ei adscripserunt, vt quatuor Chaos genera nobis suppeditarint. Ego primum Catenas (vt meum institutum exposcit) deducam.

Chaos varia genera.

Classis Vatum, ac Patrum, Chaos vna rudi forma donatum, seu materiam vno exili actu præditam, astruentium.

Vates, ac prisci Gentilitatis Philosophi sæpius Chaos commemorarunt; & quanquam non adeò suam sententiam explicarint, vt quod Chaos maluerint illud esse, clarè apprehendamus; attamen hoc indigestum, in quo omnia vnum essent, magis visi sunt insinuasse.

HESIODVS, referente Steucho in Cosmopœia.

Extitit ante Chaos, post hæc latissima tellus,
Quam super innixum pondus rerum incubat omne.

Hæc sic Steuchus est commentatus, cùm dicit.

Duo scitu dignissima, & cum Mose vndequaque consentientia dixit Hesiodus: Primum fuisse Chaos, idest Terram, & aquam informia, ac ceu massam: id enim etiam voce Hebraica dicitur Chaos, idest, Thohu, vel Bohu. Deinde Terram extitisse, quod Moses appellauit seclusionem aquarum à terra. Ea enim fuit Terræ creatio, cùm primùm ab aquis, quibus circumobruta, atque oppleta latebat informis, & quia nondum exsiccata magis erat aqueum quiddam, quàm terra, emersit.

EVRIPIDES sic cecinit, nihil à Mose dissentiens.

Cœlum, Terraq; vnius formæ fuit.
Sed cùm fuissent abiuncta complexu mutuo,
Emersit omnis in lucem res progenita:
Arbores, aues, feræ, quasque assert Mare,
Genusque mortalium.

Animaduertimus eum (inquit Steuchus) illam vnam omnium rerum, & Cœli, ac Terræ figuram per circumlocutionem, ambitumque verborum dixisse, quod superior Hesiodus vocarat Chaos.

OVIDIVS primo Methamorphoseos de eo etiam eleganter prodidit.

Ante Mare, & Terras, & quod tegit omnia Cœlum,
Vnus erat toto naturę vultus in orbe;
Quem dixere Chaos, rudis, indigestaq; moles;
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Quaque erat & tellus, illic & Pontus, & aër,
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus, & melior litem natura diremit.

BOETIVS de Consolatione Philosophica.

O' qui perpetua Mundum ratione gubernas,
Terrarum, Cœliq; Sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes; stabilisq; manens, das cuncta moueri;
Quem non externæ pepulerunt fingere caussæ
Materię fluitantis opus.

GREGORIVS Nazianzenus, descriptione pereleganti eiusdem generis Chaos his deducit, Poëmate de virginitatis laudibus.

Omnia nox quondam tenebris horrenda tegebat,
Non erat Auroræ splendor, non Phœbus Eois
Partibus exoriens currus agitabat equorum;
Gloria nec noctis radiabat in æthere Phœbe:
Sed confusa simul temerarius omnia motus
Voluebat grauibus tenebrarum vincta catenis,
Quas Chaos antiquum toto diffuderat Orbe.

CLAVDIVS Marius Victor, Orator Massiliensis, Comm. in Genesim, Chaos huius generis informe his descripsisse mihi visus est.

Vtque istum faceret diues Sapientia Mundum,
Cuncta simul genuit; sed post hæc semina rerum
Ornauit, superinductis informia formis.

Hoc illud Chaos est, quod Philosophi prisci dixere Materiam ingenitam, & quod diuersimodè effinxerunt: Alij siquidem vnum simplex primum corpus extitisse suspicati sunt: Terreum alij, vt Xenophanes: fluidum ex aquis congestum alij, vt Thales Milesius: alij aëreū, vt Anaximenes: ex atomis alij confectum, vt Epicurus: igneum alij somniarunt, vt Parmenides: nonnulli ex elementis cunctis compactum, vt Empedocles: iugifluam quandam materiam id dixere nonnulli, vt Xenocrates. De quibus Patres ij, qui vetustorum de rerum principijs sententias affatim collegere, satis edisserunt, Clemens Papa, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Theodoretus, Cyrillus, Epiphanius, Hermias Philosophus: quorum loca infra colligito. Anaxagoræ Chaos famigeratum est; siquidem Anaxagoras, vt Plato, Aristoteles, & Lactantius perhibent, initium rerum dixit ea serie fuisse, quòd cùm omnia primò confusa & indigesta essent, accessit mens quædam, quæ diremit, ac exornauit illa, quæ prisco in Chaos erant confusa, Mundumq; effecit.

Cap. 4. DIODORVS Siculus, vniuersæ historiæ Gentilitatis Collector, teste Eusebio de præparatione Euangelica, libro primo; quod Chaos illud fuerit, & qua serie ex eo res emanarint, explicat; atque Eusebius his Diodori enarrationem refert.

Vnam enim ante initium omnium Cęli, & Terræ, cunctis simul confusis, formam fuiße tradunt, postea dißeparatis, diuisisq; molibus vniuersi, ordinem Mundi conspectum, aëraq; motum habuisse continuum, cuius partem quidem igneam ad superiores ascendiße partes, sursum sua propter leuitatem natura semper tendente: qua ex caussa Solem, ac Stellarum multitudinem volutione totius circumferri. Partem autem turbidam, atq; terrestrem vnà cum humidis ad sima propter grauitatem loca descendiße, quam partem continuè longo tempore in ipsa conuolutam maria ex humiditate, ex durioribus terram lutosam, ac teneram concreasse; quàm primum, posteaquam Solaris calor exæstuauit, constipatam fuisse: deinde superficie calefacta pluribus in locis corruptionem humidi esse consequutam: ex qua (vt etiam nunc in pluribus fieri solet) cùm subitò ad transactũ frigus calor exarsit, animalia concreta fuisse, quæ noctu à circumfusa caligine alebantur, & in die à calore solidiora reddebantur; ac postremò sufficiens iam crementum consecuta, erupisse ab illa colluuie varias has animalium formas. Quorum calidiora, leuioraq; ad altiora loca exiliisse, volucrum appellatione nuncupata: sicciora verò, ac grauiora, serpentibus, ac terrenis connumerata: eodem quoque modo humidiora in consentaneum sibiipsis locum confluxiße, aquatica nuncupata; & sic animalium diuersa genera producta fuisse. Terram verò postquam magis Sole, ac ventis induruit, nihil ex perfectioribus producere posse; ac ideò ex mutua sexuum coniunctione, perfectiora generantur. Hanc rem ita se habuisse, tragicus etiam Euripides Anaxagoræ Physici auditor in Fabula, quam Menalippem nominat, his verbis testatur; Vna Cælorum olim, ac terræ forma, sed separatio cuncta in lucem tulit, volucres ac feras simul, arbores, generaq; natantium, mortaliumq; genus. Hæc de rerum origine prima à priscis accepimus.

STEVCHVS Chaos nomen idipsum fuisse apud omnes gentes, quod apud Hebræos Thohu, deducit in Cosmopæia.

Quodque magis mireris, ac stupescas, hanc vocem Chaos quam diximus eße illam Hebraicam Thohu, facta permutatione vnius, quæ similis esset illi, literæ Thau, & Chet in Thau transeunte, factum sit Thohu, dico veteres Latinos, ac Grecos, totumq; penè Mundum, primam illam rerum commixtionem, ac ceu maßam, Mundiq; initium, appellaße eadem voce, atque Hebræos & Mosen: vt ex nomine sit perspicuum omnes gentes audisse quondam & cognouisse illud initium rerum, quale primum extiterit; Chaos appellatur à Græcis, Thohu appellatur ab Hebræis, Latinos autem veteres perhibet Festus Pompeius Mundum appellasse Chobum, nomen à cohibendo, vt certum est: habebatq;, vt Ioannes Pontanus perhibet, aspirationem in medio, quemadmodum Hebraica dictio. Remansit ergo apud Latinos vetustissima Mundi nuncupatio. Nanq; prima, quæ fuit Thohu, siue Chobu, postea Cælum & Terra, & mare, omnibus digestis, & Mundus dictus est.

Ve

Verùm, vt ad nostros deueniamus, assertionem hanc non obscurè tradidit.

PHILO libro de Mundi opificio.

At Moses tum Philosophiæ fastigium assecutus, tum oraculo de præcipuis naturæ arcanis edoctus, animaduertit duo esse in rebus necessaria; alterum caussam agentem, alterum quod ab agente afficitur. Præterea agens illud esse huius Vniuersi mentem sincerissimam, ingentissimamq; , præstantiorem quàm sit virtus, aut scientia, immò quàm ipsum summum bonum, & ipsum summum pulchrum. Alterum autem illud passioni obnoxium, inanime, & suapte natura immobile, motum, formatum, animatumq; à mente illa, redditum esse opus absolutissimum. Et Post. *Si quis vellet caussam huius vniuersalis opificij perscrutari, non aberraret opinor à scopo, si diceret, quod quidam priscus sapiens: bonum esse patrem, conditoremque, ideoq; suapte naturæ bonitate non inuidisse substantiæ, nihil boni ex se ipsa habenti, quæ tamen quiduis fieri poterat. Erat enim ex seipsa expers omnis qualitatis, indigesta, inanimis, plena ruditate, confusione, atq; discordia, sed capax alterationis, mutationisq; in contrarium statum optimum, videlicet ordinem, qualitatem, animationem, similitudinem, identitatem, coaptationem, atque consonantiam, cæteraq; quæ ad potiorem idæam attinent. Tum Deus nemine monente (quis enim erat alius?) suopte consilio decreuit diuitias gratię suæ copiosè, largiterque profundere in naturam nullius bonę rei per se capacem sine diuina munificentia.*

Caueas precor, ne materiam ingenitam his describere Philonem intelligas: sed certior esto, materiam eam primam, seu Chaos indigestum hoc apparatu enarrationis ipsum declarare. Philonem enim in eam vetustorum Philosophorum, & Hæreticorum, de materia ingenita opinationem non prolapsum esse euincunt & Doctoris existimatio, & eius doctrinæ celsitudo, & id quod alibi de his obtestatus est; quod nos in disceptatione de materia ingenita detulimus.

PHILASTRIVS Episcopus Brixiensis, qui claruit anno trecentesimo octuagesimo; libro Catalogus Hæreseon dicto, Hæresi sexagesima tertia, dilucidè, constanterque, hoc Chaos vna rudi forma præditum, in exordio temporum conditum censuit, cùm dixit.

Alia est heresis, quæ de terra ambigit, dicens hanc esse solam & aliam non esse: ignorans, quòd alia est, quæ veluti matrix est omnium rerum, vniuersaque continet, quę quasi ὕλη, idest materia reperitur in Scripturis, quæ est inuisibilis, & incomposita, quæ à Deo facta est in primo die. Hæc autem in qua habitamus, super aquam fundata ostenditur, vt dixit Dauid; Qui fundasti terram super aquam. Nam matrix omnium rerum terra immensa est illa prior, quæ in primo die facta est, quæ continet aquam & hanc terram, quæ habitatur à nobis, quæ & humano generi, & volatilibus, serpentibus, pecudibus, cæterisque alijs fruges, & fructus exhibet opulenter, iussa à Christo Domino Saluatore, sicut scriptum est in libro Geneseos creaturæ seruire.

GREGORIVS Nyssenus de historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est, disertiùs hoc inconditum, rude, indigestumq; Chaos, in quo elementa, non actu, sed potentia insita essent, approbauit. Primùm enim quomodo ea rerum materia confusa in potentia Dei extarit, his declarat.

Oportet autem opinor, antequam scripta excutiantur, illud in hoc commentario non amplius esse controuersum, sed certum, ac firmum, quòd in diuina natura cum voluntate potentia concurrat, ac modus potentiæ Dei voluntas existat, Porrò voluntas, sapientia est: sapientiæ autem proprium est nullo modo ignorare, qua ratione res singulę fiant: cognitioni verò potentia quoque connexa est, itaque simulatque cognouit, & statuit quid fieri oporteat, etiam effectrix rerum uis concurrit; quæ quod mente conceptum est, ad actionem, & effectum deducat, & cognitionem, atque decretum nullo modo moretur, sed continenter, nulloque interuallo vnà cum voluntate opus ostenditur, & exhibetur. Potentia enim simul voluntas est, & quomodo res fiant antè deliberans, & materias ad existentiam eorum, quæ mente concepta fuerint, curans, conficiens, & subministrans: vt simul omnia, quæ à Deo proficisci oportet, ad creandum concurrere intelligantur, voluntas, potentia, sapientia, essentia rerum. Hoc cùm ita sit, nemo amplius de materia anxiè poterit sciscitari, quomodo, & vnde quæque res existat, inquirens: qualia nimirum dicentes audire licet, si expers materiæ, & incorporeus est Deus, vnde materia? qua ratione quantitas ex eo, quod quantitatis est expers? item ex inuisibili, visibile? item ex eo, quòd magnitudinis expers, & inde finitum est, id quod omninò pondere, ac magnitudine aliqua, atque quantitate definitur? Item reliqua omnia, quæcunque circa materiam cernuntur, qui vel vnde produxit is, qui nihil tale habet in sua natura? Nam vna nobis vniuscuiusque eorum, quæ de materia obijciuntur, solutio est, nempe, quòd nec potentiæ sapientiam Dei, nec potentiam sapientiæ expertem esse ponamus: sed hæc alterum esse cum altero, & vnum vtranque demonstrari, vt simul & eodem tempore cum altero alterum conspiciatur. Nam & sapiens eius voluntas potentia earum rerum, quæ efficiuntur, declaratur, & effectrix eius vis sapientiæ voluntate perficitur & consummatur. Si igitur in eodem, & circa idem tempus & sapientia, & potentia est; neque ignorat, qua ratione materiæ ad rerum fabricationem inueniri possit, neque facultas ei deest, qua facultate, quod animo conceperit, & efficere statuerit, ad opus deducat.

cat. Sed omnia cùm possit, simul omnia, per quæ materia conflatur, sapienti pariter, ac potenti voluntate ad res efficiendas præmolitus est, atque congessit leue, graue, solidum, & densum, rarum, & tenue, instabile, fluens, molle, durum, humidum, aridum, frigidum, calidum: colorem, figuram, inscriptionem, interuallum, & distantiam: quæ omnia quidem per sese nudæ cogitationes sunt, & mentis conceptus, & animi sensa. Non enim aliquid horum per sese materia est, sed cùm inter sese concurrerint, materia euadunt.

Et post, edocet id Chaos conflatum fuisse summatim, & aceruatim, quod expressit Moses verbo, In principio; descriptumque fuisse duobus extremis Cœlo, & Terra, concluditque.

Igitur ea, quæ ab inexplicabili potentia Dei vna comprehensione repentè peracta est rerum vniuersarum congestio, constitutioque, principium, siue summa à Moyse appellata est: in qua rerum naturam vniuersam conflatam, atque constitutam esse dicit: atque extremitates quidem rerum expressit, media verò vnà cum extremitatibus, per id, quod tacitum intelligitur, indicauit. Extremitates autem dico propter sensum humanum, qui neque in subterranea penetrat, neq; Cœlum peragrat. Quocirca principium Mundi originis hoc intelligendum esse suggerit, quòd Deus omnium rerum quæ sunt, materias, & caussas, & vires comprehensim, in momento temporis congesserit, atque molitus sit, & in primo voluntatis impetu vniuscuiusque rerum naturæ concurrerit, Cęlum, æther, stellę, ignis, aër, mare, terra, animalia, plantæ, quæ diuino quidem oculo om-
Psal. 138. *nia, cùm ratione potentiæ ostenderentur, cernebantur, nimirum ab illo, qui, vt inquit Propheta, Omnia ante ortum ipsorum nouit.*

Illud ipsum etiam est videre, cùm prosilitionem ignis ex Chaos describit, dicens.

Cùm enim iam aceruatim in vno momento diuinæ voluntatis vniuersa rerum natura promiscuè, & indistinctè creata esset, & elementa inter se omnia mutuò permixta essent, ignis, qui passim dispersus esset, nimia, ac redundante materia officiente, offuscabatur, & obscurabatur. Sed quoniam velox quædam uis eius, & agilis est, simulatque naturæ rerum ad Mundi ortum à Deo signum, & occasio data est, ante omnem naturam grauiorem emicuit, atque prosiliuit, ac statim res vniuersæ lumine collustrabantur.

Gen. 1. Idipsum habet explicans ea verba, Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, vt suo loco deducemus.

Non desunt Patres, qui quamuis perplexam, & ancipitem de Chaos sententiam retulerint, hoc tamen Chaos genus, de quo nobis est sermo, magis insinuarunt.

GREGORIVS Nazianzenus in Sermone, seu oratione de Spiritu Sancto, quæ est postrema de Theologia.

Venerantur igitur Hebræi numerum septenarium, quia constat, quòd Deus sex diebus materiam substituit, ac formauit, omnibus speciebus, & varietatibus exornauit, & Mundum hunc quem cernimus, perfecit: septimo verò ab operibus quieuit.

GREGORIVS Magnus Expositionis in Iob, libro trigesimo secundo.

Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul per species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ.

TATIANVS Oratione contra Græcos.

Sic autem res se habet. Vniuersam Mundi machinam, & quicquid in ea conditum extat, è materia constitutum esse patet, ipsam verò materiam à Deo productam, ita vt partim rudis, & informis intelligatur antequam discerneretur, partim conformata, & digesta, post peractam eius discretionem.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autholicum libro secundo.

Nam diuina Sapientia prænouerat fore, qui ineptias effutirent, & multitudinem Deorum introducerent: vt igitur Deus, qui verè est, ex operibus suis deprehenderetur, & constaret Deum sermone suo creasse Cœlum, & Terram, scriptum est; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram. Postea, vt eorum creatio pateret, ait; Terra autem erat informis, & inanis; & tenebræ erant super faciem abyssi; & spiritus Dei mouebat se super faciem aquarum. Hæc in primis Scriptura Sacra agit, & monet, vt doceat materiam à Deo esse quodammodo factam, ex qua Mundum constituit, & in decentem ordinem redegit.

ALCVINVS quæst. in Gen. decimanona.

In materia informi: Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.

MAGISTER Sententiarum secundo libro, distinct. duodecima, explicans id; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, ait.

Cęlum, idest, Angelos; & Terram, scilicet materiam quatuor elementorum adhuc confusam, & informem, quæ à Græcis dicta est Chaos; & hæc fuit ante omnem diem. Deinde elementa distinxit Deus, & species proprias, atque distinctas singulis rebus secundum genus suum dedit. Et Post. *Alij quidem tradiderunt omnia simul in materia & forma fuisse creata: quod Augustinus sensisse videtur. Alij verò hoc magis probauerunt, ac asseruerunt, vt prima materia rudis, atque informis, quatuor elementorum commixtionem, atque confusionem tenens, creata sit: postmodum verò per interualla sex dierum ex illa materia rerum corporalium genera*

genera sint formata secundum species proprias. Quam sententiam Gregorius, Hieronymus, & Beda, alijque plures commendant, ac præferunt. Quæ etiam scripturæ Geneseos (vnde prima ad nos huius rei manauit cognitio) magis congruere videtur.

Et post explicans informitatem materiæ eius incongestæ, ait.

Dicimus illam primam materiam non ideò dictam esse informem, quòd nullam omninò formam habuerit; quia non aliquid corporeum tale existere potest, quod nullam habeat formam; sed ideò non absurdè informem appellari posse dicimus, quia in confusione, & permixtione quadam subsistens, nondum pulchram, apertamque, & distinctam receperat formam, qualem modo cernimus. Facta est ergo illa materia in forma confusionis ante formam dispositionis. In forma confusionis, prius omnia corporalia materialiter simul, & semel sunt creata.

Quid sibi voluerit Magister, num quòd Deus effinxerit Chaos indigestum, vna imperfecta forma præditum, in quo elementa præseminata tantùm essent, vel Chaos ex elementis substantialibus formis insignitis, sed inter se commixtis & confusis, non est clarum, & perspicuum. Quod certè primùm maluerit, patefaciunt ea, quæ subsequuntur. Primùm, quia Cœli nomine Angelum, & non cœlestia corpora capit; vero autem simile non est, voluisse ipsum elementa sine Cœlo, saltem supremo emanasse. Deinde quoniam terræ, aquæ, & tenebrarum voces significare non elementa ipsa, & luminis carentiam, sed eius materiei, seu Chaos incongestionem, & ruditatem obtestatur. Quapropter & concludit.

His omnibus vocabulis vocata est illa informis materia, vt res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus, & non vno tantùm: nam si vno tantùm significaretur vocabulo, hoc esse putaretur, quod consueuerant homines in illo vocabulo intelligere. Sub his ergo nominibus significata est materia illa confusa, & informis, quæ nulla specie cerni, ac tractari poterat, idest, nominibus visibilium rerum, quæ inde futuræ erant, propter infirmitatem paruulorum, qui minus idonei sunt inuisibilia comprehendere, & tunc erant tenebræ, idest, lucis absentia.

Cæterùm econtrà, quòd id Chaos fuisse ex elementis cõmixtum existimarit, demonstrant ea, quæ de eius situ, dispositioneque docuit, cùm infra ait.

Eratque terreum hoc elementum, in vno loco, eodemque medio subsistens, cæteris tribus in vna confusione permixtis: eisdemque circumquaque in modo cuiusdam nebulæ oppressis, ita obuolutum erat, vt apparere non posset quod fuit: illa verò tria in vna permixtione confusa, circumquaque suspensa, eousque in altum porrigebantur, quousque nunc summitas corporeę naturæ pertingit. Et sicut quibusdam videtur, vltra locum firmamenti extendebatur illa moles, quę in inferiori parte spissior, atque grossior erat; in superiori verò, rarior, ac leuior, atque subtilior existebat; de qua rariori substantia putant quidam fuisse aquas, quæ super firmamentum esse dicuntur. Talis fuit Mundi facies in principio, priusquam reciperet formam, vel dispositionem.

Ex Commentatoribus, D. Bonauentura Magistrum rapit in primam sententiam; D. Thomas in alteram. Nos vt in ambas raptum proponimus.

D. BONAVENTVRA igitur asserto loco, quæstione tertia, articulo primo.

Et ideo est alius modus dicendi rationabilior, quòd materia illa producta est sub aliqua forma; sed illa non erat forma completa, nec dans materiæ esse completum; & ideò non sic informabat, quin adhuc materia diceretur informis: nec appetitum materiæ adeò finiebat, quin adhuc materia alias formas appeteret; & ideò dispositio erat ad formas vlteriores non completa perfectio. Et post. Sicut exemplum ponitur in embryone, quod actu habet vnam formam, & figuram quandam massę carnis; illa tamen est dispositio ad diuersas membrorum figurationes. Istud tamen non est omninò simile, quia forma illa non erat tantæ actualitatis, sicut est forma embryonis; nec in tanta propinquitate ad eductionem formarum sequentium, sicut forma embryonis ad eductionem membrorum. Forma enim embryonis est visibilis, & per vim ad perfectam naturæ completionem est perducibilis; illa verò materia sub tali forma incomposita erat, & inuisibilis, & ad formas subsequentes sola diuina virtute, & operatione poterat perduci: & ideò propter imperfectionem formæ illius, materia illa dicitur informis, & propter indeterminatum appetitum multarum formarum confusa dicitur, & permixta; & hæc positio satis videtur esse intelligibilis, & probabilis.

TOSTATVS Lyrani methodum prosequutus, secundum duplicem de duplici Chaos sententiam, duplicem tradens expositionem, eam quam secundo loco recitat, & fusiùs prosequitur, & approbat. Dicit enim. Postillis in Gen.

Prima autem expositio est, quòd creatio omnium rerum siue cœlestium, siue terrestrium, in suis formis specificis substantialiter distinctis, fuit facta ante omnem diem. Distinctio autem, quæ postea ponitur facta in tribus diebus, & ornatus factus in alijs tribus diebus, pertinent ad aliquid accidentale, non autem ad proprietates substantiales, quæ consequuntur subiectum in esse necessario: & ideò producta re per creationem, necesse

necesse inest ei sua propria passio. Ista expositio non multum est laudabilis, vel conueniens literæ, vt infra patebit. Et post. *Secunda positio, quòd in principio temporis, incorporalia, scilicet Angeli creati sunt; & materia omnium corporalium sub quadam communi forma corporeitatis non determinata ad aliquam speciem rerum creatarum; & post per dies fuit facta distinctio rerum in species ex materia illa: & hanc positionem tenent Strabus, & Beda, & alij Doctores. Fuit autem illa materia corporea, materia omnium Cœlorũ præterquam Cœli Empyrei, & omnium terrestrium, siue elementalium.* Et post. *Exponentes secundum positionem secundam, scilicet, quòd à principio creationis non fuerint res creatæ distinctæ in suis speciebus, sed quòd in quadam forma corporeitatis communi tota rerum materia creata sit: deinde ex illa materia cuncta distincta fuerint per dies. Hæc positio est multum conformis cum litera, quæ dicit in diebus singulis singulas res factas, vel creatas. Dicere autem, quòd illud facere refertur ad aliquas dispositiones accidentales inductas post in substantia rei, magis est velle imponere terminos, quàm loqui ex proprietate terminorum, maximè quia populus, cui ista dicebantur, rudis erat, nec poterat intelligere, quid essent istæ proprietates. Item ista est positio Strabi, & Bedæ, & communiter aliorum Doctorum.*

Et post, in interpretatione verborum; Super faciem abyssi; cùm hoc Chaos illis Ouidij carminibus descripsisset, ante Mare & Terras, &c. adiecit.

Superior pars istius materiæ corporeæ, quæ erat à loco concauitatis lunaris orbis, cessit in materiam superiũ, scilicet Cœlorum. Pars autem materiæ, quæ erat à loco illo, cessit in elementa, sed non æqualiter, quia non tantam materiam ignis accepit, quanta erat in loco, quem nunc ignis occupat: nec aër tantam, quantum locum occupat: aqua autem fortè tantam, vel ferè: terra autem valde magis de materia, quàm de loco, quia densitas terrea in paruitate loci multum de materia requirebat; & raritas ignea in magnitudine extensionis modicum de materia requirebat: & hoc tenendo, quòd illa materia fuerit vniformis in raritate, & densitate, quod satis rationabile est; quia vnitati formæ non congruit multiplex dispositio; quia discontinuaretur, si multas dispositiones motiuas haberet; sicut videmus graue discontinuari à leuibus.

Prosequitur amplius fusiùs demonstrare, Chaos illud raritatem, ac densitatem; non autem grauitatem, & leuitatem, cæterasque quatuor actiuas qualitates habuisse.

Lyranus consimilia edocuit in textus expositione, quanquam non admodum ea comprobasse visus est.

CHATERINVS in primum caput Genesis, sub verbo, Terra, quæ materia, quodve Chaos hoc fuerit, Scholastico methodo explicitè tradit, munitq; suũ placitum his quatuor fundamentis. Primùm, quòd si Terræ nomine, non prisca hæc materies, sed terra elementaris accipietur commemorata, omitterẽtur tria alia elementa longè digniora. Deinde, quòd hæc fuerit priscorum Sapientum, vatumque, Hesiodi, Mercurij Trismegisti, Anaxagoræ, Euripidis, Virgilij, ac Ouidij sententia. Amplius, quòd hoc ipsum existimarit D. Augustinus, Beda, Hugo, & ante ipsos Gregorius Nazianzenus. Tandem, quòd Scriptura ipsa sanè hoc manifestè probat, cùm ait Sapiens; Manus tua creauit Orbem terrarum ex materia inuisa, siue (vt B. Augustinus citat) ex materia informi. Vnde concludit. (Sap. 2.)

Prius ergo præparatam fuiße materiam, ex qua productus est Orbis terrarum fateri debemus, nisi velimus verba Scripturæ prorsus violare. Nam si creata simul fuisset materia cum reliqua creatura; quomodo verè diceretur, Orbem fuiße ex illa creatum? Sic enim dicitur creatus homo de limo terræ, nimirum prius existente limo; & de viro mulier, prius existente viro; & sic quæcunque isto modo dicuntur, etiam isto sunt modo intelligenda. Et post. *Nos talem non ponimus fuisse materiam, quæ prorsus esset omni forma destituta, sed eam quæ debilissimum habebat actum, quem dicimus confusum, imperfectum, & primum entitatis, seu potentię. Non enim habebat certam formam specificam, quæ contraheretur ad certum esse. Nam & ipsæ simplices elementorum formę imperfectæ sunt; & ideò in mixtis permanent, si Auerroëm sequimur. Illius ergo materiæ imperfectissimus erat actus, quo posset esse subiectum commune cunctis formis, & in qua inesset desiderium superuestiri per formas præbentes illi eße perfectum.*

Non pigeat & pro hac sententia ex D. Thoma superadijcere, percunctarique ab ijs, qui deforme Chaos ex commistione elementorum coactum astruunt, quænam deformitas, qui indecor illius Chaos erat: an affectionum, seu insitarum qualitatum, an situs. Si affectionum, ac qualitatum, tunc non elementa ipsa extabant; nec enim sine calido & leui, ignis; sine sicco & graui, terra; sine humido, aër; sine frigido, aqua esse possunt. Nam affectiones, qualitatesq; ipsam substantiã apprimè insequuntur; ex eo quòd (teste Aristotele) substantialis forma accidentium sibi qualitatum caussa est, illisque adeò connexa, vt sine ipsis esse non possit. Si situs, tunc, (inquit D. Thomas) secundum Philosophum quantum vnumquodque elementorum habet de specie, tantùm habet de vbi; Elementa enim propria loca ex uirtute formæ insita sibi vendicarunt. Si ergo Chaos (Phys. primo. 4. De Cœlo & Mundo.)

Chaos illud à principio formas substantiales deferebat; tunc ex consequenti vnumquodque elementorum sibi debitum situm arripuit, nullaque confusio in elementis supererat, vt Chaos, seu ea materia posset dici deformis, ac confusa, indigestaque moles.

Catena Patrum, Chaos illud primum ex elementis conflatum arbitrantium.

Verùm ex aduersa acie, sententia altera adest, quæ Chaos aliud ipso temporũ exordio manasse arbitratur ex Cœlo, & elementis substantialibus formis ditatis conflatum; idque materiam dixere informem, non vt informitas substantialem formam excludit, sed vt formositatẽ, venustatẽq; , ac decorem explodit, quæ à summo opifice tũc eis con donatæ sunt, cùm sex diebus Mundum perfecit, atque ornauit. Hanc quippe sequuti sunt sententiam, omnes ij Patres, qui Cœli nomine, seu supremum Orbem, seu cunctos Orbes cœlestes, & terræ appellatione cuncta elementa, vel duo, siue vnum, ex quibus alia post prodirent, intellexere. Singulas igitur assertiones per classes seiunctas recensebo:

Sententia, quæ Terram tantùm in Chaos constituit.

HIERONYMVS quamuis in Epistola ad Oceanum, Chaos illud primæuum ex terra tantùm constasse, clara sententia non prodiderit, cùm dixit; Epist. 83.

Rudis Mundus, necdum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus, incompositam & inuisibilem materiam, abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in aurigæ modum ferebatur super aquas, & nascentem Mundum in figura baptismi parturiebat:

Commentarijs tamen in Iob non æquè omnia elementa prodijsse; verùm primò Cœlum, & Terram tantùm; & ex Terra aquas emanasse conspicua sententia tradit. Scribit siquidem. Cap. 38.

Duas enim partes Mundi magnas, Cęlum, & Terram, Deus ex nihilo fecit; & ima earum de materia informi: cæteras autem creaturas distinctas, siue formatas instituit; inter quarum creationem & aquas credimus factas, quarum quidem conditionem in principio Genesis scriptam non legimus: aliarum verò penè omnium factura in libris Dominicis recensetur, licet & de ipso mari sanctus Dauid dixerit, cùm de beato viro loqueretur; Spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit Cęlum, & Terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Psal. 145. *Hunc ergo maris processum, effusionem aquarum mihi dicere videtur; qui de occultis venarum Terræ sinibus emanabat, & operiebat omnem faciem Terræ. Quod in Diluuio manifestiùs factum legimus, vbi dicitur. Et omnes fontes abyssi magnæ erupti sunt.* Gen. 7. *Proinde vuluam maris Terræ sinum dictum existimo, vt mare de eadem progenitum nouerimus. Sed dicit aliquis; Ego aquarum moles Cęlo & Terræ dico esse congenitas, & simul creatas: denique de aquis, quemadmodum & de Terra fecit Deus, siue produxit cęteras creaturas. Si ergo hoc opinionem istam confirmat, vt ideò & aquæ ex nihilo creatæ dicantur, quia & de ipsis alia, & alia in ipsis, iubente Deo, quamplurima animantia processerunt; de Cœlo quid dicemus, quod est pars Mundi præstantior: de quo non legimus, quòd ex eo, quasi de informi materia aliquid procreatum sit? In quo etiam, quod ad maiorem decoris eius pertinet pulchritudinem, stellas, ac diuersos astrorum globos Deus fecit, ordinauit, & composuit. Et iuxta hanc assertionem, meliora erunt maris & Terræ elementa, quàm Cęlum; cuius ornatum pulcherrimum admirantes suspicimus, quoniam præcellit vel maximè cæteras creaturas.*

Sensit igitur D. Hieronymus, primum id quod manauit, Cœlum fuisse, & Terram; ex qua post, aqua, aër, & ignis emerserunt; & de aqua Cœlorum congeriem effectam fuisse, pluribus edisserit. Sed ardua discrimina subit hoc placitum. Primum; Num Terra vniuersum Mundi spacium occuparit, necne; quòd si explebat, vbi euanuit immensa ea molis amplitudo? Si autem non explebat; quomodo vacuum non extasse demonstrabimus? Deinde, ex Terra elicitas fuisse aquas, singulari placito, ac cæteris Patribus repugnante traditum videtur, cùm ex aquis congestum illud primum Chaos omnis priscorum Theologia acclamet, & Scripturæ spiritum aquis in eo superlatum clarè prodant. Cæterum & Chaos istud Hieronymi cum Nysseno concordare videtur. Quæ difficultates in Diui Hieronymi sententia.

Sententia,

Sententia, quæ ex duobus elementis terra, & aqua, primum illud Chaos conflatum asserit.

Cap.35. GVLIELMVS Parisiensis prima primæ partis de Vniuerso, in hanc incidisse sententiam mihi visus est. Cùm enim pluribus Cœli, & Terrę nomine Empyreum terramque elementum hoc infimum capienda esse disseruisset; hæc demum adiecit.

Tacet autem de creatione aquæ, quoniam non erat permansura in statu suæ creationis, neque quantum ad substantiam, nec etiam pro maiori sui parte ad minus, cùm ex ea generandi essent Cœli nouem, & pisces, omniaque reptilia aquatica, similiter & volatilia, & forte aër, & ignis elementa. Iam etiam dixi tibi de partibus superioribus aquæ, vel aquarum, quòd nec in illo statu suo remanserunt. Cęlum verò Empyreum, & Terra, in statu creationis remanserunt quantum ad substantiam; licet multiplex perfectio decoris, & ornatus eis postmodum superaddita sit. Vel propter hoc tacuit de creatione aquarum, quia ex creatione extremorum, necessariò oportebat eam intelligi propter impossibilitatem vacui, sicut prædixi tibi.

STEVCHVS (si bene ex vaga, diffusissimaque eius narratione mentem ipsius elicere valui) idipsum existimauit in Cosmopęia sua in caput primum Genéseos. Primò enim Chaos illud priscum Hylen appellat, ex terra, & aqua congestum, maximè cùm ait.

Omnium terrenarum rerum fuisse principium hylen informem, optimamque hanc aquæ cum terra creandæ, siue creandæ terræ limosæ fuisse rationem, vt cuncta ex ea fierent, hylen, siue limum à sacra Theologia esse in libros, & animos aliarum gentium profectam, testimonijs certis probatur. Ostendimus enim hylen esse quasi ilyn, idest limum.

Ex hoc autem genitum esse diu post & Cœlum, & ignem, & aëra tradit sub verbo, Ferebatur super aquas, ita concludens.

Omnium igitur rerum fuit terra & abyssus (hoc est aqua) origo: terra animalium, & plantarum, sed non sine complexu aquarum: aquæ substantiarum cælestium, quas solus, qui creare principia earum, potuit excudere. Vt autem nubes ex aquis tenuatis crassescunt, eædemque accensæ incredibile lumen reddunt, aptissimæ ignis sedes, ac conceptacula, sic factum est ex his cæleste corpus paulò magis densatum, & constipatum, eoque leuis est æther, tenens supernas natura regiones. Mihi quidem ante oculos occurrit columna ignis, quæ noctu tenebras vsquequaque propellens, conluceret Hebræis: ea vice Solis erat illis, eratque nubes, vt locus declarat, instar oblongæ in medio aëre columnæ. Denique omnia perspicua sunt aquea, vt aër, chrystallus, vitrum, lapides preciosi, humores oculorum. Ex aquis ergo, & aër est effectus, & corpora cælestia, vt nubes, sed his densiora. Idem fuit ætheris, atque aëris principium, & nunc quoque ex aquis vapores aërij ex his igneæ trabes, Cometæ, Stellæ cadentes, quę hoc solo differunt ab illis cælestibus, quòd illę perpetuo constant intra certos limites ab artifice coactę, hæ fluxæ sunt, & dissolubiles. Plato vir sapientissimus ob hanc caussam dissolubile ratus est corpus cæleste; videbat enim id ex eadem materia, atque omnia lucentia, & perspicua constare. Rectè igitur & ex intimis Philosophiæ, Theologiæque arcanis, ex Chao nata veteres omnia prodiderunt; & Moses ante creationem cælestium, terrestriumque rerum, Thobu & Bohu, terram & aquam commemorauit, vt omnes intelligerent, inde cuncta fuisse deprompta, & prudentissimè alij syluam, alij homoiomeriam, id vocarunt. Trahunt igitur omnia ab his duobus originem. Hoc spiritus diuinus agitabat, quatiebatque, aquas dirimens, & educens ex his cętera principia. Prius ergo terra & aquæ factæ sunt, ex his cælestis substantia, & ea quæ in terris. Atque hucusque spiritum animatorem, postea & conditorem Cęli sumus interpretati.

Sed hæc quàm singulariter, & non ex priscorum Patrum sententia dicta sin, infra demonstrabitur.

Patres, qui in primæuo Chaos tria tantùm elementa memorant.

CYPRIANVS poëmate in Genesim, quod ipsi ascribit Georgius Fabricius, Poëta non exigui nominis, quanquam Sixtus Senensis nouissimè Tertulliano id tribuerit, Chaos huiusmodi se agnouisse his demonstrat.

Principiò Dominus Cœlum, Terramque creauit:
Nanque erat informis, fluctuque abscondita tellus:
Immensusque Deus super ęquora vasta meabat,
Dum Chaos, & nigrę fuscabant cuncta tenebræ.

In his autem, aërem etiam illum intellexisse, ea quæ sequuntur clarè demonstrant.

CLAV-

CLAVDIVS Marius Victor Commentarijs in Genesim, libro primo, hæc clariùs tradit.

Vt verò semel attingam primordia rerum:
Excelsi conuexa Poli, Terræq; iacentes,
Pars prima est operis, sed terras vnda tegebat,
Aëraq; in medio sordenti nube madentem,
Et tenebris se vasta nigris velabat abyssus.

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem, Chaos conditum constasse ex Cœlo, aëre, aqua, & terra, videtur obtestari. Hæc eius est enarratio. *Scriptura diuina satis dissereret, si summas ipsas rerum à Deo factas commendasset, Cœlum & Terram, habentes vtique suggestus suos proprios, qui in ipsis summis intelligi possent. Suggestus autem Cęli & Terræ, primò tunc fuerunt tenebræ, & abyssus, & spiritus, & aquæ. Nam terræ quidem suberat abyssus & tenebræ. Si enim abyssus infra terram, tenebræ autem super abyssum, sine dubio & tenebræ, & abyssus infra terram: Cœlo verò spiritus, & aquæ subiacebant: nam si aquæ super terram, quæ eam texerant, spiritus autem super aquas, pariter & spiritus, & aquæ super terram. Quæ verò super terram, ea vtique infra Cęlum. Et sicut Terra abysso, & tenebris; ita & Cœlum spiritui, & aquis incubabat, & complectebantur. Et ita nouum non est, vt id solum quod continet, nominetur, qua summale: in isto autem intelligatur, & quod continetur, qua portionale.*

Licet autem Patres hi aëris mentionem non egerint, non tamen ipsum in Chaos extasse inficiati sunt.

Classis Patrum, Chaos priscum ex quatuor elementis compactum, asserentium.

Patrum quamplures id existimasse ex ipsorum doctrinæ serie elici potest, præcipuè Chrysostomum, Theodoretum, & Seuerianum. Sed mihi sufficiat nonnullos in hac Catena inserere, qui clara sententia illud prodiderunt.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Ex duobus principijs Vniuersi sanè totius innuit essentiam, Cœlo quidem prærogatiuam in generatione dignitatem: terræ autem ad rerum essentiam, secundas adscribens. Quicquid autem istorum medium est, id vnà cum ipsis omninò finibus exortum est. Itaque etiam si nihil de cæteris dixerit elementis, igne, inquam, aëre, atque aqua, tuopte tamen solerti ingenio capere velis.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto.

Tamen satis est ad præsentem assertionem, quòd in principio Cœlum fecerit; vnde prærogatiua generationis & caussa: & terram fecerit, in qua esset generationis substantia. In his enim quatuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista, quę Mundi sunt. Elementa autem quatuor, aër, ignis, aqua, & terra, quæ in omnibus sibi mixta sunt.

IOANNES Damascenus Orthodoxę Fidei libro secundo, capite quinto.

Ipse Deus noster, qui in Trinitate & Vnitate glorificatur, fecit Cęlum & Terram, & omnia, quę in eis sunt, ex nihilo ad esse deducens. Vniuersa hæc quidem, Cęlum, Terram, aerem, ignem, aquam, non ex subiecta materia. Alia autem ex ijs, quæ ab ipso facta fuerunt, puta animalia, plantas, semina, hæc enim ex terra, Aqua, Aëreque & igni, conditoris præcepto exorta sunt.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Notandum, quòd cùm Cęlo in principio duo Mundi elementa, aqua videlicet & terra, nominatim facta memorantur: quibus tamen duo reliqua fuisse constat indita; ignem videlicet in ferro & lapidibus, quę terræ viscera tum condita latebant: aërem verò in ipsa terra, cui esse permixtus ex eo cognoscitur, quòd cùm fuerit humectata, & temperiem Solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos. Ignem quoque ardentem terræ interioribus insitum, calidi aquarum fontes produnt; quæ per certa quædam metalla in profunda aquarum transeunt: & non solum calidæ, sed & feruentes super faciem telluris emanant. Non enim hæc, vt quidam disputent, informiter inuicem mixta: sed terra ipsis, quibus & nunc est, finibus vndique versum circumscripta; talis tunc erat tota, qualis adhuc sub imo maris profundo ex parte remanet. Aquæ autem vniuersam superficiem in tantam tangebant altitudinem, vt ad illos vsque locos pertingerent, & vbi nunc vsque super firmamentum Cęli ex parte insidentes, nomen Domini creatoris Cęli Cœlorum, laudare non desinunt. Ad hęc, tantùm est informis materies, de qua Mundum esse factum testatur Scriptura, quæ in Dei laudibus dicit; Qui fecisti Mundum de materia informi. Sap. 11. *Nam cuncta quæ cum aquis, & terra videre solemus in Mundo, vel de ipsis exordium materiæ, vel sumpsere de nihilo. Ipsa autem terra, & ipsæ aquę, propterea nomen sortitę sunt materiæ informis, quia priusquam in lucem venirent, vnde formositatem haberent, non erat.*

ALCVINVS ex nihilo elementa condita asserens, certè primũ Chaos non vna rudi forma præditum, sed ex elementorum commixtione concretum maluit: quęstione enim vigesima in Genesim hæc habet.

Quæ creaturæ de nihilo factæ sunt? Resp. *Cęlum, Terra, Angeli, Lux, Aër, Aqua, Anima hominis.*

STRABVS Auctor Glossæ ordinariæ.

Omnia elementa primo aspectu commixta, & confusa, & totum hoc aëris spatium aquis plenum, non quales nunc sunt, sed sicut nebulæ tenues.

Cap. 5. HVGO Victorinus Præfationibus in Genesim hoc Chaos insinuare visus est, cùm dixit.

Quæritur etiam quando, & vbi, & qualis creata sit materia rerum; sed constat, quòd in principio temporum ante omnem diem, ita scilicet vt simul cœperint tempus & materia, & in eodem tempore Angelus.

Et paulo infra, inquit.

Creata est autem informis, non ex toto carens forma, sed ad comparationem sequentis pulchritudinis, & ordinis informis potest dici.

Sed quòd Chaos hoc ex quatuor elementis commixtum existimarit, sequens mox oratio demonstrat.

Terra autem erat in medio, habens in se alueos & venas, receptacula scilicet aquarum, tam super terram, quàm intra eam labentium. Tria verò reliqua elementa confusa in vnum ad modum spissæ nebulæ ferebantur super terram ex omni parte ac superficie terræ vsque ad Empiræum summum: & ideò nomine terræ appellantur, vbi dicit; Creauit Deus Cęlum & Terram.

Sed clariùs Summæ Sententiarum tractatu tertio, capite primo.

In principio creauit Deus Cœlum, idest Angelos: & terram; illam materiam scilicet quatuor elementorum adhuc confusam, quæ dicta est Chaos.

Et de Sacramẽtis Fidei lib. primo, parte prima, capite sexto, ea ipsa diffusiùs exponit.

MAGISTER Sententiarum libro secundo, distinctione duodecima, in hanc concedere sententiam visus est, cùm dixit;

In principio Deum creasse Cęlum, idest Angelos: & Terram, idest materiam quatuor elementorum adhuc confusam, & informem, quæ à Græcis dicta est Chaos: & hęc fuit ante omnem diem. Deinde elementa distinxit Deus, & species proprias atque distinctas singulis rebus secundum genus suum dedit: quæ non simul, vt quibusdam sanctorum Patrum placuit, sed per interualla temporum, ac sex volumina dierum, vt alijs visum est, formauit.

Magistro subscripserunt Scholastici ferè omnes loco asserto.

Cap. 7. RICHARDVS de Sancto Victore, Exceptionum libro secundo; de creatione Mundi sic refert.

Scriptura dicens; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; Cęlum vocat tria elementa, ignem, aërem, aquam, quæ erant in vna confusione permixta, siue in vna permixtione confusa, circa quartum, quod est

Cap. 8. *terra fluctuantia, quæ terra in medio, & in imo trium suo pondere librata subsidebat.* Et Post. *Sciendum quòd operatio Dei quadrifariam discernitur. Primum opus Dei est conditionis. Secundum opus dispositionis. Tertium opus propagationis. Quartum opus gubernationis. Primum fecit Deus ante omnem diem. Secundum in sex diebus: & ab eo requieuit in septimo die.*

Cap. 2. ANSELMVS Cantuariensis, de Imagine Mundi libro primo.

Creatio Mundi quinque modis scribitur. Primò quo ante sæcula temporalia vniuersitas Mundi in mente

Io. 1. *diuina concipitur; quæ conceptio Archetypus dicitur Mundus: vnde scribitur; Quod factum est, in ipso vita erat. Secundò, cùm ad exemplar Archetypi hic sensibilis Mundus in materia, vel forma creatur, sicut legitur;*

Eccl. 18. *Qui manet in ętern ũ, creauit omnia simul. In materia, vt ex quatuor elementis crearentur omnia corporalia. In forma, vt ad similitudinem Angelorum animæ essent rationales. Tertiò, cùm per species & formas sex*

Gen. 1. *diebus hic Mundus formatur, sicut scribitur; Sex diebus fecit Deus opera sua bona valde. Quarto, cùm vnum ab alio, vtpote homo ab homine, pecus à pecude, arbor ab arbore, vnumquodque de semine sui generis nascitur, sicut dicitur; Pater meus vsque modo operatur. Quinto, cùm adhuc Mundus innouabitur: sicut scri-*

Io. 3. Apoc. 21. *bitur; Ecce noua facio omnia.*

HVGO Carensis.

Secundum Philosophum verò attenditur illa confusio, quo ad elementorum permixtionem in vnum Chaos: Vnde illud; Corpore in vno, frigida pugnabant calidis, humentia siccis. Vt patet in Musto, vbi fex vino permixta est, donec paulatim resideat: sic elementa paulatim loca sua sortita sunt, vt dicit Philosophus.

D. THOMAS quęstionibus disputatis, quæstione quarta, articulo primo, acriter primam sententiam impugnat; sed exactiùs prima parte, quæstione sexagesima sexta, articulo primo, vbi hæc habet.

Impossibile est dicere, quòd informitas materiæ tempore præcesserit vel formationem ipsius, vel distinctionem.

nem. Et de formatione quidem manifestum est. Si enim materia informis præcessit duratione, hæc erat iam in actu; hoc enim duratio importat. Creationis enim terminus est ens actu: ipsum autem quod est actus, est forma: Dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem. Nec etiam potest dici, quòd habuit aliquam formam communem, & postmodum superuenerunt ei formæ diuersæ, quibus sit distincta; quia hoc esset idem cum opinione antiquorum naturalium, qui posuerunt materiam primam esse aliquod corpus in actu, puta ignem, aërem, aquam, aut aliquod medium. Ex quo sequebatur, quòd fieri non esset nisi alterari: quia cùm illa forma præcedens daret esse in actu in genere substantiæ, & faceret esse hoc aliquid; sequebatur, quòd superueniens forma, non faceret simpliciter ens actu, sed ens actu hoc, quod est proprium formæ accidentalis: & sic sequentes formę essent accidentia, secundum quæ non attenditur generatio, sed alteratio. Vnde oportet dicere, quòd materia prima neque fuit creata omninò sine forma, neque sub forma vna communi, sed sub formis distinctis.

Et post in responsione ad secundum, loquens de Cœlo & elementis, hæc habet.

Ante opus distinctionis Scriptura Sacra ponit multiplicem distinctionem. Primo quidem Cœli & Terræ; in quo ostenditur distinctio etiam secundum materiam, vt infra patebit: & hoc cùm dicit; In principio Deus creauit Cęlum, & Terram. Secundo per distinctionem elementorum, quantum ad formas suas; per hoc quòd nominat terram & aquam. Aërem autem & ignem non nominat, quia non est ita manifestum rudibus, quibus Moyses loquebatur, huiusmodi esse corpora; sicut manifestum est de terra & aqua; quamuis Plato aërem intellexerit significari per hoc, quòd dicitur, Spiritus Domini, quia etiam aër, spiritus dicitur: ignem verò intellexerit significari per Cęlum, quod igneæ naturæ esse dixit; vt Augustinus refert in octauo libro de Ciuitate Dei, capite vndecimo. Sed Rabbi Moyses in alijs cum Platone concordans, dicit ignem significari per tenebras: quia, vt dicit, in propria sphæra ignis non lucet. Sed magis videtur esse conueniens, quod prius dictum est: quia spiritus Domini in Scriptura non nisi pro Spiritu Sancto consueuit poni. Qui aquis superferri dicitur, non corporaliter, sed sicut voluntas artificis superfertur materiæ, quam vult formare. Tertia distinctio significatur secundum situm; quia terra erat sub aquis, quibus inuisibilis reddebatur: aër verò, qui est subiectum tenebrarum, significatur fuisse super aquas per hoc quod dicitur; Tenebræ erant super faciem abyssi. Quid autem distinguendum remaneret, ex sequentibus apparebit.

Hanc sententiam insecuti sunt Aegidius Hexæmeron prima parte, Caietanus Genesis capite primo, Vielmius lectione quarta, & alij. Cap. 18.

Ex D. igitur Thomæ doctrina, atque ex ijs, quæ cæteri tradunt Doctores, sufficiat vnum tantum dilemma contra primam assertionem afferre hac serie. Chaos illud primum, materiaque illa prisca indigesta, aut penitus informis erat, aut aliqua substantiali forma prædita: Si informis, igitur non consistere poterat, cùm forma sit existendi caussa: nec cognosci, materia enim ex Aristotele non nisi analogia vel ad formam, vel ad materiam rerum arte factarum; & ex Platone in Timæo, non nisi per spuriam ex formę notitia, cognitionem, apprehendi potest. Si aliqua forma imbuta, vel ea erat sibi substantifica, vel aduentitia: Si aduentitia, peregrinaque ei contigerat; cùm accidens sit subiecto posterius, igitur ipsam materiam seipsam actu præcessisse dicendum erit. Quòd si forma erat substantialis; vel ea fuit generica, vel specifica: si generica, igitur quotquot subsequutæ sunt formæ, ei contigere, resque omnes sub accidentis vexillo redigendæ sunt: Si verò specifica, sciscitari possumus; an ea erat forma aëris, & sic fuisset Anaximenis materia, Chaosque; an aquæ, & fuisset Thaletis; an ignis, & fuisset Heracliti; an tandem ignota quadam constitutione ex formis omnibus conflata, atque ita Chaos illud Anaxagoræ confusum nimis extasset. Dari igitur non potest Chaos hoc, quin ardua, naturæque reluctantia placita constituamus, ac inextricabiles labyrinthos ingrediamur.

Contra primam sententiã argumentatio. 1. Phys.

AVCTOR.

In eam ego proficiscor sententiam, vt arbitrer primò tàm Philosophorũ, quàm Theologorum acies ingentes non temerè eam primam propellere opinionem, quæ Chaos vna rudi forma imbutum proponebat. Existimo insuper partim ex eo reiiciendã esse, quòd Philosophiæ axiomatibus aduersa sit; ac vetustorum opiniones, qui materiã corpore præditam ab elementorum natura seiunctam astruebant, è tumulis suscitet: partim etiam, quia cunctas peculiares rerum formas substantiales rescindat, auferatque, vt edisserebat D. Thomas. Sentio deinde, quòd Philosophi perfacilè à primæ sententiæ propugnatoribus repelli possent, si dicerent, idipsum contingere posse primæ illi materiæ in elementorum compactione, quod elementis in mixtorum genitura euenire nunc

Reiicitur prima sentẽtia.

dicitur; Elementa nanque in mixtorum genesi subiecti naturam, seu materiei vices agere perhibentur; nam de eorum formis adhuc lis est sub iudice, an remaneant in mixtis, an non: & si remanent, an intendantur, an remittantur. Et quamuis multi Philosophorum, plures formas substantiales in mixtis reperiri, non tantùm possibile, sed necessarium esse asseuerarint: attamen in secundam sententiam declinare plura alia me impellunt. Primùm grauissimorum Patrum paulò ante prolatorum auctoritas, quæ tantò copiosior, ac vberior cernitur, quantò pro eis, vt infra demonstrare enitar, & duos quoque Gregorios, Bedam, atque Hugonem, si ipsorum sententia exactiùs animaduertatur, stare conspiciamus. Deinde, quod me maximè compellit, est literæ series, quam apprimè insequendam esse duco, D. Augu..ino super Genesim scitè admodum obtestante: quòd maior sit Scripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenij perspicacitas. Perpendo siquidem primùm; Mosem illud primo momento creatum Chaos Cœli, & Terræ, & aquæ, tenebrarumque vocibus exprimere, quæ voculæ aptiùs certè Chaos ex elementis coactum, ac mixtum explicant, quàm Chaos illud vna communi, ac rudi forma præditum, quod nobis prorsus peregrinum, ac alienum, prima illa sententia proponebat. Perpendo rursus, Mosem in enarrationis progressu, elementa genita, ac iam producta intelligere; nam recensens secundæ diei opus, aquas terram supponit ambijsse, cùm scribit; Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis: quare siue per aquas superas Cœlos, seu aquas fluxiles intelligamus, & per inferas labentes nostras aquas capiamus, semper asseuerare cogimur in illo Chaos elementa extitisse, cùm saltē inferiores aquæ essent elementares. Dum tertiæ diei opus commemorat, apertè elementa iam ante condita supponit; non enim legitur dixisse Deum; Fiat terra, fiant aquæ; sed congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum vnum, & appareat arida. Quod expressius quoque innuit Moses, eo loci; Istæ sunt generationes Cœli, & Terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Dominus Cœlum & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra. Quid, quæso, clariùs potuit afferre Moses, vt terram eam elementarem terram agnosceremus, quàm non tantùm enarrare, ac patefacere, quòd primo temporis momento Cœlum, & Terram creauit Deus: sed etiam quòd in ea plantarum rationes seminales infuderit? Præterea, si Moses, vt prima sententia astruebat, rude Chaos, nulla specie, seu figura, ac pulchritudine insignitum explicare contendit, certè ipsum in hac sua tam præstanti historia multa detulisse perobscura, & ambigua asserendum esset. Nam si Cœlum non aderat, nec terra, sed indigesta quædā moles, nec Cœli, nec elementi formam, speciem, imaginemque præseferens, eratq; vnus, teste Ouidio, naturæ vultus in Orbe; nonne ineptum fuit, id Chaos Cœli & Terræ nomine significare? Quæ enim similitudo Terræ, Cœlique cum Chaos illo indigesto, tenebroso, inordinato, ac deformi? Quænam Terra in eo condita? Quæ ratio tenebrarum? Quæ labentes aquæ fuere? Nam si Terræ nomine, Chaos; tenebrarum appellatione, omnium formarum carentiam, & aquarum voce, insitam ad formas potentiam, ac propensionem capi voluerimus; quemadmodum Hebræorum Rabbini, & Catherinus interpretati sunt: hæc subtiliora admodum sunt, rudiumque ingeniorum captum excedentia, atque à germana, vsitataque significatione vocum adeò peregrina, & aliena, vt voces illæ Hebræis commodè talia significare, aut exprimere minimè potuissent, quod profectò quantum à Mosis scopo recedat, neminem prorsus latere arbitror. Præterea, si non aderant ante primum diem Cœlum, & elementa; vbinam primo die lux reposita est? nunquid in Chaos, aut extra Chaos? si extra Chaos, igitur corporeum quid extabat extra Mundum: si in Chaos, quinam locus decens ipsi luci esse potuit? aut quid illustrauit, cùm nullum diaphanum adesset, quod illustrare posset? Nec dicendum primo die Cœlos vniuersos præter sydereum fuisse conflatos, vt Catherinus exposuit; quare potuisse lucem primo die conditam in Cœlis collocari: nam, vt luculenter suo loco demonstrabitur, ex proprio ipsius Marte ista prolata sunt, & à cæteris omnibus Patribus, ac Doctoribus, cœlorum in prima die emanatio non admittitur: sed dato etiam prima die Cœlum adfuisse, si nullum extabat elementum, quidnam lux ea mox exorta valuit vnquam illustrare? Quòd si cum Cœlo simul & luce primo die emanarunt elementa, vt quid Moses eorum genesim reticuit, ac suppressit? Cæterum quod ex

Probatur secunda sententia, q̄ Chaos ex elementis compactum erat.

Lib. 2. cap. 18

Moses in enarratione semper supponit elemēta producta.

Gen. 2.

ex Mosis præsenti litera habere non possumus, ex Echo scripturarum attendamus. Inclamat Moses, In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: Repetit Echo, Dauid inquã; Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli. De his igitur Cœlo, & Terra, loquutus est Moses, de quibus & Dauid: sed Dauid de hoc Terræ elemento, quod terimus; ac de Cœlo hoc, quod nos tegit, verba facere, ex ijs quæ ibi subiungit, euincitur: igitur & Moses ea ipsa intellexit. Nec difficilè admodum est Catherini fundamenta diruere; siquidem Mosem elementorum, ignis, aëris, & aquæ genesim non prorsus omisisse, quin locupletissimè eam insinuasse, infra demonstrabimus. Priscorum Gentilitatis Philosophorum, ac Vatum, quænam fuerit de Chaos sententia, non sunt Theologi sacri partes disceptare. Quod ad Patres nostros attinet, D. Augustinum, Eucherium, ac Bedam non de Chaos hoc, seu materia exili actu imbuta, sed de materia informi, origine & natura, non tempore præexistente, sermonem habuisse, clarissima eorum verba, conspicuaque dicendi series produnt, ac patefaciunt: Gregorium verò Nazianzenum, Gregoriumque Magnum iuxta eundem sensum loquutos fuisse censendum est. Phylastrij, ac Nysseni sententia, etsi aduersum inferre videatur, piè tamen possumus illam secũdum eundemmet sensum interpretari. Quòd verò Hugo, & Magister, quos Catherinus ad suum vexillũ redigere præsumpsit, Chaos ex quatuor elementis commistum, coactumque, primo prosilijsse opinati sint, non tantùm adducta loca, sed ipsarum enarrationum progressus dilucidè declarant, ac demonstrant. Postremò, deductæ ex Scripturæ sacræ auctoritati; Manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa; seu, vt ait Augustinus, ex materia informi: iam primo satisfecere Patres, vt supra retulimus; duplicique via & interpretatione eam declararunt. Quapropter vel dicendum cum ipsis, primùm Deum creasse Orbem ex materia inuisa; seu secundum Augustinum, ex materia informi, hoc est, ex materia origine & natura, non tempore Orbem præeunte; eleganter nanque vox illa, Inuisa, materiem eam non tempore, sed origine præexistentem explicat; siquidẽ si ante Mundũ extasset materia, seu massa quędã indigesta rudi forma prędita, visibilis profectò, atq; aspectabilis fuisset. Vel dicendum cum Beda; Condidit Deus Mundum de materia informi, quia quæ videre solemus in Mundo, ex ipsis elemẽtis emanarunt, quę prius fuerunt informia, & vnde formositatem sibi vendicarent, non habebant. Cæterum percunctationi illi, quænam deformitas, ac incondita species extarit ea elementorum, an qualitatum, an situs: D. Thomas quæstionibus disputatis egregiè occurrit, dicẽs, quòd illa informitas primi status attenditur non quantum ad situm, qui naturalis est elementis secundum se; hunc enim situm, omnia elementa habebant; sed quantum ad illum situm, qui elementis cõpetit secundum ordinem ad generationem mixtorum: Iste enim situs nondũ erat perfectus, quia nec ipsa corpora mixta adhuc prodierant. Quare concludamus cum Basilio, ac Patrum, Theologorumq; immensa classe, in primordijs temporũ Orbes cœlestes, elementaq; substantialibus formis insignita manasse; quæ tribus priscis diebus secreta, distinctaq;, & alijs tribus venustata, ac decorata fuere.

Gen. 1. Psal. 101.

Soluuntur rationes Catherini.

Sap. 11. Ex materia inuisa quomodo Deus creauit Mundum.

Quæst. 4 ar. 1

De specie Chaos.

Iam iterum statuto, ac sancito, quòd illud primum Chaos à Deo in temporum primordijs effectum, non vna conflatum esset forma exili, & rudi, tanquam indigesta massa, ac materies, sed quatuor compactum esset elementis inuicem confusis, ac permixtis: indagandum superest, quam speciem, quam figuram, quam formam præseferret. Nam quæ commistio elementorum in eo Chaos existeret, quem situm vnumquodque vendicasset, non conformi decernitur sententia.

Chaos prima species.

IVNILIVS talem Chaos figuram excogitauit, vt in terra ignem, & aërẽ insitos fuisse, aquas verò supra terram omnia vsq; ad Empyreum explesse existimarit, cùm dicit. Commẽt. in Gen.

Vbi notandum quòd cum Cęlo in principio duo Mundi elementa, aqua videlicet & terra, nominatim facta memoran-

memorantur; quibus tamen duo reliqua fuisse constat indita: ignem videlicet in ferro, & lapidibus, quæ terræ viscera tunc condita latebant: aërem verò in ipsa terra, cui esse permixtus ex eo cognoscitur, quòd cùm fuerit humectata, & temperiem Solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos. Ignem quoque ardentem terræ interioribus insitum, calidi aquarum fontes produnt; quæ per certa quædam metalla in profunda aquarii transcurrunt, & non solum calidæ, sed & feruentes super faciem telluris emanant. Non enim hæc, vt quidam disputant, informiter inuicem mixta: sed terra ipsis, quibus & nunc est finibus vndique versum circumscripta, talis tunc erat tota, qualis adhuc sub imo maris profundo ex parte remanet. Aquæ autẽ vniuersam superficiem in tantam tangebant altitudinem, vt ad illos vsque locos pertingerent, & vbi nunc vsque super firmamentum Cœli ex parte insidentes, nomen Domini creatoris Cęli Cęlorum, laudare non desinunt.

Patres omnes, qui firmamentum ex tertia parte aquarum compactum opinati sunt, quorum classem in disceptatione de Cœli substantia comperies, Iunilij sentẽtiam sunt sequuti. Steuchus (vt in Catenis post deducetur) ab his non dissensit Patribus: hic etenim ex Chaos, seu Hyle, seu abysso, seu aquarum terræque cænosa colluuie, Solem primo die aquarum collisione emanasse tradit; Solem verò sua virtute ex eamet aqua secundo die aërem elicuisse, & terram tertio die absumptis aquis detegisse scribit; vt post clariùs demonstrabitur.

Secunda Chaos species.

STRABVS alteram Chaos speciem nobis proposuit, cùm dixit.

Omnia elementa commista erant, & totum hoc aëris, aquis plenum erat, non quales nunc sunt, sed sicut nebulæ tenues erant, quales ad hoc supercęlestes sunt.

Cap. 5. HVGO Victorinus noster Adnotationibus in Genesim, Strabo assensit, ac inter Empyreum, & terram trachonibus, hiatibus, seu voraginibus diruptam; cætera elementa ad instar nebulæ, & caliginis effusa esse dixit.

Creata est autem materia rerum informis non ex toto carens forma; sed ad comparationem sequentis pulchritudinis, & ordinis, informis potest dici. Terra autem erat in medio, habens in se alueos, & venas, receptacula scilicet aquarum, tam supra terram, quàm intra eam labentium. Tria verò reliqua elementa confusa in vnum ad modum spissæ nebulæ ferebantur super terram ex omni parte, ac superficie terræ, vsque ad Empyreum.

Et de Sacramentis, libro primo, parte prima.

Quantum conijcere potui ex ijs, quæ in Scripturis de hac re, siue manifestè, siue obscurè reperi secundum rei gestæ veritatem expressa, prima illa rerum omnium moles, quando creata est, ibidem tunc ad esse prodijt, vbi nunc formata subsistit. Eratque terreum hoc elementum medio, eodemque imo loco subsidens, (cæteris in vna confusione permixtis) forma meliore præditum, sed ijsdem circumquaque in modum cuiusdam nebulæ oppansis ita inuolutum, vt apparere non posset, quod fuit. Illa verò tria in vna, sicut dictum est, adhuc confusione permixta, siue potius in vna permixtione confusa, circumquaque suspensa, eousque in altum porrigebantur, quousque nunc summum corporeæ creaturæ pertingit. Totumque hoc spatium, quod à superficie terræ medio iacentis loco, vsque ad extremum, supremumque ambitus Cœli limitem patet, illa nebula, & caligine replebatur. Et qui nunc sunt alueі, siue trachones aquarum, iam tunc in ipso nascentis Mundi exordio in terræ corpore futura aquis receptacula parata erant. In quibus etiam magna illa abyssus (de qua omnium fluenta aquarum producenda, siue deriuanda fuerant) patulo adhuc hiatu, vacuoque, horrendum in præceps inane præferebat. Cui quidem desuper tenebrosæ illius caliginis, qua tota tunc terræ superficies obuoluta erat, nebulæ tendebatur: quas (vt ego arbitror) tenebras Scriptura, cùm Cœlum, & Terra crearentur, super faciem abyssi fuisse testatur. Talis Mundi facies in principio priusquam formam reciperet, aut dispositionem, per Scripturam significatur, cùm dicitur; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram.

Richardus pariter Victorinus, Exceptionum libro primo, eandem Chaos speciem excogitauit.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione duodecima, eadem ferè verba Hugonis repetit.

Dicimus, quòd illa prima rerum omnium moles, quando creata est, ibidem ad esse videtur prodijsse, vbi nunc formata subsistit. Eratque terreum hoc elementum in vno loco, eodemque medio subsistens, cæteris tribus in vna confusione permixtis, eisdemque circumquaque in modo cuiusdam nebulæ oppressis, ita obuolutum erat, vt apparere non posset, quod fuit: illa verò tria in vna permixtione confusa, circumquaque suspensa, eousque in altum porrigebantur, quousque nunc summitas corporeæ naturæ pertingit. Et sicut quibusdam videtur, vltra locum firmamenti extendebatur illa moles, quæ inferiori parte spissior, atque grossior erat; in superiori verò rarior, ac leuior, atque subtilior existebat: de qua rariori substantia putant quidam fuisse aquas, quæ super firmamentum esse dicuntur. Talis fuit Mundi facies in principio, priusquam reciperet formam, vel dispositionem.

Figura

Figura Chaos tertia.

BASILIVS ita Chaos visus est effinxisse, vt primùm cœlum supremũ, deinde ignem, & aërem, post aquam vndiq; terram ambientem; tandem terram inter aquas conclusam reposuerit. Quæ quidem Basilij de Chaos sententia ex pluribus ipsius locis elicitur; Nam Hexæmeron Homilia secunda, supremum Cœlum quod Instellare alij appellant, primùm prosilijsse, & Mundum seclusa Empyrei luce opacasse his edocet.

Arbitramur sanè siquid erat ante Mundi sensibilis, atque corruptibilis constitutionem, id in lumine nimirum fuisse.

Et paulo post inquit.

Postquam igitur factum esset ex imperio diuino Cœlum, ac circumactum ambitu suo vndique, ea, quę intra ipsum sunt, complexum esset, corpus continuum obtinens, ab externisq; interna seiungere valens, comprehensum intra se locum necessariò carentem lumine reddidit, tenebrisq; externo interciso splendore obscurauit.

Amplius existimauit Sydereum Cœlum, cæterosq; Cœlos Planetales secunda die fuisse editos, Homilia tertia, cùm inquit.

Inquirendum esse uidetur, an diuersum quid sit à Cęlo iam facto firmamentum id, quod & ipsum nuncupatum est Cęlum: & an omninò duo sint Cœli.

Et paulo post secundum Philosophos ait.

Etenim vnum, inquiunt, corpus esse, quod in orbe fertur, idq; finitum esse: quod si cum primo Cęlo completum sit, nibil prorsus ad secundi, tertijq; generationem, ortumq; reliquum esse. Et infra. *Nos autem tam absumus, vt de secundo Cęlo ambigamus, vt & tertium insuper quærendum esse arbitremur, aspectu cuius olim D. Paulus est potitus. Psalmus etiam Cęlos Cœlorum nominans, plurium Cœlorum nobis indidit intelligentiam.* 2.Cor.12. Psal.148.

Amplius aquam totam terram obtegisse, non explicata eius altitudine, ac vastitate edocuit, Homilia secunda.

Restat ergo, vt intelligamus vndas super telluris superficiem inundaße, antequam proprijs in locis humoris substantia segregaretur, atque ex eo terram, tum non solum inuisibilem, sed inconditam etiam fuisse: quippè cùm humoris exuperatio etiam nunc in gignendis, ferendisq; fructibus impedimento terræ soleat esse.

Nec tãtùm aquas terras absorbuisse, sed & aërem aquam circumuallasse approbauit loco asserto. Quamobrẽ iuxta eũ pars nulla telluris sese tunc offerebat; quia lumine carebat is aër, obtenebratusque adhuc erat, qui totam obibat aquæ naturam. De ignis ambitu, ac sede, non ita expressam suam retulit sententiam: sed ex cõmuni Grę corum Patrũ placito eũ supra aërem vti ocyssimum, leuissimum, sub Lunæ orbe locatum fuisse censendum est. Huic sententiæ Græca omnis ferè Ecclesia subscripsit, prę cipuè Theodoretus quæstionibus in Genesim; & ex Latinis, D. Ambrosius in suo Hexæmeron.

CAIETANVS ex Neotericis, sequutus hanc sententiam, molem & immensitatem aquarum ampliorem esse credit ea, quę in Diluuij Noëtici colluuie fuisse legitur. Ait nanque.

Et appellatur elementum aquę abyssus, ne intelligeres terram opertam paruæ altitudinis aquis: veluti in Diluuio postea legitur, aquas quindecim tantum cubitorum fuiße super montes. Nam elementum aquæ est secundum se tam grande, vt linea ducta a superficie terræ ad circumferentiam aquæ sit longè maior, quàm linea ducta à centro terræ ad superficiem terræ: quia elementum, quanto superius, tanto grandius secundum omnes dimensiones. Ad significandum itaque immensam aquæ profunditatem, dicitur abyßus. Commẽt. in Genesis cap. primum.

Figura Chaos quarta.

D. Thomas, ac recentiores Doctores, Chaos hoc ita effingunt, ac astruunt, vt omnes cœlestes Orbes in ipso exordio temporum perfectos emanasse arbitrentur: horum tamen alij competentem eis densitatem etiam adscribunt, vt D. Thomas; alij verò ferè omnes eam illis auferunt; & secundum substantiam, numerum, ordinem, magnitudinem, ac figuram tantùm absolutos effectos esse astruunt.

VIELMIVS siquidem lectione quartadecima ita scribit.

Illa corpora omnia terminata, & in suis singula locis, ac sitibus collocata: sed tantæ soliditatis, ac roboris secunda die aucta fuisse reputes, vt aquis non cederent superpositis.

Arbi-

Arbitrati sunt attamen hi Doctores, ea corpora Cęlestia ante primum diem vel nullo motu circumlata fuisse, vel supremi Cœli raptu tantùm volutata, seu Dei virtute, vt Aegidius visus est censuisse; seu Angelo, vt Caietanus voluit, primũ Orbem conuertente; & quòd Orbes illi densis tunc Solis, Lunæ, syderumve globis non exornarentur, nec lucis radio decorarentur: spatium autem inter Lunam & Terram ita effingunt, vt Thomas, Scholasticiq; omnes, Vielmius, & Aegidius in Basilij sententiam declinent; Pererius autem arbitratur inter Lunæ Orbem, ac Terrã, materiem quandam aqueam, & nebulosam extensam fuisse; qualis solet esse aër proximè superfusus terræ, quando crassis vaporibus, vel nubibus obtectus est: ex qua pars tenuior, & leuior in aërem, & ignem tertia die versa sit; crassior verò & grauior circa terram subsederit; atq; ita in sententiam Strabi, & Hugonis Victorini descendit.

Ex his varijs admodum de Chaos figuris, ac speciebus sententijs, liceat nobis oblectationis gratia quædã Chaos genera effingere, ac picta proferre, vt quod vniuscuiusq; classis fuerit placitum, enucleatiùs appareat, atque his perceptis modus emolitionis Mundi clariùs capiatur, & comprehendatur.

Chaos iuxta D. Augustini, Eucherij, Bedæ, ac sectatorum sententiam.

Cùm D. Augustinus Mundum absolutum primùm prosiliisse censuerit, ac ea quę de Chaos refert Moses, vti ante primum diem facta, ad Chaos, seu ad materiam non actu, & tempore, sed potentia, atque origine præextãtem referat: ex eius placitis Chaos chimericum, seu commentitium effingendum est ex mole quadam rudi, crassa, & atra, atque Angelo pura in natura constituto, non gratia seu gloria, quasi luce effulgente decorato.



A. Sit

A. Sit igitur A. Moles rotunda atra, quæ materiam inuiſam origine non tempore præextantem indicet.


B. Sit B. Angelus nitore quodam, ſed non fulgore pictus, qui Angelicam naturam in ſua puritate, nec gratia, nec gloria exornatam, præmonſtret.

Huius Chaos digeſtio ſic ſubſequuta eſt ſecundum D. Auguſtini placita: vt rerum conditarum, quæ vnico momento prodierunt, manatio, ad ſex Angelicas apprehenſiones relata, quaſi ſex diebus effecta à Moſe recenſeatur. Ac primo die lucis effuſæ metaphora, Angelus in gratia conditus intelligatur; ſeiunctione lucis à tenebris, bonorum Angelorum à Dæmonibus ſeparatio accipiatur: Deinde ſecundo die firmamenti compactione, ſupremę Orbis partis, hoc eſt, corporum Cœleſtium, ignis, & aëris vſque ad regionem illam, quæ vaporibus, flatibusq; aqueis obrui ſolet, effectio tradatur. Tertio verò Maris, & Terrę geneſis exprimatur; & Terræ ad germina proferenda virtus collata declaretur. Quarto, Solis, Lunæ, & Aſtrorum iam prius facta creatio deſcribatur. Quinto, & ſexto, piſcium, & auium, animantium, ac hominis in præſeminata materia origo recenſeatur.

Mundi ſecũdum D. Auguſtinum ex Chaos efformatio.

Chaos Vatum Gentilitatis, Gregorii Nyſſeni, Alexandri Halenſis, Bonauenturæ, Toſtati, & Catherini.

Cùm Vates priſci Gentilitatis, atque ex noſtris præfati Patres, Chaos id, quod primum ſtatuit Deus, vna rudi forma imbutum fuiſſe arbitrati ſint; in quo quidem nullũ extaret elementũ, ſed inſita tantùm ad proferenda elementa facultas; ex eorum placito Chaos effingendum eſt, in quo ſub Empyreo vna rudis, atra, indigeſtaq; moles tantummodo appareat.



A. Sit igitur A. Empyreum, quod alij ante extasse, alij tunc manasse diffiniunt.


B. Sit B. atra illa, indigestaque moles, vna forma, siue actu exili existens, in qua Cœlum, & elementa distincta non essent.

Ex hoc Chaos Mundus (Gregorij Nysseni præcipuè sententia) ita prosilijt; vt primo die ignis ex ea mole veluti agilior euolarit ad supera; cumque extra Mundum contendere non posset, nec in Chaos remeare, circumuolui, ac dies noctesque parere cœperit. Deinde secundo die, ignoto nobis constitutionis genere ex eadem massa cœlestia confecta sint corpora. Tertiò, aër, aqua, & terra ex eodem Chaos ad sua loca emerserint. Quartò die, ignis partibus ex sympathia simul sub vel supra coalescentibus, Sol, Luna, Astra effecta sint. Quintò, pisces, & aues ex aqua. Sextò, animantes, & homo ex terra producti fuerint.

Catherinus aliam ex eo Chaos Mundi genituram à Philosophia, atque à Mosis historia longè alienam, detulit. Siquidem primo die ex ea indigesta massa, Deum cœlestia corpora cuncta præter octauum sydereum Orbem, ac elementa consimul, Solem insuper absolutum produxisse censuit. Secundo porrò die, firmamentum, idest octauum sydereum Cœlum expandisse. Tertiò, aquam terram vndique ambientem à terra seclusisse; ac in maria coëgisse, terramque germinibus locupletasse. Quartò, Solis iterum emolitionem Mosem recapitulasse; Deum verò Lunam, ac Stellas compegisse. Quintò, ex aquis aues, & pisces. Et sextò, ex terra terrestria animantia, atque hominem formasse. Non dissimile est illud, quod D. Hieronymus proposuit.

Chaos plurimorum Patrum, præcipuè Iunilii, Gulielmi, & Steuchi.

Nonnulli ex priscis Patribus, vt Iunilius, & alij quamplures, ex elementis congestum Chaos ita effinxerunt, vt insidente terra in medio fluctuum, aquæ vsque ad Empyreum cuncta obruisse dixerint. Pingatur igitur secundum eorum placitum Chaos hoc pacto.




A. Sit A. Empyreum ipsum, quod cum Chaos simul conditum voluere.
B. Sit B. Terra subsidens, vndique aquis obuoluta.
C.D. Sint C. D. Ignis, aër, in terræ visceribus, ac antris reconditi.
E. Sit E. Aqua vsque ad Empyreum scandens.

Iunilius cum alijs Patribus, huius Chaos secationem ita deducunt. Primo die, inquiunt, lux nulli addita apparenti globo ex nihilo est condita, aquarumque molem illustrauit. Secundo die, ex aquis corpora cœlestia congesta sunt in medio molis aquarum: parte altera earum super firmamentum elata: altera sub firmamento depressa. Tertio die, subsidente terra, aquisque in vnum confluentibus, prosiliere ad sua loca ignis, aër, Mareque coactum est, & Terræ facies apparuit, quæ mox germinibus decorata est. Quarto, Solis, Lunæ, ac astrorum globi confecti sunt, ac prisca luce perfusi. Quinto, pisces, & aues; Sexto, animantia, & homo producta sunt. Verum Steuchus ex collisione aquarum primo die genitos ætherem, & Solem; Secundo Solis vi aërem ex aquis productum; Tertio eiusdem Solis flagrantia absumptis aquis, terram apparuisse, singulari arbitratu excogitauit. Mundi formatio ex Chaos secundũ Iuniliũ.

Chaos Strabi, Hugonis, & Richardi.

Non operosum erit Strabi, Hugonis, ac Richardi nostri Chaos capere, ac effingere; cùm inter Empyreum, & Terram suo pondere in centro Mundi considentem, aërem, ignem, & aquam in modum nebulæ, seu caliginis cõmixta, vbique diffundi reputarint.




A. Sit igitur A. Empyreum Cælum, ea, quæ vltra Mundum sunt, excludens.
B. Sit B. Terra pura, ac cauernis, antrisque conscissa.
C. Sit C. Ignis, aër, & aqua in modum nebulæ, ac caliginis extensa.

Mundi ex Chaos efformatio iuxta Hugonē, & alios.

Prosilijt Mundus ex hoc Chaos, hac serie. Primo die nubes lucida fortè ex igneis partibus coacta, Deiq; virtute, seu sibi insita ui circumuolutata, Mundum illustrauit. Secundò, Cœlum ex ea massa congestum, aquas vaporeas supra euexit. Tertiò, nebulæ humor in aquis fluentibus inspissatus, ignem, ac aërem reliquit depuratum; & Terræ sinus explens maria effecit, Terraque germinibus ditata est. Quartò, ex ea nube ignita fortè & lucida, Sol, Luna, & Astra compacta sunt. Quintò, ex aquis pisces, aues; Sextò demum, ex terra animantia, & homo prodiere. Nuperi, noua excitata sententia, ex hoc Chaos ipso primo die Cœlos, Solemque conditos volunt. Secundò, aërem tantùm aquas pluuiales à labentibus secernentem; seu aërem (nam in sua non persistunt sententia) locum, sedemque factum fuisse nubium dicunt. Tertiò, nebulam eam in aquas condensatam, maria expleuisse tradunt. Quartò, Lunam, & Astra tantùm formata. Quintò, pisces, & aues. Sextò, animantia, & hominem producta fuisse perhibent.

Chaos D. Basilii, Ambrosii, & omnium ferè Græcorum.

Grauiori certè sententia, sed ea non ab omnibus recepta, Basilius, Ambrosius, & alij ex priscis Patribus quamplures aliud Chaos formarunt; ac sub primo, vel supremo Cœlo, ignem; inde aërem; tandem aquas immensa mole vndique terram concludentes, diffundi tradidere. Vnde ex eorū sententia primæuum Chaos ita pingendū est.




A. Sit igitur A. Empyreum coruscantissimum.
B. Sit B. Supremum Cœlum, primũ mobile, fortè instellare nuncupatum, Empyrei fulgorem sua opacitate secludens, ac Mundum obumbrans.
C. Sit C. Ignis sua in sphæra.
C. Sit D. Aër in medio diffusius.
E. Sit E. Aqua in immensa amplitudine terram ambiens.
F. Sit F. Terra aquis obruta.
Ex hoc Chaos ita Mundus, secundum hos Patres, efformatus est.

In his ita commistis elementis, primo die ex nihilo lux à Deo creata, dies, ac noctes effusione, & attractione in triduo primo effecit. Secundo die, Cœlum firmamentum ignoto nobis constitutionis genere constitutum est, aquarumq; molem non modicam super se extulit. Tertio die, subsidente terra, & emergente supra terram mari, aquæ coactæ sunt in locum vnum; & terra denudata germinibus cohonestata est. Quarto die, conditi sunt globi Solis, Lunæ, & Astrorum; & prima luce decorati. Quinto in die, ex aqua pisces, & aues. Et sexto, ex terra effecta sunt terrestria animantia, singulariq; studio homo plasmatus est.

Mundi ex Chaos emanatio secundum Basiliũ.

Chaos Nuperorum.

Nuperi Doctores, quasi ex mente D. Thomæ, quanquam ipse inter multas expositas sententias adeò luserit, vt suam non retulerit expressam opinionem; aliud constituere Chaos, in hoc tantùm à præfata D. Basilij assertione discrepantes, quòd loco supremi Cœli decem Orbes Cœlestes, tanquam ab exordio productos, posuerunt.



A. Sit igitur secundũ istos A. Empyreũ, quod vnà cum Chaos concreatũ dicunt.
B. Corpora decem cęlestia.
C. Ignis. D. Aër. E. Aqua terram vndiq; obtegens. F. Terra ipsa aquis cooperta.

Mundi efformatio ex Chaos iuxta Nuperos Doctores.

Ex hoc Chaos quomodo prosilierit Mundus, non vna decernunt sententiã. D. Thomas, ac Scholastici ferè omnes asserunt, primo die Solem exijsse cum vniuersali quadã illuminandi facultate, sine speciali ad influendum virtute. Vielmius visus est hæsitasse, num Sol ante omnem diem conditus fuerit, licet in crassa illa elementorum commiscelatione lucere non potuerit, & primo die tantummodo effulserit. Aegidius verò Solem ante omnem diem effectum, primo autem die magis obdensatum, ac luce potiori locupletatum fuisse tradit. De secundi verò diei opere non sunt concordes. Alij quippè firmamentum, hoc est, Sydereum octauum Cœlum factum fuisse suspicati sunt, vt Catherinus; Alij Cœlis astripheris soliditatem, ac firmitatem fuisse adiunctã, vt Vielmius; Alij aërem emanasse, vt Steuchus; Alij saltem sedem aquarum vaporearum factum fuisse excogitarunt, vt Pererius; adeo non inconcussa sibi statuta basi, Doctores isti in peregrinas rapti sunt sententias. Tertio die, concordi annutu, aquas in specubus, ac antris terræ collectas fuisse, mariaq; effecta, & terram denudatam, ac germinibus locupletatam dicunt. Quarto die, D. Thomas Soli voluit specialem fuisse collatam virtutem ad influxus imprimendos; Aegidius Solem adhuc magis obdensatum fuisse, ac eminentiùs effulsisse; Alij Solis genesim à Mose recapitulatam esse prodiderunt: cuncti ferè hoc die Lunam, & Stellas sua sumpsisse natalia admittunt. In quintæ ac sextæ diei operibus explicandis à Patribus non abscedunt.

Hæc per transennam, vt inquiunt, volui præmisisse, cùm enucleatiùs, & fusiùs sim tot varias, ac repugnantes sententias in Catenis deducturus; vt quantum, & quale sit de Chaos explanatione, sententiarum atque assertionũ Chaos, prudens lector intelligat; & ex hoc maxima sibi animaduersione proficiscendum esse cognoscat. Ego, quod Chaos sim prosequuturus, breuibus prodam. Chaos primũ, ac modus productionis Mundi à D. Augustino excogitatus, Dei opificis omnipotentiam & maiestatem magis amplificat; Philosophisq; placita Christiana irridendi occasionẽ facilius tollit. Chaos à Gregorio Nysseno delatum, Vatum, ac Philosophorum sententiæ, qui Chaos, materiamq; ingenitam terræ elementum fuisse existimarunt, maximè accedit. Chaos Iunilij ex immensa aquarum colluuie congestum, & Mundi genituræ modus, præcipuè à Steucho deductus, arridere illis videtur, qui aquas rerum principium asseruerunt, vt Thales Milesius, & ijs qui cum Homero canebant;

Quodnam Chaos præferendum.

Oceanum rerum Patrem Thetinq; parentem.

Chaos ab Hugone, & Richardo adductum, Mundique prosilitio ab eis delata, cum ijs certè qui cuncta ex aëre, & atomis edita dixere, maximè concordat. Chaos Basilij, ac Mundi seiunctionis, & uenustationis modus, mirum in modum Mosis doctrinam insequi videtur. Nuperorum tandem Chaos, ac eorum de Mundi productionis modo sententia, totis uiribus, quoad potest, Peripateticis placitis nititur adhærere, atq; ab eis non abscedere. Quapropter si ego contra Gentilitatis propugnatores de dogmatibus nostris disceptando decertarem, Augustini Chaos non refellerem: Si priscorum Gentilitatis Vatum, ac Philosophorum placita complecti mihi esset in animo; certè vel illud Nysseni prosequerer, ut Euripidis, Homeri, Ouidijq; Chaos astruerem; vel Iunilij, ac Steuci, ut Thaletis sententiæ adhærerem; vel illud Hugonis, vt Anaximenis, Heracliti, Anaxagoræ, Epicuri, Chaos comprobarem; vel illud Nuperorum, vt quantũ in me esset, à Peripatetica Philosophia (quæ sibi ferè omnes Scholas subegit) non recederem. Cæterum cùm pluris existimanda sit Scripturę auctoritas, quàm omnis humani ingenij perspicacitas, à D. Basilij doctrina non abscedam; quoniam (vt in progressu rectiùs singula perpendentibus, ac æqua lance librantibus apparebit) planiores sensus, literæq; accommodatiores eam ferre, ac Mosis placita insequi, eiusq; mentem magis declarare, & manifestare conspicio: Idq; obtestatum semper esse peropto, quòd vbi obseruato literę placido, ac ingenuo sensu, miraculum effugere, & naturæ, ac Philosophię dogmata sectari potero, id libentissimè faciam: ast ubi in extortas, ac peregrinas expositiones, sensum adulterantes, ac deprauantes, me ob ea astruẽda prolabi animaduertero, por-

portentosa potius miracula concedam, omniaque Philosophiæ placita abiurabo, quàm Mosis literæ vel vnum apicem, seu iota extorqueam, ratus semper, vt modò dicebam, quòd longè præstantior sit Scripturarum sacrarum intemerata auctoritas, quàm omnis humani ingenij perspicacitas: siquidem cùm omnis de emolitione Mundi doctrina reuelata per Mosem à Deo nobis fuerit, id Chaos genus, ac prosilitionis Mundi modus putandus est verus, quem Moses prodit, ac profert; & quoniam omnis productionis Mundi series miraculis innititur, & Philosophiæ aduersatur, ea qualiscunque sit, excipienda est, quę à Mose simplici narratione nobis defertur ac reseratur.

Scripturæ auctoritas omni humanæ rationi anteferenda.

De Genesi Cœli, Muneribus, & Natura.

Ex D. Basilij, ac cæterorum Patrum priscorum, quos deduximus, doctrina, quam etiam prosequi statuimus, supremum Cœlum, quod instellare fortè alij nuncupant, in temporum exordio tanquam supremam Chaos partem, Orbem concludentem, ac superiorem Mundum, seu Empyreum, beatasque sedes excludentē, natalia sumpsisse sua asserendum est. De hoc ipso autem arduas, ac inter priscos Patres diu cribratas difficultates mihi nunc agitandas superesse perspicio. Num scilicet Moses duorum Cœlorum structuram memoret, alterius quidem in initio temporum conditi, alterius verò secundo die ex aquis, seu ex summitatibus elementorum compacti. Porrò si duorum Cœlorum genesim Moses recensuit, indagandum est deinde, num vnius sint naturæ, ac substantiæ. Tandem quod sit Cœlum istud in exordio temporum ex nihilo confectum, & quæ munera, seu quas functiones Vniuersi gratia obire censeatur.

Num Moses duorum Cœlorum conflationem tradat.

Disputatio hæc, vtrum Moses duorum Cęlorum genituræ meminerit, quamuis apud Philosophos nullius sit ponderis: attamen in via Patrum arduum mihi facit discrimen, ac periclitari in ea non adeò facile duco, cùm Patres priscos in aduersas, peregrinasq; raptos sententias videam. Verùm duabus de caussis eam prætermittere non audeo; tum quoniam curiosa, egregiaque valde est disceptatio ista, diuque à Patribus iactata; tum etiam quia doctrinam inusitatam, ac non omnibus adeò compertam, iocundam tamen, & grauem subministrat; quæ profectò, vt libentiùs ipsam aggrediar, me vehementer impellunt.

Catena Patrum, vnius Cœli effectionem Mosem tradidisse, existimantium.

TERTVLLIANVS Cęli creationem tradi à Mose censuit ea clausula; In principio creauit Deus Cœlum & Terram. Quæ autem de Cœlo secundo die narrantur, ea ad dispositionem, & qualitates eiusdem spectare decernit. Ex quibus Cœlum vnum tantummodo, ex ipsius mente, à Propheta hac rerum omnium effectarum narratione memorari conuincitur; Ita enim in libro aduersus Hermogenem, ait.

Nobis autem vnus Deus, & vna est terra, quam in principio Deus fecit. Cuius ordinem incipiens Scriptura decurrere, primò factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit. Sicut & Cęlum primò factum professa, In principio fecit Deus Cœlum: dehinc dispositionem eius superinducit. Et separauit inter aquam, quæ erat infra firmamentum, & quæ super firmamentum: & vocauit Deus firmamentum Cęlum, ipsum quod in primordio fecerat.

IO. CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia quarta, nō tantum vnius Cœli structuram tradi censuit, sed eos qui aliter credunt, à sacris dissentire Scripturis, ac ecclesiasticis doctrinis refragari affirmat, dicens.

Et vocauit Deus firmamentum Cęlum hoc quod videtur. Et quomodo dicunt aliqui, factos multos Cęlos? Non ex diuina Scriptura hoc didicerunt, sed ex his opinionibus, vt ita dicant, impelluntur. Beatus autem Moses nihil his amplius docet: nam vt dixit; In principio fecit Deus Cęlum & Terram: & deinde caussam docuit,

Scripturam. Euidens omnium infimorum Cœlorum ante... [left margin, faint, show-through]

docuit, quare terra sit inuisibilis; nempè quòd obtecta à tenebris, & aquis abyßi: post formationem autem lucis, ordine & consequentia quadam vtens, inquit; Et dixit Deus, Fiat firmamentum. Dein postquam docuit diligenter vsum firmamenti,& dixit,vt distinguat inter aquam, & aquam: istuc ipsum firmamentum, quod aquarum separationem faciebat,vocauit Cęlum. Quis igitur post tantam doctrinam feret eos, qui ex suo capite loqui, & contra diuinam Scripturam multos Cęlos dicere audent?

Amplius oppositionem illam, quòd Scriptura sæpius Cœlos non Cœlum dicat, egregiè dissoluit.

Psal. 148. *Dicunt illi; Ecce beatus Dauid laudem Deo offerens, dixit; Laudate eum Cęli Cęlorum. Ne turberis dilecte, neque putes sacram Scripturam sibijpsi alicubi aduersam; sed disce potius dictorum veritatem, & tenens diligenter illius doctrinam, obtura aures illis contraria dicentibus.* Et Post. *Dicunt igitur, qui linguę eius gnari sunt, Cœli nomen plurali numero ab Hebr.eis vocari, quod confitentur, qui & Syrorum linguā sciunt. Et nemo ea lingua dicit Cęlum, sed Cęli. Et idcircò sic dictum est, quod à beato Dauid dictum, Cęli Cęlorum: non quòd multi sunt Cęli; (non enim hoc nos docuit beatus Moses) sed quia mos est linguæ Hebraicæ, vnam rem nominare plurali numero; Quia si multi essent, non omisisset Spiritus Sanctus per linguam Prophetæ,quin & illorum formationem nos doceret. Hęc diligenter seruate obsecro, vt possitis obstruere ora eorum,qui contraria Ecclesiasticis doctrinis asserunt.*

Verùm quid astruat Ioannes Chrysostomus, non adeò perspicuum est.

Art. 4. D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima octaua, Patres Græcos ita conciliare nititur.

Circa hoc videtur esse quædam diuersitas inter Basilium,& Chrysostomum. Dicit enim Chrysostomus non esse nisi vnum Cęlum,& quòd pluraliter dicitur Cęli Cęlorum,hoc est, propter proprietatem linguæ Hebrææ, in qua consuetum est, vt Cœlum solum pluraliter significetur, sicut sunt etiam multa nomina in Latino, quę singulari carent. Basilius autem,& Damascenus sequens eum,dicunt plures esse Cœlos. Sed hæc diuersitas magis est in voce,quàm in re. Nam Chrysostomus vnum Cęlum nominat totum corpus, quod est supra terram & aquam. Nam etiam aues quæ volant in aëre, dicuntur propter hoc volucres Cœli. Sed quia in isto corpore sunt multæ distinctiones, propter hoc Basilius posuit plures Cęlos.

Chrysostomi in prælegatis ipsius verbis intentio.

Alij aduersus eos, qui plures Mundos, ac Cœlos absurdè astruebant, disputare hoc loco Chrysostomum arbitrati sunt. Sed si exactiùs Chrysostomi orationem perpendamus,eliciemus, quòd ipse contendat magis euincere contra D. Basilium, ac cæteros, plurium Cœlorum formationem à Mose non tradi,nec recenseri. Persuadet hoc mihi conclusio ab ipso Chrysostomo adducta; adijcit siquidem,quia si multi essent, nō omisisset Spiritus Sanctus per linguam Prophetæ, quin & illorum formationem nos doceret. Persuadet hoc etiam mihi magis,quoniam aduersus eos,qui plures astruebant esse Cœlos, & Mundos; (de quibus Laërtius decimo, & alijs aliquot locis meminit) cùm Ethnici essent,ipse nō Mosis Scripturarū auctoritatibus disceptasset, nec illi ad propriā roborandam sententiam Dauid obtestationes assumpsissent: vt illam; Laudate eum Cœli Cœlorum: quam Chrysostomus, veluti ab aduersarijs obiectam,hoc loco interpretatur. Amplius hanc disceptationem; num Moses duorum Cœlorum creationem prodiderit, ea tempestate viguisse, à Patribusque ventilatam fuisse, ipsemet Basilius contestatur eo loco, vbi ait; Hic dictum est à nonnullis. &c. vt supra retulimus. Præterea eomet Dauid testimonio suam sentētiam comprobare Basilius enititur, quod Chrysostomus nullum esse perhibet. Chrysostomi igitur scopus est; Quòd Moses plures Cœlorum enarrarit formationes,explodere, ac improbare; at si acrius hoc facit, ex vehementi orationis ipsius facundia euenit. Nam quid sentiendum sit de illa Chrysostomi assertione,qua vnum Cœlum immotum,astraque à seipsis in eo ferri existimauit, aliàs decernemus. Cęterum, si ipse Chrysostomus asseueranter vnius tantùm Cœli effectionem in hac cunctarum rerum conditarum historia, Mosem tradidisse autumat, ea fortè ductus ratione,quòd reputarit verba illa; In principio creauit Cœlum,& Terram, summam esse totius operis creationis; certè & in hanc eius sententiam Cyrillus, Steuchus,& alij,qui eam interpretationem sunt amplexati,properarunt.

Psal. 148.

In historia sex dierum. GREGORIVS Nyssenus, & ipse vnius tantùm Cœli ignei genesim tradi his innuit.

Posteaquam autem vna ab altera separatæ sunt aquæ,tum e.e quę videntur,tum illæ, quæ cogitatione percipiuntur; ac medius terminus duplicis aquarum naturę designatum est Cœlum, quod in principio vnà cum terra, atque omnibus, quę ad fabricationem Mundi congesta sunt, factum esse dicitur,nunc verò perfectum pariter & nominatum est in ea,quę postea accidit,creatione firmamenti, quod per ambitum ignis definitum & determinatum est.

AVGV-

AVGVSTINVS, cùm duos Cœlos Deum conflasse asseuerasset duodecimo Confessionum, dicens; Cap.8.

Valde enim mirabile hoc Cœlum corporeum, quod firmamentum inter aquam, & aquam secundo die post conditionem lucis divisti; Fiat, & sic factum est. Quod firmamentum vocasti Cœlum, sed Cęlum Terræ huius & maris, quæ fecisti tertio die, dando speciem visibilem informi materiæ, quam fecisti ante omnem diem. Iam enim feceras & Cęlum ante omnem diem, sed Cęlum Cœli huius, quia in principio feceras Cœlum, & Terram.

Postea illud primum nil aliud fuisse quàm Angelum, his declarat. Cap.9.

Nimirum enim Cęlum Cœli, quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis, quanquam nequaquã tibi Trinitati coæterna: particeps tamen æternitatis tuæ, valde mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ contemplationis tuæ cohibet; & sine vllo lapsu ex quo facta est inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum.

Eucherius, Beda, & qui Cęli nomine Angelũ sunt interpretati; Gregorius Nyssenus, Alcuinus, qui Chaos rude eadem Cęli voce significari voluerunt: Plato & Philo, qui idemmet nomen ad Idęas retulerunt; Richardus, & Hugo, qui tria superna elementa ignem, aërem, & aquam in nebulæ speciem rapta, eadem Cœli vocula exprimi dijudicarunt; si non clarè, saltem consequenter in Chrysostomi sententiam concesserunt, vt qui Cœli nomine, hoc loco nullius Cęli effectionem tradi censuere.

Classis, ac Catena Patrum, Mosem duorum Cœlorum genesim tradidisse arbitrantium.

Ex aduersa acie persistunt eximiæ auctoritatis Patres, duorum Cęlorum genesim à Mose traditam asserentes.

CLEMENS Papa, ex D. Petri ore, Recognitionum libro primo.

In principio, cùm fecißet Deus Cęlum & Terram, tanquam domum vnam, ipsa quæ ex corporibus Mundi reddita est vmbra, his quæ intrinsecus clausa fuerant, tenebras ex se dedit. Sed cùm voluntas Dei introduxisset lucem, tenebræ illæ, quæ ex vmbra corporum factę fuerant, continuò deuoratæ sunt: tunc deinde lux in diem, tenebrę deputantur in noctem. Iam verò aqua, quæ erat intra Mundum, in medio primi illius Cœli, terræq; spatio, quasi gelu concreta, & chrystallo solidata distenditur: & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media Cœli, ac Terræ spatia, idq; firmamentum Cęlum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum: & ita totius Mundi machinam, cùm vna domus esset, in duas diuisit regiones. Diuisionis autem hæc fuit caussa, vt superna regio Angelis habitaculum, inferior verò præberet hominibus.

Et secundo libro hæc duo Cœlorum genera, vt à Mose tradita insinuat.

Cęlos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit: quorum vnum Cęlum sit superius, quo continetur etiam visibile firmamentum, illud esse perpetuum & æternum, cum his qui habitant ibi. Istud autem visibile, in consummatione sæculi resoluendũ esse, & transiri; vt illud Cęlum, quod est antiquius, & excelsius, post Iudicium Sanctis, & dignis appareat.

IVSTINVS inter Patres vetustissimus, libro Quæstionum à gentibus Christianis positarum, id supponit, cùm ait. Quæst. 57.

Si duorum nobis Cęlorum Moses originem exposuit, quomodo plures esse Scriptura docet, interdum his verbis; Cęli Cœlorum: interdum his; Aperti sunt ei Cœli: &, Video Cœlos apertos, & raptus est vsque ad tertium Cęlum.

Et in Admonitorio hæc ipsa sensisse Platonem tradit.

Pari pacto, & de condito Cœlo putauit; id nanque quod creatum fuit, cuiq; firmamenti nomen inditum est, sensibile factum opinatus est. Aliud autem esse intelligibile, de quo Propheta dicit; Cœlum Cœli Domino, Terram autem dedit filiys hominum. Psal. 113.

ORIGENES in Genesim Homilia prima.

Cùm iam antea Deus fecisset Cœlum, nunc firmamentum facit. Fecit enim Cęlum prius, de quo dicit; Cœlum mihi sedes est. Post illud firmamentum facit, idest corporeum Cęlum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum; & hoc est, quod diuidit inter aquam, quæ est super Cœlum; & aquam, quæ sub Cœlo. Isa. 66.

BASILIVS Homilia tertia Hexæmeron.

Secundo se offert disquirendum loco, hoc est: sitne firmamentum hoc ab eo diuersum, quod initio factum est, Cęlo, quando & illud Cęli quoque nomenclaturam sortitum est; ac proinde num duo prorsus ponendi sunt Cœli.

Et post, cùm acrius Phylosophos illos, qui delira, ac inani ea fabula delusi, quòd Hyles ingenita aliunde ascita, ac Deo oblata, in vnius Cœli constitutione absumpta fuisset,

Deum vnum tantùm Cœlum condidisse arbitrabantur; eos etiam qui innumeros Mundos, & Cęlos constructos excogitabant, reiecisset, his demum concludit.

Nos contrà, de duobus tantum abest, vt quicquam addubitemus: vt & tertium inquiramus, cuius contemplatione dignus est habitus admirabilis Paulus. Psalmus ad hoc, dum nominatim commemorat Cœlos Cœlorum, vtique non vnius modò Cęli, sed & plurium perspicuam nobis inseruit intelligentiam.

Deinde post plura adiecit.

Dictum est à nonnullis nostris maioribus, non esse secundi Cœli hunc ortum, sed explanationem quandam prioris; propterea quòd illic Scriptura Cœli, ac Terræ creationem in summa quidem tradidit: hic verò modum quo singula facta sunt, exactiùs explicet. Nos autem dicimus, cùm nomen diuersum, officiumq; peculiare Cœli secundi traditum sit, aliud hoc præter id esse, quod in principio est effectum, solidioris sanè naturæ, præcipuum quoque officium Vniuerso subministrans.

Cap. 3. AMBROSIVS pariter Hexæmeron libro secundo, inquit.

Et hinc tractatus, vtrum hoc firmamentum appellet, quod ante iam fecit, de quo scriptum est; In principio fecit Deus Cœlum & Terram. Nec fallit, quod aliqui ante nos ita acceperint, eo quòd supra creatum auctore Deo, & conditum Cęlum Scriptura expresserit, hic expositionem operis, creationisque diffuderit, vt ibi quasi summa operis breuiter comprehensa sit, hic operationis qualitas per ipsas concurrentium rerum digesta sit species. Sed mouet nos, quia & nomen aliud significatur, & species solidior, & caussa discernitur, & persona cooperatoris adiungitur. Sic enim scriptum est; Et discreuit Deus inter medium aquæ, quæ erat sub firmamento, & inter medium aquæ, quæ erat super firmamentum.

Præterea, cùm eorum sententiam confutasset, qui vnicum Cęlum Deum condidisse ex Hyles defectu asseuerarunt, capite secundo concludit.

2.Cor. 12. Psal. 148. *Itaque nos non solum secundum, sed etiam tertium Cœlum esse negare non possumus; cùm Apostolus raptum se ad tertium Cęlum, scriptorum suorum testificatione confirmet. Dauid etiam, Cœlos Cœlorum in illo laudantium Dominum constituit Choro.*

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto.

Quia igitur Cęlum Scriptura dicit, & Cœlum Cœli, & Cœli Cœlorum; & ait vsque ad tertium Cœlum, beatum Paulum raptum fuisse: dicimus, in totius Mundi generatione, Cęli facturam nos intelligere eam sphæram, quam quidam Sapientum (qui non ex nostris sunt) instellarem appellant, ea quę Moseos dogmata sunt, sua efficientes. Deinde & firmamentum vocauit Deus Cęlum, quod in medio aquarum fieri præcepit, ordinans ipsum dispescere medietatem aquæ, quæ super firmamento est, à medietate, quæ sub firmamento est. Et post. *Est igitur Cęlum Cœli primum Cœlum supra firmamentum collocatum: Ecce duo Cęli; nam &* Dan. 3. *firmamentum vocauit Deus Cœlum. Consuetudo etiam diuinæ Scripturæ est, aërem Cœlum vocare, ab eo quod est sursum videri. Benedicite enim inquit, omnes volucres Cœli, aërem intelligens: nam aër volatilium iter est, & non Cœlum. Ecce tres Cęli, quos diuinus dixit Apostolus. Si autem septem circulos septem Cœlos suscipere volueris, nihil in ratione veritatis offenditur. Consuetum etiam & in voce Hebraica Cęlum pluratiuè vocari Cœlos. Cęlum igitur Cœli volens intelligere, Cęlos Cęlorum dixit: quod perinde significat, atq; Cœlum Cęli, quod est supra firmamentum. Sed & aquas, quæ sunt supra Cœlos, idest aërem, firmamentum, septemve circulos firmamenti, consuetudine Hebraicæ linguæ pluraliter Cœlos nominat.*

ACACIVS duos fatetur esse Cęlos factos, eorumque differentias attulit, cùm dixit.

Et vocauit Deus firmamentum, Cœlum. Num fortè hoc secundum Cœlum ad prioris Cœli differentiam firmamentum appellatur? Par est enim Cœlum illud primum, ac supremum, longè tenuius, ac magis integrum esse. Nam & primum Cęlum, non firmamentum, sed οὐρανὸς, hoc est, Cœlum nominatum est. Secundum verò & Cœli, & firmamenti nomen accepit. Cęli quidem, quia supra nos est, & prioris Cœli vices, atque vsum nobis refert: firmamenti verò, quia ex fluxa aquarum essentia constitit; & fluxa illa, ac liquida natura, densissima, ac solidissima ab vniuersorum opifice Deo effecta est. Duos igitur tantùm Cęlos diuina agnoscit Scriptura. Neque te moueat, quod dictum est, Cęli Cęlorum: nam neque aquæ vocabulum singulari no- Psal. 135. *mine apud Hebræos profertur. Sed & illud sciendum, Terram quoque firmamentum in Scriptura dici: vt cùm* Isa. 51. *ait; Qui firmauit terram super aquas. Et Esaias; Dominus, qui fecit Cęlum, & fixit illud, & firmauit terram.*

SEVERIANVS pariter idem visus est sensisse. Ait siquidem.

Cęlum ergo hoc, non illud supremum, sed quod aspectabile est, ex aquis effecit Deus: & vt chrystallum fixit. Vide operum virtutem, vt opificem admireris. Mediam aquarum partem supra, mediam infra esse voluit.

DIODORVS Tarsensis Chrysostomi præceptor eidem sententiæ accedit dicens.

Post inuisibiles, atque intellectu præditas substantias, Deus Cœlum statim vnà cum terra fabricatum est, non illud quod aspectabile est, sed quod supra omnes Cœlos, & quod Dauid Cęlum Cęli nuncupare solet.

IVNI-

IVNILIVS in Hexæmeron.

Vtquid enim hæc de Terra prætermisso Cęlo intulit? nisi quia de Cœlo nil tale intelligi voluit. Ipsum enim est Cęlum superius, quod ab omni huius Mundi volubili statu secretum, diuinæ gloria præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro Cęlo, in quo posita sunt luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus Scriptura, quomodo, vel quando sit factum declarat.

PHILASTRIVS Hæreseon Catalogo, hæresi post Christum sexagesima sexta.

De Cęlorum diuersitate est hæresis, quæ ambigat. Scriptura enim in primo die Cęlum, & Terram facta declarat duo hæc elementa: secundo firmamentum æquè factum; & nihilominus ipsum firmamentum Cęlum appellatum fuisse testatur. Dauid autem dicit de Cœlis ita; Laudate Dominum Cęli Cęlorum, & aquæ quæ supra Cœlos sunt. Siue ergo sex Cœlos secundum Dauid, & septimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat: nam Salomon tres Cœlos dicit, ita; Cœlum, & Cęlum Cęli. Paulus æquè Apostolus, vsque ad tertium Cęlum se raptum fatetur. Siue ergo septem quis acceperit, vt Dauid; siue tres, siue duos, non errat, quia & Dominus ait; Pater, qui in Cęlis est. Nam & Pagani vnum Cęlum, & Cœlos profitentur interdum. Dauid ergo, quod plenum est, docuit.

Psal. 148. 2. Cor. 12. Matth. 23.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum libro secundo.

Primò autem loco, vbi Scriptura Sacra tractat creationem, seu Mundi generationem, non loquitur de isto firmamento visibili, sed aliud quoddam Cęlum nobis inuisibile proponit, secundum quòd visibile hoc firmamentum nuncupatum est.

CLAVDIANVS Mamertus Viennensis in libro secundo de statu animæ capite tertiodecimo.

In principio inquit principiũ Geneseos, creauit Deus Cœlũ & Terram. Si opinionibus missis veri fidem quærimus; ecce tibi creaturarum testem ipsum creationis auctorem, qui cùm ante omne tempus creauerit Cœlum & Terram, postque die vno fecerit lucem: & firmamentum secundo idem die condiderit, idque Cęlum abusiuo nomine vocitauerit, cui ratis interuallorum limitibus, loco, vel modo variantium porrò syderum ornamenta subtexuit. Animaduerti promptum est, hoc visibile firmamentum tanto interuallo substantiæ, Cęlo inuisibili cedere, quanto id idem terræ imis locorum intercapedine præeminere: quocirca alieno, ac translato nomine, firmamentum istud Cęlum dici potest. Cùm verò esse Cœlum illi creato ante tempora Cęlo sit proprium: Enimuerò istud stelligerum, quod Cęlum dicimus, in Scriptura Geneseos Cęli dicitur firmamentum: quippe vbi luminarium creationem retexit; Fecit, inquit, Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento Cęli; qua videlicet auctoritate verum illud vnum ante temporaneum Cęlum credere sinitur, quanquam istud de quo agimus firmamentum Cęlum dicere non inhibeamur, eo videlicet, quia Deus firmamentum vocauerit Cęlum. Sed mouet iterum, quod Cœli in auctenticis voluminibus non duali tantùm, sed plurali numero sæpe vocitantur. Verùm animaduertitur, quòd terræ corpus vnum in scripturis dicitur Orbis esse terrarum. Ita igitur forsan dicantur Cœli multi, quum duo sint, sicut terræ dicuntur esse, quum vna sit.

THEODORETVS eleganter duorum Cœlorum productionem à Mose fuisse proditam contestatur, Quæstionibus in Genesim, quæstione vndecima.

Cùm Scriptura diuina doceat, in principio Deum creasse Cęlum, & Terram, deinde post lucis creationem, secunda die dicat firmamentum factum esse, imperitiæ plena videtur esse huiusmodi quæstio. Oportebat enim ex temporis ratione, & ipso creationis modo, Cęlorum diuersitatem nosse, vt vnum luce prius, alterum verò post lucem: & illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatum esse. Et Post. *Qui igitur non credit secundum esse Cœlum, semitam rectam transgreditur: qui verò plures enumerare conatur, adhæret fabulis, postposita diuini Spiritus doctrina. Pluraliter autem diuina Scriptura Cęlos nuncupat, dicens, Cęli Cęlorum: quoniam Hebraica lingua, neque Cęlum, neque aquam singulari numero nouit appellare. Reperire autem est similia multa inter dictiones Græcas. Nullus enim ciuitatem Athenam singulari numero vocitare solet, sed pluraliter Athenas. Similiter & Delphum ciuitatem nemo vocat, sed numero plurali Delphos. Non ergo tanquam plures sint Cęli, ita locuta est Scriptura, sed Hebraicæ linguæ seruato idiomate. Quod quidem in alio Psalmo manifestiùs nos docet, illius linguæ prætermisso idiomate, dum inquit; Cœlum Cœli Domino. Ita vt satis constet, quòd quemadmodum Cęlum istud nobis est pro tegmine, terra verò pro pauimento; ita Cęlum quod videmus, pro tegmine superpositum Cęlum habet.*

Psal. 113.

Et clariùs Commentarijs in Epistolæ ad Hebræos caput nonum.

Duos enim esse Cęlos diuina Scriptura nos docuit; quorum primum quidem cum Terra Deus fabricatus est: Secundum autem secundo die fecit, cùm dixit; Fiat firmamentum in medio aquæ; Deinde subiunxit; Et vocauit Deus firmamentum Cęlum. Ita etiam dicit beatus Dauid, Cœlum Cęli Domino. Hoc enim Cęlum est quidem nostrum tectum; Potestatibus autem, quæ sub aspectum non cadunt, est loco soli pauimenti.

ANASTASIVS Synaita Commentarijs in Hexæmeron lib. secũdo.

Primo die factum est velum superioris Cęli, quod appropinquat Sanctis Sanctorum, quo introijt præcursor pro nobis Christus. Ea de caussa, de cætero secundo die fit secundum & exterius velum, quod dicitur Firmamentum in medio aquæ; quod quidem est Firmamentum Fidei in Christum. Et Post. *Duorum ergo*

Cælorum tantùm fabricationem didiscimus ex sacra Scriptura in typum, ac figuram duorum Velorum Templi, quę significant duas naturas Iesu; & duorum Populorum, & duarum Ecclesiarum: supernæ, inquam, Hierusalem, & nostræ fidelium. Quod enim superiori Cęlo Deus est ad lumen; hoc Cęlo inferiori est Sol, firmamento Ecclesiæ, Euangelium. Et quod sunt Sancti Angeli in Cęlo, quod non cadit sub aspectum; hoc sunt & in firmamento, Stellæ; & in Ecclesia, Sancti.

HILARIVS Enarratione in Psalmum centesimum trigesimum quintum.

Sed cùm regionem cognitionis suæ, qui infinitus est, collocaret, Cęlo superiore atque primo, eodemque in Orbe collocato; terminum quendam virtutibus, quæ primum ad cognoscendum se gignerentur, inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent, nisi naturæ temperatioris obiectu sedem hanc moderatæ ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis etenim eleuatis illam ipsam primi Cęli naturam temperauit, quæ superni Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cęlum verò inferius non vniforme, sed multiplex tetendit; quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemque aëris nostri firmitate solidauit. Et idcircò plures Cęlos doctrina Prophetica prodidit; quia necessarium naturæ nostræ fuit, per momenta quædam, & profectus rationabilium moderationum, regionem hanc indulti nobis ad præsens habitaculi temperari.

Psal.148.

2.Cor.12.

Matth.25.

ATHANASIVS Quæstionibus ad Antiochum, quæstione quinta.

Quot sunt Cęli? Resp. *In dubio est apud multos hæc quæstio. Nam liber Geneseos duos Cęlos commemorat. D autem Paulus etiam tertium Cęlum sese vidisse dicit. Et Dauid Propheta de quarto Cęlo loquitur; Laudate eum Cęli Cęlorum. Sciendum verò, quòd quemadmodum natura hominum vna, & vnus homo dicitur, multi item sunt homines: sic etiam Cęlorum natura vna, & vnum Cęlum dicitur in diuina Scriptura, & Cęli multi.*

SVIDAS in opere suo historico, huius sententiæ clarissimus assertor extitit, cùm inquit.

Cœli sunt duo, vnus cum terra procreatus: alter, qui in medio aquarum existere iussus est; quod & firmamentum vocarunt.

PROCOPIVS tantorum Patrum vestigia sequutus, duorũ Cœlorum Molem productionem edidisse, his edocet.

Quidam inficias eunt, hic secundi Cęli generationem depingi. Existimant præsentem verborum seriem esse breuiusculam Cęli, de quo supra, repetitionem. Hæc & talia garrire audent, licet Scriptura huius secundi Cęli aliud nomen, aliamque vtilitatem apportet. Et quidem Scriptura Sacra multum vtitur repetitionibus, easque frequentes habet, interim tamen caret contrarietatibus. Nullibi enim sibi non constat. Repetitiones Sacræ Scripturæ dilucidam semper expositionem, & omissorum supplementum aduehunt. Cæterum qua ratione non emerget contrarietas, cùm videamus primum Cælum esse constructum in principio vnà cum Terra, & simul cum his, quæ vnà extitere, quasi nihil præcesserit ipsum. Hoc verò, de quo nunc sermo est, secundo demum die effectum est in medio aquarum subsistens. Ex quo colligere licet, quòd firmamentum in eorum medio, quæ ipsum antecessere, constiterit.

Firmamenti cœlestis triplex commodum.

Progreditur insuper triplex firmamenti commodum disertè explicare. Primum, quòd cùm non exiguam aquarum molem tergo exceperit, effecit, vt cęleriùs aquæ in vnam pelagorum colluuiem contraherentur: Deinde, quia in ipso rectiùs sita Astra, Sol, Luna, Orbi proficua facta sint, quæ si in primo Cœlo reposita fuissent, ob nimiam intercapedinem parum profuissent, & Orbis partes saltẽ remotiores perpetuò frigore algentes, & incultæ remansissent. Tandem, quòd illud supremum Cœlum, vt liberum à labe malorum aptiùs potuerit dignam Beatorum sedem, & domicilium designari; hoc verò firmamentum medium inter Cœlum, & Terram mutationi, ac corruptioni obnoxium ad Mundi ministerium destinari. Hæc & similia plures alij Patres edocuere.

Psal.113.

BRVNO Carthusiæ Patriarcha, libro de Nouis, capite secundo.

Moyses duos ponit Cęlos: ait enim; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram: Ecce vnum. Secunda die fecit Dominus firmamentum in medio aquarum; diuisitque aquas, quæ erant super firmamentum, ab his, quæ erant sub firmamento; vocauitque firmamentum Cęlum: Ecce alterum. Et hoc quidem est illud Cęlum, quod per Solem, Lunam, & Stellas, quæ in eodem fulgent, nostris oculis reuelatur. Primum enim Cęlum de hoc Mundo videre impossibile est; quoniam hoc, quod videmus, inter nos & illud positum est. Sed cuius excellentiæ, & pulchritudinis illud esse putabimus, cùm huius inferioris tantam esse videamus? & primum quidem Cęlum statim eadem die factum, & illuminatum est, dicente Domino; Fiat lux, & facta est lux. Hoc autem tertia die postquam factum est; Solem, Lunam, & Stellas suscepisse narratur.

In hac numerosa classe recensere etiam possumus cæteros cunctos Patres, tum priscos, tum nuperos, qui Cœlum Empyreum cum terra prima productione rerum manasse

nasse supra collegimus. Numerantur inter hos Anselmus, Strabus, Rupertus, Petrus Comestor, Gulielmus Parisiensis, Tostatus, Catherinus, & Caietanus, qui illud primordiale Cœlum supremum orbium extasse arbitratus est.

Iudicium Auctoris.

Libentiùs copiosiorem hanc intexui Catenam, primò vt quantum interpretatio ea, quæ Cęli nomine Cęlum aliquod supremum intelligi asserit, accepta apud priscos Patres fuerit, demonstrarem: ac deinde vt supremi huius Cœli Theologiam in omnibus ferè Patrum voluminibus conspersam, nostra ætate penè sepultam, è tumulis excitarem. Verùm enimuerò quid sentiam in hac tantorum Patrum discrepantia, ferè proferre non audeo; vtraque enim pars eximios habet assertores, cùm illinc adsint Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Eucherius, Nyssenus, & alij: Hinc Iustinus, Origenes, Basilius, Ambrosius, Damascenus, Diodorus, Acacius, Iunilius, Claudianus, Theodoretus, Hilarius, & Procopius. Arbitror itaque hoc esse Dialecticum placitum in via Patrum, posseque nos ex supra enarratis de Cœli significatione, hoc in loco interpretationem, quam iudicamus probabiliorem, depromere, eamque acceptare, & insequi. Sed arbitror etiam, & meritò, D. Basilij aliorumque de duplici Cœlo opinionem literę magis accommodari. Nam si Moses tantùm dixisset; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, anceps profectò fuisset huius percunctationis solutio; num videlicet summatim totum Mundi opificium proponat; an Chaos alicuius effectionem tradat, cum quo, seu in quo Cęlum aliquod manarit; sed quando fœcunda adeò oratione, Chaos aliquod in primordijs temporum creatum circumscribit adijciens; Terra autem erat inanis & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Domini ferebatur super aquas: nullus relictus est amplius ambigendi locus; præcipuè, cùm & ipse Chrysostomus disertiùs Chaos informitatem declarare videatur, atque etiam post multa ita demum concludat, quòd postquam diffusa fuit magna Vniuersi visibilis informitas, præceptoque suo Deus optimus ille artifex, & quæ informia erant, dispulit, & immensam lucis visibilis pulchritudinem produxit: tunc tenebras fugauit palpabiles, illustrataq; sunt omnia. Si ergo ante primigeniam lucem Chaos incongestũ aliquod fuit, in quo Cęlum extaret; igitur Cęlorum plurium emolitio à Mose tradita fuit, cùm aliud ab initio, aliud secunda die productum scribat.

Basilij sententia antefertur.

Hom. 3. In Gen.

De supremi Orbis muneribus ex Patrum Theologia.

Cæterùm, si, vt diffinitum est, Mosem duorum Cœlorum genituram tradidisse, Basilij, ac tantorum Patrum auctoritatem sequentes dixerimus, mox exurgit non leuis difficultas de huius supremi Cęli muneribus, & facultatibus. Munera nanque huius supremi Cęli quæ sint, Patres non vna diffiniunt sententia. Ipsum Regiam Dei esse, ac Empyrei partes agere, nonnulli ex prædictis Patribus asseuerarunt; Clemens, Iustinus, Origenes, Diodorus, Bruno, Iunilius, Hilarius, vt ex iam relatis eorum sententijs excerpere possumus.

Supremi Cœli munera iuxta nõnullos.

PROCOPIVS præcipuè hoc explicauit; is etenim, cùm duos Cœlos à Mose proditos fuisse edocuisset, quodnam supremi Cęli munus sit, vberiùs hisce manifestat.

At si quis dicat, Deum respexisse futuram rerum creationem, siue innouationem, haudquaquam hallucinabitur. Decreuerat etenim Deus duo condere opificia pulcherrima: Alterum quidem mutationi, & corruptioni obnoxium, quod tamen neutiquam spirituales substantias perimere posset; & illud opus est, quod oculis nostris subiectum aspicimus: Alterum verò liberum & vacuum voluit esse à præsentis sæculi malorum labe; quod quidem auspicatus est Christus, cùm humanam indueret naturam. In hoc præclarum ingrediemur opificium, vel ædificium post secundum Dei gloriosum aduentum. Verùm præsenti Cœlo, de quo hic Moses agit, congruit locus, in quo nunc degimus, interiacens medius inter Cęlum, & Terram; at in altero vtpotè diuiniore viuemus, immortalitatem consequuti. Et post. *Igitur cùm duo sint Cęli, constat varia esse receptacula, variasque mansiones, & diuersas, pro locorum diuersitate. Cęlum, quod nunc fastigij vicem sustinet, fundamentum erit summi Cęli in vniuersali resurrectione.*

Supremum igitur Cęlum ex Procopij sententia, ad hoc præcipuè compactum est, vt

Christi

Christi virtute post sæculi conflagrationem restauratum, perennis Beatorum sedes foret. Ex qua fortè Patrum doctrina, Strabus, Beda, ac Doctores posteriores, Empyrei Theologiam hauserunt, cùm hoc loco Cœli voce illud significari interpretati sint.

ANASTASIVS Synaita conformi ferè Theologia, Angelos, Beatosq; in firmamento degere, & solum Christum supernum hoc Cęlum conscendisse dicit Commentariorum in Hexæmeron libro secundo.

Intra firmamentum autem quod apparet, & ingredi, & degere, & seruire, ac colere Intelligentes Potestates, & fortè etiam Iustorum animas. Supra secundum Cęlum (quodnam sit autem non intelligo) hoc est secundum velum, nemo ingressus est nisi solus verus Pontifex Christus, qui est Pontifex secundum ordinem Melchisedech.

Que munera Cœli supremi secūdum Basilium.

Acacius, Seuerianus, Philastrius, Claudianus, huic supremo Cœlo quod munus adscripserint, aduertere non potui. Basilius, Ambrosius, & Theodoretus, Cęlum hoc supremum Angelorum non esse sedem, sed potius lucem, quam habitant, secludere perspicuè dixere; quasi præcipuum sit munus huius supremi Orbis coruscantissimum Empyreum seiungere à Mundo, Mundumque ambitu suo concludere, & opacare.

BASILIVS itaque homilia secunda Hexæmeron.

Cœlum igitur factum cùm esset Dei sanè imperio, suoque quaquauersum ambitu expassum, vt sua complexu circumferentiæ, quæ excepturum erat, quasi interiore quodam sinu circumplecteretur ea & contineret, corpus continuum obtinens, ab externisq; sufficiens interna seiungere, comprehensum à se locum necessariò carentem lumine reddidit, tenebrisque, externo interciso splendore, & intercepto obscurauit. Nam vt sit vmbra tria concurrant oportet: lux, corpus obiectum luci, locus luminis expers. Tenebræ igitur illę Mundo circumfusæ propter cęlestis corporis vmbram subortæ sunt.

Ambrosius libro primo Hexæmeron, capite octauo; Theodoretus quæstione sexta in Genesim idipsum edocent.

Cap. 9.

THEODORETVS attamen hoc Cęlum Regiam esse Dei, ac sedem Beatorum cum Clemente, & cæteris visus est dixisse Commentarijs in Epistolam ad Hebræos, cùm de firmamento ait.

Hoc enim Cœlum est quidem nostrum tectum, Potestatibus autem, quæ sub aspectum non cadunt, est loco soli, seu pauimenti.

Cap. 6.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, Cęlum hoc supremum esse partem Mundi sensilis, ac sphæram eam esse, quam instellarem vocant, clarè his edocuit.

Dicimus in totius Mundi generatione, Cęli facturam nos intelligere eam sphæram, quam quidam sapientum (qui non ex nostris sunt) instellarem appellant, ea quæ Moseos dogmata sunt, sua efficientes. Deinde & firmamentum vocauit Deus Cęlum, quod in medio aquarum fieri præcepit.

Verùm & hoc ipsum sedem esse Angelorum parum supra prodiderat, cùm caput illud sic exorsus est.

Cęlum est circundatio visibilium creaturarum, & inuisibilium: intra enim ipsum, & intellectuales Angelorum virtutes, & omnia sensibilia concluduntur, ipsoq; determinantur ambitu.

AVCTOR.

Existimo ego Clementem, Iustinum, Origenem, & reliquos, illi fauere sententiæ, quæ Cœli nomine Empyreum interpretatur, cui postea Strabus, Beda, Rabanus; & ex recentioribus Tostatus, Aegidius, Catherinus, ac plures alij subscripsere. Cùm verò iā eam supra refutauerimus, rati Mosem de sensili tantùm Mundo historiam detulisse, nō est vt acta agamus. Quapropter in sententia D. Basilij persistentes, necnon & Ambrosij, asserendum ducimus, supremum hoc Cœlum Mundum concludendi, ac opacandi munus subijsse, vt ipsi Patres vno consensu dijudicarunt; necnon & Mundi partē ipsum esse præcipuam, maximè cùm Mundi sensilis genituram tantùm perscribat Moses, vt supra decreuimus, atque eò magis, quia probabilissimum sit, quòd non aquæ Empyreo immediatè subnectantur, sed supra se alium habeant Orbem, qui Mundum concludit. Procopij, Anastasijq; placita, si Dei, Beatorumq; sedem, illud supernum Cęlū post Mundi tantùm reparationem, vel pro solo Christo destinandū intelligunt, omninò cōmentitia esse arbitror. Empyreum siquidem Cęlum in Beatorum sedem, non post Mundi restaurationem reparandum, sed iam, seu ante, seu in ipsa Mundi constitutione præ-

Cœlū supremum Mundum concludit, & est pars ipsius.

præparatum, omnes Patres obtestantur; Quinetiam in ipso iam Angeli, Beatorumq; animæ, immo & Christi corpus gloria ineffabili redimitũ, ac Deiparæ, plurimorumq; qui cum Christo surrexerunt corpora, iam in eo explendent.

DAMASCENVS piè interpretandus est. Et cùm intellectuales Angelorum virtutes, & omnia sensibilia, sub hoc, vt ipse ait, instellari Cęlo conclusa asseruit, intellexit Angelos, non vt beatos spiritus, ac ineffabilem deitatem contemplantes, sed ut uirtutes ministerio sensili in Mundo fungentes; Angelos certè ante Cœlum primum extasse in ipso non inclusos, disertè, clareque edocuit libro asserto, capite tertio, cùm dixit.

Nonnulli porrò dicunt ante omnem creaturam factos Angelos, vt diuiniloquus dicit Gregorius: & primùm quidem Deum excogitasse Angelicas & Cęlestes virtutes, & eius cogitationem, opus fuisse. Alij autẽ, post primum Cęlum factum. At quod ante hominis plasmationem creati sunt, concordant omnes. Ego verò deiloquo Gregorio accedo. Nam par fuit primum intellectualem substantiam creari, atque sic sensibilem, & tunc ex vtrisque hominem.

Quòd si hoc Cœlum euincitur sensilis Mundi esse supremum terminum, superest nobis tantùm suspicari, quòd sit vel supereminens quædam & quiescens sphæra, quam supra cunctos Orbes considere, ex Mathematicis nuperis quidam non abnuerunt, vt Picus, Aliacensis, & alij; vel ipsum primum Mobile; cùm siquidem sensilis Mundi pars sit, si motione agitur, nullus ei potest competere motus, nisi primus. Nũ verò sit Sphæra quiescens, vel primum Mobile, diffinire certè non præsumo. Quanquam hæc una ratio ipsum esse supremum Mobile mihi persuadeat, quòd Empyreum sphærę quiescentis vices agere plerique existiment: & quòd si aquæ supra firmamentum elatæ in Orbẽ feruntur, ut Patres ferè perhibent, supremum hunc Orbem, quasi Orbem illum instellarem primum, qui cætera cuncta secum rapit, ipsas circumferre sit necesse: & tandem consentaneum uideatur, quicquid ad sensilem Mundum spectat, sub primo Mobili cõprehendi, atque concludi. Sed hæc, quoniam ex Patrum doctrina perspecta non sunt, tutius censui, ea ipsa lectorum iudicio diffinienda, ac deliberanda relinquere. Veruntamen cùm de numero, & situ Cœlorum disceptabimus, hæc clariùs innotescent. — Supremũ Cęlum quid sit.

Cęlum supremum, quod Patres præfati cum Terra congestum à Deo autumarunt, nunquid eiusdem cum Cœlis astrigeris, seu alterius, ac sublimioris sit naturæ, non facilè est iudicare. Siquidem si duo sunt Cęli, vt constanter produnt Patres: si diuerso tẽpore manarunt, quandoquidem primum in temporum exordio, alterum secundo die conditum est: si diuersa serie, cùm illud primum Deus sine Verbo effecerit; tradit enim Moses; In principio creauit Cœlum & Terram; istud secundum per Verbum; Nam dixit Deus; Fiat firmamentum: & factum est firmamentum: si illud primum ex nihilo, hoc verò ex elementis conflatum est, vt Theodoretus existimasse conspicitur; asserit enim, quòd Dominus Deus tum ex his quæ non sunt, tum ex his quæ sunt, creare solet; Nam prius Cœlum ex nihilo creauit, posterius autem ex aqua fecit: Si illud primum quasi Mundum concludens, lucemque Empyrei supernam secludens, non diaphanum, sed opacum esse censuit Basilius, Ambrosius, Theodoretus, & Iunilius: ac demum, si supremum illud ex Acacij auctoritate longè tenuius, ac magis integrum censetur, reliquum ex fluente materia concretum; nunquid eandem esse vtriusque substantiam licebit existimare? Athanasius attamen ex aduerso in Quæstionibus ad Antiochum Principem, Cœlorum omnium vnam esse substantiam obtestatur. Tradit siquidem, quòd quemadmodum natura hominum vna, & vnus homo dicitur, multi item sunt homines: sic etiam Cęlorum natura vna, & vnum Cęlum dicitur in diuina Scriptura, & multi Cęli. — De Natura supremi Cęli. — Quæst. 14. in Gen. — Quæst. 5.

PROCOPIVS insuper Commentarijs in Geneseos caput primum, non modò vnius esse naturæ, verumetiam ex nihilo Cœlum vtrunque effectum esse his edocuit.

Præterea secundo die Cęlum vt fieret imperauit, quod quidem constituit ad similitudinem primi Cęli, quo opere nullum erat vel amęnius, vel pulchrius. Quare hoc? vt discamus primum Cęlum non per se substitisse, sed ex nihilo constructum esse, vt & secundum; quam ob causam eius creationem prioris creationi subiecit. Nulla enim datur differentia in opifice illo mirabili. Pari modo, & prima & secunda facit; Hinc Cęli nomen, & huic inditum est, siue primum Cęlum ex subiecta materia, & secundo ex nihilo formatum.

Null sit

Nullam ista important differentiam naturæ. Nam similitudo fidem præbet, necnon ipsa potentia diuina, quæ materiam in aliam substantiam pro suo arbitrio digerere, & effingere potest; & ex nihilo substantias creare valet. Siquidem & illa condita est, cùm prius talis non foret.

Supremũ Cęlum eiusdem naturæ cum reliquis.

Ex quibus omnibus, licet difficilem valde mihi aditum ad huius difficultatis solutionem assequendam præparatum conspiciam: dicam attamen, quòd si Cœlum illud Empyreum non est, sed huius Vniuersi pars, (vt demonstrare post enitar) posse illud Cœlum eiusdem substantiæ cum his astriferis dijudicari: Quanquam etenim ex elementis iam primùm congestis ipsum effici non potuerit; quoniam id, ex quo aliquid efficitur, prius præextare omninò necesse est: attamen, quia ignoto nobis constitutionis genere, confectum fuit illud supremum Cęlum, sicuti & secundum, asseuerare non vereor potuisse Deum opificem similem in vtrisque substantiam collocare. Non aduersor quidem, quin & perfectiori, ac sublimiori natura hoc supremum Cęlum pręditum esse possit, vt Acacius visus est diffiniuisse, & substantia ipsa demonstrat, cùm illud sit opacum, cætera diaphana; & munus, quod habet supereminens, arguit. Est enim vel regia Dei, & Beatorum; vel Sphæra quiescens super aquas celestes cõsidens; vel saltem primum Mobile ex Patrum sententia, vt infra deducemus. Verùm hoc tanquam incompertum diffinire certè reformido.

Et Terram:

Hactenus de præstantissimo, spectatissimoque Cœlesti corpore satis clarè (ni fallor) disceptauimus, quidque Cęli nomine intelligendum esset, inuestigauimus, interpretationemque illam, quæ Cęli appellatione supremum Orbem capiendum esse astruebat, à Basilio Magno prolatam, atque à numerosa Patrum classe approbatam, reliquis interpretationibus prætulimus. De Cęli insuper genesi, de muneribus, deque substantia illius, luculenter, vt puto, disseruimus. Reliquum modo est, vt ad Terram quoque considerationem nostram conuertentes, nonnulla de ipsa perscrutemur.

Terræ variæ significationes, & quæ potior.

Terræ significationem ad Idæam terræ traxerunt Plato, & Philo: ad primam materiã D. Augustinus, Eucherius, Beda, & alij: ad Chaos rude, Nyssenus cũ asseclis: ad Chaos commistum ex elementis, Iunilius, Magister, Petrus Comestor: ad Terram elementũ, Basilius, Ambrosius, & alij; quemadmodum supra demonstratum est. Sed cùm de Mundo sensili tantùm Mosem sermonẽ habere, Mundumque decursu temporum conditum fuisse; ac Chaos ex elementis permixtum primùm emanasse, fusiùs demonstrauerimus; reliquum est, vt ex his quinque interpretationibus, tres primæ omninò alienæ, ac peregrinæ censeantur. Quantum verò ad reliquas duas spectat, ad vexillum Ambrosij, ac tantorum Patrum confugere, quàm in alteram declinare sententiam, tutius esse arbitror. Primùm quòd Terra sua significatione propriè nil aliud præter elementum terræ in centro suomet pondere appensum denotet. Deinde, quia cùm terræ genesis prætermissa non sit, nullibi videatur rectiùs narrari, quàm hoc loco; siquidem ea, quæ tertio die de ipsa produntur, ad eius denudationem spectare perspectum est. Amplius cùm historia allegoricarum, dubiarumq; vocum expers prorsus esse debeat, non conspicio, qua ratione Moses terræ nomen ad allegorias, ac ignotas Hebræis significationes non redegisset; si terræ nomine, seu Idæam terræ, seu materiem primã, seu Chaos rude & incongestum, seu Chaos commistum ex elementis significare voluisset. Hac certè de caussa Tertullianus Hermogenem redarguit, quòd terram, vocis significationem adulterans, & deprauans, denotare materiam ingenitam affirmare præsumpserit. Rursum Moses, cùm in hac breui de opificio Mundi historia ter præcipuè terræ vocem replicarit, ac alijs in locis ad terram elementum significãdum hanc vocem assumpserit, non video quomodo & primo loco ad ipsam notificandam non retulerit; siquidem tertio die plantis, & germinibus decoratam; sexto etiam, vt animantia proferentem, eã terram appellat; quomodo ergo tam breui interuallo, terræ significationem immutauit, vt nunc obscurè materiem informem, seu Chaos aliquod denotare voluerit? Verùm quicquid sit; demus terræ nomen terram elementum significare, demus & Chaos ex elementis congestum primùm manasse, certè elementorum natalia nobis hoc loco traduntur. Qui enim terræ nomine terram elementum interpretantur, vt classis

Terra propriè elementum terrę significat.

Basilij, hi & in hoc extremo cætera media comprehendi, cointelligiq́ue asserunt: Qui verò Chaos per terram significari præsumunt, iam & ipsi elementa constitisse decernunt. De genesi igitur Elementorum necessariò nobis subijcienda est disputatio.

De Genesi Elementorum.

Corpora ea prima & simplicia, quæ elementa non ab re nuncupantur; primordia etenim sunt, & cunctarum rerum corporearũ semina; iuxta sententiam eorum, qui Chaos rude vna communi forma, & actu perfusum, primò prosilijsse autumarunt, vt Nyssenus, & alij, non in exordio temporum, sed per dies prodijsse asseuerandum est. Quare D. Bonauentura libro secundo Sententiarum, de aqua dicit; quòd aliud non fuit aquas cõgregari in vnum, quàm ipsi elemento aquæ, dando speciem vnam, & inclinationem ad locum speciei, simul debitum secundum existentiam formæ, & inclinationis ad situm, dare locum congruum. Cæterum ex his Patribus, Augustinus firmamenti nomine aëris supernam regionem capit: & aërem supremum ante tertium diem, & fortè in secundo; hunc verò infimum in tertio prosilijsse suspicatus est. Catherinus in primo cuncta elementa cum Cęlestibus corporibus edita esse maluit. Nyssenus de aquarum genituræ tempore nil clarum prodidit, ignem verò primo die exilijsse testatur: Hieronymus, singulari sententia, terram primo manasse, posteaq; ex illa aquam effluxisse statuit. Gulielmus, & Steuchus, terram & aquas primo productas, atque ex Solis ardore, earũq; collisione, aërem genitum diffiniere. Verùm Patres omnes prisci, conformi, grauiq; sententia, vt videre est in Catenis, constanter, & conspicuè, elementa cuncta primordijs temporum, vnà cum Cœlo à Deo effecta edocuere. Sed quanam digna oratione potero ego elementorum naturas, affectiones, seu qualitates, situs, ac munera, vnquam celebrare? Facerem hoc certè, & quàm libenter, cùm locus iste id valde expostulet: sed munus hoc esse Physici, non Theologi animaduerto. Duo attamen pro explicanda Mosis litera prætermittere non possum. Primum, quotnam sint iuxta Mosis placita ipsa prima elementa: Alterũ, num expresè eorum omnium genesim sanctus hic Vates noster tradiderit, ac manifestarit. Dist. 14

De numero Elementorum.

De simplicium corporum numero, non vna tum apud Priscos, tum apud Neotericos viget sententia.

ZOROASTER vetustissimus Philosophorum, tria tantùm elementa nouit, vt Franciscus Patritius Pancosmias libro vigesimo secundo, his tradit.

Hylæum Mundum Zoroaster fecit triplicem, aërem, aquam, terram, situmq́ue eis in Orbe assignauit; Terram in medio posuit; Aquam in terræ sinibus; Aërem supra hasce. Tria ergo tantùm in Mundo hylæo collocat corpora, quæ posteri vocarunt elementa.

Hermetem deinde inter sapientissimos nemini secundum, & Orpheum in hanc descendisse sententiam demonstrat.

EMPEDOCLES, vt refert Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum, quatuor Mundi partes enumerauit, cùm dixit.

Principium Solis tibi nunc age carmine dicam,
Atque orta vnde fient, quæ à nobis cuncta videntur,
Tellus, atque Mare exundans, atque humidus aër,
Titan, atque æther, qui cuncta astringit in Orbem.

Vetusta igitur fuit hæc opinatio, machinam hanc Mundi quatuor tantùm constare corporibus: cum hisq́ue stant pariter, qui Cęlum igneum censuere; Heraclitus, qui ipsum dixit ignem; Stoici, qui ardorem mobilem illud nuncuparunt; & Pythagoras, qui flammam pariter appellauit. Platonis, quæ fuerit sententia, non satis perspicuum est, quanquam à pluribus idipsum sensisse existimetur. Ex nostris Gregorius Nyssenus præcipuè in Hexæmeron his videtur subscribere.

Telesius Consentinus nostræ tempestatis solertissimus Philosophus, duo tantùm elementa statuit; & ea quidem ipsa esse ait, quæ in principio à Deo creata esse Moses edocuit, Cœlum, ac Terram, hoc est Ignem, & Terram; quorum alterum Calore, & eo sanè in

nè in ipſo Sole robuſtiſſimo; alterũ frigore ſummo præditum eſſe contendit: aëremq; & aquam, nequaquam prima corpora dicenda eſſe ſed ſecunda, atque hæc à primis iam dictis autumat effecta.

Cardanus libro de Subtilitate rerum primo, duo tantùm elementa paſſiua, videlicet aquam, & terram, atque vnum ambiens, ſcilicet aërem, aſtruere non dubitauit, actiua quacunque vi Soli, & Cœlo attributa; ignemq; omninò ſuperis è partibus ſuſtulit, generationesq; ex ſicco & humido Solis, Cœlorumq; virtute, ambiente aëre, ac fouente, fieri, noua Philoſophia edocuit.

Ocellus Lucanus, referente Franciſco Patritio, ſub Luna, & ſupra aërem ignem ſtatuit; ita vt ex quinque elementis, terra, aqua, aëre, igne, & Cęlo ſiue æthere Mundus conſtituatur; atque ex his priora quatuor docet in generatione verſari. Hanc ſententiam ſequutus eſt Hippocrates; immo eam Ariſtoteles ipſiſmet Ocelli verbis, ſuppreſſo eius nomine tranſtulit, ſibiq; vt ſuam uendicauit: itaque vniuerſus poſt eum Peripateticorum cętus inter Lunam & aërem, ignis elementum, & ſphæram ſtatuit, atq; ita eſſe & perhibet, & contendit. Vetuſtum igitur apud cunctos ferè priſcos Philoſophos tam Platonicos, quàm Epicureos, Eleaticos, Stoicos, ac Peripateticos placitũ viguit, quatuor eſſe illa prima corpora ſimplicia, ex quibus vniuerſa componerentur. Antiquis Aegyptijs Iuno catena de Cœlo ab Ioue ſuſpenſa, & lapides pedibus alligatos tenens, ita vt vnum contractiorem altero haberet, quatuor elementorum Hieroglyphicũ erat. *Elementorũ ſymbolũ apud Aegyptios.* Iunonem enim ipſum aërem; catenam ignem, quo cætera colligantur, atque miſcentur; lapidem altiori pedi appenſum, aquam; alterum verò terram ſignificare exiſtimabant; omnia Ioui, quem Cœli rectorem dicebant, appenſa, quaſi ex illo penderet, ipſiusq; nutu cuncta regerentur. Porrò ignem ſummopere neceſſarium eſſe Plato in Timeo ea ratione aſtruxit, quoniam ſine ipſo nil conſpici poſſit; terram autem, eo quòd abſque illa nihil palpari queat: ex geometrica deinceps Symmetria alia duo media venatus eſt. *Tex.16.* Ariſtoteles ſecundo de Generatione, ex primarum quatuor affectionum, ſeu qualitatum numero, quatuor quoque elementa eſſe demonſtrat. *Cap. 5.* Plinius libro ſecundo naturalis hiſtoriæ, de hoc à veteribus nunquam fuiſſe dubitatum, literis mandauit. Alij ſi vnum elementum, vt primum principium ſtatuerunt, hi & reliqua tria ex ipſo gigni tradidere.

Cap. 4. GREGORIVS Nyſſenus ſiquidem Philoſophiæ libro tertio, egregiè id enarrat.

Cæterum ex quibus ipſi conantur proprium quiſque communire dogma, his maximè oſtenditur quatuor eſſe elementa. Etenim Thales aquam ſolam dicens elementum, demonſtrare nititur reliqua tria ab hac generari. Nam hypoſtaſim eius terram fieri, quod λεπτομερέστερον *eſt, aërem: quod tenuius autem aëre ignem. Anaximenes verò aërem ſolum ponens, oſtendere quoque tentat alia elementa ex aëre produci. Heraclitus item & Hipparcus Ponticus ignem aſſerentes, iiſdem demonſtrationibus vtuntur. Cùm itaque & hi dicant, ignem aliorum elementorum eſſe generatiuum, & iſte ſimiliter aërem, ille verò aquam; manifeſtè liquet, quoniam omnia elementa viciſſatim ſe tranſmutant, inque ſeinuicem vertuntur, quodlibet horum elementum eſſe, neceſſariò conſequi. Quodcunque enim quatuor elementorum adſumpſeris, & hoc ab alio fieri comperietur.*

BASILIVS ex noſtris, Hexæmeron homilia quarta, eleganter elementorum numerum, & affectionum ipſorum ſympathiam, antypathiamq; his decernit.

Sic & ariditas, atque ſiccitas proprium eſt, atque præcipuum terræ. Non ſolum autem in terra ita habet, ſed cæterorum etiam elementorum propria cuiq;, & ſortito attributa qualitas ineſt, qua ſanè tam à cæteris ſecernitur, & quale vnumquodque ſit, internoſcitur. Nam aqua frigiditatem, aër humiditatem, ignis caliditatem, vt peculiarem ſibi vendicat qualitatem. Verùm hæc quidem vti prima compoſitorum corporum elementa, iuxta iam dictum modum ſpeculatiuæ rationis conſiderantur. Ea tamen, quæ iam in corporibus inſunt conſtituta, ſenſuiq; ſubijciuntur, obtinent coniunctas qualitates: neque quicquam eorum omninò, quæ conſpiciuntur, ac ſentiuntur, abſolutè vnicum eſt, ſiue ſolitarium, aut ſimplex, aut ſyncerum; ſed terra eſt ſicca & frigida aqua humida & frigida; & aër humidus & calidus; ignis calidus, atque ſiccus. Hoc enim pacto per qualitatem conſortem, & coniugatam, facultas in ipſis mutuæ mixtionis emergit. Nam per communem ipſis qualitatem, ſingula cum vicinis ſibi copulantur, ac permiſcentur, & ſocietatis ratione, quam cum ſibi propinquis obtinent, cum oppoſitis coniunguntur: verbi gratia, terra, quæ ſiccitate, frigiditateque prædita eſt, cum aqua quidem frigiditatis affinitate coniungitur; per aquam autem cum aëre copulatur; quippe cum aqua medium inter vtrunque obtinens ſuapte natura, quaſi vtraque iniecta manu, vtraque qualitate, corpus vtrunq; proximum ſibi, frigiditate terram, humiditate aërem attingit. Rurſum ſuo ipſius interuentu, aër pugnantem natu-

naturam aquæ,& ignis conciliat; aquæ quidem se connectit per humiditatem, igni verò per calorem. Ignis denique pari modo duabus & ipse qualitatibus præditus, calore, inquam, ac siccitate, illo cum aëre copulatur, hac humum petit, sibique coniungit: atque ita fit orbis quidam, choreaque concors, & concinna ex omnibus inter se consociatis ordine, & sibi concinnentibus elementis. Vnde & propriè illis elementorum appellatio adaptata est.

GREGORIVS Nyssenus Philosophiæ libro tertio, capite secundo, seu vt alij malunt, Nemesius de natura hominis: nam idipsum opus & Nysseno, & Nemesio adscriptum, eorumque nominibus insignitum circumferri comperio; elegantissimè numerum, qualitatesq; elementorum, mira concinnitate ab opifice Deo illis insitas, his tradit.

Sunt autem elementa quatuor, terra, aqua, aër, ignis. Et post. *Porrò vnumquodque elementorum, secundum coniugationem duas specificas qualitates habet. Est enim terra sicca & frigida; aqua frigida & humida; aër humidus & calidus, iuxta suipsius naturam; ignis verò calidus & siccus: non tamen hæ qualitates secundum seipsas esse possunt elementa: ex qualitatibus enim incorporeis nequit corpus consistere. Sed neque corpora non summam habere secundum actum qualitatem possibile est. Nam aliter elementa essent infinita.* Et post. *Cæterum secundum duas contrarias qualitates, elementa sibiinuicem contraria sunt, vt aqua igni, frigida existens & humida, calido & sicco; & terra aëri, frigida & sicca, calido & humido. Quia verò nisi medio aliquo intercedente vinculo, quod ea colligaret, adinuicem contraria copulari non possent, in meditullio terræ & aëris sibi contrariantium, statuit aquam conditor, duas qualitates ei dans, frigiditatem & humiditatem, per quas extremis copulata, posset ea connectere. Nam frigiditate familiaris est terræ, humiditate verò aëri copulatur. Rursus, medium aquæ & ignis contrariorum aërem ordinauit, humecta qualitate domesticum aquæ, calida verò igni; & ita contraria ad se inuicem per media quædam coagmentauit, quæ colligant seipsa, & colligantur. Tale enim vinculum optimum est. Vnumquodque igitur ipsorum secundum vnam qualitatem priori copulatur, per alteram verò posteriori; vtputa aqua frigida est & humida; sed secundum frigidum terræ coniungitur, priori secundum ascensionem; per humidum verò aëri, posteriori: eodem modo aër humiditate connectitur aquę priori, caliditate verò igni posteriori, & ignis per caliditatem aëri copulatur priori, per siccitatem verò terræ, secundum reclinationem, & conuersionem ad extremum. Haud dissimiliter terra per frigidum aquæ, per siccum verò igni secundum reclinationem.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite quarto.

Habet ergo terra propriam qualitatem suam, sicut & singula elementa habent. Nam & aër humidam qualitatem, & aqua frigidam, & ignis calidam. Et hoc est principale proprium elementis singulis, quod ratione colligimus. Comprehendere autem sensibiliter, & corporaliter si velimus, velut connexa, & composita reperimus; vt sit terra arida & frigida; aqua frigida & humida; aër calidus & humidus; ignis calidus & siccus: & sic sibi per has iugales qualitates, singula miscentur elementa. Nam terra cùm sit aridę, & frigidæ qualitatis, connectitur aquæ per cognationem qualitatis frigidæ; & aqua aëri, quia humidus est aër. Ergo aqua tanquam brachijs quibusdam duobus frigoris, & humoris, altero terram, altero aërem videtur amplecti; frigido terram, aërem humido. Aër quoque medius inter duo compugnantia per naturam, hoc est inter aquam, & ignem, vtrunque illud elementum conciliat sibi, quia & aquis humore, & igni calore coniungitur. Ignis quoque cùm sit calidus & siccus natura, calore aëri annectitur, siccitate autem in communionem terræ, ac societatem refunditur; atque ita sibi per hunc circuitum, & chorum quendam concordiæ, societatisque conueniunt. Vnde & Græcè στοιχεῖα *dicuntur, quæ Latinè elementa dicimus, quòd sibi conueniant, & concinant.*

ANSELMVS de Imagine Mundi libro primo, capite tertio.

Elementa dicuntur quasi hyles ligamenta, hyle autem est materia. Sunt autem quatuor elementa, ex quibus constant omnia: scilicet ignis, aër, aqua, & terra, quæ in modum circuli in se reuoluuntur: dum ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram conuertitur. Rursus terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem commutatur. Hæc singula proprijs qualitatibus quasi quibusdam brachijs se inuicem tenent, & discordem sui naturam concordi fœdere vicissim commiscent. Nam terra arida & frigida, frigidæ aquæ connectitur. Aqua frigida, & humida, humido aëri constringitur. Aër humidus & calidus, calido igni associatur. Ignis calidus & aridus, aridæ terræ copulatur. Ex his terra, vtputa grauissima, imum: ignis, vtputa leuissimus, supremum obtinet locum. Alia duo, medium, quasi quodam soliditatis vinculo; quorum aqua grauior, terræ proximum: aër leuior, igni proximum possidet locum. Deputantur verò terræ gradientia, aquæ natantia, aëri volantia, ignis irradiantia.

GEORGIVS Pisides, de Mundi opificio.

Hostile pugnaxve condidit Deus:
Sed quasi sorores genitor, & rector domus;
Concordia ligat, repugnantique sibi,
Quaternionis ordinem edens disparis:
Vt vniuersus Mundus hic, magna vt domus,
Quatuor arietum perstet infractus modo;

Firmamine aßumpto, quod vndique nititur.
Res iungis ita, natura quarum dissidet,
Suades & illas domicilia coniungere,
Hoc prælio aspirante nutum ad vnicum,
Vt reliqua communis sit his concursio:
Et hæc quidem contexat aëreum hoc opus,
Subtile stamen, vitæ ad almum spiritum.
At ignis hæc natura fila valida net,
Tunicamque conficit fouenda ad corpora.
Producere alia imbres solet largos aquæ,
Feruore nimio ne crementur cætera.
Ac Terra demum ædes decoras efficit;
Et in dies parat nobis conuiuia.

Hermias Philosophus libro inscripto Irrisio gentilium Philosophorum, elementorum horum quatuor formas, figuras, & dimensiones accuratiùs edisserit. Sed sufficiat nobis de quatuor elementis, quatuor præclarissimorum Patrum, & unici Poëtæ sententias inseruisse, hos siquidem agminatim insequuti sunt omnes. Sed his, vt à nostro proposito alienis omissis, cùm Patres nostri omnes, tam prisci, quàm nuperi, Philosophorum priscorum vestigia sequuti, quatuor admittant elementa (vt infra ex Catenis mox intexendis elici poterit) nostrum tantùm est onus; Num eorum genesim tradiderit Moses, explorare.

Num Moses expressam tradat cunctorum elementorum genesim.

Diu iactata est inter Patres disceptatio, an Moses claram retulerit quatuor elementorum productionem; quòd si non de omnibus egit commemorationem, quæ sint ea, quæ suppresserit; adeoq; dissident, ac variant ipsorum sententiæ, vt alij quatuor, alij tria, alij duo, alij vnum ex ipsis tantùm memoratum esse existimarint.

Sententia elementorum quatuor mentionem hoc loco Mosem habuisse existimans.

PLATONICI, referente Ruperto Commentarijs in Genesim, libro primo, capite octauo, Cœli nomine ignem, eo quòd igneę sit naturæ, spiritus aërem, aquarum aquas, & terræ terram explicari arbitrati sunt. Ita enim scribit.

Plato cùm hanc scripturam legisset, spiritum Mundi, idest aërem, arbitratus est; qui secundum ordinem elementorum, aquis, vtpote leuior, supereminet. Et quia per Cęlum quoque, de quo iam dictum est; In principio creauit Deus Cęlum, & Terram, ignem significari suspicatus est, quatuor tantùm elementa, scilicet ignem, terram aërem, & aquam, hoc loco dinumerata esse putauit.

Tostatus in Postillis pariter hanc refert Platonis sententiam.

RABBI MOSES, teste Hamero, putat quatuor elementa ijs verbis significari; Terra autem erat inanis, & vacua; & tenebræ erant super faciem abyssi; & spiritus Domini ferebatur super aquas.

Quis verò crederet, ipsis tenebris ignis elementum significatum esse? Ignis verò primus significatus est tenebrarum nomine, quia non est lucidus, sed est peruius visui, neque comprehenditur ab eo, quia si ignis ille lucidus esset, videremus totum aërem de nocte, quasi ignem. Scriptura nanque dicit; Verba eius audistis de igne: & subdit postea; Audiuistis vocem eius de obscuritate. Nominata etiam fuerunt elementa secundum ordinem positionis suæ naturalis: quoniam primò posuit terram, & super eam aquam, super quam est aër, cui supereminet ignis. In eo enim quòd aër determinatur super faciem aquæ, erunt tenebræ, quæ sunt super faciem abyssi; super spiritum sine dubio.

q. 66. art. 1. D. THOMAS prima parte, hanc eandem Platonis retulit sententiam, adijciens.

Sed Rabbi Moses in alijs cum Platone concordans, dicit ignem significari per tenebras; quia, vt dicit, in propria sphæra ignis non lucet.

Verùm sententia hæc Platonica à Ruperto, & D. Thoma locis citatis reijcitur, & meritò.

ritò. Primùm quoniam obscuram Mosis historiam reddit, cùm voces Cœli, ac spiritus, sublatis earum vsitatis significationibus, ad inusitatas rapiat, & extorqueat. Difficulter certè rudis Hebræus, ac passim omnis lector, Cœli nomine, seu tenebrarum, ignem; ac spiritus, aërem intelligeret. Proficiscuntur ferè in hanc sententiam ex nostris

GLOSSA Ordinaria, in qua legitur.

Et nota tria hic commemorari elementa; nomine Cœli, aërem intelligimus; nomine Terræ, ipsam, & ignem, qui in ea latet; quarti, idest aquæ, in sequentibus fit mentio.

BEDA Quæstionibus in Genesim.

Ignis quomodo probatur factus, aut vnde, vel quando? Factum quidem ex generali Scriptura possumus approbare, cùm dicitur de Deo; Qui fecit Cęlum & Terram, Mare, & omnia quæ in eis sunt. Quia vtique etiam ignis in eis est, & ex speciali prophetia innuitur, vbi dicitur; Laudate Dominum Dracones, & omnes abyssi: ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: de quibus ante dixerat; Quoniam ipse dixit, & facta sunt. Et rursus; Benedicite omnia opera Domini Domino. Et subiunxit: Benedicite ignis, & æstus Domino. Vtrum verò ex nihilo, sicut & alia, factus sit, an ex aliquo dubitatur. Plures enim volunt Cœlestium Luminarium esse particulam. Quippe etiam nunc frequenter videmus homines certo modo ignem ex Solis radijs mutuare; quod si ita est, primo die factus est. Sed sapientius hoc Scriptura lumen, quam ignem vocauit, vt ex meliore vsu nomen acceperat. Psal. 145. Psal. 148. Dan. 3.

ALEXANDER Halensis, secunda, quæstione quadragesima quinta, nomine Cœli & ea non memorata elementa innui arbitratus est.

Et posset dici, quòd nomine Cęli intelligitur ignis, (est enim Cœlum igneum) & similiter aër: (est enim Cęlum aëreum) Terra verò est alterum extremorum: aqua autem tenet medium.

Subscribunt huic sententiæ, qui Cœli nomine quicquid supra nos sursum expanditur, & voluitur, aërem, videlicet, ignẽ, atq; æthercam substantiam significari commentati sunt, Steuchus, Lippomanus, Vielmius; de quibus supra. Sed & hi Patres ad peregrinas & singulares vocum interpretationes se conuerterunt.

Classis Patrum, Terræ tantùm genesim à Mose recensitam fuisse, arbitrantium.

Patres, Doctoresq; nostri, cunctorum elementorum genituram memoratam non fuisse, vna consensione diffiniunt: sed quænam eorum vates silentio transierit, non vnamet sententia decernunt. Basilius, Ambrosius, & alij, terræ tantùm natalia recenseri existimarunt: cætera verò, quasi terræ insita, solummodo insinuari. Ignem etenim in terra latitare, flammarum eructationes pluribus in locis cõspectę euidentissimo sunt argumento; aërem incultas cauernas, specusq; explere, terræmotus terram quassantes explorato indicant; dum aquæ in puteorum, fontiumq; voraginibus scatent, ipsas terram permeare demonstratur. Audias obsecro, Patres mirificè hanc Philosophiam contexentes.

BASILIVS Homilia prima Hexæmeron.

Itaque etiamsi nihil de cæteris dixerit elementis, igne, inquam, aqua, atque aëre, tuopte tamen solerti ingenio capere velis. Primùm quidem, quoniam in omnibus omnia sunt permixta; atque adeò in terra aquam, aërem, & ignem inuenies: siquidem tam è silice, quàm è ferro, quæ suam originem è terra trahunt, ignis exilit, ac frictionibus copiosiùs emergens elucet. Vbi dignum id est etiam admiratione, quonam pacto, cùm in ipsis corporibus innoxius latitet ignis; idem cùm egressus fuerit, ipsa quoque absumatur, à quibus eatenus seruatus est. Aquæ verò naturam ipsi insitam esse terræ, ij demonstrant, qui puteos effodiunt, & aëris item naturam eidem terræ inesse, ipsi vapores, quos ab humectata terra Sole tepefacta resultare, sursumq; ferri conspicimus. Deinde quoniam Cęlum natura locum superum occupat, terra verò infimum: hinc fit, vt quæ leuia sunt, Cœlum suapte natura petant; ponderosa verò ad terram suopte nutu ferantur.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto.

In his enim, quatuor illa elementa creata sunt, ex quibus generantur omnia ista, quæ Mundi sunt. Elementa autem quatuor, ignis, aër, aqua, & terra, quæ in omnibus sibi mixta sunt. Siquidem, & in terra ignẽ reperies, qui ex lapidibus, & ferro frequenter excutitur: & in Cœlo, cùm sit igneus, & micans fulgentibus Stellis polus, aqua esse possit intelligi, quæ vel supra Cęlum est, vel de illo superiore loco, in terram largo frequenter imbre demittitur.

HIERONYMVS in Iob, capite trigesimo octauo.

Duas enim partes Mundi magnas, Cęlum, & Terram Deus ex nihilo fecit, & ima earũ de materia informi: cæteras

cæteras autem creaturas distinctas, siue formatas instituit, inter quarum creationem, & aquas credimus factas; quarum quidem conditionem in principio Genesis scriptam non legimus: aliarum vero penè omnium factura in libris Dominicis recensetur, licet & de ipso mari sanctus Dauid dixerit, cùm de beato viro loquetur; Spes eius in Domino deo ipsius, qui fecit Cœlum, & Terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Psal. 145.

EVCHERIVS aquæ effectionem in terræ, & Cœli structura insinuatam fuisse, his tradit.

Aquas verò istas visibiles quidam impiè negant factas esse à Deo; pro eo quod in Genesi non commemorantur vbi sint factæ, pro eo quod scriptum non est; Dixit Deus, fiant aquæ. Quibus ita respondendum est: quia dum dictum est; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram: illic & aquæ intelligendæ sunt; vno enim nomine vtrunque comprehensum est tropo metronymico, quasi per ea quæ continent, id quod continetur. Nam ipsius est mare, & ipse fecit illud.

Psal. 94.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Et Philosophi quidem, ex eo quòd est terra, probant esse reliqua tria corpora simplicia. Existente enim in rerum natura vno contrariorum, videlicet terra corpore simplici, quod mouetur ad medium, oportet esse alterum extremum contrariorum, quod mouetur à medio; & hoc extremum appellamus ignem. Existentibus verò extremis contrarijs in rerum natura, oportet quoque in rerum natura esse media, quæ mouentur ad media loca; quæ appellamus aërem, & aquam. Ex his siquidem quinque corporibus simplicibus, Cœlo, & vocatis elementis quatuor, constituitur prima substantialis perfectio Vniuersi: Mixta siquidem omnia spectant ad secundam Vniuersi perfectionem.

Classis Patrum, Terram, & Aquam expressè memoratas, dicentium.

Non desunt & illustres Doctores, qui Terræ & Aquæ genesim à Mose explicatã censuerint; reliqua duo elementa, vt terræ inexistentia, tantùm insinuata reputarunt.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Multa sanè obticuit, vt ignem, aërem, aquam, & ex his ipsis emergentes inferiorum corporum affectus, quæ cuncta quidem Mundum simul cum alijs velut absoluentia, manifestè cum Vniuerso subsistere: omissa tamen de industria sunt, vt ad solertiã sese noster exerceat animus, atque ex paucis veluti principijs, ea quæ restant, expendat. Itaque cùm dictum quidem non sit, aquam Deum fecisse; dictum autem sit, inuisibilem esse terram, cogitare tute ipse, considerareq; velis, quo velamine terra operta, conspicua non fuerit. Nec igitur ignis operire poterat terram: illuminare enim ignis potius, & illustria reddere ea corpora quibus est præsens, quàm tenebris obscurare solet. Non item aër terræ tum erat velamen: est enim aëris perrara, transparens, & pellucida natura, rerumq; omnium visibilium acceptas formas ad intuentium oculos, aspectusq; transmittit.

THEODORETVS quæstione quinta in Genesim.

Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum; demonstrauit cum terra creatas simul esse aquas. Et Deus omnium, cùm de Sabbato legem ferret, sic ait; Sex diebus operare, septima verò Sabbatum & requies Domino Deo tuo. Sex enim diebus creauit Dominus Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia quæ in eis sunt. Ita vt sit in aperto, quòd quicquid in eis est, visibile sit, aut inuisibile, sensu, aut intellectu comprehendatur (excepta diuina substantia) naturam habet creationis participem. Item perdiuinus ille Dauid, cùm dixisset; Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit Cœlum, & Terram: subiunxit: Mare, & omnia quæ in eo sunt.

Exod. 20.

Psal. 145.

IVNILIVS Apher, siue Beda, Commentarijs in Genesim.

Vbi notandum, quòd cum Cœlo in principio duo Mundi elementa, aqua videlicet, & terra, nominatim facta memorantur; quibus tamen duo reliqua fuisse constat indita; ignem videlicet in ferro, & lapidibus, quæ terræ viscera tum condita latebant: aërem verò in ipsa terra, cui esse permixtus ex eo cognoscitur, quòd cùm fuerit humectata, & temperiem Solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos. Ignem quoque ardentem terræ interioribus insitum, calidi aquarum fontes produnt: quæ per certa quædam metalla in profunda aquarum transcurrunt; & non solum calidæ, sed & feruentes super faciem telluris emanant. Non enim hæc, vt quidam disputant, informiter inuicem mixta: sed terra ipsis, quibus & nunc est, finibus vndique versum circumscripta; talis tunc erat tota, qualis adhuc sub imo maris profundo ex parte remanet.

GLOSSA breuissimè sic hæc collegit.

Et notandum, quòd cum Cœlo duo elementa Mundi creata sunt, quibus alia duo inserta sunt: aqua, scilicet, & terra; quibus insunt ignis, & aër.

CHRYSOSTOMVS Homilia tertia in Genesim.

Vide hic, quàm nihil superflui admisceat beatus Propheta, & quomodo non omnia particulatim narret, quæ facta sunt: sed vt docuit nos de Cœlo, & Terra, quæ plurima in se continent elementa, prætermittit alia. Nam cùm de aquarum opificio nihil dixisset, ait; Et tenebræ erant super abyssum, & Spiritus Dei ferebatur super aquam. Hæc enim tegebant faciem terræ; de tenebris loquor, & abysso aquarum.

RVPERTVS Abbas Commentariorum in Genesim libro primo, duo præfata elementa explicata, aërem tacitè solummodo indicatum fuisse censuit his verbis. Cap. 8.

Quare autem, cùm quatuor elementa sint, hæc duo tantùm, scilicet terram, & aquam, Scriptor Sacræ huius historiæ suis nominibus expressit, & aërem non proprio, sed tenebrarum nomine significauit? videlicet, quia pertinuit ad propositum eius, species istas in ornatu creaturæ, quæ tunc erat informis, tam diuersas, tamque multiplices tunc existentes, dicere vnde exortæ sint. Constat autem, quia de tenebris istis, quę erant super faciem abyssi, lux effulsit, testante Paulo, cùm dicit; Quia Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris. Non ait in tenebris, sed de tenebris Deus lucem splendescere dixit. Porrò, de terra & aquis, productæ sunt omnium species rerum quas nouimus. Solus ignis, licet gignentibus terræ & aquis cooperetur, nihil tamen ex ipso gignitur; & proinde de hoc elemento non iniuria siletur, vsque in quartum diem, quo fons illius, scilicet Sol in firmamento libratur. Solem enim fontem esse ignis ætherei, Physici quoque qui diligentiores fuere, attestantur. 2. Cor. 4.

PERERIVS hoc non abnuit Commentarijs in Genesim libro primo.

Nec est non verisimile, quod quidam graues auctores tradiderunt, Mosem rudi populo scribentem, duo tantummodo elementa exposuisse, terram & aquam, quòd hæc sola sub aspectum cadant, & ex ipsis cætera corpora manifestè, & magna ex parte composita sint; & in ipsis tanquam in loco naturali commorentur.

Duæ istæ assertiones, quòd terra & aqua à Mose recensitæ fuerint, à nullo ferè Patrum & Doctorum improbantur.

PAVLVS Burgensis in Additionibus in Genesim.

Idcircò licet in generali, visibilia & inuisibilia, Cælestium, & terrestrium creaturarum, sub quodam summario (vt dictum est) comprehendat, attribuens ea diuinæ creationi, ita vt nihil in rerum natura excluderetur à creatione Dei: loquens tamen postea in particulari, vt imbecillitati rudium, seu simplicium audientium condescenderet, prætermissis inuisibilibus tam cęlestium, quàm terrestrium, de uisibilibus tantùm mentionem facit: vnde de Cælestibus prætermisit Empyreum, & Angelicam naturam: & de terrestribus prætermisit duo elementa; scilicet aerem & ignem, eo quòd, non ab omnibus percipiantur: Multi enim etiam Philosophorum, elementum ignis non cognouerunt vsque ad tempus Aristotelis. Similiter & aërem nihil dicebant: adeò vt loca plena aëre, vacua existimarent.

Classis Patrum, qui Mosem etiàm aëris mentionem egisse contendunt.

Non desunt tandem & insignis nominis Patres, qui non modo aquæ, & terræ, sed neque etiam aëris mentionem prætermissam fuisse asserunt; aërisq; naturam spiritus nomine exprimi ibi censent: vbi dictum est; Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Gen. 1.
Assertores sunt huius placiti, Philo libro de Gigantibus, Theodoretus quæstione in Genesim octaua, Augustinus de Genesi ad literam imperfecto, Diodorus, Basilius Hexæmeron homilia secunda, Athanasius quæstione octuagesima, Vielmius lectione octaua; & alij, quorum Catenā, cùm de Spiritus significatione rem habebimus, intexemus. Cap. 4.

AVGVSTINVS attamen aërem non prætermissum esse in Mundi effectione, sed respectu supernæ partis, nomine Cœli; quoad infernam verò partem, nomine terræ, memoratum fuisse clarissimè edisserit, de Genesi ad literam libro tertio, cùm ait.

Nec vllo modo arbitrandum est prætermissum esse in hac Scriptura vllum Mundi huius elementum, cùm quatuor notissimis eum constare persuasum sit, quia videtur hic Cęlum, & aquam, & terram commemorare; de aëre autem tacere. Consuetudo quippe nostrarum Scripturarum est, aut Cœli, & Terræ nomine Mundum appellare, aut interdum addere & mare. Aër itaque vel ad Cęlum pertinere intelligitur, si qua sunt in eius superioribus partibus tranquillissima, & pacatissima spatia: vel ad terram propter hunc turbulentum, & caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamuis & ipse sæpius Cęli nomine nuncupetur.

BEDA Expositione in Genesim.

Non arbitrandum est autem in hac Scriptura prætermissum esse aërem, cùm quatuor elementis constet Mundus, idest Cœlo, aëre, aqua, terra. Sed summa pars aëris, quæ non recipit exhalationes humidas, Cęlo deputatur. Ima autem pars aëris, in qua ventus & pluuiæ sunt, cum terra deputatur, quæ pars videlicet non nisi ex aquis accipit animalia.

Et libro de sex dierum creatione, consimilia tradit.

Quid est enim, quod sæpe legimus de creatura Cęli & Terræ, & maris similiter, quomodo creati fuerunt; de aëre autem nihil indicauit? Non enim arbitrandum est, vt illud elementum in hac Scriptura prætermisisset, nisi quia consuetudo est diuinæ Scripturæ, Cęlum & Terram, totum Mundum appellare. Et ideò æstimandum

dum est, aërem ad Cælum & Terram pertinere. Et quicquid est humidum, vel vaporaliter expensum, hec ad Terram pertinet; quicquid enim tranquillum, & quietum est, ad Cęlum pertinere dicitur.

Hæc ipsa habet Quæstionibus in Genesim: & Glossa ordinaria ex illis hæc eadem desumpsit.

Ex quibus sentire visi sunt Augustinus, Beda, & hi Patres, in Mundi effectione silentio non prætermissum esse aërem, sed Cœli nomine, eius supernam partem; & Terræ nomine, infernam hanc regionem alteram illius partem fuisse recensitam.

Verùm aduersus horum Patrum placita persistunt alij, aëris mentionem nullam esse factam prorsus autumantes, diuersasque huius prætermissionis caussas afferentes.

GREGORIVS Nyssenus suo Hexæmeron, aëris conflationem prorsus prætermissam esse, quòd vniuscuiusque rei capax sit, his edocuit.

Aëris quidem conflatio, atque fabricatio silentio prætermittitur: quanquam par erat etiam de hoc, quum expositum esset, vt ignis emicuisset, secundo loco rationes naturales in medium afferre: propterea quòd cognatio quædam ratione leuitatis ei cum ea, quæ in igni cernitur, leuitate intercidit: atque ita deinceps grauem tractare naturam. Sed ille de hac quidem, ea quæ dicenda erant, in medium adfert, de aëre autem dicere prætermittit; non quòd nihil conferat ad totius Mundi complexionem, nec quòd à vi elementorum secretus sit: sed quòd mollitie forsitan naturæ, atque facilitate cedendi, vniuscuiusque rerum capax est aër, in sese quasque res ostendens, non colorem proprium habens, non figuram, non perficiem; sed alienis cùm coloribus, tum figuris inficitur & informatur. Nam & splendidus illustratione lucis, & rursus niger, dum vmbra inuolutus est, euadit: ipse verò per sese neque splendidus, neque niger est, atque omni figuræ obducitur, & ab omni tingitur specie colorum, tum ad omnem motum earum rerum, quæ in ipso feruntur, accommodus est. Nam & nullo negocio vtrinque cedit ei, quod fertur in ipso, & sponte sua circa corpus rei positæ fissus hinc inde retrocedit: quin etiam siquis ex amphora liquorem, quicunque in ea fuerit, effundat, quum humori, qui profunditur, diducendo se cedit, tum sponte sua in eam partem vasis, quę euacuatur, inuicem sese insinuat introeundo.

GVLIELMVS Parisiensis, de Vniuerso, prima primæ partis, capite trigesimo quarto.

De igne verò, & aëre, ac generationibus eorum, nullam videtur penitus facere mentionem, licet quidam ex Philosophis Hebræorum somniauerint, per Spiritum Domini Prophetam aëra intellexisse; eo quòd apud eos, hoc est, in litera Hebraica legis, pro spiritu habetur ventus, tanquam ventum opinaretur esse aëra motum, quod & quidam æstimauerunt; & error eorum destruitur in scientia Meteororum: Per tenebras verò, vbi dicitur; Et tenebræ erant super faciem abyssi; voluit intelligere ignem elementum, eo quòd tenebrosus sit ignis huiusmodi; si enim luminosus esset, videretur vel de nocte, vel de die, cùm totaliter circundet aëra, & natet super ipsum; & ita totum Cęlum videretur nobis ardere, qui sumus in terra; huiusmodi autem error est ex ipso sermone prophetico manifestus, quoniam secundum hoc dixisset Propheta, quia tenebræ erant super Spiritum Domini, idest, ignis super aëra. Amplius; Firmamentum non esset factum in medio aquarum. Si enim esset factum in medio earum, sicut & ipse textus prophetiæ dicit; pars aquarum esset sub eo, & pars supra; aër verò, & ignis, ex necessitate sunt super omnes aquas, & erant secundum ipsum: tunc ergo neque aër, neque ignis essent sub firmamento, neque iste aër esset veri nominis, sed potius aqua calefacta. Amplius; Inordinatissimè locasset Deus Cęlum in medio aquarum, cùm naturali nobilitate superesse debeat omnibus elementis; & hoc requirit etiam motus eiusdem circularis, qui recto motu ex necessitate prior est, atque perfectior.

D. THOMAS Postilla in Genesim, capite primo, aëris, & ignis prætermissam esse genituram ex quorundam sententia recitat, quòd esse elementa non existimarentur.

Aliqui tamen inquiunt aquas tantùm exprimi, & terram, quia alia elementa non sunt aliquid per se. Nam ignis, inquiunt, non est in sphæra, in qua ab aliquibus ponitur, scilicet in sublunari globo; sed tantùm in materia terrea, de qua educitur per sublimationem de terra: vnde non debet poni distinctum elementum ab ipsa, sicut nec metalla, nec animalia, quæ ex illa educuntur. Aër etiam non est aliud nisi vapores beneficio caloris à terra, & aqua generati; qui occupant totum medium inter Cælum, & aquam. Quod etiam inde probant, quia in multis locis aër parum differt ab aqua, sicut patet in locis humidis & frigidis: & etiam, quia omnia illa, quæ assignantur ad ponendum aërem, possunt saluare cum isto modo, sicut spiratio, & respiratio, & alia huiusmodi. Item quia ponere ignem in sphæra superiori, superfluum videtur. Nam calor generatus ex corporibus primis, sufficit ad caloris generationem, quantum ad necessitatem generationis, & corruptionis naturalis attinet. Addunt etiam ad hoc Augustinum dicentem, quòd aues per illum aërem volare possunt, qui de terræ, & maris humoribus surgit. In Olympo autem Macedoniæ monte non volant propter nimiam subtilitatem.

Iudicium Auctoris.

Ego, quid existimem, breuibus pandam. Theodoreti, & Augustini, ac reliquorum interpre-

terpretationem, qua spiritus nomine aërem, seu ventum commenti sunt, ægrè acceptandam censeo, quemadmodum suo loco exactiùs demonstrabimus; atque etiam, Cœli nomine supernam aëris partem; terræ verò infernam demonstrari, non nisi impropriè, ac perdifficili admodum locutionis genere iudicarem. Quapropter arbitror Mosem aëris nec genesim narrasse, nec mentionem propriè egisse; licet eam ex consequentibus elici posse non abnuam: tum quia inter Cœlum, & Terram, quæ sunt extrema, aër etiam vti medius interiectus, ac intersertus includebatur; tùm ex eo quòd Moses dixit; Et tenebræ erant super faciem abyssi: si enim abyssus erat aquarum exundantia, tenebræ expandi non poterant super eius faciem, quin per aërem diffusæ intelligerentur. Ex caussis verò adductis, cur Moses aëris genituram siluerit, primam eam Augustini ingeniosam reputo, sed obscuram, ac lectoribus imperspectam: Nysseni rationem non consistere arbitror; siquidem quanquam aër sit formarum omniũ receptor, conspici tamen, ac cognosci ab omnibus compertum est. Caussam à D. Thoma recitatam, prorsus nutantem existimo: Nullus est enim adeò ineruditus, qui aërem elementum esse non assentiatur. Aquæ meminisse Mosem, quis est qui ambigat, cùm dixerit; Et Spiritus Domini ferebatur super aquas? atqui eius genesim profectò clarè non narrauit, sed tantummodo quasi aliud agens insinuauit. De igne tandem arbitror nec vllum penitus verbum Vatem interseruisse, quod ipsum significare vix potuerit. Assentio igitur D. Basilio, ac cæteris, qui Mosem Terræ tantùm explicasse effectionem & genesim, existimarunt. Reliqua verò per insinuationem, quasi Cœli, & Terræ ambitu interclusa indicasse. Porrò memorationem hanc non æquè posse decerpi ab eruditis, atque ineruditis censeo. Eruditi siquidem, & Philosophiæ scientissimi, Cœlo vti ambiente, Terra, vt centro immoto, non Mathematicè, sed Physicè in Orbis medio considente, intellectis, mox interponi cætera elementa sic excerperent, arguerentque: Si datur elementum infimum graue; dandum erit mox supremum leuissimum, quod est ignis: & si duo extrema danda erunt, profectò & intermedia, leue, & graue, quæ erunt aër, & aqua interijcienda. Vel sic; Si terra in medio Mundi collocata, siccum est elementum, certè & vnum alterum calidum, vnum etiam humidum, & aliud frigidum, ex harum oppositarum qualitatum ratione, necessariò sunt constituenda; ita Aristoteles secundo Cęli. Ineruditi verò ac rudes, vti Hebræi erant, Cœli nomine quicquid supra nos est, ex vsu eius nationis, & Scripturarum, quæ aërem, ac ignem super aërem euectum, Cœlum nuncupabant, intellexissent; Terræ verò nomine sphæram hanc terræ & aquæ, apprehendissent. Hac igitur serie, Moses Vates noster, elementorum natalia indicauit.

Aëris genesis nõ tradita à Mose.

Nec etiam aquæ, aut ignis effectionem recẽsuit Moses.

Terræ tãtùm creatio tradĩtur, reliquorum elementorũ insinuatur.

Tria illa elementa quomodo reperiri comprobentur.

Hucusque manationem Chaos ex elementis congesti audiuimus: Nunc ad obseruationes illas, quas Patres de his verbis, Cœlum & Terrã, ediderunt, proferendas accedamus. Tempus enim iam expostulat, vt ad literam reuertentes, obseruata circa ipsam à Patribus depromamus.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum, & Terram.

a. *Non Mundum dixit, ſed Cęlum & Terram, quoniam Mundus vnitas non eſt vt Deus, ſed dualitate & principijs conſtat.*

b. *Vel quia tropus eſt Hebraicus Vniuerſum Cęli & Terræ nomine ſignificare.*

a. Non dixit Mundum vnica voce, ſed Cælum & Terram duabus; quoniam Mundus non eſt vnitas, vt Deus, ſed dualitate; & principijs conſtat.

CONSTANTIVS Ruſconus Brixienſis Can. Reg. Auguſtinianus Lateranenſis in Commentarijs manuſcriptis in Gen. non aſpernandis, quæ apud me ſedulò, vt perpetuum monumentum, tum ingenij, tum erga me beneuolentiæ Patris illius, qui non fucata probitate inſignis, diſciplinæ regularis prima mihi exhibuit rudimenta, obſeruantur.

Effectio autem Creatoris tota ſimul duabus vocibus exprimitur, quæ ſunt Ha Samaim, Cæli; & ha Arez, Terra. Creatura ergo non vno nomine, ſed duobus exprimitur; Creator autem vno: quia vnitas eſt eius, quod eſt; dualitas autem eius, quod fit: nam componitur ex potentia & actu, vel ex materia & forma, vel ſaltem ex eſſe & eſſentia, vt recentiores Philoſophi dicere ſolent. Vniuerſitas igitur conſtat ex Cælo & Terra, vt extremis partibus ſummè diſtantibus, ſummo ſcilicet & infimo; quorum alterum formæ, lucis, vitæ, virtutis, atque decoris eſt elementum; alterum verò omnium contrariorum, aptum tamen, vt pro portione ſua æqua recipiat ex communi affluentia. Vniuerſitas ergo Creaturæ non eſt vnum, ſed duo primùm; deinde plura. Primum ergo menti occurrit cogitanti de eo quod factum eſt Cælum, & Terra, ideſt prima dualitas, qua extremæ partes Mundi continentur, quæ nullo nomine communi explicari poſſunt, quo aliquid menti definiatur, vt poſſit eius appetitus quieſcere, quia nulla res exiſtens intelligitur, ſi cogitetur nomen vnum, quod nihil vnum re ipſa demonſtret. Sed dices, Mundus vnus eſt ab vno, vt inquit Mercurius, & auctoris retinet imaginem; ergo vna etiam voce conuenienter hoc loco exprimi potuit, ſicut & alijs pluribus locis: vt cùm dicit Ioannes, Mundum à Verbo factum eſſe. Reſpondetur idem eſſe Mundum, quod Cęlum & Terra; ſed in principio non debuit vna voce Mundus proponi, quia nihil re conſtans intelligeretur, cùm partes ſint priores, quàm ipſum totum. Ioannes autem, quia iam partes Mundi plurali numero expreſſerat, cùm diceret, Omnia facta eſſe per ipſum Verbum, aptè poſtea vno nomine Mundum retulit. Ioan. 1. *Cùm ergò vellet Propheta Mundi originem explicare, non autem ipſum Mundum ſuis partibus abſolutum, non potuit aptius rem explicare, quàm eas primas partes referendo, quæ omninò omnium exordia continent, neque in priores vllas partes rediguntur, cùm ipſa ſint prima Mundi elementa, à quibus cætera deducta ſunt. Sed rurſum dices potuiſſe Moſen vno verbo partes Mundi referre, ſicut Ioannes, cùm dixit; Omnia per Verbum facta eſſe. Reſpondemus Ioannem non aſſumpſiſſe idem negocium, quod Moſes, ſed tantùm naturam Verbi exponere voluiſſe, cui ſatis erat oſtendere Verbum non eſſe nouum, vt aduerſarij veritatis arguebant, qui ante Mundum ſolum ſilentium fuiſſe putabant: Ideò dixit, Omnia per ipſum facta eſſe, vt aduerſarij cogerentur fateri ipſum non eſſe nouum, neque factum, ſed æternum. Moſes autem volens originem Mundi exponere, cùm vellet prima enarrare, coactus eſt duo prima elementa Mundi referre, quia illa prima omnium ſimul facta ſunt. Si autem dixiſſet facta eſſe omnia, cùm nondum ſingulas partes Mundi explicaſſet, nihil menti definitum proponeretur, in quo quieſceret.*

b. Vel quia tropus eſt Hebraicus, Vniuerſum; Cæli, & Terra nomine ſignificare.

Hebraicam eſſe phraſim Cœli & Terræ nomine Mundum ſignificare, id nobis perſuadere euidenter debet, quòd in omni ferè Veteris Teſtamenti pagina nunquam Mundum Vniuerſum hoc appellari comperiamus, ſed penè ſemper Cœli, & Terræ nomine deſcribi, vt ipſarum ſacrarum Scripturarum contemplatores, atque ruminatores ſedulò animaduertent. Econtrà verò in Nouo Teſtamento, Mundi nomen ſæpius vſitatum adnotabunt.

Coelum, & Terram.

a. *Simul effecta sunt Cęlum, & Terra, quanquam simul ab homine dici nequeant.*
b. *Simul, sed non eodem modo, quia Cęlum extendit, Terram verò fundauit.*
c. *Cœlum præfertur Terræ, quia Cœlum primo die creatum est, Terra autem non nisi tertio extra aquas apparuit.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Simul creata sunt Cœlum, & Terra, quanquam simul ab homine dici nequeant.*

BEDA Commentarijs in Genesim.

Hæc alibi, mutato ordine, scripta reperimus, vt; In initio Terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt Cęli. Ex quo intelligitur, quia simul facta sunt.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Deus autem, cuius manus omnipotens est, ad explendum opus suum non eguit mora temporum. Quia scriptum est; Omnia quęcunque voluit, fecit. Vnde bene dictum est, quia in principio creauit Deus Cœlum, & Terram: vt apertè detur intelligi, quia vtrunque simul ab homine dici non possit. Denique dicit Propheta; Initio Terram tu fecisti Domine. Hic autem Dominus Cęlum, & Terram in principio creasse narratur. Vnde liquido colligitur, quia factura est vtriusque elementi pariter expleta: & hoc tanta velocitate diuinæ virtutis, vt necdum primum Mundi nascentis momentum esset transcensum. Psal. 113. Psal. 101.

GLOSSA Ordinaria breuius.

Vtrunque scilicet simul, quamuis vtrunque simul ab homine non dicatur. Vnde Propheta Terram initio factam ostendit, dicens; Initio Domine terram fundasti.

PETRVS Comestor in Scholastica historia, capite primo.

In principio omnium creaturarum creauit Cęlum, & Terram, idest, has creaturas primordiales fecit: & simul. Sed quod simul factum est, simul dici non potuit. Licet enim hic prius nominetur Cœlum, quàm Terra: tamen scriptum est; In initio tu Domine Terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli. Psal. 101.

Hugo Carensis hæc eadem.

INNOCENTIVS Tertius, Can. Reg. Lateranensis, vt Ioannes de Nigraualle Bibliothecarius Apostolicus in epilogo Chronicorũ, & Raphael Volaterranus Commentariorum Vrbanorum libro vigesimoprimo; & præter plures alios, nouissimè Ioannes Trullus de Aragonia libro primo de Canonico Ordine, & Onuphrius Pãuinius libro de Pontificibus Romanis copiosissimè testantur; Commentarijs in quintum Psalmum pœnitentialem. Epilog. 13. Cap. 18. Cap. 4.

Quia Moses dixerat, quòd in principio Deus creauit Cœlum, & Terram, &c. ne quis ordinem verborum attendens, putaret, quòd prius Cœlum, & postea Terram creasset; occurrit Dauid in hoc loco, prius nominans Terram, quàm Cœlum; vt ostendatur, quòd Cęlum, & Terra simul fuerunt creata; sed quòd potuit simul fieri, non potuit simul dici.

b. *Simul, sed non eodem modo, quia Cœlum extendit, Terram verò fundauit.*

BEDA Expositione in Genesim.

Quomodo autem Cœlum, & Terram creauit, alius demonstrat dicens; In principio creauit Deus Cœlum & Terram, tanquam duplicem domum interiecto firmamento. Et alibi; Extendens Cœlum sicut pellem. Et, Extendens Cœlum sicut vestimentum, quasi cameram. De Terra autem dicitur, quia fundata sit: vt, Fundasti Terram. Et in hoc Cęlum & Terra differentiam habent; cùm alterum extenditur, alterũ verò fundatur. Psal. 103.

c. *Cœlum præfertur Terræ in narratione: quia Cœlum prima die creatum est; Terra autem non nisi tertio ex aquis emersit.*

STEVCHVS in Cosmopœia.

Cęlum ergo duabus de caussis in hoc primo sermonis ingressu, debuit præferri Terris, quòd in ordine creationis

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum, & Terram.

a. *Cœlum præfertur Terræ in narratione; quia agens semper præferendum est recipienti.*
b. *Vel quoniam Moses certum in his non seruat ordinem.*
c. *Siue, vt Dei dignitas effulgeat, cùm contra humanum morem prius culmen, quàm fundamenta posuisse scribatur.*

nis prima die creatum est: tertia autem, Terra aquarum pondere, & alluuie est liberata. Aut primam eius creationem innuit. Tunc Terra cœpit vocari, cùm in lucem emersit, visaq; est.

a. *Vel quia agens semper præferendum est recipienti.*

STEVCHVS vbi supra.

Deinde, cùm sint duæ caussæ creandi; vna agens; altera recipiens: illa quasi genitor; hæc vti genitrix: hæc eo præcedit, quò est valentior, maioresq; habens in creatione vires. Cætera quæ sunt occultiora, cur Cęlum præstet Terris, non commemoro.

VIELMIVS Lectione tertia.

Et vide postremò, quomodo Moses scitè, & appositè loquitur, cùm dixit; In principio creauit Deus Cęlum & Terram: non autem retrorsum, In principio creauit Deus Terram, & Cęlos. Etenim Cœlum & dignius Terra est; & ad hanc proinde se habet, atque sese mas habet ad fœminam, quomodo quoque Proclus in Thimæum Platonis rectè adnotauit. Nam agit in hanc, & fouet eam, ac regit motu, lumine, afflatibus. Terra verò eius recipit immissiones, repercutit radios, fęcundaq; efficitur, ac tot rerum genera, quæ perspicimus, gignit, & profert, vt proinde hæc quidam animaduertentes, Mundum dixerint esse Androginum, simul enim in se agit & patitur.

b. *Vel quia in his Moses certum ordinem non seruat:*

STEVCHVS vbi supra.

Possum & hoc ostendere, non seruare Mosem certum ordinem. Siquidem in secundo capite, vbi in nostra editione dicitur; In die, quo fecit Deus Cęlum & Terram, Hebraicè est; Terram & Cęlum. Sed naturæ est instinctus, vt priora dignitate, & natura nominemus.

c. *Vel vt Dei dignitas enitescat, cùm contra humanum morem prius culmen, quàm fundamenta posuisse, narratur.*

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum libro secundo.

Prophetia testatur creationem Cęli factam esse, primo vt non hominum more fit, sed in modum fastigij: dicit enim, In principio creauit Cœlum; idest, per principium conditum est Cœlum: & Terram dicens, intendit fundamentum & quasi pauimentum.

CHRYSOSTOMVS Sermone de Ieiunijs, & Geneseos ratione.

Cur autem primum Cœlum fecit, deinde Terram, ante tectum, quàm solum? Vides & in hoc nihil esse simile humanis artibus, nec hominum regulis voluntatem seruari diuinam. Apud nos adminiculis & fulcimentis opus est, ibi verò voluntas opus efficit, & præbet sermo virtutem.

Et Oratione quinta de dicto illo; Sufficit tibi gratia mea.

Cùm Deus Vniuersum hoc vndique sibi summa ratione constans ab initio procrearet, miracula miraculis cumulauit; quippe qui nullis naturæ legibus teneretur, sed abundantia quadam potestatis omnia distingueret & secerneret. Verbi gratia illud dico; In principio creauit Deus Cęlum & Terram. Obseruastine ordinem, & consecutionem? primùm quidem tectum fabricauit, deinceps verò solum & pauimentum constituit. Nam, vt dixi, nullas ille naturæ leges sequebatur, nec ordinem artis intuebatur: sed potestate virtutis, atque facultatis suæ vtebatur. Tectum quidem constiterat, neque solum tamen apparebat. Nanque diuina illa vis opificis omnia illa nexu quodam continebat.

Idem etiam Homilia secunda in Genesim.

Attende nunc, quomodo ex ipso opificij modo Diuinæ naturæ dignitas enitescat. Nam Deus contra humanum morem suum perficiens ædificium, prius culmen, & postea fundamentum, prius Cęlum extendit, postea & Terram substernit; Quis tale quid vidit? Quis audiuit? In hominum sanè operibus nihil tale

Cœlum, & Terram.

a. *Cœlum præfertur Terræ; quia ante Terram conditum est.*

AnnoMundi primo.
In Exordio temporum.
Ante dies.

tale vnquam fuit. Sed iubente Deo voluntati eius parent, & cedunt omnia. Ne igitur humanis rationibus diuina opera curiosiùs excutiamus, sed ex operibus manuducti admiremur artificem. Nam inuisibilia eius ex creatione Mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur.

PROCOPIVS Commen. in Genesim, capite primo.

Sed mirabile est, si quis hoc ædificium consideret, quòd primum expandit Cœlum, deinde demum collocauit Terram, quasi si Architectus quispiam primò fastigium erigat, postea demum pauimentum paret. At nihil præter opinionem hic accidit. Siquidem Deus non subiacet naturali necessitati, nec artis consequio addictus est. Hoc tantùm tam immensum Cœlum astris collucens, permanens, tanto tempore durans, Deus per iocum, & quasi ludens, ac si quis tuguriolum extruat, maxima facilitate creauit, quod disertè hisce verbis expressit Isaias; Qui statuit Cœlum, & fornicem; & id extendit ceu Tabernaculum super Terra.

a. *Primùm Cœlum, quia primò ante Terram conditum est.*

STEVCHVS in Cosmopœia, Græcos hoc existimasse his tradit.

Fueruntque apud Græcos, qui, quod ait Moyses, In principio creauit Deus Cœlum, exponerent, ἐν πρώτοις, prius, primùm scilicet Cœlum est creatum, aut ἀρχὴν ἐποίησεν τὸν οὐρανόν. Principium creauit Cœlum, omnium videlicet rerum creatarum. Et Theodoretus; Cur prius Cœlum, postea Terra à Deo est creata? Quia prius sit tectum, tum pauimentum. In contrarium videtur esse scriptum; Initio Domine Terram fundasti. Psal. 101.

AVCTOR.

Deum consimul, exiguoque momento Cœlum, & Terram creasse, nil dubitationis habet; effecisseque ea simul, quæ ab homine nec simul dici possunt, non est hæsitandum. Quapropter cur Moses in narratione effectionis Cœli, & Terræ, Cœlum prius quàm Terram nominarit; preallegatæ omnes Patrum sententiæ scitè, & probè caussam reddunt. Postrema tamen hæc Chrysostomi, & Procopij tropologica est; prima illa Steuchi ægrè recipienda videtur. Cœlum, inquit, primo die creatum est; at Terra non nisi tertio denudata, ceu nuper orta emersit: cōsentaneū igitur fuit, vt primo nominaretur Cœlum. Verùm ego sciscitarer à Steucho: quoniam Terra certè & ipsa cum Cœlo producta fuit; nam ait Moses; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: vnde non Terra tantùm tegebatur aquis, sed & spatium à Terra ad Cœlum, immo & cuncta vel aquis obruebantur, vel nube crassa, tenebrisque obuoluebantur, nec micabant Sol, seu Luna, nec aliquod astrum; quomodo igitur primum apparuisse Cœlum, quàm Terram dici potest? Assererem itaque libentiùs, prætulisse Mosem Cœlum Terræ dignitatis ratione: Cœlum enim illud primò procreatum, siue fuerit Empyreum, siue Angelus, seu etiam supremus Orbis Mundum ambiens, vt Patres prisci vsque ad Scholasticorum tempestatem existimarunt; profectò ipsa Terra, aut elementis Terræ nomine memoratis, longè dignius, excellentius, ac præstantius conspiciebatur. Si autem id Cœlum fuit astrigerum, seu firmamentum, vt maluerunt Scholastici, perfectius certè erat quintum illud corpus, quàm elementum; sicuti perfectius agens patiente reputatur. Non repudiarem tamen caussam tertio loco à Steucho proditam; in horum siquidem enarrandis principijs, seu recensenda origine, Scripturas ordinem non seruare euinci potest multis ex locis, præcipuè ex eo; Initio tu Domine Terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli. Cœlum ante Terram effectum fuisse, vt postrema autumabat expositio, nullo modo est admittendum, siquidem Patres omnes conformi definitione edocent, Cœlum & Terram simul creata emanasse.

Cœlum Terræ præfertur ratione dignitatis.

Psal. 101.

Dixit

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum, & Terram.

a. *Cœlum præfertur Terræ, ne arbitrarentur Philosophi Deum vt Mathematicum Terram primùm vt centrum fixisse, deinde Cœlum vt sphæram circumlineasse.*
b. *Cœlum præfertur Terræ tum dignitate, tum naturæ ordine.*

a. *Dixit Moses primò Cœlum, et post Terram, ne crederent Philosophi, Deum ad instar Mathematici primò fecisse Terram vt centrum, deinde Cœlum vt sphæram.*

ANASTASIVS Synaita Hexæmeron libro primo.
Quamobrem linguas hinc non mittant Philosophorum Physici, audientes verbum, Fecit Deus Cælum & Terram: neque dicant Deum fecisse Cœli ortum à Terra, tanquam ab aliquo centro: quoniam centrum, inquiunt, est principium vniuersæ sphæræ. Non enim, vt contingit in hominibus, qui non possunt neque circulum dirigere, neque torquem circumagere, neque punctos circuli ex æquo componere, neque lineam inflectere, & rotæ similem efficere, nisi centrum medium prius fuerit infixum; ita etiam deuenit. Hic enim, vt discas, quòd Deus non sequitur Naturæ consequentiam, sed fabricatur supernaturaliter, & non artificiosè, dicit Moses, Fecit Deus sphæram, deinde Terram centrum. Oporteret enim reuera contra dicere; Fecit Deus Terram, & Cęlum; seu centrum, & tunc sphæram. Nam si coniunctionem copulatiuam accipiunt, illudet, & ambo dicunt simul facta esse; oportebat certè, vt ipsorum est sententia, prius significari principium, & caussam circuli, nempè centrum, seu Terram, & magis quàm contra. Si autem ij confiteantur omne centrum figi super aliquod stabile & solidum, & sic circunscribi circunferentiam, non autem aliter: Deum autem agnoscant super aquas, quæ nulli resistunt concussioni, sed statim funduntur, & circumfluunt; non solum iniecisse id quod est densum ac graue, sed etiam in his humidis solidare multitudinem; quemadmodum non concesserint eum excitare Cęlum tanquam fornicem, etiam absque centro? Nam quæ apud homines sunt eiusmodi, vt fieri non possint, apud Deum possunt fieri.

Obseruatio hæc, quam Anastasius nobis excitauit, elegans & decora mihi videtur. Potuisset siquidem ineruditus aliquis, Deum sibi fingere in Geometræ similitudinem circino Mundum conflantem, ita vt primò Terram centrum fixerit, deinde Cœlum quasi sphæram circumduxerit; ordo enim naturæ id poscere videbatur. Propterea Moses dixit Cœlum & Terram, vt hanc elideret imaginationem duobus modis; Primo ponendo Cœlum ante Terram; Deinde interponendo præpositionem, Et, quibus significare voluit non Terram ante Cœlum, sed consimul manasse, quanquam Cœlum prius nominetur, dignitatis caussa; Quæ enim simul Deus fecit, simul dici nequeunt, quemadmodum Iunilius, Glossa, & alij pereleganter adnotarunt.

b. *Cœlum super Terram, tum dignitate, tum naturæ ordine.*

Cœlum Terræ præfertur ratione dignitatis.

HVGO Victorinus noster de Sacramentis lib. primo, parte prima, cap. sexto.
Duo in principio posita sunt, Cęlum, & Terra. Quid horum putas subtus, aut quid supra fuisse dicemus? Aut Terra supra, & Cęlum subtus; aut Terra subtus, & Cælum supra? Sed nunquid credendum est prima illa conditione rerum, Cælum subter creatum fuiße, & postea in formatione supra dispositum? Fortassis, quia prius Scriptura nominauit Cęlum, quàm Terram, propterea Cælum quasi fundamentum subtus creatum fuisse quis dicat. Ego autem, non ordinis, sed dignitatis caussa sic positum reor; & quia etiam sermo sequens de elemento Terræ, quasi de proximo (& ob hoc posterius nominato) habendus fuit; ideò & prius Cęlum, & postea Terra nominari debuit. Sed neque ipsa conditorum natura alium positionis, aut locationis ordinem pateretur, quàm vt ponderosa deorsum, & sursum leuia disponerentur. Ergo Terra deorsum erat, & Cœlum sursum: quod supra Terram erat, Cęlum erat. Ergo Cœlum supra Terram erat.

Animaduertas Hugonem Cœli nomine non intelligere aliquem Orbem cœlestem, sed nebulam illam commixtam ex igne, aëre, & aqua, quam superius dixerat nomine Cœli significari, secundum quam sententiam hoc loco amplius tradit, in Cęlo aquas fuisse, & Cęlum in aquis; quia idem erant aquæ, & Cœlum.

Non

Cœlum, et Terram.

a. *Non dimidiam eorum partem, sed totum Cęlum, totamq; Terram.*
b. *Non inuestigandum, cur voluerit Deus Cęlum ac Terram extruere, cùm Dei voluntas ipsa sibi sit caussa.*
c. *Non Cœlos, & Terras, quia vnus est Mundus, & finitus.*

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Non dimidiam eorum partem, sed totum Cœlum, totamq; Terram.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda, contra Philosophos eos, qui materiem ingenitam ante Mundum extasse asserebant disputãs, hanc detulit consideratu dignissimam obseruationem.

Fecit Deus Cœlum, & Terram. Haud dimidia ex parte vtrunque, sed totum Cœlum, totamq; Terram. Ipsam, inquam, essentiam siue materiam fecit cum forma comprehensam. Non enim figurarum inuentor est Deus, sed ipsius naturæ rerum creator. Alioqui respondeant nobis, quæso, quonam pacto inter sese conuenerint hinc operatrix Dei potentia, illinc possibilis materiei natura: hæc sine forma subiectum præstans, illa figurarum scientiam habens sine materia, vt quod alteri defuerit, collatum sit ab altero: opifici quidem, vt haberet, quo specimen ederet suæ artis: materiei verò, vt informitatem deponeret, priuationemq; formæ.

b. *Nec inuestigandum, vt quid voluerit Deus facere Cœlum, & Terram, cùm Dei voluntas ipsa sibi sit caussa.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos, libro primo, capite secundo.

Si ergò isti dixerint, quid placuit Deo facere Cęlum & Terram? Respondendum est eis, vt prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Caussas enim voluntatis Dei scire quærunt, cùm voluntas Dei omnium, quę sunt, ipsa sit caussa. Si enim habet caussam voluntas Dei, est aliquid, quod antecedat voluntatem Dei, quod nephas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus Cęlum & Terram? respondendum est ei, quia voluit. Voluntas enim Dei, caussa est Cęli & Terræ; & ideò maior est voluntas Dei, quàm Cęlum & Terra. Qui autem dicit; Quare voluit facere Cœlum & Terram? maius aliquid quærit, quàm est voluntas Dei: nihil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas; & id quod non est, non quærat, ne id quod est non inueniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo: quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam, ac stultitiam deriderent: non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, & illo fine præcepti, de quo Apostolus dicit; Finis autem præcepti est Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod isti si haberent, non essent hæretici.

Dei volũtas omniũ caussa.

1.Tim.1.

Hæc pariter Beda Quæstionibus in Genesim.

c. *Non Cœlos, & Terras, quia vnus est Mundus, & finitus.*

PHILO libro de Mundi opificio, vt citatur in Glossa locupletata.

Propter traditam à Mose creationem, præclarissima, & omnium optima edocti sumus. Primum esse & subsistere in natura rerum aliquod numen, aliquam diuinitatem, idque propter impios ostensum. Secundum quod Deus sit vnus propter eos, qui multos Deos induxerunt. Tertium quòd Mundus is est creatus, propter eos qui eum statuerunt sempiternum. Quartum, quòd vnus sit etiam iste Mundus, quia creauit hunc ipsum quem fecit.

Adduxi hanc auctoritatem Philonis iam ante, vt haberem, quomodo ex verbo; In principio, eliciatur Mundum non esse æternum. Nunc eam ipsam repeto in hoc loco, vt habeamus pariter Mundum non esse infinitum, nec plures comperiri Mundos.

Quòd

Quòd vnus sit Mundus, ac finitus.

De Mundi vnitate, seu pluralitate, apud Gentilitatis Sapientes non vna est cõsensio.

THEODORETVS libro quarto de Materia & Mundo, ait.

Mundum siquidem ipsum Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Parmenides, & Melissus, Heraclitus, Plato, Aristoteles, Zeno vnum esse consentiunt. Anaximander verò, & Anaximenes, Aristarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, Democritus, Epicurus multos, ac infinitos esse Mundos opinati sunt.

CYRILLVS contra Iulianum libro secundo, de Mundi vnitate hæc habet.

Igitur Plutarchus vir apud illos non ignobilis, in secundo libro collectionis Physicorum dogmatum, ita inquit de Mundo; Pythagoras primus nominauit vniuersorum continentiam, Mundum, à rerum ordine, qui in illo est. Thales, & qui ipsum sequuti, vnum Mundum: Democritus, & Epicurus, & illius discipulus Methrodorus, infinitos Mundos in infinito secundum omnem circunstantiam. Empedocles Solis circuitum dixit circumscriptionem finis Mundi esse. Seleucus, infinitum Mundum: Diogenes Vniuersum quidem infinitum, Mundum autem finitum. Stoici, Mundum, & etiam totum differre volunt; Vniuersum enim esse quod cum vacuo immenso, totum autem absque vacuo Mundum; & ita idem est illis totum, & Mundus.

ELIAS Cretensis expositione in Apologeticum Gregorij Nazianzeni.

Nec verò hæc solum nugaces quidam homines asseruerunt, sed etiam multos quoque Mundos, vt Democritus. Hic enim ipsi vsque asseclæ multos, atque adeò infinitos esse, dicebant: vt ne (inquiebant) diuina potentia, ipsiusq; infinita bonitas, in angustias redigeretur.

HERMIAS in libro inscripto Philosophorum gentilium irrisio, sic Epicurum alloquentem inducit.

Prospiciens autem Epicurus, mihi ait; Tu quidem amice vnum duntaxat Mundum dimensus es, cùm sint multi Mũdi, & infiniti. Itaq; denuò dicere cogor multos Cœlos, alios ætheres, eosq; multos. Agè verò nõ amplius morans, comparato paucorum dierum commeatu, Epicuri Mundos peragrato. Terminos igitur Tethyn, & Oceanum facilè transuolo. In nouum autem Mundum, & quasi in aliam ciuitatem ingressus, cuncta paucis diebus metior. Illic iterum transcendo in tertium Mundum: postea in quartum, & quintum, decimum, & centesimum, & millesimum, & quo tandem vsque? omnia enim iam mihi ignorãtiæ tenebræ sunt; & nigra fraus, & infinitus error, & imperfecta cogitatio, & incomprehensa inscientia: nisi ipsas etiam atomos innumerare velim, è quibus tot Mundi orti sunt, vt nihil inexcussum prætermittam, præsertim res tam necessarias & viles; vnde & domus, & ciuitatis fœlicitas pendet. Hęc itaque enarraui, vt contrarietatem, quæ in eorum opinionibus est, patefacerem; & inquisitionem rerum, quam suscipiunt, & infinitum vagari, & nullo termino contineri, eorumq; finem esse inexplicabilem, atque inutilem: quippe quod nulla re euidenti, & ratione perspicua confirmetur.

Hæc, & consimilia, oracula nostra de Gentilitatis Sapientibus retulerunt, quæ, vt aliena, omitto. Sed quod maximè demiror, præstantissimi ex nostris plures Mundos extare, nisi sunt asseruisse.

HIERONYMVS Commentariorum libro primo, in Epistolam ad Ephesios, capite secundo, perpendens illud Pauli; In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum Mundi huius, D. Clementem Papam, ac Martyrem, multos Mundos existimasse asserit.

Quærimus quoq; quid sit; In quibus aliquando, &c. Vtrumnã & aliud seculum sit, quod non pertineat ad Mundum istum, sed ad Mundos alios: de quibus & Clemens in Epistola sua scribit; Oceanus, & Mundi, qui trans ipsum sunt? An vnus iste Mundus sit; qui ab initio sæculi, quo factus est Adam, vsque ad terminum suum voluatur, & transeat.

Ceterũ nostra Sacra Theologia, cunctarũ scripturarum conspiratione, omniũ Patrũ obtestatione, annuente etiam saniori Philosophia, hæc placita adeò reijcit, ac rescindit, vt nobis onus non supersit prolixiùs ea confutandi. Scriptura siquidem vnius Mundi, eiusq; finiti, ac certa immensitate conclusi, genesim prodit. Patres has Philosophorum assertiones ob id recitant, vt ex his, quantum obsolescat eorum Philosophia, manifestò demonstrent.

ATHANASIVS Oratione contra Idola, vnicum esse Mundi opificem à Mundi vnitate ingeniosè conuincit, concludensq;, in hęc incidit verba.

Quapropter cùm vna sit rerum natura, vnus Mundus, eiusq; unus ordo: vnum illius intelligere debemus & Regem, & Opificem Dominum nostrum. Ideò enim ipse Opifex vnum (in vniuersum) Mundum condidit, ne de multorum numero multi etiam opifices existimarentur, sed ex vno opere, vnus quoque illius auctor crederetur. Verùm non quia vnus est conditor: ideò quoque necessum est, vt vnus sit Mundus.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Cœlum.

a. *Cœlum dicitur, vel quia cęlat, vel quia excelsum est, vel quoniam cęlatum est stellis.*
b. *Cœlum per sinecdochen accipitur: & est pars pro toto, quia plures sunt Cœli.*
c. *Cœlum primum omnium effectum est; quia quamuis sapientia idest Angeli dicantur ante omnia facti, non ante Cœlum, sed cum ipso prodiere.*

Poterat enim & alios Mundos construere Deus: sed quia vnus est Mundus creatus, necesse est Creatorem eius vnum credere.

Quantum autem ad locum à Hieronymo adductum spectat; existimo quòd bene ponderantibus D. Clementis verba apparebit, eum fortè Mundi nostratis partes incognitas & priscis incompertas, Mundos appellare, cùm ait; Oceanus, & Mundi, qui trans ipsum sunt. Prænouit siquidem tantus Pater & Papa, Spiritus Sancti afflatu plagas illas, quas Christophorus Columbus, & Vespuccius Florentinus mirifico ausu, ac stupendo euentu amplissimi Oceani vastitate superata, incomparabili sua, atque ætatis nostræ gloria comperierunt, atque Mundum nouum deinceps appellarunt.

a. *Cœlum dictum, vel quia cælat, vel quia excelsum, vel quia cælatum est Stellis.*

BEDA Expositione in Genesim.

Cœlum dicitur, eo quòd cælat arcana, vel à celsitudine, vel à cælatura. Cęlum vnde dicitur.

b. *Cœlum hic per synecdochen dicitur; & est pars pro toto, quia plures Cœli.*

BEDA vt supra.

Quum autem hic Cœlum singulariter dictum sit, in multis Scripturæ locis pluraliter Cęli reperiuntur: vt est, Cęli enarrant gloriam Dei. Et, Qui fecit Cœlos in intellectu. Et, Benedicite Deum Cœli Dominum. Et, Laudate eum Cœli Cęlorum. Cęlum hic synechdochicè dicitur, idest, pars pro toto. Cęli hic propriè dicuntur, quia multi sunt: vt, Psal. 18. Psal 135. Tob. 12. Psal. 148.

Scinditur auricolor Cœli septemplicis æther.

Quorum hæc sunt nomina, aër, æther, Olympus, spacium igneum, firmamentum, Cęlum Angelorum, & Cœlum Trinitatis. Hieronymus autem primo dicit Cęlum Trinitatis, secundo Angelorum, tertiò firmamentum.

Ex quibus apparet, Bedam Cœli nomine intelligere quicquid supra nos est.

c. *Quanquam Sapientia, idest Angeli dicantur ante omnia facti; non ante, sed cum Cœlo prodiere.*

AVGVSTINVS de Gen. imperfecto, capite tertio.

An non potuit inter creaturas primùm fieri Cęlum & Terra, si Angeli, & omnes intellectuales potestates primùm factæ sunt? Quia & Angelos creaturam Dei, & ab eo factos credamus necesse est. Nam & Angelos enumerauit Propheta in centesimo quadragesimo octauo Psalmo, cùm dixit; Ipse iussit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.

Sequitur Augustinus disserere de Angelis; num creati sint in tempore, num in exordio temporis: videturque diffinire, quòd & ipsi cum tempore effecti fuerint, & pariter cum Cœlo, nihilque esse Deo coæternum.

EVCHERIVS Commen. in Gen. libro primo, capite primo.

Cœlum & Terram; Si primo omnium factum est Cęlum & Terra; Angeli postmodum facti sunt. Si Angeli ante facti sunt, non primo omnium fecit Deus Cęlum & Terram. Cęli nomine quidam cęlestem, idest Angelicam creaturam creatam existimant.

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Cœlum.

a. *Natura, ac figura Cœli temerè perquirenda non est.*

BEDA Expositione in Genesim.

In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; Contrarium hoc videtur, quod dicitur: Quando feci Cœlum, & Terram, laudauerunt me Angeli; sed tamen non est contrarium, quia simul facta sunt omnia.

Et Quæstionibus in Genesim.

In principio creauit Deus Cęlum, & Terram: Angeli postmodum facti sunt: Si Angeli ante facti sunt, non primo omnium creauit Deus Cęlum, & Terram. M. Quando facta sunt simul sydera, ait Scriptura: Laudauerunt me Angeli mei voce magna. Quarta die facta sunt sydera, etiam erant Angeli. Neque enim die tertio, neque secundo facti sunt. In his enim apparet, quæ facta sunt. Tertia die, scilicet, Terra ab aquis discreta est. Secunda factum est firmamentum, vbi Sol & Luna discurrunt, & sydera. Porrò primus dies ipse est Angelica natura, quæ primo Cęli nomine nuncupata est.

HVGO Carensis in Postillis.

Primo omnium creata est Sapientia: non ergo in principio creauit Cęlũ &c. Sol. Primo omniũ dicit propter dignitatem: vel primo omnium, idest ante ipsam nihil: vel primo omnium creata, idest præuisa creari: vel creata, idest genita, secundum quod de Filio exponitur. Vel prima, idest vna de primis, vel inter primas creaturas: sicut Fides dicitur prima, idest, vna de primis. Item super Epistolam ad Titum, dicit Hieronymus, quòd Angeli seruierunt Deo ante tempora. Sed exponi: Seruierunt Deo; idest, in præscientia Dei: sicut illud Apocalypsis decimotertio; Agnus, qui occisus est ab origine Mundi; idest, præuisus occidi.

Si Sapientiæ nomine Verbum æternum intelligimus, certè Cęlum, & Terra primo omniũ creata sunt; quia Sapientia æterna non potest dici creata, sed ab æterno generata, nec vnquam initium sumpsit: sin verò Sapientiæ nomine intelligimus Angelos, & ipsos coæuos manasse Mundo, & pariter Cęlo & Terræ, supra demonstrauimus.

a. *Natura, ac figura Cœli temerè perquirenda non est.*

Non curiosè inuestigandum est, quæ Cœli sit natura, & quæ eius sit figura, sed simpliciter Scripturæ credendum, formatum esse, quasi fumum, & constitutum vt fornicem; alioquin in nugas Platonicas, qui Cœlum ex quatuor elementis, vel Peripateticas, qui ipsum ex quinta essentia constare dixerunt, incidemus.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia prima.

Quòd si separatim inuestiganda esset cuiusuis earum rerum, quæ sunt, essentia: aut earum quas contemplamur, aut earum quæ sensibus nostris obijciuntur: longum profectò, atque à re proposita seiunctum admodum interpretationi sermonem adferret, vt in exquirendis illis verba longè plura reliquis essent consumenda, quæ de singulis eorum, quæ quærimus dici possunt. Adde etiam, neque vllum operæpretium ad ædificationem Ecclesiæ tale studium, negociumque conferre. Sed de substantia Cęli satisfaciunt ea nobis, quæ ab Esaia Propheta sunt dicta, qui vulgaribus verbis idoneum de ipsius natura sensum nobis aperuit, cùm dixit; Qui firmauit Cęlum, quasi fumum: idest, qui tenuem naturam, non solidam, neque crassam, ad constituendam Cœli substantiam fecit. De figura quoque satis sunt ea, quæ idem ille dixit, Dei gloriam enarrando; Qui constituit, inquit, Cęlum, vt fornicem. Et post. Hæc eadem de Cœli quoque natura dixerimus. Complures enim & eadem verbis prægrauidę commentationes à Mundi Sapientibus ad nos vsque transmissæ sunt de Cœli natura. Quidam enim quatuor ex elementis ipsum constare dixerunt; quippe cùm tangi possit, atque conspiciatur: & Terræ quidem renitentiæ, ac soliditatis ratione: ignis autem ob aspectum, & cæterorum, mixtionis caussa, particeps sit. Quidam hac opinione, velut non probabili posthabita, repulsaque, quintam quandam naturam corporis ad Cęlum constituendum suopte ingenio, atque ex seipsis commentitiam, & pro tempore excogitatam introduxerunt. Estque apud eos æthereum quoddam corpus, quod nec ignis sit (vt inquiunt) nec aër, nec terra, nec aqua, nec omninò vnum aliquod simplicium corporum.

Terram.

a. *Non temerè inuestigandum, quæ Terræ sit natura, vel conditio.*
b. *Nec quomodo immota, atque inconcussa consistat.*

Anno Mund primo. In exordio temporum. Ante dies.

Exinde Peripateticorum principis Aristotelis rationes eas adducit, quibus Cœlum quintam esse essentiam probare posse ipse sibi persuaserat, quas hoc loco nos prætermittimus, quòd eas in quæstione de substantia Cęlorum, tum ex Aristotelis textu, tum ex hoc Basilij loco simus adducturi, vt quàm mirificè Basilius Aristotelis mentem assequutus sit, demonstremus. Post quæ hęc habet.

Ob has itaque ratiocinationum (vt aiunt) necessitates, maiorum suorum rationibus reiectis, illis opus fuit, suam vt suffulcirent opinionem, priua quadam, ac peculiari suppositione, qui quintam quandam corporis essentiam, ad Cęli, syderumq; constituendam generationem supposuerunt. Alius è diuerso ex ijs vnus, qui per ætatem se in argumentis exercuere generis persuasorij, hos adortus, ista quidem & digessit in ordinem, & mox dissoluit: neque id fecit modò, sed & suomet commentus ingenio propriam inuexit opinionem. Hisce de rebus nunc si aggrediemur dicere, in nugas perinde atque illi, incidemus. Quare illis omissis, sese vt mutuis elidant controuersiarum digladiationibus, sermone itidem de essentia posthabito, Moysi fidem habeamus astruenti, quia fecit Deus Cęlum, & Terram.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto.

De qualitate igitur, & substantia Cęli, satis est ea promere, quę in Esaiæ scriptis reperimus, qui mediocribus, & vsitatis sermonibus qualitatem naturæ Cœlestis expressit, dicens, quod firmauerit Cęlum sicut fumum, subtilem eius naturam, nec solidam cupiens declarare. Ad speciem quoque eius abundat, quod ipse de Cœli firmamento loquutus est, quia fecit Deus Cęlum sicut cameram, quòd intra Cęli ambitum vniuersa claudantur, quæ vel in mari geruntur, & terris. Quod similiter significatur, cùm legitur; Quia Cęlum Dominus extendit. Extenditur enim vel quasi pellis ad tabernacula, habitationesq; Sanctorum, vel quasi liber, vt plurimorum scribantur nomina, qui Christi gratiam, fide, & deuotione meruerunt: quibus dicitur; Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cęlo. Et post. *De natura autem, & qualitate substantiæ Cęli, quid enumerem ea, quæ disputationibus suis Philosophi texuerunt: cùm alij compositum Cęlum ex quatuor elementis asserant, alij quintam quandam naturam noui corporis ad constitutionem eius inducant, atque affingant æthereum esse corpus, cui neque ignis admixtus sit, neque aër, neque aqua, neque terra: quòd huiusmodi elementa suum quendam cursum habeant, atque vsum & motum naturæ, vt grauiora demergant, & in pronum ferantur, vacua & leuia in superiora se subrigant.*

Iob 36. Psal. 103. Luc. 10.

Prosequitur Ambrosius, (qui certè interpres Basilij potest appellari) Peripateticorum fundamenta & rationes exponere, ac reijcere: sed de hoc aliàs.

a. *Non temerè inuestigandum, quæ Terræ sit natura, et conditio.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Hæc eadem & de Terra vobis ipsis consulimus, vt ne eius substantiam, quæ illa tandem sit, curiosiùs perscrutemini, neue vos ipsos ratiocinationum argutiolis deteratis, aut inaniter maceretis in ipso perquirendo subiecto: neque naturam aliquam qualitatibus destitutam, & quæ pro sua ratione expers sit qualitatis, quæramus: sed probè teneamus, quòd omnia, quæ contemplamur in ipsa, ad eam rationem sunt accommodata, vt essent: quippe quæ essentiam ipsius adimpleant. In nihilum enim omninò desieris, si singulas eas, quas obtinet qualitates, ratiocinando coneris auferre. Nam si nigredinem, si frigiditatem, si grauitatem, si densitatē, si denique qualitates eas, quas sibi gustus vendicat, aut si quas alias inesse Terræ videmus, amoueris, nullum relinquetur subiectum.

b. *Nec quomodo immota persistat.*

Nec temerè inquirendum, num super aërem, vel aquam, vel nihilum sua grauitate suspensa immobilis persistat; cùm Dei virtute ipsam consistere sit credendum.

Basilius loco iam à nobis citato, Ambrosius Hexæmeron libro primo, capite sexto, Damascenus libro secundo, capite decimo, & alij disputationem eam hoc loco excitant,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terram.

a. *Terram super aërem fundatam.*
b. *Vel super aquas extensam.*

tant, super quod, vel qua uirtute terra immobilis consistat. Quapropter non possum disceptationem hanc prętermittere, singulasq; non recensere sententias.

a. *Terram fundatam super aërem.*

Sententiam hanc memorant pręfati Patres, & simul confutant.

BASILIVS loco asserto.

His igitur posthabitis, nec illud quæramus, moneo: super quonam subiecto Terra fundetur, atque quiescat. Hoc enim pacto mens vertigine velut facta perturbabitur, ad nullum certum sanè finem ratiocinatione tua proficiscente. Siue enim latitudini Terræ substratum dixeris aërem esse; dubitabis quonam pacto permollis illa, multumq; inanis natura sub tanto pressa pondere perduret, ac renitatur, nec considentiam tantæ molis fugiens vndiq; dilabatur, perpetuoq; ad superna tendens super opprimentis se telluris superficiem effundatur.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto.

Iob. 26. *De Terræ quoque vel qualitate, vel positione tractare, nihil prosit ad spem futuri, cùm satis sit ad scientiam, quod Scripturarum diuinarum series comprehendit, quia suspendit Terram in nihilo. Quid nobis discutere, vtrum in aëre pendeat, an super aquam, vt inde nascatur controuersia, quomodo aëris natura tenuis, & mollior, molem possit sustentare terrenam?*

Hoc ipsum Damascenus, vt post videbimus.

b. *Vel Terram extensam super aquas.*

Thaletis uetustissimi Philosophi fuit sententia; Terram fundatam esse & sustentari super aquas, quasi eis insidentem, & innatantem. Aristoteles septem commemorās opiniones vetustorum Philosophorum de Terræ stabilitatis caussa, hanc non prætermisit. Ex nostris autem

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo.

Si verò, vt alijs visum est, super aquas posita sphæra, vel super ipsas fertur, vel in ipsis voluitur; etiam sic magni in ea artificis opus declaratur.

CHRYSOSTOMVS Homilia in Psalmum centesimum tertium.

Psal. 135. *Qui fundasti Terram super stabilitatem suam. Aquila autem, & Symmachus, Super sedem suam. Quam autem stabilitatem intelligis ò Propheta? nimirum vbi tanta aqua, tamq; immensum pelagus subijcitur, quòd eam velut tergo gestat. Nam etiam alio loco hoc indicans, dicebat; Qui firmauit Terram super aquas. Quoniam enim minimè firmum, ac tutum erat fundamentum, verùm perquàm infirmum, & imbecille, idcircò summus ille rerum effector stabilitatem in ea collocauit. Quænam autem est hæc stabilitas? effectoris scilicet*

Psal. 94. *potentia; In manu enim eius omnes fines terræ.*

Et Oratione quinta de dicto illo: Sufficit tibi gratia mea.

Fecit Deus Cœlum, & Terram. Et Terram quidem soli instar statuit, aquamq; eidem subiecit. Fundamentum quidem ędificij vidisti: superior quidem erat Terra, inferior autem aqua. Atqui secus Architecti faciunt: qui aquas primùm quidem exhauriunt, tum demum fundamenta iaciunt. Deus verò aquis fundamentum superstruxit: ne tu firmitatem fundamenti, sed potestatem opificis admireris: sed vti initio institueram dicere, summa cum attentione mihi adeste.

EVSEBIVS, vt in Catena, super Psalmum vigesimumtertium.

Quomodo tanta moles super humentem, & liquidam naturam constitisset, nisi omni virtute præpotens Dei Verbum Terræ orbem cum ijs, quæ in eo sunt, continuisset: non temerè enim, ac fortuitò condita terra est, & huiusmodi figura circunscripta: Sed Domini potentia mirabilium effectrix, opifex admirabilis, tam ingentem grauitatem, & plenitudinem Terrę, & habitantes in ea, super humeros aquarum ferri sublimes voluit: ideò de illo dictum est; Super maria fundauit eum. Non enim seipsa Terra, quæ grauis est, & anima caret, super maris abyssos firmauit, sed omnium factor Dei filius fundauit.

HI-

HILARIVS Enarratione in Psalmum centesimum trigesimum quintũ.

Qui firmauit Terram super aquas, quoniam in sæcula misericordia eius. Altiùs nos quærere ratio tractatus præsentis, & loci non sinit. Satis sit, Terram super aquas pendula firmitate consistere, ex prophetica auctoritate didicisse: inumbratum Cęli temperatioris obtentu hoc firmamentum, quod extensum tanquam pellis, & solidatum tanquam fumus, aquas supernas, infernasque discernat, certè aquis pendulam contineri. Et in hoc, sicuti in omnibus, ea caussa est, quoniam in sæcula misericordia eius.

PROCOPIVS Commen. in Gen. capite primo.

Quòd autem vniuersa Terra in aquis subsistat, nec vlla sit pars eius, quæ infra nos sita est, aquis vacua, & denudata, omnibus notum reor. Nam sic docet Scriptura; Qui expandit terram super aquas. Et iterum: Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum. Sola itaque terræ superficies, quæ penès nos est, intelligitur, dum ait; Congregentur aquæ sub Cœlis in locum vnum. Psal. 135. Psal. 23.

In hanc sententiam concedere videntur Patres illi, qui Mundum non sphęricum, sed semisphæricum esse arbitrantur, vt Iustinus, Seuerianus, Acacius, & alij. De quibus nos alio loco. Quæst. 130.

Huic placito maximè adstipulari vidẽtur Scripturæ sacræ. Deus nanque Israẽliticæ genti legem tradens, sic inquit; Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinẽ, quæ est in Cœlo desuper, & quæ in Terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Sed clariùs hoc docet Dauid in Psalmis dicens; Quia ipse super maria fundauit eum, scilicet Orbem terrarum; & super flumina præparauit eum; Atque iterum; Qui firmauit Terram super aquas. Auctor libri quarti Esdrę hanc sequitur sententiã. Petrus tandem in Epistola sua inquit; Cęli erant prius, & Terra de aqua; & per aquam consistens Dei verbo. Exod. 20. Psal. 23. Psal. 135. 2. Pet. 3.

Cæterum hanc sententiam Patres quamplures repudiant, atque redarguunt.

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia prima.

Rursus, si supposueris, aut statueris tecum, aquam terræ subiectam esse: hoc quoque pacto quæres, cur per graue, densumque corpus non penetret aquam, seve illi immergat: sed à debiliore natura corpus illud terræ adeò pondere exuperans detineatur? Ad hæc ipsius etiam aquæ sedem si quæsieris: iterum dubitabis, cuinam corpori solido, renitentique, vltimus ipsius insideat fundus. Quòd si aliud quoddam corpus, quod terra sit solidius, tellurem, ne ad ima subsidat, prohibere ex suppositione dixeris: & illud quoque cogitabis, alio quodam opus habere, à quo suffulciatur, ac prohibeatur, ne & ipsum ad ima decidat. Et si quippiam illi ex suppositione commentitia affinxeris: & isti iterum aliud mens nostra fundamentum quæret: atque hoc pacto in infinitum abibimus, fundamentis inuentis alia rursum excogitantes. Denique quanto longius ratione progressi fuerimus, tanto maiorem afferre, subducereque vim renitendi cogemur, ad totam illam superpositam molem sustinendam.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto.

Aut quomodo si super aquas, non pondere mergatur in aquam grauis terrarum ruina? aut quomodo ei maris vnda non cedat, & in latera eius sese loco suo mota diffundat?

Desumuntur igitur rationes istæ ex his Patribus: primùm, quoniam pari ratione de aqua quæri posset, super quod ipsa fulciatur, & sustentetur: Deinde, cùm Terra sit grauior ipsa aqua, consentaneum videtur aquam potius à Terra, & non Terram ab aqua sustineri: nam cùm idem iudicium sit ferendum de tota Terra, quod de parte, sicut Terræ partes proiectæ in aquas, non ipsis supernatare, sed in imum demergi cernũtur; multò magis id de toto Terræ elemento sentiendum est. Tandem quia experimento cognoscimus, flumina, mariaq; etiam vastissima, sedem sibi in specubus, & cauernis terræ vendicasse. Quantũ autem ad auctoritates adductas spectat, loci illi Scripturarum, qui asserunt Terrã esse fundatam super aquas, à Patribus variè explicantur. Exponunt primo nonnulli fundasse, seu firmasse Deũ Terram super aquas, quia in aliquibus locis supereminet aquis. Augustinus hoc tradit enarratione in Psalmum centesimum trigesimum quintum; Rufinus Comment. in Psalmum vigesimum tertium; Euthymius, & Prosper pariter Commentarijs in eundem Psalmum, & Pererius hoc loco. Interpretantur alij secundo loco; Deus fundauit Terram super aquas; hoc est, iuxta aquas. Ita exposuere Basilius, Damascenus, vt postea ex eorum sententijs adducendis, patebit; ita etiam Cassiodorus Commentarijs in Psalmum centesimum trigesimum quintum; Haymo Commentarijs in eundem Psalmum; Theodoretus, vt habetur in Catena super Psalmum vigesimum tertium; Bruno Chartusianus pariter in Psalmum centesimum trigesimum quintum. Tertia est expositio ea, quam pariter adducunt nonnulli,

Rationes Basilij, & Ambrosij, quòd Terra non sit super aquas fundata.

Qui firmauit Terram super aquas, exponitur.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terram.

a. *Terram suo pondere libratam, in medio, siue in Mundi centro, tanquam in naturali loco quiescentem.*

b. *Siue melius, Terram immotam Dei virtute & mandato consistentem.*

nonnulli, qui id referunt ad primum statum Terræ in Mundi exordio, cùm vndique aquis obtegeretur, & operiretur: & exponunt super aquas, idest, In aquis; quia in medio aquarum locata erat. &c. Pererius has tres etiam memorauit. Non deest & quarta elucidatio, quæ Terram non omnem, sed habitabilem, & aridam super aquas considere suspicatur, cuius argumentum esse videtur, quòd aquas in profundo Terræ reperiamus. Interpretationem hanc Commentarij Auctoris incogniti in Psalmum centesimum trigesimum quintum detulerunt.

a. *Terram suo pondere libratam in medio, seu centro Mundi.*

2. Cœl. tex. 98. Philosophi, Mathematicique omnes Terram in centro immotam quiescere ea de caussa, quòd in proprio consideat loco, perhibēt. Aristoteles profectò id perspicuè edocet: sed audiamus nostros hoc placitum referentes.

BASILIVS Homilia præfata.

Iam verò quidam interpretes naturæ, terram persistere immobilem tales etiam ob caussas magno cum apparatu verborum contendunt; nimirum, quòd mediam regionem Vniuersi occupauerit, quòdque æqualem vndequaque ad extrema elongationem sortita, non iam habeat, in quam potius deuergat partem, aut se acclinet. Quum enim similis, parve æqualitas omni ex parte ipsam ambiens impossibilem inclinationem inducat ipsi terræ in vnam aliquam partem, necessariò in se ipsa permanet.

Dehinc voluisse Philosophos, Terram centrum Mundi sortitam esse grauitatis ergò his demonstrat.

Proinde medium hunc locum Terram esse sortitam volunt: non quasi partitò, aut casu quopiam: sed quòd illi naturalis sit, & necessaria eiusmodi positio. Nam cùm locum versus supera cœleste corpus extremam regionē obtineat: quæ nos (inquiunt) inde pondera cadere supposuerimus è supernis, ea suoptè nutu medium vndequaq; petent, ad ipsumq; ferentur. At ad quod cuiuspiam partes suaptè natura feruntur, nimirum ad id, & totum ipsum itidem feretur, ac impelletur. Quòd si lapides, si ligna, si terrestria omnia, ad inferum mouentur locum: hæc eadem etiam, & toti sanè propria fuerit, accommodataque positio Terræ. Si leue aliquid à medio Mundi suopte motu ciebitur: proculdubio sua illa motione suprema petet. Est itaque grauissimo cuique corpori propria hæc latio, vt deorsum feratur. At Vniuersi medium, inferum esse locum nostra iam oratio demonstrauit. Noli itaque mirari, si nulla sui parte Terra excidit: quippe quæ medium ipsum occupet Vniuersi, locum accommodatissimum sibi natura. Omninò enim aut manere ipsam eo in loco necesse sit; aut si motu præter naturam cieatur, à sua propria dimoueri sede.

Volunt igitur cuncti Philosophi, caussam stabilitatis & firmitatis Terræ esse naturalē eius grauitatem, vt edocuit Basilius, qua cogente, Terra petijt Mūdi centrum, in quo locata naturaliter quiescit, & immota persistit; nec id miraculo tribuendum esse, sed potius miraculum dici deberet, si extra centrum ipsa ferretur, cùm omnis locus extra centrum, centro sit superior. Suffragari possunt huic sententiæ nonnulla scripturarum loca, vt ille Psalmi; Fundasti Terram super stabilitatem suam, & non inclinabitur in sæculum sæculi. Quid enim aliud est stabilitas, nisi pondus ipsum, quo in centro librata immota permanet? & Iob; Qui appendit Terram super nihilum; hoc est super nullum fundamentum; cùm alia basi non indigeat, quia suo pondere fulcitur, & sustinetur.

Psal. 103. Iob 26.

b. *Terram immotam: consistit enim Dei mandato, et virtute.*

Patres omnes huic sententiæ accedunt, vt Terræ inconcussam immobilitatē Dei virtuti, ac prouidentiæ ascribant.

IVSTI-

IVSTINVS Quæstione centesima trigesima.

Sustinent igitur Cœlum aquæ, aquas Terra, Terram diuinus nutus; qui Terram, inquit in re nulla suspendit. Iob 26.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima.

Quamobrem modum, finesq; menti statuito, ne tuam nimiam inuestigationem, qua perscrutaris ea, quæ comprehendi minimè possunt, Iob sententia carpat: interrogerisq; ab ipso & tu, super quo Orbes, siue annuli Terræ firmati sint. Sed & si in Psalmis audieris vnquam; Ego confirmaui columnas eius: vim eam qua continetur, atque stabilis est, dictam esse columnas puta. Nam illud; Super maria fundauit eam: quid aliud quàm vndiq; Terræ naturam aquæ circumfusam esse significat? At cùm fluida sit aqua, & ad decliuia suaptè natura ruere soleat, quomodo sublimis manet, nullaq; sui parte defluit? At Terram etiam in se ipsa suspensam esse, atque pendentem non animaduertis, eandem, immo verò maiorem dubitationem afferre: quippe cùm natura aquæ elemento sit longè grauior? Quinetiam, siue per se ipsam consistere concesserimus Terram, siue super aquis stabilitam esse dixerimus, non discedamus vnquam à pia, & religiosa sententia; sed simul omnia per eius, qui condidit, contineri potentiam fateamur. Hæc igitur, & nobis ipsis dicamus oportet, & ijs, qui nos percunctantur, cuinam corpori veluti subiecto fundamento, tam immensum hoc, intolerabileq; Terræ pondus innitatur, quòd in manu Dei sunt omnes fines terræ. Sanè id responsi, & nobis est ad parandam Scripturæ intelligentiam tutissimum, & auditoribus conducibile. Psal. 74. Psal. 94.

Et cùm Philosophorum sententiam retulisset, qui grauitatis ratione in centro collocatam Terram autumant, adijcit.

Si quid eorum, quæ dicta sunt, probabile tibi videatur, ad Dei sapientiam, quæ res omnes ita instituit, atq; disposuit, admirationem transferto. Non enim admiratio, quæ maximas ob res oritur, cùm modus, cuius gratia fit aliquid admirabile, fuerit inuentus, imminui solet: sin hoc, at certè, simplicitas fidei rationalibus demonstrationibus plus apud te obtineat.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto, simul & Dei virtute Terram inconcussam manere edisserit, & Philosophos immeritò eius immobilitatem grauitati adscribere edocet.

Multi etiam in medio aëris, terram esse dixerunt, & mole sua immobilem manere; quòd æquabili motu hinc, atque inde ex omni parte propendeat. De quo satis putamus dictum à Domino ad Iob seruum suum, quando loquutus per nubem ait; Vbi eras cùm fundarem Terram? Indica mihi, si habes scientiam. Quis posuit mensuram eius, si nosti? Aut quis est, qui superinduxit mensuras super eam, aut super quid circuli eius confixi sunt? Et Post. Conclusi mare portis, & dixi: Vsque huc venies, & non transibis, sed in te comminuentur fluctus tui. Nonne euidenter ostendit Deus omnia maiestate sua consistere in numero, pondere, atq; mensura? Neque enim creatura legem tribuit, sed accepit, & seruat acceptam. Non ergo, quòd in medio sit Terra, quasi æqua lance suspenditur, sed quia maiestas Dei voluntatis suæ eam lege constringit, vt supra instabile, atque inane stabilis perseueret: sicut Dauid quoque Propheta testatur, dicens; Fundauit Terram super firmamentum eius, non inclinabitur in sæculum sæculi. Non vtique hic, quasi tantummodo artifex Deus, sed quasi omnipotens prædicatur; qui non centro quodam Terram, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur. Non ergo mensuram centri, sed iudicij diuini accipere debemus, quia non artis mensura est, sed potestatis. Mensura iustitiæ, mensura cognitionis, quia omnia, non tanquam immensa prætereant eius scientiam, sed cognitioni eius tãquam dimensa subiaceant. Neq; enim cùm legimus; Ego confirmaui columnas eius: verè columnis eam subnixam possumus æstimare, sed ea virtute, quæ suffulciat substantiam Terræ, atque sustineat. Denique quia in potestate Dei sit Terræ constitutio, etiam hinc collige, quòd scriptum est; Qui aspicit Terram; & facit eam tremere. Et alibi; Adhuc ego semel concutio terram. Non ergo libramentis suis immobilis manet, sed frequenter Dei nutu, & arbitrio commouetur, sicut & Iob dicit; Quia Dominus commouet eam à fundamentis: columnæ autem eius exagitantur. Et alibi; Nuda inferna in conspectu eius, & non est morti inuolucrum, extendens boream pro nihilo, suspendens Terrã in nihilum, alligans aquam in nubibus suis. Columnæ Cœli auolauerunt, & expauerunt ab increpatione eius, virtute mitigauit mare, disciplina strauit cetum, claustra autem Cœli timent eum. Voluntate igitur Dei immobilis manet, & stat in seculum Terra, secundum Ecclesiastæ sententiã, & voluntate Dei mouetur, & nutat. Non ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseuerat, sed Dominus statuit eam, & firmamento voluntatis suæ continet: quia in manu eius omnes fines terræ. Et hæc fidei simplicitas argumentis omnibus antecellit. Iob. 38. Sap. 11. Psal. 92. Psal. 74. Psal. 103. Agg. 2. Iob. 26. Psal. 94.

DAMASCENVS libro secundo, capite decimo.

Hi enim aiunt ipsam super aquas fundatam, & firmatam esse, vt diuinus inquit Dauid; Qui firmauit terram super aquas; illi vero super aërem. Alius autem ait; Qui firmauit terram super nihilum. Et rursus diuinus Dauid in persona opificis; Ego, inquit, firmaui columnas eius, continentem terræ virtutem columnas nominans. Quod autem ait; Super maria fundauit eam, ostendit vndiq; terræ circumfusam aquæ naturam. Et siue dabimus ipsam in seipsa, siue in aëre, siue in aquis, siue in nihilo firmatam, stabilitamq; esse, decet nos in nullo piæ aduersari intelligentiæ, confiteri simul omnia à virtute eius, qui creauit, contineri, fulciri, ac constringi.

HIE-

HIERONYMVS Commentarijs in Iob, capite vigesimo sexto.

Qui extendit aquilonem super vacuum, & appendit Terram super nihilum. Hoc sic intelligendum est, siue quòd Terra ex nihilo facta sit, siue nihil infra Terram sit, quo Terra sustineatur: cùm ipsa, vniuersa sustineat, & ipsa innumerabiliter Dei virtute libretur: quia in ipso sunt vniuersa, & ab illo omnia continentur. Hebr. 1. *De quo Apostolus dicit; Portans omnia virtutis suæ verbo.*

Cap. 26. GREGORIVS Theologus, vt in Catena Græca in Iob.

Quid de ventis, attinet dicere? Quandoquidem Terram vniuersam ea, quæ cerni non potest, ui continet, nullo firmamento subnixam. Qua tandem ratione stabilis, ac firma perseuerat? Quid illud est, quod eam sustinet? Et quid illud item sustentet, ac firmet? sanè nihil ratio reperit, vbi insistat, nisi Dei voluntatem, quæ illam suspendit, atque firmauit: nec quidquam est aliud, quo Terra teneatur, ac fulciatur.

PROSPER Expositione in Psalmum centesimum tertium.

De Terra ista laboriosè asseritur, quòd non inclinanda sit in sæculum sæculi, cùm dictum sit; Cælum & Matth. 24. *Terra transibunt. Nam fundatam eam super firmitatem suam, possumus ita intelligere, vt illa vis, qua sustentatur, & continetur, firmitas ipsius dicta sit: quæ licet abscondita à nobis sit, tamen rectè creditur in sapientia, & virtute Creatoris, qui omnia in se firmauit, in quo & omnia condidit.*

AVCTOR.

Possem si luberet, Patres quamplures Terræ stabilitatem, & firmitatem, Dei virtuti attribuentes, huic loco adijcere: Nam omnes ferè, vt maximè pij, non quidem in naturam, sed in Deum naturæ auctorem idipsum referunt, quod à sex his Patribus præstantissimis audiuimus. Quantum verò ad quatuor præfatas sententias spectat, eam primam, quæ super aërem Terram fundatam asseuerat, omninò erroneam esse clarissimũ est; eò maximè, quòd nec eius auctor à Patribus nominari conspiciatur. Secunda verò, quæ super aquas extensam Terram asserit, præstantissimos certè habet propugnatores; atque eos omnes, qui Mundum non sphæricum, sed semisphæricum esse arbitrati sunt; & ex substratis immensis æquoribus Terram extumescere, ac emergere nonnullis in locis putarunt, Antipodasq; , seu hemisphærium suppositum negarunt, & Cęlum amplius non circumferri, sed immobile consistere; astra verò per ipsum, quasi aues per aërem permeare ab Ortu in Occasum; & inde sub aquis ad Ortum redire Aquilonari in parte edocuerunt. Quæ tamẽ sentẽtia, licet à grauissimis Patribus amplexata, quàm aberrans sit, atq; à veritate aliena, infra luculentiùs demonstrabitur. Duæ postremæ sententiæ simul connecti possunt. Diffinire certè non erit inconsentaneum, Terrã in centro quiescere, immotamque consistere grauitatis suæ caussa, vt bene ponderauit Basilius. Verùm cùm ipsi hanc naturam, & pondus opifex ille, qui omnia fecit in pondere, numero, & mensura, contulerit, meritò asseuerare possumus, Terram Dei virtute immobilitatem, firmitudinemq; assequutam esse, cùm à Deo pōdus ipsa acceperit, cuius ratione, & accessu immobilitas, ac quies inconcussa illi obuenit. Cæterum Philosophi, & Scholastici nonnulli, vt naturæ indagatores, naturalem vim tantùm perpendũt, nec ad Deum naturæ auctorem ascendunt, naturæq; id tribuunt, quod rerum proprietates insequi intuentur. Patres verò admodum pij ad naturæ Creatorem conscendentes, omnia Deo ascribunt, vtpote rerum omnium, proprietatum, naturarumq; largitori, ac moderatori. Quapropter hoc in loco, immobilitatis Terræ non pondus, quo in centro librata consistere cogitur, sed Deum caussam dicunt; vtpote eum, qui ipsi Terræ pondus tribuit. Neque enim Patres miraculum perpetuum astruere volunt, sed id miraculum appellant, quod in initio effectionis Mundi factum est, cùm Terræ grauitas est collata, qua immobilis in centro Mundi quiescit, & vsque nunc consistit, & non inclinabitur in sæculum sæculi. De hoc miraculo Deus ipse loquitur; Vbi eras, quando ponebam fundamenta Terræ? quasi diceret: Tunc ponebam Terræ fundamenta, cùm Terram creabã suo pondere non destitutam. Hoc modo Deus fundauit terrã super stabilitatem suam, hoc est pondere suo stabilẽ reddidit; quare non inclinabitur in sæculum sæculi. Hoc modo appendit eam super nihilum, quia à seipsa consistit: Hoc modo firmauit Orbem Terræ, qui non commouebitur: Hac de caussa, sua videlicet grauitate, Terra in æternum stat: Hac etiam serie Deus fundauit Orbem immobilem: Hoc quoq; sensu confirmauit columnas eius, hoc est pondus eius. Dei igitur virtute, vti columnis subni-

Duæ primæ sententiæ reijciuntur.

Duæ postremæ sentẽtiæ acceptantur.

Sap. 11.

Iob. 38.

Psal. 103. Iob. 26.

Psal. 93. Ecclesiast. 1.

1 Paralip. 16. Psal. 74.

Terra autem erat inanis & vacua.

Hebraicè Vehaarez Haitha Thohù, Vabohù.

a. *Thoù, & Bohù, idipsum significant; hoc est, vel nihil, vel vastitatem deformem.*
b. *Thoù, rem omni forma carentem: Bohù, propensionem ad formam significat.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

subnixam Terram æstimare possumus, quia eius virtute Terra grauitatem suam, & pondus accepit, & propter Deum conseruat; nec eam Deus commouet, & concutit, seu annihilat, vt commouere, concutere, & ad nihilum redigere posset, si vellet. Hanc igitur attributam Terræ grauitatem & naturam, conseruatamque à Deo, Patres non immeritò miraculum appellarunt, quanquam pondus esse Terræ proprietatem Philosophi tantùm cognoscãt: & eius ergò in medio Mundi necessariò ipsã consistere dicant.

Terra autem erat inanis & vacua.

Hebraica Lectio legit Vehaarez Haitha Thohù, Vabohù, siue Thohù, & Vauohù.
Porrò vsqueadeò idioma nostrum verbis has voces exprimentibus caret, vt interpretes ferè omnes distracta admodum translatione Latinè eas reddiderint.
Editio vulgata Latina nostra habet Inanis & Vacua. Chaldaica autẽ legit Deserta, & Vacua. Septuaginta Interpretes, ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος, Inuisibilis, & Incomposita.
Aquila, Vanitas, & Nihil. Symmachus, Ociosum, & Indigestum. Theodotio, Inane, & Nihilum.
Ionathas, Vacua hõibus, & iumẽtis. Rabbini in Adnotationibus, Informis, & Inanis.
Pagninus, Desolata, & Inanis. Steuchus, & Lippomanus, Inane, & Vacuum.
Vis harum vocum Thoù, & Bohù, quæ sit, Doctores non vna diffiniunt sententia.

a. *Thoù, et Bohù, idipsum significant; hoc est, vel nihil, vel vastitatem deformem.*

RABBINI in Adnotationibus.
Inanis, & vacua; idest, Informis, & inanis. Voces hæ Hebraicæ ferè vnum & idem significant.
STEVCHVS in primum caput Genesis censuit has duas voces, quanquam diuersas, idem attamen significare. Sic nimirum ait.
Quanquam igitur nomina diuersa sint, res tamen eadem est. Colligitur autem ex omnibus locis, vbi ea nomina reperiuntur, ea significare modo inanitatem, ipsumque nihil: modo vastitatem, ac ruinam, & quasi deformitatem. Ideò Septuaginta verterunt inuisibilis & incomposita, eius rei deformitatem, atque vanitatem optimè exprimentes.
Lippomanus in Catena hæc ipsa mutuauit non mutatis verbis: improbat inde sententiam eorũ, qui Thoù, & Bohù, ad materiam primam referunt, vt infra habebimus.

b. *Thoù, rem omni forma carentem: Bohù, propensionem ad formam significat.*

HAMERVS econtrà Commentatione in Genesim.
Sunt qui putent vtranque vocem vnum & idem significare; sed apud Hebræos doctiores scribitur, quòd Thoù sit res omni forma carens; vt est materia prima, quæ est inane Chaos. Et Post. *Deriuatur vox hæc à verbo, quod significat expauit, obstupuit. Quod ad materiæ etiam tenebricosam, deformemque faciem ab Hebræis referretur, ob eam caussam, quòd intendentes nos in illius cognitionem attonitos reddit. Bohù verò, est aptitudo habendi, siue desiderium, quod mouet materiam primam ad omnem formam naturalem, vt sit inchoatio, & rudimentum formæ. Estque Bohù, si etymon nominis interpretemur, in eo est, siue in eo aliquid est. Septuaginta, duas has voces, verterunt ἀόρατον, καὶ ἀκατασκεύαστον, idest, inuisibilis, & incomposita. Et hæc quidem omnia rudi materiæ, informiq; conueniunt, quæ & expers formarum omnium meritò inanis; & vacua dicitur, & omninò incomposita, & inuisibilis est.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis, & vacua.

Thoù, & Bohù.

a. *Thoù inane: & Bohù vacuum.*
b. *Vel Thoù vacuum funditus: Vohù vacuum simpliciter.*
c. *Vel Thoù res informis: Vohù forma ipsa.*
d. *Siue Thoù, hoc est abyssus.*

LIPPOMANVS etiam adijcit.

Hebræorum nonnulli dicunt, quòd Thoù sit res omni forma carens, vt est materia prima: & Bohù aptitudo habendi, siue desiderium, quod mouet materiam primam ad omnem formam naturalem.

a. *Thoù Inane, et Bohù Vacuum.*

LVSITANVS diuersa sententia vult, quòd Thoù significet inane; vt inane dicit finis defectum: Vohù verò vacuum; vt vacuum denotat rerum quarumcunque, quæ inferri possent, carentiam. Pluribus autem id edisserit.

Vbi aduerte tam Hebræos, quàm nostros, variè de duobus nominibus, quæ hic ponuntur, Thoù scilicet, & Bohù, sentire. Omissis autem illorum opinionibus, nomen Thoù alterum è duobus significare videtur; videlicet desolationem, aut vanitatem. Iudicio tamen meo, potius vanitatem significat, quàm desolationem. Dicitur autem hic, vacuum, vel vanitas, quod ad aliquem finem, quem non consequitur, ordinatum est, sicut fundamentum sine parietibus, aut domo: labor sine præmio; & tale vanum videtur nomen Thoù significare, quod exemplis monstrabimus. Isaiæ enim quadragesimo nono habes: Laborauit, lathohù, idest in vanum.

Et cùm plura attulisset exempla, postea ait.

Sequens verò dictio Bohù, quasi idem significare videtur; sed ab ea, meo iudicio, differt, quia importat respectum ad locatum; cùm vacuitatem significet: Thoù verò respectum ad finem; quicunque ille sit, vt ex locis citatis constat. Sicut cùm dicitur; in vanum laboraui; idest, finem, seu præmium laboris non sum consequutus.

b. *Thoù vacuum funditus, Vohù vacuum simpliciter.*

CAIETANVS tradit Thoù dicere vacuum funditus: Vohù verò id quod est vacuum simpliciter.

Iuxta Hebræum habetur. Et Terra fuit inanis & vacua: subintelligendo in dictione inanis funditus. Caremus enim Latino nomine vno significante funditus inane. Apud Hebræos siquidem vtraque dictio nomen est vacuitatis; & ideò bene interpretatæ sunt inanis & vacua. Verùm apud illos prima dictio sonat plus quàm secunda: nam sonat vacuitatem funditus: secunda autem puram vacuitatem: & est sensus, quod terra in principio temporis fuit creata vacua intus, & vacua extra.

c. *Thoù, res informis: Vohù, forma ipsa.*

RABBI DAVID, vt refert Lusitanus, de his dictionibus sic loquens, ait.

Sapientes nostri dixerunt, quod Thoù, est res informis, apta ad recipiendum omnem formam, quam Græci hylen vocant, idest, materiam: Bohù verò, est forma, quæ dat esse materiæ: & earum coniunctione, secundum Dei voluntatem, fuit Mundi creatio.

Sed Lusitanus reijcit hanc interpretationem.

Sed licet in explicatione prioris nominis ad veritatem accedat, in secundo tamen toto errat Cælo; cùm Bohù, vt diximus, non formam, sed potius vacuum significet.

d. *Thoù; hoc est, abyssus.*

RABBINVS alter, Haggion dictus, vt idem met Lusitanus testatur, has voces sic interpretatur.

Nomen Thoù, radicem esse; Thehon, idest abyssus, seu profunditas; & hunc subesse sensum; & terra fuit abyssus, seu profunditas, aquarum scilicet. Quæ quidem interpretatio optima esset, si probaret radicem nominis esse Thehon. Quod cùm probare nequeat, prior interpretatio amplectenda est.

De

Terra autem erat inanis & uacua.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Construendum, Et Terra erat inanis & vacua.*
b. *Vel, Terra fuit inanis & vacua.*
c. *Seu, Terra inanis, quia vacua.*
d. *Terra autem erat, &c. idest, Idæa Terræ erat inuisibilis in Mundo intelligibili.*

De constructione etiam huius loci non vna est assertio.

a. *Addunt alij præpositionem, Et; leguntq́, Et Terra erat.*

VIELMIVS siquidem, lectione octaua, tres constructionis modos sic annotauit.

Terra autem erat inanis & vacua. Nonnulli omissa aduersatiua, Autem, substituunt copulatiuã, Et, quam reuera Hebræa litera habet: & sic legunt; Et terra erat inanis & vacua; quod quantum spectat ad sensum, parum sanè refert.

b. *Terra fuit inanis & vacua.*

Recentiores alij, pro Erat, legunt, Fuit; hoc est, Terra autem fuit inanis & vacua.

VIELMIVS lectione præasserta.

Quæ posterior lectio, hoc ipso poterit nonnullis magis arridere, quia cùm hæc scriberet Moses, videbatur vndiq; ac tota repleta & ornata; & verbum preteriti perfecti, Fuit, nihil eius relinquere solet, de quo enunciatur. Quamobrem ille dicebat; Nos fuimus Troes, fuit Ilium: vt nimirum Reginam flecteret, & ad maiorem cõmiserationem induceret. At verò præteriti imperfecti verbũ id etiam seruat integrum in præsenti, de quo fuisse enunciatur; sicut fit Ioann. quando dicitur; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Sed vtram ex his malueris lectionem, parum interest; quoniam vtrunque verbum promiscuè crebrò capitur.

c. *Terra inanis, Quia vacua.*

Tertio modo interpretati sunt alij, vt præpositionem, Et, pro Quia, acceperint; quasi dixerit Moses; Terra erat inanis, quia vacua; quia nimirum intus & extra omnium rerum, quibus deinceps locupletata, & repleta fuit, penitus erat inops & expers; nã Vobù inquiunt non semper in vi copulæ ponitur, sed interdum quandoq; in vi caussæ. Sic nimirum Vielmius lectione asserta retulit.

Tot igitur sunt editiones, significationes, & cõstructiones inter se diuersę horum nominum. Ex quibus ego id vnum colligo, voces eas Tohù, & Bohù, vel non certam habere significationem, vel si habent, eam nostro idiomate exprimi non posse, ac sua emphasi quæcunque sit, ruditatem, incongeriẽ, & deformitatem Terræ, vel Chaos illius prisci demonstrare.

d. *Terra autem idest, Idæa Terræ erat inuisibilis in Mundo intelligibili.*

PHILO libro de Mundi opificio.

Itaque ante omnia Conditor fecit in Mundo intelligibili Cælum incorporeum, & Terram inuisibilem.

Verùm Philonis hæc de Idæis opinio mox offenditur manca, peregrina, & obscura. Deficit quippe, cùm non exponat quid intelligendum sit per ea verba; Terra autẽ erat inanis & vacua. Deinde in peregrinis sensibus versatur, quoniam tenebrarum nomine, aëris idæam; abyssi voce, idæam vacui; & spiritus, idæam spiritus; ac demum aquarum nuncupatione, aquam inuisibilem, peregrina, & inusitata prorsus significatione interpretatur. Obscura tandẽ est, quia has Idæales terras, aërem, & vacuũ; spiritum, & aquã, vix eruditissimi viri, nedum rudes, hebetisq; ingenij, quales erant Hebræi, attingere vnquam, aut percipere potuissent.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis & vacua.

a. *Hoc est, Materia prima, quæ Cęli & Terræ nomine nuncupatur, erat informis.*

a. Materia, Cœli & Terræ nomine nuncupata erat informis.

AVGVSTINVS plures adducit huius loci interpretationes, duodecimo Confessionum libro.

Item quòd attinet ad intellectum verborum sequentium, ex illis omnibus veris, aliud sibi tollit, qui dicit; Terra autem erat inuisibilis & incomposita; & tenebræ erant super abyssum idest corporabile illud, quod fecit Deus, adhuc materies erat corporearum rerum informis sine ordine, sine luce. Aliud qui dicit; Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum; idest, hoc totum quod Cœlum & Terra appellatum est, adhuc informis & tenebrosa materies erat, vnde fieret Cœlum corporeum, & terra corporea, cum omnibus quæ in eis sunt corporeis sensibus nota. Aliud qui dicit, Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum; idest, hoc totum quod Cœlum & Terra appellatum est, adhuc informis & tenebrosa materies erat, vnde fieret Cęlum intelligibile; quod alibi dicitur Cęlum Cęli, & Terra, scilicet omnis natura corporea; sub quo nomine intelligatur etiam hoc Cęlum corporeum, idest, vnde fieret omnis inuisibilis, visibilisq; creatura. Aliud qui dicit; Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, non illam informitatem nomine Cœli & Terræ, Scriptura appellauit; sed iam erat, inquit, ipsa informitas, quam Terram inuisibilem & incompositam, tenebrosamq; abyssum nominauit; de qua Cęlum & Terram Deum fecisse prædixerat; spiritalem scilicet, corporalemq; creaturam. Aliud qui dicit; Terra autē erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum; idest, informitas quædam iam materies erat, vnde Cęlum & Terram Deum fecisse, Scriptura prædixit, totam scilicet corpoream Mundi molem, in duas maximas partes, superiorem, atque inferiorem, distributam, cum omnibus, quæ in eis sunt vsitatis, notisque creaturis.

Verùm præcipuè materiæ primæ informitatem his explicari docuit libro de Genesi ad literam imperfecto, capite quarto.

An sic melius intelligitur, vt in hac executione rursus eadem rerum materies commendaretur, quæ superius Cęli & Terræ nomine nuncupata est? vt iste sit sensus; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: hoc autē, quod Cęlum & Terra dictum est, Terra erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum: idest, quod Cęlum & Terra appellatum est, materies erat confusa quædam, de qua Mundus, qui duabus maximè partibus, Cęlo scilicet, & Terra, constat, digestis elementis, & accepta forma fabricaretur. Quæ confusio materię sic potuit insinuari populari intelligentiæ, si diceretur Terra inuisibilis, vel incomposita, vel inordinata, vel imparata.

Et de Genesi ad literam lib. primo, capite quintodecimo.

Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & Spiritus Dei superferebatur super aquam: vt excepto quod ibi positum est de spiritu Dei, cætera quidem rerum visibilium vocabula; sed ad illam informitatem, vt tardioribus poterat, insinuandam dicta intelligamus, quia hæc duo elementa, idest terra, & aqua, ad aliquid faciendum operantium manibus tractabiliora sunt cæteris; & ideò congruentius istis nominibus illa insinuabatur informitas.

Et de Genesi contra Manichæos libro primo, capite septimo.

Hanc autem adhuc informem materiam, etiam Terram inuisibilem, atq; incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa Mundi Terra videtur minus speciosa, quàm cætera. Inuisibilem autem dixit propter obscuritatem: & incomposita propter informitatem.

Consimilia habet de Genesi ad literā libro primo, capite primo, & tertiodecimo, & quintodecimo: quo etiam loco, materiam informem ipsam formarum pulchritudinem non præcessisse, eruditè vocis, & verbi exemplo demonstrat, ut supra retulimus.

EVCHERIVS Commentariorum in Genesim libro primo, capite primo, D. Augustini placitis subscripsit, quantum ad id, quòd Terræ nomine informis materia sit intelligenda, cùm ait.

Terra autem inuisibilis erat & incomposita, idest adhuc informis erat ipsa materia, quia necdum ex ea Cælum & Terra, necdum omnia formata erant, quæ formari restabant. Hæc enim materia de nihilo facta, præcessit

Terra autem erat inanis & vacua, &c.

a. Materia prima Terra dicitur, q formas retineat: Aqua, q eas recipiat: Abyssus, q non subsistat.
b. Vel, Terra dicitur, quia in potentia ad recipiendum: Abyssus, quia sine speciositate: Aqua ex defectu terminationis.
c. Siue, Terra appellatur, quia dat formæ fixionem: Abyßus, quia speciositatem non habet: Aqua, ex aptitudine ad formas.

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

præcessit tamen res ex se factas; non quidem æternitate, vel tempore, sicut præcedit lignum arca; sed sola origine, sicut præcedit vox verbum, vel sonus cantum. Nam qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Eccl. 18.
Hæc Glossa Locupletata pariter desumpsit.
BEDA Expositione in primum caput Gen.
Terra autem erat inanis & vacua. &c. Quibus verbis videtur significare informitatem materiæ corporalis. Terra enim & aqua, operantibus tractabiliora sunt cæteris.
Et Quæstionibus super Genesim consimilia edocet.

a. Materia prima Terra appellatur, quòd formas retineat: Aqua, quòd eas recipiat: Abyssus, quòd non subsistat.

ALBERTVS Magnus parte secunda de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo.
Quærendum secundum quas proprietates materia prima vocetur terra, & abyssus, & aqua. Dicendum quòd vna proprietatum materiæ est retinere formam; & secundum hanc dicitur Terra, eo quòd omnia, quæ faciunt retentionem, sunt in terra. Retentionem autem faciunt tria, scilicet soliditas, vt dispositio; siccitas autem, vt materia; & frigiditas, vt efficiens. Et ideò dicit Auicenna, quòd vis retentiua vigorem suscepit à frigido & sicco. Secunda proprietas materiæ est recipere: & secundum hanc proprietatem dicitur aqua; quia humidum aquæ non est terminabile in se, sed terminatur ad quamlibet figuram tangentis. Tertia proprietas materiæ est non subsistere actu; & hanc habet in quantum est subiecta priuationi: & secundum hanc dicitur abyssus ab eo, quod est sine & basis; basis enim materiæ super quam fundatur eius esse secundũ actum est forma substantialis.

b. Materia informis Terra dicitur, quia in potentia ad recipiendum: Abyssus, quia sine speciositate: Aqua, ex defectu terminationis.

ALEXANDER Halensis in Summa, quæstione quadragesima quinta, membro tertio.
Ex diuersis rationibus, materia informis tria sortitur vocabula. Est enim potentia materiæ receptiua; quæ deficit in genere potentiæ, respectu potentiæ actiuæ; vel simpliciter, vel secundum quid: & quantum ad hoc, habet rationem terræ: terra enim inter omnia elementa, minus habet de ratione actiui. Item dicitur abyssus, idest, sine candore; quia sine specie & pulchritudine; vt ostendatur defectus ex parte speciositatis. Dicta est aqua, quia aqua male terminabilis termino proprio, benè alieno: Ita materia bene terminabilis per formam, & debitam dispositionem: ex defectu ergo terminationis dicta est aqua, quia de facili ductilis, & fluxibilis subiacebat operanti, vt de ea omnia formarentur: & à primo agente daretur eidem virtus per formam, species per distinctionem, terminatio per ornatum, à summa scilicet potentia, sapientia, & bonitate.

c. Materia prima Terra dicitur, quia dat formæ fixionem: Abyssus, quia speciositatem non habet: Aqua, ex aptitudine ad formas.

D. BONAVENTVRA secundo, distinctione duodecima, in textu.
Insinuatur ipsa materia informis istis tribus nominibus sub triplici conditione se habere in comparatione ad formam. Ipsa enim materia dat formę fixionem, & propter hoc appellatur nomine terræ, quæ inter cætera elementa plus habet de stabilitate. Ipsa etiam materia à forma recipit speciositatem, & completionem, & per se est quasi tenebra; & ideò signatur nomine abyssi tenebrosæ. Ipsa quoque materia ad formam habet aptitudinem, & inclinationem: & ita quandam fluxionem, quæ signatur nomine aquę.

AV-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis & vacua, &c.

a. *Idest, rude Chaos vniuersali forma præditum erat incongestum, hoc est, sine competentibus sibi qualitatibus, & proprietatibus.*

AVCTOR.

Verùm huic interpretationi multa obijci à cæteris solent. Primùm, quòd ad peregrinos sensus, & maximè Hebræis obscuros, literam detorqueat. Deinde quòd Mundum vnica die absolutum prodijsse supponat, diesque sex ad inaspectatam cognitionem Angelicam sextuplicem, secundum sex apprehensa rerum genera adaptet, non tantùm contra cæterorum omnium Patrum ante ipsum D. Augustinum communem, vulgatamq; sententiam, sed etiam ipsa Mosis historia penitus renitente, ac reclamante. Quod verò de Thoù, & Bohù materiæ primæ gratia exponebant Hebræi, egregiè reijcit his

STEVCHVS in Genesim, capite primo.

Quod autem quidam Hebræi, Thoù, & Bohù, ad materiam primam referunt, vt Thoù sit ipsa priuatio materiæ, Bohù desiderium eius, & aptitudo ad formas, non tam est Mosaicum, quàm Peripateticum. Hebræi siquidem, eadem qua & nos consuetudine corrupti sunt, vt sacras literas ad placita Aristotelis, atque Auerrois voluerint torquere. Infinitaque huiusmodi extant apud eos deliramenta. Neque vllus propè apud illos liber inuenitur, quin sit & placitis, & vocabulis Philosophorum corruptus. Iamque apud eos inuenitur hæceitas, quidditas, relatio, & id genus. Nulla itaque ratione credendum est, quod de materia prima commenti hic sunt, Hyle enim, idest, prima materia, inuentum est Philosophorum, quam ne somniauit quidem Moses, vt attestatur Origenes, & Eusebius; de qua re nos alibi copiosiùs. Qui ergo Thoù, & Bohù materiam primam interpretantur, cùm toto Cælo, vt aiunt, à sacris Scripturis dissentiant; audiant quid Ioannes industrius, vir non tam optimus Christianus, quàm sapientissimus Philosophus, contra Proclum, qui per ataxiam, & Chaos putauit Platonem materiam primam credidisse, vociferetur. Dicit enim; Quapropter fabula commentitia esse demonstrata est, incorporeæ & informis materiæ, cui innituntur, auctoritas, etiam si sexcenti Platones, reliquusque antiquorum catalogus huius opinionem inuexerint. Hæc in medium attulimus, quia plerique ex nostris etiam præstantissimi viri fidem Hebræis adhibere voluerunt, qui vt in reliquis omni laude superiores sunt; ita in hoc, meo iudicio, non sunt admittendi.

a. *Terra, idest, rude Chaos erat incongestum, hoc est sine competentibus sibi qualitatibus, & proprietatibus.*

GREGORIVS Nyssenus in Historia sex dierum, prolixiùs incongestum Chaos vna vniuersali, communique forma, & exili præditum, quale esset, seu corpulenta illa massa, quomodo hoc loco circumscribatur, his demonstrat.

Terra autem erat inuisibilis & incondita: vt ex hoc perspicuum sit, quòd potentia quidem omnia erant in primo Dei motu, atque impetu, quo ad creandum mouebatur, veluti seminaria quadam vi ad vniuersitatis ortum congesta. Sed in effectu res singulæ nondum erant. Terra enim, inquit, erat inuisibilis, & incondita. Quod perinde est, ac si diceret, erat, & non erat: nondum enim circa eam concurrerant qualitates. Atque hanc sententiam demonstrat esse veram, quòd inuisibilem eam Scriptura fuisse dicit. Quod enim sub visum cadit, color est. Color autem superficialis figuræ, veluti quoddam defluuium est. Figura verò non est absque corpore; si igitur inuisibilis, prorsus etiam coloris expers erat: cùm hoc autem vnà consideratur, & intelligitur etiam id, quod figura caret, atque cum illo incorporeum. Igitur in ea, quæ comprehensim, ac repente accidit, molitione, atque congestione Mundi, erat quidem terra in rerum natura, sicut etiam reliqua omnia; expectabat autem, vt per qualitatum structuram & compositionem, fieret id quod est. Per hoc enim, quod dicit eam inuisibilem fuisse, Scriptura indicat, quòd nec alia quidem aliqua qualitas circa eam animaduersa sit. Per hoc item, quòd eam inconditam nominauit, dat intelligere, & innuit eam nondum corporeis proprietatibus densatam, & consolidatam fuisse. Apertiùs autem is intellectus per Symmachi, Theodotionis, & Aquilæ Scripturam declaratur, quum vnus quidem dicat; Terra autem erat ἀργόν, idest incultum, & illabo-

Terra autem erat inanis & uacua, &c.

a. *Rude Chaos Terra dicitur ob ignobilitatem, crassitudinem, obscuritatem: Aqua ob inanitatem, fluiditatem, & incompactionem: Abyssus ob profunditatem, & vastitatem.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

illaboratum quiddam, & ἀδιάκριτον, hoc est promiscuum, indistinctum, rude, & indigestum quiddam; alter verò, κένωμα, idest vanum, & inane quiddam; & οὐθέν, hoc est, nihil: alius autem θίν, & οὐθίν, idest hylum, & nihilum. Significatur enim per hæc, prout mea quidem opinio fert, per illaboratum quidem, siue incultum, quòd in effectu quidem & actu, Terra nondum eßet, sed in sola potentia, ac vi hoc vt esset, haberet: per rude & indigestum, quòd nondum qualitates altera ab altera separatæ essent, vt per sese peculiariter vnaquæque qualitas agnosceretur, sed in confusa quadam, indiscreta, atque indigesta qualitate, ac mole, res vniuersæ conspicerentur: quum non color, non figura, non corpus, non pondus, non quantitas, non aliud quicquam tale per sese secundum propriam rationem in subiecto spectaretur. Atque eandem sententiam nobis indicat etiam Inane, & Nihil. Qualitatum enim capacem vim per vocem Inanis significauit, vt per hoc disceretur, quòd Conditor rerum vniuersarum qualitatum capacem vim creasset: hæc autem inanis quædam esset; & antequam ea qualitatibus compleretur, nihil in sese haberet.

TOSTATVS in secunda Expositione sibi acceptiore.

Idest materiam communem sub quadam forma corporeitatis; ex qua postea distincta fuerunt omnia corpora cœlestia, & elementaria intra concauitatem Empyrei. Et vocatur tota ista materia, Terra; quia maximè visibilis est Terra: & ideò post inductionem elementorum, licet Deus ignem & aërem ab alijs elementis distinxerit, faciens de illa materia; tamen nunquam mentionem de igne fecit; de aëre autem modicam, vel quasi nullam. Terra autem, idest tota illa materia in forma communi, quæ terra nuncupatur, Erat inanis, idest inuisibilis; vel non bene visibilis, quia non erat per formas distincta: nec potest dici simpliciter inuisibilis; quia videri poterat, cùm haberet aliquem colorem, licet non bene determinatum. Et vacua, scilicet carens ornatu, quia nondum partes Cęlestes syderibus ornatæ fuerant; quia hoc factum est quarto die: nec aqua, terra, vel aër, piscibus, animalibus brutis, & hominibus, & auibus fuerant ornati. Non dicitur autem de Cęlo, quòd fuit inane & vacuum; quia Empyreum, vt creatum fuit, Sanctis Angelis repletum fuit: vel, quia in sua creatione figuram debitam, & splendorem recepit. Et licet Scriptura non faciat hic mentionem de creatione Angelorum, tamen, cùm aliàs multotiens de eis dicat, necesse est eos creatos intelligi cum Cęlo Empyreo, quod est beatorum spirituum locus; locus autem præsupponit rem locatam, vel contentam, cùm propter illam sit.

LYRANVS consimiliter.

Terra autem erat inanis & vacua; quia illa materia non erat adhuc per formas speciales distincta.

LIPPOMANVS in Catena.

Post propositionem itaque incipit Moyses per partes digerere rerum omnium formationem, quantum scilicet ab homine capi potest, & quàm id liceat simplicissimè. Terram inanem vocat, & vacuam, magnam illam molem, indigestamq; materiam & confusam, vnde elementa terræ & aquæ prodire debebant Dei iussu; quo terra inter cætera elementa notissima sit, sensibus opposita hominum, & proxima, quam tunc primum fuisse docet inanem, hoc est informem, confusam, ac inuisibilem, & insuper vacuam vegetabilibus, nondum ornatam, vel repletam plantis, vel animalibus.

a. *Rude Chaos, Terra dicitur ob ignobilitatem, crassitudinem, obscuritatem: Aqua, ob inanitatem, fluiditatem, et incompactionem: Abyssus, ob profunditatem, et vastitatem.*

CATHERINVS clariùs Enarratione in Genesis caput primum.

Et iam declaratum est, ipsam Terram nihil aliud fuisse, quàm ipsummet Chaos; vt sic res ignota, & penè agnoscibilis, diuersis his, terræ, aquæ, & abyssi vocibus denotaretur. Terræ quidem nomine ob ignobilitatem, crassitudinem, obscuritatem. Aquæ verò ob inanitatem, fluiditatem, & incompactionem. Denique Abyssi voce ob profunditatem, ac vastitatem.

Sed hæc sententia iam reiecta est; & hoc loco magis improbanda venit; cùm voces à propria sua significatione sublatas, ad peregrinos, & similitudinarios sensus trahat.

Quis

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis & vacua.

a. *Idest, quatuor elementa simul mixta erant, & confusa.*
b. *Siue, describitur nihil id, quod ante Mundum extasse imaginari possumus.*

Quis enim ineruditus Hebræus vnquam, siue Gentilis, Terræ nomine materiam vnam incongestam, in qua formæ rerum adhuc essent indistinctæ, capiet? Altissima enim hæc sunt; & vix perspicacibus ingenijs explorata.

a. *Idest, quatuor elementa mixta simul erant, & confusa.*

STRABVS in Glossa Ordinaria.

Terra erat inanis & vacua. Omnia enim elementa commixta, & confusa, & totum hoc aëris spatium aquis plenum, non quales nunc sunt, sed sicut nebulæ tenues erant, quales adhuc supercælestes sunt.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione duodecima.

Illam confusam materiam quatuor elementorum, quam nomine Terræ, vt Augustinus ait contra Manichæos, ideò appellauit Moyses: quia Terra, inter omnia elementa, minus est speciosa: & illa inanis erat & incomposita, propter omnium elementorum commixtionem.

b. *Idest, erat nihil id, quod ante Mũdum extasse imaginari possumus.*

STEVCHVS, vt qui procellis doctrinarum facilè iactatur, & quandoq; nõ sine nauigij illisione, harum clausularum; Terra autem erat inanis, & vacua; Et tenebræ erant super faciem abyssi, non amplius auditam interpretationem detulit. Illud enim nihil, quod quisque imaginatur ante Mundum, vt Chaos quoddam his describi opinatus est, in Recognitione Veteris Testamenti ad Hebraicam veritatem.

Erat ergo apud vetustissimos homines opinio, fuisse ante Mundum conditum æternam quandam priuationem, æternas tenebras, sempiternamq; caliginem, è qua Mundum Deus effecisset, idest, quatuor elementa, cùm in Mundo nihil sit aliud; & quoniam in illa æterna priuatione omnia indigesta ac permixta delitescebant, propterea appellata est ἀταξία, idest inordinatio; quod postea non ita probè intelligentes posteri Theologi, crediderunt hanc priuationem fuisse iam existentium elementorum confusionem, idest Chaos. Sed profectò hæc vera fuit apud vetustissimos de Chao sententia. Chaos itaque, est sempiterna illa ante creationem Mundi priuatio, sempiternum illud nihil, densissimę non existentium rerum tenebræ: neque enim hic tenebras appello, quæ luci opponuntur; sed ipsum non esse. Quod itaque in sacris literis nuncupatur Thoù, & Bohù, ab alijs gentibus vocatur Chaos. Et post. *Tam enim Hesiodus, quàm Sacræ literæ, per Terram, totum intelligunt Mundum, eo quòd ei sunt admista, & annexa reliqua elementa. Ille igitur dicit ante Terram fuisse Chaos, idest, nihil. Genesis autem, Terram fuisse nihil; est enim phrasis Hebraica; antequam enim Terra effecta fuisset, erat ipsum nihil. His consentanea etiam sunt, quæ à Mercurio de eadem re traduntur, qui in suo Pimandro sic inquit; Erant tenebræ infinitæ in Abysso, & aqua & spiritus tenuis intelligibilis, quæ diuina virtute erant in ipso Chao. Tenebras itaque appellat sempiternum illud nihil. Quod autem dicit eas fuisse in abysso, idem est quòd & Sacræ recensent literæ; & tenebræ erant super faciem abyssi: tantùm in phrasi, & loquendi modo differunt. Idem verò est apud Mercurium, Tenebræ, Abyssus, & Chaos, quod & in Sacris literis Thoù, & Bohù, & Tenebræ, & Abyssus. Sicut ergo diximus Terram, idest, Mundum fuisse Thoù, & Bohù, idest, nihil: sic postea repetimus idem explicare magis volentes, dicimusq; Tenebras fuisse in Abysso. Per Abyssum enim hic nihil aliud intelligitur, quàm profunditas illa tenebrarum, non existentium rerum, & quasi æterna nocte sepultarum. Nox igitur illa æterna, tam à Mose, quàm à Mercurio, Abyssus nuncupatur. Quod autem tam Moses, quàm Mercurius addunt aquas, idem est: per has enim intelligimus ipsam iam memoratam Abyssum. Neque enim nos turbare debet, quòd variè loquantur, idemq; per varia nomina significent: ea enim Theologorum est loquendi consuetudo. Per tenebras ergo, Abyssum, aquam, & Thoù, & Chaos idem significant.* Et Post. *Neque me præterit permultos esse tum Græcos, tum Hebræos, qui ea omnia, quæ diximus, aliter interpretentur: vt primùm dicant Cœlum, ac Terram facta esse, Terram verò ideò fuisse obscuram, & informem, quòd aquis tegeretur; quarum tanta esset magnitudo, vt supra sydera etiam pertingerent, meritoq; eas Abyssum appellatas esse. Abyssus enim profunditas est aquarum, super quam abyssum*

Terra autem erat inanis & vacua, &c.

a. Terra, idest, Terræ elementum.

Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, iuxta editionem Græcam.

b. Primùm inuisibilis, quia nondum erat homo, qui illam spectaret.

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

erant diffusæ tenebræ, cùm lux adhuc effecta non fuisset. Spiritus autem Domini, idest, ventus, quo aquæ illæ agitabantur, vel certè Spiritus Sanctus, qui futuram distinctionem meditabatur. Totam autem illam aquarũ, & Terræ congeriem, Chaos antiquos appellasse. Certum quoque esse etiam diuinarum Scripturarum testimonio, aquas supra Cœlos adhuc esse; inter quas, & has nostras, positum sit firmamentum. Quam interpretationẽ tametsi non improbo, verior tamen mihi videtur, & cum antiquitate magis sentiens, quam ipsi attulimus.

Terra inanis & vacua non erat nil illud imaginatum ante Mundũ.

Verùm quantum toto Cœlo aberret Steuchus, plura demonstrare possent, quæ modò contra hanc suã delirantissimam assertionem euocare, ineptum duco. Primùm quòd vetustissimorum sententia extiterit, ante Mundum genitum nil aliud Chaos, quàm æternam rerum priuationem extasse, falsum esse deprehendet, si tot principiorum, seu materiæ ingenitæ genera, quæ vetustos somniasse supra recitauimus, non oblitus est. Deinde repugnat expositio hæc cunctis tum Patribus, tum Doctoribus, qui Mosem hoc loco Chaos aliquod incongestum describere, non vt æternum, sed vt creatum, edocent. Tandẽ, quia si totam hanc enarrationem Mosis, ad illud nihil, seu æternam priuationẽ referremus, distracta nimium esset, aspera, futilisq; commentatio, quoniam Cęli, Terræ, aquæ nomine, id quod nihil est interpretaremur: Sed cur plura? Nonne memoria lapsus est Steuchus, cùm in Cosmopœia ipse nobis Chaos ex terra, & aquis compactũ obtulerit? Sed hæc satis.

a. Terra, idest, Terræ elementum.

Cæteri Patres, Terræ nomine infimum hoc quod terimus elementum, intelligi maluerunt; vt supra deductum est in Catenis.

TERTVLLIANVS id latiùs edisserit lib. aduersus Hermogenẽ.

Nobis autem vnus Deus, & vna est Terra, quam in principio Deus fecit. Cuius ordinem incipiens Scriptura decurrere, primò factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit. Et post. *Et vtique sic decet narrationem inire, primò præfari, postea prosequi nominare, deinde describere. Alioquin vanum, si eius rei cuius nullam præmiserat mentionem, idest materiæ, ne ipsum quidem nomen, subitò formam, & habitum promulgauit: ante enarrat qualis esset, antequam an esset, ostendit figuram deformati, nomen abscondit. At quanto credibilius secundum nos eius rei dispositionem Scriptura subiunxit, cuius institutionem, simulque nominationem præmisit. Quàm denique integer sensus est; In principio Deus fecit Cœlum & Terram: Terra autẽ erat inuisibilis, & rudis, quam Deus scilicet fecit; de qua Scriptura cùm maximè edixerat. Nam & Autem ipsum, velut fibula coniunctiuæ particulæ ad connexum narrationi appositum est, Terra autem. Hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua supra dixerat, & alligat sensum. Adeò aufer hinc, Autem, & soluta compago est, vt tunc possit de alia Terra dictum videri; Terra erat inuisibilis, & rudis.*

Idipsum ferè omnes vetusti Patres. Sed vt enucleatiùs singulas huius descriptionis partes exponamus, adijciam Catenas Patrum, qui hoc infimum elementum describi existimarunt, eorum inquam tantùm, qui inanitatis & vacuitatis caussas peculiares edocent; Idque secundum duas editiones, quoniam Patres Græci ferè omnes iuxta Septuaginta interpretum versionem hunc locum explicarunt.

b. Primùm inuisibilis, quia nondum erat homo, qui illam spectaret.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Atqui duas ob caussas inuisibilem dixit Terram, aut quia nondum erat is, qui spectaret illam, & contemplaretur homo. Et Post. *Inuisibile igitur quid est? tum id quod oculis carneis videri non potest.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inuisibilis & incomposita.

a. *Inuisibilis, hoc est adeò indigesta, quòd videri digna non esset.*
b. *Vel Inuisibilis, quòd immersa aquis cerni non posset.*

a. *Inuisibilis, hoc est adeò indigesta, quòd videri digna non esset.*

SEVERIANVS Gaballorum, vt in Catena.

Non me fugit multos Sanctorum Patrum dixisse Terram inuisibilem dici, quia aquis operta esset, quod quidem tametsi pium sit, minimè tamen verum est. Aquila enim transtulit; Terra autem erat inanitas, & nihil. Idem autem cum inuisibili. Nam quemadmodum dicimus aliquem informem esse, non quia forma expers sit, sed quia turpi sit forma, & mutum illum dicimus, qui malæ vocis est; sic Terra erat inuisibilis, hoc est, sine ornatu, minimè aspectu, & visu digna, vtpote quæ nondum fructibus, plantis, fluminibus, fontibus, reliquisque, quæ eam lætam, ac visu iucundam efficiunt, ornata esset. Nam & Scriptura, cùm de triginta fortissimis Dauid loqueretur, ait; Hic percussit virum Aegyptium ὁρατόν, hoc est visibiles, ac per hoc visu dignum, & speciosum.

PROCOPIVS Commen. in Genesim.

Quapropter erat inuisibilis, idest nondum aliquo ornatu illustrata, & ob id necdum spectaculo digna. Nam Aquila in sua translatione, pro inuisibilis posuit vacua, idest omni ornatu, qui in plantis, fluuijs, & fontibus perspicitur exuta, & spoliata. An non etiam scriptura sic alicubi habet? Ipse quoq; percussit virũ Aegyptiũ, virum magni aspectus, siuè visibilem, idest mirabilem, siue spectabilẽ. Sumus enim alioqui omnes ita cõparati, vt oculis cerni queamus. Placet itaq; mihi, vt hoc loco: terra erat inuisibilis, &c. dictio inuisibilis accipiatur pro indigesta.

b. *Vel inuisibilis, quòd immersa aquis cerni non posset.*

BASILIVS Homilia asserta.

Inuisibilem dixit Terram, quòd cerni tum non posset, nimirum immersa aquæ, quæ supernatans ipsius superficiem quaquauersum adoperuerat. Nondum enim erant aquæ in suas aggregatæ stationes, quas postea aggregatas, Deus maria nuncupauit. Et post. *Id inuisibile etiam est, quod natura quidem eisdem conspici potest, obiectu tamen corporis occultatur, vt ferrum, quod in alto gurgite iacet: hoc modo nunc inuisibilem terram dictam esse putamus circumfusa aqua velatam.*

Glossa Locupletata hæc eadem detulit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite septimo.

Terra autem erat inuisibilis. Et inuisibilem eam per substantiam credant: & ideò, quia aquis operta, visibilis oculis corporeis esse non poterat; quemadmodum pleraque in profundo aquarum sita visum oculorum, aciemque prætereunt? Non enim Deo aliquid inuisibile, sed creatura Mundi creaturæ vtique æstimatione censetur.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Inuisibilem perhibet Terram, non quasi per se, vel sua natura non possit sensu deprehendi; sed inuisibilem ideò tradit, quod esset abdita, & obruta aquis.

Cap. 13. AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo.

Ideò Terra inuisibilis dicta intelligatur, quod aquis cooperta nõ posset videri, etiã si esset, qui posset videre.

Quæst. 106. Et Quæstionibus ex vtroque Testamento.

Terra autem erat inuisibilis, & incomposita: manifestum est, quia Terra, postquam facta est, inuisibilis erat, & incomposita: tegebatur enim aquis; ideò erat inuisibilis.

Et Sermone de Tempore centesimo trigesimoquarto.

Terra erat inuisibilis, & incomposita. Sed terra inuisibilis esse non poterat. Cui ergò inuisibilis erat? Si Angelis; vbi tanta moles abscondi poterat? Si hominibus; adhuc homo non erat. Deus quippe fundauit terram super aquas, & medietatem aquarum super Cœlos imposuit, & medietatem abyssis demersit, & in maria congregauit; & sic terra apparuit. Et dixit Deus; Fiat firmamentum inter aquam & aquam. Et vocauit Deus firmamentum, Cœlum. Videtis, quia aquam super firmamentum Cœli imposuit; & per separationem aquarum, arida terra apparuit; & recedentibus aquis, visibilem significauit.

ATHANASIVS Quæstione octuagesima, ex Veteri Testamento.

Infusa nanque super Terram aqua, ipsa Terra videri non poterat; inuisibilis videlicet, & latens.

Inui-

Terra autem erat Inuisibilis, & Incomposita.

a. *Inuisibilis, quia lux qua videri poterat, nondum erat exorta.*
b. *Vel inuisibilis, quia nondum erat homo, cuius gratia eam Deus intueretur.*
c. *Incomposita, quia aquis madida culturæ apta non erat.*
d. *Vel, quia nondum à Mari distincta, animalibusq; minimè erat decorata?*
e. *Siue, quia aquis præpedita ornatum germinum non habebat.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Inuisibilis, quia lux qua videri poterat, nondum erat exorta.*

BASILIVS ubi supra.

Adde his & lucem nondum exortam fuisse: absentia cuius haud mirum videtur, sitam in media Mundi parte tellurem, inuisibilem ob idipsum etiam à Scriptura fuisse dictam, quod aër vndiq; supra ipsam diffusus luce careret.

AMBROSIVS Hexæmeron libro asserto.

Inuisibilis etiam Terra, quia, nondum lux, quæ illuminaret Mundum, nondum Sol: postea enim luminaria facta sunt Cœli. Quòd si Solis radius plerumq; etiam aquis operta illuminat, & profundo mersa splendore luminis sui prodit; quis dubitet Deo, ea quæ in profundo sunt, inuisibilia esse non posse?

ALCVINVS Quæstione trigesima in Genesim.

Inuisibilis, inquit, erat Terra propter obscuritatem; incomposita, propter deformitatem.

b. *Inuisibilis, quia nondum erat homo, cuius gratia eam Deus intueretur.*

AMBROSIVS vbi supra.

Nisi fortè sic accipiamus inuisibilem Terram, quòd nondum verbo Dei, & protectione visitabatur, quæ hominem non habebat, propter quem Dominus respiceret in eam, sicut scriptum est; Dominus respexit super filios hominum, vt videret, si est intelligens, aut requirens Deum. Psal. 13. *Et alibi ait; De Cœlo iaculatus est iudicium: Terra tremuit, & quieuit.* Psal. 75.

c. *Incomposita, quia aquis madida culturæ apta non erat.*

AMBROSIVS libro primo, capite octauo.

Hęc Terra est, quæ ante erat incomposita. Nondum enim erant maria suo fine distincta; & ideò vago fluctu, & profundo gurgite Terra inundabatur. Considera, quia etiam nunc palustri vligine Terra inhorrere consueuit, nec patiens est vomeris, vbi infusus Terris humor exundat. Erat ergò incomposita, vtpote solertis agricolæ non arata culturis, quia adhuc deerat cultor.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite tertio decimo.

Incomposita autem ideò, quia cùm esset fluxa, non erat apta ad culturam. Et tenebræ erant super abyssum.

d. *Incomposita, quia nondum à mari distincta, animalibusq; minimè erat decorata.*

AVGVSTINVS de Gen. ad lit. libro primo, capite tertiodecimo.

Ideò verò incomposita, quia nondum à mari distincta, & cincta litoribus, & suis foetibus, animalibusque decorata.

e. *Et incomposita, quia aquis præpedita ornatum germinum non habebat.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Eadem itaque causa erat, propter quam Terra & inuisibilis erat, & inornata. Siquidem telluris compositio & apparatus, ipsius est proprius ornatus: ipsiq; iuxta naturam accommodatus, vtpotè, segetes in concauis, & decliuibus locis vbertim prouenientes, prata præuirentia, copiaq; florum, ac varietate depicta, frondosæ valles, & florulentæ, montium denique cacumina syluis vmbrosa. Quorum nondum quicquam ipsa tellus habebat,

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis & vacua, &c.

a. Inanis, quia aquis iactata; Vacua, quia necdum germinibus ornata.

bebat, sed parturiebat quidem omnium ortum, earum planè virium ratione, quæ cùm crearetur, ab opifice sibi fuerant impressæ: operiebatur autem idonea, definitaq; tempora, quod diuino præcepto conceptus suos in lucem, ac fœtus ederet.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite octauo.

Erat incomposita, quia nuda gignentium, nec thoris herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segetibus, nec vmbrosa superciliјs montium, nec odora floribus, nec grata vinetis. Meritò incomposita, quæ ornatibus indigebat, cui deerant vitium serta gemmantium.

ATHANASIVS quæstione octuagesima ex Veteri Testamento.

Quidnam est, quod dicitur. Terra autem erat inuisibilis, & incondita? Responsio; Quia nondum erat vigor, quo exornaretur; infusa nanq; super terram aqua videri non poterat, inuisibilis videlicet & latens. Incondita verò, nec adhuc dum exornata, quia incomposita, & nondum perfecta. Nullus enim illi adhuc vigor erat, nulli flores, vel prata; neque plantæ, vel germen aliquod.

Cap. 13.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo.

Terra autem erat inuisibilis, & incõposita, &c. Nullã opinemur informitatem materiæ, sed terram, & aquam sine luce, quæ nondum erat facta, suis iam notissimis qualitatibus conditas: vt ideò Terra inuisibilis dicta intelligatur, quòd aquis cooperta non posset videri, etiam si esset qui posset videre.

AVCTOR.

Terra inuisibilis & incõposita, cur dicta.

Colligas igitur ex his, quinque caussas, quibus Terra inuisibilis dici posset: Quòd tunc non conditus esset homo, qui eam respiceret. Quòd lux nondum emanasset, qua conspici posset. Quòd ipsa Terra vastissima aquarum mole obrueretur. Quòd si detectam extulisset faciem, minimè aspectu digna fuisset, cùm omnis decoris prorsus esset inops, & expers. Quòd tandem nondum formato homine, caussa non adesset, qua eam Deus respiceret. Colligas & quatuor caussas, quare incomposita haberetur; Quod inextructa nulla germinum, fructuum, florum, odorum, suauitate, formaq; condecoraretur: Quòd uti palustris horresceret, & culturæ apta non esset. Quòd montes, colles, valles, campi, fontes, amnes, lacus sua varietate eam non venustarent. Quòd vastissimis vndiq; iactaretur fluctibus à Mari non disiuncta. Præclarę profectò sunt omnes hæ interpretationes, nec reprehensionem pati posse eas existimo. Inuisibilis siquidẽ fuit Terra, quia cùm quatuor ad prospectionẽ (vt aiunt in Scholis) necessaria sint: facultas videns, medium congruum & illuminatum, obiectumq;, seu res aspectanda, caussaq; tandem potentiam ad operationem impellens, certè nullum istorum quando Terra in eo deformi Chaos sub aquis latitabat, comperiebatur. Primùm non homo, vel animal, quod eam respiceret, cùm nõdum creata essent: deinde sine Sole, Stellarumq; globis, omnia tenebris inhorrescebant; ipsa quoque sub aquis procellis turbata obruebatur: tandem nulla aderat in ipsa pulchritudo, quæ spectantes alliceret, cùm potius madefacta, & cœnosa, horrorem incuteret. Erat pariter & incomposita, inculta, inconditaq;, quia necdum suo in situ considebat seiuncta scilicet ab aquis, sed inter ipsas proiecta vagabatur; necdum erat montibus, collibus, vallibusque distincta; quibus mirificum suscipit splendorem: tandem nec germinibus exornata virescebat; nec floribus quasi gemmis onusta redolebat; nec fructibus suauissimis ditabatur; nec internis in visceribus, auro, argento, lapidibusq; vernantibus venustabatur; neque animantibus, veluti preciosis monilibus, decorabatur.

Quatuor ad visionem necessaria.

a. Inanis, quia aquis iactata: vacua, quia necdũ germinibus ornata.

IVNILIVS Apher in Hexæmeron.

Et meritò inanis & vacua erat Terra: cùm adhuc tota abysso, idest, immensa profunditate tegebatur aquaru.

D. THO-

Terra autem erat inanis & uacua.

a. *Inanis, & vacua; hoc est nihil.*
b. *Vel inanis, hoc est inutilis & infructuosa: Vacua, idest incomposita.*
c. *Siue, Inanis à seminibus: Vacua à germinibus.*
d. *Seu inanis, idest inutilis: Vacua, hoc est sine habitatore.*
e. *Aut inanis, quia sine germine: Vacua, quia sine potentia germinandi.*

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

D. THOMAS prima quæstione sexagesimasexta, articulo primo.
Triplex formositas deerat: propter quòd dicebatur creatura corporalis informis. Deerat enim à toto corpore diaphano, quod dicitur Cælum, pulchritudo lucis. Vnde dicitur, quòd tenebræ erant super faciem abyssi. Deerat autem Terræ duplex pulchritudo. Vna quam habet ex hoc, quòd est aquis discooperta; & quantum ad hoc dicitur, quòd Terra erat inanis & vacua, siue inuisibilis, quia corporali aspectui patere non poterat, propter aquas vndique eam cooperientes. Alia verò, quam habet ex hoc, quòd est ornata herbis, & plantis: & ideò dicitur, quòd erat vacua & incomposita, idest non ornata, secundum aliam literam. Et sic, cùm præmisisset duas naturas creatas, scilicet Cælum & Terram, informitatem Cæli expressit, per hoc quod dixit; Tenebræ erant super faciem abyssi, secundum quod sub Cælo etiam aër includitur. Informitatem verò Terræ per hoc quod dixit; Terra erat inanis & vacua.

LYRANVS etiam eandem explicationem defert.
Inanis, idest, inuisibilis; quia erat vndique aquis cooperta: & vacua, quia non erat adhuc plantis & herbis ornata.

TOSTATVS in prima sua Expositione.
Vel inanis secundum istam positionem, quia nondum erant aquæ separatæ desuper Terram, licet essent perfectæ in sua specie: ideò impediebant ne Terra videretur; vel quia fortè Terra carebat aliqua dispositione necessaria ad hoc, quod esset bene visibilis, quæ dispositio accidentalis postea inducta fuit. Et vacua, idest, carens ornatu arborum, & herbarum.

a. *Inanis & vacua, hoc est nihil.*

STEVCHVS in Cosmopoeia.
Tres igitur habet sensus, Terram fuisse inanem & vacuam, aut quòd propter aquas & tenebras non videretur, aut quòd esset informis, sine plantis, animabus, hominibus, sine luce, sine vlla vita. Aut dicit Terram fuisse inanem & nihil; hoc est, vt postea ex Theologia Iob clarebit, hoc quod fuit postea Terra, antea fuit nihil. Erat Terra nihil: in loco vbi Terra condita fuit, nulla res erat: vanitas, inanitas erat: erat vacuitas, erat rerum carentia: ex quo conuinceretur eorum error, si qui fuerunt, qui siue materiem, siue ipsam Terram æternam asseruissent.

b. *Inanis, scilicet inutilis, & infructuosa: & vacua, idest, incomposita.*

STRABVS in Glossa Ordinaria.
Inutilis, scilicet & infructuosa, & incomposita. Omnia enim elementa commixta & confusa, & totum hoc aëris spatium aquis plenum, non quales nunc sunt, sed sicut nebulæ tenues erant, quales adhuc supercælestes sunt.

c. *Inanis à seminibus: vacua à germinibus.*

HVGO noster, Adnotationibus in Genesim, libro primo, capite primo.
Terra autem erat inanis & vacua: inanis à seminibus; vacua à germinibus.

d. *Inanis, idest inutilis: Vacua, hoc est sine habitatore.*

HVGO Carensis in Postillis.
Inanis, idest inutilis: vacua, idest sine habitatore.

e. *Inanis, sine germine: vacua, sine potentia germinandi.*

HVGO Carensis loco asserto.
Vel inanis, sine germine, idest sine herbis & arboribus. Vacua, sine potentia germinandi. Simul enim

Deus

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis, & vacua.

a. *Id est, Inanis sine dispositione: Vacua sine ornatu.*
b. *Vel, Inanis, quia concaua: Vacua, quia nebula expleta.*
c. *Siue, Inanis à germinibus: Vacua animantibus.*
d. *Seu, Inanis intus seminibus, & mineralibus: Vacua extra germinibus.*
e. *Aut, Inanis intus: Vacua foris.*

Deus terræ dedit & germen, & potentiam germinandi, quando dixit; Germinet terra herbam, &c. id est germen, & potentiam germinandi, quam ei confero, simul recipiat.

a. *Inanis sine dispositione: vacua sine ornatu.*

HVGO Carensis eodem loco.

Vel inanis, id est sine dispositione: vacua, id est sine ornatu: dispositio enim de cohærentibus, ornatus de separatis.

b. *Inanis, quia concaua: Vacua, quia nebula expleta.*

HVGO ipse eodem loco.

Vel inanis propter concauitatem; Vacua, quia in tanta concauitate Terræ non erat nisi aër, & nebula.

c. *Inanis à germinibus: Vacua animantibus.*

RVPERTVS similia edocuit Commentarijs in Genesim, libro primo, capite septimo.

Itaque si diligenter literam consideres, non cum sua, quæ nunc apparet, visibili specie, creata est in principio Terra, sed erat inanis; inanis scilicet ab omni germine, quod nunc in ea radicatur: & vacua, videlicet à cunctis animantibus, quæ nunc in ea mouentur.

d. *Inanis intus seminibus, & mineralibus: Vacua extra germinibus.*

CAIETANVS profundiùs rem ipsam ex Hebræarum vocum phrasi contemplatus est.

Verissimè & perfectè describitur dispositio Terræ, in qua fuit tunc quando creata est: nam pro tunc fuit purum elementum; ac per hoc intus vacua omni semine vegetabilium, & omni vena mineralium, & extra omni herba, ac virgulto, & reliquis, quæ sub aquis sunt modo super terram: nam omnia quæ intus, vel extra continentur in Terra sunt mixta: puris autem existentibus elementis constat & intus, & extra, vacua esse mixtis. Nec superfluè adiunxit Moses vacuitatem vacuitati funditus; quoniam ex primo nomine explicatur, quòd erat totaliter vacua ex seipsa: ex secundo autem, quòd nec à Deo in aliqua sui parte plena fuit, sed quòd & ex se funditus vacua, & actualiter fuit vacua.

LYRANVS quoque in Postillis.

Vacua, quia non erat adhuc plantis, & herbis ornata.

e. *Inanis intus: Vacua foris.*

GLOSSA Interlinearis vnico verbo id est complexa, cùm dixit.

Terra, id est corporalis substantia, erat inanis & vacua ijs, quæ de ipsa erant formanda.

GVLIELMVS Parisiensis de Vniuerso, prima primæ partis, capite quadragesimo.

Duo enim sunt genera plenitudinis, aut plenitudo secundum duas intentiones dicitur. Primò quidem plenitudo quædam interna est, siue intima, & ex illa fiunt exuberantiæ generationum; sicut vides Terram, quasi ex interna plenitudine, & vbertate eructare generationes vegetabilium, & etiam multorum animalium. Secunda plenitudo est exterior, & habitationis, secundum quem modum dicitur Terra repleta adulteris, vel latronibus, vel alijs hominibus. Vtroque autem istorum modorum Terra se habebat; quia nec fœcunda erat, nec habitata.

Inanis

Terra autem erat inanis & vacua.

a. *Inanis, quia nondum finem consequuta: Vacua, locandis rebus.*
b. *Vel Inanis, quia sine incolis: Incompositaq; , hoc est, à Mari non distincta.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Inanis, nondum finem consequuta: vacua, locandis rebus.*

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite primo.

Idcircò Terra inanis & vacua, quia nondum erat vniuersitate creaturarum completa.

LVSITANVS Adnotationibus in Genesim, capite primo, ex phrasi alteram excerpsit speculationem.

Est ergo huius sententiæ sensus; Et Terra fuit, scilicet ante separationem ab aquis, vana & vacua. Vana, inquam, quia nondum erat finem consequuta suum, habitatores scilicet; videbatur enim in vanum facta, quandiu non habebat suos habitatores & cultores. Erat verò vacua, quia suis locatis, aut potius locandis, animalibus scilicet, erat destituta.

VIELMIVS lectione octaua in præfatam vtranque expositionem declinauit.

Dicam luculentius, Vana externæ, quod finem illum consequuta nondum esset, in quem quoque creata fuerat, videlicet, vt vsui animalium deseruiret; qua ratione, & Psalmo secundo dicitur; Et populi meditati sunt inania. Et vacua intus, quia & mineralibus, & alijs rerum seminibus carebat; quorum veluti vterus, & locus est.

b. *Inanis, quia sine incolis: Incompositaq; , à Mari non distincta.*

BEDA in Expositione super Genesim, inter Græcos, & Latinos Patres ludens, ait.

Inanis autem erat Terra, quia non fuit qui habitaret: & incomposita, nondum à Mari distincta.

Et Quæstionibus in Genesim.

Cur inanis & vacua, idest, quia non erat à Mari distincta: vacua, inquit, quia litoribus non erat circumdata, vel vicibus suis ornata, idest arboribus, & animalibus.

Et eadem dixit libro de Sex dierum creatione.

AVCTOR.

Omnes hæ interpretationes adeò in idipsum incidunt, ut ex ipsis una confici queat. Inanis igitur & vacua erat Matrix Terra, quia interni, externiq; ornatus expers erat. Intus, scilicet, cùm in uisceribus, ac immenso suo utero, lapidum, mineralium speciebus careret, & seminibus, virtuteq; ad procreanda germina destituta esset. Extra autem, quoniam ipsis germinibus, quinimmo animantibus, atque accolis hominibus non esset venustata, nec montium, colliũ, fluminũ, lacuũ, fontiumq; amœna varietate exornata. (Terra cur inanis & uacua dicta sit.) Verùm, quod subintulit Caietanus, Terram tunc fuisse purum elementum, arduum est arbitrari: huic enim placito refragantur D. Basilius, Ambrosius, Beda, innumeriq; ex Patribus; qui aërem, ignemq; in Terræ uisceribus latitasse docuerũt. Deinde contra ipsum militat ea euidens ratio, quoniam undiq; circumfusam Terram, circumiactatamq; aquis, madidam, humentemq; saltem eminentiorem partẽ gestasse necesse erat, perfusaq; aquis non potuerit summã siccitatem, quæ ipsi insignis est affectio, obtinere: Quapropter si pura secundum substantiam, non pura secundum qualitatem extare potuit. (Terra illa inanis non fuit purũ elementum.) Iunilius huius inconditi Terræ status caussam retulit, quia scilicet undique eam aquæ obruerant: nam tertia die submotis aquis, cùm arida apparuit, cuncta sua protulit tum intus, tum foris specimina. Ex quibus id consequebatur, quod dixit Strabus, nempè quòd Terra esset inutilis, & infructuosa.

Inanis

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis & uacua.

a. *Inanis, quia labilis: Vacua, quia antris plena.*
b. *Deus ornatus congruos elemētis primùm non dedit, ne increata, & sine principio crederentur.*
c. *Vel, Vt nos doceret primùm facere, postea venustare.*
d. *Cœlum absolutum, Terram autem deformem Deus creauit; Ne in creatione opificem infirmum suspicaremur.*

a. *Inanis, quia labilis: Vacua, quia antris plena.*

Cæterùm à prȩstātissimorum Patrum sententijs non dissentiens, hoc unum superadijciam. Inane certè illud uocatur, quod natat, & non consistit: vacuum uerò quod subsidit. Duas igitur Terræ illius primæuæ, quæ sub aquis recondebatur, conditiones Moses his uerbis explicauit; Alteram, quòd Terræ superficies omnis ferè usque ad intima profunda sua uiscera, lutosa, atque cœnosa ab aquis iactaretur eo modo, quo a torrētibus lutum pertrahi solet; Alterā, quòd quibusdam Terræ partibus, densitatis caussa, persistentibus, reliquæ confringerentur, roderenturq; ab aquarum colluuie, adeò ut ingentes hiatus, cauernæq; formarentur, quȩ postea valles, totq; lacuum, ac uastissimorum gurgitum, mariumq; aluei extarunt. Propter primam igitur deformitatis cōditionem, Terra dicta est inanis, hoc est labilis, & non constans sua in soliditate: propter alteram, uacua, hoc est non ubiq; semetipsa expleta. Hæc Terrȩ erat in eo Chaos conditio; hic aspectus eius horrens, & squallens,

b. *Deus ornatus congruos primùm elementis non dedit, ne increata, & sine principio crederentur.*

AMBROSIVS libro primo Hexȩmeron, capite septimo.

Et fortasse dicant; Cur enim Deus, sicut dixit, & facta sunt; non simul ornatus congruos rebus assurgentibus donauit elementis, quasi non potuerit Cœlum insignitum stellis subitò vt creatum est refulgere, & floribus, ac fructibus Terra vestiri? Potuit vtique, sed ideò primò facta, postea composita declarantur, ne verè increata, & sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratæ ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita Terra legitur, & iisdem à Philosophis æternitatis, quibus Deus priuilegijs honoratur: quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum addicta naufragio; & adhuc à nonnullis facta non creditur: quid si decorem primogenitum vendicaret?

Nonnulla ex his sumpsit Glossa Locupletata.

c. *Ut nos doceret primùm facere, postea venustare.*

AMBROSIVS loco asserto.

Accedit illud, quòd imitatores sui Deus nos esse voluit, vt primò faciamus aliqua, postea venustemus: ne dum simul vtrunque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit. Ideò primò fecit Deus, postea venustauit, vt eundem credamus ornasse qui fecit, & fecisse qui ornauit: ne alterum putemus ornasse, alterum creauisse; sed eundem vtrunque esse operatum, ut primò faceret, postea componeret, ne alterum sine altero crederetur.

d. *Cœlum absolutum, Terram autem deformem Deus creauit; Ne in creatione opificem infirmum suspicaremur.*

CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia secunda.

Terra autem, dicit, Inuisibilis erat, & inculta. Cuius gratia, dic quæso, Cœlum clarum, & absolutum creauit: Terram autem informem effecit? Neque hoc temerè factum: sed, vt cum didiceris meliorem creationis partem ab eo formatam & absolutam, postea neque de alijs dubites, neque putes tale quid virtutis infirmitate factum.

PRO-

Terra autem erat inanis & vacua, &c.

a. *Cælum absolutum, Terram deformem creauit Deus; ne mortales Terræ beneficijs illecti, plusquam dignum est, eam venerarentur.*

b. *Deformitatem Terræ describit Moses, prætermisso Cęlo, quia id de Empyreo dici non potuit, cùm suis incolis, hoc est, Angelis mox fuerit impletum, & Dei maiestate splenduerit.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Qui fit autem, quòd Cęlum perfectum, & absolutum proposuit Deus, & Terram paulatim artificiosa manu exornauit secundum Scripturæ testimonia? Caussa in promptu est. Vt cùm videas in potentiore, & artificiosiore elemento creando, eius vim intelligas, quòd & Terram potuisset, si voluißet, perfectam, & omni ex parte consummatam nobis illicò dare.

a. *Cælum absolutum, Terram deformem creauit Deus; ne mortales Terræ beneficijs illecti, plusquam dignum est, eam venerarentur.*

CHRYSOSTOMVS Homilia præcitata.

Ad hæc, & alia ratione deformem Terram creauit, quoniam ipsa est nutrix, & mater nostra; & ex ea facti sumus, ac educamur, ipsaque nostra patria est, & commune sepulchrum, (reditus enim noster ad eam est) & varijs per eam bonis fruimur. Ideò, vt ne homines ob vsus necessitatem plusquam dignum est, eam venerentur, ostendit primùm rudem, & absque forma, & inexpolitam: vt ne beneficia Terræ, telluris naturę imputes: sed ei tribuas, qui illam ex nihilo, vt esset, creauit: propter hoc ait; Terra autem erat inanis & vacua.

PROCOPIVS loco asserto.

Terra propter te, tuamque salutem primò prodijt inculta, & squallida: Terra enim communis est mensa, communis Patria, nutrix, & mater omnium: ciuitas, & sepulchrum commune. Ne igitur maxima, quæ suppeditat, commoda considerans, & quòd sine ea viuere non possemus, reputans, eam inter Deos censeres referendã, euidenter denunciat illam à primordio fuiße informem, immundam, fœdamque visu. Quam vtilitatem cernentes, magis admiremur eum, à quo & condita, & suo decore expolita est.

b. *Deformitatem Terræ describit Moses, prætermisso Cœlo, quia id de Empyreo dici non potuit, cùm suis incolis, hoc est, Angelis mox fuerit impletum, & Dei maiestate splenduerit.*

IVNILIVS in Hexæmeron.

Vt quid enim hæc de Terra, prætermisso Cęlo, intulit? nisi quia de Cęlo nil tale intelligi voluit. Ipsum enim est Cœlum superius, quod ab omni huius Mundi volubili statu secretum, diuinæ gloria præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro Cęlo, in quo posita sunt luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus Scriptura, quomodo, vel quando sit factum, declarat. Non ergo superius illud Cœlum, quod mortalium est omnium inaccessibile conspectibus, inane creatum est, & vacuum, vt Terra, quæ nil in sua prima virentium germinum, & viuentium produxit animantium creatione: quia nimirum suis incolis mox creatum; hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est. Et post. *Meritò itaque Cęlum Cęli non inane, & vacuum esse factum memorat. Sed nec tenebris in eo, vel abysso locus remanere vllus perhibetur, quod Dominus illuminat, & cuius lucerna est agnus.*

GLOSSA Ordinaria.

Quod, vel quale Cœlum in principio cum Terra factum est, ostendit. Hoc enim de Terra subdit, quod de Cęlo intelligi voluit. Hoc enim superius Cęlum, quod à volubilitate Mundi secretum est, mox vt creatum est, sanctis Angelis est impletum: quos in principio cum Cęlo & Terra conditos testatur Dominus, dicens Iob; Vbi eras, cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Astra matutina eosdem Angelos, & filios Dei vocat. De Cęlo enim, in quo posita sunt luminaria, quomodo, vel quando factum sit, postea dicit. Iob 38.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite septimo.

Creatis, inquit, Cęlo & Terra, Cęlum quidem non omni ornatu inane, vel vacuum erat, quippe quod ex lumine diuinæ maiestatis resplenduit, sicut ad illius similitudinem Cęlum istud visibile, & aër, Solis huius refulgent lumine; verùm terra, idest corpulenta substantia, inanis erat, & vacua. Non quidem ipsa à diuina magnitu-

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis & vacua.

a. *Deformitatem Terræ describit, & non Cœli; quanquam non dissimilia de Cęlo dici potuissent.*

Isa. 6.

magnitudine remota erat, cùm de illa verissimè Seraphin clament, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Plena est omnis Terra gloria eius; sed eam maiestas eadem, etsi iam potestate, non tamen actu impleuerat, vel ornatu.

a. *Deformitatem Terræ describit, & non Cœli; quanquam non dissimilia de Cœlo dici potuissent.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Qui factum putas, vt vtrisque citra alterutrius discrimen, & delectum iam conditis Cęlo, Terraque, Cælum quidem suis constitit partibus perfectum, Terra autem imperfecta, atque inculta? aut quid illud omninò est, Terram inornatam fuisse, & inconditam? quam item ob caussam inconspicua erat & inuisibilis? Sanè is apparatus, ea demum structura Terræ exacta fuisse censetur, atque perfecta, cùm vberem ex se primùm edidit fructuum copiam, cùm ex ea omnigenum stirpium suppullulauit, & emersit omnimoda germinatio, quando arborum altissimarum, tam fructuosarum, quàm quæ sunt infrugi, primigeniæ eruptiones emicuerunt: quando itidem florum perquàm amœni colores, odores quoque suauissimè fragrantes, cæteraque id genus omnia, quæ paulò post è Terra, Dei præcepto exorta, suam condecorarunt parentem. Horum sanè quando nihil dum se è Terra exeruisset, hanc non iniuria nuncupauit sermo hic ἀκατασκεύαστον, inornatam. De Cœlo etiamnum dicere licuerit non admodum dissimilia, quando idipsum excultum nondum erat, aut perpolitum. Necdum enim se decentem ornatum obtinebat, quippè quod non iam splendescebat radiosissimo Sole, Lunaque circumfusum, at neque stellarum choris, tanquam sertis redimibatur. Neque enimdùm istiusmodi erant condita. A veritate igitur nihil aberraueris, Cęlum quoque si dixeris fuisse inconditum.

AVCTOR.

Ambrosij & Chrysostomi obseruationes tropologicę sunt.

Basilij & Iunilij obseruationes sibiinuicem aduersantur.

Obseruationes hæ quas detulerunt hi Patres, tropologicæ potius, quàm literales censendæ sunt, maximè duæ primæ Ambrosij, & duæ sequentes Chrysostomi, & Procopij. Quapropter de ipsis iudicium ferre non est opportunum. Cæterum duæ postremę, quas literales esse existimo; contrariæ adinuicem, repugnantesque sunt. Iunilius Cœli deformitatem, Mosem non narrasse tradit, quia Cœlum iam erat perfectum, & numeris omnibus absolutum: econtrà Basilius, Cœlum etiam ipsum nondum fuisse excultũ, aut perpolitũ, nec decentẽ ornatũ obtinuisse perhibet; quippè quòd non clareret Sole, Luna, atque stellarum choris: Verùm discrepantia ista ex eo oritur, quòd diuersam hi Patres de Cœlo in exordio temporum producto, habuerint sententiam. Iunilius voluit illud extasse Empyreum, quod & Angelis mox impletum fuisse censuit: & Rupertus diuinæ maiestatis lumine, seu præsentia splenduisse maluit. Basilius autem, non Empyreum, sed supremum Orbem, vel (vt Damascenus dixit) Cœlum instellare, atque luminibus vacuum ipsum extasse arbitratus est. Quapropter si Cœlum illud Empyreum fuit, certè deformitatem nullam habuisse censendum est; ac propterea consimilia ijs, quæ de Terra dicta sunt, de ipso proferri haud potuere. Si verò orbis fuit supernus, cùm non irradiaretur astrorum aliqua luce, meritò incongestum, incultumque dici potuit. Verùm iam supra definiuimus Mosem Empyrei, Angelorumque mentionem prætermisisse, tantumq; Mundi sensilis effectionem narrasse: vnde sequitur, quòd similia potuisset de Cœlo scribere ijs, quæ de Terra tradidit; quandoquidem & Cœlum quarto die exornandum esset. Quare autem id non fecerit, Patres prætermiserunt.

Terra,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inanis, & uacua.

a. *Terra, nomen est elementi huius, quod terimus, non materiæ; & Terram mox creatam significat, non materiem æternam.*

b. *Erat, non absq; principio, & ab æterno, tanquam hyle, & materia rerum; sed erat ex quo facta est.*

a. *Terra, nomen est elementi huius, quod terimus, non materiæ; et Terram mox creatam significat, non materiem æternam.*

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenē, quæ fuerit Hermogenis sententia huius loci; Terra autem erat incomposita, his primùm narrat. Cap. 23.

Hermogenes ex sequentibus argumentatur; quia scriptum sit: Terra autem erat inuisibilis, & incomposita. Nam & Terræ nomen redigit in materiam, quia Terra sit, quæ facta est ex illa. Et Erat in hoc dirigit, quasi quæ semper retrò fuerit innata, & infecta. Inuisibilis autem, & rudis: quia informem, & confusam, & inconditam vult fuisse materiam. Has quidem opiniones eius sigillatim reuincam.

Deinde, quid Terrę nomine Hermogenes interpretetur, sic exponit. Cap. 25.

Vult igitur duas proponi Terras in ista Scriptura; vnam, quam in principio Deus fecit: Aliam, materiam, ex qua fecit: de qua dictum sit; Terra autem erat inuisibilis & rudis. Vtique si quæram ex duabus, quæ cui nomen Terræ accommodare debeat? dicetur, hanc quæ facta sit ex illa, ex qua facta est, vocabulum deriuasse; quia verisimilius sit ab origine sobolem potius, quàm originem à sobole vocitari.

Et post sic eam confutat.

Si nomen proprium materiæ illius fuit Terra, hæc quæ non est materia, aliud scilicet facta, Terræ quoque non capit nomen alienum, & statu suo extraneum. Sed materia facta, idest Terra, habuit cum sua origine consortium nominis, sicut & generis. Non audio. Nam & testam, licet ex argilla confectam, iam non argillam vocabo, sed testam: & electrum, licet ex auro, & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec auru appellabo, sed electrum: à cuius habitu quod diuertit, pariter & à vocatu eius recedit, appellationis, sicut & conditionis proprietate. Quàm autem transierit de statu Terræ illius, idest materiæ, ista Terra, vel eò palam est, quòd hæc apud Genesim testimonium boni accipit: Et uidit Deus, quia bonum: illa autem apud Hermogenem in originem & caussam malorum deputatur. Postremò si ideò hæc Terra, quia & illa, cur non & materia hæc quoque, quia & illa? Immò iam & Cęlum, & omnia, si ex materia constant, & Terræ, & materiæ vocari debuerunt.

b. *Erat, non absq; principio, & ab æterno, tanquam hyle, et materia rerum; sed erat, ex quo facta est.*

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem, capite vigesimo septimo.

Terra erat inuisibilis & rudis. Sed tu, ò Hermogene, supercilio capitis, & nutu digiti accommodato altiùs tollens, & quasi retrò iactans: Erat, inquis, quasi semper fuerit, scilicet innata, & infecta; & idcircò materia credenda. At ego sine vllo lenocinio pronunciationis, simpliciter respondebo, de omni re posse dici, Erat, etiam de ea, quæ facta, quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, & quæ materia non sit. Omne enim quod habet esse, vnde habeat, siue per initium, siue sine initio, hoc ipso quod est, etiam Erat, dicetur. Cui competit prima verbi positio in definitionem, eiusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. Est definitionis caput, Erat, relationi facit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite septimo.

Terra autem erat inuisibilis, & incomposita. Quid est erat, nisi ne forte in infinitum, & sine principio extendant opinionem suam, & dicant; Ecce, quia materia, idest hyle, sicut Philosophi dicunt, etiam secundum Scripturam diuinam non habuit initium? Verùm hoc dicentibus respondebis, quia scriptum est; Erat autem Cain operarius Terræ. Et de eo, qui Iubal dictus est, habet Scriptura; Hic erat pater, qui demonstrauit Psalterium, & Citharam. Et homo erat in Ausitide regione, cui nomen Iob. Desinant ergo de verbo quæstionem mouere, cùm præmiserit Moyses, quia fecit Deus Terram. Erat ergo, ex quo facta est. Gen. 4. Ibidem. Iob. 1.

Declarat subinde Ambrosius non posse de Terra dici, quòd erat ante Mundum, quia locus, in quo esset, mente concipi non potest.

Nam si sine principio eam dicunt esse, iam non solum Deum, sed etiam hylen sine principio dicentes, desiniant

niant vbinam erat? Si in loco, ergo etiam locus sine principio fuiße astruitur; in quo erat materia rerum, quæ principium non habebat. Quod si absurdum videtur de loco credere, videte ne fortè volatilem Terram debeamus æstimare, quæ non habens fundamentum, alarum remigijs suspendebatur. Vnde ergo ei alas sumimus, nisi fortè huc deriuemus prophetici sermonis interpretationem: A pennis Terræ prodigia audiuimus. Et illud; Væ Terræ nauium pennæ? Sed hoc si accipiamus, in quo aëre volabat Terra? sine aëre enim volare non poterat. Sed aër adhuc esse non poterat, quia non erat. Esse non poterat, quia non erat sine rerum materia elementorum facta distractio, cùm ipsa adhuc elementa facta non essent. Vbi ergo erat materia ista alarum suffulta remigijs? in aëre non erat, quia aër corpus est Mundi. Corpus autem esse aërem docet lectio, quia emissa sagitta in locum quem iaculator intendit, incisus aër statim in seipsum resolutus est. Vbi ergo erat hyle, nisi fortè dicatur quadam dementi intentione, quia in Deo erat? Ergo Deus, qui est inuisibilis naturæ, atque inuiolabilis, qui lucem habitat inaccessibilem, incomprehensibilis, & purissimus spiritus, locus erat materiæ mundialis, & erat in Deo Mundi portio, cùm de hoc Mundo non sit nec mens seruulorum eius, sicut habemus scriptum; De hoc Mundo non sunt, sicut & ego non sum de Mundo. Ioan. 17.

THEODORETVS Quæstione quarta in Genesim.

Si Terra erat, quomodo creata est? ait enim qui scripsit, Terra autem erat. Leuis nimium, & stolida quæstio. Nam qui dixit, In principio creauit Deus Cœlum, & Terram; non æternam dixit esse Terram, sed post Cęlum, aut cum Cęlo creatam esse. Alioqui nec absolutè dixit Scriptor, Terra autem erat: sed quod sequitur subiunxit, Terra autem erat inuisibilis, & incomposita; hoc est, creata quidem est à Deo omnium conditore, sed adhuc inuisibilis erat, aquis nempè circundata: & incomposita, eò quod nondum ornata erat germinibus, nęque consita pratis, nemoribus, & segetibus.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quarto.

Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei ferebatur super aquam. Ab Hæreticis, qui Veteri Testamento aduersantur, moueri calumniam huic loco solet, cùm dicitur; Quomodo in principio fecit Deus Cœlum & Terram, si iam Terra erat? Non intelligentes hoc esse subiectum, vt exponeretur, qualis Terra fuerit, de qua iam dictum est: Fecit Deus Cœlum & Terram. Hæc autem Terra, quam Deus fecit, inuisibilis erat, & incomposita, donec ab eodem ipso discerneretur, & ex confusione in rerum certo ordine constitueretur.

Et de Genesi contra Manichæos libro primo, capite tertio.

Quod autem sequitur in libro Geneseos; Terra erat inuisibilis, & incomposita: sic reprehendunt Manichæi, vt dicant: Quomodo fecit Deus in principio Cœlum, & Terram, si iam terra erat inuisibilis, & incomposita? ita cùm volunt Scripturas diuinas prius vituperare, quàm noße, etiam res apertissimas non intelligũt. Quid enim manifestius dici potuit, quàm hoc dictum est; In principio fecit Deus Cęlum, & Terram, Terra autem erat inuisibilis, & incomposita; idest, In principio fecit Deus Cęlum, & Terram, Terra autem ipsa, quam fecit Deus, inuisibilis erat, & incomposita, antequam Deus omnium rerum formas locis, & sedibus suis ordinata distinctione disponeret: antequam diceret: Fiat lux, & fiat firmamentum, & congregentur aquæ, & appareat arida: & cætera, quæ in eodem libro sic exponuntur per ordinem, quemadmodum possint ea paruuli capere. Quæ omnia continent tam magna mysteria, vt quisquis ea didicerit, omnium Hæreticorum uanitatem vel doleat, quia homines sunt, vel derideat, quia superbi sunt.

PROCOPIVS Comm. in Gen. capite primo.

Impius, & Deo rebellis Manes, inquit; Verbum substantiuum, Erat, significat Terram fuisse materiam increatam. Quod si ita est, cur non videt priore loco positum esse verbum, Fecit, quod antecedit Erat. Nec præterea verbum Erat, semper æternitatem denotat, vt disci potest ex illo loco; Eratq; vir ille maior omnibus filijs Orientalibus. Forsitan docet Terram fuiße inconspicuam, quia humanus oculus eam nondum conspexerat: aut si potuisset videri per se, attamen nondum erat lux, quæ tenebris inuoluta aperit, & visenda exhibet. Quòd indigestum significet id, quod ornatu caret, vel ex hoc loco cognosci potest: Faciens melius præparaui te tanquã lutum figulus. Vt figulus lutum informe facile ad quoduis vas formandum pro arbitrio accommodat; sic ego lutum è Terra accipiens, in meliorem conditionem transformaui, adeò vt impossibile sit mortalibus explicare ex quali qualis sis natus. Iob. 1.

a. Ruditas hic describitur Terræ mox creatæ, non Terræ, vel materiæ ingenitæ.

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem.

Magna scilicet quæstio est, si erat Terra, quæ facta est. Sanè discutiendum, an ei competat inuisibilem, & rudem fuisse, quæ facta est, an ei ex qua facta est, vt eiusdem sit erat, cuius & quod erat. Atquin non tantùm probabimus istum habitum huic Terræ competisse, sed & illi alij non competisse. Nam si nuda materia Deo subiacebat, nullo scilicet elemento obstruente: siquidem nondum quicquam erat præter ipsam & Deum: vtiq; inuisibilis esse non poterat. Quia etsi tenebras volet in substantia fuisse materiæ (cui articulo respondere debebimus

Terra autem erat inanis & vacua.

a. *Ruditas hic describitur Terræ mox creatæ, non Terræ, vel materiæ ingenitæ.*

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

bebimus suo ordine) etiam homini tenebræ visibiles sunt, hoc enim ipsum quod sunt, tenebræ videntur, nedum Deo. Et vtique si inuisibilis esset, nullo modo cognosceretur qualitas eius. Vnde ergo compertus est Hermogenes informem, & confusam, & inconditam illam fuisse, quæ vt inuisibilis latebat? aut si hoc à Deo reuelatum est, probare debet. Sic & an rudis dici potuerit, expostulo. Certè enim rude illud est, quod imperfectum est: certè imperfectum non potest esse, nisi quod factum est: Quod enim minus factum est, imperfectum est. Certè, inquis. Ergo materia, quæ facta non erat, in totum imperfecta esse non potuit. Quæ imperfecta non fuit, etiam rudis non fuit. Initium non habens, quia facta non fuit, caruit & rudimento. Initij enim accidens est, rudimentum. Terra verò, quæ facta est, meruit & rudis dici. Statim enim vt facta est, habuit imperfectę locum, ante perfectionem.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Sed veritatis deprauatores non suam mentem accommodantes Scripturæ, sed ad suam voluntatem, mentem Scripturarum trahentes, ac peruertentes, materiam hisce verbis innui dicunt. Hæc est enim, & inuisibilis (inquiunt) & inornata suaptè natura: quippè cùm omni prorsus qualitate careat suomet genio & conditione, atque ab omni penitus forma, figuraque sit separata, quam opifex Vniuersi sumptam per suam sapientiam informauit, & in ordinem, statumque elementi redegit: atque ita per ipsam, rerum earum omnium, quæ conspiciuntur, essentias fecit.

Progreditur Basilius pluribus rationibus impiæ huius sententiæ errores eliminare. Quarum prima ea est; quoniam si Terra ingenita, immortalisq; esset, omninò vt Deus foret colenda, quod quidem quàm absurdum, execrandumque sit, quis non videt? Hanc sic declarat.

Si igitur ingenita est Terra, nec vlla prorsus ipsius extat origo; primùm quidem peræquè ac Deo tribuendus illi venit honos eximiæ dignitatis: quo quid magis impium fieri potest? Terram, inquam, ipsam qualitatis omnis expertem, forma penitus carentem, informitatem extremam, turpitudinem (ijs ipsis vtor nomenclaturis) nullis adumbratam typis, eodem statu supremo, ac præeminenti, quem sapiens, & potens, & formosissimus opifex, creatorque rerum omnium, sibi suo iure vendicat, dignam esse existimare?

Altera autem ratio est, quia non fuisset æquipollens Dei omnipotentiæ, ac scientiæ, & si maior extasset, imbecillis ipse Deus esset iudicandus; sin verò minor, ex materiæ defectu non potuisset id efficere, quod proposuerat. Hanc igitur rationem his defert.

Deinde enim consequitur eam tantæ esse quantitatis, vt totam suscipiat scientiā Dei; hoc quoque pacto substantiam ipsius æqualem aliquo in modo inuestigabili Dei potentiæ, facultatique ex aduerso opponunt: siquidem Dei ex sese prudentiam totam metiri possit. Quòd si minor materia sit operatione diuina, hoc etiam sanè pacto in absurdius longè maledictum in Deum, hæc ipsorum sententia vertetur, ac recidet, eò quòd ociosum Deū, & ab actione suorum operum, creationeve, propter materiæ defectionem remorentur per eiusmodi impium dogma, ac detineant.

Concludit tandem.

At humanæ naturæ paupertas illos decepisse videtur. Et quoniam humanis in rebus singulæ artes circa aliquam materiam definitè versantur, vt fabrorum ferrariorum quidem facultas circa ferrum, fabrilis autem circa ligna: atque in his aliud quidem est ipsum subiectum, aliud forma, aliud item id quod ex forma conficitur, & materia quidem forinsecus assumitur, forma verò accommodatur ab arte: effectus denique est id, quod ex vtrisque componitur, ex materia, inquam, & forma. Ad eundem modum, & in operatione diuina vsu iam euenisse putarunt: Mundi quidem figuram, à Creatoris omnium allatam sapientia; materiam autem aliunde opifici administratam, ac subiectam fuisse; & Mundum ipsum ex hisce compositum emersisse, subiectum habentem quidem, & essentiam aliunde, figuram verò, ac formam à Deo accepisse.

Enimuerò Patres eruditissimi, atque præclarissimi, Scripturam sacram explanantes, cuncta ea loca, quæ Philosophi vetusti, Hæreticique quamplures, ad suas hæreses, & erroneas sententias astruendas diripiunt, atque extorquent; mirifico studio obseruant. Cùm autem Philosophi, Hæreticique permulti ex his verbis; Terra autem erat inuisibilis,

Patrum diligentia in explicanda Scriptura sacra.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Terra autem erat inuisibilis & incomposita.

a. Non memoratur aqua exercitationis ingenij caussa, sed cointelligitur.
b. Vna, eademq; fuit caussa, aqua nempe, quòd terra esset inuisibilis, & incomposita.

bilis, & incomposita, plura elicerent, tanquam sibi fauentia ad famosam ipsorum de materia ingenita assertionem comprobandam: hinc est, quòd diligentiùs Patres in his bene explicandis, & expositionibus Hæreticorum reijciendis immorantur. Tria autem ex hoc loco depromebant pro sua opinione Materiarij Hæretici: Primum quòd Terra materiem significaret; alterum quòd verbum Erat, eius æternitatem notificaret; postremũ, quòd verba ea, inuisibilis, & incomposita, eius ruditatem demonstrarent. Contra primum, & tertium, Tertullianus libro aduersus Hermogenem primo, prolixiùs disputat, & Basilius hoc loco, vt supra retulimus. De secundo audiuimus Ambrosiũ, Tertullianum ipsum, Theodoretum, & Procopium. Hinc colligitur quantum non oscitanter euitandæ sint illæ interpretationes, quę huic videntur fauere sententiæ, vtpotè illa Rabbinorum, qui exponebant; In principio creauit Deus Cœlum & Terram, Terra autem erat inanis, & vacua: hoc est in principio creandi Cęlum & Terram: Terra erat inanis, & vacua. Ita enim facilè interpretari possemus; In principio creandi Cœlum & Terram hanc nostram; Terra, hoc est materies ingenita, erat inanis, & vacua. Ex his quoque animaduerti potest, quòd non ita scienter, & propriè plures Terræ nomine materiam interpretantur, seu materiam primam natura tantùm præextantem, seu materiem, hoc est, massam rudem, & inconditam actu congestã. Nam concessis consimilibus expositionibus, difficulter hanc Hæreticorum reijcere possumus, quoniam pari pedum gradu incedunt.

Quæ Hæretici ex his verbis, Terra erat inanis, depromebant. a cap. 23. ad 28.

Quæ interpretationes vitandę.

a. Non memoratur aqua exercitationis ingenij caussa.

Non memoratur hoc loco aqua, sed tacetur exercitationis ingenij caulsa; subintelligitur verò, quia Terra neque igne, neque aëre inuisibilis fieri poterat, & inornata; sed Aqua.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Multa sanè obticuit, vt ignem, aërem, aquam, & ex his ipsis emergentes inferiorum corporum affectus, quæ cuncta quidem Mundum simul cum alijs velut absoluentia, manifestè cum vniuerso substitere: omissa tamen de industria sunt, vt ad solertiam sese noster exerceat animus, atque ex paucis, veluti principijs, ea quæ restant, expendat. Itaque cùm dictum quidem non sit aquam Deum fecisse; dictum autem sit inuisibilem esse Terram, cogitare tute ipse, considerareque velis, quo velamine terra operta conspicua non fuerit. Nec igitur ignis operire poterat terram. Illuminare enim ignis potius, & illustria reddere ea corpora quibus est præsens, quàm tenebris obscurare solet. Non item aër terræ tum erat velamen. Est enim aëris perrara, transparens, & pellucida natura, rerumque omnium visibilium acceptas formas ad intuentium oculos, aspectusque transmittit. Restat ergò, vt intelligamus aquas super telluris superficiem inundasse, antequam ad propriam stationem, sortemve humoris substantia segregaretur, atque ex eo terram tum non solum inuisibilem, sed inornatam etiam fuisse: quippè cùm humoris exuperatio etiam nunc gignendis, ferendisque fructibus, impedimento terræ soleat esse.

THEODORETVS Quæstione in Genesim quinta.

Equidem cùm dixerit; Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum; demonstrauit cum terra creatas simul esse aquas.

b. Vna eademq; fuit caussa, aqua nempe, quòd terra erat inuisibilis, & incomposita.

BASILIVS Homilia præcitata.

Eadem itaque caussa erat, propter quam terra & inuisibilis erat, & inornata. Siquidem telluris compositio, & appa-

Et Tenebræ erant super faciem Abyssi.

a. Legendum est Obscuritas; seu Tenebra, non Tenebræ.
b. Potuit dimitti vocula illa, Facies.
c. Legendum est super Facies, non super Faciem.
d. Thethoh, Profundum significat, siue Abyssum.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

& apparatus, ipsius est proprius ornatus: ipsiq; iuxta naturam accommodatus, vtpotè, segetes in concauis, & decliuibus locis vbertim prouenientes, prata pręuirentia, copiaq; florum, ac varietate depicta, frondosę valles & florulentæ, montium denique cacumina syluis vmbrosa. Quorum nondum quicquam ipsa tellus habebat, sed parturiebat quidem omnium ortum, earum planè virium ratione, quę cùm crearetur, ab opifice sibi fuerant impressæ: operiebatur autem idonea, definitaque tempora, quò diuino præcepto conceptus suos in lucem, ac fœtus ederet.

Et Tenebræ erant super faciem Abyssi.

Hebraica lectio habet, Vehosech, alpene, thehom, idest; Obscuritas, siue tenebræ super faciem Abyssi.

Chaldaica, eodem modo legit sicut & nostra; Et tenebræ super faciem Abyssi.

Septuaginta Interpretes verterunt; Et tenebræ super Abyssum: vt in Biblia Regia. Nã Græca editio legit καὶ σκότος ἐπάνω τῆς ἀβύσσου, idest, Et tenebræ super Abyssum.

Editio nostra transtulit; Et tenebrę erant super faciem Abyssi.

Pagninus, & Vatablus; Tenebræ erant in superficie voraginis. Lusitanus; Et obscuritas super superficies Abyssi. Caietanus; Et obscuritas super facies Abyssi.

Commentatores, qui Pædagogiam literæ prosequuntur, de editione, significatione, & constructione nonnulla animaduertunt.

a. Legendum Obscuritas, seu Tenebra, non Tenebræ.

LVSITANVS Commentarijs in Genesim.

Non puto esse necessarium nomen singulare Chosech, idest, Obscuritas, vertere in plurale, scilicet Tenebræ. Cùm enim sermo Latinus habeat singulare respondens Hebraico, non arbitror esse necessarium plurale vsurpare.

CAIETANVS oppositum edocet.

Quia Latini caremus singulari nominis Tenebrę; ideò Interpres transtulit pluraliter, Tenebræ.

b. Potuisset dimitti vocula, Facies.

STEVCHVS Commentarijs in Genesim, de Constructione.

Facies dimitti poterat, sicut omittitur à Septuaginta, qui hunc locum vertunt, Et Tenebræ incumbebant super Abyssum. Et quemadmodum ipse noster Interpres omisit ibi; Spiritus Domini ferebatur super aquas: Hebraicè enim dicitur, Super facies aquarum. Solent ergo Hebræi his aduerbijs Contra, & Super, vt plurimum adiungere Faciem, dicentes, Contra Faciem deserti, Contra Faciem firmamenti; & Super Faciem Terræ, Contra Faciem Terræ.

c. Legendum esse super Facies, nõn super Faciem.

CAIETANVS.

Et quia dictio interpretata Facies, caret singulari apud Hebręos; ideò in textu Hebræo habetur Facies in numero plurali.

d. Thethoh, Profundum significat, seu Abyssum.

LVSITANVS de Significatione.

Nomen verò Thethoh, idest, Vorago, significat propriè locum infimum profundarum, & nonnunquam profunditatem ipsam aquarum. Isaiæ enim quinquagesimoprimo habetur; Nonne tu siccare fecisti Mare, aquas Thethom, idest, Abyssi, seu profunditatis magnæ, seu multæ.

CAIE-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Tenebræ erant super faciem Abyssi.

a. In Hebræo non haberi, Erant.
b. Et, pro Quia, legendum est.

CAIETANVS.

Abyssi nomen quamuis Græcum, quia tamen vsurpatum est à Latinis, & Hebraicę dictioni consonat, libenter acceptamus.

a. In Hebræo non haberi, Erant.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Nec inuenitur ibidem aliquod verbum; sed verbum, Fuit, ante positum, seruit vtrique particulæ; præcedenti scilicet, & huic.

b. Et, pro Quia, legendum esse.

VIELMIVS lectione octaua.

Si Septuaginta sequeremur, non esset insulsus commentarius: si rursum Et, pro Quia, nunc quoque interpretaremur, essetq; huius periodi sensus. Terra erat incomposita, & inuisibilis, quia Tenebræ erant super faciem Abyssi.

AVCTOR.

Ego ex his elicio, non adeò discrepantes esse translationes has à nostra, quin eam sectari non possimus. Quapropter id tantùm mei muneris esse arbitror, vt ex his discretis, diuersisq; editionibus ea adnotem, quæ nostram calumniare existimantur. Principio itaque nostram editionem nonnulli redarguunt, quoniam in Hebraica, & Chaldaica lectione, Obscuritas, pro Tenebræ, positum sit; idq; Caietanus, & Lusitanus non sine ratione factum putant; tùm quia vox Chosech singularis numeri sit; quare potius Tenebra, quàm Tenebræ verti debuerit; seu Obscuritas, quàm Obscuritates; tũ etiam quia cùm vox eamet, & Tenebras, & Obscuritatem significet, aptiùs visum sit Obscuritas vertendum esse, quàm Tenebra: nam Tenebra obumbrationem lucis significatione sua demonstrat; Obscuritas verò omnimodam lucis carentiam; primaq; illa ac profundissima caligo Mundo offusa non ex lucis obumbratione, sed ex omnimoda carentia extiterit. Verùm id omne, meo iudicio, parum refert, nostramq; editionem immeritò isti reprehendunt. Siquidem esto, quòd vox illa Chosech, tantùm minoris sit numeri; attamen, quia Latinum idioma singulari caret huius nominis Tenebræ, pulcherrimè & eleganter Tenebræ, non Tenebra verti debuit, vt Septuaginta, & Pagninus etiam legerunt. Deinde Tenebrarum vox, etiam pro omnimoda lucis carentia passim capitur, præcipuè apud Patres. Cæterum quòd Septuaginta, pro Erant, interpretati sint Incumbebant; id non ex vocis significatu, sed ex descriptionis libertate; cùm nullum existeret in Hebraica lectione verbum, facere præsumpserunt. Quòd autem voculã, Super faciem, abstulerint, non multum interest. Solent profectò Hebræi, aduerbijs, Cõtra, & Super, vt plurimum adiungere Faciem, dicentes: Contra faciem deserti; & Supra faciem deserti; Contra faciem Terræ, & Super faciem Terræ; pro eo quod est, Contra Terram; & Supra Terram. Græca autem in editione, is dicendi tropus negligi potuit. Quòd autem Pagninus dixit, in superficie voraginis, & non Abyssi, nullius est ponderis; quoniam Thehom æquè significat abyssum, & voraginem; & vorago & abyssus in eandem trahuntur significationem. Quòd Lusitanus & Caietanus, Super superficies, seu Facies legant, & non Faciem, quasi (Alpenè) vox Hebraica, pluralis sit numeri, non multum refert; quia & sæpe in singularem rapitur, vt editio nostra, Septuaginta

Defenditur nostra Editio circa vocẽ Tenebræ.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Tenebræ erant.

a. *Tenebræ, hoc est, Idæa aëris.*
b. *Vel, Angelica natura non conuersa ad Deum.*
c. *Siue Materię primę confusio.*

ta Interpretes, Pagninus, Lippomanus, & alij sumpserunt. Superest igitur, vt nostræ editioni inhærentes, quid hoc loco contemplentur Patres, perpendamus.

Et Tenebræ erant.

Rapitur Tenebrarum significatio in plures, & repugnantes sensus.

a. *Tenebræ, Idæa aëris.*

PHILO de Mundi Opificio, Platonem forsitan subsequutus (sæpe enim Platonizat) sic inquit.

Itaque ante omnia Conditor fecit in Mundo intelligibili Cęlum incorporeum, & Terram inuisibilem, & aëris idæam, & vacui: hunc vocauit tenebras, vtpotè atrum naturaliter.

b. *Angelica Natura non conuersa ad Deum.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, capite primo.

Tenebræ erant super abyssum: vt translato verbo, tenebrosam abyssum, intelligamus naturam vitæ informem, nisi conuertatur ad Creatorem; quo solo modo formari potest, vt non sit abyssus; & illuminari, vt non sit tenebrosa. Et quomodo dictum est, Tenebræ erant super abyssum: an quia non erat lux? Quę si esset, vtique superesset, & tanquam superfunderetur. Quod tunc fit in creatura spiritali, cùm conuertitur ad incommutabile, atque incomparabile lumen, quod Deus est.

Et duodecimo Confessionum, capite decimoseptimo.

Quid si dicat & alius, Cœlum & Terram quidem inuisibilem, visibilemque naturam, non indecenter appellatam, ac per hoc vniuersam creaturam, quā fecit in Sapientia, idest in principio, Deus, huiuscemodi duobus vocabulis esse comprehensam; veruntamen quia non de ipsa substantia Dei, sed ex nihilo cuncta facta sunt, quia non sunt idipsum quod Deus, & inest quædam mutabilitas omnibus; siue maneant, sicut æterna domus Dei; siue mutentur, sicut anima hominis & corpus; communem omnium rerum inuisibilium, visibiliumque materiem, adhuc informem, sed certè formabilem; vnde fieret Cęlum & Terra, idest inuisibilis, atque visibilis iam vtraque formata creatura, his nominibus enunciata, quibus appellaretur Terra inuisibilis & incomposita, & Tenebræ super abyssum: ea distinctione, vt Terra inuisibilis, & incomposita intelligatur materies corporalis ante qualitatem formæ; Tenebræ autem super abyssum, spiritalis materies ante cohibitionem quasi fluentis immoderationis, & ante illuminationem sapientiæ?

c. *Tenebræ, Materia primæ confusio.*

AVGVSTINVS libro de Genesi ad literam imperfecto, capite quarto.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Vtrùm subter abyssus erat & suprà tenebræ, quasi iam loca distincta essent? An quoniam materiæ adhuc confusio exponitur, quod iam χάος Grecè dicitur; ideò dictum est, Tenebræ erant super abyssum, quia lux non erat; quæ si eßet, vtique suprà esset, quia esset eminentior; & ea quę sibi subiecta erant, illuminaret? Et reuera, qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nil aliud inuenit, quàm lucis absentiam. Ita igitur dictum est, Tenebræ erant super abyssum: ac si dictum esset, non erat lux super abyssum. Quapropter hæc materies, quæ consequenti operatione Dei, in rerum formas ordinata distinguitur, appellata est Terra inuisibilis, & incomposita, & profunditas carens luce, quæ appellata est superius nomine Cœli & Terræ, veluti semen, vt iam dictum est, Cœli & Terræ.

Et duodecimo Confessionum, capite tertio.

Nonne tu Domine docuisti hanc animam, quæ tibi confitetur? Nonne tu Domine docuisti me, quòd priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omninò nihil? erat quædam informitas sine vlla specie.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Tenebræ erant.

a. Tenebræ, hoc est, indistinctio rerum in Chaos vniuersali vna forma congesto.
b. Vel caligo obruens, ne lux corpora diaphana illustraret.

EVCHERIVS suis in Commentarijs libro primo, capite primo.

Hæc ergo tenebrosa abyssus, adhuc informis materiæ obscuritatem designat, quia nondum vlla species videri, aut tractari poterat.

ALBERTVS Magnus in Summa de quatuor coæqueuis, quęstione duodecima, articulo vndecimo.

Quare dicuntur tenebræ esse super faciem abyssi, si abyssus dicitur materia? Dicendum, quòd tenebra est priuatio luminis; lumen autem est prima forma, per quam superiora mouent materiam elementorum. Et quia adhuc proportio sufficiens non erat inter principium primum mouens in genere corporum, propter hoc dicitur tenebra fuisse. Quia verò abyssus dicit materiam, secundum quod est sub priuatione, & non terra, vel aqua: propter hoc dicitur potius illa tenebra fuisse super faciem abyssi, quàm super faciem terræ, vel aquæ.

a. Indistinctio rerum in Chaos vniuersali vna forma congesto.

GREGORIVS Nyssenus, de Historia sex dierum, quibus conditus est Mundus.

Quum summa rerum facta est, antequam vnumquodque eorum, quæ complent, & conficiunt summam, per se ostenderetur, caligo rerum vniuersitati offusa erat. Nondum enim ex igni editus erat splendor innumeris materiæ particulis occultatus: quemadmodum etiam silices obscuri in tenebris manent, etsi naturaliter illuminatricem in se vim continent, per mutuam collisionem ignem edentes, cùm autem ex ipsis emicuerit scintilla, etiam illæ vnà cum splendore huius apparent: ita inuisibilia, atque obscura omnia erant, prius quàm illuminatrix natura in apertum, ac propatulum prodiret.

TOSTATVS Commentarijs in Genesim, in secunda expositione.

Aliqui volunt, quòd tenebræ dicantur hic materialiter aër non illuminatus, qui operiebat Terram, sed non conuenit huic opinioni, quia nondum erat aliquod elementum distinctum, per consequens nec aër, sed vocantur tenebræ priuatio lucis, quia nondum fuerat creata nubecula illuminans, tenendo quòd creatio materiæ omnium rerum præcessit lucem, vt supra diximus. Vel dicuntur tenebræ carentia distinctionis formarum, quia sicut lux facit cognitionem in rebus, ita forma distinguit, & dat cognosci: quæ autem informia sunt, cognosci non valent.

CATHERINVS Enarratione in Genesim.

Et addit super faciem illius abyssi fuisse tenebras, idest carentiam luminis, cùm nihil adhuc esset sua certa specie constans, atque distinctum.

b. Caligo obruens ne lux corpora diaphana illustraret.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum libro secundo, solus tenebras has, caligines fuisse autumauit, cùm dixit.

Tenebras pronuncians, ob oculos ponit caliginem, quæ Cælum creatum obscurarunt, & contexuerunt, quemadmodum aquę potu salubres operuere superficiem Terræ.

VIELMIVS lectione decima, lucis nomine prima die effectæ, Solem venire disseruit secundum quorundam opinionem, qui Solem in primordijs cum Cælis prodijsse arbitrabantur, atque permotæ instantiæ occurrens, quòd à creatione Cæli & Terræ tenebræ super faciem Terræ tunc non potuissent extasse; ita secundum eorum assertionem respondet.

At verò priores Doctores, ita fortaße responderent; & (ni fallor) probabilius; Solem quidem vnà cum luce prodijsse, (hęc enim proprietas eius ac passio est) sed non nisi in actu signato, vt Scholæ loquuntur, non autem in actu exercito: erat siquidem præstantissimum sydus id, aptum splendere inferna corpora, sed cùm crassiora magnopere essent, eorum vitio, & incapacitate contigit, vt non prorsus irradiarentur: & proinde factum est, vt tenebræ essent super faciem abyssi: vt enim Rabbi Moses dicit, vsqueadeo perturbata, & crassa erat tunc elemen-*

Et Tenebræ erant.

a. *Tenebræ, hoc est, carentia lucis in Empyreo.*
b. *Vel caligo tenebrosa, in qua mixta erant tria elementa, scilicet ignis, aër, & aqua.*
c. *Siue confusio, & indistinctio quatuor elementorum in Chaos.*
d. *Aut simplex lucis destitutio.*

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

elementorum congeries, vt vetaret, obsisteretque, ne Solis radij ad Terram vsque pertingerent.

Quibus conspicuè claret, non defuisse ex nuperis, qui sententiam à Theophilo Antiocheno insinuatam, illisque fortè imperspectam, comprobarint, atque extulerint.

a. *Tenebræ, hoc est carentia lucis in Empyreo.*

GVLIELMVS Parisiensis, de Vniuerso parte prima, capite quadragesimo, vnicus est huius peregrinæ sententiæ assertor.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Dixit hæc Propheta propter Empyreum Cœlum, cui ab initio suæ creationis non fuit lux illa; qua postea splendidatum fuit; sicut vides & de alijs Cœlis, quòd nullum eorum in se luminosum est; vnde nec videtur aliquod eorum. Quod autem apparet luminis in eis, à parte luminarium est, & stellarum. Non est igitur mirum, si de Empyreo Cœlo hoc idem dicatur: cùm Empyreum naturaliter diuersatum ab alijs Cęlis non videatur, nisi sola nobilitate substantiæ, ac subtilitate eiusdem: ordinem verò locorum, siue positionem in altitudine & depressione, dedit ordo nobilitatis ipsorum, quemadmodum & alijs Mundi corporibus primis, idest quatuor elementis.

b. *Tenebræ, idest caligo tenebrosa, in qua mixta erant tria elementa, ignis, aër, & aqua.*

HVGO Victorinus de Sacramentis libro primo, parte prima. Cap. 6.

Deinde sequitur Scriptura, & dicit; Et tenebræ erant super faciem abyssi. Duo superius proposuerat, videlicet Cœlum & Terram. Modo quædam alia duo subiungit, scilicet tenebras, & abyssum: alterum, idest, abyssum in terra: alterum, idest, tenebras, in eo, quod Cęlum vocauerat significans intelligendum. Propterea nanque super faciem abyssi tenebræ erant, quia abyssus subtus erat, & desuper caligo tenebrosa erat. Nanque abyssus tenebræ erat, quia lumen futura non erat: sed desuper faciem abyssi, tenebrarum locus fuit in eo, scilicet elemento; vnde lumen postea venire debuit. Neque enim, nisi in lucis loco, tenebræ esse potuerunt: propterea tenebræ erant super faciem abyssi.

RICHARDVS noster Exceptionum libro secundo, capite septimo, eandem sequutus est sententiam, cùm dixit.

Deinde vocat Scriptura sacra tria elemēta, quæ simul erant permixta, tenebras, deinde aquas. Aquas vbi dicit; Spiritus Domini ferebatur super aquas. Tenebras, vbi ait; Tenebræ erant super faciem abyssi. Cęlum propter suspensionem; aquas propter mobilitatem, & fluctuationem; tenebras propter confusionem. Abyssus est concauitas Terræ, quæ receptaculum inferiorum futura erat aquarum.

c. *Tenebræ, idest confusio, & indistinctio quatuor elementum in Chaos.*

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione duodecima.

Et Tenebræ erant super faciem abyssi, &c. quia confusa erat & commixta, specie distincta carens.

d. *Tenebræ, simplex lucis destitutio.*

Patres, tenebras has, non quid substantificum, seu (vt in Scholis aiunt) positiuum extasse, seu Dæmones, seu malam quandam naturam, sed simplicem lucis absentiam, totis viribus demonstrant, contra Philosophos illos, atque Hæreticos, qui Deum satorem à tenebris procreationem, congestionemque Vniuersi augustissimam inchoasse calumniabantur, atque tenebrarum nomine prauos Angelos, seu malam naturam interpretabantur. Ego, prætermissis eorum prolixis disceptationibus, assumo tantùm ea, quibus tenebrarū vocula lucis carentiā significari, & demonstrari, sic nos erudiunt.

GREGORIVS Nazianzenus de Mundo, carmine quarto, cùm poëmate satis eleganti, contra Manichæos tenebrarum nomine prauam naturam non esse intelligendam decertasset, his concludit.

Horrida post autem subijt caligo, nec illa
Subsistens quicquam est, quod circumscribere possis.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda, Manichæos pro Tenebris naturam mali interpretantes pluribus reprehendens, hæc interiecit.

Simplex est hęc oratio, atque ab omnibus comprehendi facilè potest: Erat inuisibilis (inquit) Terra, quam ob caussam, quæso? quia circumfusa vndiq; erat abysso. Quid abyssus significat? copiosam aquam, ad cuius fundum haud facilè penetrari poterit deorsum versus. At complura corpora per tenuem, & transparentem aquam scimus non rarò videri. Quamobrem igitur pars Terræ nulla tunc per aquas visendam se offerebat? Quia eatenus lumine carebat aër, obtenebratusq; adhuc erat, qui totā ambibat aquæ naturam. Radius enim Solis, cùm aquas penetrat, calculos in fundo collocatos persæpe demonstrat: profunda verò in nocte nullo modo quisquam ea, quæ sunt sub aqua, conspicere potest. Eius itaque quod tellus inuisibilis fuit, probatio est, quod subiungitur, tenebrosam abyssum Terræ superficiem occupasse. Et post. *Dicimus itaque hasce tenebras non secundum substantiam extitisse, sed affectionem esse, quę aëri ex luminis priuatione accedat.*

AMBROSIVS his consentanea tradit Hexæmeron libro primo, cap. octauo.

Pulcherrima est rerum speties, sed quid esset sine lumine? quid sine aquarum congregatione, quibus antè dimersa poli huius habebantur exordia? Tolle Solem Terris, tolle Cęlis stellarum globos, omnia Tenebris inhorrescunt. Sic erant antequam lumen huic Mundo Dominus infunderet. Et ideò Scriptura ait; Quia tenebræ erāt super abyssum. Tenebræ erant, quia splendor deerat lucis: Tenebrę erāt, quia aër ipse tenebrosus est. Aqua ipsa sub nube tenebrosa est, quia tenebrosa aqua in nubibus aëris. Erant ergo Tenebrę super abyssos aquarū. Psal. 17.

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite quarto, cùm ostendisset Deum non habitasse in tenebris, sed in luce sibi conuenienti, adijcit.

Tenebrę erant super abyssum, antequam lux ista fieret: de qua consequenter hoc loco dicitur; Et dixit Deus, Fiat lux. Quia vbi lux non est, tenebrę sunt: non quia aliquid sunt tenebrę, sed ipsa lucis absentia, tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed vbi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore vbi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus vbi corpus non est, inanitas dicitur. Sic tenebrę non aliquid sunt; sed vbi lux non est, tenebrę dicuntur. Hoc ideò dicimus, quia solent dicere; Vnde erant ipsę tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem? Quis illas fecerat, vel genuerat? Aut si nemo fecerat, vel genuerat eas, æternæ erant tenebræ, quasi aliquid sint tenebræ. Sed vt dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderant esse gentem tenebrarum, in qua & corpora, & formas, & animas in illius corporibus fuisse arbitrantur, ideò putant quòd tenebræ aliquid sint: & non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus; sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic & tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse, sic potest & alius similiter vanus dicere gentem silentiorum contra vocem Dei pugnasse.

Beda Quæstionibus in Genesim hæc ipsa suffuratus est.

Et duodecimo Confessionum idemmet Augustinus hæc ipsa repetit, capite tertio.

Vnde iussisti vt scriberetur, quod tenebræ erant super abyssum, quid aliud quàm lucis absentia. Vbi enim lux esset, si esset, nisi superesset eminendo, & illustrando? Vbi ergo lux nondum erat, quid erat adesse tenebras, nisi abesse lucem? Super itaque erant tenebræ, quia lux super aberat, sicut sonus vbi non est, silentium est. Et quid est esse ibi silentium, nisi sonum ibi non esse?

DIODORVS, vt in Catena.

Et ideò Tenebras absque articulo demonstratiuo, Abyssum verò cum articulo nominauit; quia hoc quidem non subsistit, sed accidens est: illud verò essentia præditum est.

EVCHERIVS pariter.

Quidam etiam dicere solent; Vnde erant tenebræ, antequam fieret lux? Quis eas fecerat? Aut si nemo fecerat, æternæ sunt. Quibus respondetur. Non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia hoc nomen accepit: sicut enim silentium nihil est; sed vbi vox non est, ibi silentium dicitur; sic tenebræ nihil sunt, sed lucis defectus.

GLOSSA Interlinearis.

Tenebræ, quia non erat lux quæ superesset, & superfunderetur.

GLOSSA Ordinaria ex Beda.

Non sunt audiendi, qui reprehendendo dicunt Deum prius creasse tenebras quàm lucem, quia nullas in aqua, vel aëre fecit tenebras, sed distincto ordine prouidentiæ, prius aquas cum Cęlo creauit, & Terra, & has cùm voluit, lucis gratia venustauit.

PRO-

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Ne igitur mireris, si tenebræ præcesserunt lucem. Nam tenebræ per se non subsistunt, at aptæ sunt illuminari, lucisque præsentia egent. Aër etenim susceptibilis est lucis, non existens quatenus aër est caligo: hanc verò accidentariam est adeptus.

THEODORETVS Quæstione septima in Genesim.

Quod autem non sint substantia, sed res quædam accidentaria, facilè est intelligere: nempe quod sint Cœli & Terræ adumbratio. Quamobrem oriente lumine, euanescunt tenebræ. Lumen autem substantia est, & subsistit: & cùm occiderit, rursum oritur: & cùm abierit, reuertitur. Quemadmodum enim corpus nostrum est substantia, vmbra verò quam facit, accidens est, non substantia; ita Cœlum & Terra, (quæ maxima sunt corpora) substantiæ sunt diuersæ: quæ verò ab his manat vmbra, lumine non apparente, vocantur tenebræ. Lumen autem emergens, tenebras delet. Itaque Cœli & Terræ vmbra, tenebras producit: quæ oriente lumine, rursum dissoluuntur. Non sunt igitur tenebræ substantia quædam increata, neque etiam substantia creata; sed vsus quidam necessarius, ab his, quæ facta sunt proueniens, & sapientiam Dei prædicans. Ecce enim Propheta Deum vniuersorum etiam ab his laudat.

ACACIVS, vt in Catena.

Tenebræ verò non sunt, vt Manichæorum deliramenta tradunt; mala quædam natura, sed lucis absentia, atque defectus.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Meritò tenebræ erant super faciem Abyssi; cùm necdum lux, quæ has figuret, creata esset. Non autem audiendi sunt, qui reprehendentes Deum, dicunt tenebras ante creasse, quàm lucem, quia non Deus tenebras in aqua, & aëre fecit vllas: sed ordine distincto prouidentiæ suæ prius aquas cum Cœlo creauit, ac terra, & has postmodum cùm voluit, lucis gratia venustauit, id quod eum vsque modo & in aqua ipsa, & in aëre, per quotidianum Solis occasum, ac discessum facere videmus. Neque enim aquas ad omnia factas credere fas est. Quòd etsi hic Scriptura palàm non dicit: palàm tamen significat, cùm has à Deo illustratas, atque ad iussum eius ordinatas insinuat. Sicut & Psalmus dicit apertè; Et aquæ, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini: Quia ipse dixit, & facta sunt. Psal. 148.

RVPERTVS in Genesim Commentarijs libro primo, capite septimo.

Tenebræ, inquam, corporeæ circa indiscretum Mundi corpus erant, quia videlicet nondum firmamentum erat in medio aquarum, nondum ea quæ corporaliter lucent in eo, & Terram illuminant, Sol, Luna, & sydera facta fuerant, quæ die quarto facta sunt.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione duodecima.

Attende, quia hic Augustinus tenebras dicit non esse aliquid, cùm alibi tenebræ inter creaturas ponantur, quæ benedicunt Dominum. Vnde dicitur; Benedicite lux, & tenebræ Domino. Ideoque sciendum est tenebras diuersis modis accipi, scilicet, vel pro lucis absentia, qualiter supra accepit Augustinus, iuxta quam acceptionem non sunt aliquid; vel pro aëre obscurato, siue aëris obscura qualitate & secundum hoc aliquæ res creatæ sunt. Ideo ergò dicit tenebras tunc fuisse super faciem abyssi, quia nondum erat lux: quæ si esset, & superesset, & superfunderetur: sed nondum lucis gratia opus suum Deus venustauerat, quæ postea in primo die formata est. Dan. 3.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ, capite secundo.

Quia verò dictum est, tenebræ erant: quidam dogmatizauerunt tenebras fuisse æternas, quæ iam, scilicet, cùm Mundus fieret, erant. Alij irridentes Deum Veteris Testamenti, dicunt eum prius creasse tenebras, quàm lucem: Sed tenebræ nihil aliud sunt, quàm lucis absentia. Obscuritas autem quædam aëris à Deo creata est; & dicta tenebræ. Vnde & in catalogo creaturarum dictum est; Benedicite lux & tenebræ Domino.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Per obscuritatem autem intellige duo; & ipsam negationem luminis, & conditionem subiecti (abyssi scilicet) quod erat perspicuum: obscuritas enim est negatio luminis in diaphano.

ALEXANDER de Hales quæstione quadragesima quinta secundæ partis, membro quarto.

Respondeo, quòd tenebra antecedenter non dicit priuationem ordine naturali rei consequentis; sed negationem eius, quod nondum factum est, & est fiendum. Vnde non est necesse prius fuisse lumen.

D. BONAVENTVRA secundo distinctione duodecima, super textum.

Et propterea oportet distinguere, quòd tenebra dupliciter potest importare priuationem. Vno modo, quia simpliciter dicit lucis absentiam; & hoc modo non sequitur lucem: & sic nihil est formaliter loquendo. Sic etiam intelligit Scriptura, quòd tenebræ erant super faciem abyssi; & sic intelligit Augustinus, cùm dicit; tenebræ non aliquid sunt. Alio modo tenebra dicit priuationem lucis in vna parte cum positione illuminationis in alia, & hoc modo tenebra appellatur vmbra, quæ resultat ex obiecto corporis opaci; & sic tenebra etsi aliquo modo sit priuatio, non tamen priuatio pura; & per hunc modum accipiendo, à luce dicitur esse diuisa; & signatur nomine noctis, & inuitatur ad laudem Creatoris; & consequitur habitum lucis.

A V-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Tenebræ erant.

a. Tenebræ ex opacitate supremi Orbis, Empyrei fulgorem secludentis, exortæ sunt.

AVCTOR.

Postrema sen tētia reliquis potior.

Postrema hæc sententia (ni ego iudicio fallor) vti communior, ita etiam tutior, ac verisimilior censenda est. Nam aëris idæam, seu Angelicam præstantissimam naturam à Deo non illustratam, seu materiæ primæ confusionem, seu Chaos incongesti indistinctionem, hoc loco à Mose memoratas esse, arduum est existimare, & Mosen Hebreis hebetioris ingenij viris, consimilia ardua enarratione perplexa obiecisse, non est verisimile iudicandum. Caliginem verò eam, quam Theophilus Antiochenus insinuauit, tunc extasse non abnuerem, sed Solem in primordijs temporum prodijsse, nec effulgere potuisse, vt nuperorum alij dixerunt, affirmare non tutum arbitror. Sol etenim, etsi non fulgida, saltem pallente luce, inuita etiam ea caligine, Mundum illustrare potuisset. Tenebrarū verò nomine, lucis in Empyreo destitutionē hoc loco demonstrari, singularis profectò est sententia, neque à nobis vsquequaque complectenda. Cæterum, tenebrarum duplex est genus. Aliud quod est vmbra: aliud quod est (vt ita dicam) obscuritas. Vmbra est lucis impedimentum, à corpore opaco explendescentibus lumiferis obiecto, effectum; hocque tenebrarum genus duas excipit conditiones: Prima est, quòd vmbræ magis, & minus condensantur, & elucescunt ex ratione corporis, maiore vel minore crassitie præditi, vel ex eo quòd è lateribus lux repercussa, claritatem quandam circumemittit: Altera, quòd vmbra nunquam totum orbem obtenebrare valet; quoniam nullum corpus opacum Solis excedit magnitudinem. Hæc clara admodum deduci possunt ex Terrę exemplo, quæ nec obiecta Soli, vmbra sua Solis amplitudinē æquare, nec omne hemisphærium simul obscurare potest; quandoquidem vmbra hemisphærium vnum opacante, lux in altero semper elucescat. Obscuritas verò est omnis luminis sublatio, carentiaque, adeò vt amota penitus luce, tenebræ obdensissimæ æque semper omne corpus diaphanum contegant, totusque orbis hemisphęrio nullo excepto, caligine ac tenebris nigrescat. Est igitur primum genus tenebrarum, lucis impedimentum: est secundum, omnis prorsus lucis ablatio. Illud quidem lucis priuatio, vt aiunt Dialectici; hoc autem pura lucis negatio. Porrò tenebrarum genus hoc, ante omnem diem erat, quando tetra obscuritate mersa, ac prorsus sepulta, vniuersa iacebāt: sed prosilita luce, diuisit Deus lucem à tenebris, alterumque genus tenebrarum, quod est vmbra, superuenit,

Tenebrarum duo genera.

Quæ tenebrę in exordio Mundi fuerunt.

a. *Tenebræ ex opacitate supremi Orbis, Empyrei fulgorem secludentis, exortæ sunt.*

De Tenebris primæuis Patres hoc tradidere, quod alij memorabile paradoxum æstimarunt: Tenebras scilicet eas ante primum diem in Chaos diffusas, ex supremi Orbis fulgorem Empyrei retundentis opacitate enatas esse.

D. CLEMENS Recognitionum libro primo.

In principio cùm fecißet Deus Cælum & Terram, tanquam domum vnam, ipsa quæ ex corporibus Mundi reddita est vmbra, his quæ intrinsecus clausa fuerant, tenebras ex se dedit.

IVNILIVS pariter, huius sententiæ D. Petrum assertorem, atque auctorem facit in suo Hexæmeron, cùm ait.

De his sanè, quæ hactenus exposita sunt, id etiam de creatione diei primi & secundi, in historia Sancti Clementis, ita dixisse referunt Apostolum Petrum; In principio cùm fecisset Deus Cęlum & Terram, tanquam domum

domum vnam, & ipsa quę in corporibus Mundi reddita est vmbra; his quę intrinsecus clausa fuerant, tenebras ex se dedit. Sed cùm voluntas Dei introduxit lucem, & tenebrę illę, quæ ex vmbra corporea factæ fuerant, continuò deuoratę sunt: tum deinde lux in diem, tenebræ deputantur in noctem.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Dicimus itaque hasce tenebras non secundum substantiam extitisse, sed affectionem esse, quę aëri ex luminis priuatione accidat. At cuiusnam, is locus, quæso, quem Mundus ambit, subitò luminis expers inuentus est, vt essent tenebræ super aquas? Arbitramur sanè si quid erat ante Mundi sensilis, atque corruptiui constitutionem, id in lumine nimirum fuisse. Neque enim Angelorum dignitates, neque cœlestis exercitus vniuersus, neque omninò si quæ naturæ sunt participes rationis, aut nomen sortitæ, aut nomine carentes, spiritusq; subministrantes degebant in tenebris: sed in hac commodatissima sibi luce, lętitiaq; spirituali suum statum habuerunt. Atque his controuerterit nemo, non is saltem, qui supercęlestem lucem inter bonorum promissiones expectat: De qua Salomon ait; Lux iustis semper est præsens. Et Apostolus Paulus; Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit in parte sortis Sanctorum in lumine. Etenim si qui condemnantur, in tenebras exteriores mittuntur; qui dignè egerunt voluntate diuina, nimirum hos in lumine supercęlesti suam habere requiem constat. Cœlum igitur factum cùm esset Dei sanè imperio, suoq; quaquauersum ambitu expaßum, vt suæ complexu circunferentię, quæ excepturum erat, quasi interiore quodam sinu circũplecteretur ea & contineret, corpus continuum obtinens, ab externisq; sufficiens interna seiungere, comprehensum à se locum necessario carentem lumine reddidit, tenebrisq; externo interciso splendore & intercepto obscurauit. Nam vt sit vmbra, tria concurrant oportet: lux, corpus obiectum luci, locus luminis expers. Tenebræ igitur illę Mundo circumfusę, propter cœlestis corporis vmbram subortę sunt. Coloss. 1.

Hæc ille. Deinde elegans huiusce rei, aptissimumq; exemplum subijcit.

Atque id quod dicimus apertissimo planè exemplo perceperis, si tibi in puncto meridianæ lucis, densa ex materia, & impenetrabili, tabernaculum circumposueris, ac tenebris his ex tempore procuratis teipsum incluseris: tales & tenebras illas esse suppone, non principaliter ex sese subsistentes, sed res alias subsequutas.

GREGORIVS Nazianzenus expressè hoc ipsum non dixit, sed Elias Cretensis insignis commentator Græcus, locum illum Orationis Gregorij Nazianzeni quartæ aduersus Iulianum, qui est, Verbo tenebras depulit, Verbo lucem produxit, exponens, iuxta Nazianzeni mentem, ait.

Postquam igitur Gentilium ritus cum nostris ex aduerso composuit, ac repentinæ, atque inopinatæ illorum subuersionis in memoriam venit, tacito animi motu exclamauit; Quot tandem armorum apparatus, quot virorum millia hoc effecissent, quod nos, adhibitis duntaxat precibus, ac Deus voluntate sua, confecimus? Quæ autem sequuntur, Dei laudem continent, ex ijs rebus, quæ ab eo effectæ, ac procreatæ sunt, contextam. Porrò cùm iuxta Genesis librum, magnus quoque hic Pater, tenebras priore loco posuerit, cùm dixit, Verbo tenebras depulit; ratio hoc exquirit, an tenebræ vnà cum Mundo procreatæ sint, & an luce antiquiores; & quid afferri possit, quamobrem, quod deterius est, antiquius sit. Quam quidem quæstionem soluens Magnus Basilius; Illud, inquit, mecum reputo, quòd si quid ante Mundi huius in sensum cadentis, & interitui obnoxij procreationem erat, non est profectò dubitandum quin in luce esset. Nam neque Angelorum dignitates, nec cœlestes omnes exercitus, nec denique quidquid est naturarum ratione vtentium, quod vel nomine præditum sit, vel nominari nequeat, in tenebris versabatur, sed in luce, atque in omni lętitia spirituali. Nec quisquam erit, qui contrarium asserat, ex ijs quidem certè, qui supercęleste lumen in Angelorum promissionibus expectat: de quibus ait Salomon; Lumen iustis perpetuò. Postquam autem Dei iussu factum est Cœlum, subitò ad ea, quæ intra circunferentiam inclusa erant, expansum, continuum corpus habens, atque ad externa ab internis dirimenda commodum & idoneum, tum verò necesse scilicet fuit, vt locum eum, quem intra se continebat, ob interruptum, & intercisum externum splendorem, obscurum atque caliginosum redderet. In vmbra enim tria concurrant necesse est, lux, corpus, & expers luminis locus. Itaque mundanæ tenebræ ad Cœlestis corporis vmbram velut ortum habuerunt. Postquam autem dixit Deus, Fiat lux, res statim vocem secuta est, ac lucis natura in apertum venit, atque caligo se remouit, mæstitiaq; discussa est. Quamobrem ergo caligo non increata essentia est, nec rursum creata quædam hypostasis, verùm ex rebus creatis velut existens ad lucis aduentum euanescit.

GREGORIVS Nyssenus, libro qui inscribitur de Cognitione Dei, & eius esse fertur.

Nos autem dicimus tenebras non esse naturam vllam, sed accidens; & nihil aliud, nisi lucis absentiam: etenim cùm Cęlum initio volueretur, eorum, quæ circumerant obiectu, tenebræ extiterunt: quod etiam nunc in ijs, quæ obstruuntur, euenire consueuit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite octauo.

Erant enim tenebræ de obumbratione Cœli; quia omne corpus vmbram facit, qua obumbrat vel finitima, vel inferiora, & ea maximè quæ operire, atque includere videtur. Includit autem Cœli polos; quia Cœlum sicut camera extenditur, quemadmodum supra demonstrauimus. Non ergo principalis erat tenebrosa substantia, sed quasi vmbra sequuta est Mundi corpus caligo tenebrarum. Itaque momento diuinæ præceptionis Mundus

dus assurgens, intra se inclusit vmbram: vt si quis in campi medio, quem Sol meridianus illuminet, locum aliquem repente obsepiat, & densis ramorum frondibus tegat; nonne quo splendidior foris species loci eius effulgeat, hoc horrenti desuper scena gurgustium eius intus obscurius sit? Aut vnde antrum, clausum vndique huiusmodi locum vocarunt; nisi quòd atro inhorrescat situ, atque offusione tenebrarum? Istæ ergo tenebræ super aquarum abyssos erant.

DIODORVS, vt in Catena, idipsum sensisse visus est, cùm dixerit.

Tenebræ verò vmbra erant Cęli & Terræ. Corporum nanque adeò magnorum, meditum obumbrari necesse est.

THEODORETVS Quæstione in Genesim sexta.

Quum igitur imperio diuino creatum sit Cęlum, omnibus quæ intra eius ambitum continentur, circunfusum, corpus quidem habens continuum, quod possit ea, quæ foris sita sunt, separare ab ijs quæ intra se comprehendit, necessariò locum quem complectitur, tenebrosum reddidit, externum ab eo lumen excludens. Nam tria concurrere oportet in vmbra; lumen, corpus, & locum minimè lucidum. Tenebræ igitur huius Mundi propter cælestis corporis vmbram prouenere.

ANASTASIVS Sinayta D. Basilij sententiam memorat, nec reijcit, Commentarijs in Hexæmeron libro primo.

In quibus cùm armaretur magnus Basilius aduersus Manichęos; & diceret illa, tenebras esse increatas, & non consistere; nec sub mensuram, inquit, cadunt, neque definiuntur; sed cùm fecisset Deus Terrę latitudinē, & super eam inclinasset, & extendisset Cælum tanquam tabernaculum, secessit lux, terreno Mundo à Cęlo adumbrato. Tenebrę ergo nihil sunt aliud, nisi vmbra corporis.

PROCOPIVS ex aduersa parte, Commentarijs in caput primum Genesis, huic Patrum sententiæ acerrimè refragatur, cùm ait.

Quòd autem dicitur tenebras natas esse ex obstructione inuisibilis, vel intellectualis lucis; videamus num congruam, vel probabilem rationem habeat. Nam, quęso, mihi narrato, quodnam corpus intellectuale lucem suo oppositu obscurare potest? Deus etenim est lux illa inuisibilis; vita & illuminatio ex hoc fonte spiritualibus hauritur.

Sed Procopium, Empyreum corpus micantissimum non subodorasse his cōuincitur.

Cæterum Scholastici, præsertim D. Thomas, hanc Patrum refellunt sententiam, tùm quia corpus firmamenti diaphanum sit, & lumen non prępediat: lumen enim stellarum spectamus non obstantibus medijs Cœlis; tum quia Empyreum lucem condensatā non gerat, vt radios emittere queat, sicut corpus Solis; sed vel subtilior, vel claritati gloriæ conformi luce effulgeat.

D. THOMAS nanque prima parte, quæstione sexagesima sexta, articulo tertio, ad quartum hæc perhibet.

Dicendum, quòd sicut Basilius dicit in secundo Hexæmeron, constat factum esse Cælum rotunditate conclusum, habens corpus spissum, & adeò validum, vt possit ea, quę extrinsecus habentur ab interioribus separare. Ob hoc necessariò post se, regionem relictam carentem luce constituit, vtpote, fulgore, qui superradiabat excluso. Sed quia corpus firmamenti, etsi sit solidum, est tamen diaphanum, quod lumen non impedit; (& patet per hoc, quòd lumen stellarum videmus non obstantibus medijs Cœlis) potest aliter dici, quòd habet lucem Cœlum Empyreum non condensatam, vt radios emittat, sicut corpus Solis, sed magis subtilem; vel habet claritatem gloriæ, quę non est conformis cum claritate naturali.

PERERIVS similiter eam redarguit positionem, scribens.

Etenim lux illa supercęlestis, aut erat spiritualis tantùm, aut corporalis: si tantùm spiritualis, certè tametsi nullum fuisset impedimentum Cęli, nihilo magis tamen terram & aquam illuminare potuisset; nec Cælum, quod est corpus, vim spiritualem illius lucis impedire: nec, cùm Moses sine dubio hic agat de tenebris corporalibus, eiusmodi tenebrę ex priuatione illius lucis spiritualis existere potuissent. Sin autem ea lux erat corporalis, non vtique per se cohęrere, & constare poterat, sed eam in aliquo corpore inhærere necesse erat; quare fuisset aliquod corpus à Deo conditum ante Cælum, & Terram; quod aduersatur & Moysi hoc loco, & Dauidi Psalmo centesimo primo, dicentibus, in principio creasse Deum Cęlum, & Terram.

AVCTOR.

Tametsi delatum hoc Patrum placitū, vt definitum, ac certum modo tutari mihi nō sit animus: assero tamē quoquomodo ab inuectis redargutionibus defendi posse. Procopius ei sententiæ, quæ lucem quandam æternam à Deo perenniter manantem, regiam Beatorum sedem astruit, adhærere visus est, quam postea & Steuchus amplexatus, & quam erroneam, ac delirantissimam esse supra demonstrabamus. Quapropter pro

Patribus

Et tenebræ erant.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. Tenebræ non fuit natura aliqua, seu potentia quædam mala princeps, bono contraria.
b. Tenebræ ante lucem; quia in rerum creatione, imperfecta præcesserunt perfecta.

Patribus contra D. Thomam asseuerare possumus, firmamentũ quidem translucidum esse, sed non supremum Cœlum, longè super ipsum firmamentum maxima intercapedine euectum; quippe quòd inter firmamentum, & supremum Orbem, aquæ supercœlestes in maxima forsan altitudine interiectæ existimentur; quamobrem ex eo, quòd lucem stellarum conspicimus, bene euincitur, cœlestia corpora vsque ad sydereum Cœlum pellucida esse; sed non demõstratur, quòd supremum Cœlum perspicuum sit, cùm longè sub eo astra subsint. Deinde Empyreum non habere lucem condensatam, adeò vt radios non emittat, comprobandum esset, atq; eò maximè, quoniam vbique in Scripturis Empyreum Beatorũ sedes, lux fulgentissima nuncupatur. Coniectare profectò nos possumus, Empyreum vti corpora glorifica emicare, tùm ex locantis, locatique symmetria, tùm ex eo, quòd illud exemplar sit, & exordium gloriæ corporum, sicuti ipsemet D. Thomas obtestatur, dicens; quòd conueniens fuit, vt à principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore cumulatè lucido. Cæterum corpora ad gloriam ascita Solis instar splendescere obtestatur Scriptura; Fulgebunt, inquit, iusti sicut Sol. Sed quod magis, ac magis id demonstrat; nonne Christus, quando transfiguratus est, splendescentem gloriç claritatem ab anima in corpus redundantem, Apostolis reserauit? hoc quippe prisci Patres, & ipse D. Thomas edocent. Nonne Christi facies spectatissima, micanti claritate resplenduit ad Solis instar, eamque Apostoli conspexerunt, adeoque vt nimio etiam eius obruti fulgore ceciderint in facies suas? Apparet ergo ex his Empyreum gloriosa luce insigniri, lucemque habere fortè quidem subtilem, sed nihilominus coruscantissimam: & quanquam alterius sit generis à luce hac nostra, attamen emicare, ac lumen nobis emittere, quamuis oculorum nostrorum viribus maximè impar, eorumque aciem, atque obtutum vehementissimè retundat. Porrò sciscitantibus, quænam lux illa sit, num corporalis, num spiritualis: responderent Patres eam corporalem esse, eiusdem videlicet generis corporis, cuius Empyreum est. Inferentibus autem, igitur aliquod corpus extitit ante Cœlum & Terram; Basilius, atque eius sectatores id libenter admitterent, cæteri assererent cum Mundo in exordio temporum simul conditum fuisse Empyreum, simulque & lucem eius à supremo Orbe, ne Chaos illustraretur, retusam fuisse. Atque hæc pro Patribus dixisse velim.

Defensatur Patrum assertio.

P.p. q.67. artic.3.

Matth.13.

P.3.q.45. artic.2.
Matth.17.

Empyrei lux corporalis.

a. Tenebræ non fuit natura aliqua, seu potentia quædam mala princeps, bono contraria.

Patres impiam hanc sententiam, quam Manichæis ascribunt, hoc loco fusiùs improbant, atque reijciunt.

Basilius Hexæmeron Homilia secunda: Ambrosius Hexæmeron libro primo, capite octauo: Procopius Commentarijs in Genesis caput primum: Augustinus de Gen. contra Manichæos libro primo, capite quarto: & alij, quorum sententias non deducam; quoniam contra Hæreticorum delirantes assertiones Catenas coaceruare, consentaneum non arbitror.

b. Tenebræ ante lucem, quia in rerum creatione imperfecta præcesserunt perfecta.

ACACIVS, vt in Catena.

Declarat tenebras lucem præcessisse: neque mirum. Nam & rationis expertia, hominem ratione præditum, in rerum creatione præcesserunt.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Super faciem Abyssi.

a. Super faciem abyssi, non autem apud Deum.
b. Non in abysso, neque super abyssum; quia tunc abyssus non erat lucis capax; sed super faciem abyssi, hoc est in Cœlorum supremo.
c. Super faciem abyssi, hoc est, non tantùm in profundo, sed & in eius superficie.

Glossa locupletata idipsum animaduertit.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Quod autem inconueniens: si mundanæ materiæ fuerant tenebrosa primordia, vt accedente luce, melius quod factum est redderetur; & tanquam proficientis hominis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio, exponente Apostolo, ac dicente; Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, qui illuxit in cordibus nostris. Vnde alibi dicit; Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: illo videlicet, qui cùm tenebræ essent super faciem abyssi, dixit; Fiat lux, & facta est lux.

2. Cor. 4. Ephes. 5.

Obseruationes præfatæ nulla certè animaduersione indigent, quoniam ex se perspicuæ sunt.

a. Super faciem abyssi, non autem apud Deum.

AVGVSTINVS de Gen. contra Manichæos lib. primo, cap. tertio.

Quod Manichæi reprehendunt dicentes; In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem? Verè ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, & ideò non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideò istum Solem, quem pariter non solùm cum bestijs maioribus, sed etiam cum muscis & vermiculis cernimus, illi sic colunt, vt particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam lucem esse in qua Deus habitat, vnde est illud lumen, de quo in Euangelio legitur; Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Nam Solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis, & mortales oculos, in quibus nos vincunt Aquilarum oculi, qui Solem istum multò melius quàm nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad eius præcepta seruanda conuertunt. Quod omnes homines possint si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc Mundum. Ergo tenebræ erant super abyssum antequam lux ista fieret.

Ioan. 1.

b. Non in abysso, neq; super abyssum; quia tunc abyssus, non erat lucis capax, sed erant super faciem abyssi, hoc est in Cœlorum supremo.

BVRGENSIS in Additionibus, per abyssum interpretatur confusionem elementorum; aquæ, ignis, & aëris, vsque ad Cœlum Crystallinum pertingentem, & adijcit hanc obseruationem.

Vnde notandum est, quòd non dicit Scriptura; Tenebræ erant in Terra, nec in abysso, neque supra abyssum, sed supra faciem abyssi: cuius ratio est; Nam illa multitudo aquarum impenetrabilis, & profundissima in prima sui productione erat turbida, & quasi opaca ex eius confusa permixtione, seu compositione, intantum quòd non erat capax lucis, sicut nec terra; & sic non erant in terra, nec in abysso tenebræ, propriè loquendo, sicut nec in ligno dicitur esse cæcitas, licet non videat. (Super faciem abyssi) quod est primum mobile (vt dictum est) ex sua pura & impermixtibili natura est diaphanum, & fuit semper capax lucis; sed quia nondum lux facta erat: ideò propriè loquendo, tenebræ erant pro tunc supra faciem abyssi, idest in primo Cælo mobili.

c. Hoc est, non tantùm in profundo, sed et in eius superficie.

Dixit quippe, super faciem abyssi, & non super abyssum, vt nobis denotaret Vates, non tantùm tenebrosum fuisse abyssi profundum, sed & eius superficiem fuisse tenebris obscuritateque atra obrutam, euenisseque illi abysso id, quod puteis contingere minimè intuemur. Putei enim profunditas tenebrescere solet, sed os sæpius claret: verùm tunc abyssus illa, tùm intus, tùm foris, & vndique tenebris erat circumuoluta, cùm tamen natura sua, aër, & aqua, vt existimant Patres, lucem suscipere potuissent.

Abyssi.

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Abyssi.

a. *Abyssi hoc est Idææ Vacui.*
b. *Vel, Angelicæ naturæ informis.*
c. *Siue profunditatis imperceptibilis materiæ primę informis.*
d. *Aut, Abyssi, idest Chaos rudis.*

Abyssi.

Abyssus quid hoc loco denotet, ac significet, diuersa, multiplicique diffiniunt Patres sententia.

a. *Abyssus; Idæa vacui.*

PHILO abyssi nomine, Idæam vacui interpretatus est libro de Mundi opificio, cùm, vt supra etiam retulimus, dixit.
Vacuum verò vocauit Abyssum; profundissimum enim est, & dehiscit patentissimè.

b. *Abyssus; Angelica natura informis.*

AVGVSTINVS Abyssum retulit ad naturam Angelicam nondum formatam; hoc est nondum ad Creatorem versam, de Genesi ad literam primo, capite primo.
Tenebræ erant super abyssum: vt translato verbo, tenebrosam abyssum, intelligamus naturam vitæ informem, nisi conuertatur ad Creatorem: quo solo modo formari potest, vt non sit abyssus; & illuminari, vt non sit tenebrosa.
ANSELMVS Laudunensis in Glossa interlineari.
Abyssus spiritualem, ait, naturam significat, quæ conuersa ad Creatorem formatur, & illuminatur.
GLOSSA Ordinaria.
Quia scilicet non erat lux, quæ si esset, etiam superesset, & superfunderetur; quod fit in creatura spirituali, cùm conuertitur ad incommutabile lumen, quod est Deus.

c. *Abyssus; Profunditas imperceptibilis materiæ primæ informis.*

AVGVSTINVS informitatem materiæ etiam abyssum dixit libro de Genesi ad literam imperfecto, capite quarto.
Quæ confusio materiæ sic potuit insinuari populari intelligentię, si diceretur Terra inuisibilis, vel incomposita, vel inordinata, vel imparata, & tenebræ super abyssum, idest, super profunditatem vastissimam: quę rursus profunditas ex eo fortasse nominata est, quia nullius intelligentia propter ipsam informitatem penetrari potest.
EVCHERIVS consimilia Augustino tradidit Commentarijs in Genesim, libro primo.
Hæc ergo tenebrosa abyssus adhuc informis materiæ obscuritatem designat, quia nondum vlla species videri, aut tractari poterat.

d. *Abyssus; Chaos rude.*

TOSTATVS Commentarijs in Genesim, expositione secunda.
Dicitur abyssus tota materiæ indistinctę vel informis congeries; sicut vocatur abyssus aquarum profunditas, vel magnus terræ hyatus, quia imperscrutabiles sunt: sic materia illa, quę valde magna erat, quia occupabat à centro Terræ in rotundum vsque ad concauitatem Empyrei, quæ spacia à nobis cogitatione comprehendi non possunt. Etiam propter indistinctionem in qualitatibus actiuis, vt calido, & frigido; & in motiuis, vt graui, & leui: quia licet ibi ista essent, tamen partes materię, ex qua aër constabat, erant aliquæ deorsum, aliquæ sursum inordinato modo, & sic de partibus ex quibus Cæli, & elementa.
CATHERINVS Enarratione in Genesim.
Ecce quomodo per abyssum tandem materiam declarat, ob immensam scilicet longitudinem, & latitudinem, ac profunditatem, à summo illius Cæli, vsque ad summum aliud Cælum.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Abyssi.

a. *Abyssi, hoc est elementorum permistionis.*
b. *Siue, vaporationis elementorum in Chaos.*
c. *Seu, Terrę concauitatum.*

a. *Abyssus; Elementorum permistio.*

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione duodecima.

Confusam materiam elementorum dicit abyssum, quia confusa erat, & commixta, specie carens distincta.

LYRANVS Magistri assertionem fusiùs exponit.

Et tenebræ erant super faciem abyssi; Idest super faciem elementorum. Abyssus enim Græcè, est vorago Latinè; & importat immensam aquarum profunditatem. Importat etiam confusionem quandam & commixtionem: totum autem quod est infra circulum Lunę, erat confusum: quia licet elementa essent producta in suis formis substantialibus, non tamen adhuc habebant omnes proprietates accidentales debitas vsque ad tertiam diem, in qua sunt distincta elementa; & ideò vsque tunc aqua ipsa non habuit debitam densitatem, sed quasi vaporaliter eleuabatur per totum spatium aëris, & ignis: cooperiebat enim terram; & sic quædam confusio, & commixtio erat in elementis; & ideò hoc vocabatur abyssus.

TOSTATVS in prima sua expositione idipsum asserit.

Abyssus igitur dicitur congregatio omnium elementorum; quæ licet in suis speciebus essent perfecta substantialiter; carebant tamen dispositione accidentali extrinsecus perficiente: ratione cuius est quædam pulchritudo, siue lux in rebus, & debitus locus, & partium ordinatio. Aqua ergo nondum habens debitam densitatem eleuabatur vaporaliter ad locum aëris, & ignis nondum habens debitam leuitatem, loca aëris, & aquę partem possidebat; & sic omnia confusa erant. Vnde abyssus, idest confusio, vel priuatio claritatis propriè dicitur.

Burgensis in Additionibus, Magistri sententiam sequitur.

b. *Abyssus; Vaporatio elementorum in Chaos.*

HVGO Carensis in Postillis.

Machinam, quam prius dixerat Terram, vocat abyssum pro sui confusione & obscuritate: vnde & Græcè dicitur Chaos. Est autem abyssus propriè profunditas aquarum in visceribus Terrę latentium. Attenditur autem hęc confusio secundum Theologum, quoad vaporationem. Ab initio enim singula locum suum tenent: sed aquæ vaporabiles erant vsque ad sublunarem globum, tenues ad modum nebulę. Secundum Philosophum verò attenditur illa confusio, quoad elementorum permixtionem in vnum Chaos. Vnde illud; Corpore in vno; frigida pugnabant calidis, humentia siccis. Vt patet in musto; vbi fæx vino permixta est donec paulatim resideat: sic elementa paulatim loca sua sortita sunt, vt dicit Philosophus.

c. *Abyssus; Terræ concauitates.*

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem, dum incongesti illius primæui Chaos ordinem explicat, abyssum infra Terram collocat, dicens.

Nam Terrę quidem suberat abyssus, & tenebrę: si enim abyssus infra Terram, tenebræ autem super abyssum; sine dubio, & tenebræ & abyssus infra Terram.

Quibus Tertullianum certè vel Terræ antra, vel Infernum, abyssi nomine intellexisse elicitur, quod legentium ingenijs dijudicandum relinquo.

HVGO Victorinus Adnotationum capite septimo.

Tenebras, ait, possumus dicere nebulam illam, scilicet commixtionem trium elementorum; abyssum verò concauitatem.

RICHARDVS Exceptionum libro secundo, capite septimo, quatuor elementorum confusam illam mixturam, Cœlum, aquas, ac tenebras, hoc loco uocatam fuisse perhibet.

Cœlum, inquit, propter suspensionem; aquas, propter mobilitatem, ac fluctuationem; tenebras, propter confusionem.

Abyssum

Abyssi.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Abyssi, hoc est profunditatis non entis.*
b. *Siue Abyssi, idest Inferni.*
c. *Vel Abyssi, scilicet Dæmonum.*
d. *Aut Abyssi, videlicet Aquarum immensitatis.*

Abyssum verò, concauitates Terræ & ipse interpretatus est. *Abyssus est, inquit, concauitas Terræ, quæ receptaculum inferiorum futura erat aquarum.*

a. *Abyssus, Profunditas non entis.*

STEVCHVS Commentarijs in Geneseos caput primum.
Per abyssum enim hic nihil aliud intelligitur, quàm profunditas illa tenebrarum non existentium rerum, & quasi æterna nocte sepultarum. Nox igitur illa æterna, tam à Mose, quàm à Mercurio, abyssus nuncupatur.

b. *Abyssus, Infernus.*

BEDA. Expositione in Genesis caput primum.
Abyssus illa nimirum est, in qua Diabolus, & Angeli eius, qui in Euangelio designantur, quum dicitur; Et rogabant illum Dæmonia, ne iuberet ea ire in abyssum.

ORIGENES Homilia prima in Genesim.
Quæ est abyssus? Illa nimirum, in qua erit Diabolus, & Angeli eius. Denique hoc manifestissimè & in Euangelio designatur, cùm dicitur de Saluatore; Et rogabant eum Dæmonia, quæ eijciebat, ne iuberet ea ire in abyssum. Luc. 8.

HIERONYMVS in Psalmum septuagesimum sextum.
Super abyssos verò tenebræ. Ista est abyssus, ad quam Dæmones postulant ne mittantur, à Iesu. Et post. *Qui sint abyssi, me tacente, intelligitis: Quoniam Dæmones formidant ire in eos.*

c. *Abyssus, Dæmones.*

HIERONYMVS Commentarijs in Ionam, capite secundo.
Abyssos autem, perniciosas quasdam, & pessimas fortitudines accipere debemus; vel tormentis, suppliciisque deditas potestates, ad quas & in Euangelio Dæmones rogant ne ire cogantur. Vnde & tenebræ erant super abyssum.

d. *Abyssus, immensitas aquarum.*

Cæteri Patres, vt plurimum, abyssum ad immensitatem quandam corpoream retulere. Quoniam autem facies, seu superficies est ea corporis homogenei pars, quæ conuexa à Mathematicis dicta est, tot esse poterunt abyssi, quot corpora erunt sphærica, aliud sibi substratum corpus ambientia; cùm autem aquæ vndiq; Terram circumsepirent, ac circumluerent; maior Patrum classis abyssum, immensam aquarum molem Terræ incubantem dixere.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia secunda.
Quid abyssus significat? copiosam aquam; ad cuius fundum haud facilè penetrari poterit deorsum versus.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite primo.
Abyssus nanque immensa aquarum profunditas appellatur.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite octauo.
Erant ergo tenebræ super abyssos aquarum. Et Post. *Istæ ergo tenebræ super aquarum abyssos erant. Nam abyssum, multitudinem & profundum aquarum dici, lectio Euangelij docet, vbi rogabant Saluatorem Dæmonia, ne iuberet illis, vt in abyssum irent. Sed qui docebat voluntates Dæmoniorum non esse faciendas, præcepit illis, vt irent in porcos. Porci autem se in stagnum aquarum præcipitarunt, vt quod recusabant Dæmonia non euaderent, sed digno præcipitio demergerentur. Erat ergo hæc Mundi incomposita species & forma.*

SVIDAS, interprete Hamero.
Verùm Sacra Scriptura abyssum vocat humidam substantiam; quoniam igitur Terra vndique aquis oppleta

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Abyssi.

a. *Hoc est amplitudinis omnium corporum Diaphanorum.*

Psal. 103. *pleta erat magnis & paruis profunditatibus, rectè Dauid abyssum vocat amictum eius.*

CHRYSOSTOMVS Homilia tertia in Genesim.

Didicimus hinc, quòd omne, quod videbatur, erat abyssus aquarum tenebris velata: & opus habebat sapiente opifice, qui omnem hanc informitatem discutere, & ornatum aliquem inducere posset.

Hæc etiam habet Glossa locupletata. Sed Homilia in Psalmum centesimum tertium ipse Chrysostomus clariùs hanc interpretationem defert.

Abyssum porrò diuina Scriptura appellat naturam liquidam: ad eundem enim modum in creationis principio beatus Moses dixit; Tenebræ erant super faciem abyssi; hoc est aquarum.

THEODORETVS pariter in Psalmum centesimum tertium.

Humidam naturam, abyssum sacræ literæ nuncupant, sic etiam à principio creationis beatus, inquit, Moses. Tenebræ erant super faciem abyssi.

AVGVSTINVS in Psalmum quadragesimum primum.

Abyssus est profunditas quædam impenetrabilis, incomprehensibilis; & maximè solet dici in aquarum multitudine. Ibi enim altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari vsque ad fundum non potest.

Et contra Faustum Manichæum libro vigesimo secundo, capite vndecimo.

Tenebræ erant super faciem abyssi. Abyssus est aquarum inæstimabilis profunditas.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum libro secundo.

Abyssum nominans, aquarum multitudinem, & abundantiam repræsentat.

IVNILIVS Apher Commentarijs in Genesim.

Et meritò inanis, & vacua erat Terra, cùm adhuc tota abysso, idest immensa profunditate tegebatur aquarum.

PROCOPIVS.

Hoc loco abyssus, aquarum redundantia est, cuius finem, si profunditatem inquiris, attingere nequis.

ISIDORVS iunior Etymologiarum libro tertiodecimo, capite vigesimo.

Abyssus, profunditas est aquarum impenetrabilis, siue speluncæ aquarum latentium: de quibus fontes, & flumina procedunt, vel quæ occultè subter eunt: vnde & abyssus dicta. Nam omnes aquæ, siue torrentes, per occultas venas ad matricem abyssum reuertuntur.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite nono.

Abyssus enim nihil aliud est, nisi aqua plurima, cuius finis incomprehensibilis sit hominibus.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite septimo.

Præterea & tenebræ erant super faciem abyssi, idest super profunditatem aquarum, quæ nondum diuisæ, neque vt appareret arida, congregatæ fuerant in vnum locum.

GVLIELMVS Parisiensis, de Vniuerso prima parte, cap. trigesimo quarto.

Narratio autem Prophetica totum insinuat fuisse aquam à Terra vsque ad Cælum Empyreum, & totum vocat abyssum, quæ est propria nominatio aquarum multarum, & in medio hoc aquę, quam præ multitudine sua vocauit abysum, dicit factum fuisse Cælum, quod & vocat firmamentum.

CAIETANVS in Genesim, capite primo, Patrum placitum approbauit.

Sensus autem est, quòd super non aliquam faciem (puta vnius hemisphærij) sed super facies omnes abyssi, (hoc est elementi aquæ valde profundę) tunc fuit obscuritas. Et appellatur elementum aquæ abyssus, ne intelligeres Terram opertam paruæ altitudinis aquis; veluti in Diluuio postea legitur, aquas quindecim tantum cubitorum fuisse super montes.

Paulus Burgensis Additionibus in Genesim in eandem sententiam properat; cęnosasque aquas vsque ad primum mobile conscendisse tradit.

a. *Abyssus; Omnia corpora Diaphana.*

CAIETANVS attamen paulò post ad omnia corpora diaphana abyssi significationem transtulit, dicens.

Cum his dictis de abysso applicata ad elementum aquæ, perspicaciùs intellige abyssi nomine vniuersam vo-lem

lem corporum simplicium diaphanorum. Ita quòd descripta dispositione in qua creata fuit Terra, describitur conditio communis omnibus corporibus simplicibus, quę simul cum Terra creata sunt. Commune autem est omnibus diaphanis, esse quantum ex se est obscura: hoc est non habere lumen, quo actualiter transpareant. Nam hoc habent ex lumine, quod est constitutiuum diaphani in actu. Est itaque sensus literalis, quòd fuerunt creata omnia corpora diaphana (Cœlestia, scilicet corpora, & tria elementa, ignis, aër, & aqua) obscura. Hæc enim omnia abyssi nomine significantur. Constat enim ex his altitudo non opaca immensa: non quòd infinita sit, sed quia, vt absque terminis maxima considerata spectat ad perfectionem huius diei. Meminit autem facierum propter facies diuersorum hemisphæriorum, vt intelligamus vbique obscuritatem fuisse.

VIELMIVS lectione octaua vberiùs hoc explicauit.

Porrò autem cùm multi sint abyssi, Psalmo quadragesimoprimo, Prouerbiorum octauo; vnde legimus abyssum Terræ, Psalmo septuagesimo, & abyssum aquæ. Iob vigesimo octauo. (Sunt enim elementa omnia, & Cœli, mole admodum vasta, ac profunda). Quæritur quinam abyssus hic fuerit, cuius hic Moses sermonem facit. Existimo igitur abyssum hanc appellari non ipsam solam aquam & Terram, sed corpora omnia, quæ à conuexa primi mobilis superficie, ad Terram vsque continentur, quæ tantæ sint profunditatis, vt penetrari, cognoscique ab homine non possint, vt sensus sit; Cùm nondum creata fuisset lux, omnia corpora hæc, quę perspicimus cęca, & circumfusa tenebris erant. Itaque nulla ratio fert, vt tenebra intelligatur hoc loco sphæra ignis sola, vt voluit Rabbi Moses libro secundo; sed simpliciter cuiusuis lucis, horribilis quædam carentia.

AVCTOR.

Existimarem ego Philonis interpretationem ad Idæam vacui abyssi nomen rapientem prorsus extorquere literam, ad inopinatosque & absconditos, ac planè imperceptibiles sensus eam deducere. Augustini expositiones abyssum ad naturam Angelicam in naturæ puritate, vel ad materiæ deformitatem significandam trahentes, peregrinas esse, atque allegoriam sapere. Hugonis ac Richardi explanationem, ut singularem consectandam non esse. Quapropter reliquas duas acceptiones à vero non abesse arbitror. Attamen explicatio illa, quæ abysi nomine, aquarum immensam molem capit, à tot, tantisq; Patribus delata, germanior, ac literæ arridentior mihi visa est: ex eo quòd Mosis non sit præcipua intentio totius Chaos deformitatem squalloremq; patefacere, atq; explicare, sed eius tantùm partis, quam Terræ nomine nuncuparat; quòd si Cœli nomine omnia supera, Cęlestes scilicet orbes, ignem, & aërem expressit Moses, Terræ autem hæc duo substrata elementa, Terram, & aquam, vt scitè profectò edocebat Vielmius; certè Moses non Cœli, sed Terræ, eorum scilicet corporum, quæ Terræ nomine proposuit, ruditatem, indecentiam, inuenustatem, permistionemque describere contendit.

Philonis, Augustini, & Hugonis expositiones reiciuntur.

Interpretatio uera.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Huius loci editiones diuersæ, ac multiplices comperiuntur. Hebraica lectio habet Veruah Elohim merachepheth al pene hamaim: hoc est, ex Lippomani sentētia; Et Spiritus Dei volabat, seu uolitabat, seu mouebat se super facies aquarum.

Chaldaica, eodem Lippomano auctore; Et spiritus Dei insufflabat super faciem aquarum.

Septuaginta verò, καὶ πνεῦμα θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος, idest; Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.

OnKeli: Spiritus à facie Dei flabat super facies aquarum. Ionathas; Spiritus, seu uentus misericordiarum, siue gratiæ flabat super superficies aquarum. Editio nostra habet; Spiritus Domini ferebatur super aquas. Pagninus, & Vatablus; Et Spiritus Dei agitabat sese in superficie aquarum. Caietanus; Et Spiritus Elohim cōmouens, seu uolans, seu cubans super facies aquarum. Lusitanus; Et Spiritus Dei sufflabat super superficies aquarum.

Quid significet vox, Veruah, incertum est apud Doctores.

a. Veruah nomen ambiguum est, significans vel ventū, vel spiritum.

HAMERVS Commentatione in Genesim.

Iuxta Hebraici sermonis ambiguitatem, Veruah, & Mundi spiritum, idest, ventum significat, & diuinum spiritum.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Hebraicè; Veruah Elohim merachepheth al pene hamaim.

a. *Veruah, nomen ambiguum est, significans vel ventum, vel spiritum.*
b. *Elohim, pluralis numeri est, & verti poterat; Dei.*
c. *Merachephet, significat mouere.*

Psal. 32. *spiritum. Pro vento enim in Iob legitur; Ecce ventus magnus. Pro diuino spiritu, haud dubio accipitur in Psalmo; Et in spiritu oris eius omnis virtus eorum. Septuaginta, πνεῦμα transtulerunt, quod æquè ambiguum est Græcis.*

STEVCHVS pariter in Genesis, caput primum.

Psal. 103. Gen. 6. Psal. 147. *Spiritus Hebraicè Veruah, estque ambiguum & ad ventum, & ad Spiritum Sanctum, reliquosq; spiritus, vt ait Basilius contra Eunomium; Spiritus etiam hominis est, vt illud; Auferes spiritum eorum, & deficient. Diuinus etiam est spiritus, vt illud; Non permaneat Spiritus meus in hominibus his. Ventus etiā dicitur spiritus: quale illud est; Flabit Spiritus eius, & fluent aquæ: multosque alios quis inuenire poterit. Sed quia hic additur Domini, constantissimè asseuerandum videtur, de Spiritu Sancto hic loqui Mosen.* Et post. *Variant & nostri, alij ventum, alij Spiritum Sanctum hunc esse asserentes. Hebræorum ferè omnes interpretes, de vento hic dici volunt: Præsertim Auen Ezra, qui hoc loco hęc refert; Ideò additum est ventus Domini, quia diuina voluntate missus fuerat, vt exiccaret aquas. Theodoretus constanter affirmat, de vento hic esse sentiendum.*

LVSITANVS Adnotationibus in Genesim.

Licet multi ex Sanctis, & nonnulli ex Hebræis hic per dictionem Ruach, idest, spiritum, Sanctum numen, seu Spiritum Sanctum intellexerint; dictio tamen Hebraica in Sacris literis, etiam cum illo additamento, Elohim, idest Dij, elementarem ventum significare inuenitur, & loco huic magis conuenire videtur. Psalmo enim centesimo quadragesimo septimo dicitur; Flabit Spiritus eius, proculdubio Dei; & fluent aquę. Et post. *Nec tamen inficias imus, Ruach, inueniri pro Spiritu Sancto, cùm legamus Isaiæ vndecimo; Requiescet super eum, scilicet Messiam, Spiritus Domini. Et capite sexagesimo primo; Spiritus Domini super me. Et quadragesimo octauo; Dominus misit me, & Spiritus eius. In quibus locis constat non posse pro alio, quàm pro Spiritu Sancto accipi. Vnde Sancti Patres putarunt Spiritum Sanctum in Mundi initio, tanquam producturum ex eis, quæ producenda erant, super aquas volitasse, aut ad modum gallinæ oua sua fouentis, ex quibus pullos est productura, super aquas incubuisse.*

RABBINI Hebræi Adnotationibus in Genesim.

Quidam Hebræorum intelligunt de vento: vt sit Hebraismus, Spiritus Dei, pro, ventus à Deo excitatus. Ita Psalmo centesimo quadragesimo septimo; Flabit Spiritus eius, & fluent aquæ; Vel dicitur Spiritus Dei, idest, ventus magnus. Cùm enim Hebræi magnitudinem alicuius rei significare volunt, adijciunt hoc nomen, Deus; vt Psalmo sexagesimo septimo. Mons Dei, mons pinguis.

b. *Elohim pluralis numeri est, & verti poterat; Dei.*

CAIETANVS.

Iuxta Hebræum, dictio interpretata Domini, est illamet dictio (scilicet Elohim) in plurali numero.

RABBINI Hebræi Adnotationibus in Genesim.

Scripta exemplaria vetera Sancti Dionysii & Germani, editio item Complutensis, legunt, Spiritus Dei. Hoc annotat & Sorbonicum Correctorium.

Quid etiam uox ea Merahephet propriè importet, dissident, variantque Doctorum sententiæ; nam alij ad motum, alij ad volitationem, alij ad incubationem, eius significatum trahunt.

c. *Merachephet significat mouere.*

LVSITANVS potius mouere, quàm incubare legendum censuit.

Aduertendum est etiam verbum Rachaph, à quo Merachepheth, significare propriè moueri, aut mouere se; vt patet Hieremiæ vigesimo tertio. Quia, Rachaphu, idest mota sunt, seu mouerunt se omnia ossa mea. Idem Deuteronomij trigesimo secundo; Sicut Aquila suscitabit nidum suum, idest pullos, super pullos suos Ierocheph, idest mouebit se. Solent enim aues, cùm pullos suos volare docent, prouocare eos, vt nidum exeant

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Merachephet, volitare denotat; & est participium.*
b. *Siue significat cubare, vel fouere.*
c. *Aut accipitur pro volitare, & incubare.*

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

excant volantes, & mouentes se super illos, vt iuuent eos, si opus fuerit. Sunt qui propter hęc verba Deuteronomij, putarunt verbum Merachephet, significare, incubare, quemadmodum cubat auis super pullos, aut oua; sed auctoritas ad hoc non ducit, sed ostendit motum illum, quo auis nidum suum suscitat, super pullos volitando. Isti sanè videntur paraphrasten Chaldæum sequi, qui hic vertit, Super filios suos tegmen facit, hoc est, pullos suos tegit.

a. *Merachephet, volitare denotat; & est participium.*

CAIETANVS pariter Commentarijs in Genesis caput primum.

Dictio interpretata, Ferebatur, non est verbum, sed participium præsentis temporis actiuum: & interpretatur commouens, siue cubans, more auium cubantium super pullos suos, seu volans. Ter enim in tota Biblia hæc dictio inuenitur: hic, & in Cantico Mosi Deuteronomij trigesimo secundo; vbi litera nostra habet, Et super eos volitans: & ab alijs interpretatur cubauit. Et demum Hieremiæ vigesimo tertio, vbi litera nostra habet; Contremuerunt omnia ossa mea: & significatur passiuè, Commota sunt omnia ossa mea. Ex istis siquidem locis posterioribus, tanquam clarioribus, eliciunt interpretes, quòd hoc in loco significatur commouens, aut cubans, aut volans. Sufflatio autem ex Chaldaica prodijt officina. Mihi verò quadrare videtur, quòd significetur volans; eò quòd in Sacra Scriptura volatione describitur pluries motus Cœli; vt patet in Psalmo decimo octauo. Equitauit super Cherub, & volauit super alas spiritus. Et in Psalmo centesimo quarto; Ponens densitates equitatum suum ambulans super alas spiritus. Vtrobique enim Angeli, cùm spiritum alatum describit, & volatus explicitè in primo meminit.

b. *Merachephet, cubare, seu fouere.*

HIERONYMVS econtrà libro Hebraicarum quæstionum in Genesim, habet.

Pro eo quòd in nostris codicibus scriptum est, Ferebatur, in Hebræo habet Merachephet, quod nos appellare possumus, incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris, oua calore animantis.

STEVCHVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Neque ignorarunt sanctissimi Patres Græci, id quod de hac voce ab Hebræis traditur: dicunt enim Hebræi præsentem vocem, propriè incubationem auium super oua significare. Basilius ergo sic; Superferebatur igitur exponunt pro eo quod est, confouebat, & viuificabat aquarum naturam, quemadmodum solet auis ouis incubare, & vitalem quandam vim eis infundere. Hæc sibi à quodam Syro relata dicit; quorum lingua similis Hebraicæ est. Diodorus autem & ipse optimè idem explicans, inquit; Innuit hæc dictio Superferebatur apud Hebræos, quòd quemadmodum auis oua confouet alis, vt ea quasi animet: sic spiritus superferebatur aquis, vt eas procreabiles efficeret.

c. *Merachephet, volitare, & incubare significat.*

RABBINI Hebræi in Adnotationibus.

Potior ea videtur esse opinio, quę de Spiritu diuino intelligit: vt hic sit sensus; Spiritus diuinus volitabat, idest agitabat sese super aquas; hoc est, fouebat substantiam illam aqueam & terream. Vox enim Hebræa Merachephet, pro qua interpres vertit Ferebatur; significat volitare, incubare.

LIPPOMANVS in Catena.

Rahaph enim verbum, volare, seu volitare, apud eos significat, licet secundum alios & mouere, & incubare, & agitare. Et est hic participium in piel.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Hebraicè; Veruah Elohim merachephet al pene hamaim.

a. *Merachephet significat incubationem, & agitationem.*

a. *Vel incubationem, et agitationem.*

STEVCHVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Deuter. 32.

Ferebatur. Septuaginta sequitur, qui & ipsi verterunt ἐπεφέρετο, *superferebatur. Sed alibi secundum Hebræos exponit. Hebraicè enim est participium à verbo Rachaph: quæ vox, vt ex omnibus alijs Scripturæ locis colligitur, tùm incubationem, tùm agitationem significat: vt est illud Psalmi Cantici Mosis; Sicut Aquila prouocans ad volatum pullos suos, & super eos volitans. Volitans autem interpretantur Hebræi desuper incumbens: concussionem autem, aut agitationem; vt est illud Hieremiæ capite vigesimotertio; Concussa sunt omnia ossa mea. Innuit igitur hic Moses illam venti agitationem, ac frequentem commotionem, quam efficit in aquis ventus.*

AVCTOR.

Vox spiritus plura significat.

Commen. in Apolog Nazianzeni. Lect. 8.

Ioan. 4. Psal. 103.

Lib. 1. de nat. Deorum. Ecclesiast. 12.

Matth. 26.

Prou. 17. 3. Reg. 10.

Psal. 148.

Ex his omnibus decerpere mihi liceat voces præadnotatas tùm in Hebræo, tùm in Græco, tùm Latino idiomate, ex propria earum significatione non certum, exploratumque nobis sensum reddere. Primùm siquidem vox ea Spiritus, non tantùm in Hebraico idiomate, vt adnotarunt Doctores, sed & in Græco, vti obtestatus est Hamerus, plura significat: in Latino autem nostro, amphibola est; seu vt rectiùs loquar, analoga & apud sacros, & apud prophanos Scriptores, atq; non tantùm ad duo, sed etiam ad plura significata rapitur. Colligit has spiritus significationes eleganter Elias Commentator Patrum insignis. Vielmius quoque & fusè, & luculenter eas edisserit; quas ego summatim perstringam. Spiritus itaque nomine, Scripturæ quandoque Deum capiunt; qua significatione, Ecclesia Catholica, Origenes primo Periarchon, Epiphanius contra Pneumatomachos, & Patres, Doctoresque illud Ioannis accipiunt; Spiritus est Deus. Quandoq; Angelum, quo in sensu ait Propheta; Qui facit Angelos suos spiritus. Nam vel corporis expertes sunt, vt censuit Patrum numerosa Classis, vel si cognata corpora gestant, vt Basilius, ac sectatores existimarunt, ea subtilissima, tenuissimaque sunt, qualia pseudeorum suorum corpora Epicurus fingebat, hoc est, teste Cicerone, exilia, atque vt aiebant, monograma, idest, vnilinea. Quandoque hominis animam: vnde legitur; Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum; nempe quando inspirauit in hominem spiraculum vitæ. Quandoque animæ partem celsam eam, quæ Deum anhelat: vnde illud; Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Quandoque animi affectiones, vt illud; Spiritus tristis exiccat ossa. Quandoque halitum: & de hoc scriptum est; Non habebat vltra spiritum. Tandem quandoque etiam aërem, maximè cùm est commotus, direptus, & iactatus: vt eo loco; Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Rapi igitur potest vox ea Spiritus ad plures significationes; nec vllum certum argumentum exhibet vocis emphasis, ad vnicam, propriamque significationem decerpendam. Porrò & verbi illius Merachephet, cùm diuersimodè transferatur, significatio nulla certa est. Verum harum editionum ambigua varietas vnum tantùm nobis pręstāt, & exhibent, quòd enucleatiùs nobis declarant, quid per Ferebatur intelligendum sit. Cæterum ex his multa in vnum proficiscuntur, coinciduntq; ferè, vt ferebatur, superferebatur, mouebatur, cōmouebatur; seu mouebat, commouebat, alia agitationem, & celeritatem maiorem addunt: vt volabat, volitabat: nōnulla diuersum sensum ferunt, vt cubabat, fouebat, stabat, & flabat, sufflabat, insufflabat. Discrepantiæ illæ Dei, & Domini; verbi, & participij; super aquas, & super superficiem aquarum; nullius mihi ponderis videntur. Hæc de editionibus.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Hoc est, Spiritus vitalis Mundi superferebatur super materiam rerum visibilium.*
b. *Siue, Deus ferebatur super Cœlos motione, quam ipsis contulit.*
c. *Vel, Deus motu supremi Orbis viuificabat aquas.*

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

a. *Spiritus Domini, idest Spiritus vitalis Mundi, superferebatur super materiam rerum visibilium.*

AVGVSTINVS sententiam hanc visus est subobscurè insinuasse, cũ libro de Genesi imperfecto, capite quarto habet, pro secũda huius loci expositione.

Potest autem & aliter intelligi, vt Spiritum Dei, vitalem creaturam, qua vniuersus visibilis Mundus, atque omnia corporea continentur, & mouentur, intelligamus: cui Deus omnipotens tribuit vim quandam sibi seruiendi ad operandum in ijs quæ gignuntur. Qui Spiritus, cùm sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam, omnis inuisibilis creatura antecedit, non absurdè Spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex ijs quæ condidit, cùm etiam de ipsa Terra dictum sit; Domini est Terra, & plenitudo eius: & illud vniuersali complexione, quod scriptum est; Quoniam tua sunt omnia Domine; qui animas amas? Sed tunc potest iste spiritus sic intelligi, si quod dictum est; In principio fecit Deus Cęlum & Terram, tantùm de visibili creatura dictum sentiamus, vt super materiam rerum visibilium in exordio fabricationis eorum superferretur, inuisibilis spiritus qui tamen etiam ipse creatura esset, idest, non Deus, sed à Deo facta, atque instituta natura. Si autem vniuersæ creaturæ, idest, intellectualis, & animalis, & corporalis, materia creditur illo aquæ vocabulo enunciata, nullo modo hoc loco Spiritus Dei potest nisi ille incommutabilis, & sanctus intelligi, qui ferebatur super materiam omnium rerum, quas fecit, & condidit Deus. Psal. 23. Sap. 11.

Animaduertas non affirmasse Augustinum, Spiritum vitalem, quem alij fortè animã Mundi uocant, per Spiritum Domini intelligendum esse, cùm illud dixerit sub hæsitatione, & alias interpretationes adiecerit, ut fortè probatiores, & verisimiliores.

b. *Vel, Deus ferebatur super Cœlos motione quam ipsis contulit.*

AEGIDIVS in secundo, distinctione duodecima, articulo secundo, sed expressiùs in Hexæmeron prima parte, nuperam, ac subtilem quandam interpretationem in Ecclesiam intulit, cùm scripsit. Cap. 18.

Vel possumus, si volumus, per aquas sic fluctuantes intelligere omnes Cœlos mobiles, vt hæc quinque, videlicet, Cœlum, Terra, Abyssus, Tenebræ, & Aquæ fluctuantes, referantur ad hæc, scilicet ad Cœlum Empyreum, ad elementum Terrę, ad aquam immixtam aëri, ad ignem, & ad omnes Cęlos mobiles, super quos, tanquam super aquas motas, ferebatur Spiritus Domini, non secundum se, at secundum ipsos Cęlos, quos fecit mobiles, qui erant sui effectus. Imaginabimur ergo, quòd statim quòd fuit Vniuersum creatum, omnes Cęli mobiles, qui sunt nouem, videlicet; septem Cœli septem Planetarum; firmamentum, siue octaua sphæra; & vltimum mobile, siue Cęlum crystallinum, incœperunt rotari, & etiam moueri ab Oriente in Occidens, & etiam cum eis rotari, & moueri cœpit elementum ignis, & etiam elementum aëris sic immixtum aqua, excepta illa parte aëris, quæ erat inclusa inter quæcunque obstacula: & iste motus erat proprius primi mobilis.

c. *Seu, Deus motu supremi Orbis viuificabat aquas.*

BVRGENSIS Additione prima, non tantùm approbat, sed & mirificè hanc extollit sententiam, exponens illud Diui Hieronymi; Ex quo intelligimus non de Spiritu Mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto, qui & ipse viuificator omnium à principio dicitur: de quo Psalmista; Emitte Spiritum tuum & creabuntur, &c. ait. Psal. 103.

Quæ quidem viuificatio potest rectè intelligi secundum motum primi mobilis. Nam motus, secundum Philosophum octauo Physicorum, est vita rerum naturalium; & cùm inter omnes motus rerum naturalium motus primi mobilis sit primus & præcipuus, & à quo omnes motus corporales regulantur, & mensurantur, tanquam à prima omnium motuum mensura, & à Deo tanquam à primo mouente principaliter causatus: idcirco in primordio creationis rerum naturalium, de hoc primo motu, tanquam de vita rerum naturalium sit men- Deute. 33.

 tio,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Idest, Angelus mouebat Cœlum motu velocissimo.*

tio, attribuendo ipsum motum Deo in persona Spiritus Sancti, cui appropriatum est viuificare. Et Post. Hoc loco, Ferebatur, non debet intelligi aliquid passiuè in spiritu Domini, ne hæc dictio merahephet, quod in Hebraico in hoc loco ponitur, est verbum passiuum, sed merè actiuum; significans quòd Spiritus Domini fouebat & viuificabat aquas, ad similitudinem gallinæ cubantis, & vitalem virtutem his, quæ fouentur tribuentis: quæ quidem viuificatio in hoc loco intelligitur per primum motum, qui est præcipuè viuificatiuus corporũ naturalium, vt dictum est: vnde simile verbum omninò habetur Deuteron. vbi dicitur; Sicut Aquila prouocans ad uolandum pullos suos, &c. quod est propria similitudo ad propositum. Nam sicut auis mouet pullos suos ad uolandum; & sicut eos fouet, & viuificat; sic Deus primum mobile mouet ad viuificandas creaturas corporales; licet enim sit aliqua intelligentia immediatè mouens primum mobile, de quo hic agitur, tamen prima caussa, & principalis huius motus Deus est, in quo omnes creaturæ viuunt, mouentur, & sunt.

Deuter. 33.

a. Idest, Angelus mouebat Cœlum motu velocissimo.

PROCOPIVS expressiùs Cœli nomine, Angelum capi posse, edocuit Commentarijs in Genesis caput primum.

Sunt qui intelligunt sub dictione Spiritus, sanctas potentias & virtutes, quemadmodum sub voce abyssus, capi voluere contrarias, quibus præest caligo, nempe Diabolus.

CAIETANVS in Genesim primi illius orbis motus, cuius Aegidius diuinam virtutem, vel Deum dixerat auctorem, ipse Angelum ministrum fuisse maluit; atque horum verborum ita interpretationem deducit; vt ex ipsa hunc extrahat sensum, quòd Angelicus spiritus mouebat Cœlum motu uelocissimo. Audias ipsum luculentissimè profectò hoc prodentem, atque etiam cumulatissimè infrascriptis verbis declarantem, & exponentem.

Sensus est, quòd Angelicus spiritus minister Dei iudicis, secundum formam iustitiæ distributiuæ distribuentis omnia, mouebat Cœlum motu velocissimo. Quòd enim sit sermo de spiritu Angelico, seu substantia spirituali, habetur tum ex auctoritate Dauidis. Nam in præfato Psalmo centesimo quarto, laudando Deum, incohat ab opere creationis. Et in illius Psalmi principio, cùm dixißet de Deo, Ambulans super alas spiritus, (proculdubio Angelici) statim subiungit, Faciens Angelos suos Spiritus: apertè insinuans Spiritum Dei in principio creationis commemoratum à Mose esse spiritualem substantiam, cui Deus dedit officium nuncij. Tũ ex ipsa serie rerum creatarum: dixerat enim Cęlos & Terram creatos, & descripserat in qua dispositione creata fuit Terra: supererat, vt describeret in qua conditione creatum est Cœlum, videlicet in motu: nam secundum veritatem, Cęlum in principio temporis creatum est secundum initium motus: initium siquidem temporis respondet initio motus. Et describendo spiritum motorem Cęli, manifestat, quòd motus Cœli non est quemadmodum motus grauium & leuium, sed est à substantia spirituali, quam constat esse motorem à proposito: & apponendo Elohim, aperit Spiritum illum subijci Deo distribuenti omnia. Siue autem intelligatur commouens, siue volans, idem est sensus; nisi quòd velocitas summa inter motus vitales exprimitur per metaphoram volationis. Si autem legitur cubans, vita ipsius Cœlestis motus insinuatur, ex hoc quòd fouetur à Spiritu. Est enim primus motus velut vita omnium corporalium; & hoc habet à spirituali substantia. Quòd autem dicitur super facies aquarum, manifestè significat supremum Cœlum, quod in opere secundę diei appellatur aquę super Cœlos. Motor siquidem Cœli in circumferentia est Cęli, non in centro, & in circulo illius maximo, quem æquinoctialem vocamus, quia ibi apparet, & est motus velocissimus. Cum his quoque perspicaciùs intellige spiritus nomine, non vnicum tantùm spiritum, sed Hebræo more, vniuersam multitudinem spirituum mouentiũ Cœlos, spiritum nominauit. Super facies aquarum, hoc est, Cœlorum; qui propter perspicuitatem absque luce pro tunc appellantur aquæ: & in singulorum circumferentijs Spiritus mouentes sunt; & propterea à Mose diffiniuntur super facies aquarum.

Cap. 18.

Hæc Caietanus: quæ vt singularia reticenda minimè censui. Redarguunt & carpunt posteri has interpretationes, veluti commentitias, à veroq; excidentes.

VIEL-

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Idest, Deus ferebatur super naturam Angelicam.*
b. *Vel Angelica natura præcellebat dignitate corporeæ.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

VIELMIVS Lectione octaua, ita ait.
Vel Cœlestes orbes, inquit, adeò sunt animati, quod ex motore, & orbe vnum conflet ur, aut sunt duo adeò sua specie absoluta, vt vnum fieri illa non possint; si duo, etsi velocissimè ciantur orbes, non ob id Angelos mouere se, seu quod maius est volitare censendum est, cùm non nisi per accidens loco moueri intelligentia motrix dicatur, & virtute magis, quàm substantia, nec hoc semper, sed cùm totum mobile mutat locum. Si vnum ea esse asseuerabitur, iam hoc est erroneum Origenis placitum. Amplius Cęlum sua conuersione non mutare locum secundum totum, sed secundum partes, conspicuum est apud Philosophos: Quare non potest illius anima moueri vel per se, vt aiunt in Scholis, vel per accidens.

Deinde adijcere his possumus, vt quid à summo opifice insitus hic motus? Num ad gignendas res, aut fortè viuificandas? minimè certè, cū Cœli circumlatio sola absq; luce mixta ipsa gignere, ac viuificare nequeat. Num ad ferendā ipsam lucem, seu Solem, quo verè hæc omnia mixta generantur, aluntur, ac fouentur? Neque hoc esse potest: lux enim primo die, ac Sol quarto conditus est. Superflua igitur fuisset hæc in orbem versio, eo magis, quòd Deum, non motu Cœlorum, sed sua virtute omnia primò condidisse, compertum est.

Verùm enimuerò, qui Caietani partes tutandas susciperet, facilè has illatas obiectiones prosterneret. Nam certè non Angelum ipsum se mouere, seu volitare asseruit Caietanus, sed ab effectu, quòd Cœlum motu verteret velocissimo, ea serie, qua & nunc etiam rapit; Nec ob id primum Cœlum in orbem cieri voluit, vt eius motu res ipsæ gignerentur sine luce; sed vt temporum rationes præstaret, & propensionem ampliorē in substrato Chaos, quod Deus sua post uirtute perfecturus erat, insereret. Verùm quod his Doctoribus, mea quidem sententia, arduum negocium facit, est literę Mosis metaphorica, quam ipsi inducunt, interpretatio, cùm voces longè pertrahant à populari intelligentia; quòd etenim nomine aquarum Cœli significentur, figuratum, peregrinū, ac non usitatum est, atque etiam à Mose alienum: consentaneum enim non est, Mosem hoc loco aquarum nomine Cœlos indicasse; in opere verò secundi, tertij, ac quinti diei, eomet nomine, aquam uerum elementum significasse.

Defensio Caietani.

a. *Idest, Deus ferebatur super naturam Angelicam.*

GREGORIVS Nyssenus in Hexæmeron.
Existimamus igitur, quòd tantùm absit, vt spiritus Dei tenebrę sint, quantum etiam ab omni malo alienus est. Atque innumerę de hac sententia voces Sanctæ Scripturæ in medium afferri possunt, quòd & lumen verum sit Deus, & lumen inaccessum incolat. Spiritus autem Dei, natura idem est cum ipso Deo: quòd si vna natura Dei & spiritus, atque lumen est Deus, lumen prorsus fuerit etiam spiritus Dei. Porrò lumen efficit, vt in lumine prorsus versentur illa, super quæ fertur: igitur aqua, supra quam spiritus Dei ferebatur, in lumine prorsus, & à caligine seiuncta erat: quę autem in tenebris non versabatur, ne eius quidem, qui illuminaret, prorsus indigebat. Quòd si hęc, prout probabile ac par est, intelleximus: vtique aqua, supra quam spiritus Dei ferebatur, aliquid aliud, atque hæc fluitantium aquarum deorsum vergens, atque inferum locum petens, natura est: quæ firmamento ab ea, quæ & grauis est, & deorsum fertur, aqua dirimitur & arcetur.

Verùm & hoc placitum iam ante dictis rationibus improbari videtur, tùm quod voces ad peregrinas extorqueat significationes, tùm quòd nullo alio loco Moses, aquarum nomine, Angelos denotarit.

b. *Idest, Angelica natura antecellebat dignitate corpoream.*

AVGVSTINVS in Quæstionibus ex Veteri Testamento, parte secunda,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Idest, Natura quædam viuificatrix, tenuis, lucida, insidebat media inter Cęlum & Aquam.*
b. *Siue, vis, ac motus quidam vitalis disponebat aquas ad fœtum.*

da, fortè perperam ei adscriptis (cùm uaria, ut adnotarunt Theologi Louanienses, contineant Augustino indigna, & à veritate aliena) quæstione secunda.

Moyses autem cùm creaturam hylicam, idest, confusionem rerum describeret, quæ vtique sensu bruta est, super Terram, & abyssum, & tenebras, & Spiritum Dei superferri interlocutus est, vt ex eo spiritu, & loco in quo ferebatur, superior creatura, quam spiritalem dicimus, cognoscatur. Nam & ex eo quòd superferri illum dixit, creaturam illum significauit, quia omnis creatura Dei fertur virtute à quo accepit vt sit. Nam quis credit, vt Spiritus Sanctus super aquas ferretur, quem constat vtique super omnem esse creaturam? Si enim Christus in dextera Dei est super omnes Cœlos, illic est & Spiritus Sanctus.

a. *Idest, Natura quædam viuificatrix, tenuis, lucida, media erat inter Cœlum & aquam.*

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum, libro secundo.

At Spiritum, qui ferebatur super aquas, largitus Deus creaturæ vt eius opera possit producere viuentia, non secus ac homini animam attribuit, tenue tenui commiscens: Spiritus nanque sua natura tenuis est, itidem & aqua. Cæterum aqua addita spiritui nutrit & conseruat creaturam vniuersam per omnia means. Vnum quidem spiritum lucis, qui formam obtinet, inter aquam & Cęlum constituit medium, ne tenebræ communicarent cum Cęlo, quod proximum Deo est, antequam ipse diceret, Fiat lux.

Nescio an scitè perceperim sensum huiusce eximij Patris: sed si spiritus nomine, rem quandam substantificam, viuificam, tenuem, lucidam, mediam tùm natura, tùm situ inter Cœlum omnia contegens, & aquas subter defluentes intellexit, vt intellexisse videtur, quemadmodum & tenebrarum nomine caliginem quandam crassam accepit: certè recens, atque inopinatum nobis spiritus genus deprompsit. De quo iudicium ferendi solerti lectori munus relinquo; & fortè non oscitanter etiam considerandi, quid ipse hac sua uoluerit sententia; & num à uero exciderit.

b. *Scilicet vis, ac motus quidam vitalis disponebat aquas ad fœtum.*

Altera est interpretatio Patrum, qui spiritus nomine, non Deum, vel Angelum, sed vim quandam vitalem in aquis impressam, ac insitam, ipsas ad fœcunditatem disponentem intellexere.

IO. CHRYSOSTOMVS in Genesim, Homilia tertia.

Quid sibi vult, quod dicit, Et Spiritus Dei superferebatur super aquam? Mihi videtur hoc significare, quod affuerit efficax quædam, & vitalis operatio aquis, & non fuerit simpliciter aqua stans & immobilis; sed mobilis, & vitalem quandam vim habens. Nam quod immobile, omninò inutile est: quod verò mouetur, ad multa conducit. Vt igitur doceret nos beatus ille Propheta, aquam illam, magnam & ineffabilem habere vim, & vitalem quandam, dicit; Et spiritus Dei superferebatur super aquam; idque non absque ratione Scriptura diuina præueniendo dicit, eo quod postea dictura est nobis, quòd animalia ex aquis istis, iuxta præceptum Dei omnium conditoris, producta sint: propterea auditorem hic nostrum docet, quòd non solum aqua illa sit conditu, sed quod moueatur, & discurrat, & omnia alluat.

Glossa Locupletata initium huius sententiæ, in Ordinaria inseruit.

AVGVSTINVS Sermonibus de Tempore, sermone centesimo trigesimo quarto, qui tertius est in Vigilia Paschæ.

Hic spiritus quidem res est Dei: non tamen ipse Deus intelligetur esse. Nam etsi Spiritus dicitur, non omnis spiritus Deus est. Sic enim spiritus Dei dictus est, quomodo & Angelus Dei; hoc est, res Dei, non tamen ipse Deus, qui spiritus Dei. Hic ergo spiritus, qui superferebatur aquis, seminarius est animandæ conditionis.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Idest, ventus validus, vel aër vehementer concitatus, exiccabat aquas.*

ditionis. Vnde & aquæ, & terræ mox, iussu Dei, emerserunt, quia nec aqua, nec terra viueret, aut aliquid generaret, nisi hoc Dei Spiritus animaret. Vnde & terra fruges, & aqua produxit pisces.

DIODORVS idipsum visus est sensisse, cùm ait.

Potes etiam per Spiritum Dei, efficientiam intelligere: vt cùm Mosi dictum est; Tollam de Spiritu tuo: hoc est de gratia, & efficientia tua. Num. 11.

PROCOPIVS Gazęus Commentarijs in Genesim, capite primo, non reiecit hanc interpretationem.

Visum est quibusdam Spiritum Dei, hoc loco nuncupari operationem, & efficaciam Dei; qua fouet, & gubernat aquarum naturam.

PERERIVS satis extulit hanc sententiam, cùm plura ex Scripturis eiusdem locutionis genera deduxisset.

Frequens enim est in Scriptura, per Spiritum Dei, significari subitam quandam vim, & extraordinariam Dei motionem, ad aliquid magnum, & eximium agendum. Sic legimus libro Iudicum, capite quartodecimo; Spiritum Domini irruisse in Sampsonem, & discerpsisse Leonem: & in Saulem, libro primo Regum, capite vndecimo, & minutatim concidisse bouem: In Eliseum quoque, libro quarto Regum, capite secundo, & statim prophetare cœpisse. Hac etiam significatione dicitur Spiritus Dei sustulisse Eliam in Cœlum, & rapuisse Philippum: & apud Danielem, capite quartodecimo, dicitur Angelus Domini apprehendisse Habacuch in vertice eius, & portasse in capillo capitis, & posuisse in Babylonem super lacum Leonum in impetu spiritus sui. Ideò autem Moses docere voluit, in principio vim, & efficaciam Dei affuisse aquis; vt intelligeretur, quæcunque postea ex aquis, iussu Dei, puncto temporis facta esse narrantur, non esse facta natiua facultate, & potestate aquarum; sed supernaturali virtute Dei, quæ aquis illis aderat. Sicut etiam, cùm dicitur Sampson, irruente in eum Spiritu Dei, discerpsisse Leonem, significatur non id fecisse Sampsonem naturali robore, & proprijs viribus, sed mirabili quadam virtute tunc ei à Deo indita.

VIELMIVS redarguit hoc Commentariũ lectione octaua, dũ inquit.

Atqui, & hic quoque hęrere cogimur, quòd elementa motionem effectiuè à generante, formaliter autem à suis eorum formis, sicut & energiam, & efficaciam vnà cum esse, dum crearentur, obtinuerint, & vim efficiendi nullam reuera possint habere, cùm materia, & efficiens in vnum nunquam coëant.

Quibus & superinferre possumus sciscitando: An hæc vis, efficaciaque ita aquis indita erat, vt in eis perpetuò foret permansura; An supranaturalis aderat eo sanè tantùm tempore impertita: Quòd si natiua erat virtus, igitur rerum ipsarum, auium scilicet, & piscium productio, non à Deo summo, ac præstantissimo agente effecta est, sed sola insita vi ipsius aquæ. Si autem aderat virtus superna pro tunc aquis elargita, certè virtus erat Altissimi, Spiritus Sanctus, inquam, non corporali aliqua specie, sed virtute aquas fouens, aquis superlatus: nec siquidem exemplum vllum adduxere de motione, seu ui, sensili in creatura, à Deo immissa, quæ Spiritus Dei vocata sit, sicut præsens de aqua occasio efflagitabat. Deinde exempla delata Sampsonis, Saulis, Elisei, aptiùs de collatis Spiritus Sancti donis interpretari possunt. Dicere siquidem quis posset in Sampsone, & Saule donum, seu Spiritum fortitudinis, & in Eliseo Spiritum Prophetiæ, ea mirifica patrasse. Porrò Eliç, Philippi, Habacuch raptus, Angelorum ministerio effectos fuisse, quis abnuet? Angeli siquidem Spiritus Domini à scripturis sæpius nuncupantur.

a. *Idest, ventus validus, vel aër vehementer concitatus, exiccabat aquas.*

PHILO Libro de Gigantibus.

Dicitur Dei Spiritus vno modo aër fluens supra Terram, tertium elementum, quod super aquam vehitur.

Quamobrem in libro de Mundi Opificio, ait.

Spiritus

Spiritus Dei ferebatur super aquam. Aër enim, cùm sit leuis, attollitur, & sursum fertur, aquam pro basi habens.

RABBI Moses, teste Hamero Commentatione in Genesim, & Auen Ezra, & Hebræi ferè omnes interpretes, Spiritus Domini nomine, ventum capiunt. Vnde Rabbi Moses.

Num. 11. *Ideò autem dictus est ventus Spiritus Domini, quia fecit ipsum mobilem, scilicet flantem. Motus autem*
Exod. 15. *venti, semper attribuitur Creatori, sicut Scriptura dicit; Ventus motus est à facie Domini. Et iterum; Fla-*
Exod. 10. *sti cum Spiritu tuo. Commouit Dominus ventum ab Occidente.*

AVEN EZRA etiam.

Ideò additum est ventus Domini; quia diuina voluntate missus fuerat, vt exsiccaret aquas.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia secunda, interpretationem hanc nō prætermisit, nec reiecit, licet neque vt veriorem approbarit.

Siue hunc dicat Spiritum, diffusionem fuisse aëris, accipe tibi Mosem horum auctorem, Mundi singulas partes enumerantem, tibiq; recensentem, quia fecit Deus Cœlum & Terram, aquam, aërem, & hunc diffusum iam, ac diffluentem. Num. 11.

Glossa Locupletata hunc Basilij locum non prætermisit.

DIODORVS, vt in Catena Lippomani.

Superferebatur autem, Hebræa vox per metaphoram significat, Spiritum veluti gallinam aquis incubantem, easq; tanquam alis confouentem. Vel Spiritum, idest ventum intellige, qui motu suo aquarum naturam alterat, vnde & ortum ducit. Dei verò addidit, vt huiusce operis caussam Deo ascriberet. Si quis verò Spiritum Dei, Spiritum paraclitum intelligat, haud à vero aberrabit.

ANASTASIVS Synaita Commentarijs in Hexæmeron, libro primo, his visus est consensisse, cùm incongestam Mundi speciem describens, ait.

Sed densum quendam, & ad vesperam omninò vergentem, profundumque & tristem, atrumque, & omninò tenebricosum, per ea quæ dicta sunt, descripsit Moses Mundum terrestrem, opertum diuersis quibusdam veluti integumentis, & velis, tanquam coacta, & compressa Terra, vt quæ simul sit in tenebricosis, & in umbra mortis, in terrestribus Hærebi; partim quidem suffocata aquis, quæ ei sunt impositæ, partim autem offusa tenebris abyssi: deinde Spiritu venti, qui vehementer fertur super aquam, ab vndis iactata, & agitata. Ferri enim, significat vehementiam motus, & impetus aëris.

Et libro tertio, hanc quasi ex aliorum sententia, recitat interpretationem.

Quamobrem de regione Aegypti dici potest in tempore ascensus aquarum, quòd terra Aegypti est inuisibilis, & incomposita, & tenebræ caliginis & tempestatis supra abyssum huiusmodi aquarum; & Spiritus Dei (hoc est venti renouatio) fertur supra aquam. Sic enim interpretati sunt multi Interpretes; Et tenebræ erāt supra aquas, & Spiritus ferebatur supra eas. Non enim dixit, inquiunt, Scriptura; τὸ πνεῦμα θεοῦ cum articulo; idest, Spiritus ille, sed πνεῦμα θεοῦ, absque articulo, idest, Spiritus Dei; hoc est, vnus ex quatuor Spiritibus ventorum ferebatur super aquam.

THEODORETVS Quæstionibus in Genesim, quæstione octaua.

Quibusdam videtur fuisse Spiritus Sanctus, qui viuificabat, & fæcundabat aquarum naturam, præfigurans quodam modo gratiam baptismi. Verius autem putauerim, quòd hic aërem vocet Spiritum. Nam cùm dixisset, Deum creasse Cœlum & Terram; & aquarum meminisset sub nomine abyssi, necessariò & aëris mentionem fecit, à superficie aquæ ad Cœlum vsque permeantis. Aëris enim natura est, vt circa inferiora corpora feratur, & agitetur. Aptissimè autem verbum istud, Ferebatur, substantiam aëris mobilem indicat. Quod si quis huic interpretationi non assentitur, propterea quòd scriptum est; Spiritus Dei ferebatur super aquas;
Psal. 147. *audiat beatum Dauid dicentem de Deo omnium conditore; Flabit Spiritus eius, & fluent aquæ. Certum est, quòd ventum ipse vocauerit Spiritum, etsi verbo non expresserit. Si quidem Euro, aut Notho flante, aquæ congelata dissolui solet, & liquefieri.*

ATHANASIVS quæstione octuagesima prima ex Veteri Testamento.

Int. *Qualis erat ille Spiritus, qui ferebatur super aquas?* Resp. *Videtur quidem quibusdam, quòd Spiritus ille, Sanctus sit Spiritus, viuificans aquarum naturam. Ego verò haud absurdè per illud verbum, Ferebatur, dico significari motiuam aëris essentiam: etiam iuxta Dauid de Deo huius Vniuersi, dicentem; Flabit Spiritus eius, & fluent aquæ.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum, adeò hanc prosequitur sententiam, vt exponentes hoc loco de Spiritu Sancto damnet, ac reijciat.

Quidam volunt hic intelligendum esse Spiritum Sanctum, quod colligunt inde: quia dicitur, Spiritus Dei, quod de solo Spiritu Sancto dicitur. Nam Hebraica vox significat, quasi Spiritus incubet, foueat instar auis aquam, eamq; ad generationem animalium moueat. Qua re docemur elementa nullam vim tenere, vt possint absque reprehensione per se suas operationes absoluere, scilicet animalia procreare, aut incubare: verùm, hæc fieri

fieri omnia virtute diuina. Cæterum nulla vox Græca potuit sua significatione ista perfectè exprimere; quapropter ait, Ferebatur: quod quidem alienum est à Spiritu Sancto, nisi fortè quis, quemadmodum illa; Deus ascendit, descendit, & ambulabat: etiam hanc dicendi formam intelligat. Sed quidam hunc sensum exibilarunt, haud decere existimantes, vt creaturæ ingenitum connumeretur. Proinde voluerunt Spiritum Dei hoc loco significare aërem, vel ventum. At quare inquit, Spiritus Dei? Quasi verò cætera omnia non Deo attribuantur. Cæterum aër, vel ventus, Deo magis quàm reliqua congruit. Siquidem reliquis subtilius, & substantijs incorporeis est propinquius istud elementum. Propterea istoc nomine vocatur, quo sacra Scriptura Diuinam naturam appellare consueuit. Sed ne plus quàm decet, aëri tribuamus, eumq; quid increatum credamus, meritò subiunxit Moses; Dei, quo auctore, sicut & alia, suam essentiam nactus est. Quòd verò non abhorreat à consuetudine Scripturæ aërem vocitare Spiritum cum additione dictionis, Dei; audiatur Dauid de aëre, & alijs, quæ in hoc elemento produci assolent, disserens; Ipse dat niuem sicut lanam, & pruinam velut fauillam spargit: proijcit velut fragmenta glaciem suam, &c. Et iterum; Facit flare ventum suũ, & fluent aquæ. Non igitur ex his nunc apparet, Spiritum aliquando dici in Scriptura aërem, aliquando verò ventum; qui est opus Dei, & secundum huius voluntatem mouetur; & talia, qualia Moses recenset, efficit? Psal. 147. Ibidem.

TOSTATVS Expositione in Genesim.

Hebraica lectio habet, Ruha elohyn merahefeth alpene hamayn, quod interpretatur, Ventus Domini flabat super aquas; idest, Ventus missus à Deo. Et est sensus, quòd postquam Deus distinxit quantum ad substantiam elementalem, ita quòd esset terra & aqua; tamen adhuc manebat aqua super totam Terram: deindè congregata fuit aqua ad locum vnum, voluntate diuina, vt patet infra. Mansit autem Terra madefacta, & limosa: ideò induxit Dominus ventum vrentem flantem, scilicet Boream; & desiccauit Terram: & iste ventus ferebatur super aquas separando, & desiccando aliquas remanentes in locis infimis, vel concauis. Et sic habetur Exodi decimoquarto capite; vbi dicitur, quòd quando Hebræi transituri erant Mare rubrum, Deus induxit ventum, qui desiccauit, & abstulit aquas s. Cùmq; extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrenti tota nocte, & vertit in siccum. Iste sensus multum mihi placet, & hoc satis innuit litera nostra, quæ dicit, Ferebatur; quod signat motum, scilicet flare: & Spiritus aliquando ventum notat: vt patet Psalmo decimo; Pluet super peccatores laqueos ignis, & Spiritus procellarum, idest ventus impetuosus. Sic etiam centesimo quadragesimo octauo; Ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum, idest ventus, quæ faciunt verbum eius. Et si arguas, quòd hoc repugnat positioni secundę, scilicet quòd in prima die non fuerit terra, nec aqua, sed illud corpus materiale: sed in secundo die fuerint aquæ factæ, & distinctæ à terris. Respondetur, quòd non repugnat, quia ista dicuntur per anticipationem, sicut sæpe fit in Scriptura, & patet sequenti capite, quòd in isto ponitur creatio, vel productio omnium rerum vsque ad hominem, qui fuit vltimus: & sequenti capite agitur mentio de productione, vel plantatione lignorum Paradisi, quæ fuit quinta die, scilicet ante hominem. Sic etiam infra decimo capite agitur de filijs Sem, Cham, & Iaphet, quomodo fuerint in generationibus suis, & linguis suis; deinde capite vndecimo dicitur, quòd erat terra labij vnius: & ideò sexta regula exponendi Sacram Scripturam inter regulas Ticonij est de anticipatione & recapitulatione. Item si arguas, quia dicitur in opere secundi diei, Congregentur aquę, quæ sub Cęlo sunt, in locum vnum, & appareat Terra arida: Ergo videtur, quòd inter diuisionem aquarum à Terra, & apparentiam aridæ, non fuit mora. Respondetur concedendo, quòd postquam totaliter aquæ reliquerunt superficiem Terræ nostræ habitabilis per ventum vrentem, immediatè apparuit Terra arida, quia ventus erat valde fortis, & vrens; vel quòd Deus sine vento separauerat aquas, & post per ventum desiccauit. Exod. 14. Exod. 15. Psal. 69.

LVSITANVS Commentatione in primum caput Geneseos; Cùm supra Ruach, & ventum, & Spiritum significare demonstrasset, post plura ait.

Quia tamẽ aquæ erant statim exsiccãdæ à Terra, & in locũ vnũ cogendæ; videtur potius ventũ ad hoc fuisse à Deo immissum, vt coactis ad suũ locũ aquis, Terra à vento exsiccaretur, vt siccũ hominibus & animantibus præberet habitaculum. Cuius simile habes Exodi decimoquarto: vbi; cùm Dominus esset rubrum mare ad Iudæorum transitum exsiccaturus, ventum tota præcedenti nocte immisit, quo Terram, quæ Mare antea fuerat, exsiccauit. Sic enim textus habet; Fecit Dominus abire Mare per ventum Orientalem fortissimum tota illa nocte. Vbi audis Dominum vento vsum ad aquas exsiccandas, quod & hic fecisse credo. Præterea, cùm Deus esset Terram ab aquis Diluuij exsiccaturus, constat ex capite octauo; Et transire fecit Deus ventũ. Itidem Exodi decimo. Cùm locustas adduxit, & repulit. Et Post. *Est ergo locus iste sic ad literam reddendus. Et ventus, seu flatus Domini, idest, à Domino immissus, mouebat se super aquas, aut super superficies aquarum, vt scilicet eas cogeret ad locum vnum, & Terram exsiccaret ad hominum, & animalium habitationem; & vt herbas, & plantas ex se emitteret, quas aqua impediente non producebat.*

AVCTOR.

Cæterum interpretatio hęc plures offendit arduas difficultates, seu modò Spiritus nomine aërem capiat commotum, vt Philo, Basilius, Theodoretus, Athanasius: seu etiã ventum, ut Rabbini, Diodorus, Anastasius, Procopius, Tostatus, Lusitanus intellexisse

Aaa visi

Quæ difficultates in allato placito.

visi sunt. Primùm, quoniam nōdum circumuehebatur Sol, nec simul coibant astra, nec
seiuncta abinuicem erant elementa: nec ob id mixtum aliquod confici poterat, quomo
do ergo ventus gigni quiuit; cùm maximè uentus mixtum sit metheorologicū? Deinde
qua vi iactari poterat, quando nondum primigeniū Cęlū, iuxta Patrum, ac Doctorum
omnium sententiam, uno excepto Aegidio, cieri cœperat? Amplius, vt adnotauit
Catherinus, quænam urgebat caussa, ut ex ea materia Deus ventum educeret, maximè

Soluūtur adductę difficultates.

eo in horrido, squalenteque Chaos? Tandem, vt quid aër, spiritus Dei nomen sibi ven-
dicauit? Tostatus, atque sectatores huius placiti, his satisfacere enixi sunt. Primæ
difficultati occurrentes, statim concessere ventum illum non fuisse exhalationem frigi-
dam & siccam, ex qua, naturæ opera, constant nūc venti; fuisse autem aërem ipsum, non
quietū, sed concitatū à Deo; qui & vēti naturam subijt alterius generis ab Euro, Notho,
& similibus autumant. Secundam porrò difficultatem elidentes asseuerarunt, non sua
natura, sed imperio Dei tunc prodijsse illam aëris motionem, non quidem exilem, sicu-
ti aura est, sed vehementer concitatam; cùm non extarent tunc sydera, seu aliæ caussæ
naturales ad exiccandum aërem propensæ. Ad alteram respondent, Deum ventum

Exod. 14.

illum aëreum genuisse: ex eaque incongesta materia excitasse, ut illius ope aquæ in
unum locum cogerentur, ea serie, qua vento valido Mare rubrum Deum exiccasse
scribitur, ut Israëlitis per tumentes fluctus iter pararet. Obijcientibus verò Aristotelis,
Philosophorumque axioma, quod aëris, vti venti, munus non sit exsiccandi, sed potius
humectandi; satisfaciunt, aërem ipsum uirtutem arefaciendi non habere sua natura, sed
ex celeri illa agitatione, qua omnia euentilat, ac perflat. Tandem vltimam diluunt;

Exod. 15.

asserentes: uentum spiritus Dei sæpius in Scripturis nomen uendicare consueuisse; &
tunc præcipuè, cùm per ipsum præclari aliquid Deum patrasse narratur; vt eo loco; Fla-
uit spiritus tuus, & operuit eos Mare. Præterea morem sanctis Scripturis esse, ea quæ in-
signiora sunt, & rebus sui generis eminent, non simplici nominis uoce, sed cum addita-

Psal. 67.

mento Dei, vel Domini nuncupare: sic regius Propheta dicit; Mons Dei, mons pinguis.
Sunt & alij, qui ex sentētia Strabi, has elidunt difficultates, asserentes spiritum Dei fuis-
se aërem ipsum, qui cùm natura sibi altiorem situm aqua, & terra, vendicare niteretur;

Refellitur sententia superior.

ita mandante Domino, facto impetu ex ea mixtione erumpere, ac prosilire, totis uiri-
bus conatus est, atque hac ratione concitationi illi caussam præbuit. Sed hæc omnia,
mea quidem sententia, ægrè recipiuntur. Primùm aërem venti nomen, ac munera ar-
ripere, nec Philosophi, nec Theologi libenter admittunt: nunquam enim ex aëre solo
ventus esse potest. Deinde quòd aër sine uento ipsum impellente, seu primo mobili
rapiente concitetur, uel circumferatur, minimè unquam absque miraculo fieri potest.
Amplius Deum potuisse aërem sua immensa potentia iactare omnes annuent, sed cùm
non euidens subierit caussa, non est cur hanc admittamus concitationem. Caussa enim
ab Abulense adducta, ab omnibus refutatur. Siquidem Deum tertio die aquas coë-
gisse non flantis venti ope, sed sola sua virtute, ac uerbo imperante, & Moses obtestatur,
& Patres omnes vna consensione diffiniunt; & aquarum illarum exundantia non ex-
siccata traditur à Mose Vate, sed congregata: nec existimandum est tantam aquarum
molem citra aliquem vsum Deum creasse, ut mox uento ualido absumeretur. Adij-
cias, quòd cùm die tertia tantùm congregatæ fuerint aquæ, haud consentaneum vide-
tur ante omnem diem eum uentum extra propositum memorari. Quod attulit Abu-
lensis, Mosem videlicet loqui nunc de uento illo per anticipationem, haud tutum exi-
stimo, cùm ipse nullam ad id muniendum probationem attulerit: nec consentaneum
uideatur hoc loco memorasse caussam, & eius effectum tertio die prætermisisse. Tan-
dem, Spiritum Dei, quandoque nuncupari uentum assentio, sed aërem nunquam. Præ-
clariora verò, & insigniora ex rebus, quandoque Dei, uel Domini nomen tulisse pariter
non inficior; sed non inspicio, ut adnotauit Burgensis, cur potius hoc loco aër, quàm
ignis, vel aqua, Dei, seu Domini additamento insigniri debuerit, cū æquè tam ignis, &
aqua, quàm aër, à Deo opifice prouenerint; & æquè in ea miscella elementorū vel fluita
rent, uel quiescerent. Burgensis amplius in Additionibus tradit, Rabbinum Moy-
sem existimasse quatuor hic memorata fuisse elementa, terram, scilicet, cùm ait; Terra
autem: aquas, cùm dicit, Super aquas: ignem, cùm scribit; Et tenebræ erāt: aërem tan-
dem,

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Hoc est, Aër quietus incubabat super aquas.*

dem, cùm adijcit; Et spiritus Domini; improbatque ipse Burgensis hanc vltimam interpretationem, quòd scilicet, Spiritus nomine, aër significetur. Primùm, quia aër non magis dici potest Domini, quàm aqua, uel terra. Deinde, quoniam, & hoc loco aquarum nomine aquas supernas intelligere possemus, super quas aer ferri nequibat. Tandem, quia non defuisset Moysi aëris nomen, quo præcipuè uti hoc loco debuisset. Inductam ex sententia Strabi; commoti aëris caussam, pluribus eludere possumus. Primùm quòd Nysseni, ac plurimorum Doctorum sentētia sit, aërem non fuisse nisi tertio die conditum, Steuci uerò, ac multorū, saltem, nōnisi secundo. Deinde, si etiam ipsum primordio temporum emanasse, cum D. Basilio, ac pluribns ex Patribus asseuerabimus, cū ipsis certè, & dicemus, quòd mixtus cum alijs elemētis omninò vagaretur, nec inde eruperit, nisi die tertio, quando elementorum inferiorum secretio effecta est: nec nisi post ignem, qui leuior est & ualidior, & ut prosiliret totis viribus contendebat.

a. *Idest, Aër quietus incubabat super aquas.*

PLATO, Spiritus nomine aërem intellexit, vt refert Rupertus Commen. in Genesim libro primo, capite octauo, cùm ait.

Hic amor, hæc bonitas Creatoris, Spiritus Sanctus est. Quem nesciens Plato, cùm hanc scripturam legisset, Spiritum Mundi, idest aërem, arbitratus est, qui secundum ordinem elementorum, aquis, vtpote leuior, supereminet. Et quia per Cęlum quoque, de quo iam dictum est; In principio creauit Deus Cęlum & Terram, ignem significari suspicatus est, quatuor tantùm elementa, scilicet ignem, terram, aërem, & aquam, hoc loco dinumerata esse putauit, vtpote spiritum hunc non cognoscens, qui planè non spiritus est Mundi, sed Spiritus est Dei: præsertim cùm per tenebras, quæ erant super faciem abyssi, vicinius aër possit intelligi, qui desuper nullis adhuc luminibus radiabatur; & idcircò rectè tenebrarum nomine designatur.

Tostatus hanc Platonis sententiam pariter in Postillis refert, ut supra recitatum est in quæstione; Num Moses expresè tradat cunctorum elementorum genesim.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam imperfecto, capite quarto, hæc habet.

Tertia opinio de hoc Spiritu oriri potest, vt credatur spiritus nomine, aëris elementum enunciatum; vt ita quatuor elementa enunciata sint, quibus Mundus iste visibilis surgit, Cælum scilicet, Terra, & aqua, & aër: non quia iam erant distincta, & ordinata, sed quia in illius materiæ, quamuis informi confusione, tamen exortura præsignabantur; quæ informis confusio tenebrarum, & abyssi nomine commendata est.

VIELMIVS prædictis libratis difficultatibus, hanc & ipse retulit à præfatis certè alienam sententiam.

Placet ergo magis eorum sententia, qui Spiritum Domini hunc volunt fuisse aërem, & Merachephet capiant pro incubabat; cuius verbi vim explicat Hermolaus in castigationibus Plinianis, libro secundo, capite primo. Cessant enim confestim hæc omnia, quæ interpretes defatigant. Nam verbum hoc, situm, locumque aëris vbi creatus fuit, non verò commotionem, & ventum reuera indicat, quin potius quietem, sicut cùm gallina cubat super oua, & vitalia reddit, vti Diodorus, & Basilius, ac reliqui fermè scribunt. Et si ferebatur cum veteri interprete legere quis maluerit, nihil erit incommodi; quoniam existimandum non est, nullum huic elemento tunc temporis adfuisse motum, sed adfuisse exilem, ac qui etiam quies comparatione ad uentum dici posset.

Verùm hæc quoque sententia in angustias redigi potest: Duo siquidem potissimum illi obstant, atque officiunt. Primum est, quia vt certum, ac definitum statuit, quòd ante primum diem aër à cæteris elementis secretus, nulla iactatus motione consisteret, cùm tamen tertio die tantùm depuratum eum fuisse ex Patrum ferè omnium nutu san-

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Spiritus Domini; idest, Spiritus Sanctus.*

ciendum sit. Alterum, quoniam non exponit, qua de caussa super aërem potius quàm super aquā spiritum cubasse, diffinire debeamus, cùm profectò aqua ad uiuentium procreationem, aëre propensior, aptiorque nutrix censeatur, atque etiam Moses omisso aëre, aquam quinto die, aues, ac pisces produxisse tradat. Igitur, meo iudicio, hæc interpretatio, seu ventum ipsum, nempè exhalationem, seu aërem concitatum, seu aërem pacatum intelligat, vndique certè angustijs comprimitur.

a. *Et Spiritus Domini; idest, Spiritus Sanctus.*

Frequentior præstantissimorum Patrum cœtus, Spiritus Domini nomine, Spiritum Sanctum capi censuit. Referamus primò sacros Poëtas.

TERTVLLIANVS Poëmate inscripto Genesis, quod alij Cypriano adscribunt.

Principio Dominus Cœlum, Terramque creauit:
Nanque erat informis, fluctuque abscondita tellus;
Immensusque Deus super æquora vasta meabat,
Dum Chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.

CLAVDIVS Marius Victor Orator Massiliensis, Commentariorum in Genesim, libro primo.

Vt verò semel attingam primordia rerum,
Excelsi conuexa Poli, Terræque iacentes.
Pars prima est operis; sed Terras vnda tegebat,
Aëraque in medio sordenti nube madentem,
Et tenebris se vasta nigris velabat abyssus:
Et sacer extensis impendens spiritus vndis
Altrices animabat aquas, ac semina rerum
Nondum compositis fundenda ad germina Terris
Insinuanda dabat.

CLEMENS Papa Recognitionum, libro sexto.

Est enim in aquis istis Baptismi misericordiæ vis quædam, quæ ex initio ferebatur super eas.

Et Epistola quinta.

Est in aquis istis baptismatis misericordia eius quædam ex initio ferebatur super eas.

CYPRIANVS de Spiritu Sancto.

Hic Spiritus Sanctus ab ipso Mundi initio, aquis legitur superfusus, non materialibus aquis, quasi vehiculo egens, quas potius ipse ferebat, & complectentibus firmamentum, dabat congruum motum, & limitem præfinitum.

NEMESIANVS à Thubunis, vt in sententijs Episcoporum octoginta septem, de Hæreticis baptizandis, Concilij Carthaginensis, legitur.

Et in Euangelio, diuina sua voce Dominus noster Iesus Christus locutus est, dicens; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in Regnum Dei. Hic est Spiritus, qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine spiritu.

TERTVLLIANVS libro de Baptismo, non diuersa à supra relata doctrina, Spiritum Sanctum per Spiritum Domini hoc loco insinuari his edocuit.

Nam vnum ex his est, quæ ante omnem Mundi suggestum impolita adhuc specie penès Deum quiescebant. In primordio, inquit, fecit Deus Cœlum & Terram. Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei ferebatur super aquas. Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia; dehinc dignationem, quòd diuini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis.

elementis. Nã & tenebræ totæ adhuc sine cultu syderũ informes, & tristis abyssus, & Terra imparata, & Cœli rude: solus liquor, semper materia perfecta, lęta simplex de suo pura, dignum vectaculũ Deo subijciebat.

Et aduersus Marcionem, libro quarto.

A quo Spiritum Sanctum postulem, à quo nec mundialis spiritus præstatur? An à quo fiunt etiam Angeli spiritus, cuius & in primordio spiritus super aquas ferebatur?

BASILIVS Hexæmeron, Homilia secunda.

Siue quod, & verius est, & à maioribus nostris probatum, spiritus ille, Spiritus Dei Sanctus dictus est: propterea quòd obseruatum est, talem de illo peculiari modo Scripturã præcipueq; facere mentionem, & nihil aliud Dei spiritum appellare, quàm ipsum Spiritum Sanctum, qui diuinæ, beatæq; Trinitatis numerum complet. Hanc quoque sententiam si admiseris, maiorem ex hac vtilitatem fueris consequutus.

Et contra Eunomium, vt in Catena Lippomani.

Spiritus siquidem hominis est, vt illud; Auferes spiritum eorum, & deficient. Diuinus etiam est Spiritus, vt illud; Non permaneat spiritus meus in hominibus his. Ventus etiam dicitur spiritus, quale illud est; Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Multosq; alios quis inuenire poterit: sed quia hic additur Domini, constantissimè asseuerandum videtur de Spiritu Sancto loqui Moysem. Psal. 103. Gen. 6. Psal. 147.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite octauo.

Nos tamen cum Sanctorum, & fidelium sententia congruentes, Spiritum Sanctum accipimus, vt in constitutione Mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmisso enim, quia in principio fecit Deus Cęlum & Terram, idest, in Christo fecit Deus, vel filius Dei Deus fecit, vel per filium Deus fecit; quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: supererat plenitudo operationis in Spiritu, sicut scriptum est; Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Itaque quemadmodum in Psalmo docemur operationem verbi, quod est Verbum Dei, & virtutem quam dedit Spiritus Sanctus: ita hic Propheticum resultauit oraculum, quia Deus dixit, & Deus fecit; Spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. Ornando enim polo Cęli, germinaturis Terris, pulchrè Spiritus superferebatur, quia per ipsum habebant nouorum partuum semina germinare, secundum quod dixit Propheta; Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem Terræ. Et post. Nam etiam Spiritum Sanctum legimus Creatorem, dicente Iob; Spiritus diuinus, qui fecit me. Siue ergo Spiritus Sanctus superferebatur super aquas, tenebræ contrariarum virtutum super eas esse non poterant, vbi locum sibi tanta gratia vindicabat. Siue, vt quidam volunt, aërem accipiant, respondeant qua ratione Spiritum Dei dixerit, cùm satis fuerit Spiritum nuncupare. Ioan. 1. Psal. 32.

Et in Prologo supra secundum librum de Spiritu Sancto.

Nanque si quis diligenter aduertat & Patrem in principio, & Filium cognoscet, & Spiritum. De Patre enim scriptum est; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram; De Spiritu dictum est; Spiritus superferebatur super aquas. Et bene in exordio creaturæ baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari. Lectum etiam de Filio quòd ipse est, qui discreuit inter medium lucis, & tenebras. Vnus est enim Deus Pater, qui dicit; & vnus Dominus Iesus, qui facit.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quarto.

Si autem vniuersæ creaturæ, idest intellectualis, & animalis, & corporalis, materia creditur illo aquæ vocabulo enunciata, nullo modo hoc loco spiritus Dei potest, nisi ille incommutabilis, & Sanctus intelligi, qui ferebatur super materiam omnium rerum, quas fecit, & condidit Deus.

Et de Genesi ad literã libro primo, capite septimo, conformia habet: de quibus post.

Et de Incarnatione Verbi, libro primo, capite decimoseptimo expressiùs.

Spiritus igitur Dei, qui ferebatur super aquas, sicut scriptum est in principio facturæ Mundi, puto quòd non sit alius quàm Spiritus Sanctus, secundum quòd ego intelligere possum: sicut & cùm ipsa loca exponeremus, ostendimus; non tamen secundum historiam, sed secundum intelligentiam spiritalem.

Sed & pluribus locis, cùm in hac Mosis de Genesi rerum historia insinuatam Sanctissimam Trinitatem edoceat, Spiritus Dei nomine Spiritum Sanctum capi clariùs obtestatur: de quibus infra.

HIERONYMVS Quæstionibus Hebraicis in Genesim, vt supra retulimus.

Et spiritus Dei ferebatur super aquas. Pro eo quòd in nostris codicibus scriptum est, Ferebatur, in Hebræo habet, Merachefeth, quod nos appellare possumus, incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris, oua calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu Mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu Sancto, qui & ipse viuificator omnium, à principio dicitur. Si autem viuificator, consequenter & conditor: quòd si conditor; & Deus. Emitte enim, ait, spiritum tuum, & creabuntur. Psal. 103

Hæc ipsa Eucherius in Genesim libro primo, capite primo: & Beda Quæstionibus in Genesim: & Glossa Ordinaria pariter detulere.

HIERONYMVS item in Epistola ad Oceanum octuagesima tertia.

Rudis Mundus, necdum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus, incompositam, & inuisibilem

uisibilem materiam, abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei, in aurigæ modum, super aquas ferebatur; & nascentem Mundum, in figura baptismi parturiebat.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite nono, consimili cæterorum Patrum doctrina hæc habet.

In principio igitur præcepit Deus aquæ, vt educeret animam viuentem, quia debebat per aquam, & Spiritum Sanctum (qui à principio ferebatur super aquas) renouare hominem. Hoc profectò diuinus asseruit Basilius.

ATHANASIVS Sermone contra hæreses, eas recensens Scripturæ sententias, quæ Spiritum Sanctum nobis patefaciunt, & hanc commemorauit.

Psal. 32. *Agè disceptemus cum Spiritus Sancti oppugnatoribus, qui Spiritum asserunt creaturam esse. Quid? An non audistis Dauidem loquentem; Verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris illius omnis virtus eorũ? En tibi triadem inuisibilem. Et in Mundi opificio apud Mosem; In principio creauit Deus Cęlum & Terram: terra autem erat inuisibilis, & inornata, & tenebræ supra abyssum, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Et in Epistola ad Serapionem.

Dicite autem mihi, quemadmodum ante à vobis postulatum fuit, an vspiam legeritis in sacris literis Spiritum Sanctum simpliciter nominari spiritum, sine additamento eorum titulorum, & absque ea obseruatione, cuius supra meminimus? Verùm mihi hoc nunquam dixeritis: vtpote quod nusquam scriptum reperiri possit. Sed contra in Genesi scriptum est; Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.

Quibus conspicuè claret, de Spiritu Sancto Athanasium hunc locum interpretandum demonstrare.

DIODORVS hunc locum explanans ait.

Si quis verò Spiritum Dei, Spiritum paracletum intelligat, haud à vero aberrabit; spiritus enim omnia, quæ sunt, exornat.

EVCHERIVS Comm. in Gen. libro primo, capite primo.

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Spiritus ergo Sanctus, Deus est, qui non loco continetur, aut distenditur, nec temporum mutationibus subiacet, sed est vbique præsens, ac totus.

GREGORIVS Nyssenus libro inscripto, Testimonia aduersus Iudæos de Sancta Trinitate.

Satis fuit Deo sola eius voluntas ad omnium rerum creationem. Scriptum est enim; Et spiritus Dei ferebatur super aquas: significante Scriptura, quòd Spiritus Sanctus, qui reuera atque in substantia, personaque est, foueret & viuificaret omnia ad futuram honorationem. Quæ cùm ita sint, perspicuè & clarè sancta Trinitas, Patris, inquam, & Filij, & Sancti Spiritus demonstrari, atque probari potest.

PHILASTRIVS libro de Hæresibus.

Gen. 41. Psal. 32. *Habes enim in Genesi, idest, in primo libro, Sanctam, adorandamq; Trinitatem, ante hominibus nunciatam. Dicit enim de spiritu in primo die; Et Spiritus Dei superferebatur super aquam. Et Pharao Rex Aegypti dicit; Quis hæc interpretabitur, inquit, nobis, nisi qui Dei habuerit spiritum? Et Dauid; Verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis virtus eorum.*

CYRILLVS Alexandrinus libro primo contra Iulianum disertissimè Sanctissimam Trinitatem hoc lòco à Mose memorari contendens, Spiritus Domini nomine, Spiritum Sanctum intelligi edocet.

Nunc autem de ipso beato Mose sermonem attingere decet. Nam & ipse vnum natura, & verè Deum prædicat, non ignorans eum, per quem omnia creata sunt, nempe viuens, & subsistentiam habens, Verbum eius, & spiritum in Deo, & ex eo viuificantem, qui per illud creaturæ mittitur. Dicebat enim; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Vbi autem in compendio, & breui sermone, vniuersorum conditorem cum esse docuisset, narrationem extendit, & monstrauit, quòd per viuens Verbum, omnipotentem Deum, ea quæ olim non erant, esse cœpissent, viuificentur autem & in spiritu. Dixit, inquit, Deus; Fiat lux; & facta est lux. Fiat firmamentum in medio aquarum; & factum est ita. Et in vnoquoque quod factum est, licet videre dicentem quidem Patrem; Fiat hoc, vel illud; creantem autem per Verbum omne quod volebat, absque omni meditationis conatu. Viuens enim Verbum Dei, & efficax, etiamsi annuat tantùm, erit quod placuerit ei. Dixit autem; Terra erat inuisibilis, & inculta, & tenebræ super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquam. Proinde valde sapienter mentionem facit Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Et libro tertio contra Iulianum.

Quoniam autem in accusationibus Moses tale quiddam est: dicit enim; nihil de diuino Spiritu illum dixisse, quàm hoc solum, quòd Spiritus Domini ferebatur super aquam: audiat à nobis, tametsi quo pacto non magis prudenter, & exquisitè dictorum vis introspicienda erat? Nam si omninò diuinus nominatus est Spiritus, quomodo intelligeretur genitus? vel quomodo creatus naturaliter est proprius increati? Itaque in hoc solo, quòd dicit esse Spiritum Dei, testatus est, quòd ingenitus sit: non enim ab illo alter apparet, & substantialiter adul-

adulterinus, qui ex eodem secundum naturam fuerit, nimirum iuxta rationem hisce contemplationibus conuenientem, & congruam.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Quidam perhibent statim à iactis Mundi fundamentis gratiam sacri baptismi denunciari. Hinc fit, vt nostri mundatio, vel purificatio, potius aqua, quàm alio quouis perficiatur elemento. Principium siquidem (vt inquiunt) Mundi, est aqua: & principium Euangelij, Iordanis.

ISIDORVS de Summo bono libro primo, capite decimo.

Post annumeratam Cœli, Terræque creaturam, ideò nominatur in Genesi Spiritus Sanctus, vt quia superferri eum dici oportebat ante illa nominarentur; quorum Creator Spiritus Sanctus superferri diceretur; quod & Apostolus indicat, dum supereminentem viam charitatis demonstrat. Ideò superferri aquis Sanctus dicitur Spiritus, quia donum est Dei, in quo subsistentes requiescimus: atque protegendo nos, superfertur nobis.

OPTATVS Apher Mileuitanus ab Augustino celebratus, contra Parmenianum libro quinto.

Tu verò, frater Parmeniane, in laude aquæ, de Geneseorum lectione dixisti, aquas primum viuas animas edidisse: nunquid sua sponte eas generare potuerunt? nunquid non & illic fuerat tota Trinitas? vtique & illic fuerat Deus Pater, qui iubere dignatus est, qui dixit; Educant aquæ natantia & volatilia, &c. Quòd si sine operante fieret, quod factum est, diceret Deus; Educite aquæ. Ibi ergo erat Filius Dei, qui operabatur. Ibi erat Spiritus Sanctus, sicut lectum est; Et spiritus Dei superferebatur super aquas.

ANASTASIVS Synaita Commentarijs in Hexæmeron, libro primo, Spiritum Domini, non tantùm ventum, vt ante dixerat, sed & Spiritum Sanctum intelligi debere his obtestatur.

Et Spiritus Dei ferebatur super aquam sensilem; siue spiritus aëris, quem nominare ventum scit consuetudo hominum, siue Spiritus Sanctus; prius significans, & describens gratiam Sancti spiritus. Ambobus enim est opus, nempe & aërio spiritu, vt instar crucis inspiret in aquam baptismatis: & Sancto spiritu, vt sanctificet. Propterea enim fortasse hic rursus post tenebras examinat aquam & spiritum; hoc est, post peccatum, baptismi illuminationem. Nam sicut tanquam super piscinam aliquam, constituit Deus spiritum super aquam; ita statim præcipit post hæc dicens; Fiat lux illuminationum: & facta est lux illuminationum.

BEDA libro de sex dierum creatione.

Et spiritus Dei ferebatur super aquas: idest, Spiritus Dei patris. Et de ipso Spiritu Sancto ait Apostolus; Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius. Si ergo nihil interest inter personam Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; quare non dicit; Qui non habet spiritum spiritus: Vel sicut dicit spiritus Patris, vel spiritus Filij. Quare non dicit Pater spiritus, vel Filius spiritus? Quia non habet relatiuum modum vnde reddere posset, sicut dicit seruus Domini, aut Domini seruus: vel filius patris, & pater filij. Quia si dixisset Pater Spiritus, ostendisset Deum esse Patrem Spiritus. Vel si dixisset Filius Spiritus, demonstrasset Spiritum Sanctum Patrem esse Filij: quia non est nec Pater, nec Filius, sed de diuina substantia processit. Rom. 8.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite octauo.

Deinceps nanque creaturæ eiusdem formatio, vel exornatio succedit, tantamque ex intentione spiritus Dei meliorationem, & tantum inopiæ suæ supplementum capit, quantum pro modulo suo melioratur ouum, in eo quòd calore volucris animatur, & pullum producit. Quid autem putamus esse hunc Spiritum, nisi bonitatem, amoremque Dei, amorem non affectuum, sed substantialem: amorem, inquam, & vitam, virtutemque viuam, in Filio, & Patre manentem, vel ab vtroque procedentem, Patri, Filioque consubstantialem? Et post. *Hic amor, hæc bonitas Creatoris, Spiritus Sanctus est.*

GLOSSA Ordinaria.

Spiritus Domini ferebatur super aquas, &c. Sicut Deus, scilicet & conditor, præerat fluitanti, & confusæ materiei, vt distingueret quando vellet.

GLOSSA Interlinearis.

Spiritus Domini, hoc est, Spiritus Sanctus.

PETRVS Comestor in Genesis historia, capite secundo.

Et Spiritus. Hunc locum male intellexit Plato, dictum hoc putans de anima Mundi. Sed dictum est de Spiritu Sancto creante: de quo legitur; Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Psal. 103.

D. THOMAS Prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio, in responsione ad quartum.

Ad quartum dicendum, quòd Rabbi Moses per spiritum Domini intelligit aërem, vel ventum; sicut & Plato intellexit: & dicit quòd dicitur spiritus Domini, secundum quòd Scriptura consueuit vbique, flatum ventorum Deo attribuere. Sed secundum Sanctos, per spiritum Domini, intelligitur Spiritus Sanctus.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo, quæsito quare ex parte motoris potius ponatur Spiri-

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. Spiritus Domini, hoc est, Dei propensa voluntas.

Ioan. 6. Spiritus, quàm Pater & Filius; cùm dicatur, Et spiritus Domini, &c. respondens, ait. *Dicendum, quòd spiritus est principium vitæ, sicut dicit Dominus in Euangelio; Spiritus est, qui viuificat. Et in Genesi primo; Insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ. Pater verò, & Filius, secundum hæc nomina non dicunt principium vitæ; & ideò potius ponitur ibi Spiritus, quàm Pater & Filius: licet enim non omnia formata viuant, tamen vita est actus animæ; & anima est vltima forma intenta à natura: & ideò præcedentia, scilicet elementa, & mixtiones elementorum, ordinantur ad animata, & saluantur in illis.*

Hanc nuperi ferè omnes amplectuntur interpretationem.

Verùm hæc sententia, quanquam præstantissimorum Patrum auctoritate admodum munita, tribus attamen difficultatibus circumuenitur. Altera est, quòd non semper spiritus Domini nomine, Spiritum Sanctum Scripturæ denotent: Altera quòd nõ decens videatur, ac consentaneum, vt Spiritus ille Sanctus ferri, superferri, volitare, seu incubare perhibeatur, cùm hæc omninò sint corporearũ rerũ affectiones, non illius simplicissimæ, ac immensæ substantiæ, quæ vbique est, & cuncta viuificat: Postrema quòd rudibus Hebræis, quibus hæc contexebatur historia, abditum, ac imperceptibile esset Trinitatis sacramentum, atque etiam Spiritus Sancti, (tertiæ inquam personæ à Patre, & Filio perenniter spiratæ) cognitio, & scientia prorsus esset recondita; quapropter ipsum incassum illis memorasset.

a. Spiritus Domini, idest, Dei propensa voluntas.

AVGVSTINVS de Gen. ad literam libro primo, capite quinto.

Et spiritus Dei ferebatur super aquam: quia siue aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, vt eo modo insinuaret vnde facta & formata sint omnia, quæ in suis generibus iam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari, atque concrescere, siue spiritalem vitam quandam ante formam conuersionis quasi fluitantem: superferebatur vtique spiritus Dei, quia subiacebat scilicet bonæ voluntati Creatoris, quicquid illud erat, quod formandum, perficiendumque inchoauerat; vt dicente Deo in Verbo suo; Fiat lux: in bona voluntate, hoc est in beneplacito eius, pro modulo sui generis maneret quod factum est.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Spiritus Dei superferebatur aquis: quia subiacebat bonæ voluntati Creatoris, quod formandum & perficiendum inchoauerat.

GLOSSA Interlinearis.

Et spiritus Domini, idest bona voluntas Creatoris, cui subiacebat, quod formandum erat.

HVGO Victorinus noster Adnotationum, capite septimo.

Spiritum Dei, vocat eius intentionem, qui quasi artifex operi formando præerat.

PETRVS Comestor in Scholastica historia, capite secundo.

Et spiritus Domini, idest, Spiritus Sanctus Dominus, vel Domini voluntas ferebatur super aquas. Sicut voluntas artificis habentis præ oculis omnem materiam domus faciendæ super illam fertur: dum quid de quo facturus est disponit.

TOSTATVS in Postillis in prima expositione.

Deut. 32. *Spiritus Dei, idest sua voluntas, & intellectus ferebantur, scilicet indicando, quid fieret illis aquis, idest congregationi elementorum, quia nondum erant perfecta in pulchritudine: & quia opera Dei perfecta sunt, decebat dare singulis elementis suam pulchritudinem, siue dispositionem.*

LYRANVS.

Accipitur hic spiritus Dei, idest voluntas, quæ ferebatur super illam congeriem elementorum; sicut voluntas artificis super materiam, quam formare, & ornare intendit.

HVGO Carensis in Postillis.

Nota quinque esse necessaria ad operandum: Materia, Necessitas, Potentia, Sapientia, & Voluntas

Materia

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. Vel, Spiritus Domini, ideſt Sapientia æterna, ſeu Filius.

Anno Mundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Materia oſtenditur, vbi dicitur; In principio creauit. Neceſſitas, vbi dicitur; Inanis & vacua. Potentia, vbi dicitur; Domini. Sapientia, vbi dicitur; Ferebatur. Voluntas, vbi dicitur; Spiritus, tanquam voluntas artificis ſupra materiam ædificij faciendi; quid de quo faciat conſiderans.

ALEXANDER de Hales ſecunda parte, quæſtione quadrageſima ſexta, membro quinto.

Spiritus autem Domini magis dicitur ferri ſuper aquas, quia bonitas Dei, quæ appropriatur Spiritui Sancto, eſt principium huius terminationis per formam diſtinctam, & locum terminatum.

a. *Spiritus Domini, ideſt Sapientia æterna, ſeu Filius.*

STEVCHVS in Comoſpœia, Spiritum Domini Sapientiam, Verbumque diuinum appellandum poſt plura ediſſerit, ſic.

Ex his apparet Filium Dei eſſe, quem Spiritum ſuper aquas dixit Moſes. Mens enim apud Græcos Theologos, eſt Filius Dei, ad creandum Cęlum & Terram adhibita, apud Prophetas ſpiritus Domini exornat Cęlos, eſt Sapientia, eſt Radius, & Speculum diuinæ bonitatis, quemadmodum videlicet apud Græcos, qui mentem à ſummo bono fulgere dicebant. Sapientia autem, & Radius ſummi genitoris, eſt Filius. Ergo hunc Moſes dixit & ſpectauit, quando ait; Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Sed hæ conſimiles interpretationes parum profectò à ſuprascripta Patrū de Spiritu Sancto poſitione recedunt. Intentio ſiquidem, voluntasq; propenſa & deſtinata, ex amore cùm proueniant, videntur Spiritus Sancti partes eſſe. Si verò Sapientiæ nomine Filium quis interpretatur, vt interpretari videtur Steuchus, peregrinam certè cunctisq; cæteris Patribus incognitam interſerit expoſitionem. Et inſulsè Steuchus ipſe admirando expleri nequit: (hæc enim eius ſunt verba) conſiderans quod reperit Sacramentum. Quamuis nanque Verbum æternum, Mens, Intellectus, Sapientia, Radius, Speculum, Intelligentia, Exemplum, Imago, qua condita ſunt omnia, appellari queat: Spiritus Domini tamen voce ipſum ſignificari, non niſi extorta omninò interpretatione aſſeritur.

Iudicium Auctoris.

Eductis Catenis, deferendū mihi modò eſt iudicium. Primæ itaq; ac ſecundæ interpretationi, quæ Spiritus Sancti nomine, Deum, ſeu Angelum, primum mobile ciētem interpretātur, aſſentire nequaquam poſſum: ſingulares enim, peregrinæ, ac obſcuræ videntur. Singulares quidem, quia ęgrè poſſunt recipi ab ijs quatuor Patrum, & Doctorum claſſibus, qui Cœli nomine, uel Angelū, vel Empyreum, vel tria ſuperna elementa, vel nil peculiare, ſed ſummam operis creationis ſignificari contendunt: de quibus ſu pra. Amplius, quoniam ægrè adhuc recipiuntur ab illis duabus claſſibus, quæ Cœli pariter nomine, vel ſupremum tantùm Cœlum, uel cunctos Orbes Cœleſtes, intelligi maluerunt, cùm prima ſupremum Orbem non niſi quarto die, ſecunda uerò cuncta cœleſtia corpora non niſi primo conuerſiones ſuas cœpiſſe autument; ex quibus euincitur, ſingulares profectò & inſulſas, ac ferè omnibus inexcogitatas, atque ætate noſtra vix enatas interpretationes hos Doctores attuliſſe. Peregrinę quinetiam ſunt, & tùm Hebræis, tùm etiam nobis difficiles, ac incompertæ; cùm uocem (Super aquas) præcipuè ad ſignificandos Cęlos citra popularem intelligentiam extorqueant, atque inuſitato, impropriοque dicendi tropo, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; ſpiritus Domini mouebat Cęlum, exponant. Duæ illæ interpre-

Duę primæ interpretationes refelluntur.

interpretationes, quæ tertio, & quarto loco deductæ fuere, quæ ſpiritus Domini nomine efficaciam aquis inſitam, & ventum, ſeu aërem concitatum commentantur, quanquam eædem non ſint, attamen altera alteri annectitur. Siquidem ſi aër iactatus ferebatur ſuper aquas, & aquas ipſas ab ea cõmotione permotas fuiſſe exiſtimandũ eſt; & ſi concitatio ea Dei uirtute eueniebat, certè propenſionem ad fœcunditatẽ, ac vim quandam vitalem ſecum ferebat: ſentioq; eas interpretationes Hebræis fuiſſe admodũ gratas, atque vt dilucidas, ac proprias ab ipſis receptas eſſe, tùm ex conſueto ſecũdum eos Scripturæ tropo, quę ſæpius efficaciam inuſitatam, & uentum perualidum, ſpiritũ, flatumque Domini appellat: Tùm quòd Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium reconditum ac peregrinum illis eſſet, nec de perſonis diuinis, rudis ille populus vllam prorſus fuiſſet notitiam conſecutus. Inſuper & Rabbinos Hebræos eas agminatim, & lubentiùs acceptare perſpectum habemus. Nobis autem, quibus uelum Templi ſciſſum eſt, longè acceptior, gratiorq; facta eſt ea interpretatio, quæ ſpiritus Domini nomine, Spiritũ Sanctum, ſeu diuinam voluntatem, ſeu amorem illum perennem, ſiue etiam diuinam eam mentem, ſanctam intentionem, ac viuidam ſapientiã ex immenſo amore ad procreandas res permotam exponit. Plura autem ad id exiſtimandũ me compellunt. Primùm quòd huic interpretationi alludat ſententia illa, quam & vetuſti olim huius ſęculi ſapiẽtes de Mũdi emanatione inſinuarunt, cùm Chaos illud, mente quadam diuina, ſeu amore ineffabili diremptum eſſe, ac deinde efformatum prædicarunt.

Quæ interpretationes Hebræis acceptæ.

Quæ expoſitio pręferenda.

Spiritus Sancti ſymbola apud Ethnicos.

Hic quidem ſpiritus, anima eſt illa Mundi Platonis cuncta viuificans, apud omnes celeberrima, de cuius præſtantia, libri veterum, & recentiorum Platonicorum ſunt referti. De qua Plato libro decimo de Legibus, pulcherrima hæc aſſerit; Quòd ſi, ò admirande dixerimus, omnis Mundi uia, & circumuolutio, & omnium quæ in eo ſunt, ipſius mentis motui, & circumſerentiæ, & rationibus ſimilem naturam habet, & proximè accedit; tum clarum eſt, quòd dicendum ſit animam ipſam optimam eſſe, & totum adminiſtrare Mundum, & agere ipſum, ipſam talem viam, & iterum: Ducit quidem anima omnia, quæ in Cœlo, & Terra, & mari ſuis motionibus, quibus nomina ſunt, velle, cõſiderare, curæ eſſe, & conſultare.

Hic ille ſpiritus, de quo Mercurius Triſmegiſtus ad Aſclepium, referente Steucho in Coſmopœia, ait; Spiritu agitatur, & gubernatur omnis in Mundo ſpecies, ſpiritus implet omnia. Mundus nutrit corpora, ſpiritus animas. Spiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in Mundo, & quaſi organum, vel machina, ſummi Dei uoluntati ſubiectus eſt. Hæc ſparſim ad Aſclepium. In ſermone autem tertio, abſolutiſſimè hęc de Spiritu Sancto; Nunc quod reſtat, inquit, in hac ratione audite; Hoc ſpiritu, vt ſæpe ante diximus, omnia indigent, omnia enim portat, pro cuiuſque dignitate & meritis, omnia viuificat, & alit. A fonte ſancto producitur, ſpiritu & vita fœcundiſſimus. Ac niſi prouidentia quædam eſſet eius qui dominatur omnibus, quæ & ipſum Dei verbum reuelaret, neque nos nunc talis amor tenuiſſet, ut de eo loqueremur. Virgilius noſter de hoc ipſo ſpiritu.

Principio Cœlum, ac Terras, campoſq; liquentes,
Lucentem globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Hic Spiritus, illa virtus, quam Iuſtinus in Admonitorio, etiam Platonem agnouiſſe tradit. Ita nanque in calce Dialogi ad Memnonem; Ob hanc, inquit, ratiocinationem, ò Memnon, ſi quibus aduenit virtus, diuino illa fato aduenire videtur; hoc autem ex eo planè percipiemus, & quonã modo illius compotes euadant homines, cùm prius aggrediemur, quidnam ſit illa uirtus ſecundum ſeipſam percunctari. Videtis ne quo pacto donum ſupernè deſcendens ſolum uirtutem nominet, & ad hæc dignum cenſeat inquiſitione: vtrum illud idem virtutis nomine, aut alio quopiam nuncupari deceat? vtpotè qui formidauerit apertè Sancti Spiritus nomine vti, ne ſequutus uidelicet Prophetarum dogma uideretur.

Hic Spiritus, ille amor eſt, à quo omnem perfectam creationem & animationẽ promanaſſe,

manasse, Vates, ac Philosophi Gentilitatis decantarunt. Hesiodus enim, referente Aristotele, sic cecinit.

Extitit ante Chaos, post hæc latissima tellus,
Qua super innixum pondus rerum incubat omne
Atque amor, inter qui cœlestes enitet omnes.

Et Parmenides. Cunctorumq; Deum primum quæsiuit amorem. Et quem Empedocles amicitiam dixit, Aristoteles cupiditatem nuncupauit.

Hic Spiritus, illa est mens Anaxagoræ, de qua dixisse fertur: fuisse omnia ab initio confusa, & commixta; ingressam autem mentem cuncta diremisse, digessisse, & disposuisse. Ex quibus omnibus id unum excerpere nos possumus, vetustissimos Vates, Philosophosq;, diuinum hunc Spiritum ad rerum procreationem accommodasse, perfacileque id non ab alio, quàm ab ipso Mose hoc loco decerpsisse. Quanquam & id balbutie quadam, vtpotè, quibus diuina Trinitatis mysteria patefacta non erant, eum Mundi animam, Spiritum, uirtutem, amorem, mentem tantùm nuncupantes, explicarint. Quòd si rerum primęuam prosilitionem non sine Spiritu euenisse à Mose hauserũt, quo pacto nobis Spiritus memoratio recens erit atque aliena? Amplius interpretationem hanc de Spiritu Sancto accommodatiorem, ac præstantiorem existimare, id mihi persuadet; quoniam in ea duo nobis excelsa mysteria simul commonstrantur. Primum est Sanctissimæ Trinitatis, ut adnotarunt Ambrosius, Augustinus, Eucherius, Cyrillus, Philastrius, Optatus, Iunilius, Beda, Strabus, D. Thomas, ut excipere est ex prænarratis, idq; etiam Theodoretus libro de Principijs, & Rupertus dilucidiùs explicant. Alterum est Baptismi Sacramẽtum, quo regeneratio fit spiritualis ex Spiritu Sancto super aquas delato, ut eleganter explicarunt Clemens, Cyprianus, Tertullianus, Nemesianus, Ambrosius, Hieronymus, Damascenus, Anastasius, Beda, & ipse Rupertus, de quibus supra. Equidem libentiùs hæ interpretationes acceptandæ sunt, quæ, cùm literam non diripiant, neque adulterent, grauiora, & insigniora secum deferunt mysteria. Rursus hanc interpretationem præstantiorem duco, quoniam Spiritus Sancti in Mundi constructione munus quale fuerit, exactiùs describit. Quod quidem munus Patres duabus elegantissimis metaphoris exprimunt; quarum altera est, auiculæ fœtus suos animantis. Munus profectò Spiritus Sancti fuit efformando, venustandoq; Mundo incubare, incubando fouere, fouendo uiuificare, vitamq; impertire, ad instar auis, seu gallinæ incubantis, confouentis, ac uiuificantis ouum, ut suo calore fœtum animet ad uitam. Quo quid elegantiùs dici potest? Hæc Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Diodorus, Damascenus, Alcuinus, & Nuperorum plures. Altera artificis opus suum excudentis, non propter indigentiam, & necessitatem, vt adnotauit D. Augustinus primo de Genesi ad literam, capite septimo, uti & post referemus. Quod & D. Thomas prima, quęstione septuagesima quarta, articulo tertio, ad quartum, repetijt dicẽs, quòd secundum Sanctos, per Spiritum Domini intelligitur Spiritus Sanctus, qui dicitur superferri aquæ, idest materiæ informi secundum Augustinum, ne faciendo opera sua, propter indigentiæ necessitatem putaretur Deus amare. Indigentiæ enim amor, rebus, quas diligit, subijcitur. Commodè autem factum est, vt prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur. Munus quippe fuit Spiritus Sancti superferri super illud Chaos, vt superfertur uoluntas artificis ligno, uel cuicunque propensæ materiæ, ex qua perficere, quod statuit, peroptat. Quam superlationem apprimè explicat Eucherius, dicens; quòd superferebatur aquis Spiritus, non peruagatione, sed potestate; non localiter, sed potentialiter; non per spatia locorum, sed per potentiam sublimitatis suæ. Exemplo adhuc id magis Augustinus explicat. Non ut contentus, inquit, superfertur, quasi oleũ aquæ, sed sicut lux splendida Solis, aut Lunæ, his diffunditur corporibus, quæ illuminãtur ab ipsis. Et Tostatus; Voluntas, & mens Dei opificis ferebatur super aquas, quasi mente agitans, quæcunque statuerat, ex aquis efformare, ad similitudinem opificis spectantis materiem sibi substratam; quemadmodum ex ea effingere possit opus ad similitudinem eius exemplaris, quod mente perceperat. Ex quibus theosophari ita possumus, quòd Spiritus Sanctus, cùm amor sit æternus, & uoluntas diuina; ut amor fouebat, hoc est amoris diuini nexum, qua uiuificantur cuncta, impertiebatur; ut

Duo mysteria ex illa interpretatione hauriũtur.

Spiritus Sancti in creatione munus, duabus metaphoris explicatur.

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Spiritus Sancti fit mentio, vt intelligeremus non necessitate, sed beneficentiæ, amorisq; abundantia Deum imperfecta absoluisse.*

voluntas verò ferebatur ad opus illud præstantissimum exequẽdum, nempe ad Mundũ istum pulcherrimum omni ex parte absoluendum, ac perficiendum. Præterea, vt hanc interpretationem reliquis præferam, ex eo maximè permoueor quòd Scripturæ, dum Mundi structuram produnt, Spiritus Sancti memorationem non reticent, neque prætermittũt. Dauid cùm dixisset; Verbo Domini Cœli firmati sunt: adiecit; Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Alio quoque in Psalmo non tantùm ad Zephyri perflationẽ verno tempore agi consuetam, sed ad primæuam rerum creationem, ac terræ venustationem respiciens, ait; Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Adest etiam B. Iob testimonium; Spiritus Domini ornauit cœlos. Et Sapientia clamat; Spiritus Domini repleuit orbem terrarũ, & hoc quod continet omnia, idest homo, sciẽtiam habet vocis. Landulphus siquidem ita hunc postremum locum interpretatur; Spiritus Domini repleuit Vniuersum rerum speciebus, & homo solus, qui omnia cõtinet, scientiam habet linguarum, quibus Deum extollat. Accedit his, quòd tam Scripturæ, quàm Patres, & Ecclesia, rerum omnium viuificationem, & animationem, semper Spiritui Sancto adscribant. Qui igitur fieri potuit, vt Scripturę, quæ quasi Echo sunt inuicem, dum rerum effectionem memorant, semper Spiritum Sanctum recenseant: Moses autem in ipsa opificij Mundi historia eum suppresserit; atque uiuificationem primæuam enarrans, ipsius summi viuificatoris non commeminerit? Ac tandem, vt finem his constituamus, ea de caussa præstantiorem, præclarioremq; hanc interpretationem iudico, quòd simul cæteras omnes cõplectatur. Siquidem si Spiritus ille Sanctus externa aliqua commotione, seu agitatione fouebat, ac superferebatur aquis, cùm præcipuè per motum, omnis proles animetur, fortè & supremi Orbis conuersione, vt subodorarunt Augustinus, Caietanus, & Aegidius, & aëris concitatione ad instar venti validi perflantis, ut Tertulliano, Basilio, Diodoro, Theodoreto, Athanasio, Procopio, Hebræisq; Rabbinis placuit; & aquæ uiuida commotione, quam efficaciam, atque vim vitalem Chrysostomus, ac sectatores appellarunt, Mundum ad vitam promouebat. His & adijci potest, quòd præ cæteris hic commentarius insignium Patrum numerosæ classis auctoritate muniatur, ut diximus. Sed quid plura? Nonne Ecclesia, quod potissimũ est, id visa est statuisse? cùm in benedictione fontium tantos Patres insequuta ita canit; Tu super aquas fœturus eas ferebaris. Et postea in Oratione; Deus, cuius spiritus super aquas inter ipsa Mundi primordia ferebatur, ut iam tum virtutẽ sanctificationis aquarum natura conciperet. Prodidit hæc Ecclesia certè edocta à Patribus. Cæteræ interpretationes allegoriam sapiunt.

In creatione rerũ memoratur Spiritus Sanctus.

Psal. 32.

Psal 103.

Iob. 26.

Sap. 1.

Par. 2. c. 84.

a. *Spiritus Sancti fit mentio, vt intelligeremus non necessitate, sed amore, Deum imperfecta absoluisse.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, cap. septimo: *Sed cur commemorata prius quamuis imperfecta creatura, postea commemoratur Spiritus Dei: prius dicente Scriptura; Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi: ac deinde infertur; Et Spiritus Dei ferebatur super aquam? An quoniam egenus, atque indigus amor ita diligit, vt rebus, quas diligit, subijciatur: propterea cùm commemoraretur imperfecta creatura, Spiritus Dei, in quo eius sancta beneuolentia, dilectioq; intelligitur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentiæ necessitatem, potius quàm per abundantiam beneficentiæ, Deus amare putaretur? Cuius rei memor Apostolus dicturus*

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Mentio fit Spiritus Sancti, vt Sanctissima Trinitas in hoc Mosis de Mundi opificio narrationis exordio nobis notificetur; Principij videlicet nomine, Filius; Dei nomine, Pater; & Spiritus Domini, Spiritus Sanctus.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

dicturus de charitate, Supereminentem viam demonstraturum se ait; Et in alio loco, Supereminentem, inquit, scientiæ charitatem Christi. Cùm ergo sic oporteret insinuare spiritum Dei, vt superferri diceretur, commodiùs factum est, vt prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur: non autem loco, sed omnia superante, ac præcellente potentia. 1. Cor. 12. Ephes. 3.

Hæc eadem habet libro de octo Dulcitij Quæstionibus, quæstione octaua.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite primo.

Deus enim non ex indigentia fecit opera sua, sed ex beneficentia, atque omnipotentia: qui nihil indigens omnia creat, & misericors cuncta viuificat, & in plenitudine sancta permanet. Non nostris ampliandis laudibus, sed suis innotescendus collaudatur operibus, neque enim horum indiget quæ facit. Indigus quippe, atque egenus amor, subijcitur rebus quas diligit. Quamobrem non indigus amor superfertur rebus, quas diligit. Ideò dictum est, superferri creaturæ Spiritum Sanctum: quia non ex indigentia operatus est ipsam creaturam.

BEDA Quæstionibus in Genesim.

Quomodo sanè nominauit creaturam, cui superferre diceretur Spiritus Sanctus, non localiter, sed potentialiter Dominus, non ex indigentia fecit opera sua, sed ex beneficentia: neque horum indiget quæ fecit. Indigus quippe, atque egenus amor subijcitur rebus, quas diligit: ideò dictus est superferri creaturæ Spiritus Sanctus, quia non ex indigentia operatus est ipsam creaturam.

GLOSSA Ordinaria.

Dictum est etiam, Spiritus Domini ferebatur super aquas, ne faciendo opera, potius per necessitatem indigentię, quàm per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur.

D. THOMAS prima, septuagesima quarta, articulo tertio, ad quartũ.

Sed secundum Sanctos, per Spiritum Domini intelligitur Spiritus Sanctus, qui dicitur superferri aquæ, idest materiæ informi secundum Augustinum, ne faciendo opera sua, propter indigentiæ necessitatem putaretur Deus amare. Indigentiæ enim amor, rebus quas diligit, subijcitur. Commodè autem factum est, vt prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur. Non enim superfertur loco, sed præexcellente potentia, vt Augustinus dicit primo super Genesim ad literam.

a. *Vt Sanctissima Trinitas nobis notificetur.*

Locis his sanctissimam Trinitatẽ nobis notificari obseruarunt quamplurimi Patres.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam primo, capite sexto.

Et quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ Cœli & Terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur Creatoris: nam dicente Scriptura; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principij nomine, qui non Patris, sed per seipsum creatæ primitus, ac potissimum spiritali creaturæ; & consequenter etiam vniuersæ creaturæ principium est: dicente autem Scriptura; Et spiritus Dei superferebatur super aquas: completam commemorationem Trinitatis agnoscimus.

Hanc sententiam, non mutatis verbis, habet etiam libro de octo Dulcitij Quæstionibus, vt supra deductum est. Et hæc eadem innuit Confessionum libro tertio, capite quinto; & libro contra Adimantem Manichæi discipulum, capite primo.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite primo.

Notandum, quòd in ipso exordio Cœli & Terræ, tota Trinitas insinuatur Creatoris. Nam Pater, in Dei intelligitur nomine: Filius, in principij: Spiritus verò Sanctus, qui superferebatur aquis.

VICTOR Episcopus de Fidei ratione ad Hunnericum.

Primùm igitur de Veteris Testamenti libris, post etiam Noui, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum vnius docebimus esse substantię: libro Genesis sic inchoante; In principio fecit Deus Cœlum & Terram, Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei deferebatur super aquas. Ille Iudæis, quis esset interrogantibus, dixit; Principium qui & loquor vobis. Superferebatur spiritus Dei super aquas, vtpotè Creator virtute potentiæ suæ continens creaturam, vt ex his viua omnia producturus, ipse Ioan. 8.

AnnoMundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. Cùm duo sint, propter quæ amat Deus creaturam, vt sit, & vt maneat, Spiritus Dei ferebatur super aquas, vt esset quod maneret.

rudibus elementis ignis proprij fomenta præstaret, & iam tunc mysterio emicante Baptismatis, virtutem sanctificationis liquoris natura perciperet, primaque ad vitam corpora animata produceret.

RVPERTVS Abbas de Trinitate libro primo, capite nono, ab istis Patribus non dissentit, cùm scribat.

Igitur in capite libri splendidè præmonstratur creatricis præsentia Trinitatis. Etenim in nomine Dei, Pater: in nomine Principij, Filius intelligitur: & qui super aquas fertur, ipse est Spiritus Sanctus.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Bene autem, cùm in principio Deum, idest in Filio, Patrem fecisse Cælum & Terram prædiceret, etiam Spiritus Sancti intulit mentionem, addendo; Et spiritus Domini ferebatur super aquas: vt videlicet totius simul Trinitatis in creatione Mundi virtutem cooperatam esse signaret.

APONIVS in Cantica Canticorum libro sexto.

Trinitas, quæ non euidenter, sed sub imagine in lege Mosaica coruscabat, nunc velut Sol in totius Mundi facie splendescit. Verbi gratia; Vt, dixit Deus per Moysen in primo libro Geneseos; In principio fecit Deus Cælum & Terram: Et in sequentibus; Spiritus Dei superferebatur super aquas: Ecce habes tres personas in vna potentia: Principium, Deum, Spiritum: qui fecit, in quo fecit, qui facta animauit.

BEDA expositione in Genesim.

Superferebatur vtique Spiritus Dei non corporalibus locis, sed excellentia potestatis, &c. Hic sanè commemorata est Trinitas, dicente Scriptura: In principio, idest in Filio fecit Deus, idest, Deus Pater. Quòd autem non statim post commemorationem Patris & Filij, Spiritus Sanctus ponitur; sed interponitur Terra, & tenebræ, & abyssus, & aqua; illud in caussa est, quia sic debuit Spiritus Dei nominari, id est, voluntas Dei, vt essent alia quibus superferretur. Non loco, sed potestate, & quæ subiacerent voluntati Creatoris.

PASCHASIVS Cardinalis de Spiritu Sancto contra Macedonium, libro primo, capite quinto.

Suscipe de sacris voluminibus Trinitatem; In principio fecit Deus Cælum & Terram: & , Spiritus Dei ferebatur super aquas. Pater auctor, æqueuum principium, superfusus aquis Spiritus Sanctus. Super aquas itaque dominantis eminentia ferebatur, iam tunc credo, Baptismi munera figurans.

GLOSSA Ordinaria.

Tota ergo Trinitas hic operata intelligitur: Deus, Pater scilicet: Principium, Filius: Spiritus Dei, Spiritus Sanctus.

D. THOMAS prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio.

Et sic in opere creationis, Trinitas, personarum insinuatur. In creatione quidem persona Patris, per Deum creantem: persona Filij, per principium, in quo creauit: Spiritus Sancti, qui superfertur aquis.

a. Spiritus Dei ferebatur super aquas, vt esset quod maneret.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite octauo.

Duo quippe sunt, propter quæ amat Deus Creaturam suam, vt sit, & vt maneat. Vt ergo esset quod maneret, Spiritus Dei superferebatur super aquam: vt autem maneret, vidit Deus, quia bona est.

BEDA libro de Sex dierum creatione.

Duo quippe sunt, propter quod amat Deus creaturam suam, vt sit, & maneat. Vt sit formata, & maneat in præcepto Creatoris. Ergo spiritus Dei ferebatur super aquas, vt eßet, quod maneret; quamobrem prius res informatas, & postea Spiritum Sanctum nominauit: quia omnis exiguus amor, rebus quas diligit, subterponitur.

D. THOMAS prima, quæstione septuagesimaquarta, articulo tertio.

Considerandum est, quòd Spiritus Sanctus amor est. Duo autem sunt, vt Augustinus dicit primo super Genesim ad literam, propter quæ Deus amat creaturam suam, scilicet, vt sit, & vt permaneat. Vt ergo

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Fouebat aquas ad similitudinem auiculæ incubantis, vt nouas creaturas animaret ad vitam.*
b. *Ferebatur; Non contentus, sed continens, sicut lux superfertur rebus illuminatis.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

go esset quod permaneret, dicitur quòd spiritus Dei ferebatur super aquas, secundum quod per aquam materia informis intelligitur; sicut amor artificis fertur super materiam aliquam, vt ex ea formet opus. Vt autem maneret quod fecerat, dicitur; Vidit Deus quod esset bonum.

a. *Fouebat aquas ad similitudinem auiculæ incubantis, vt nouas creaturas animaret ad vitam.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.
At quonam pacto dixeris, Super aquas hic ferebatur? Equidem non meam tibi, sed viri cuiusdam Syri sententiam recensebo, qui tantùm à sapientia Mundi distabat, quanto verarum scientiæ rerum propinquior erat. Aiebat igitur ille, Syrorum vocem significatiorem, atque euidentiorem esse; & ob affinitatem, quam habet cum Hebraica lingua, sententias aliquo modo Scripturarum propiùs attingere. Itaque talem huiusce dicti sententiam esse dicebat: verbum hoc Ferebatur pro confouebat, vitalemq; fœcunditatem aquarum naturæ præbebat, sumunt, atque interpretantur ad similitudinem auiculæ incubantis, vimq; vitalem quandam imprimentis in ea, quæ ab ipsa fouentur. Talem hunc is prædicabat ea voce sensum signari: Super aquas inquam, spiritum Dei ferri, idest, ad fœcunditatem vitalem, aquæ naturam ipsum Spiritum Sanctum præparasse. Quare satis per hoc id ostenditur, quod quæritur à nonnullis, nec ab actu creandi Spiritum Sanctum absuisse.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite octauo, hæc ipsa sumpsit.
Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisq; & congruit, sic habet; Et spiritus Dei fouebat aquas: idest, viuificabat, vt in nouas cogeret creaturas, & fœtu suo animaret ad vitam. Nam etiam Spiritum Sanctum legimus Creatorem, dicente Iob; Spiritus diuinus, qui fecit me. Iob. 33.

GLOSSA Interlinearis.
Ferebatur, Syra lingua fouebat, sicut auis oua, sicut sapientia artificis superfertur fabricando operi.
Glossa Ordinaria ex Hieronymo, ita etiam exponit.

PETRVS Comestor in Scholastica historia, capite secundo.
Hebræus habet pro superferebatur, incubabat: vel Syra lingua fouebat sicut auis oua. In quo cum regimine nascentis Mundi notatur initium.

b. *Ferebatur; Non contentus, sed continens, sicut lux superfertur rebus illuminatis.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos, libro primo, capite quinto.
Quod autem scriptum est; Et spiritus Dei superferebatur super aquam: sic solent Manichæi reprehendere, vt dicant; Aqua ergo erat habitaculum spiritus Dei, & ipsa continebat spiritum Dei? Totum ergo conantur peruersa mente peruertere, & excæcantur malitia sua. Cùm enim dicimus, Sol superfertur super Terram, nunquid intelligi volumus, quòd in Terra habitet Sol, & Terra Solem contineat? Et tamen non sic spiritus Dei superferebatur super aquam, sicut superfertur Sol super Terram, sed alio modo, quem pauci intelligunt.

Et de Genesi imperfecto, capite quarto.
Et spiritus Dei superferebatur super aquam. Non ita superferebatur sicut oleum aquæ, vel aqua terræ, idest, quasi contineretur. Sed si ad hoc de visibilibus exempla capienda sunt, sicut superfertur lux ista Solis, aut Lunæ his corporibus, quæ illuminat in terra: non enim continetur illis, sed cùm cęlo contineatur, istis superfertur.

Glossa Locupletata locum hunc adnotauit.

BEDA Quæstionibus in Genesim.
Spiritus Sanctus Deus est, qua in re non loco continetur, & distenditur, nec temporum mutationibus subiacet, sed est vbique præsens totus.

Non

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.

a. *Non locorum spatio, sed potentia, sicut artifex superfertur rebus operandis.*
b. *Hoc est, affectu ducebatur, vt formas rerum produceret, quibus creatura ipsi coniungeretur.*

a. *Non locorum spatio, sed potentia, sicut artifex superfertur rebus operandis.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite quinto.

Non enim per spatia locorum superferebatur aquæ ille Spiritus, sicut Sol Terræ superfertur, sed per potentiam inuisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem nobis isti, quomodo ijs rebus, quę fabricandæ sunt, superferatur voluntas fabri? Quòd si hæc humana, & quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, & simplici corde, quod non intelligunt, quærant, ne cùm volunt verbis sacrilegis concidere veritatem, quam videre non possunt, redeat illis securis in crura.

Et de Genesi imperfecto capite quarto.

Item cauendum est, ne quasi locorū spatijs Dei spiritū superferri materiæ putemus, sed vi quadā effectoria, & fabricatoria, vt illud cui superfertur, efficiatur & fabricetur. Sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subiectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum mouet. Et hæc similitudo cùm iam sit omni corpore excellentior, parua est tamen, & propè nihil ad intelligendam superlationem spiritus Dei, subiecta sibi ad operandum Mundi materia. Sed non inuenimus euidentiorem similitudinem, & propinquiorem rei, de qua loquimur, in ijs rebus, quæ ab hominibus quomodocunque capi possunt. Quapropter in huiusmodi cogitatione optimè illud præceptum tenebitur, quod scriptum est; Benedicentes Deum, exaltate illum, quantumcunque potueritis, superabit & adhuc. Hoc autem dictum sit, si hoc loco spiritus Dei Spiritus Sanctus, quem in ipsa ineffabili, & incommutabili Trinitate veneramur, accipitur.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite primo.

Superferri autem Domini spiritus aquis dicitur: non peruagatione, sed potestate: non localiter, sed potentialiter: non per spatia locorum, sicut terræ Sol superfertur, sed per potentiam sublimitatis suæ.

Sap. 1. IVNILIVS in Hexæmeron.

Non est opinandum pueriliter, quòd Spiritus Creator (de quo scriptum est; Quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum) positione loci his, quę erant creanda, superferretur: sed intelligendum potius, quia diuina virtute præcellebat creaturis, habens in propria potestate, quando aquarum illustraret abyssum, quando in locum ea secerneret vnum, vt appareret arida: quando & quomodo creaturas cæteras pro suo nutu disponeret: in similitudinem videlicet fabri, cuius voluntas his, quę fabricandę sunt, rebus solet superferri.

BEDA Expositione in Genesim.

Superferebatur vtique spiritus Dei, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis; quia subiacebat voluntati Creatoris, quicquid formandum, perficiendumq; inchoauerat. Et post. Quòd autem non statim post commemorationem Patris, & Filij, Spiritus Sanctus ponitur, sed interponuntur terra, & tenebræ, & abyssus, & aqua: illud in caussa est, quia sic debuit Spiritus Dei dominari, idest, voluntas Dei, vt essent alia, quibus superferretur, non loco, sed potestate; & quæ subiacerent voluntati Creatoris.

ALCVINVS Quæstione uigesimanona in Genesim.

Ferebatur Spiritus non per vagationem, sed potestate, & regentis imperio ad formandum, vel viuificandum informem materiam, quæ hoc loco aquæ nomine significatur.

b. *Hoc est, affectu ducebatur, vt formas rerum produceret quibus creatura ipsi coniungeretur.*

RVPERTVS Comm. in Gen. libro primo, capite octauo.

Hic nempè ferebatur super aquas, nihilominus & super aridam, quæ sub aquis latebat; quia videlicet, magno super creaturam suam Creator affectu ducebatur; vt quia non poterat esse, quod ipse qui creauerat; tales ex ea faceret formas, in quibus Creatori coniungeretur, conuiueretq; & conregnaret creatura.

Hoc

Ferebatur super aquas.

a. *Hoc est, consilium adhibebat, seu indicabat quid faciendum esset, ad exemplar artificis.*

b. *Vel ferebatur super aquas, idest distinguebat elementa.*

c. *Aut sedebat in aëre, super aquasque incubabat spiritu oris sui, hoc est iussione.*

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

a. *Hoc est, consilium adhibebat, seu iudicabat quid faciendum esset, ad exemplar artificis.*

TOSTATVS in Postillis, in prima expositione.

Spiritus Dei, scilicet sua voluntas, & intellectus ferebantur, scilicet iudicando quid fieret illis aquis, idest, congregationi elementorum, quia nondum erant perfecta in pulchritudine: Et quia opera Dei perfecta sunt, vt patet Deuteronomij trigesimo secundo capite; decebat dare singulis elementis suam pulchritudinem, siue dispositionem. Et non est intelligendum, quòd isto modo Deus consiliaretur, quid ageret in elementis; quia consilium suum æternum est, & ipsemet est. Sed quia creare est aliquid facere; sic se videtur Deus habere in creando, sicut artifex in fabricando: Artifex autem secundum suam cognitionem consiliatur de materia, vt inueniat exemplar. Deinde secundum exemplar iudicat quid faciendum de hac parte materiæ, quid de illa: deinde secundum habitum artis, qui factiuus est, regulat operationem. Sic Deus dicebatur prius consiliari, quid ageret illis elementis nondum decoratis, vt postea decoraret.

Et in secunda expositione.

Dicitur spiritus eius factiuus, & assimilatur fabro, qui priusquam aliquid agat, flectit cogitationem suam super materiam, vt iudicet quid inde faciat. Sic Deus dicebatur, quòd super aquas, idest, super illam materiam, quæ vocatur nomine aquarum, cogitationem dirigebat, vt iudicaret quid de illis facturus esset; sed consilium Domini aliter se habet. Declarat tamen Scriptura eo modo, quo nos intelligere possumus; quia si mensuratum non coæquetur mensuræ, nunquam mensurabitur: & si visibile non proportionetur potentiæ visiuæ, nunquam fiet visio: sic autem de intelligentibus. Deus enim supremum intelligibile est excedens valde intellectus nostri conditionem: & ideò nunquam intelligemus, nisi assumat modum rerum inferiorum; ideo Scripturæ de Deo, tanquam de quodam corporeo homine, vt communiter loquuntur, quia nos maximè per corpora intelligimus.

b. *Hoc est, distinguebat elementa.*

ABSALON Abbas Canonicus Regularis, qui floruit circa annum Domini millesimum centesimum vigesimum, Sermone trigesimo quinto.

Illum accipe spiritum, de quo per Apostolum dicitur; Charitas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Et alibi; Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Iste Spiritus flauit flatu multiplici. Primus flatus fuit in creatione Mundi: Secundus in incarnatione Verbi: Tertius in renouatione hominis. De primo flatu dictum est, quia Spiritus Domini ferebatur super aquas; quo spirante fluxerunt, hoc est, confluxerunt, idest, in vnum locum fluxerunt. Quia congregatæ sunt aquę, quæ sub Cœlo erant, in locum vnum, vt appareat arida. Elementa siquidem huius Mundi naturali quadam confusione sibi erant aduersantia; quippe frigida pugnabant calidis, humentia siccis; donec tandem Spiritus Sancti magisterio stabili fœdere pacis consederunt, solicita suo modo seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quippe terra aquam in gremio suo suscepit instabilem per se & vagam: aqua terram rigat per se sitientem & aridam: ignis caloris beneficio fructus terræ educit; aër sua temperie inuiolata conseruat.

Rom. 5. Iohel 2.

c. *Aut sedebat in aëre, super aquasq; incubabat spiritu oris sui, hoc est iussione.*

RABBI Salomon sic locum reddit, teste Lusitano.

Solium, inquit, gloriæ manebat in aëre, & incubabat super faciem aquarum spiritu oris Domini, & eius sermone, idest, iussu, sicut columba incubat super nidum, incubabat.

Sed in hoc sequitur Thargum, idest, Chaldæum.

Explanationes hæ ex se dilucidæ sunt, & clarent, atque in id proficiscuntur, vt diuersa Spiritus Sancti munera, quæ in Mundi conflatione obibat, nobis patefaciant, & re-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Super aquas.

a. Super aquas, hoc est, Aquarum idæam.
b. Vel super aquas, idest, Primum mobile.
c. Siue super aquas, scilicet, Naturam Angelicam.

ferent. Superferebatur profectò Spiritus Sanctus, vt voluntas eruditissimi artificis consilium secum de re agenda adhibentis, affectuque flagranti agebatur, vt formas rerum cunctarum eliceret, quibus eas sibi indissolubili nexu connectaret; consimulq; ipsis superlatus ad instar lucis perlucidum aërem lustrantis, vndequaq; virtutē suam diffundebat; atque ad similitudinem cubantis alitis res gignendas animabat ad vitam. Qua profectò virtute, & elementa depurabantur & distinguebantur, atque ad prolificationem rerum procreandarum disponebantur.

Super aquas.

Quid aquarum nomine nobis significarit Vates Moses, non est perspectum. Patres, atq; Doctores easmet ferè huic loco tradiderunt interpretationes, quas & de Terra aquis circunsepta iam supra detulerunt. Has ego deductis eorum Patrum tantummodo, qui cæterorum duces existimantur, assertionibus, sedulò recensebo.

a. *Aquæ, hoc est, Aquarum Idæa.*

PHILO Libro de Mundi opificio.
Deinceps fecit aquæ incorpoream essentiam.

b. *Siue Aquæ, idest, Primum mobile.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim, decimum Cœlum nomine aquarum hoc loco significari existimauit.
Quod autem dicitur, Super facies aquarum, manifestè significat supremum Cęlum, quod in opere secundi diei appellatur aquæ super Cœlos. Motor siquidem Cœli in circumferentia est Cœli, non in centro, & in circulo illius maximo, quem æquinoctialem vocamus; quia ibi apparet, & est motus velocissimus. Et post. *Super facies aquarum, hoc est Cœlorum, qui propter perspicuitatem absque luce pro tunc appellantur aquæ: & in singulorum circumferentijs spiritus mouentes sunt; & propterea à Mose definiuntur, super facies aquarum.*
AEGIDIVS pariter, vt supra asserebamus, Hexæmeron prima parte, capite decimooctauo.
Vel possumus, si volumus, per aquas sic fluctuantes, intelligere omnes Cęlos mobiles, vt hæc quinque, videlicet, Cęlum, terra, abyssus, tenebræ, & aquæ fluctuantes, referantur ad hæc, scilicet ad Cœlum Empyreum, ad elementum terræ, ad aquam immixtam aëri, ad ignem, & ad omnes Cęlos mobiles, super quos, tanquam super aquas motas, ferebatur spiritus Domini.
Scholastici ferè omnes, qui aquas supercœlestes nil aliud quàm Cœleste corpus extare arbitrantur, in hanc decidunt sententiam secundo Sententiarum, distinctione quartadecima; de quibus suo loco. Aiunt enim, quòd orbes cœlestes cùm alia prorsus constent discrepante ab elementis essentia, non ex proprio vocis sensu, sed metaphorico, ea scilicet similitudine, qua perspicua sunt, aquæ dici eleganter possunt. Quam sententiam prima parte, quæstione sexagesima octaua, articulo secundo, D. Thomas approbasse visus est.

c. *Vel Aquæ, scilicet Natura Angelica.*

NYSSENVS in Hexæmeron.
Quòd si aqua etiam illud à Sacra Scriptura nominatur, quo per sublimiorem contemplationem, earum virtutum, quæ mente, ac ratione noscuntur, plenitudinem & cœtum significari existimamus: nemo æquinocationē quasi

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Super aquas.

a. *Super aquas, hoc est, materiam primam informem.*

quasi noua offendatur. Etenim etiam Deus ignis absumens est; sed à materiali ignis significatione, verbum illud vacuum, ac purum est. Quemadmodum igitur cùm Deum ignem esse didicisti, aliud quidpiam eum, atque hunc ignem esse putas: ita cùm de aqua, supra quam diuinus Spiritus ferebatur, audieris, non deorsum vergentem, & in Terram defluentem naturam intelliges; spiritus enim Dei super depressa, atque instabilia non fertur.

GLOSSA Interlinearis.

Super aquas: hoc est spiritualem vitam, quasi fluitantem, ante conuersionis formam.

Glossa Ordinaria pariter, hæc eadē nō mutatis verbis, ex Augustino animaduertit.

a. *Aqua, Materia prima informis.*

D. AVGVSTINVS libro de Genesi imperfecto, capite quarto.

Et spiritus Dei, ferebatur super aquam. Nusquam dixerat, Deus aquam fecit, nec tamen vllo modo credendum est aquam Deum non fecisse, & eam iam fuisse, antequam ille aliquid constituisset: etenim ille est, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, sicut Apostolus dicit; Ergo & aquam Deus fecit, & aliter credere, magnus error est. Cur igitur non dictum est, quòd aquam Deus fecerit? An rursus eandem materiam, quam vel Cœli & Terræ, vel Terræ inuisibilis, & incompositæ, atque abyssi nomine nuncupauerat, etiam aquam voluit appellare quæ subiacebat bonæ voluntati Creatoris ad confirmanda in suis generibus omnia? Cur enim non & aqua appellaretur, si terra potuit, cùm adhuc neque aqua distincta, atque formata, neque terra esset, neque aliquid aliud? Sed primò fortasse Cęlum & Terra appellata est: secundò, Terra incomposita, & abyssus carens luce: tertiò, aqua non incongruè; vt primo ipsius vniuersitatis, propter quam facta est, materies de omninò nihilo, Cœli, & Terræ nomine vocaretur: secundò, Terræ incompositæ, atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa, terra est informior, & minus relucens quàm cætera: tertiò, aquę nomine significaretur materia subiecta operi artificis; aqua enim mobilior est, quàm terra: & ideò propter operandi facilitatem, & motum faciliorem, subiecta materies artifici, aqua magis vocanda erat, quàm terra. Rom. 11.

Progreditur amplius Augustinus demonstrare, materiem primam rectiùs aquam appellari debere, quàm aërem, vel ignem, propter operandi facilitatem quam præstat, quanquam aër & ignis mobiliora sint elementa, quàm aqua; cùm ait.

Et aër quidem mobilior est, quàm aqua; æther autem mobilior ipso aëre, non absurdè creditur, aut sentitur. Sed aëris, vel ætheris nomine, minus conuenienter appellaretur materies. Magis enim hæc elementa vim creduntur habere faciendi, terra verò & aqua patiendi. Quòd si occultum est, vel certè apertissimum puto, quòd aquam ventus mouet, & nonnulla terrena: ventus autem est aër motus, & quasi fluctuans. Ergo cùm aër aquam moueat manifestè, vnde autem ipse moueatur, vt sit ventus, occultum sit, quis dubitet congruentiùs aquæ nomine materiam vocari, quia mouetur, quàm aëris, qui mouet? Moueri autem pati est, mouere facere. Huc accedit, quòd ea, quæ terra gignit, aqua irrigantur, vt nasci, & perfici possint; ita vt propè videatur in hæc ipsa nascentia eadem aqua conuerti. Quocirca congruentiùs aquæ nomine appellaretur materies, cùm subdita operi artificis insinuaretur propter mobilitatem, & conuersionem in quæque nascentia corpora, quàm nomine aëris, in quo sola mobilitas posset animaduerti: cætera verò, quibus materia expressiùs significaretur defuissent, vt totus iste sit sensus; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram: idest materiam, quæ Cœli, & Terræ formam capere posset: quæ materia, terra inuisibilis, & incomposita erat, idest, informis, & luce carens profunditas: quæ tamen, quoniam mouenti & operanti artifici subiecta esset, propter hoc ipsum quod cedit operanti, aqua etiam nominata est.

Concluditque tandem.

In hac igitur materia, significatione prius insinuatus est finis eius, idest, propter quid facta sit: secundò, ipsa informitas: tertio, seruitus sub artifice, atque subiectio. In primo Cęlum, & Terra, propter hoc enim facta materies. Secundò, Terra inuisibilis, & incomposita, & tenebræ super abyssum: idest, ipsa informitas sine lumine. Tertiò, aqua subiecta spiritui ad habitandum, formasq; capiendas: ideò super aquam ferebatur

tur spiritus Dei, vt spiritum operantem, aquam uerò unde operaretur intelligamus, idest, materiam fabricabilem. Cùm enim ista tria dicimus vnius rei nomina, materia Mundi, materia informis, materia fabricabilis, horum primo nomini bene adiungitur Cœlum & Terra: secundò, obscuritas, confusio, profunditas, tenebræ: tertio, cedendi facilitas, cui iam ad operandum spiritus superferatur artificis.

Et de Genesi ad literam libro primo, capite quinto. Et libro de octo Dulcitij quęstionibus, quæstione octaua.

Et spiritus Dei superferebatur super aquam: quia siue aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, vt eo modo insinuaret vnde facta & formata sint omnia, quæ in suis generibus iam dignoscere possumus: appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari, atque concrescere: siue spiritalem vitam quandam ante formam conuersionis, quasi fluitantem, superferebatur vtique spiritus Dei, quia subiacebat scilicet bonæ voluntati Creatoris, quicquid illud erat, quod formandum, perficiendumq́; inchoauerat; vt dicente Deo in Verbo suo; Fiat lux, in bona voluntate; hoc est in beneplacito eius pro modulo sui generis maneret quod factum est.

Et de Genesi contra Manichæos, libro primo, capite septimo.

Hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram inuisibilem, atque incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa Mundi, terra videtur minus speciosa, quàm cætera. Inuisibilem autem dixit, propter obscuritatem: & incompositam, propter informitatem. Eandem ipsam materiam etiam aquam appellauit, super quam ferebatur spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Quod etsi paucorum intelligentia potest attingere, humanis tamen verbis, nescio vtrum vel à paucis hominibus, possit exponi. Propterea verò non absurdè etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores, vel herbæ, & si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Hæc ergo nomina omnia, siue Cęlum & Terra, siue Terra inuisibilis & incomposita, & abyssus cum tenebris, siue aqua super quam spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ: vt res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus, & non vno vocabulo, sed multis: ne si vnum esset, hoc putaretur esse, quod consueuerant homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo Cęlum & Terra. Dicta est Terra inuisibilis, & incomposita, & tenebræ super abyssum: quia informis erat, & nulla specie cerni, aut tractari poterat, etiamsi esset homo, qui videret, atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis, & ductilis subiacebat operanti, vt de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus, materia erat inuisa, & informis, de qua Deus condidit Mundum.

BEDA Expositione super Genesim, in caput primum.

Non autem aqua sic appellata est loco hoc, vt hæc à nobis intelligatur, quam videmus, & tangimus. Quomodo nec Terra, qualis ista, quæ iam videri & tractari potest: sed Cęli, & Terrę nomine, vniuersa creatura significata est, quam fecit, & condidit Deus. Ideò autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter infirmitatem paruulorũ, qui inuisibilia comprehendere non possunt. Nõ absurdè autẽ, aqua dicta est ista materia informis, cui superferebatur spiritus Dei, quia omnia quæ in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores, siue herbæ, ab humore incipiunt formari, atque nutriri.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite primo.

Etiam aquarum nomine ipsam illam informem materiam demonstrat, quæ subiacebat ad voluntatem Creatoris, ad conformanda in suis generibus omnia. Nam siue terram inanem dicas, siue abyssum tenebrosam, siue aquam, diuersa quidem nomina, sed vna, eademq́; materia. Idcircò terra inanis & vacua, quia nondum erat vniuersitate creaturarum completa. Pro eo abyssus tenebrosa, quia speciem luminis nondum habebat: Pro eo aqua vocata, quia siue caro, siue omnia quæ gignuntur, humida sunt, & ex humore concreta sunt. Nã & hoc Cœlum corporeum, quod firmamentum vocatur, secunda die post conditionem lucis factum est: & hæc terra tunc accepit formam, quando abyssus distincta est. Ipsæ quoque aquæ tunc speciem sumpserunt, quando in vnum sub firmamento collectæ sunt; ac per hoc non illud Cęlum hoc corporeum Cęlum, sed spiritalis intelligenda est creatio Angelorum; nec illa terra, vel abyssus, hæc visibilia elementa; sed illud intelligendum est, informis, & obscura Mundi materia.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Siue totam corporalem materiam aquam appellauit, vt insinuaret, vnde facta & formata sunt omnia, quæ ex humida natura per species varias in terra formari videmus: siue spiritualem vitam ante conuersionis formam quasi fluitantem; spiritus Dei superferebatur: quia subiacebat bonæ voluntati Creatoris, quod formandum, & perficiendum inchoauerat.

GLOSSA Interlinearis his pariter subscribit.

Informem, sed ductilem materiam.

ALBERTVS Magnus prima parte suæ Summæ de quatuor coęqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo: quæsito illi, si prima materia significatur nomine terræ, & abyssi, & aquæ; quare dixerit potius, Spiritus Domini ferebatur super aquas, quàm super terram, uel abyssum, hisce respondet.

Dicendum, quòd Spiritus superferebatur, vt exhibens formas, vt dictum est: & quia exhibitioni formarum

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Super aquas.

a. *Super aquas, hoc est Chaos vna rudi forma congestum.*
b. *Siue nebulam ex igne, aëre, & aqua conflatam.*

rum respondet in materia receptibilitas primo, & retentio, vel priuatio; ideò potius dicitur, quòd ferebatur super aquas, quàm super terram, vel super abyßum; quia, vt dictum est, materia dicitur aqua propter receptibilitatem formarum.

ALEXANDER de Hales secunda, quæstione quadragesima sexta, membro quinto.

Dicendum, quòd nomine aquarum notatur materia receptibilis debitæ formę, & localitatis ei respondentis.

a. *Aquæ, idest Chaos vna rudi forma congestum.*

Ex Nysseno primùm excerpi potest hæc interpretatio, sed expressiùs eam recitarunt.

TOSTATVS Commentarijs in primum caput Geneseos, in secunda expositione.

Vocatur autem illa corporis primi moles magis nomine aquarum, quia nullum nomen ei ita propriè conuenit; quia aqua est valde bonę impreßionis, & paßibilitatis, sicut erat illud corpus: & ideò multi Philosophi, vt Thales, de quo Augustinus de Ciuitate Dei, libro octauo, capite secundo; & Aristoteles primo Physicorum, posuerunt aquam esse rerum principium; quia ex ipsa quodlibet faciliter fieri potest.

CATHERINVS Commentarijs in Genesim.

Hic similiter per aquas, voluit illam materiam quasi quoddam Chaos significare ob fluiditatem, & incompactionem. Quid enim aqua labilius? Et Post. *Hactenus ergo per aquas nihil aliud posse intelligi, quàm ipsum Chaos, id argumento est; quoniam Scriptura nihil aliud conditum esse commemorat, præter Cœlum, & Terram. Et iam declaratum est ipsam terram nihil aliud fuisse, quàm ipsummet Chaos, vt sic res ignota, & penè agnoscibilis, diuersis bis, terræ, aquæ, & abyßi vocibus denotaretur. Terrę quidem nomine, ob ignobilitatem, craßitudinem, obscuritatem: Aquæ verò, ob inanitatem, fluiditatem, & incompactionem: Denique Abyßi voce, ob profunditatem, ac vastitatem.*

LIPPOMANVS in Catena.

In hac sententia, Moyses explicandi gratia vulgo notis vtitur nominibus, terra, abyßo, aqua, pro eadem re, mole scilicet obscura, & incomposita, & quicquid omninò Cœlum non erat.

b. *Aquæ, nebula ex igne, aëre, & aqua conflata.*

HVGO Victorinus, Annotationibus in Genesim, capite septimo.

Aquas vocat nebulam illam propter mobilitatem; & ita eandem rem, modo abyßum propter profunditatem, modo tenebras propter absentiam lucis, modo aquas propter mobilitatem appellat.

Et de Sacramentis libro primo, parte prima, capite sexto.

Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Subitò aquas nominat, cùm prius in rerum creatione de sola Terra, & Cęlo mentionem fecißet. Sed non propterea aquas increatas esse credendum est, quia in creatione rerum aquarum nomen positum non est, quia ipsum Cęlum ipsæ sunt tenebræ, ipsæ & aquæ. Cęlum propter leuitatem, tenebræ propter lucis priuationem, aquæ propter motum, & fluctuationem. Et post. *Et aquæ vbi erant? sub Cęlo, an supra Cœlum? Neque sub Cęlo, neque supra Cęlum aquæ erant; sed in Cęlo aquæ erant, quia ipsum Cęlum aquæ erant: totum aquæ, & totum Cęlum, quia idem aquæ, & Cęlum. Secunda die factum est firmamentum, & vocatum est Cęlum: & positum est, vt diuideret inter aquas, & aquas: & quæ prius aquę erant, factę sunt aquę: aquę, quę sub Cœlo, & aquæ, quæ supra Cœlum. Et factum est Cœlum, Cęlũ & Cęlum: Cœlum supra Cęlum, & sub Cęlo Cœlum. Vsque hodie etiam Cœlum est supra Cœlum, & sub Cęlo Cęlum: & totum ex vno Cęlo, & vnum Cœlum. Sed antequam fieret de illo Cęlo hoc Cęlum, quod est vocatum firmamentum, non erat; non illud Cœlum, Cęlum & Cœlum, sed tantùm Cęlum; nec illę aquę, aquę & aquæ, sed tantùm aquæ. Et aquæ, & Cœlum, vnum Cœlum: & illud Cęlum, & aquæ illæ, nec supra Cęlum erant, nec sub Cęlo, sed supra Terram: nihilque erat inter Cęlum, & Terram, quia nihil erat præter Cœlum & Terram. Et tamen aquæ erant, & tenebræ erant, & abyßus erat. Abyßus in Terra; tenebræ & aquæ in Cęlo. Et tenebræ erant super faciem abyßi: & spiritus Dei ferebatur super aquas. Ergo omnia erat spiritus Dei.*

RI-

Anno Mundi primo. In exordio temporum. Ante dies.

Super aquas.

a. *Super aquas, scilicet, congeriem elementorum.*
b. *Siue super aquas, hoc est, elementum aquarum.*

RICHARDVS Exceptionum libro Secundo, capite septimo.
Deinde vocat Scriptura Sacra tria elementa, quæ simul erant permixta, tenebras; deinde aquas. Aquas, vbi dicit; Spiritus Domini ferebatur super aquas. Tenebras; vbi ait; Tenebræ erant super faciem abyssi: Cœlum, propter suspensionem; aquas, propter mobilitatem & fluctuationem; tenebras, propter confusionem.

a. *Aquæ, Congeries Elementorum.*

IVNILIVS in Hexæmeron.
Sap. 11. *Ad hæc, tantùm est informis materies, de qua Mundum esse factum testatur Scriptura, quæ in Dei laudibus dicit; Qui fecisti Mundum de materia informi. Nam cuncta, quæ cum aquis & terra videre solemus in Mundo, vel de ipsis exordium materiæ, vel sumpsere de nihilo. Ipsa autem terra, & ipsę aquę, propterea nomen sortitæ sunt materiæ informis, quia priusquam in lucem venirent, vnde formositatem haberent, non erat.*

GLOSSA hæc sic obstrinxit.
Ipsa autem terra & aqua dicuntur materia informis, quia omnia quæ videmus, vel ex istis sumpserunt exordium, vel ex nihilo: & priusquam in lucem venirent, non erat vnde formam haberent.

PETRVS Comestor in Scholastica historia, capite secundo.
Prędictam machinam aquas vocat: quasi ductilem materiam ad operandum ex ea: Ideò verò sic variantur eius nomina, ne si vnius elementi nomine tantùm censeretur, illi magis putaretur accommoda.

MAGISTER secundo, distinctione duodecima.
Eadem materia quatuor scilicet elementorum informis, dicta est aqua, super quam ferebatur spiritus Domini, sicut superfertur fabricandis rebus voluntas artificis, quia subiacebat bonæ voluntati creatoris, quod formandum perficiendumque inchoauerat, qui sicut Dominus, & conditor præerat fluitanti, & confusæ materię, vt distingueret per species varias, quando vellet, & sicut vellet. Hęc ergo ideo dicta est aqua, quia omnia quę in terra nascuntur, siue animalia, siue arbores, vel herbę, & similia, ab humore incipiunt formari, atque nutriri.

GLOSSA Interlinearis.
Super aquas, idest totam corporalem machinam, quia ex humida natura formantur, quę videmus, in species varias.

LYRANVS in prima expositione.
Et spiritus super aquas, idest super illam congeriem, & commixtionem elementorum prędictam; & vocatur nomine aquarum, quia sicut dictum est, ipsa aqua cooperiebat terram, & alijs duobus elementis commixta erat modo prędicto.

VIELMIVS Lectione octaua.
Cur autem appellauerit Moses elementa aquas, ratio est in promptu: videlicet & à prædominio, & ob eorum fluctuationem, & incompactionem: & demum ob humorem, qui vitæ principium est. Dicuntur quoque numero maiori aquæ, magis quàm minori aqua: non eam tantùm ob causam, quòd hęc vox careat minori numero Hebręis, sed vt intelligamus prẹterea extitiße in ea maßa non vnum tantùm, sed perplura corpora, ita vt aggregatione videretur quidem vnum esse corpus, vnaque aqua, reuera tamen essent plura: de quibus Creator cogitaret, quomodo ea & digereret, & repleret; hoc est quas, & quantas rerum species ex eis esset facturus, & proinde plures aquę. Et hæc more nostro dicuntur.

b. *Aquæ, elementum aquarum.*

Hanc interpretationem vniuersi ferè prisci Patres insequuntur, qui Chaos illud vetustum ita discreuerunt, vt supra Terram aquas diffusas existimarint.

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem, id primus visus est innuisse, cùm ait.
Scriptura diuina satis dissereret, si summas ipsas rerum à Deo factas commendasset, Cælum, & Terram, habentes

AnnoMundi primo. In Exordio temporum. Ante dies.

Super aquas.

a. *Super aquas, quæ Terram ambiebant in tantam altitudinem, vt supra firmamentum pertransirent.*

bentes vtique suggestus suos proprios, qui in ipsis summis intelligi possent. Suggestus autem Cœli & Terræ primò tunc fuerint tenebræ, & abyssus, & spiritus, & aquæ. Nam terræ quidem suberat abyssus & tenebræ. Si enim abyssus infra terram, tenebræ autem super abyssum, sine dubio & tenebræ, & abyssus infra terram. Cœlo verò Spiritus, & aquæ subiacebant: nam si aquæ super terram, quæ eam texerant, spiritus autem super aquas, pariter & spiritus & aquæ super terram. Quæ verò super terram, ea vtique infra Cœlum. Et sicut terra abysso & tenebris, ita & cęlum spiritui & aquis incubabat, & complectebantur.

Quibus etiam elici potest, Tertullianum spiritus Domini nomine aërem intellexisse; quod attamen quia conspicuum non est, in Catena non retuli.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Super aquas, inquam, spiritum Dei ferri est, ad fœcunditatem vitalem, aquæ naturam, ipsum Spiritum Sanctum præparasse.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo.

Et spiritus Dei fouebat aquas, idest viuificabat, vt in nouas cogeret creaturas, & fœtu suo animaret ad vitam.

Quibus profectò, Patres istos aquarum nomine nil aliud, quàm aquas istas super terram labentes intellexisse, manifestè demonstratur.

CHRYSOSTOMVS clariùs Homilia tertia in Genesim.

Quum de aquarum opificio nihil dixisset, ait; Et tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei superferebatur super aquam. Hęc enim tegebant faciem terræ, de tenebris loquor & abysso aquarum. Didicimus hinc, quòd omne quod videbatur, erat abyssus aquarum, tenebris velata: & opus habebat sapiente opifice, qui omnem hanc informitatem discutere, & ornatum aliquem inducere posset. Et Post. *Et spiritus Dei superferebatur super aquam. Idq; non absque ratione Scriptura diuina præueniendo dicit, eo quòd postea dictura est nobis, quòd animalia ex aquis istis iuxta præceptum Dei omnium conditoris producta sint: propterea auditorem hic nunc docet, quòd non solum aqua illa sit condita: & quòd moueatur, & discurrat, & omnia alluat.*

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite nono.

Est autem aqua, vnum quatuor elementorum, optima Dei factura. Aqua elementum est humidum, & frigidum, graue, & deorsum mobile, & diffundi facillimum: cuius meminit diuina Scriptura, dicens; Et tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei ferebatur super aquam.

Consimilia & omnes cæteri prisci Patres.

a. *Super aquas, quæ Terram ambiebant in tantam altitudinem, vt supra firmamentum pertransirent.*

IVNILIVS in Hexæmeron.

Aquæ autem vniuersam superficiem in tantam tangebant altitudinem, vt ad illos vsque locos pertingerent: & vbi nunc, vsq; super firmamentum Cœli ex parte insidentes, nomen Domini, creatoris Cœli Cęlorum, laudare non desinunt.

Glossa Ordinaria hæc ipsa ingenuè, sine verborum permutatione desumpsit.

AVCTOR.

Breuissima Catenula intextis tantùm Patrum eorum, qui vexillarij mihi visi sunt, assertionibus, has collegi diuersas expositiones: de quibus & iudicium concisè afferam. Interpretationes, quæ aquarum nomen ad Idæas, seu Orbes Cœlestes, siue materiam primam, vel rude Chaos trahunt: vt asperæ, ac minus claræ, literæq; accommodatæ (vocem enim aquarum ad inopinatas, & aduenas significationes extorquent) multis nominibus & caussis, iam supra à nobis, quando similia Chaos genera reiecimus, allatis, prorsus

Reiiciuntur tres primæ interpretationes.

prorsus dimittendæ sunt. Cæteræ tres interpretationes quoquomodo conciliari inuicem possunt, ac in vnam redigi, si quæ fuerit ea elementorum incondita compago, & congeries indagemus. Primùm, Terram suo pondere appensam in medio constitisse omnes passim concedunt. Caietanus ipsam fuisse purum elementum contendit, vt supra retulimus. Steuchus in Cosmopœia maluit eam fuisse hylen, hoc est cænosam, veluti est limus, quem paludes & stagna vbiq; efficiunt. Patres verò probatiori sententia, ea superficie constitisse tradunt, qua nunc in pelagi, ac lacuum profundo subsidet. Deinde aquas super terram vndiq; natasse eam obruentes, Patres prisci fere omnes admittunt. Iunilius vsque ad Empyreum ascendisse eas docuit, quam sententiam sectati sunt omnes ij Patres, qui firmamentum ex tertia aquarum parte congestum fuisse, & inter primum orbem, & terram, æquali interuallo consedisse arbitrati sunt, vt Hippolitus, Seuerianus, Acacius, Claudianus, & alij, de quibus in Catenis de substantia Cœli. Basilius, ac cæteri Patres in immensum aquarum molem diffusam fuisse cogitarunt, sed nullam ei adscripserunt altitudinem, atque sub igne, & aëre substitisse asseruerunt. Caietanus aquas ad maiorem altitudinem, quàm in Diluuio Noetico, in quo per quindecim cubitos omnium altissimorum mõtium iuga superarunt, exundasse censuit; nec immeritò: tum quia Moses eam colluuionẽ aquarum abyssum vocarit; abyssus enim maximam profunditatem significat: tum quia id poscebat elementorum ratio, qua aquam in decuplum terræ supernatare necesse erat. Supereffundebantur igitur aquæ ea altitudine, ut linea à centro terræ ad superficiem deducta, ea, quæ à terræ superficie ad aquarum conuexam summitatem protracta esset, longè minor extasset. Atque hoc ex diei etiam secundæ gestis dilucidè conuincitur; A Deo enim firmamento congesto, secretisq; aquis, adhuc aquæ super terram ingenti exundantia diffluebant, quandoquidem post congregatæ fuerunt in locum vnum, vt terra ipsis denudata arida appareret. Quæ fuerit aëris & ignis in ea prisca elementorum permistione conditio, nobis non est perspicuum, nec Patres prisci edocent. Iunilius in terræ visceribus eos obstrusos fuisse ratus est. Patres, vt Tertullianus, Basilius, Ambrosius, super aquas in orbem diffusos, sed confusos: Strabus, Hugo, Richardus, eos in nebulæ spetie cum aqua super terram fluitasse dixerunt: quod mihi de igne, & aëre, & aliqua saltem aquarum parte, verisimile visum est; ita porrò, vt non super terram, sed super aquas defluxerint. Id autem mihi est persuasum, tùm quòd elementa inuicem non essent defęcata ac depurata, atq; ideo nubibus, caliginiq; atræ tunc comparari possent; tùm quia Scriptura id clare prodit. Siquidem Iob Dominus alloquens; Quis conclusit, inquit, ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem? Erumpebat nimirum mare, quasi de vulua procedẽs, hoc est, summa colluuione totam alluebat terram, vsq; ad diem tertium, quo ostijs, hoc est, sabulosis littoribus conclusum est. Tuncque nubes erat indumentum eius, & caligine quasi pannis obuoluebatur: Quæ forte nubes, ac caligines illæ fuere, ex quibus die secundo congestum est firmamentum, & aquæ seu fluxiles, seu in vaporem exilem redactæ, super cœlos euectæ sunt. Atque hic, meo quidem iudicio, horridi, ac squalentis illius Chaos erat aspectus. Quapropter valde consentaneum fuerit coniectare, spiritũ Domini non sine aliqua fortè & orbis supremi, ac nebularum, & aquæ circumlatione, ac iactatione, his omnibus supercubasse, ac superlatum fuisse. Propterea tres postremas sententias, quæ aquarum nomine ignem, aërem, & aquam simul in nubes conferta, siue congeriem elementorum, uel aquam ut elementum est, excepere, uero haud absona detulisse arbitror. Sed de his hactenus.

Quæ fuerit incodita elementorum mixtio.

Quantitas aquarum in primordio Mundi.

Iob. 38.



DE

Anno Mundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. *Dixit Deus, idest, phrasi hebraica voluit.*
b. *Vel, Dixit Deus, hoc est Decreuit, Iussit.*

DE REBUS GESTIS in prima die.



CHAOS illud indigestum, in primordio temporis à Deo productũ, quale fuerit, iam nobis Moses reserauit; & nos (si mea non me fallit opinio) luculenter declarauimus; quomodo Terra in illo Chaos aquis vndique circunsepta squaleret, profluerentque vndarum colluuiones ipsam circumuallantes, nec sabuloso littore, nec rupibus concluderentur, quæ tanquam durissimæ & inexpugnabiles, earum insanos fluctus eliderent. Insuper quo aspectu aër, & ignis densa obscuritate atri, atque simul obuoluti, spatia Mundi ad supremum vsque Orbem cuncta explerent, non micante Sole, nec Luna, Astrisve, didicimus. Nunc, quàm mirifica arte Vniuersi opifex, Chaos illud, tanquam argillam manibus suæ omnipotentiæ susceperit, atque super rotam Sapientiæ æternæ collocarit, in illoque & Orbes seiunxerit ab Orbibus, & rerum speciebus, quasi coruscantibus gemmis venustarit, cum Mose superest indagandum: illudque primo in loco nobis est animaduertendum, quid primò rota illa Verbi, ac Sapientiæ æternæ, in Chaos hoc squalidum, atque inconditum indiderit, in eoq; impresserit. Ait nanque Vates.

Dixitque Deus.

Hebraica verba sunt, Vaijomer Elohim.

Editio Chaldaica, Græca, Nostra, & omnes ferè Interpretes legunt: Et dixit Deus, vel dixitque Deus; nec aliquid animaduersione dignum à Doctoribus hoc loco obseruatum comperij.

a. *Dixit Deus, idest, phrasi Hebraica voluit.*

RABBI Moses Aegyptiacus, referente Hamero, Dixit, hoc est, Voluit, ex phrasi Hebraica exponendum esse adnotat, dicens.

Vbicunque autem dicitur in opere de Bresit, Dixit, exponitur, Voluit; alius autem dixit hoc, & scitur à multis. Cuius rei probatio, scilicet, quòd illa dicta sunt voluntates, non loquelæ; est, quoniam loquela ad aliquod creatum profertur, & tunc non erat aliqua creatura.

b. *Vel Decreuit, Iussit.*

RABBINI Parisienses Adnotationibus in Genesim.

Dicere pro iubere, & præcipere vtuntur Hebræi. Alij accipiunt dicere, pro velle, vel decernere: & ita vertunt, Decreuit, aut, Voluit Deus Lucem fieri: & facta est.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. *Dixit metaphoricè Filio.*
b. *Siue, Dixit Angelis.*

Quemadmodum verò plures sunt huius verbi, Dicere, in sacris paginis significationes, plures & huius loci emerserunt interpretationes, quas Catenis deducere, vt meum expostulat institutum, necessarium duco.

Dicere, vulgata, vsitataque significatione, est voce prolata sermonem habere; Vnde Lactantius libro quarto Institutionum, Dicere, sermonem esse cum voce significante prolatum testatur. Non defuere igitur Patres, & Doctores, qui Deum humano fandi more creationis opus patrantem describi existimarint, metaphoriceque alij Filio, alij Angelis, alij sibimet loquutum fuisse arbitrentur.

b. *Dixit Filio.*

LACTANTIVS Firmianus de Vera sapientia, libro quarto, capite sexto; cùm Filium Sapientiam, ac Virtutem Dei fuisse in Mundi emolitione consultorem edoceat, cum ipso Deum quasi sermonem habuisse, fateri videtur.

Idcircò autem Trismegistus filium Dei δημιεργὸν τῦ θεῦ dixit. Et Sibilla σύμβουλον appellat, qui tanta sapientia, & virtute sit instructus à Deo Patre, vt & consilio eius, & manibus vteretur in fabricatione Mundi.

ATHANASIVS Oratione contra Idola.

Postquam enim Cæli & Terræ, & omnium rerum procreationem absoluißet Pater, ita locutus est; Fiat Cælum, congregentur aquæ, & appareat arida, & educat Terra omnem herbam fæni, & omne animal. Qua in parte increpandi Iudæi, qui Scripturas peruersè intelligunt. Cum quo, quæso, istic (nam id quæstionis Iudæis obijci quoque potest) sermocinabatur Deus? vbi & inter loquendum imperat. Quòd si rebus creandis hoc imperium dictabat, illisque loquebatur, superuacanea erat huiusmodi sermocinatio, quippe ad eas res habita, quæ non extabant, sed futuræ erant. Nemo enim cum re nihili, & nondum extante, verba facit. Nemo item ea existere iubet, & alloquitur, quæ non sunt in rerum natura. Si enim rebus futuris imperauißet Deus, dici ab illo oportuerat: Sis Cælum, sis Terra, prodi herba, fias homo. Nunc autem nihil tale locutus est. Iubet autem his verbis; Faciamus hominem, prodeat herba? Ex quibus apparet, Deum cum aliquo sibi proximo sermonem his de rebus conserere. Necesse est igitur aliquem ei adfuisse, cum quo vniuersa condens, colloquium miscebat. At quis ille fuerit nisi ipsius Verbum? Cum quo enim Deus videri possit colloquium habere, nisi cum sua ipsius ratione, ac Verbo? Aut quis denique illi adfuit condenti omnem creabilem substantiam, Prou. 8. *nisi sua ipsius Sapientia, quæ ita de se loquitur; Quum faciebat Cęlum, & Terram, coaderam ei?*

b. *Dixit Deus, Angelis.*

THEODORETVS Quæstione in Genesim nona, si Deum voce quadam vsum fuisse existimandum est, id Angelorum gratia euenisse voluit.

Non præcipit Deus alteri cuidam est, id Angelorum gratia euenisse voluit. Psal. 113. *Omnia enim (ait) quæcunque voluit, Deus fecit. Quòd si creando voce quadam vsus est, certum est, hoc non elementorum inanimatorum caussa, sed inuisibilium Virtutum gratia factum esse: vt sciant, quòd ipso iubente, ea quæ non sunt, subsistunt.*

Glossa locupletata hæc eadem.

PROCOPIVS Gazeus, Theodoreti placitum amplificasse videtur Commentarijs in Genesim, capite primo.

Cùm crearet Cælum, & Terram, nullam Deus emisit vocem: nondum enim formati erant, qui diuina voce & instrui, & doceri debebant. At post Cęli & Terræ creationem, condidit Angelos; quos cùm vellet docere, se & ipsorum esse Creatorem, ne fortuitò se substitisse crederent, omnem sequentem creationem interuentu vocis peregit in illorum conspectu. Quare autem hoc? Vt conspicientes eorum, quæ successere, formationem, manifestò cognoscerent, Deum etiam ipsorum creationis esse auctorem: & quòd ab ipso sint in essentiam producti, interueniente sola eius voluntate, in quem morem, & cætera suam creationem inuenere.

Id ita

Anno Mundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. Dixit effigiatus Deus verbo humana voce prolato.

Id ita se habere, disertè Deus ipse ostendit in his verbis, quibus alloquitur Iobum; Cùm congratularentur pariter stellæ matutinæ. Satis enim cuiuis clarum arbitror, Angelos, quæ fecerint in creatione Astrorum, eadem exequutos esse in reliquorum creatione. Admiratione enim quadam insolita capiebantur, cernentes sola voce intercedente, adeò mirabiles, & decoras substantias prodire, quæ tamen prius non extiterant. Iob. 38.

a. Dixit effigiatus Deus verbo humana voce prolato.

Prætereo primùm hoc loco Antropomorphitas, qui Deum corpori obnoxium, semperq; effigiatum somniarunt; contra quos Epiphanius prolixius edisserit, & Anastasius Episcopus Nicenus, Quæstionibus in scripturā. Quos ēt memorat Augustinus libro de Hæresibus, & insuper confutat in Epistola ad Fortunatianum, & epistola ad Paulinam. Quest. 21. Epist. 111. Epist. 112. Prætermitto, quòd alij Tertulliano hanc ipsam notam inurant, vt Augustinus, Gennadius, Fulgentius, & Alfonsus Castrensis, de quibus suo loco.

BASILIVS id innuisse visus est Homilia vigesima prima, quæ est in aliquot scripturæ locos: cùm duo admodum consideratu dignissima protulerit; primùm Deum singula creasse Verbo, manibus vero hominem plasmasse: caussas siquidem Diabolicæ inuidentiæ memorans, hanc vnam præcipuam recenset, scilicet, quòd Dęmon viderit cuncta à Deo Verbo creari, solum vero hominem manibus plasmari; nec id ferre potuerit. Vnde ait.

Hac enim iniquitate imbutus, & à Dei familiaritate alienatus, ac ad partem defectionis conuersus: postquam vidit hominem, paruum quidem animal, supra omnem creaturam honoratum; cùm esset antiquior homine, facilè conspexit, quemadmodum natatilia verbo tantùm facta sunt, omniaq; in Mari viuentia (Producant enim, inquit, aquæ reptilia animarum viuentium; nam verbo fecit Deus & cete illa, quæ in Mari Atlantico agunt) verbo item terrestria, elephantes, equos, boues, greges animalium, armentaq; omniaque; mirabilius, verbo Cœlum & Solem, verbo herbas, verbo vndas, tam quæ supra Cęlum sunt, quàm quæ subtus in Terra stagnant, & concaua replent, factas esse vidit: solum hominem manibus Dei plasmatum esse. Hunc ei honorem inuidit. Eum nanque Sole præstantiorem animaduertit, quum ille verbo, hic manibus sit conditus; & ille ob hominem constitutus, Homo verò propter Deum. Homo item, vt Deus esset, Sol, vt homini famularetur.

Obtestatur igitur Basilius, Deum manibus hominem compegisse, cætera verò verbo protulisse. Quòd si diuina uirtute tantùm ea Deus effecisset, nulla fuisset profectò Dæmoni inuidentiæ præsumpta caussa, quoniam nulla etiam extasset inter hominis, & cæterarum rerum emolitionem discrepantia. At si manibus carneis (ut ita dicam) hominem Deus plasmauit: igitur & plectro linguæ cætera procreauit. Habet insuper Basilius aliud maximè perpendendum.

Tantamq; beneuolentiam diuinam, ac benignitatem erga eum prospexit, vt non contentus Deus tot ei commoditates tribuisse, sed eum tanquam suas delitias, & ornamentum proprium eligens, in Paradiso collocauerit: insuper Angelos ei pædagogos adhibuerit. Deum postremo cum eo conuersantem, & eadem lingua cum eo colloquentem.

Hęc Basilius. Colloquebatur igitur non tantùm Deus cum Adam, sed & conuersabatur; igitur humanam præferebat effigiem, & humanis proficiscebatur modis. Sed quæ sit de his Basilij sententia, cùm de hominis plasmatione negocium habebimus, cumulatè differemus.

LVSITANVS, Deum humanam quandam effigiem sibi effecisse, & oretenus cuncta vt fierent, pronunciasse, non symbolicè, ac hæsitanter, vt supra conscripti Patres prodiderunt, sed dilucida oratione asseruit super Genesim hoc loco, dicens.

Putarem Dominum Deum in orbis initio assumpsisse humanam effigiem, & ore suo sanctissimo hæc verba pro-

AnnoMundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. *Hoc est, Verbo fecit; Quia per Verbum omnia condidit.*

protulisse. Dixit Deus, Erit lux. Nam infra capite tertio habes, Deum venisse ad auram post meridiem, & vocasse Adam ad iudicium, quæ omnia humanam effigiem eum tunc assumpsisse ostendunt. Dicere enim, spiritualiter eum homines primos conuenisse, ac alloquutum fuisse, videtur mihi nimium literam torquere. Quòd si tunc fatendum est eum humano ore locutum, cur non modo?

Cap. 28. Sententiæ huius fundamenta. Rom. 4. Iosi. 10. 4. Reg. 1. Gen. 2. & 3.

Nonnullos alios ante Lusitanum hoc ipsum sensisse, Moses Barcepha Syrus in Commentarijs de Paradiso prima parte, scriptum reliquit. Nec prorsus suspicationibus destituta est hæc sententia; Nam si Deus, vt locupletissimè testatur D. Paulus, vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt; quemadmodum sæpius ijs rebus, quæ sunt, externo vocis sono per legatos suos præcipere voluit, ita profectò Deum ipsum, & ijs quæ nō sunt, externo verbo mandasse arbitrandum est: Siquidem Iosue, vt in ipsius libro cōscriptum cernimus, excelsa uoce, Soli, & Lunæ, vt consisterent, præcepit; Elias quoque igni, vt de Cœlo descēderet, mādauit. Si igitur iste est Dei mos, ut rebus ijs quæ sunt, voce externa per legatos suos imperet, igitur, & in opere creationis mirifico ipse externa voce, Luci, Firmamēto, Astris, quæ non erant, mandatū dedit vt prosilirēt. Deinde Deū venisse ad auram hora pomeridiana, Adam vocasse, cum ipso colloquium miscuisse, in illum, Euam, atque Serpentem damnationis sententiam pronunciasse, sacrosancta Geneseos scriptura testatur: Quomodo ergo & nunc ore creaturas ad esse euocasse, sicut & tunc existimandum non est; cum hæc, veluti & illa, sex his diebus emolitionis Mundi contigerint, & Moses eadem historiæ serie hæc, atque illa enarret? Amplius Moses Deū appellasse lucem Diem, tenebras Noctem, firmamentum Cœlum, aridam Terram; explicata oratione demonstrat; quòd si externo verbo locutus non est Deus, quæ nuncupatio ea ipsa fuit? Quod nomen eis indidit? certe nullum. Verùm huic sententiæ vniuersi fere mox enumerandi Patres aduersantur, ac refragantur.

a. *Hoc est, Verbo fecit, quia per Verbum omnia condidit.*

Verbum duplex.

Psal. 148. Ioan. 1. Verbo omnia facta esse, Ethnici quoque agnouerunt.

Verbum, Dicere, pro verbo interno, hoc est, conceptu mentis, seu simplici, quod est apprehendere; seu composito, quod est discurrere, & ratiocinari, capi perspicuum est. Vnde Augustinus libro quintodecimo de Trinitate, & Basilius in Ioannem, geminum dixerunt esse verbum: cordis, quod sibiipsi mens loquitur: & oris, quod extra profertur. Quapropter Vatum, Philosophorumq; priscorum, atque Patrum præstantissimorum quamplurimi hoc loco, Dixit, ad Verbum Dei ipsum, scilicet æternum filium retulerūt, quasi Moses verbo hoc Dixit, Deū cuncta Verbo effecisse significare uelit, sicuti & Propheta in Psalmis, quasi repercussa vox, siue Echo quædam, eadē ferè ipsa referens ait: Ipse dixit, & facta sunt. Et Ioannes. Omnia per ipsum facta sunt. Cæterum Ethnici quoque atque Hebræi æterno Verbo Deum vniuersa fabricasse confitentur.

IVSTINVS in Admonitorio, Orpheum id agnouisse verbis hisce testatur. *Orpheus in iusiurandis sic,*

Per Cœlum iuro te, quod Deus inclitus edit,
Perque patris vocem primam, quam protulit ipse.

Quam quidem vocem Dei Verbum nuncupat, per quod & Cælum, & Terram, & creaturam condidit vniuersam, sicut nos docent diuinæ sanctorum hominum prophetiæ. Quibus cùm & ipse non nihil operæ apud Aegyptios impendisset, didicit Dei Verbo vniuersam creaturam conditam esse. Quapropter vbi dixerat.

Perque Patris primam vocem, quam protulit ipse:
Adiecit hæc, & coniunxit:
Hac & consilijs Mundum firmauerat omnem.

Quo

Quo in loco vocis nomenclatura, more poëtico, Verbum expressit. Hoc autem ita se habere declarat, quod paulò ante intercesserat.

Diuino assideas Verbo, quod conspice semper.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro quinto, post plura.

Et in summa Pythagoras, Socrates, & Plato, dicentes se audire vocem Dei, considerantes vniuersorum constructionem, quæ à Deo accuratè, & perfectè facta est, & ab eo perpetuò continetur, audiuerunt Mosem dicentem; Dixit, & facta sunt, describente Verbum Dei esse opus.

Porrò si Clemens Pythagoram, Socratem, & Platonem, Verbum æternum subodorasse testatur, Zenonem quoque & Trismegistum id penetrasse

LACTANTIVS libro quarto, capite nono, his prodit.

Hunc sermonem diuinum ne Philosophi quidem ignorauerunt. Siquidem Zenon rerum naturæ dispositorem, atque opificem vniuersitatis λόγον prædicat; quem & fatum, & necessitatem rerum, & Deum, & animum Iouis nuncupat: ea scilicet consuetudine, qua solent Iouem pro Deo accipere. Sed nihil obstant verba, cùm sententia congruat veritati. Est enim Spiritus Dei, quem ille animum nominauit: nam Trismegistus, qui veritatem penè vniuersam nescio quomodo inuestigauit, virtutem, maiestatemque Verbi sæpe descripsit: sicut declarat superius illud exemplum, quo fatetur esse ineffabilem quendam, sanctumque sermonem, cuius enarratio modum hominis excedat.

STEVCHVS in Cosmopœia in primum caput Genesis.

Quam sacrosanctam Theologiam, mirabiliter demiror etiam Orpheo fuisse perspectam, qui & Verbum Dei commemorauit, & formatorem eum dixit Vniuersi, ad Filium scribens.

Inque Dei Verbum aspiciens, huic semper adesto,
Defigens animi altas luces, perge viamque
Rectam, & qui solus dedit Orbi, cerne, figuram

In Verbum diuinum Mundi formatorem hortatur filium Musæum, semper intueatur: Formatorem Mundi dicens sicut Anaxagoras νοῦν intellectum, quam digessisse Chaos, formamque Mundo dedisse semper prædicabat. Quod & Platoni fuisse cognitum, est supra quàm dici possit admirandum. Cui notum fuit, ornatum, & certos, ac constantes Cęli motus à Verbo diuinissimo fuisse repertos. In Epimonide; Neque tempus, inquit, vllum stellis venerandis præscribamus, in quo vnaquæque proprium orbem conficiens ordinem absoluit, quem spectabilem, oculisque notum omnium diuinissimum Verbum instituit. O Deum immortalem, assertorem tam clarum esse Platonem Hebraicæ Theologiæ. Hebraica enim Theologia dicit; Verbo Domini Cęli firmati sunt. Psal. 32.
Plato autem, diuinissimum Verbum motus illos Cœli, rationesque cęlestes ordinasse. Si enim motus, vtique & ipsa corpora mota, & orbes eorum.

Hamerus in Commentatione, non ita eleganter hanc Platonis in Epimonide sententiam certè est interpretatus.

PHILO Vir ingenio & eruditione celeberrimus, quanquam dogmatibus nostris parum imbutus, tamen id sensit; vt Eusebius de Præparatione Euangelica libro septimo, capite quinto, ex secundo ipsius de Agricultura excerpsit.

Qui dubitandi ruborem effugere velit, audacter dicat, nulla re materiali machinam Mundi conseruari, sed Verbo æterni Dei sempiterno, quod à medijs ad extrema, & ab extremis ad media protensum, inuictum Naturæ sustinet cursum, fouens ipsum, atque conseruans, quasi vinculum quoddam Pater qui genuit ipsum constituit. Meritò igitur nec Terra vnquam aquis summergetur, nec ignis extinguetur, nec cætera peribunt, cùm Verbum Dei vocale, inter muta elementa constitutum, omnia conseruet.

Sed ueniamus ad Patres.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quinto.

Deum dixisse, Fiat lux, non voce de pulmonibus edita, nec lingua & dentibus, accipere debemus. Carnalium sunt istæ cogitationes; secundum autem carnem sapere, mors est. Sed ineffabiliter dictum est; Fiat lux. Vtrum autem hoc, quod dictum est, Filio vnigenito dictum est, an idipsum, quod dictum est, Filius vnigenitus est, quod dictum Dei Verbum dicitur, per quod facta sunt omnia, queri potest: dum tamen illa absit impietas, vt Verbum Dei vnigenitum Filium, quasi vocem prolatam, sicut à nobis fit, esse credamus. Verbum autem Dei, per quod facta sunt omnia, nec cœpit esse, nec desinet, sed sine inchoatione natum Patri coęternum est. Quare hoc, quod dictum est, Fiat lux, si & cœpit, & destitit dici, magis Filio dictum est hoc Verbum, quàm ipsum est Filius: & tamen etiam hoc ineffabiliter.

IVNILIVS Apher Commentarijs in Genesim.

Quòd autem dixerit Deus, siue vt lux fieret, siue vt alia, quæ perhibentur; non nostro more per sonum vocis corporeum fecisse, credendus est, sed altiùs intelligendum, dixisse Deum vt fieret creatura: quia per Verbum suum omnia, vel per vnigenitum Filium suum fecit, de quo manifestiùs in Euangelio Ioannis; In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt. Quod autem ait Ioannes, Omnia facta per Verbum Dei, hoc est, quod Ioan. 1.

Moyses

Anno Mundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. *Hoc est, Verbo distinxit, quia Sapientia æterna est rerum distinctionis caussa.*
b. *Vel, Verbo formauit, cùm ab ipso Verbo sit rerum omnium forma, & compago.*
c. *Dixit, Non temporaliter, nec corporaliter, sed æternaliter: hoc est, genuit Verbum ab æterno, in quo res erant, vt fierent; & modus, & tempus quo fierent; in Verbo quidem ab æterno, sed in tempore vt fiendæ.*

Psal. 32. *Moyses ait; Quia dixit Deus, Fiat lux: dixit, Fiat firmamentum: dixit, Fiat cætera creatura; hoc quod Psalmus adiuncta & Spiritus Sancti persona, dicit; Verbo Domini Cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et Post. *Dixit Deus vt fieret, cùm in coæterno sibi Verbo, vnigenito videlicet Filio, cuncta creanda disposuit.*

a. *Hoc est, Verbo distinxit, quia Sapientia æterna est rerum distinctionis caussa.*

D. THOMAS prima parte, quæstione quadragesima septima, articulo primo.

Gen. 1. *Et quia diuina Sapientia est caussa distinctionis rerum, ideò Moses dicit res esse distinctas Verbo Dei, quod est conceptio sapientiæ. Et hoc est, quod dicitur; Dixit Deus; Fiat lux: & diuisit lucem à tenebris.*

b. *Vel, Verbo formauit, cùm ab ipso Verbo sit rerum omnium forma, & compago.*

D. THOMAS prima parte, quæst. sexagesima quinta, articulo quarto.

Vel quia formæ corporales, quas in prima productione corpora humana habuerunt, sunt immediatè à Deo productæ, cui soli ad nutum obedit materia tanquam propriæ caussæ. Vnde ad hoc significandum Moyses singulis operibus præmittit: Dixit Deus, fiat hoc, vel illud. In quo significatur formatio rerum per Verbum Dei facta, à quo est omnis forma, & compago, & concordia partium.

c. *Dixit, Non temporaliter, nec corporaliter, sed æternaliter.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite secundo.

Et quomodo dixit Deus, Fiat lux: vtrum temporaliter, an in Verbi æternitate? Et si temporaliter, vtique mutabiliter, quomodo ergo possit intelligi hoc dicere Deus, nisi per creaturam? ipse quippe est incommutabilis. Et si per creaturam dixit Deus, Fiat lux: quomodo est prima creatura lux, si erat iam creatura, per quam Deus diceret, Fiat lux? An non est prima creatura lux, quia iam dictum erat; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: & poterat per Cœlestem creaturam vox fieri temporaliter, atque mutabiliter; qua diceretur, Fiat lux? Quod si ita est, corporalis lux facta est ista, quam corporeis oculis cernimus, dicente Deo per creaturam spiritalem, quam Deus iam fecerat, cùm in principio fecit Cœlum & Terram, Fiat lux: eo modo quo per talis creaturæ interiorem, & occultum motum diuinitùs dici potuit, Fiat lux. An etiam corporaliter sonuit vox dicentis Dei, Fiat lux: sicut corporaliter sonuit vox dicentis Dei; Tu es Filius meus dilectus: Matth. 3. *& hoc per creaturam corporalem, quam fecerat Deus, cùm in principio fecit Cœlum & Terram, antequam fieret lux, quæ in hac sonante voce facta est. Et si ita est, qua lingua sonuit ista vox dicente Deo, Fiat lux: quia nondum erat linguarum diuersitas, quæ postea facta est in ædificatione Turris post Diluuium? Quænam lingua erat vna, & sola, qua Deus locutus est, Fiat lux: & quis erat, quem oportebat audire, atque intelligere, ad quem vox huiusmodi proferretur? An hæc absurda, carnalisque cogitatio, atque suspicio est? Quid ergo dicimus? An id, quod in sono vocis intelligitur, cùm dicitur, Fiat lux; non autem ipse corporeus sonus, hic bene accipitur esse vox Dei? Et vtrum hoc ipsum ad naturam pertineat Verbi eius, de quo dicitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Cùm enim de illo dicitur; Omnia per ipsum facta sunt: satis ostenditur & lux per ipsum facta, cùm dixit Deus, Fiat lux. Quod si ita est, æternum est quod dixit Deus, Fiat lux; quia Verbum Dei Deus apud Deum, Filius vnicus Dei Patri coæternus est: quamuis Deo hoc in æterno Verbo dicente, creatura temporalis facta sit. Cùm enim verba sint temporis, cùm dicimus quando, & aliquando; æternum tamen est in Verbo Dei, quando fieri debeat aliquid: & tunc fit, quando fieri debuisse in illo Verbo est, in quo non est quando & aliquando, quoniam illud totum Verbum æternum est.* Ioan. 1.

Et capite nono consimilia edisserit.

Quod ergo dixit Deus, fiat lux,& facta est lux: in aliquo die dixit, an ante omnem diem? Si enim Verbo sibi coæterno dixit, hoc vtique intemporaliter dixit: Si verò temporaliter dixit, non Verbo sibi coæterno, sed per aliquam dixit creaturam temporalem: ac per hoc non erit prima creatura lux, quia iam erat creatura, per quam temporaliter diceretur, Fiat lux: atque illud ante omnem diem fecisse intelligitur, quod dictum est; In principio fecit Deus Cælum & Terram: vt Cœli nomine intelligatur spiritalis iam facta, & formata creatura, tanquam Cælum Cæli huius, quòd in corporalibus summum est. Secundo enim die factum est firmamentum, quod rursus Cælum appellauit, Terræ autem nomine inuisibilis & incomposita, ac tenebrosæ abyssi, imperfectio corporalis substantiæ significata est, vnde temporalia illa fierent, quorum prima esset lux. Quomodo autem per creaturam illam, quam fecit ante tempora, dici potuit temporaliter, Fiat lux, inuenire difficile est. Sono enim vocis non intelligimus dictum: nam quicquid tale est, corporeum est. An ex illa imperfectione substantiæ corporalis fecit aliquam vocem corpoream, per quam sonaret, Fiat lux? Ergo aliquid vocale corpus ante lucem creatum, atque formatum est. Sed si ita est, iam erat tempus, per quod vox curreret, sonorumq; spatia sibi succedentia præterirent. Quòd si iam erat tempus, antequam fieret lux, in quo tempore fieret vox quæ resonaret, Fiat lux: ad quem diem pertinebat illud tempus? Vnus enim dies, idemq; primus ille numerari incipit, quo facta est lux. An ad ipsum diem pertinet totum spatium temporis, & quod factum est vocale corpus, per quod sonaret, fiat lux, & quod facta est ipsa lux? Sed omnis talis vox propter audientis corporalem sensum à loquente profertur, ita enim facta est, vt percusso aëre sentiatur. Nunquid itaq; talē habebat auditum illud, quicquid erat, inuisibile & incompositum, cui sic Deus personaret, ac diceret, Fiat lux? Abscedat itaque hæc ab animo cogitantis absurditas. Vtrum ergo spiritalis motus, sed tamen temporalis erat, quo dictum intelligimus, fiat lux, expressus ab æterno Deo per Verbum coæternum in creatura spiritali, quam iam fecerat; cùm dictum est; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: idest, in illo Cœlo Cæli? An & ista locutio non tantùm sine aliquo sono, sed etiam sine vllo temporali motu spiritalis creaturæ, in eius mente, atque ratione fixa quodāmodo à Verbo Patri coæterno, & quodāmodo impressa intelligitur, secundum quam moueretur, & ad speciem conuerteretur inferior illa tenebrosa imperfectio naturæ corporeæ, & fieret lux? Sed multum est, ac difficillimum capere, quomodo dicatur, Deo non temporaliter iubente, neque id temporaliter audiente creatura, quæ contemplatione veritatis omnia tempora excedit, sed intellectualiter sibimet impressas ab incommutabili Dei sapientia rationes tanquam intelligibiles locutiones, in ea, quæ infra sunt trasmittente, fieri temporales motus in rebus temporalibus, vel formandis, vel administrandis. Si autem lux, quæ primùm dicta est, vt fiat, & facta est, etiam primatum creaturæ tenere intelligenda est, ipsa est intellectualis vita: quæ nisi ad Creatorem illuminanda conuerteretur, fluitaret informiter. Cùm autem conuersa, & illuminata est, factum est quod in Verbo Dei dictum est, Fiat lux.

GLOSSA Ordinaria eruditè hanc Augustinianam doctrinam sic collegit, ac obstrinxit.

Non temporaliter. Si enim temporaliter, & mutabiliter. Si mutabiliter, & per subiectam creaturam. Si per subiectam creaturam, non est lux prima creatura. Sed forsitan, quia iam dictum erat; In principio fecit Deus Cælum, &c. poterat per cœlestem creaturam vox ista temporaliter fieri: Fiat lux. Quòd si ita ista corporalis lux facta est per subiectam creaturam, quam ante fecerat, dicente Domino: Fiat lux: Quomodo per spiritualis creaturæ occultum motum dici potuit diuinitus? Non enim corporaliter sonuit vox Dei, sicut illa Mar. Tu es filius meus, &c. Qua enim lingua sonaret, cùm linguarum diuersitas nondum esset, nec lingua erat vna, & sola, quæ loqueretur; nec erat quem oporteret audire, & intelligere? Bene ergo accipitur vox Dei Verbum, quod in sono vocis intelligitur. Ad naturam enim Verbi, per quod omnia facta sunt, hoc ipsum pertinere dicitur. Aeternum ergo est, quod dixit Deus; Fiat lux; quia Verbum Dei Patri coæternum. Marc. 1.

EVCHERIVS Commentarijs libro primo, capite secundo, consimilia Augustino edocuit.

Si in die dixit; temporaliter dixit: si temporaliter dixit, per aliquam creaturam dixit. Ergo non est prima creatura lux: quia iam erat, per quam diceret, Fiat lux. Verè enim nec in die dixit, nec temporaliter dixit: quia ante omnem creaturam Verbum suum genuit. Dictio itaque Dei, Verbum Dei est: sed diuina Scriptura paruulis congruens, & quodāmodo eos lactans, vt proficiant, & cibum spiritalem capiant, voluit semper per omnem creaturæ formationem dictionem Dei nuncupare. Vt (verbi caussa) si requiras, quomodo facta est lux? audias, In Verbo Dei erat, vt fieret. Quomodo factum est Cœlum? in Verbo Dei erat, vt fieret. Et cætera per ordinem, si requiras quomodo facta sunt? In Verbo Dei erant, vt fierent, Hoc enim est; Dixit Deus; Fiat lux.

ISIDORVS de summo Bono libro primo, capite decimo.

Non sic, quemadmodum nos transitoriè dicimus, Fiat aliquid: sic Deus dixit, Fiat Cœlum in principio. Illud enim sempiternè in Verbo vnito dictum est. Si transitoriè dictum est à Deo, Fiat, erat vtique creatura aliqua, vnde iam talis fieret vox: sed quia antequam diceret, Fiat, nulla extitit creatura; ipsum Fiat, quod dictum est, in æternitate Verbi, non in vocis sono, enunciatum est.

RV-

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite decimo.

Quid enim ex hac breuissima enunciatione colligimus, nisi quod certissimum est, quia per Verbum suum omnia Deus operatus est? Nec verò ita sensibus pueri sumus, vt putemus Deum vocalem, dentibus, palato, & labijs cum plectro linguæ percussis, elementari sono dixisse, Fiat lux: sicut nec in eo, quòd spiritus Dei ferebatur super aquas, phantasma illud admittimus, quòd stans, aut sedens in aliqua parte, magnum anhelitum suum super aquas omnes sufflando emiserit Deus. Non, inquam, sic infantiliter, aut carnaliter de Creatore spiritum Deo sentimus. Sed nec illas affectiones, quibus mente promouemur, vt eo modo, quo dictum est, verba per aërem trascurrentia mittamus, incommutabili, atque impassibili Deo ascribimus. Quid ergo? Quid in eo quod dictum est, dixit Deus, nisi generationem Verbi æterni, Verbi Deo consubstantialis, de cuius effectu, & nos, & Angeli, rationales sumus, significatam intelligere debemus? Verè enim sine voce natum, & omnia potentialiter continens Verbum, tunc Pater actualiter generauit, quando Cœlum, & Terram creauit, quando lucem, & cætera fecit. Eructauit ergo cor Patris Verbum bonum: & ex vtero, idest de suæ substantiæ secreto, ante Luciferum genuit illud, quando dixit; Fiat lux.

Psal. 44.
Psal. 109.

Intelligas sana mente, Patrē non generasse tunc Filium sibi cōparem, quando creauit Cœlū, & Terram: quandoquidem ab æterno Pater semper generat Filium, sed produxisse Cœlum & Terram, cæteraq́; , quæ in Verbo semper generato, vt in Idęa extabant.

PETRVS Comestor Scholasticæ historiæ capite tertio.

Dixit, idest Verbum genuit, in quo erat vt fieret lux, idest tam facilè, vt si quis diceret verbo.

Hugo Carensis eadem suffuratus est.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari.

Dixit, inquit, non temporaliter, non sono vocis, sed in Verbo sibi coæterno.

BEDA Expositione super Genesim.

Quomodo dixit Deus, per quam vocem, aut cui dixit ante omne tempus? Dixit autem Verbo sibi coæterno, & incommutabili, non corporali sono vocis, sed internis, æternisq́; rationibus.

Et libro de sex dierum Creatione.

Ista locutio, non tantùm sine aliquo sono, sed etiam sine vllo corporali motu, creatura spiritualis eius menti, atque ratione quodammodo infixa per Verbum Patris coæternum, sed multum ac difficillimum est capere, quomodo dicitur Deo non temporaliter iubenti, neque id temporaliter audiente creatura, qui contemplatione veritatis omnia tempora excedit: sed intellectualiter sibimet expressas, cum Patri coæterna Sapientia tanquam intelligentibus locutionis ad ea quæ infra sunt transmittentes, vt fieret temporalis motus in rebus temporalibus, siue formandis, siue administrandis.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione tertiadecima, relata D. Augustini sententia concludit.

Dixit ergo Deus, Fiat, &c. non temporaliter, non sono vocis, sed in Verbo sibi coæterno, idest, Verbum genuit intemporaliter, in quo erat: & disposuit ab æterno, vt fieret in tempore, & in eo factum est.

D. THOMAS Expositione in Iob, capite primo, lectione secunda.

Nam dicere Dei dupliciter accipitur. Nam quandoque refertur ad conceptum cordis; quandoque autem ad significationem, qua huiusmodi conceptus alteri exprimitur. Secundum igitur primum modum, dicere Dei est æternum, & nil est aliud quam generare Filium, qui est Verbum ipsius. Secundo verò modo, specialiter Deus aliqua dicit, diuersimodè tamen, secundum quod congruit eis, quibus dicit; Nam hominibus corporeos sensus habentibus, aliquando Deus locutus est aëreo sono, formato in aliqua subiecta creatura, sicut vox sonuit in Baptismo, & in transfiguratione Christi. Hic est Filius meus dilectus. Aliquando autem per imaginariam visionem, sicut multoties legitur in Prophetis. Aliquando autem intelligibili expressione, & hoc modo intelligendum est Dominum ad Sathan dixisse, inquantum eum intelligere facit, quod ea, quæ ipse agit, à Deo conspiciuntur.

Matth. 3.
Matth. 17.

TOSTATVS in Postillis.

Dicere pertinet ad Patrem, inquantum per Filium omnia operatur qui est ars, & sapientia Patris. Filius autem Verbum est, ad quod dici pertinet, quia Verbum est per dictionem passiuam.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coequeuis, quęstione duodecima, articulo vndecimo, eam excitat, & suscitat difficultatem.

Quæritur, cùm ab æterno dixerat Verbum, quare non sequitur, quòd ab æterno creauit, & fecit lucem? Resp. Dicendum, quòd duo sunt in Verbo ab æterno, scilicet, ideæ, & determinatio vniuscuiusque, quando debeat procedere in esse; & hoc vocatur ab Augustino plenitudo temporis, respectu Filij. Dicit enim Augustinus super illud; Quando venit plenitudo temporis, quòd plenitudo temporis fuit impletio temporis, quod præsciuerat Deus, in quo Filius debuit incarnari: & similiter est respectu aliarum creaturarum; quia vnaquęq; tunc esse incipit, quando ab æterno Deus ei præordinauit, vt fieret. Et hoc est, quod dicitur, Verbum genuit, in quo erat vt fieret. Nec tamen sequitur, quòd ab æterno creatura sit, licet Verbum dictum sit ab æterno: quia non est idem iudicium de hac causa, & causato, eo quòd ipsa in infinitum distet à suo causato; non ideò proportionatur

Gal. 4.

Dixitque Deus.

a. *Non prolato verbo, sed dixit, ideſt cogitauit, voluit, ſtatuit, & imperauit.*

Anno Mundi primo. Die Prima.

tionatur ei in aliquo in eſſentia, neque in duratione, neque in virtute, nec in opere. Et ideò dicit Auguſtinus, quòd non ſequitur Verbum æternum, quo dicta eſt creatura, vt fieret creatura. Aliter tamen poſſet ſolui per diſtinctionem huius: Ab æterno dixit vt fieret, eo quòd ab æterno poteſt determinare hoc verbum, Dixit, vel hoc verbum, Fiat. Et primo modo eſt vera: ſecundo modo falſa. Ab æterno enim dixit, vt fiat, non ab æterno, ſed tunc quando incepit.

Perpendendum eſt autem, ex his patribus Rupertum, Comeſtorem, Carenſem, verbum Dixit ad generationem Verbi ſimpliciter retuliſſe, cæteros Patres modum, quo cuncta per Verbum, ſeu verbo condita fuerint, declarare maluiſſe. Verùm ex his nonnulli elegantiùs, quo pacto cuncta per Verbum producta dicantur, expreſſerunt: idq; duplici via, ſeu modo elucidarunt. Auguſtinus, & Eucherius candidè, maximoq; cum nitore doctrinæ id explicuere hoc pacto; quòd omnia per Verbum & verbo procreata perhibeantur, quia quod æternum erat in Verbo, vt fieret, & quãdo fieret, ita factum eſt; tuncque factum eſt, quomodo, & quando fieri debuiſſe, in ipſo fuit inſitum Verbo. D. Thomas & ipſe eleganter alterum deduxit aſſeuerandi modum, quo cuncta verbo, & per Verbum condita prædicentur; nempe, quia Verbum, hoc eſt diuina Sapientia diſtinctionis rerum cauſſa eſt, & quoniam formæ, quibus res exiſtunt, immediatè à Deo fuere productæ per Verbum, à quo omnis forma, compago, & partium concordia promanat.

a. ## *Dixit, non prolato verbo, ſed Dixit, ideſt cogitauit, voluit, ſtatuit, & mandauit.*

Verùm cùm & verbum Dicere ſacra in pagina, pro eo quod eſt velle, ſtatuere, diffinire, iubere, mandare, & imperare ſæpius ſumatur; haud mirum alicui videri debet, ſi plurimi, ijdemque præſtantiſſimi Patres, Dixit, pro voluit, ſtatuit, & imperauit, hoc in loco interpretati ſint.

BASILIVS Hexæmeron Homilia ſecunda.

Proinde in Deo cùm vocem, verbum & præceptum aſſerimus: caue, intelligas, aut cogites eum ſtrepitum, qui per vocis organa editur, non item aërem linguæ officio articulatum, & impreſſum; ſed momentum id, eamve inclinationem diuinæ voluntatis cenſemus in præcepti ſpeciem figurari, quo eorum quæ docentur velut oculis ver ſubiecta colliqueſcat, & manifeſtetur expreſſiùs.

Gloſſa locupletata hæc deſumpſit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.

Naturæ Opifex lucem locutus eſt, & creauit. Sermo Dei voluntas eſt: opus Dei, natura eſt: lucem creauit, tenebras illuminauit. Et dixit Deus; Fiat lux, & facta eſt lux. Non ideò dixit, vt ſequeretur operatio, ſed dicto abſoluit negocium. Vnde pulchrè Dauidicum illud; Dixit, & facta ſunt. Quia dictum impleuit effectus. Auctor ergo lucis Deus; locus autem, & cauſſa tenebrarum Mundus eſt. Sed bonus auctor ita lucem dilexit, vt Mundum ipſum infuſo aperiret lumine, atque eius ſpeciem venuſtaret. Et Poſt. Dixit Deus, non vt per vocis organa quidam ſonus ſermonis exiret, nec vt linguæ motus cæleſte formaret alloquium, atque aërem iſtum quidam verborum ſtrepitus verberaret; ſed vt voluntatis ſuæ cognitionem proderet operationis effectu. Psal. 148.

ATHANASIVS contra Arrianos, Sermone tertio.

Dixit, non vt in rebus humanis adminiſter aliquis audiret, auditamque loquentis voluntatem opere præſtaret: id enim proprium eſt rebus creatis: de Verbo autem id cogitare, aut dicere, abſurdum fuerit. Eſt enim Verbum Domini architectus, & rerum auctor, & eſt Patris voluntas: atque inde eſt, quòd non relatum eſt à Scriptura, eum vel audiſſe aliquo modo, vel reſpondiſſe, aut qualia tandem fieri ea vellet, percunctatum fuiſſe:

Gen. 15. *sed potius dixit Deus, Fiat, & subintulit, & ita factum est: nam quod placuit, & voluit, id statim Verbo perfectum, atque absolutum fuit. Quum enim Deus, vel Angelis, vel alijs præcipit, vel cum Mose loquitur, aut Abrahæ promissiones facit, tùm is qui audit, ita respondere inducitur, vt alius dicat, quomodo id scire potuero: alius verò, quæso, alium deligas. Et rursum; Si ex me sciscitati fuerint, quod nomen tibi sit, quid respondebo illis? Et Angelus Zachariæ dixit; Hæc dixit Dominus: Zacharias Dominum vicissim percunctatur, Domine qui in omnia imperium, & potestatem habes, quousque tandem non misereberis Hierusalem? Et datur illi audire verba bona, & consolatoria. Habet enim vnusquisque istorum mediatorem, Verbum scilicet, & Sapientiam Dei indicantem, quæ sit voluntas Patris. Quum autem ipsum Verbum operatur, & creat, non est illic aut percunctatio, aut responsio: in Verbo enim est Pater, & Verbum in Patre: sed sufficit velle, & opus perficitur: vt illud, dicere Patrem, indicium nobis sit voluntatis diuinæ: illud autem; Et factum est ita, opus significet, quod perfectũ fuit per Verbum, & Sapientiam, in qua est voluntas Patris: & illud ipsum, quod Deus dixerit, in Verbo cognoscitur: omnia enim in Sapientia fecit, quippe quum & Verbo Domini Cœli firmati sint; & vnus sit Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum.*

Exod. 3. Zach. 1. Psal. 32.

THEODORETVS in Genesim, quæstione nona.

Psal. 113. *Non præcipit Deus alteri cuidam creare; sed quæ non sunt, vocat; ita vt hic præceptum sit ipsa voluntas. Omnia enim, ait, quæcunque voluit, fecit Deus.*

CYRILLVS Alexandrinus in Genesim, libro primo.

Quippe singulis in rebus creandis, Verbum tantummodo summi Dei creare valebat, nutusque eiusdem duntaxat producere omnia poterat.

CHRYSOSTOMVS Homilia in Genesim tertia.

Et dixit Deus; Fiat lux: & facta est lux. Dixit, & facta est: mandauit, & tenebræ quidem fugatæ sunt; lux autem producta. Vides ineffabilem potentiam?

GLOSSA Ordinaria.

Et perinde est dicere; Dixit Deus, ac voluit, atque præcepit, vt hoc, vel illud fieret.

D. THOMAS Postilla in Genesim, capite primo, disertiùs explicauit emphasim vocis, Dixit; inquiens.

Istud dicere, non fuit vocalis expressio, seu insinuatio, sed fuit tantùm conceptio cum ipsius voluntatis imperio: ad quæ subsequuta est exterior operatio. Vnde differentia est inter nostram locutionem, & Dei, quia ad eius dicere, sequitur facere; & loquor de intellectu eius ad voluntatem extenso: ad nostrum autem dicere vel velle, non sequitur aliud extra, cùm actiones, quæ faciunt aliquid extra, requirant materiam, in quam agant.

TOSTATVS in Postillis.

Aliqui quærunt, qua voce Deus loquutus fuerit, cùm ista dicebat. Respondetur, quòd si Deus in aliqua lingua loquutus fuisset, hoc fuisset in Hebræa; quia illa prima omnium fuit, & communissima, & sanctissima, quam Deus inter cæteras diuisas linguas proprio populo suo reliquit; & in qua lex data fuit; Sed Deus nõ loquutus fuit aliqua voce sensibili, quia fuisset aliquid superuacuum, cùm loquutio sit ad indicandum conceptum alicui intelligenti: sed tunc nullus erat homo, cui vocaliter loqui deberet. De his Isidorus nono Etymologiarum. Angeli autem, qui tunc erant, non voce, sed solo intellectu percipiunt. Importat autem hic dicere Dei intelligere practicum, & velle; id est, quòd Deus ab æterno iudicauit, & voluit res pro tunc debuisse creari.

DIONYSIVS Carthusianus Commentarijs in Genesim.

Quemadmodum autem Deus artifex summus est, simplicissimus spiritus, & sapientissimus actor: sic dicere eius est spirituale, ac intellectuale; non vocale, aut transitoriè sonans. Nec dixit istud per creaturam subiectam, sed sicut immediatè produxit, ita per se dixit; Et hoc dicere Dei, est practicum intelligere eius, quo vult, seu præcipit aliquid esse. Sic igitur Deus Trinitas, vnus vniuersorum creator dixit, id est, intra se concepit, cogitauit, ac iussit.

CAIETANVS in Genesis caput primum.

Dicere diuinum, est proculdubio intellectuale; nec est dicere prophetando, quod erit lux; sed est dicere practicum; hoc est diffinitiuum, ac imperatiuum; vt sit lux.

VIELMIVS Lectione nona.

Ion. 2. *Porrò autem, quod hic scribitur; Et dixit Deus: complures perinde dictum putarunt, atque iussit, seu mandauit: quòd Dicere, pro Iubere, Ionæ secundo patenter Hebræis positum fuerit, qui sic legunt; Et dixit Dominus pisci, vt euomeret Ionam: quod & alibi quoque similiter haberi Docti testantur. Sed & Dauid cùm dixisset; Ipse dixit, & facta sunt: confestim explicans quale dicere illud fuerit, ita subdidit; Ipse mandauit, & creata sunt. Pagninus tamen, & Felix legunt; Ipse dixit, & fuit (nimirum Orbis) ipse præcepit, & stetit: vt dicere ad existentiam, præcipere ad permanentiam, & consistentiam retulisse, videri Propheta possit; sed nihilominus existimatur amplificatio, & exornatio.* Et post. *Et intelligentiæ huic mirificè consentit verbum, Fiat, quod dicendo protulisse scribitur, imperatiui enim modi est.*

Psal. 148.

Tropus

Dixitque Deus.

a. *Tropus Hebraicus, siue Hebraismus est ponere Dicere pro Meditari, Decernere, Velle, Iubere.*
b. *Dixit, pro Fecit, seu Creauit summa cum facilitate, ac celeritate.*

Anno Mundi primo. Die Prima.

a. Tropus Hebraicus, siue Hebraismus est ponere Dicere pro Meditari, Decernere, Velle, Iubere.

STEVCHVS in Cosmopoeia, in caput primum Genesis.

Vt in omni lingua, & gẽte priuatus est dicendi mos, sic crediderim habere suos Hebræos tropos, ac similitudines, ac translationes. Similitudo autẽ est, vt quemadmodũ Reges ac Dictatores, imperijs solis ac dictis, immensa opera excitant, sic magno Dictatore imperante, surgerent omnia, omnibus illi naturis parere paratis. Vt autem agnoscamus esse in hoc sermone non abstrusionem, interioremq; aliquam rationem, sed consuetudinem loquendi solam, ex eo liquet exemplo, quod est apud Ionam: Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam. Hic aut iussum, motumq; reconditum interpretari cogimur, potius quàm locutionem; aut similitudinem quandam esse. Qua etiam dicitur; Odoratus est Dominus sacrificium. Quibus enim naribus? Est autem duobus modis figuratum, & tropicum, superius quod dicitur, quòd neque loqui Deus, neque irrationales bestiæ possint. Et post. Dicere eius, est velle: velle autem & posse idem apud eum, etiam auctore Aristotele. Has dictiones Mosaicas respiciens Dauid, & ipse confessus est; Verbo Domini Cęli firmati sunt. Quæ de Verbo sunt ascita à nonnullis, mihi viderentur ab eis potuisse non credi, si sermonis Hebraici nota fuisset consuetudo. Nam & Hebræi probant, dicere in sua lingua, esse quasi cogitare, secumq; meditari. Dant enim dictionem etiam cordi; Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Salomon; Dixi ego in corde meo, vadam, & affluam diuitijs, & fruar bonis. Et in libris Regum; Porrò Anna loquebatur in corde suo. Quæ sit autem locuta, superius ostendit. Ergo cùm ait, & dixit; Idem erit, atque cogitauit in corde suo, meditatus est, decreuit esse lucem. Secernentes ergo Hebraismos à naturalibus, omniumque gentium communibus locutionibus, iter ad veras rerum intelligentias tendemus.

Ion. 2. Gen. 8. Psal. 32. Psal. 13. Eccles. 2. 1. Reg. 1.

b. Dixit, pro Fecit, seu Creauit summa cum facilitate, ac celeritate.

CHRYSOSTOMVS, Homilia in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Si quis autem dubitet, à me discat, quòd habent opificem, effectorem, & qui illis prouidet, earumq; curam gerit. Duo enim hic ponit, vel potius tria, atq; adeò si quis rectè perpendat, etiam quatuor: quòd id, quod est, fecerit; & ex ijs, quæ non erant, fecerit; & facilè fecerit; & à se facta regat, & administret. Dicendo enim, Dixit, ostendit facilitatem: ut etiam Paulus significans, dicebat; Qui viuificat mortuos, & vocat, quæ non sunt, tanquã quæ sunt; nomine vocationis nobis facilitatem indicans. Quòd autem quę facta sunt, regat, & contineat, ipse Propheta rursus ostendit, subiungens; Statuit ea in sæculum, & in sæculum sęculi; præceptum posuit, & non præteribit. Vide quomodo hic quoque ostenderit potestatem, auctoritatem, non solùm quòd statuerit, sed etiam quòd præceptum dixerit, humanis dictionibus eius operationem indicans. Quemadmodum enim tibi dicere, & præcipere est facile; ita Deo facere quæ non sunt, regere, & continere: immo verò non ita habet, sed est longè facilius. Neque enim verbis potest explicari summa facilitas, cum qua fecit omnia.

Rom. 4. Psal. 148.

EVCHERIVS primus mihi visus est hanc suscitasse interpretationem suis Commentarijs in Genesim.

Vel Dixit, pro Fecit, posuit scriptor; vt celeritatem, vel facilitatem operis Dei ostenderet: ac si diceret, tam facile lucem fecit, sicut quis loquitur. Neque enim corporalibus modis loquitur diuina natura: nec quoties dixit, toties verba formauit. Vnum enim Verbum genuit coæternum, & consubstantiuum sibi, in quo omnia ineffabiliter, & intemporaliter dixit. Talis enim Dei locutio, non temporaliter præteriens sonus, sed sola dictio est rationis.

ALCVINVS Questione in Genesim trigesima prima.

Dixit, pro Fecit, scriptor posuit, vt celeritatem, vel facilitatem operis Dei demonstraret.

AnnoMundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. *Dixit, idest, Creauit.*
b. *Dixit, is Tropus est humanus, à Mose insitus.*

PETRVS Comestor, Scholasticæ historiæ, capite tertio.
Dixit, idest, tam facile fecit, vt si quis diceret verbo.
HVGO Carensis id mutuauit.
Commendatur autem auctor Deus à facilitate operandi, vbi dicitur, Dixit.
Glossa Ordinaria idipsum ex Alcuino adnotauit.
TOSTATVS in Postillis.
Vel ponitur dicere, quia Deus sine aliquo labore, vel difficultate fecit: sicut imperare, vel dicere, labor non est.

a. *Dixit, idest, Creauit.*

D. THOMAS in primum Sententiarum, distinctione vigesimaseptima, quæstione secunda, articulo secundo, hoc ipsum non reticuit, cùm dixit.
Quidam enim dicunt, quòd dicere de Deo dicitur tripliciter. Quandoque enim dicere, est idem quod intelligere; & sic est essentiale. Quandoque enim dicere idem est, quod generare: & sic est notionale. Quandoque enim dicere, est idem quod creare: & sic dicere connotat respectum ad creaturam; & est essentiale.
VIELMIVS Lectione nona.
Anonymi veruntamen nonnulli accipiunt verbum, Dixit, pro eo quod est, Creauit: etenim dicere, cùm ad Deum transfertur, interdum quidem pro intelligere, aliàs pro gignere, & aliquando etiam pro creare capi existimant; & primo, ac tertio modo essentiale esse; secundo autem notionale.

b. *Dixit, is Tropus est humanus, à Mose insitus.*

CHRYSOSTOMVS Homilia tertia in primum caput Geneseos.
Vidisti quantum se nostrorum ingeniorum paruitati attemperauerit beatus ille Propheta, immo misericors Deus per Prophetæ linguam erudiendo omne hominum genus, vt videat eorum, quæ facta sint, ordinem: & quis Vniuersi Opifex, & quomodo vnumquodque produxit? Quoniam enim adhuc imperfectius erat humanum genus, quàm vt perfectiora capere posset: propterea pro auditorum imbecillitate, Prophetæ linguam Sanctus mouebat Spiritus, inque hunc modum nobis omnia edisserebat. Et vt discas, quòd propter mentis nostræ imperfectionem hoc enarrationis attemperamento fuerit vsus: vide quòd Tonitrui filius, cùm iam euenisset ad virtutem hominum genus, non iam hac via ingreditur, sed in sublimiorem eruditionem auditorem subducit. Nā Ioan. 1. *vt dixit; In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo: mox subijcit; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Nam quemadmodum hoc loco lux ista sensibilis præcepto Domini producta, & Tenebræ illæ visibiles absconditæ: sic & lux mentalis tenebras errorum effugauit, & ad veritatem errabundos manuduxit.*
TERTVLLIANVS inter plures Patres, quo pacto Scripturæ humanos mores, atque humanam formam, & faciem in Deum sæpe referant, prolixiùs, & elegantiùs edisserit, libro de Trinitate, capite sexto.
Psal. 33. Gen. 8. Exod. 31. Deut. 5. Isa. 1. Isa. 66. 4 Reg. 19.
Et licet Scriptura cælestis ad humanam formam faciem diuinam sæpe conuertat, dum dicit; Oculi Domini super iustos: Aut dum odoratus est Dominus Deus odorem bonæ fragrantiæ: Aut dum traduntur Moysi Tabulæ scriptæ digito Dei: Aut dum Populus filiorum Israel de Terra Aegypti manu valida, & brachio excelso liberatur: Aut dum dicit; Os enim Domini locutum est hæc: Aut dum Terra scabellum pedum Dei esse perhibetur: Aut dum dicit; Inclina aurem tuam, & audi. Et Post. *Efficaciæ igitur ibi diuinæ per membra monstrantur: non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur. Nam, & cùm oculi describuntur, quòd omnia videat, exprimitur. Et quando auris, quòd omnia audiat, proponitur. Et cùm digitus, significantia quædam voluntatis aperitur. Et cùm nares, præcum quasi odorum perceptio ostenditur. Et cùm manus, quòd creaturæ sit omnis auctor, probatur. Et quando brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius repugnare possit, edicitur. Et quando pedes, quòd impleat omnia, nec sit quicquam, vbi non sit Deus, explicatur.*

Dixitque Deus.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. *Dixit, pro eo quod est, In Sapientia fecit.*
b. *Non tantùm Pater, sed & Filius, & Spiritus Sanctus, quia eiusdem sunt naturæ, & consensus.*

Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cuius solum etiam tacitum arbitrium & seruiunt, & adsunt omnia. Cur enim requirat oculos, qui lux est? Aut cur quærat pedes, qui vbique est? Aut cur ingredi velit, cùm non sit, quò extra se progredi possit? Aut cur manus expetat, cuius ad omnia instituenda artifex est & silens voluntas? Nec auribus eget, qui etiam tacitas nouit voluntates. Aut propter quam caussam linguam quærat, cui cogitare iussisse est?

a. *Dixit, pro eo quod est, In Sapientia fecit.*

GREGORIVS Nyssenus subobscura, & obuoluta narratione, aliam attulit expositionem, atque vocem hanc Dixit, non ad sonum vocis per aërem diffusum, nec ad Verbum æternum, neque ad decretum, seu mandatum, nec ad modum dicendi retulit; sed nimium discrepante à suprascriptis sententia, ita eam interpretatus est; Dixit, hoc est, In Sapientia fecit, quasi quòd Sapientia in rebus conflatis refulgens, vox sit Dei, & verbum, & oratio, quæ ipsius gloriam enarret. In Hexæmeron enim hæc habet.

Quod autem per rationem sapientiæ virtute Creatoris factum est, de hoc à Moyse, quasi de imperatiuo sermone Dei, mentio fit, dum ait; Dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux. Nam in Deo, secundum nostram quidem opinionem, opus ipsum, oratio cum ratione coniuncta est: quoniam quicquid fit, ratione fit, atque ratione carens, & concursione fortuita contingens, atque temerarium nihil quicquam in ijs, quæ à Deo facta sunt, intelligitur: sed credere oportet, vnicuique rei, etiam rationem quandam sapientem, pariter & artificiosam insitam esse, eamque maiorem, quàm nos cernere possimus. Verbum igitur illud, Dixit Deus, quoniam orationis cum ratione coniunctæ vim significatricem ea vox habet, de Deo conuenienter, vt arbitror, intelligemus, si hoc dictum ad eam, quæ creationi insita est, rationem referamus. Ita enim etiam magnus Dauid tales voces nobis exposuit, cùm dixit; Omnia cum sapientia fecisti. Nam verba, quibus creatio rerum fieri imperatur, quæ à Moyse, quasi diuina voce prolata, perscripta sunt, hæc Dauid eam, quæ in rebus factis spectatur, sapientiam nominauit. Vnde etiam Cælos gloriam Dei enarrare dicit; cùm videlicet, id quod in ipsis apparet artificiosum spectaculum, per concinnam, ratam, constantem, & aptam conuersionem, loco sermonis peritis existat. Quum enim enarrare Cælos, & firmamentum annunciare dixisset, dirigit eos, qui dicta crassiùs, & imperitiùs intelligerent, & fortassis ex enarratione Cælorum, vocis sonum, & sermonem articulatum acciperent, per ea, quæ dicit. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum; vt ostenderetur, quòd ea, quæ spectatur in rebus creatis sapientia, oratio sit, etiam si non sit articulata. Item rursus, cùm Moyses fusior narrationis quasdam voces Dei ad se editas dixisset in illa mirabili editione signorum, quæ in Aegypto facta sunt, sublimiùs quàm vulgus existimet, Psalmorum scriptor exposuit, cùm dixit; Posuit in eis rationem signorum suorum, & prodigiorum suorum in terra Cham. Nam ratione quadam vim cuiusque eorum, quę fiunt, effectricem ad effectum deduci apertè per hanc vocem Psalmorum auctor significat, quasi non in verbis oratio sit, sed vis, atque potentia signorum edendorum ita nominetur.

Psal. 103. Psal. 18. Psal. 18. Exod. 9. 10. & 11. Psal. 104.

b. *Non tantùm Pater, sed et Filius, & Spiritus Sanctus, quia eiusdem sunt naturæ & consensus.*

DYDIMVS Alexandrinus, libro secundo de Spiritu Sancto.

Porrò Deus simplex, & incompositæ, spiritualisque naturę, neque aures, neque organa, quibus vox emittitur, habet; sed solitaria, incomprehensibilisque substantia, nullis membris, partibusque componitur. Quæ quidem de Filio, & de Spiritu Sancto similiter accipienda. Si quando ergo legimus in scripturis; Dixit Dominus Domino meo. Et alibi; Dixit Deus; Fiat lux: & si qua his similia: digna Deo accipere debemus. Neque enim ignorante Filio, qui Sapientia, & Veritas est, Pater suam nunciat voluntatem; cùm omne quod loquitur, sapiens, verusque subsistens, in sapientia habeat, & in substantia. Loqui ergo Patrem, & audire Filium; vel econtrariò, Filio loquente, audire Patrem, eiusdem naturæ in Patre, & Filio, consensusque significatio est.

Psal. 109. Gen. 1.

Placitum

Placitum Auctoris.

Hanc farraginem, sententiarumq; cumulum, mihi diu mente volutanti, ac profundiùs rimanti, illud primo in loco statuendum videtur; non abs re à prçstantissimis Patribus Tertulliano, Augustino, Eucherio, Chrysostomo, Iunilio, Isidoro, Ruperto, Basilio, Ambrosio, tanquam erroneam explosam fuisse, (veluti etiam ex præadductis Catenis excipi potest) ac eliminatam assertionem illam, quæ Deum metaphoricè; multoq; magis eam, quæ ipsum effigiatum plectro linguæ pronunciasse, vt res fierent, Mundumque extruxisse asseuerat. Basilius enim (vt interim cæteros prætermittam) & sæpius, & acrius hanc reijcit: nam Homilia quoque tertia, iam assertis superaddit, quòd vox propter auditum est, & auditus propter vocem: vbi autem non est aër, non lingua, non auris, non meatus intortus ad sensum in capite deferens sonos, ac strepitus; ibi neque verborum vsus est, sed ex ipsis intra cor conceptis, vt ita dixerim, cogitationibus, voluntatis traditio contingit. Præterea, quanquam Deum cum hominibus collocutum esse sæpius legatur, nunquam tamen insensili creaturæ verbo, hoc est profusa voce, præcepisse ex scripturis hauriri potest. Amplius Deum Opificem in Mundi effectione eum obseruasse modum censendum est, quo & sibi gloria, & Creaturis dona augerentur: Si igitur rerum cunctarum emolitionem elementari sono confecisset: quid obsecro inde subsequutum esset, quo vel ipsi augustior gloria, vel creaturis potiora munera compararentur? Deinde cuiusnam caussa externo sermone vti debuit? Non suiipsius cùm perenniter omnia in seipso agnoscat; Non Angelorum, quoniam corpora cognata non gerunt; aut si habent, vt plerique Patrum senserũt, alteriùs à nostris conditionis existunt: quapropter ipsi res, aut conceptus, nõ sono externo, sed patefacta tantùm voluntate percipiunt; Non hominis, cùm nondum plasmatus esset Adam; Non creaturarum, quandoquidem nulla ipsis insita erat intelligendi facultas. Superuacanea igitur fuisset ea humana locutio. Nec illam creaturarum vocationem, de qua Paulus; Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, voce & sono fieri ipse Apostolus intellexit, sed imperio tantummodo, ac mandato. Fateor deinde Prophetarum consuetudinem insensatis externa voce imperandi extasse; verùm quòd in Mundi structura hoc Deus egerit, inficiari non expauesco. Prophetæ siquidem voce clara creaturis sensu expertibus præcipiebant, nõ propter creaturas ipsas, quasi illæ verba forent percepturæ, sed propter astantes solummodo, vt quanta esset Dei Maiestas, cui insensilia tantum, quantum homines intellectu præditi, parebãt, & sensibus conspicerẽt, & mente consequerentur. Vt autem Deus in Mundi fabricatione hoc ipsum ageret, nulla profectò suberat alliciens, vel permouens caussa. Deum Adamo locutum fuisse effuso in aërem sono, forsitan à vero non longè abhorret; aderat enim & qui audiret, & qui intelligeret: rursusque cum homine humano more colloqui dedecens non fuit; sed priusquam gigneretur homo, Creatorem ipsum vocali verbo vsum fuisse, ineptum omnino, atque absurdum prorsus est effingere. Cùm vero scribitur, Deum luci, tenebris, firmamento, & cæteris nomina indidisse; interpretandum est, disposuisse Deum, vt eis nominibus res illæ nuncuparentur, quemadmodum enucleatiùs suo loco declarabitur. Necdum enim vlla aderat lingua, in qua nomina ea formarentur, necdum homo compaginatus erat, vt ea nomina à Deo veluti à Pedagogo edisceret, ac posteris mandare posset. Quantum ad Irenæum, ac Lactantium spectat, existimandum est, eos metaphoris lusisse. Theodoretus non asseueranter Deum locutum esse Angelis prodit, sed ex conditione: quasi dixerit; si Deus externo verbo fatus esset, non propter creaturas illas, quibus nulla est intelligendi ratio, sed propter Angelos id fecisset; vt manifeste cognoscerent ineffabilem illam Dei maiestatem tanta prorsus, ne dicam maiori suiipsius gloria, vocare ea, quæ nõ sunt, tanquam ea quæ sunt: sed profundius aliquid Theodoretus fortasse prodere maluit; Deum nempe cùm dixit; Fiat lux, decretum de condenda luce, tunc vsque Angelis celatum, atque occultum, illis reserasse, ac manifestasse.

Deus in creatione humano more locutus nõ est.

Rom. 4.

Deus quomodo nomina rebus imposuit.

Antropomorphitarum, seu Vadianorum hæresis, Deum venustam, ac elegantem humani corporis effigiem gestare astruens, secundum quam fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam; prolixiorem posceret disceptationem, quam prætermittere operæpre-

operæpretium duco, cùm omnium Doctorum, & Patrum consensu, ex Ecclesia (& merito) proscripta sit, atq; à Philastrio, Augustino, Epiphanio, Theodoreto, Damasceno, Isidoro, Rabbano, in catalogis hæreticorum, dum Vadianorum, seu Antropomorphitarum faciunt mentionem, inter hæreses collocata. Tertulliani sententiam, quã ipse habet de Deo corporeo, ea ductus ratione, quòd nihil sit corporis expers, quam innuere visus est libro de Pœnitentia, libro aduersus Hermogenem, libro de carne Christi, & aduersus Marcionem; clariusq; aduersus Praxeam, quamque ei adscripserunt D. Augustinus de Genesi ad literam, & Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, & Gennadius lib. de Dogmatibus ecclesiasticis, ad piam partem flectendam esse arbitror, vt ipse Augustinus libro asserto redigere nititur, cùm de ipso ait: Timens ne nihil esset anima, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere: siquidem assererẽ & ego, Tertullianũ his locis, quibus corpus Deo ascire videtur, corpus capere pro substantia, ut aliàs, si Deus dabit, perpensis singulis eius locis, me demonstraturum polliceor. Lib. 2. Lib. 10. c. vlt. Lib. 2.

Quantum spectat ad Lusitanum, qui Deum in venustando Mundo, ac in formando Adamo, & cum sanctis Patriarchis, ac Vatibus colloquutum esse asserit: Num ipse hæresi Vadianorũ faueat, atq; adhæreat, seu qua pia interpretatione à Catholica fide non dissentire videatur; cùm interpretabimur locum; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, disceptabimus. Sufficiatque nobis modò hanc assertionem, vt arduam, ac singularem reijcere; atque id, quod potissimum existimauit argumentũ pro suo astruendo placito, dissoluere. Argumentabatur Lusitanus. Si Deus venit ad auram hora pomeridiana, vt Prothoparentes conueniret, & corpus sibi humanũ compaginauit, ac humanam effigiem aptauit, qua & loquebatur, & cernebatur, & cum eis transigebat; cur non etiam modo? Huic percunctationi duobus responsis ego obuiam irem. Primum, vsqueadeo exploratum non esse; Num Deus humana effigie sumpta, an imaginaria visione, vel intelligibili expressione Adam sit allocutus. Alterum, quòd si in singularem Prothoparentum gratiam id Deus effecit, non æqua aut par est ratio, quòd & in Mũdi structura id facere debuerit, quoniam cur id ageret, nulla tũc aderat, quę postea adfuit caussa. In emolitione etenim Mundi nemo astabat, sed post formatum hominem extabat homo, qui humana effigie alliciendus, ac locutione instruẽdus erat. Verùm de his fusiùs postea. Cæterum pro rerum à nobis dictarum munimine, vnicam inseremus D. Hieronymi obtestationem. *Lusitani sententia refellitur.*

HIERONYMVS nanque Commentarijs in Psalmum nonagesimum tertium, in ea verba; Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob; Intelligite qui insipientes estis in populo; hæc habet.

Qui figulus est, ignorat vas suum? Qui alium facit audire, ergo ipse non audiet? Qui mihi dedit oculos, ergo ipse non videt? Qui auctor est intelligentiæ meæ, ergo ipse non intelligit? Iste locus aduersus eos maximè facit, qui Antropomorphitæ sunt, qui dicunt Deum habere membra, quæ etiam nos habemus. Verbi caussa: Dicatur Deus habere oculos: oculi domini respiciunt omnia: manus Dei facit omnia: Et audiuit, inquit, Adam, sonum pedum Domini deambulantis in Paradiso. Hæc simpliciter audiunt, & humanas imbecillitates ad Dei magnificentiam referunt. Ego autem dico, quòd Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt. Totus manus est, quia omnia operatur. Totus pes est, quia vbique est. Ergo videte quid dicat: Qui plantauit aurem non audiet? Non dixit: qui plantauit aurem, ergo ipse aurem non habet? Non dixit: ergo ipse oculos non habet? Sed quid dixit? Qui plantauit aurem non audiet? & qui finxit oculos non considerat? Membra tulit, efficientias dedit. Gen. 3. *Deum membra habere, quomodo intelligitur.*

Reiectis præfatis interpretationibus, duæ aliæ delatæ conciliari facilè possunt; quoniã diuersas, nõ aduersas vel repugnãtes eas reputo: immo vsqueadeo cõnexas, vt vna ab altera prodeat, & altera alteram insequatur. Perpendendum siquidem est, quòd aliud in Deo sit dicere verbum, aliud dicere verbo, seu per verbum. Dicere verbum est gignere Verbum illud æternum, increatum; de quo Dauid; Ego hodie genui te. Et de quo Symbolum; Genitum non factum, consubstantialem Patri. Atque hoc dicere, est Patris tantùm, cùm sit secundum Theologos notionale. Dicere verbo, seu per verbũ, non est ex natura gignere, sed ex beneplacito, quod in Verbo æterno insitum erat, vt fieret, sancire, ac mandare ut fiat. Quo dicendi genere intelligitur illud; Verbo Domini Cœli firmati sunt, & omnis virtus eorum; Et illud; Ipse dixit, & facta sunt. Et hoc dicere non est tantùm Patris, sed totius Sanctissimæ Trinitatis, quandoquidẽ est actus, Psal. 2. Psal. 32. Psal. 148.

vt

Anno Mundi primo. Die Prima.

Dixitque Deus.

a. Dixit; igitur Deus agens fuit à proposito, non naturale.

vt inquiunt in Scholis, indicatiuus practici illius intellectus, cùm amorem, atq; volũtatis approbationem includat.

VIELMIVS Lectione nona.

Hoc Dei Dicere, fuit actus indicatiuus intellectus illius practici cum amore, atque adeò qui essentialiter dicatur; quamobrem Moses ait; Et Dixit Deus: non verò, Et dixit Pater. Dicere Patris gignere est, & est notionale; Dicere Dei (hoc est Trinitatis) commune omnibus personis est, & voluntatis approbationem includit; quæ etsi idem re sit cum intellectu, ratione tamen, siue (vt loquuntur quidam) formaliter ab ea secernitur, & proinde hunc quoque in modum cogimur eorum actus distinguere.

Cap. 5. D. AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, hanc sublimem Theologiam his eleganter patefecit.

Vtrum autem hoc quod dictum est, Filio vnigenito dictum est, an idipsum quod dictum est, Filius vnigenitus est, quod dictum Dei Verbum dicitur, per quod facta sunt omnia, quæri potest: dum tamen illa absit impietas, vt Verbum Dei vnigenitum Filium, quasi voce prolatum, sicut à nobis fit, esse credamus. Verbum autem Dei, per quod facta sunt omnia, nec cœpit esse, nec desinet, sed sine inchoatione natum Patri coæternum est. Quare hoc quod dictum est, Fiat lux; si & cœpit, & destitit dici, magis Filio dictum est hoc Verbum, quam ipsum est Filius: & tamen etiam hoc ineffabiliter.

Consonæ igitur sunt, & in vnum congruunt hæ duæ interpretationes: cùm altera modum emolitionis Mundi, & caussam ad intra in Verbo; altera modum, & effectum ad extra exponant: idemq; sit dicere verbo, quod est mãdare, hoc etenim nil aliud prorsus est, quàm res, vt fiant, ex eo quòd in verbo sunt, vt fiant, & quando fiant, statuere, iubere, atque imperare; Et prima, quod profundius erat, perscrutata est, altera, quod facilius fuit, explicauit. Veruntamen interpretationem illam Chrysostomi, quæ Mosem Vatem rudibus Hebręis hanc de Orbis opificio historiã sub facie humanarum affectionum contexuisse tradit, reijcere, atq; explodere formidarem. Historiæ enim series suo apparatu id demonstrat: siquidem dicere, efficere, videre, nomina indere, quiescere, modi sunt humani. Sed præter hęc arbitror, quòd latitante, ac germano suo sensu, aliud etiam Vates contendat. Cæteræ expositiones, quanquam non ita ingeniosæ, neq; præstantissimorum Patrum auctoritate munitæ, meo iudicio nec prædictis sunt repugnantes, nec prorsus reijciendæ. Consequitur ex his, ornatissimum hunc Mundum pulcherrimum quendam librum esse; locupletem creaturis, tãquam literis; nexu ipsarum, quasi dictionibus; ordine earundem, veluti orationibus exaratum: Vel potius tabellam quandam esse sphęricam, conditis rebus quasi notis hieroglyphicis incisam, diuinam sapientiam, potentiam, atq; bonitatem referentibus: de quibus disertissimè in Glossa mystica. Hæc luculentiùs uolui disserere, ne tædio inuestigandæ veritatis cuilibet opinioni temerè me succumbere, sed potius pertinaci diligentia veritatem explorare videar.

a. Dixit; igitur Deus agens fuit, à proposito, non naturale.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Et significat Deum produxiße creaturas, non per modum agentis naturalis (vt Sol illuminat, & ignis calefacit) sed per modum agentis à proposito; vt artifex intelligendo, & volendo, efficit artificialia.

PERERIVS Commentarijs in Genesim, libro primo.

His accedit, vt intelligatur Deum non esse velut agens naturale, necessitate quadam, & sine cognitione faciens opus suum, sed ratione, consilio, & libera voluntate, lucem, totumq; Mundum condidiße: dicere enim, & iubere, eorum est tantummodo, qui ad agendum & rationem, & consilium adhibent.

In-

Dixitque Deus.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. *Inducitur Deus verbo Mundum constare, vt eius potestas eniteat.*
b. *Vel, vt celeritas, & facilitas, qua Deus congessit Mundum, innotescat.*
c. *Siue, vt persona Filij nobis notificaretur.*
d. *Dixit ab æterno, quod futurum erat in principio temporis.*

a. *Inducitur Deus verbo Mundum constare, vt eius potestas eniteat.*

PERERIVS Commentarijs in Genesim libro primo.

Deinde inducitur Deus solo verbo, & imperio efficiens lucem, vt appareat incomparabilis eius auctoritas, & potestas in res omnes, tàm quæ sunt, quàm quæ non sunt. Ipse enim, vt Paulus ait ad Romanos, vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, & omnia obediunt ei. Rom. 4.

b. *Et vt celeritas, & facilitas, qua Deus congessit Mundum, innotescat.*

PERERIVS loco præcitato.

Præterea, vt innotescat quanta Deus celeritate, & facilitate, quodcunque vult, perficere valeat: namque infinitis partibus facilius est Deo facere quodcunque fuerit ei collibitum, quàm est homini verbo id explicare, vel cogitatione fingere. Rectè igitur Paulus ait: Deum portare omnia Verbo virtutis suæ. Ad hoc vt palàm fiat, quàm sit potens & efficax Dei voluntas: Omnia, inquit Dauid, quæcunque voluit fecit in Cœlo, & in mari, & in omnibus abyssis. Et in libro Sapientiæ de Deo scriptum est. Subest tibi cum volueris posse. Et in Apocalypsi. Tu Domine creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Hebr. 1. Psal. 135. Sap. 12. Apoc. 4.

c. *Vel, vt persona Filij nobis notificaretur.*

PERERIVS vbi supra.

Ad extremum, vt sic insinuetur secunda persona Sanctissimæ Trinitatis, quę est Verbum æternum: nam si dicendo, fecit lucem, & Mundum, ergo per Verbum suum fecit, vt verissimè dictum sit à Dauide: Verbo Domini Cœli firmati sunt; & à Ioanne: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In libro quoque Sapientiæ, capite nono. Tu Deus fecisti omnia verbo tuo. Psal. 32. Ioan. 1. Sap. 9.

Ingeniose Pererius certè obseruationes has ex Patrum fontibus hausit, & collegit. Si quis enim non oscitanter, sed accuratè loca Patrum adducta perpendet, eos hæc ipsa animaduertisse, nobisq; deprompsisse cognoscet: Et dignæ sunt certè, vt eas memoriæ commendemus.

d. *Dixit ab æterno, quod futurum erat in principio temporis.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Et quamuis diuinum Dicere mensuretur æternitate carente præterito & futuro; humano tamen more loquendo, describitur verbo præteriti temporis, & esse lucis verbo futuri temporis; ad significandum, quòd Deus ab æterno dixit, non sit coæterna lux, sed Erit in principio temporis lux. Per hoc enim verbum futuri temporis Erit, insinuauit Moses, quòd de principio temporis intenderat, dicendo; In principio creauit, &c. Nec oportet quærere mensuram mensurantem dictum Erit; quia illud Erit, nòn habebat esse nisi in dicere diuino: quamuis nos imaginario tempore mensuremus Mundum futurum antequam esset: quum secundum rem nihil fuerit futurum relatiuè ad æternitatem; quoniam æternitati nihil est, aut fuit futurum. Et quemadmodum dicendo; Dixit Deus, declaratur Deus agens à proposito: & dicendo; Erit lux, excluditur coæternitas lucis ad Deum; ita dicendo; Et Fuit lux, significatur efficacia diuini dicere, quod fuit in rerum naturæ lux imperata; fuit autem in principio temporis, pro quo fore imperata est.

Hanc obseruationem iam supra luculenter habuimus ex D. Augustino, cæterisq; Patribus, ea interpretatione, qua exponebatur: Dixit non temporaliter, sed æternaliter &c. Sed & hoc loco eam adnotare non indecens existimaui. Quę autem Caietanus de verbo Erit, disserit, & contemplatur secundum suæ translationis seriem; ea ipsa de verbo Fiat, considerare possumus.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Dixit, Fecit, & Vidit.

a. *Vt indicetur Auctor, ars, & caussa rerum.*
b. *Vel, vt denotetur imperium, potentia, & benignitas Dei opificis.*
c. *Seu, vt cõmendetur auctor Deus, à facilitate operãdi, à dispositione, ab approbatione.*
d. *Siue, vt insinuetur Sancta Trinitas.*
e. *Dixit ex quo omnia, Fecit per quem omnia, Vidit in quo omnia.*
f. *Dixit, Fecit, Vidit: excelsiùs dicto illo; Veni, Vidi, Vici.*

a. *Vt indicaretur Auctor, ars, & caussa rerum.*

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite vigesimo primo.

Rom. 4.

Tria quædam maximè scienda de creatura nobis oportuit intimari; quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit: Deus dixit, inquit, Fiat lux, & facta est lux; & vidit Deus lucem, quia bona est: Si ergo quærimus, quis fecerit, Deus est. Si per quid fecerit, dixit, Fiat, & facta est. Si quare fecerit, quia bona est. Nec Auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec caussa melior, quàm vt bonum crearetur à bono Deo.

Prosper in Sententijs eadem habet, vt post deducemus.

b. *Vt denotaretur imperium, potentia, & benignitas Dei opificis.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quinto.

Quid enim conuenientiùs de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest, quàm cùm ita ponitur, Dixit, Factum est, Placuit: ita vt in eo, quòd dixit, imperium eius intelligatur: in eo quòd factum est, potentia: in eo quòd placuit, benignitas: Sicut ineffabilia per hominem hominibus; ita vt omnibus prodessent, dici debuerunt. Et diuisit Deus inter lucem, & tenebras.

c. *Vt commendaretur auctor Deus, à facilitate operandi, à dispositione, ab approbatione.*

HVGO Carensis in Postillis.

Commendatur autem auctor Deus à facilitate operandi, vbi dicitur; Dixit: à dispositione, vbi dicitur: Fiat lux: ab approbatione operis: vbi dicitur, Vidit Deus.

Cùm verò in operandi facilitate eniteat immensa potentia, in dispositione sapientia, in approbatione bonitas, cõmendatur certè auctor Deus iuxta ea attributa, quæ ad sanctissimas spectant Personas. Quapropter in his præfatis verbis emicat, & cognitio sacratissimæ Trinitatis.

d. *Vt insinuaretur Sancta Trinitas.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, capite sexto.

Et in conuersione, atque perfectione creaturæ, vt rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuatur: Verbum Dei scilicet, & Verbi Dei generator, cùm dicitur; Dixit Deus: & sancta bonitas, in qua Deo placet, quicquid pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cùm dicitur; Vidit Deus, quia bonum est.

Idipsum repetit de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite vigesimo quarto. D. Thomas prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio, vt infra.

e. *Dixit ex quo omnia, Fecit per quem omnia, Vidit in quo omnia.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite quinto: si non clarè, saltem subobscurè hanc obseruationem nobis insinuauit, cùm dixit.

Rom. 11.

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso, principium & origo substantiæ vniuersorũ, idest, ex voluntate eius, & potestate. Omnia enim ex eius voluntate cœperunt, quia vnus Deus Pater, ex quo

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux, & facta est Lux.

a. *Idest, Sit lux, & fuit lux.*
b. *Siue, Erit lux, & fuit lux.*
c. *Vel, Fiat lux, & facta est lux.*

quo omnia. Etenim tanquam ex suo fecit: quia vnde voluit fecit. Per ipsum continuatio, finis in ipsum. Ex ipso ergo materia, per ipsum operatio, quæ ligauit, atq; constrinxit vniuersa. In ipsum, quia quando, & quandiu vult, omnia in eius virtute manent, atque consistunt & finis eorum in Dei voluntatem recurrit, & eius arbitrio resoluuntur.

Porrò si à Patre, ex quo omnia, mandatum venit, certè ipse dixit; si à Filio, per quem omnia, operatio manauit, certè ipse fecit; & si à Spiritu Sancto, in quo omnia, consistẽtia rerum prodijt, certè ipse vidit, quod bonum. Gen. 29. Psal. 103.

f. Dixit, Fecit, Vidit: excelsiùs dicto illo, Veni, Vidi, Vici.

Mirantur Mortales Cæsaris illud asyntheton; Veni, Vidi, Vici, quo summam celeritatem, atq; fœlicitatem in prostrandis hostibus, comparandaq; victoria notificare voluit. Verùm longè magis nos admirari decet hoc in rerum ipsarum effectione de Deo Opifice dialyton, Dixit, Fecit, Vidit; cùm his verbis non tantùm in rerum productione celeritatẽ, & fœlicitatem, sed potentiam quoque, sapientiam, ac bonitatem in admirabili hac construenda Orbis machina demonstratas intelligamus. Quo quid mirabilius? quid excelsius? quid sublimius?

Fiat Lux, & facta est Lux.

Hebraica Lectio Iehi or, & Vaihi or, habet, & cùm Haia verbum esse, & fieri significet, hinc contingit, vt plures sint lectiones.

a. Sit Lux, & fuit Lux.

Chaldaica editio dixit; Sit lux, & fuit lux. Hanc sequutus est Vatablus.

RABBINI Adnotationibus in Genesim.

Fiat Sit, aut Existat. Sic in sequentibus vertendum est.

b. Erit Lux, & fuit Lux.

CAIETANVS.

Iuxta Hebræum habetur; Erit lux, & fuit lux.

LVSITANVS in Adnotationibus in caput primum Geneseos.

Licet in Hebræo indicatiui sit futurum ichi, scilicet erit, optime tamen à nostris per imperatiuum redditur, Sit lux; peculiare enim est Hebræis huiusmodi & modi, & temporis commutatio. Si tamen futurum tenere vis, sensus est; Erit lux, scilicet statim post verbi Dei prolationem.

c. Fiat lux, & facta est lux.

Septuaginta γενηθήτω φῶς, καὶ ἐγένετο φῶς, hoc est, Fiat lux, & facta est lux. Editio vulgata: Fiat lux, & facta est lux. Hanc esse non tantùm probam, sed probatiorem, contendunt Doctores nostri, ij qui literæ Pedagogiam libentiùs rimantur.

STEVCHVS in Genesis caput primum.

Vbicunque noster Hieronymus vertit, Fiat, & Septuaginta γενηθήτω, Hebraice est, Iehi, idest Sit. Quanquam id minimi momenti sit; sed nos adnotauimus, vt ne minima quidem prætergrederemur: & vt eos rideremus, qui carpunt hoc loco editionem Hieronymi, quòd verterit Fiat, quod esset interpretandum Sit. Hi ne latinas quidem literas tenere videntur: quandoquidem Esse, & Fieri, sæpe idem apud nos significet, sicut apud Græcos γενέσθαι.

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Fiat Lux, & facta est Lux.

a. *Hebraica vocula Or, lux, & lumen significat.*

VIELMIVS Lectione nona.

Etsi enim Hebræi Iobi, indicatiui modi esse velint, ac temporis futuri, docti tamen pro imperatiuo capi ab eis testantur. Quapropter editio Chaldæa, quam sequitur Vatablus, habet, Sit lux. Sed nostra probatior existimatur à Septuaginta, & præclaris translatoribus permultis; & sanè grandior est. Etenim Fiat, lucis nouitatem disertiùs exponit, quàm Sit, aut Erit; quoniam hæc solent ad permanentiam rerum non raro etiam referri. Quare interdum voces confirmantis habentur, vt cùm Isaac de filio ait; Benedixique ei, & erit benedictus. Et Dauid. Sit gloria Domini in sæculum. Sed & interdum verbum Sit, permissiuè (vt loquuntur) & Erit, prænunciatiuè præterea vsurpantur.

Gen. 27. Psal. 103.

Et hæc quidem bene delata existimo. Sed id meo iudicio parum ad rē interest, cùm Haia verbum promiscuè (vt dixit etiam Lippomanus) & esse, & fieri significet.

a. Or, Lux, & Lumen.

Hebraica lectio est, Iehi Or, vahi Or; & vox Or, significat lux, & lumen. Septuaginta dixere pro Or, φῶς, idest lumen. Latinæ editiones reddidere Lux.

STEVCHVS in Genesim.

Nihil verò refert, quòd Septuaginta verterint pro Luce, φῶς, idest lumen; neque enim in sacris literis est distinctio illa Philosophorum, lucis atque luminis: quòd lux, quasi mater luminis, & procreatrix sit; lumen verò id quod ab ea efficitur; de qua re & Albertus non semper malus auctor scribit; Lumen irradiationem esse defluentem à substantia lucis: lucem verò fontalem substantiam; quod idem & Lynconiensis super Dionysium docet. Hebraicum certè verbum vtrunque exprimit, Or, idest lux, aut lumen.

De Genesi Lucis.

Primaria omnium, ac præclarissima die Solis, quæ nobis Dominica dies facta est, Lucis genesim habemus. Hæc primigenia est omnium creaturarum, quæ post Chaos manarunt. Verùm mox vt lucem audio enascentem, auicularum more, quæ roscidam, rutilantemq; Auroram garrulo cantu excipiunt, & concentu læto salutant, in eius contemplationē raptus, ad ipsius prçconia celebrāda pmoueor, impellorq;. Sed vnde exordiar? Hæret siquidem dubia, & cunctans oratio, nec quidem tenebras peruagari metuit, sed coruscantissimis ipsius lucis radijs opprimi reformidat; cuius ego fulgore, & gloria perterritus, quid prosequar non conspicio. Video tamen nil humanis oculis iocundius, nil exhilarandis mœrore affectis mentibus efficacius, nil humanis vsibus, atque negocijs aptius, nil denique in toto Orbis opificio luce præstantius comperiri. Hac colores patent; hac albescunt, rubescunt, virescunt, pallescunt, nigrescunt vniuersa, sicuti ecōtrà tenebris cuncta delitescere non ignoramus. Dixit profectò & non iniuria sapiēs ille;

Lucis encomia.

Nox abstulit atra colores.

Luce siquidem, species, ac simulachra rerum deteguntur. Hac emicant Sydera, claret Luna, fulget Sol, venustatur Cœlū, rubescunt nubes, candescit aër, nitescit aqua, totusq; Orbis decoratur. Huius beneficio in terra pullulant germina, florescunt plantæ, exurgunt rami, dilatantur flores, producuntur fructus, virescunt colles & campi. Hac in imo, latenteque terræ vtero procreantur omnia metallorum genera, lapides conglutinantur. Hac tandem gignuntur, fouentur, exhilarantur cuncta, quemadmodum econtrà in horrendis tenebris marcescunt, frigescunt, ac mœrent. Quapropter luce nil pulchrius, nil sublimius, nilq; suauius, in tota hac Mundi machina comperiri posse, omnes passim confitentur; adeoque adoleuit eius existimatio, vt tantò præstantiorem, eminentioremq; dignitatem singula quæq; nanciscantur, quanto maiori lucis nitore pol-

pollere conspiciantur. Cœlum Empyreum ob id super omnes cœlos sublimius censetur, quoniam perenni luce præfulget. Inter astra Sol omnia excellit sydera, nam ipse, vt lucis fons, non tantùm obruit ea suo fulgore, sed illis continuè splendorem impertitur: stella quanto clariori luce perfunditur, tãto etiam nobiliori excellentia reliqua antecedit. Quare & Lucifer tanquam cæteris præstantior suspicitur, quòd mirifico luminis decore fulgeat. Luna quando plena est, quid ea iocundius? cum vero à Sole auertitur, seu Eclypsi obtenebratur, quid amplius pulchri, quid decori, quidve in ipsa iocũdi resider? Inter elementa quoque, ea digniora, & acceptiora existimantur, quæ splendidiori luce imbui conspiciuntur, ita vt ignis explendescens, noctisque tenebras fugans, principem locum obtinuerit. Aër subinde, si nitidus, summam certè affert mortalibus iocunditatem; at si nubibus, aut caliginibus vndique circumfusus existat, mœrorem non modicum incutit. Vsqueadeo iocunda est lux, atque amabilis (dixit Plutarchus) vt nihil eorum, quæ natura voluptatem afferunt, absque luce cupiat animus noster in tenebris. Inde illæ blandiloquæ voces, lux vaga, lux præclara, lux rosea, lux pura, lux cara. Aqua tandem, dum nitida ac limpida candescit, quàm grata? cùm vero turbida est, cœnosa, lutoque commixta, quàm horrens? Ex cunctis, quæ in terræ visceribus procreantur, lapidum generibus, ea gemmarum nomen, ac dignitatem sortita sunt, quæ nitidiora emicant, ac lucent; quantoque splendidiora, tantò pretiosiora censentur. Inter metalla, argentum, & aurum; inter sensus, oculi ex eo illustriorem locum sibi vendicarunt, quòd lucem magis præseferre videantur. Sed quid diutius immoror? Ita lucis dignitas conualuit, vt spirituales substantiæ, mens nostra videlicet, Angelus, & quod summum est, Deus ipse optimus maximus, cùm nobis inuisibilia minimè nisi metaphoricis vocibus explicari queant, non aptiùs quàm lucis symbolo exprimantur. Nam Sol tripliciter exurens montes, Diuina essentia à Sapiente nuncupatur: Lucis nomine, Angelos venire contendunt Augustinus, plurimiq; ex Patribus; Lumen vultus Dei, Animam nostram Propheta Regius appellat, dicens; Signatum est super nos lumen vultus tui, &c. Quid amplius? Nonne & Gloria illa sempiterna, ac Gratia uiuificans, supereminentissima summi largitoris dona, lucis nuncupatione designantur? Illa lucis perpetuæ encomia sibi præripuit; Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine: Hæc lucis diuinæ nomen promeruit; Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam. Ac demum, nonne & Christus ipse fons totius gratiæ, & gloriæ perennis, sibiipsi hoc lucis honestissimum nomen ascripsit? Ego sum, inquiens, lux Mundi. Et de eodem, nonne & Apostolus eius testatur: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum? Quemadmodum autem, nil luce eminentius, amabiliusue; ita è diuerso, nil prorsus tenebris horribilius, nil despicatius excogitari valet: præcipuè cùm & Scriptura Sacra Dæmonem, Peccatum, Mortem, Infernum, & si quid magis horrendum comperiri potest, tenebrarum symbolo explicat: De Dæmone Apostolus ait; Siquidem non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principem tenebrarum harum. Mortem, & Peccatum, tenebras Zacharias appellat: Illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis sedent. Infernum pariter Saluator; Proijcite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Quapropter, & is Dei mos fuit; vt horrorem incutiens, tenebras immitteret. Tenebræ siquidem opacarunt Aegyptum in morte primogenitorum: tenebræ super vniuersam terram effusæ sunt in Redemptoris nostri lugubri, ac miseranda morte: tenebræ tandem in consummatione sæculi Vniuerso offundentur, cùm funestis illis diebus Sol obscurabitur, Lunaque madido cruore aspersa apparebit. Quid igitur mirum, si præstantissimum opus, præstantiorem etiam, præclarioremque diem scilicet primum, dominicumque surripuerit.

Ecclef. 43. Psal. 4. Psal. 42. Ioan. 8. Ioan. 1. Ephes. 6. Luc. 1. Matth 22. Exod. 10. Matth 27. Matth. 24.

Quorsum Deus Orbis venustationem à Luce cœperit.

Lucis emanatio, cùm ad indagandam lucis naturam nos rapiat, non vespertilionis certè, sed aquilæ perspicua acies, qua diuturno intuitu eam contemplemur, desuper imprecanda est. Lux igitur illa beatissima repleat cordis intima, vnde lucis genesim, quam Moses Spiritus Sancti afflatu nos edocuit, consequar, & depromam. Ad historiam

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

Lux primò omnium condita est.

a. *Quòd lux cunctas res dignitate præcellat.*
b. *Vel, Quòd Deus lux beatissima non debuerit, nisi lucem primùm effundere.*

riam autem de lucis genitura explicandam, præinuestigare necessarium duco, quorsum Deus à luce, Mundi opificium, seu perfectionem Chaos sit auspicatus.

Quanam siquidē ratione Deus in eo horrido, squalentiq; Chaos, lucē primùm produxerit, non vnam, sed plures, easq; contēplatione dignissimas caussas Patres retulerunt.

a. *Quòd lux cunctas res dignitate præcellat.*

DRACONTIVS Hexæmeron, seu de Opere sex dierum, libro primo, vt vnum saltem præclarum Poëtam lucis encomia celebrantem non prætermittam, lucis laudes, & munera his decantauit.

Prima dies lux est terris, mors vna tenebris,
Lux datur ante polum, lux claræ caussa diei,
Lux iubar æthereum, lux noctis limes & vmbræ,
Lux facies rebus cunctis, & lux elementis,
Lux genitis, factisque calor, lux gratia Solis,
Lux decus astrorum, lux aurea cornua Lunæ,
Lux fulgor Cœli, lux & primordia Mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux opus auctoris primum, candorque pudoris,
Lux æui, medijs dat lux quoque tempora metis:
Qua bene constructa, Mundi primordia lucent.

LAVRENTIVS Iustinianus Protopatriarcha Venetæ Vrbis illius libertate incorrupta insignis, Libello de Humilitate, capite vigesimo secundo.

O bona lux in te decora, per te amabilis, ex te desiderabilis: quis tuas valet explicare laudes, tuaque enarrare præconia? quis tuas potest virtutes pandere, necnon tuos multiplices reserare effectus? Te nanque absente discurrunt latrones, domos inuadunt fures, syluestres feræ lustra propria deserunt, catuli leonum per nemora, & solitudines, deambulant rugientes, vt quærant escam sibi: homines verò ratione vtentes in suis recluduntur habitaculis, & veluti inutiles conquiescunt, si tuo careant medio. Porrò sine te proditiones fiunt; perpetrantur adulteria, & scelera nefandissima peraguntur; te verò coruscante, te claritatem tuam per Orbem diffundente, patent omnia, agnoscuntur singula, vniuersaque more suo exultare videntur: Iter inchoatum viatores arripiunt, spem ægri assumunt & vires: egrediturque vnusquisque securè, & intrepidè ad opus suum vsque ad vesperam; socialiter viuit, fiducialiter conuersatur, hilariter se manifestat, & procedit ad publicum: palàm loquitur, & tanquam rationale animal negocia sua pertractat.

b. *Quòd Deus lux beatissima, non debuerit nisi lucem primùm effundere.*

DRACONTIVS Hexæmeron, seu de Opere sex dierum, libro primo.

Clarus vbique Deus, nunquam mutabilis auctor,
Quem non obscurant quacunque ex parte tenebræ,
Nec celantur ei, quæcunque obscura geruntur:
Principium factis lucem dat lucis origo,
Quæ Mundo vita præmissa est principe luce,
Quæ totum præcessit opus, quod continet orbis,
Quæ Solis præuenit iter, Lunamque coruscam.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Quòd Lux specimen foret, & decus Vniuersi.*

GREGORIVS Nazianzenus Oratione in nouam Dominicam, quæ est quadragesima tertia.

Cum Deus hunc ex visibilibus, & inuisibilibus rebus constantem Mundum, hunc, inquam, magnum, & admirabilem maiestatis suæ pręconem fingere, ac construere voluisset, æternis quidem nullum aliud lumen, quàm seipsum præbuit; (quid enim secundo lumine opus ijs erat, qui maximum habebant?) inferioribus autem, atque humanis primam huius luminis vim protulit. Conueniebat quippe magno lumini, opificium suum à lumine auspicari; quo tenebras, vastamq; illam rerum congeriem, & confusionem omnia occupantem, soluit, ac depulit.

NICETAS eo loco.

Adhuc in sermone de lumine commoratur, aitq;: Mundus intellectilis, ac spiritualis, à Deo creatus, ipsum Deum lumen maximum habebat: ac proinde nihil erat, cur secundum lumen requireret. At rebus inferioribus, & circa nos positis, ante alia luminis huius sensibilis vim, & facultatem produxit. Conueniebat enim magno lumini, hoc est, Deo, inferiora ista efficere paranti, non aliunde opificij sui principium, quàm à lumine ducere; quo & tenebras soluit, ac vastam congeriem, & confusionem, omnia prius occupantem. Luce quippè nondum creata, inconditum erat hoc Vniuersum, atque inordinatum.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite nono.

Erat quidem Deus ipse in lumine, quia lucem habitat inaccessibilem: & erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Sed etiam lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Ioan. 1.

IVNILIVS Apher in Genesim idipsum sentit.

Congruit operibus Dei, vt Mundi ornatum à luce incipiat: qui cùm ipse sit lux vera, lucemque habitet inaccessibilem, cuius beatissima visione mox creati in Cęlis Cælorum Angeli iam perfrui cæperant: aptè huic quoque sæculo ornando, primam materialis gratiam lucis donauit, vt esset vnde cætera quæ crearet, apparerent. 1. Timoth. 6.

a. *Quòd lux specimen foret, & decus Vniuersi.*

GREGORIVS Nazianzenus Poëmate de Virginitatis laude, pereleganter id sic expressit.

Omnia nox quondam tenebris horrenda tegebat,
Non erat Auroræ splendor, non Phębus Eois
Partibus exoriens currus agitabat equorum:
Gloria nec noctis radiabat in æthere Phębæ:
Sed confusa simul temerarius omnia motus
Voluebat, grauibus tenebrarum vincla catenis,
Quas Chaos antiquum toto diffuderat Orbe.
At tu consilio parens bone Christe paterno,
Singula sede sua rectè discreta locasti.
Condita principio lux est, vt gratior esset
Tota operis moles iucundo lumine fulgens.

NICETAS loco supra asserto, hoc Nazianzeni placitum his memorat. In Orat. 43.

Et dixit Deus, Fiat lux: Quid causæ sit, cur Theologus Deum opus suum à lumine auspicatum esse dicat. Quod etiam non hoc tantùm loco dicit, sed in Poësi quoque sua, in qua ita cecinit.

Principiò lumen summus moderator Olympi
Fecit, ut accessu lucis iucundior esset
Tota operis magni facies: at postea Cęlum
Sydereum, facinus mirabile, duxit in orbem.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.

Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat,

vnde

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

Lux primò omnium condita est.

a. *Quòd Cœlum primùm ante Terram exornandum esset.*
b. *Vel, quòd communis sit Lux, tùm superioribus, tùm inferioribus corporibus.*
c. *Siue, quòd Lux sit generale instrumentum caussarum Cęlestium.*

vnde lucem ei infundat, explorat: & ea prima est gratia; quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est, quæ reliquos domus commendat ornatus.

Glossa Locupletata idipsum habet.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite septimo.

In principio igitur Deus fecit lucem; idest; prima die pulchritudinem, & ornamentum omnis visibilis creaturæ; aufer enim lucem, & omnia in tenebris ignota manebũt, propriũ non valentia demonstrare decorẽ.

a. *Quòd Cœlum primùm ante Terram exornandum esset.*

Sensere alij Deum primò lucem produxisse, quòd ex duobus propositis, Cęlo & Terra, Cęlum, vt excelsius, primùm exornandum esset.

D. THOMAS Quæstione sexagesima septima, articulo quarto.

Necessarium autem fuit, vt informitas tenebrarum primò remoueretur per lucis productionem, propter duo: Primò quidem, quia lux, vt dictum est, est qualitas primi corporis; vnde secundum eam primò fuit Mundus formandus.

b. *Quòd communis sit lux, tùm superioribus, tùm inferioribus corporibus.*

D. THOMAS vt supra loco asserto.

Secundò propter communitatem lucis: communicant enim in ea inferiora corpora cum superioribus. Sicut autem in cognitione proceditur à communioribus, ita etiam in operatione: nam prius generatur viuum, quàm animal: & animal, quàm homo; vt dicitur in libro de Generatione animalium. Sic ergo oportuit ordinem diuinæ sapientiæ manifestari, vt prima inter opera distinctionis produceretur lux, tanquam primi corporis forma, & tanquam communior.

LYRANVS In Postillis.

Quia lux est qualitas communis, in qua corpora cęlestia communicant cum inferioribus: vtpote cum igne, & cum aliquibus corporibus mixtis, quæ lucida sunt; & quia secundum istam expositionem distinctio rerum accipitur secundum qualitates, & proprietates accidentales: ideò conuenienter inchoatur à luce, quæ est qualitas communis, sicut in generatione naturali, inchoatio fit à communioribus formis; quia secundum Philosophum, embrio prius viuit vita plantæ, postea animalis, postea hominis, vel leonis, & huiusmodi. Et primo, Physic. dicit Philosophus, quòd à communioribus est incipiendum via doctrinæ; sicut pueri in principio vocant omnes viros patres, & omnes fęminas matres, postea distinguunt.

c. *Quòd lux sit generale instrumentum caussarum cœlestium.*

STEVCHVS, qui lucem primo die effectam, Solem ipsum fuisse arbitratus est, rationem hanc his detulit in Cosmopœia, in primum caput Genesis.

Hunc primum ex aceruo debuit auctor producere, cuius illuc incubuisse prudentia cernitur, vt ante particulares effectus, vniuersales caussas excogitaret. Sicut autem vnde cuncta depromeret, terram & aquas primas iecit: sic quò aërem, animalia, plantas conderet, Solem istarum rerum præmisit genitorem. Deus, Sol, & Homo, gignunt hominem. Deus, quia Solem hominemq; primum creauit, à quo tota proles semen traxit: Sol, quia fouet, alitq; terras. Sic Leonem, Deus Sol, & Leo, tres caussæ generant: sic item in plantis, Deus, Sol, & palma, gignunt palmam. Hæc igitur, cùm rerum omnium terrestrium prima caussa sit, sine qua nasci, fieriq; nihil potuerit, debuit prima omnium fieri, vt eius auxilio cætera fierent.

VIELMIVS Lectione nona, hanc secundo loco non reticuit, & cum tertia à nobis adducta connexit.

Deinde quòd Cęlo, & Terræ, corporibusq; reliquis, necessarium, ac firmum præsidium sit; ea namq; omnia indi-

vnde

Fiat Lux.

Lux primò omnium condita est.

a. *Quòd sine luce cætera conspici nequeant.*
b. *Vel, quòd dies sine luce esse non poterat.*

Anno Mũdi primo. Die Prima.

indigent, sicut & motu Cœlorum, vt proinde lucis cuncta participia sint, & eorum commune bonum, hæc sit commune decus, & ornamentum, vt admirari nemo propterea debeat, si singulorum corporum propria ornamenta, iussa est ab Opifice anteire.

PERERIVS Commentarijs in Genesim, vti has ferè omnes non prætermisit caussas, ita expressiùs hanc sic declarat.

Et lux generale, principaleque instrumentum caussarum Cœlestium, quo vis omnis syderum, omnisque defluxus, & effectus ad nos defertur, ex quo vno fit in hoc nostrate Mundo, quicquid à Cœlo fit.

a. *Quòd sine luce cætera conspici nequeant.*

AMBROSIVS primus hanc insinuauit caussam, Hexæmeron libro secundo.

Vnde vox Dei in scriptura diuina debuit inchoare; nisi à lumine? Vnde Mundi ornatus, nisi à luce exordium sumere? Frustra enim esset, si non videretur.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari.

Bene ab æterna Luce prius fit temporalis lux; vt per eam cætera viderentur.

GLOSSA Ordinaria.

Si autem primo die corporalis lux facta est, congruè Mundi ornatus à luce inchoatur: vnde cætera, quæ creanda erant, viderentur.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione tertiadecima.

Congruè Mundi ornatus à luce cœpit: vnde cætera, quæ creanda erant, viderentur.

D. THOMAS Quæstione citata, hanc ipsam D. Basilio attribuit.

Basilius tamen posuit tertiam rationem, quia per lucem omnia alia manifestantur.

LYRANVS in Postillis.

Distinctio non apparet nisi per manifestationem, omnia autem per lucem manifestantur; & ideò distinctio incipit à luce.

TOSTATVS in Postillis.

Distinctio rerum est ad manifestationem earum: manifestatio autem sine luce non fit, cùm omnia in luce demonstrentur.

VIELMIVS Lectione eadem nona.

A lucis formatione ideò inchoauit, quòd ea conspiciantur, manifestenturque cætera omnia corpora, atque illa subtracta cæca sint omnia; & vix quidpiam sit, quod possit ornamentum dici.

b. *Quòd dies sine luce esse non poterat.*

D. THOMAS Quæstione asserta, hanc quarto loco deduxit.

Potest & quarta ratio addi, quæ in obijciendo est tacta, quia dies non potest esse sine luce: vnde oportuit in prima die fieri lucem.

LYRANVS in Postillis.

Dies non potest esse sine luce, ideo lucem oportuit fieri prima die.

TOSTATVS in Postillis, in secunda expositione.

Fiat lux. Incipit distinctio rerum à luce, & est ratio, quia volebat Deus rerum distinctas productiones, & ornatus diuersis diebus coaptare. Dies autem sine luce esse non potest; ideò eam in prima die fieri decuit: immo, vt verius loquamur, primam diem à luce incipere necesse fuit.

VIELMIVS Lectione dicta.

His adde, Dies absque luce esse non posse; & tamen decreuerat Deus sex dierum interuallo, omniquaque Mundum absoluere: etenim aut nocte, aut in tenebris operari non placet: quamobrem Dominus Ioannis duodecimo, & D. Paulus ad Romanos tertio decimo, ad Ephesios quinto, grauiter tenebras insectantur, quòd nimirum sermone arcano ignorantias, & peccata designant.

AnnoMundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

Lux primò omnium condita est.

a. *Vt ediscant mortales, opera in luce esse peragenda.*

a. *Ut ediscant mortales, opera in luce esse peragenda.*

HVGO de Sacramentis, libro primo, capite octauo.

Incipiens ergo Deus opera sua, vt perficeret; primùm fecit lucem, vt cætera omnia postmodum faceret in luce. Significauit enim nobis, se non amare opera, quæ in tenebris fiunt, quoniam mala sunt. Quia omnis qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, quia mala sunt. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera sua, quia in Deo sunt facta. Ioan. 3.

AVCTOR.

Caussæ octo, cur Deus lucem ante omnia effecit.

Quare Deus principi illo, insigniq́ue die Solis, qui nobis Dominicus effectus est, ante omnia lucem produxerit, ex prænarratis Patrum contemplationibus caussas octo desumpsimus. Expetebat hoc siquidem lucis excellentia. Deinde lucis ipsius superexcellentissimus auctor, qui cùm lux sit inaccessibilis, non nisi lucem primùm proferre poterat. Amplius, quoniam ipsa specimen erat Vniuersi. Deinde quòd Cœlum vti nobilius, celsiusque, primo foret exornandum. Rursum, quia lux efficacissimum est secundarum caussarum instrumentum. Insuper quòd sine luce procreanda conspici non potuissent, atque etiam quia sine luce dies consistere nequisset. Tandem, vt monumentum nobis esset, opera in luce esse perficienda. Quæ omnes caussæ ex se adeò insignes sunt, vt reijci non possint. Hoc vnum attamen animaduertendum; si quis lucem ornamentum Cœli, seu instrumentum ex eo asserat, quasi lucis nomine Solem capiat, & Sole ministro, vel caussa, Mundi venustationem effectam arbitretur, vt Steuchus, & nuperi quamplures æstimarunt; hunc à doctrina priscorum omnium Patrum valde recedere, à veroq; delabi: vt post demonstraturi sumus. Animaduertendum etiam, postremam ab Hugone deductam rationem, non literalem, sed tropologicam prorsus esse existimandam.

Quidnam fuerit lux primo die condita.

Vetustam, grauem, arduamque controuersiam, iamdudum inter priscos Patres, & post inter Theologos contentiosè agitatam, necdum diffinitam aggredior: Quænam fuerit lux ea primo die à Deo effusa. Bipartitaque est hæc difficultas, ac controuersia. Inuestigandum enim est primo; Nũ illa lux spiritualis, vel corporalis fuerit. Rursum, si corporalis; Quænam fuerit.

Classis Patrum, lucem eam priscam spiritualem, hoc est Angelum, fuisse obtestantium.

Celeberrima est ea D. Augustini sententia de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite septuagesimo: & lib. nono, cap. decimo nono, & vigesimo; & de Genesi imperfecto cap. quinto, & de Genesi ad literã, lib. primo, à cap. decimo, ad vigesimũ; & lib. quarto à cap. vigesimoprimo, ad vigesimũoctauũ; & cõtra Faustũ lib. duodecimo, cap. decimo; & contra Aduersariũ legis, & Prophetarum, lib. primo, capite vndecimo, & duodecimo: ac pluribus alijs in locis prolixè, constanterq́ue prodita; quæ lucis vocula, Angelum ad Deum conuersum; tenebrarum & lucis diuisione, bonorum à malis discretionem; Diei nomine, Angelicam cognitionem; septem diebus, septemplicem Angelorum apprehensionem;

hensionem; Vespere, & Mane dictionibus, duas eius apprehensionis species, Matutinam in Verbo, Vespertinam in seipsis capit, atque explanat. Potissima verò huius sententiæ fundamēta, vt ex multis Augustinianis elucubrationibus decerpere potui, tria esse cōperio. Primùm illud est; In narratione genesis Mūdi, creatio Angelorū prætermissa non est: vel igitur Cœli, vel lucis nomine est significata. Prætermissam autē non esse argumentum est, quòd Deus die septimo requieuit ab omni opere quod patrarat, & ante Cœlum, & Terram, nullum opus peregerat, quia in principio, hoc est ante omnia, fecit Cęlum & Terram. Cùm autē Angeli opus sint Dei, vt euincitur ex hymno trium Puerorum, atque ex Psalmo, Laudate Dominum de cęlis: igitur inter primos sex dies editi fuere. Perspiciamus iam singillatim, quo die Angelos effectos fuisse enuntiandum sit. Non in quarto die; tunc enim Deum vt conditi celebrarunt, iuxta illud; Quādo facta sunt sydera, laudauerunt me omnes Angeli mei. Nec etiam tertio; nam elementorum terræ & maris eo die structura narratur. Nec secundo; quoniam Cęlū stelligerum tunc conflatum fuit. Superest igitur, vt Angelorum genesis lucis nomine primo die manantis significetur. Disseruit cuncta hæc Augustinus, præcipuè de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite nono: vti in percunctatione; An Moses Angelorum genesim prætermiserit, prolixam eius enarrationem producentes retulimus. Alterum argumentum, quod Pater hic noster præclarissimus deducit, est; cùm plura sint lucis genera, certè nullum aptius intelligi potest hoc loco, quàm lux spiritualis; eò quod lux corporea non potuerit esse ante Cœlum, & Cœli luminaria.

Sententiæ huius fundamenta.

Psal. 148.

Iob. 38.

AVGVSTINVS id edisserit de Genesi imperfecto, capite quinto.

Et dixit Deus, Fiat lux. Vtrum ea lux, quæ his carnalibus oculis patet, an aliqua occulta, quam nobis per hoc corpus videre non datum est? Et si occulta, vtrum corporea, quæ per locorum spatia tenditur fortasse in sublimibus partibus Mundi: an incorporea, qualis in anima est, ad quam vitandi, & appetendi refertur examen à sensibus corporis, qua non carent etiam animæ bestiarum? An ea quæ superior ratiocinando apparet, ex qua incipit omne, quod creatum est? Quamlibet enim lucem significet, factam tamen, & creatam debemus accipere, non illam qua fulget ipsa Dei Sapientia, quæ non creata est, sed nata; ne sine luce Deus fuisse putetur, priusquam istam, de qua nunc agitur, condidisset. De hac enim, sicut ipsa verba satis docent, hoc commendatur, quòd facta sit. Et dixit inquit, Fiat lux; & facta est lux. Alia est lux, de Deo natura, & alia lux, quam fecit Deus: Natura de Deo lux, est ipsa Dei sapientia; facta vero lux, est quælibet mutabilis siue corporea, siue incorporea. Mouere autem solet, quomodo lux corporea esse potuerit, antequam Cęlum esset, & Cęli luminaria; quæ post istam exponuntur: quasi verò facilè hoc ab homine percipi potest, aut omninò vllo modo potest, vtrum sit aliqua lux præter Cęlum, quæ tamen spatijs locorum distincta, atque diffusa sit, Mundumq; amplectatur. Sed cùm liceat hic & incorpoream lucem intelligere, si non visibilem tantùm creaturam in hoc libro, sed omnem creaturam expositam dicimus, quid opus est in hac controuersia remorari? Et fortasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce; breuissimè quidem, sed tamen conuenientissimè, & decentissimè.

Tertiam argumentationē exinde sumit Augustinus ferè consimilem; quòd lux corporea ad exhibendam diurnam, nocturnamq; vicissitudinem, ante Cęli luminaria, ante Cœlum firmamentum appellatum, ante spetiem Terræ, & Maris, quæ circuitum lucis admitteret; nullam habere potuerit facultatem. Quapropter cùm de Genesi ad literā libro primo, capite decimo, & vndecimo, duodecimo, ac decimosexto, totis viribus nec lucem illam esse corpoream, nec dies, noctesq; gignere potuisse, prolixiori oratione comprobasset; atque ea ipsa libro quarto, capite vigesimo primo, quasi epilogo reassumpsisset; his demum in capite vigesimo secundo concludit verbis.

Sed quoniam lux corporalis, antequam fieret Cœlum, quod firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta sunt, quo circuitu, vel quo processu & recessu, vices diei, & noctis exhibere potuerit, non inuenimus; istā quæstionem relinquere non debemus sine aliqua nostræ prolatione sententiæ. Vt si lux ista, quæ primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est; sicut post Tenebras facta est, vbi intelligitur à sua quadam informitate ad Creatorem conuersa, atque formata: ita & post vesperam fiat mane, cùm post cognitionem suæ propriæ naturæ, qua non est, quod Deus; refert se ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cuius contemplatione formatur.

Interpretationem uerò hanc non esse allegoricam, seu figuratam, sed propriam, genuinamq;, infra capite vigesimo octauo constanter his asseuerat.

Nec quisquam arbitretur illud, quod dixi de luce spirituali, & de condito die spirituali, & Angelica creatura; & de contemplatione, quam habet in Verbo Dei; & de cognitione, qua in seipsa creatura cognoscitur; eiusq;

 rela-

relatione ad laudem incommutabilis veritatis, vbi prius ratio videbatur rei faciendæ, quæ cognita est facta; non iam propriè, sed quasi figuratè, atque allegoricè conuenire ad intelligendum diem, & vesperam, & mane. Sed aliter quidem, quàm in hac consuetudine quotidianę lucis huius & corporalis: non tamen tanquam hic propriè, ibi figuratè. Vbi enim melior, & certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non tam verior vespera, & verius mane? Nam si in istis diebus habet quandam declinationem suam lux in occasum, quam vesperæ nomine nuncupamus, & ad ortum iterum reditum, quod mane dicimus: cur & illic vesperam non dicamus, cùm à contemplatione Creatoris, creatura despicitur, & mane, cùm à cognitione creaturæ, in laudem Creatoris assurgitur? Neque enim & Christus sic dicitur lux, quomodo dicitur lapis, sed illud propriè, hoc vtiq; figuratè.

D. Thomas hoc Augustini placitum explicat accuratissimè Quæstionibus disputatis, quæstione quarta.

HIERONYMVS D. Augustino consensisse videtur Commentarijs in Psalmum quadragesimum sextum.

Prima Sabbati fecit Deus lucem: secunda Sabbati, fecit firmamentum; lucem Angelos; firmamentum homines.

Sed hæc D. Hieronymum ad allegoriam trahere perspicuum est.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite secundo, D. Augustino consensit, dum inquit.

In hac ergo luce historialiter recapitulatur creatio Angelorum, qui pro participatione æternæ lucis, lux & dies nuncupati sunt. Quorum vnitas vt ostenderetur, non est dictum, Dies primus, sed Dies vnus. Exoritur autem quæstio de Angelis, quomodo in creatione sex dierum prætermittantur, tanquam non sint in operibus Dei? Opus autem Dei esse Angelos, hymnus trium puerorum testatur. Nam quum prædictum esset; Dan. 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino: in exequutione eorundem operum, etiam Angelos nominauit. Et in Psalmis, cùm diceret inter cætera; Laudate Dominum omnes Angeli eius, subiecit; Quoniam ipse dixit, &* Psal. 148. *facta sunt. His ergo exemplis, à Deo Angeli facti demonstrantur: sed quo die creati sint, nusquam infert. Sed quia in Scriptura sancta legitur dixisse Deum; Quando facta sunt sydera, laudauerunt me omnes Angeli* Iob. 38. *mei: iam erant Angeli quarto die, quando sydera condita sunt. Ergo nec die tertia facti sunt. In promptu est enim, quòd die illa, terra ab aquis discerpta, pabuli herbam produxit. Ergo nec secundo die facti sunt. Tunc enim facto firmamento, diuisio fuit superiorum, atque inferiorum aquarum. Nil mirum enim si in operibus sex dierum Angeli lucis significatione creati intelliguntur: ante omnem enim creaturam facti sunt, quia prior omnium creata est sapientia: qui propterea dicuntur sapientia, inhærendo scilicet æternæ sapientiæ.*

BEDA Expositione in Genesim.

Spiritualis autem facta est lux, cùm dixit, Fiat lux; idest, Angeli, & Virtutes Cœlestes: de quibus dicitur; Eccles. 1. *Prior omnium creata est Sapientia. Hæc autem ipsa spiritualis creatura, Cœlum appellata est, cùm dictum est; In principio creauit Dominus Cęlum, & Terram. Vt quod dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: eandem ad se reuocando creaturam, conuersio illius facta esse, atque illuminata intelligatur.*

Et libro de sex dierum Creatione.

Fiat lux. Lux autem ista est visibilis, an inuisibilis? Inuisibilis verò dicitur, quia creatio Angelica est, quam oculi nostri non valent prospicere. Ratio enim erat, vt die quarta sydera in Cœlo fabricasset, quæ oculi nostri potuissent prospicere. Ista creatio Angelica est temporalis, an intemporalis? temporalis enim erat in Angelis; intemporalis in Deo. Temporalis erat, quod dictum intelligimus expressum ab æterno Deo per Verbum coæternum in creatura spiritali, quam iam tunc fecerat, cùm dictum est; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: sed ista locutio non tantum sine aliquo sono, sed etiam sine vllo corporali motu creatura spiritalis eius mente, atque ratione quodammodo infixa per Verbum Patris coæternum: sed multum ac difficillimum est capere, quomodo dicitur, Deo non temporaliter iubente, neque id temporaliter audiente creatura, qui contemplatione veritatis, omnia tempora excedit; sed intellectualiter sibimet expressas, cum Patri coæterna Sapientia, tanquam intelligentibus locutionis, ad ea quæ infra sunt transmittentes, vt fieret temporalis motus in rebus temporalibus, siue formandis, siue administrandis. Et facta est lux: idest creatio Angelica: quia illi tunc cognouerunt agnoscere, vel intelligere Creatorem suum. Quare iterum non repetit; Et fecit Deus lucem; sicut in cæteras creaturas repetit, quas creauit, vt in firmamento dicit; Fiat firmamentum; Et iterum; Fecit Deus firmamentum: Ideò, quia non erat necesse, vt dixisset; fecit Deus lucem, quia intellectualis creatura erat, id sunt Angeli. Quando autem dicit, Fiat firmamentum, vel cætera in alijs creaturis, hoc in cognitione Angelica dicit; quia nec mirum est, si Deus sanctis Angelis suis, in prima lucis conditione ad se conuersis, prius voluit ostendere, quid erat deinceps facturus. Quando verò dicit; Et fecit Deus: id est in propria natura rerum. Iam non erat opus hoc de Angelis iterum repetere, quia illi tunc, sicut diximus, conuersi fuerunt ad cognoscendum Creatorem suum. Cùm enim æterna illa & immutabilis, quæ non est facta, sed genita Sapientia, in spiritalem, atque rationalem creaturam se transfert (sicut in animas sanctas, vt illuminati lucere possent) fit in eis quædam luculenta rationis affectio, quæ potest accipi, facta lux: cùm dixerit Deus, Fiat lux. Iam enim erat spiritalis creatio, quæ Cœli nomine significata est: cùm scriptum sit; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: non Cęli corporei, sed Cœli incorporei, in quo intelliguntur omnes sancti Angeli.

Eadem

Eadem ferè repetit Quæstionibus super Genesim.

ISIDORVS de summo Bono, libro primo, capite decimo.

Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras: sed quia Angelica natura, quæ non est præuaricata, Lux dicitur: illa autem, quæ præuaricata est, Tenebrarum nomine nuncupatur; Vnde & in principio lux à tenebris diuiditur: sed quia & hos, & illos Deus creauit, ideò dicitur; Formans lucem, & creans tenebras. Veruntamen bonos Angelos non tantùm creans, sed etiam formans: malos verò creans tantùm, non formans: hoc & de hominibus bonis, malisque accipiendum est.

MAGISTER in vtranque rapitur sententiam, nec vllam explodit ex ijs interpretationibus, quæ lucis nomine spiritualem, seu corporalem lucem assumit. Sic autem D. Augustini mentem secundo, distinctione tertia decima enucleat.

Si spiritualis accipitur, Angelica natura intelligitur, quæ prius informis fuit, sed postea formata est, cùm ad Creatorem conuersa, ei charitate adhæsit: cuius informitatis creatio superius significata est, vbi dictum est; In principio creauit Deus Cœlum & Terram. Hic verò eiusdem formatio ostenditur, cùm ait; Fiat lux, & facta est lux. Hæc ergo Angelica natura, quæ prius tenebræ, & postea lux fuit, quia prius habuit informitatem & imperfectionem, deinde formationis perfectionem: & ita diuisit Deus lucem à tenebris: Nam, vt ait Augustinus super Genesim; huic creaturæ informitas, & imperfectio fuit, antequam formaretur in amore conditoris. Formata verò est, quando conuersa est ad incommutabile lumen Verbi.

ANSELMVS Laudunensis, in Glossa interlineari.

Fiat lux: idest Angelica natura: & facta est lux, Angelica hoc est natura Dei visione illustrata.

GLOSSA ordinaria ex Augustino.

Lux primo die facta, spiritualis, vel corporalis intelligitur. Si spiritualis, non illa Patri coæterna, per quam facta sunt omnia: sed de qua dicitur Ecclesiastici primo. Prior omnium creata est Sapientia, idest intellectualis, & Angelica vita, quæ informiter fluctuat: nisi ad Creatorem conuersa, quæ potest esse prima creatura, & Cœlum dicta, cùm dicitur; In principio creauit Deus Cęlum & Terram: sed ad Creatorem conuersa, cùm dicitur, Fiat lux: & facta est lux.

Et post, pariter ex Augustino.

Fiat lux, ea conditione scilicet, qua cuncta subsistunt intemporaliter in Dei Sapientia, priusquam in seipsis. Et facta est lux, idest Angelica, & Cœlestis substantia, in se temporaliter, sicut erat in Sapientia, quantum ad eius incommutabilitatem ęternaliter. Vel notatur huius creaturæ informitas, scilicet imperfectio, antequam formaretur in amore Conditoris. Formatur enim, cùm conuertitur ad incommutabile lumen Verbi.

HVGO summæ Sententiarum, Tractatu tertio, capite primo, hanc ipsam non reijcit.

Alij dicunt, quòd lux illa, quæ facta est prima die, fuit Angelica creatura ad Creatorem conuersa, sicut iam diximus.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite decimo, hanc eandem insecutus est sententiam, nouoq; fundamento corroborare conatus est. Contendit siquidem primo die Mosem lucis ipsius corporeæ manationem non tradere ex Opificis Dei dignitate; Quia si lux illa (ait) fuit corporalis, cùm tantum tribus diebus perdurarit (facto enim Sole euanuit) Deum ignobilissimum quoddam creasse diceremur, & priscum illũ diem, dierum omnium Coryphæum, inopem planè, pauperrimumque inter vniuersos dies extasse, quandoquidem in illo exigua rerum creatarum res, triduo tantùm permansura creata fuisset. Ait ergo.

Videtur enim nonnullis, lucem tunc esse factam, non aliam quàm aëris illustrationem, & tenebras illas, quæ erant super faciem abyssi, sic alternantibus nocte, & die diuisas, vt peracto diurni temporis spatio, duodecim horarum scilicet, lux extingueretur, & tenebræ succederent: & itidem transacto nocturni temporis spatio, lux refulgeret; atque ita per triduum dies, & nox absque luminaribus istis corporeis, Sole scilicet, & Luna, & Stellis, vltrò sibi inuicem cesserint, atque successerint. Sed hoc sensu vnus hic dies, omnium dierum pauperrimus est, quippe cùm singuli dierum cæterorum, substantiarum creatione, vel formatione illustrati sint, hic dies non nisi accidentis cuiusdam colore instabili iniecto dimissus sit, cùm dictum sit, Fiat lux. Nam quæcunque cæteris diebus facta sunt, substantialia sunt, & permanent: illa autem accidentalis lux, tertiò reaccensa, deinceps omninò deperijt. Et vide vtrum condignum sit tantæ Maiestati, vt cæterorum dierum opera, verbi gratia, Solem, Lunam, & Stellas, quæ quarto die facta sunt, & aquarum diuisionem, quæ secundo die facta est, statuerit in sæculum, & in sæculum sæculi, præceptumque poneret illis, quod non præteribit: opus autem primæ lucis tale faceret, quod mutato consilio post exiguum triduum funditus extingueret: Quid ergo? An idcircò spiritus Dei ferebatur super aquas, & dixit; Fiat: quod dictum, vt verè boni verbi eructationem sancta miratur, & concelebrat Scriptura, vt talis tantummodo lux fieret accidens aëri mox interitura, & nulla crearetur substantia? Melius magni, & nominatissimi Patres intellexerunt naturam Angelicam, lucis nomine significatam. Eorum sensum rationabilem magis approbamus, & sequimur: Angelicam creaturam rectè lucem esse appellatam, lucem Psal. 148.

intelle-

Anno Mundi primo. Die Prima.

Et facta est Lux.

a. *Non æterna, sed inter spirituales prima.*

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

b. *Cum laudat Deus lucem, antequam seiungat à tenebris, erudimur de Angelica luce, non de corporea esse sermonem.*

intellectualem, lucem inquam, non solum, quia vim discernendi habentem, verumetiam, quia veri, & incircumscripti luminis gratia refulgentem.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima septima, artic. primo.

Et similiter dicendum est de nomine lucis. Nam primo quidem est institutum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus: postmodum autem extensum est ad significandum omne illud, quod facit manifestationem secundum quamcunque cognitionem. Si ergo accipiatur nomen luminis secundum suam primam impositionem, metaphoricè in spiritualibus dicitur, vt Ambrosius dicit: Si autem accipiatur secundum quod est in vsu loquentium ad omnem manifestationem extensum, sic propriè in spiritualibus dicitur.

ALEXANDER Halensis parte secunda, quæstione quadragesima nona, membro primo, hanc D. Augustini sententiam non subticuit, cùm inuestigat; num per verbum Fiat lux, intelligendum sit effectio naturalis Angeli, vel gratuita (vt inquit ipse) atque ita diffinit.

Ad quod dicendum, quòd intelligitur de conditione gratuita: cùm primo creati essent, cùm dicitur, creauit Cœlum, sicut vult Augustinus in vndecimo Confessionum: Facti autem, idest formati formatione gratiæ, cùm conuersi sunt per intellectum, & affectum; & hoc intelligitur ibi, Fiat lux.

Cæterum cùm in hanc D. Augustini sententiam inciderimus, lectorem non pigeat, si totius primi diei opus secundum huius expositionis seriem absoluerimus.

a. *Non æterna, sed inter spirituales prima.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite decimo septimo.

Ioan. 1. Eccle. 1. *Si autem spiritualis lux facta est, cùm dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: non illa vera Patri coæterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, & quæ illuminat omnem hominem; sed illa, de qua dici potuit; Prior omnium creata est Sapientia. Cùm enim æterna illa, & incommutabilis, quæ non est facta, sed genita Sapientia, in spiritales, atque rationales creaturas, sicut in animas sanctas se transfert, vt illuminatæ lucere possint, fit in eis quædam luculentæ rationis affectio, quæ potest accipi facta lux, cùm diceret Deus, Fiat lux: si iam erat creatura spiritualis, quæ nomine Cœli significata est, in eo quòd scriptum est; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: non corporeum Cœlum, sed incorporeum, Cœlis corporeis, hoc est, super omne corpus, non locorum gradibus, sed naturæ sublimitate præpositum.*

b. *Cum laudat Deus lucem, antequam seiungat eam à tenebris, erudimur de Angelica luce, non de corporea esse sermonem.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, capite decimo septimo.

Vidit Deus lucem, quia bona est: cum hoc posset post omnia eiusdem diei dicere, idest, vt cùm Cœlum explicasset, Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux. Et diuisit Deus inter lucem & tenebras: Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem; tunc diceret; Et vidit Deus, quia bonum est: & deinceps annecteret, Et facta est vespera, & factum est mane: sicut in alijs operibus facit, quibus vocabula imponit. Hic ergo propterea non ita fecit, quoniam à formata re ad hoc distincta est illa informitas, vt non in ea finis esset, sed adhuc formanda restaret per creaturas cæteras iam corporales. Itaque si posteaquam distincta essent illa diuisione, & vocabulis, tunc diceretur; Vidit Deus, quia bonum est: hæc facta acciperemus significari, quibus iam in suo genere nihil esset addendum. Quia verò lucem solam ita perfecerat: Vidit Deus, inquit, lucem, quia bona est, & diuisione ac nominibus discreuit à tenebris. Neque tunc dixit; Vidit Deus, quia bonum est: ad hoc enim erat informitas illa discreta, vt adhuc inde alia formarentur. Nanque ista nox, quæ nobis est notissima, facit enim eam super terras Solis circuitus, quando per luminarium distributionem à die diuiditur, post ipsam diuisionem diei, & noctis dicitur: Vidit Deus, quia bonum est. Non enim hæc nox informis aliqua substantia

Vidit Deus lucem, quòd bona.

a. *Laudat lucem, & non tenebras; ne simul lucem, idest Angelos, & tenebras, nempe Dæmones commendet.*

Anno Mundi primo. Die Prima.

Diuisit lucem à tenebris.

b. *Idest, Sanctos Angelos à desertoribus.*

substantia erat, vnde adhuc alia formarentur, sed spatium loci plenum aëre, carens lumine diurno, cui vtique noctiiam nihil addendum esset in genere suo, quo esset speciosior, siue distinctior. Vespera autem in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, consummati operis terminus non absurdè fortasse intelligitur; manè verò tanquam futuræ operationis significatio.

RVPERTVS Commẽtarijs in Genesim lib. primo, cap. decimo octauo.

Diligenter animaduertendum. Prius vidit lucem, quòd esset bona, & deinde diuidens lucem & tenebras, condigna singulis imposuit vocabula. Si literæ ordinem ita contexuisset; Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; diuisitque lucem & tenebras, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem; & vidit Deus, quòd esset bonum: putaremus tenebras, siue noctem hic eo modo dici, quo in die quarto dictum est: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, & noctem; siuè vt item inferius dicitur: lucem & tenebras: quorum vtique diuisio bonum est, vt positis (iuxta Psalmistam) tenebris, & facta nocte, in ipsa pertranseant omnes bestiæ syluæ. Orto autem Sole exeat homo ad opus suum, nocturna refectus quiete. Nunc autem tenebras à laude boni seclusit. Primùm enim (vt iam dictum est) dixit, quia vidit Deus lucem, quòd esset bona, & deinde diuisit, & vtrisque nomina inuicem optata dedit, quia lucem diem, & tenebras noctem appellauit. Ergo istæ tenebræ sunt eiusmodi, in quibus nihil intelligitur boni. Et quidem tenebræ, de quibus istam lucem splendescere iussit, bonum aliquod erant in prouidentia Dei, quemadmodum lignum, vel ferrum bonum est in manu periti artificis

Psal. 103.

a. *Laudat lucem, & non tenebras; ne simul lucem, idest Angelos, et tenebras, nempe Dæmones commendet.*

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei, libro vndecimo, cap. trigesimo.

Denique nec illud prætereundum est silentio, quòd vbi dixit Deus; Fiat lux, & facta est lux: continuò subiunctum est; Et vidit Deus lucem, quia bona est: non postea quàm separauit inter lucem & tenebras, & vocauit lucem diem, & tenebras noctem; ne simul cum luce, etiam talibus tenebris testimonium placiti sui perhibuisse videretur. Nam vbi tenebræ inculpabiles sunt, inter quas, & lucem istam his oculis conspicuam luminaria Cœli diuidunt, non ante, sed post infertur; Et vidit Deus, quia bonum est: & posuit, inquit, illa in firmamento Cœli lucere super Terram; & præesse diei & nocti, & separare inter lucem, & tenebras. Et vidit Deus, quia bonum est. Vtrunque placuit, quia vtrunque sine peccato est. Vbi autem dixit Deus; Fiat lux, & facta est lux: statim sequitur: Et vidit Deus lucem, quia bonum est. Et postmodum infertur; Et separauit Deus inter lucem & tenebras: vocauitq; Deus lucem diem, & tenebras noctem: non hoc loco additum est, Et vidit Deus, quia bonum est; ne vtrunque appellaretur bonũ, cùm esset horum alterum malum vitio proprio, non natura. Et ideò sola ibi lux placuit Conditori: Tenebræ autem Angelicæ, etsi fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ.

BEDA libro de sex dierum Creatione.

Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. Quare lucem tantùm laudauit, & non noctem? Idest, quia nox adhuc, nec dies factæ erant, sed tantùm lux Angelica: quia indignum erat Deo rem informem laudare, quæ adhuc formata non erat, sed rem illam, quæ formata erat, laudauit, idest, lucem Angelicam.

Consimilia habet Quæstionibus in Genesim.

b. *Diuisit lucem à tenebris, hoc est, Sanctos Angelos à desertoribus.*

Prætermissis alijs huiusce loci interpretationibus, quæ apud Augustinum cõperiuntur, præcipue de Genesi imperfecto capite quinto, & de Genesi ad literam libro primo, capite decimo, vt propositam nobis de spirituali luce, hoc est Angelo, prosequamur explanationem.

AVGVSTINVS ipse locum hunc, siue secretionem hanc ita interpretatur, capite decimo septimo eiusdem libri primi.

Et diuisit Deus inter lucem, & tenebras. Nunquid iam erant peccatores, & stulti decidentes à lumine

veritatis: inter quos, & in eadem luce permanentes diuideret Deus, tanquam inter lucem ac tenebras; lucem vocans diem, ac tenebras noctem, & ostenderet se non operatorem peccatorum, sed ordinatorem distribuendorum meritorum? Et post. *An diuisio quidem lucis à tenebris distinctio est iam rei formatæ ab informi; appellatio verò diei, & noctis, insinuatio distributionis est, qua significetur nihil Deum inordinatum relinquere?*

Sed luculentiùs hanc sanctorum, & perduellium Angelorum seiunctionem explicat Augustinus vndecimo de Ciuitate Dei, capite decimonono.

Non mihi videtur ab operibus Dei absurda sententia, si cùm lux illa prima facta est, Angeli creati intelligantur, & inter Sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, vbi dictum est: Et diuisit Deus inter lucem, & tenebras: & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Solus quippè ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent præscire casuros, & lumine priuatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem & noctem, idest, inter hanc lucem, & has tenebras, vulgatissima sensibus nostris luminaria vt diuiderent, imperauit. Fiant (inquit) luminaria in firmamento Cęli, vt luceant super terram, & diuidant inter diem, & noctem. Et paulo post. Et fecit (inquit) Deus duo luminaria magna, luminare maius in principia diei, & luminare minus in principia noctis, & stellas: & posuit Deus illas in firmamento Cęli, lucere super terram, & præesse diei, & nocti, & diuidere inter lucem, & tenebras. Inter illam verò lucem, quæ sancta societas Angelorum est, illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, idest malorum Angelorum auersorum à luce teterrimas mentes, ipse diuidere potuit: cui etiam futurum non naturæ, sed voluntatis malum occultum, aut incertum esse non potuit.

EVCHERIVS libro primo in Genesim.

Diuisio lucis à tenebris, boni Angeli separati à malis; & quia ex ijs quosdam præsciebat per superbiam casuros, per incommutabilitatem præscientiæ suæ diuisit inter bonos, & malos. Malos igitur appellans tenebras, bonos appellans lucem, in his dicens; Vidit Deus, quia boni sint; in illis nullatenus dicens, sicut in omnibus operibus Dei: Vidit Deus, quia bonum est: ne malum præuaricatorum videretur approbare Angelorum.

Glossa Locupletata, hæc desumpsit.

BEDA quod Expositione in Genesim, & libro de Creatione sex dierum prodiderat, dicens: Et diuisit Deus inter lucem, & tenebras, & reliqua. Diuisio quidem à tenebris, distinctio formatæ rei ab informi: appellatio autem diei, & nobis, distinctionis insinuatio est: Quæstionibus in Genesim disertiùs edisserit.

Deus bona, & incommutabili voluntate creauit omnes Angelos bonos; sed quia ex his quosdam per superbiam præsciebat casuros, per incommutabilitatem præscientiæ suæ diuisit inter bonos, & malos. Malos igitur appellans tenebras; bonos appellans lucem: in his dicens, quia boni sunt: in illis nullatenus dicens, ne peccata, quæ erant tenebræ, approbare videretur.

GLOSSA Interlinearis.

Diuisit lucem, hoc est, rem formatam: & tenebras, hoc est informitatem.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

In qua luce spirituali, fortè diuisio lucis à tenebris, distinctio rei intelligitur iam formatæ ab informi. Appellatio diei, & noctis, significatio distributionis, qua significatur nihil Deum inordinatum relinquere, nec profectus creaturarum sine supplemento vniuersi decoris esse.

Hæc autem quæ dixere Glossæ, etiam de Angelis præcipue intelligi queunt.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim lib. primo, cap. decimotertio.

Psal. 75. *Et diuisit lucem, & tenebras. Diuisio ista lucis, & tenebrarum, terribile Dei iudicium super Diabolum esse factum insinuat. De quo Psalmista; Tu terribilis es (inquit) & quis resistet tibi? Extunc ira tua: Tanquam diceret: Quis tibi resistere potest, cùm ex quo tibi quis resistit, extunc terribilis exardescat ira tua? Nam ex quo Diabolus resistit, idest, ressistere voluit tibi; tu iratus es, & resistere non potuit. Cecidit enim Angelus, & factus est Diabolus. Hoc terribile iudicium per diuisionem insinuatur lucis, & tenebrarum. Quæ enim sunt istæ tenebræ, nisi omnes Angeli Satanæ cum eodem suo Principe? Has vtiq; tenebras Deus, lucemq; diuisit, quia malos Angelos à bonis separauit: diuisit, inquam, separatione immutabili, ita vt*

Psal. 32. *nec isti, qui ceciderunt, resurgere; nec illi, qui cùm peccare possent, peccando cadere noluerunt, vlterius vnquam habeant, vel possint peccando cadere. Verbo nanque Dei Cęli firmati sunt; & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ista lux, isti sunt Cęli. Lux, inquam, quam Deus à tenebris diuisit; & Cęli, quos Verbo suo, quos Spiritu, idest, amore suo, Deus firmauit; vt iam obscurari, vel dissolui non possint: congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos; quæ omnia secundum literam iam in illa exordio facta esse dubium non est.*

PETRVS Comestor in Genesim capite tertio.

Intelligitur etiam hic Angelorum diuisio. Stantes, lux: cadentes, tenebræ dicti sunt.

Factum est vespere, & mane dies vnus.

Anno Mundi primo. Die Prima.

a. *Apprehensio vespertina, & matutina in Angelo.*

a. *Apprehensio vespertina, et matutina in Angelo.*

Qua serie ea prisca lux spiritalis, hoc est, Angelus, dies gigneret, ac vespere & mane haberet; non ita facilè intelligi posse arbitror.

AVGVSTINVS vaga sua dicendi serie, vti Angelum lucem, ita Angelicam cognitionem diem; vespere, & mane, duas eius cognitionis species, vespertinam, & matutinam interpretari nititur. Quod etsi pluribus locis id contendat, disertiùs tamen libro de Genesi ad literam quarto, capite vigesimo secundo.

Si lux ista, quæ primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est, sicut post tenebras facta est, vbi intelligitur à sua quadam informitate ad Creatorem conuersa, atque formata: ita & post vesperam fiat mane; cùm post cognitionem suę propriæ naturę, qua non est quòd Deus, refert se ad laudandam lucem, quod ipse Deus est; cuius contemplatione formatur. Et quia cæteræ creaturæ, quæ infra ipsam fiunt, sine cognitione eius non fiunt; propterea nimirum idem dies vbique repetitur, vt eius repetitione fiant tot dies, quotiens distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarij numeri terminanda: vt vespera primi diei sit etiam sui cognitione, non se esse, quod Deus est: mane autem post vesperam hanc, quo concluditur dies vnus, & inchoatur secundus; conuersio sit eius, qua id quod creata est, ad laudem referat Creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturę, quę post ipsam fit, hoc est firmamenti: quod in eius cognitione fit prius, cùm dicitur, Et sic est factum: deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur, cùm additur postea, iam dicto, Et sic est factum, Et fecit Deus firmamentum: Deinde fit vespera illius lucis, cùm ipsum firmamentum non in Verbo Dei, sicut ante, sed in ipsa eius natura cognoscit. Quæ cognitio quoniam minor est, rectè vesperę nomine significatur: post quam fit mane, quo concluditur secundus dies, & incipit tertius: in quo itidem mane, conuersio est lucis huius, idest, diei huius ad laudandum Deum, quòd operatus sit firmamentum, & percipiendam de Verbo eius cognitionem creaturę, quę condenda est post firmamentum. Ac per hoc cùm dicit Deus; Congregetur aqua, quę est sub Cœlo in collectionem vnam, & appareat arida; cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei quo id dicitur: & ideò sequitur; Et sic est factum, hoc est in eius cognitione ex Verbo Dei: deinde cùm additur; Et congregata est aqua &c. cùm iam dictum esset, Et sic factum est; in suo genere ipsa creatura fit; quæ item cùm in suo genere facta cognoscitur, ab ea luce, quę iam in Verbo Dei facienda cognouerat, fit tertiò vespera: & inde hoc modo cætera vsque ad mane, & post vesperam sexti diei.

Cognitio Angelica.

Prosequiturque amplius, capite vigesimo tertio disserere, qua ratione congrua cognitio rerum in Verbo, dies; & cognitio earundem in natura ipsarum, vespere, meritò appellentur.

Multum quippe interest inter cognitionem rei cuiusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura eius, vt illud meritò ad diem pertineat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius, quę in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in se ipsa nouimus, non immeritò nox dici potest; quæ rursus tantum differt ab errore, vel ignorantia eorum, qui nec creaturam ipsam sciunt, vt in eius comparatione non incongruè dicatur dies.

Amplius postquam id explicauit capite vigesimo quarto: cur sex diebus non addatur nox, capite vigesimo quinto his declarat.

Quia ergo Angeli creaturam, in ea ipsa creatura sic sciunt, vt ei scientiæ electione, ac dilectione præponant, quòd eam sciunt in veritate, per quam facta sunt omnia, participes eius effecti: ideò per omnes sex dies non nominatur nox, sed post vesperam, & mane, dies vnus. Item post vesperam, & mane, dies secundus: deinde post vesperam, & mane, dies tertius: ac sic vsque in mane sexti diei: vnde incipit septimus quietis Dei, quamuis cum suis noctibus, dies tamen non noctes narrantur. Tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem; cùm sublimes, & sancti Angeli id quod creaturam in ipsa creatura nouerunt, referunt ad illius honorem, & amorem, in quo æternas rationes, quibus creata est, contemplantur: eaque concordissima contemplatione, sunt vnus dies, quem fecit Dominus, cui coniungetur Ecclesia de hac peregrinatione liberata, vt nos exultemus, & iocundemur in eo.

Tandemque capite vigesimo sexto his concludit.

Huius ergo diei, cuius & vespera, & mane, secundum supradictam rationem accipi potest, sexta repetitione consummata est vniuersa creatura; factumque est mane, quo finiretur sextus dies, & inde inciperet septimus vesperam non habiturus, quia Dei requies non est creatura: quæ cùm per dies cæteros conderetur, aliter in seipsa facta cognoscebatur, quàm in illo, in cuius veritate facienda videbatur, cuius cognitionis quasi decolor species vesperam faciebat. Non itaque iam forma ipsius operis dies, & terminus vespera, & alterius operis initium mane, in hac rerum conditarum narratione debet intelligi: ne cogamur contra Scripturam dicere, prçter sex dies conditam diei septimi creaturam, aut ipsum diem septimum, nullam esse creaturam; sed dies ille, quem fecit Deus, per opera eius ipse repetitur, non circuitu corporali, sed cognitione spiritali; cùm beata illa societas Angelorum, & primitùs contemplatur in Verbo Dei, quòd dixit Deus, Fiat: atque ideò prius in eius cognitione fit, cùm dicitur, Et sic est factum; & postea rem ipsam factam, in ea ipsa cognoscit, quod significatur facta vespera: & eam deinde cognitionem rei factæ ad illius veritatis laudem refert, vbi rationem viderat faciendæ, quod significatur facto mane.

Censuit igitur Augustinus, vt ex supra enarratis excerpere possumus, Cœli nomine intelligendum esse Angelum; lucis appellatione, ipsius ad Gratiam & Gloriam assumptionem; seiunctione lucis ac tenebrarum, Angelorum, ac Dæmonum discretionem; diei vocula, capiendã esse Angelicam intellectionem; vespere, creaturæ in seipsa contemplationem; mane vero, altissimam illam, beatissimamque in coruscantissima Dei essentia perspicientiam; dierum sex repetitione, rerum ipsarum per sex genera distributarum apprehensionem; septimo die, requiem contemplationis in Deum. Pro quibus hoc vnum modò mihi est animaduertendum: quòd cùm cognitio Angelica duplex sit: altera qua semet Angeli contemplati sunt; altera qua cuncta à seipsis extera perceperunt; duplex pariter cognitionis ordo, matutinæ videlicet, & vespertinæ in ipsis processit. In prima equidem apprehensione, qua seipsos nouerunt, vespertina cognitio matutinam antecessit. Mox enim vt conditi fuerunt Angeli, in seipsos reflexi, seipsos etiam contemplati sunt; dissimili ac planè contrario euentu; cùm desertores, nimio fastu elati, tenebræ redditi sint: Angeli verò sancti, sui præstantiam in Deum referentes, lux euaserint. In altera autem, qua rerum naturas in seipsis sunt contemplati, matutina præcessit vespertinam; prius enim res fiendas in Verbo æterno, quàm in propria ipsarum natura perspexerunt. Ex eo autem dispari Angelicæ apprehensionis, seu cognitionis ordine effectum est, vt primaria dies vesperam tantummodo susceperit; postrema autem, seu septima, mane perpetuum sit cõsecuta: quoniam Angeli, sex rerum generibus cognitis, in Dei contemplatione perenniter perstiterunt.

Cognitio Angeli duplex.

Inquiramus nunc (precor) qua serie posteri Patres doctrinæ Augustinianæ sectatores difficilem hanc Theologiam hauserint, ipsamque nobis explicarint.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite secundo.

Idcircò ipse repetitur semper in exequutione creaturarum: quia ipse dies, hoc est, natura Angelorum, quando creaturam ipsam, quam Deus faciebat, contemplabatur, quodammodo vesperascebat. Veruntamen, quia non permanebat in eius creaturæ intuitu, sed laudem eius ad Deum referens, ipsam melius in diuina ratione conspiciebat, tunc continuò quasi mane fiebat. Nam si permaneret neglecto Creatore in aspectu creaturæ, iam non vespera, sed nox vtique fieret.

ISIDORVS de summo Bono, libro primo, capite decimo.

Dies prior factus, Angeli sunt: quorum propter vnitatem insinuandam, non dies primus, sed dies dictus est vnus. Et idcircò ipse repetitur semper in executione creaturæ. Quia dies, hoc est natura Angelorum, quando creaturam ipsam contemplabatur, quodammodo vesperascebat: non autem permanendo in eius creaturæ contuitu, sed laudem eius ad Deum referens, eamque melius in diuina ratione conspiciens, continuò mane fiebat. Si verò permaneret neglecto Creatore in creaturæ aspectu; iam non vespera, sed nox vtique fieret. Dum se creatura melius in Deo, quàm in seipsa nouerit; ipsa sui cognitio, quę maior in Deo est, dies & lux dicitur. Cognitio verò sua in seipsa ad compensationem cognitionis illius, quæ est in Deo, quia longè inferior est, vespera nominatur. Ideoque post vesperam mane fiebat. Quia dum suam in se cognitionem sibi satisfacere non agnosceret; vt se plenius nosse potuisset, ad Deum sese referebat creatura, in quo se diem agnoscendo melius fieret.

BEDA Quæstionibus in Genesim.

Primum enim diem spiritalem astrues esse creaturam; & quomodo habuit vespere, & mane? M. Omnis nanque creatura, antequam tempore suo fieret, in ipso Verbo Dei erat prius ab Angelis cognoscenda; & sic suo tempore facienda. Quapropter ipsa creaturæ cognitio in semetipsis, vespera erat, in Deo autem mane: quia plus videtur ipsa creatura in Domino, quàm in seipsa videtur creatura; plus scilicet videtur in arte, qua facta sunt, quàm in seipsa, quæ facta est. Propterea ait Euangelista Ioannes; Quod factum est, in ipso

Ioan. 1.

in ipso vita erat. Omnia ergo quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsa non sunt vita. Cęlum, terra, lapis, vitam non habent; & tamen in Domino vita sunt: viuunt igitur in Deo sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videntur ab Angelis sanctis in Verbo Dei, vbi sunt vita, quàm in seipsa: quia scientia Angelorum in comparatione Dei quodammodo vesperascit. Ergo primus in cognitione firmamenti: secundus in cognitione discretionis terræ, ac maris: tertius in cognitione Solis, & Lunæ, vel Stellarum: quartus in cognitione reptilium & animalium: quintus in cognitione iumentorum, & ferarum, vel ipsius hominis: neque enim sextus diei vnius, quem intelligimus spiritalem creaturam, idest Angelicam, sexies facta cognitio. Sexies fecit propter senarij numeri perfectionē.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Notandum, quòd cæteræ creaturæ, quæ infra lucem sunt spiritualem, sine eius cognitione non sunt. Ideò idem dies vbique repetitur, vt eius reputatione tot fiant dies, quoties distinguuntur genera rerum creatarum, perfectione senarij terminanda, ita scilicet, vt vespera primi diei sit sui cognitio, non se scilicet esse, quod Deus est. Mane autem post hanc vesperam, quo clauditur primus dies, & inchoatur secundus, conuersio eius; vt quòd creata est, ad laudem referat Creatoris, & cognitionem creaturæ percipiat de Verbo Dei: quæ post ipsam fit, idest firmamenti, quod prius per Verbum in eius cognitione fit, post in natura ipsius firmamenti: deinde fit vespera huius lucis; cùm firmamentum non tam in Verbo Dei, sicut antè, sed in firmamenti natura cognoscitur; quæ cognitio, quia minor est, vespera vocatur. Post fit mane, quo clauditur secundus, & incipit tertius. In quo similiter mane, conuersio lucis est, idest huius diei, ad laudandum Deum, qui fecit firmamentum, & ad percipiendum de Verbo eius cognitionem creaturę post firmamentum faciendæ: & sic vsque ad mane post Vesperam sextæ diei. Multum enim interest inter cognitionem rei in Verbo Dei, & cognitionem eius in natura; vt illud scilicet, ad diem pertineat: hoc ad vesperam.

Memorarunt, atque enuclearunt nobis hanc D. Augustini subtilem de Angelis doctrinam ex Scholasticis quatuor illi præstantiores, quos cum Patribus connectere his meis lucubrationibus consentaneum duxi. Albertus Magnus prima parte Summæ de quatuor coequæuis; D. Thomas prima, quæstione sexagesima septima, & quæstione septuagesima quarta, & in Scriptis in secundum Sententiarum; sed accuratius Quæstionibus disputatis, quæstione quarta; Alexander Halensis secūda, quæstione quadragesima nona, membro primo: D. Bonauentura in secundum Sententiarum. Adeas Doctores omnibus notos, & celebres.

Q. 12. art. 6. 7. & 8. art. primo. art. secundo. Dist. 13. q. 2. art. secundo. Dist. 13. art. 1. q. 1.

Cæterum hæc D. Augustini elegans, ingeniosaq; explanatio, ac sententia, luculenter pluribus explicata, ac totis uiribus à plerisq; celebrata, vsque ad nostram ferè tempestatem oppugnata non fuit; cùm prisci Patres, & Scholasticorum duces præasserti, quamuis eam non approbarint, reijcere tamen ipsam, ac damnare non præsumpserint. Nuperrimi verò Doctores, audaciùs, acriusq; ipsam insectari, & refellere veriti non sunt. Quorum argumenta concisè, strictèq; deferam. Primùm inquiunt; Si Tenebræ primæuæ illæ, quas ante lucis manationem Moses super abyssos obductas contestatur, corporeæ extarunt: vt omnes prisci Patres obtestantur, & ratio euincit: igitur & primo die effusa lux eas expellens, corporea censenda est. Deinde cùm lux, qua sex creationis explenduere dies, vna, eademque fuerit, saltem quoad substantiam; quemadmodum tres postremi sensili luce emicarunt, tres quoque ante actos eadem luce effulsisse asserendū est. Tandem compertum est, & certum, quòd voces illæ, lux, tenebræ, dies, nox, vespere, & mane, in hac Augustini interpretatione, ab vsitata significatione haud rectè ad mysticam, & allegoricam transferuntur; nam Historicū in allegoricos sensus deflectere mirandum in modum dedecet, prout Patres prisci, præcipue Basilius, atq; Ambrosius in Hexæmeron docuere. Rursum natura magistra erudimur, ne allegoriam quæramus in ijs, quæ perspicua sunt, & manifesta: hic verò locus splendidissimus est. Amplius metaphoræ & tropi à doctrina demonstratiua profligantur; Philosophiq; solis sermonibus proprijs, ac lucidis, nos vti iubent, hoc est, qui rem maximè splendeant, & declarent: & Aristoteles Platonem, quòd verbis minus proprijs & apertis, plerumque sit vsus, aliquando accusat: Et nos nullo negocio existimabimus, Dei verbis ad literam captis subesse tropos, & metaphoras? Et confirmantur hæc, quoniam hic sensus narrationem Mosis vertit in parabolam; Nam sicut D. Hieronymus ait, (& adducitur à Magistro distinctione trigesima tertia secundi) Parabola aliud verbis sonat, aliud sensu continet. Ita ferè Vielmius.

Contra sententiam D. Augustini nōnullorum argumenta.

1. Cœl. text. 105. & 106.

AVCTOR.

Duæ primæ argumentationes cōtra D. Augustinum inanes.

Quantum ad rem spectat, duæ primùm illatæ contra D. Augustinum inuectiones, ipsi, qui Mundum vnico die, seu momento absolutum manasse existimat, verbisq; illis; In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, non Chaos aliquod productum, sed Angelum in pura natura, & materiam primam, ut origine præextabat, capi censet; Tenebrarumq; nomine, informitatem vtriusque significari, ac dierum sex numero, non sex Cœli conuersiones, sed Angelicas apprehensiones rerum conflandarum in sex genera distinctarum denotari autumat: ipsi inquam, nullum facessere negocium arbitror. Verùm argumentationem tertio in loco deductam, eius sententiam funditus euertere opinor. Munus siquidem Historici est, vsitata vocū significatione res gestas enarrare, metaphoricasque voces rarò adhibere, allegoricas nunquam: At in D. Augustini assertione, nomina hæc, Cœlum, lux, tenebræ, dies, nox, mane, vespere, in diuersam admodū, atq; ab vsitata longè dissimilem significationem, in allegoricam scilicet, pertrahi conspicuū est. Sed maiorem adhuc huiusmodi sententiæ molestiam exhibere potest; sanctū hunc Vatem sæpius ea ipsa verba secundum vsitatam significationem, ad eandem Mundi genesim enarrandam repetijsse: Allegoria siquidem, si post historicum, literalemq; sensum blande elicitur, lepida decoraq; euadit, at si locum historici, & literalis sibi vendicare præsumit; importuna, intempestiuaq; existimatur. Quapropter Basilius Hexæmeron Homilia octaua, & Ambrosius libro quinto, Origenem, qui per aquas Angelos interpretabatur, merito carpunt, atque redarguunt. Præterea ex mirifica ingentis Patrum priscorum classis consensione, Angelorum, atque Empyrei genesim à Mose penitus prætermissam fuisse, eiq; de sensili Mundo negocium tantummodo esse, iam supra sancitum, & constitutum fuit.

Tertia argumentatio valida.

D. Augustini rationum solutio.

Verum Augustini argumentationes superest vt dissoluamus. Atque vt eam, quæ primo in loco deferebatur, propellam; qua Angelorum, veluti creaturarum insignium effectionē silentio haud obuolutam fuisse asserebat, cùm vniuersorum Dei operum genitura hic tradatur: Assero primùm, non adeò compertum exploratumve esse, num Angeli cum Mundo, an potius ante Mundum manarint: Problema siquidem dialecticum est istud in via Patrū, ut supra demonstrabamus. Deinde estò Angelos vnà cum Mūdo prosilijsse, non ob hoc Angelorum mentionem agere necesse habebat Moses, qui sensilis solummodo Orbis creationem cōscribendi partes susceperat. Quamobrem, & ipsorum genesim suppressisse, ac prorsus omisisse asserendum est; quemadmodum & de lapsu naturæ Angelicæ nil retulit. Cùm enim cuncta à Mose Spiritus Sancti afflatu prodita, ad Christum humani generis reparatorem dirigerentur; de Angelo, eiusq; prolitione, qui reparandus non erat, sermonem habere Moses minimè cogebatur. Ad id, quod vt ratum, certum, exploratūq; proferebat Augustinus, nempe, quòd lucis plura cùm sint genera, germana lucis significatione, spiritualis lux potius denotari, quàm quæuis altera hoc loco videatur, vti & D. Thomas admittebat: Assero id verum non esse, si vsitatam, vulgarem, & passim acceptam huius vocis, Lucis, significationem accipiamus; lux siquidem Astrorum, seu Ignis lumen candescens passim exprimit, ac significat; Mosem autem vsitatos significatus prosequi, nemini prorsus dubitandum est. Sed quod grauissimum, & firmissimum Augustinus censebat argumentum; quo pacto scilicet lux illa nondum congesto firmamēto; nondum producto Sole, & Astris; nondū discriminatis Elementis, dies gignere posset: cæteris Patribus nullum exhibet negocium. Alij enim lucis nomine Solem: alij igneam materiem, ex qua conflatus fuit Sol: alij lumen ipsum Solis absque globo, per circūductionem, seu emissionem, & attractionem vectum intelligunt, atq; exponunt. Quibus & Ruperti ratio prosternitur, cū lux illa post triduū non euanuerit, vt ipse arbitratus est, sed cū Sole perhēniter remanserit.

HVGONIS nostri sententiam profectò auream, libro primo de Sacramentis, prima parte, capite decimo, proditam, non possum silentio preterire. Contemplatur siquidem ipse, existimatq;, quòd simul, & hæc corporea, & illa spiritualis lux conditæ, seiunctæq; sint; quòdq; ea, quæ in Mundi sensilis conflatione agebantur, earū rerum, quæ in spiritali, & superno efficiebantur, imago ac simulachrum extarent. Quapropter

codem

eodem quoque narrationis contextu, & hæc iuxta literalem sensum, & illa secundum allegoricum, fortè à sanctissimo Vate prodantur.

Et vt mihi videtur, eodem prorsus temporis momento, quo visibiliter, & corporaliter diuisa est lux à tenebris; indiuisibiliter quoque boni Angeli discreti sunt à malis: illis in tenebras peccati cadentibus, & istis ad lucem iustitiæ conuersis, illuminatisque à luce, vt lux essent, & non tenebræ. Sic enim consonare debuerunt exemplaria operum Dei; vt quæ visibilia erant opera Sapientiæ, inuisibilium prouentus sequerentur: secundum quòd ipsa, quę vtrobique operabatur Sapientia, ibi iudicium exercuit, hic formauit exemplum. Diuisa est lux ergo à tenebris, & erat lux visibilis, & visibiles tenebræ erant: similiter & lux inuisibilis erat, & tenebræ inuisibiles erant: & vtrorumque diuisio facta est, & simul facta est diuisio tenebrarum, & lucis.

De Bello Angelico.



HAEC ardua, atque excelsa interpretatio, clarissimum certè Augustini perspicacissimi ingenij monumentum, iam satis cumulatè à nobis exposita, & declarata, narrationem de bello Angelico (quantumuis prouinciam meis viribus imparem) suscipere me inuitat, & allicit; eamq; ut libentius subeam, duæ potissimum caussæ adhortantur, & commonent. Altera est, ut hæc eminentissima Augustiniana doctrina magis patefacta clarescat; quàm diuerso scilicet euentu, sancti Angeli vt lux effulserint, atque ad gloriam prouecti fuerint; desertores uerò tenebræ effecti, profligati, in exilium pulsi, æternisque supplicijs fuerint adacti: consimulque, & quomodo disiunxerit Deus lucem à tenebris, sanctos à proscriptis, atque in remotissimas partes eosdem apostatas relegarit. Altera, vt lectorum mentes tot Glossarum, atque interpretationum farragine tædio forsitan affectæ, & fessæ, hac iocundissima rerum in supernis partibus Cœli micantibus vix nascente Mundo gestarum historia recreentur, ac restaurentur. Cur Bellum Angelicũ hic describatur.

Angelicum Bellum, quo certè vel præliantium copia, uel Ducum eminẽtia, uel præsumpta de caussa, uel belli genere, uel loci claritate, vel denique profligatorum clade, & uictorum coronis, nullũ unquã fuit acrius, nullumve memorabilius, narrare aggredior: Bellum inquam illud, præliorum omnium, atque cunctarum humanarum calamitatũ fontem, & caussam. Initum equidem est, sed non persolutum hoc bellum in Cœlo, quando ingenti vtrinque acie dimicatum est. Quinimmò in Mundo accersitis hinc piorum copijs, inde impiorum agminibus, usque ad sæculi excidium perseuerat. Duo singularia certamina memoratu dignissima perpetrata sunt: Alterum inter Luciferum, & Adam: Alterum inter Christum, & ipsummet Luciferum. Sed propè Mundi finẽ atrox illa pugna iterum ineunda erit; de qua in Apocalypsi scriptum comperitur: Factum est prælium magnum in Cœlo. Huius primæ contentionis, seu immanis belli caussa, omnia in Mundum irrepsere flagitia; Angelorum lapsus, humani generis perditio, peccati labes, mortis calamitas, pœnalitatum copia, Inferni reseratio, Gigantum procacitas, Diluuij cathaclysmus, Dei ignoratio, Idololatriæ fœditas, criminũ obscenitas, ac denique fœda omnium cladium origo. Nisi enim Lucifer à Deo apostatasset; nec hominem ille tentasset; nec horum, quæ diximus, aliquid subsequutum fuisset. Breuissimè igitur tanti belli euentum enarrabo. Angelici Belli magnitudo. Apoc. 12.

Maiestatem eam amplissimam, qua Deus Imperator Orbis, Rex Regum, & Dominus dominantium, coruscantissima gloria, & innumerabilibus Spirituum Cœlestium agminibus constipatus, glomeratusque, terra sub pedibus eius ad instar scabelli substrata, in Cœlo ueluti in aureo, micantique Throno considebat; adeo eleganter Danijel descripsisse mihi visus est; ut præclaram hanc contemplationem prætermittere, grande nefas, ac piaculum arbitrer. Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit; Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, & fluuius ignis, rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Quibusnam uniuersorum Satoris, ac Moderatoris Dei Dei imperatoris Maiestas. Dan. 7.

Maiestas

Thronus Dei quid significet. Apoc. 4. 3. Reg. 10.

Maiestas clariùs patefieri & reserari potuisset? Throni positi diuinæ auctoritatis, atq; potestatis, qua Vniuerso imperat, symbolum sunt; proinde in Apocalypsi legitur; Ecce Thronus positus est in Cœlo. Et tertio Regum; Thronum fecit sibi Salomon de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, & habebat sex gradus. Thronus certè hic est Dei maiestas, qua regit; Ex ebore congestus est, quia nitida est eius mens, atque prouidentiæ ratio; auro contegitur, quia charitate flagrantissima vndique est conspersa, accinctaque; Sex gradus, sex sunt rerum genera ipsius substrata ditioni; simplicia elementa, cœlestis machina, terrestria tum perfecta, tum imperfecta, quæ esse tantùm patiuntur; vegetantia, sensu prædita, homo ex spiritu, & corpore compactus; Angelus purus spiritus. Positus autem est Thronus vnus, vt in Apocalypsi, & positi Throni plures, vt apud Danielem legitur. Vnus, quia Deus noster essentia vnus est; Plures, quia plures, idest tres hipostases, in vna essentia existunt; Nam tres sunt qui testimoniũ dant in Cœlo, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sed antiquus dierum sedit, hoc est Pater, non æternitate prior, sed origine antiquior: sedet autem Pater; quia Patris munus est, Filio, hoc est Christo, imperium Mundi conferre. Vestimentum gestat candidum quasi nix, quoniam candore diuinæ gloriæ amictus est. Vnde D. Hieronymus in Danielem inquit, quòd Saluator gloriam diuinæ Maiestatis in mõte assumens, in candidis videtur vestibus. Quemadmodum enim candor summopere allicit, lætificatque; ita diuina gloria mentes seipsam contemplantes viuificat, atque ineffabili afficit gaudio. Capilli ex capite, Iudicia sunt; quæ ex diuina Sapientia, quasi ex capite prodeunt; & sunt vt lana munda; lana, quia suauia; & munda, quia sincera. Qui dat niuem, inquit Dauid, sicut lanam, hoc est iudicia, quasi beneficia; & nebulam sicut cinerem spargit, hoc est, procellam tribulationum, quasi salubrem mortificationem. Ros profectò descendit in vellus Gedeonis: hoc est; consolatio, & gratia, in tribulationibus à diuina benignitate illatis semper insident, talibusque Altissimi donis ferè semper tribulationes conspersæ sunt. Thronus autem eius flamma ignis, quòd potestas eius in summa erga Mundum charitate consideat. Rota eius ignis accensus; ex charitate siquidem velocissimè ad Mundi moderationem decurrit; Nam spiritus vitæ erat in Rotis. Et fluuius ignis, rapidusque egrediebatur à facie eius, quoniam iudicia eius misericordia, & amore sunt referta: cuncta quinimmo in Deo ignescunt, cuncta candescunt; quia Deus ignis consumens est, cunctaque in Deo misericordia sunt, & charitate ardent. Verùm quemadmodum ignis alia perficit, vt metalla; ea enim liquefacit, vt ad comptiorẽ, ac præstantiorem formam redigantur; paleas autem comburit: Ita Dei iudicia pios purgant, atque perficiunt, sed tamen quasi per ignem; Impios autem ad nihilum redigunt, cùm tandem miseri in gehennam detruduntur. Cæterum millia millium ministrabant ei, in amplissima Maiestate considenti. Quidnam potero ego de cœlestibus legionibus, de spirituum Deo omnipotenti famulantium multitudine, de Angelorum numero, congruum hoc loco, vel condignum proferre? Numera enim stellas si potes. Quis nanque Angelicas virtutes, quæ innumeræ vti scintillæ, ex diuina potentia, tanquam ex silice emanarunt, ac prosilierunt, vnquam dinumerauit? Attamen vt Angelos innumerabiles esse conuincamus, numerosas de numero ipsorum sententias recitemus.

Apoc. 4. Dan. 7. 1. Ioan. 5. Vestimẽtum cadidũ quid signet. Lib. 1. Capilli quid. Psal. 147. Flamma, & Rota, & Fluuius ignis quid. Ezech. 1. Deuter. 4. Gen. 15.

Plato (vt præter Platonicos D. Thomas ei ascribit) substantias separatas, Idæas, seu species abstractas rerum sensibilium esse ratus, tot Angelos, quot rerum species extarẽt, comperiri censuit. Quod quidem placitum repudiat Aristoteles, altioris quàm sint rerum rationes, eminentiorisque naturæ intelligentias esse asserens.

P. p. q. 50 artic. 3. De numero Angelorum.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro quinto, quæ Platonis fuerit de Angelorum, seu Dæmonum numero sententia, his memorat.

Quinetiam in Decimo de Legibus apertè ostendit Plato illud Apostolicum; Non est nobis colluctatio aduersus carnem: sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus spiritualia eorum, quæ sunt in Cœlis: scribens hoc modo; Quoniam enim ex eis concessimus, nobis quidem esse Cœlum multis bonis plenum, esse autem etiam contrarijs, pluribus autem, qui non sunt huiusmodi, est inquimus; pugna eiusmodi immortalis, eaque magna cautione indiget.

Quod autem fuerit Platonis placitũ de Angelis, Num ipsos, quos honoris gratia Deos nuncupauit,

nuncupauit, aliud ab Idęis esse maluerit, nunc profectò nobis nullus disceptandi locus relinquitur.

Aristoteles tot numero Intelligentias esse dijudicauit, quot corporum Cęlestium lationes, quas quidem quinquagintaquinq; extare, cōpertum est diffinisse. Verùm & Aristoteles extra Cœlū entia quædam beatam vitam degentia reperiri, aliàs fateri visus est. Auicenna verò asseruit, quòd tot sint Angeli, quot orbes cęlestes vnà cum sphera actiuorum, & passiuorum; cui dixit præesse Intelligentiam vltimam: atque huic sententiæ Peripatetici omnes subscribunt. Lib.12.Meta.

Hebræorum eximius Rabbi Moses, D. Thoma loco asserto referente, orbium latores, & rerum insitas uirtutes, & mortales etiam homines diuina annunciantes, à Scripturis Angelos appellari censuit.

D. THOMAS Rabbinum Mosem id dixisse, vt Platonem atque Aristotelem conciliaret, asserit, dum ait. P. par. q. 50. art. 3.

Rabbi Moses Iudæus volens concordare vtrumque dixit, quòd Angeli, secundum quòd dicuntur substantiæ immateriales multiplicantur secundum numerum motuum, vel corporum cœlestium secundum Aristotelem: sed posuit quòd Angeli in Scriptura dicuntur etiam homines diuina annuntiantes, & iterum virtutes rerum naturalium, quæ omnipotentiam Dei manifestant. Sed hoc est alienum à consuetudine Scripturæ, quòd virtutes rerum irrationabilium Angeli appellentur.

Basilidis, Carpocratis, Menandri, Saturnini Hæreticorum famigeratorum sententiam memorat Irenæus; qui Angelos, & Cęlos, trecentos sexaginta quinq; esse, cū anni diebus numerum æquantes autumabant: quod placitum, ut absurdum, atque à catholica doctrina, & vera philosophia alienum, passim à pluribus Patribus extruditur. Quorum cathalogum excerpere poterit Lector ex disceptatione; Num Angeli Mundum condiderint. Lib. 1.

Alij putarunt æqualem esse numerum Angelorum, & hominum.

ATHANASIVS proinde in Quæstionibus ad Antiochum inquit. Quæst. 2.

Alij æqualem esse numerum Angelorum, & hominum affirmant, in testimonium adducentes illud; Constituit gentium terminos, iuxta numerum Angelorum Dei. Deuter. 32.

Sed hæc ipsorum arbitratu delata est sententia; Testimoniumq; illud Scripturæ intempestiuè adductum est; cùm interpretari magis debeat, Deum constituisse gētium, hoc est prouinciarum terminos, iuxta numerum Angelorum custodum; hoc est nullā esse prouinciam, quæ custodem à Deo destinatum Angelum non habeat. Cōstituit terminos, &c. exponitur.

Alij Angelorum numerum ab hominum numero adeo excedi, ac superari opinati sunt, vt electorum aciem ad tertiam Angelorum partem peruenturam dixerint; ex eo quòd in Apocalypsi draconem illum terrificum tertiam partem stellarum; nempe (vt Magister sententiarum interpretari videtur) tertiam Angelorum partem traxisse scribatur; ac proinde electos, quos ipsi ad reparandum Angelorum numerum desumi arbitrantur, tot fore perhibent, quot fuerunt Angeli, qui Luciferi exemplo, suggestuq; corruere: Cùm autem electorum cohors tertiam humani generis partem non expleat; profectò vt certum, atque exploratum relinquitur, homines longè magis quàm Angelos numero abundare. Cæterum titubat nimium, labascitq; sententia ista, imbecilli ac infirmo prorsus constituta fundamento. Electorum nanque numerum secundū Angelorum à Deo auersorum numerum desumendum esse, tanquam certum ac definitū astruit, quod tamen Patres ferè omnes diffinire minimè præsumpserunt. Deinde neque ex hoc consequitur, super Angelorum phalanges longè excedere hominum acies; fieri enim posset, vt damnandorum hominum ingens caterua, Angelorum sanctorum, qui in veritate perstiterunt, cætu nequaquam maior existat, quamuis multi sint vocati, pauci uerò electi. Apoc. 12. Lib.2. dist. 6.

HVGO proinde Victorinus de Sacramentis libro primo, parte quinta, capite trigesimo primo. Mat. 22.

Sunt qui dicunt, tot electos ex hominibus ad numerum Angelorum ascensuros, quot ibi constat remansisse electos Angelos, propter Scripturam quæ ait; Statuit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei. Quod si verum est, cùm multò plures sint in hominibus reprobi, quàm electi; plures inuenientur homines reprobi, quàm electi Angeli. Si autem homines reprobi plures sint; quàm Angeli electi; cùm electi Angeli plures sint, quàm reprobi Angeli; plures erunt homines reprobi, quàm reprobi Angeli. Deuter. 32.

Alij æstimarunt, quemadmodum superna elementa, si ex infimis gignuntur, vti aër ex aqua, in decuplum excrescunt; ita in decuplum Angelos numero hominibus præstare, eliciq; id asserunt ex D. Brigidæ reuelationibus.

DIONYSIVS Carthusianus in caput quartumdecimum Cœlestis Hierarchiæ.

Insuper Sancta Brigitta in reuelationibus suis testatur, quòd tot sunt Angeli Sancti, quòd quamuis homines vniuersi, qui vnquam fuerunt, sunt, & erunt, pariter essent, adhuc vnicuique homini possent decem Angeli deputari.

Sed assertio hæc quasi pro arbitratu prolata reici potest.

Luc. 15. Alij putarunt nonagies nouies Angelos hominibus superiores esse, genusq; humanum centesimam tantùm partem extare, iuxta illud Lucæ; Nonne relinquit nonaginta nouem in deserto?

ATHANASIVS etiam loco citato placiti huius meminit, dum ait.

Alij quidem asserunt, quòd nonaginta nouem partibus distributi sunt; iuxta parabolam decem drachmarũ.

Sed illud ex comparatione esse dictum, non est qui ambigat.

Psal. 146. Alij rursum tot esse Angelos quot stellas, asserere non dubitarunt, in argumẽtum suæ sententiæ assumentes, quod de Deo regius Vates enuntiat; Qui numerat multitudinẽ stellarum, & omnibus eis nomina vocat; id non de his micantibus in Cœlo facibus, sed de Angelis dictum existimantes. Verùm frigida est hæc sententia, sicuti & interpretatio; nulla enim fulcitur auctoritate.

Dan. 7. Alij diffinierunt præscriptum nobis esse numerum Angelicarum copiarum, quando hoc loco dictum est; Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebãt ei. Sed num ista expositio germana sit iudicanda, maximus adest dubitandi locus.

Commẽ. in Daniel. c. 7. HIERONYMVS enim Danielem ipsum explanans ait.

Psal. 67. Psal. 103. *Non quò iste ministrorũ Dei numerus diffinitus sit, sed quò maiorem multitudinem humanus sermo explicare nequiuerit. Ista sunt millia, & istæ Myriades, de quibus in Psalmis legitur; Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis. Et in alio loco; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.*

Alij dixere tot esse Angelos, quot sunt cunctarum rerum sensilium indiuidua.

Alij vero Angelos tantò anteire cunctas res numero, quantò immensa Cœlestia corpora circumseptis ac circumclusis elementis amplitudine præcellunt: Verùm hæc, & consimilia ad libitum prolata esse, nemo est qui ambigat.

Cabalistæ, nescio quo ficto & commentitio excogitato delusi, Trecentas Myriades, sexcenta quinquaginta nouem millia, & septuaginta duos esse Angelos tradidere: Sed hæc fabulam redolent.

Cæterum Patres conformi sententia, asseueranter, constanterq; edocent, Angelos ad infinita propemodum millia esse diffusos, & numero penè innumerabiles extare.

DIONYSIVS de cœlesti Hierarchia capite quartodecimo.

Et hoc autem dignum (vt æstimo) intellectuali cognitione, quia eloquiorum de Angelis traditio millies millia esse ait, & decem millia decies millia, secundum nos sublimissimos numerorum in seipsam reuoluens, & multiplicans, & per hos apertè signans innumerabiles cęlestium essentiarum ordinationes. Multæ enim sunt beatæ militiæ supermundalium intellectuum, infirmam, & coarctatam superantes materialium secundum nos numerorum commensurationem, & à sola gnostica diffinitæ, secundum ipsam supermundanam, & cęlesti intelligentia ditissimè ipsis infusa sanitate diuinę multæ scientiæ, sapientifica omnium simul quæ sunt superessentialiter subsistentis principij, & causæ substãtificæ, & continentis virtutis, & ambientis consummationis.

DIONYSIVS Carthusianus in explanatione capituli eiusdem, art. sexagesimo tertio.

Dan. 7. *Sic enim scriptum est à Daniele; Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei; In quibus verbis ponitur numerus determinatus, pro numero indeterminato. Etenim incomparabiliter plures sunt, quàm numerus exprimit iste; præsertim cùm vnusquisque homo hic viuens specialem habeat sanctum Angelum custodem de infimo ordine existentem. Nec dubium, quin iam actu multò plures sint homines in hoc Mundo, quàm numerus ille contineat. Ideò in libro Iob asseritur. Nunquid est numerus*

Iob. 25. *militum eius?* Et Post. *Denique vt Haymo refert, & quidam sancti Patres supernaturaliter conspexerunt, aër iste caliginosus Dæmonibus est tàm plenus, vt atomis, qui in radijs Solis cernuntur, & volitant, pręmultitudine comparentur. Non obstant, quòd tam multi Dæmonum sunt cum suo principe in Inferno, & in alijs locis diuersis, ac apud nos; præsertim cùm vnusquisque hominum Angelum malum habeat exercitatorem. Certum-*

Certumque est, quòd innumerabiliter plures Angeli persliterunt in Cælo, quàm corruerunt. Siquidem vnus chorus dicitur cecidisse, idest, tot de omnibus choris simul, quot ad vnum pertinent chorum, vel circiter.

BASILIVS de vera Virginitate.

Quid per singula pergam? ipsas Angelorum infinitas multitudines, & vnà sanctorum Patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula vbiq; consideret.

Et contra Eunomium de Spiritu Sancto libro tertio.

Verùm etiam Princeps exercitus Imperator copiarum Domini dicitur, qui Iesu Naue ad Iordanem manifestatus est. Et post. *Legiones quædam Angelorum dicuntur, Domino discipulis dicente; An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26.

GREGORIVS Nyssenus de Opificio hominis, cap. decimoseptimo.

Enimuerò quanquam inter Angelos nulla sit propagatio, quemadmodum est indicatum, tamen eorum copiæ numero quodam infinitæ sunt: sic enim suis illis in visis Daniel commemorat. Et post. *Quòd si cuius hæc in angustum redigitur intelligentia, vt ex nobis scire velit, ecquo tandem modo homines orituri fuissent, si coniugij adiumento non eguissent: eum vicissim rogabimus, quomodo Angeli sint orti, quoue pacto, cùm ad infinita propè millia sint diffusi, & vna natura, & multi esse numero possint.*

Sed hæc maxima animaduersione sunt capienda. Non enim tutum est dicere, quòd homines in Paradiso terrestri, si Adam non peccasset, sine generatione, & nuptijs prodijssent. Sed de his suo loco.

THEODORETVS Diuinorum Decretorum libro quinto, capite de Angelis.

Angelos enim non duos ab initio solos, quemadmodum homines fabricatus est; sed quotquot voluit produxit myriades. Quæ enim ab interitu aliena est natura, non eget incremento. Homines autem, qui mortale corpus sortiti sunt, mortique sunt obnoxij, necessariò egent fœmina. Et Post. *Esse autem multas Angelorum Myriades docet sacra Scriptura; Mille inquit, millia ministrabant ei, & decies mille Myriades assistebant ei.* Dan. 7.

HILARIVS Enarratione in Psalmum centesimum vigesimum nonum.

Et quanquam hæc ita se (vt dictum est) habent, tamen meminimus esse plures spirituales Virtutes, quibus Angelorum est nomen, Ecclesijs præsidentes. Sunt enim secundum Ioannem Asianis Ecclesijs Angeli; sunt & Mose testante secundum numerum Angelorum fines gentium Adæ filijs constituti; Et Domino docente; Pusillorum Angeli quotidie Deum vident. Sunt secundum Raphaelem ad Tobiam loquentem Angeli adsistentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes. Apoc 2. Deuter. 32. Matth 18. Tob. 12.

CHRYSOSTOMVS de Incomprehensibili Dei natura Homilia secunda; cùm Angelum non solùm parem, sed multo nobiliorem, præstantioremque vniuersa visibili creatura dixisset, de numero eorum hæc subnectit.

Veruntamen millia Angelorum sunt innumerabilia, mille millia Archangelorum; adde Sedes, Dominationes, Potestates, Principatus, cætus incorporeos Virtutum innumeros; denique genera cœlestia innumerabilia, quæ omnia Deus creauit tanta cum facilitate; quantam nemo valeat verbis exprimere. Satis enim illi ad omnia fuerat voluisse.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi quintadecima.

Cogita primùm, quantum sit Romanorum genus; cogita quot gentes barbarorum nunc viuentes, & quot ante centum annos mortui; cogita quot ante mille annos sepulti sunt. Cogita eos qui fuerunt ab Adam vsque ad hodiernum diem. Magna quidem hæc multitudo, sed hæc tamen parua est. Plures enim Angeli. Nonaginta nouem oues sunt illæ, tu verò centesima, quoniam vnum est tantùm humanum genus. Nam pro locorum magnitudine cogitandum est. Si hæc nostra terra est tanquam centrum in medio Cęli, & tantam habet multitudinem; quantam habebit multitudinem Cœlum, quod Terram ambit? Et Cęli Cęlorum immensam certè habent multitudinem. Scriptum est enim. Mille millia ministrabant ipsi, & decem millia myriadum assistebant ei; non quòd tanta solum esset multitudo, sed maiorem hac Propheta dicere non poterat. Dan. 7.

AENEAS Gazeus libro inscripto Theophrastus.

Atque earum, quæ sunt intelligentia præditæ, facultatum, plenum est totum Cęlum; plenus etiam æther Angelorum, atque Dæmonum; Itemque plenus aër, plena terra, plenum mare, plena denique, quæ sub terra sunt omnia. Ac quemadmodum ait quidam sapientum nostratium; adeò nihil est in rerum natura vacuum, vt ne sit etiam, quo capillum injcias: sed etsi mortalibus in decies millenos annos, hæc externis sensibus exposita vita producatur; nunquam tamen opinor, tantæ Angelorum, atque Dæmonum multitudini, humanarum animarum numerus par erit: ac quemadmodum nunc ferunt, in hac quoque vita fiet, vt hæc animarum copia omnis cesset, atque deficiat.

D. THOMAS (vt vnum saltem ex Scholasticis consulam) prima, quæstione quinquagesima prima, articulo tertio: Angelos vti immateriales omnem ma-

terialem multitudinem excedere astruit, tùm ex præallegata Dionysij auctoritate permotus, tùm ex insequenti Oratione.

Quia cùm perfectio Vniuersi sit illud, quod præcipuè Deus intendit in creatione rerum; quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in maiori excessu sunt creata à Deo: sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Videmus autem quòd corpora incorruptibilia, quæ sunt perfectiora inter corpora, excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corruptibilia; nam tota sphæra actiuorum, & passiuorum, est aliquid modicum respectu corporum Cœlestium: Vnde rationabile est, quòd substantię immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter.

Caietanus in Commentarijs de multitudine specifica id intelligendum exposuit. Sed ut quid in re tam dilucida Patres amplius consulere? Dicam ego quid sentiam; quidque ex ipsorum placitis hauserim.

AVCTOR.

Angeli non sunt infiniti numero.

Angelos finito numero, at certè ingenti, innumerabili penè, ac ordinato coarctari; & Scripturarum oraculis, & Patrum obtestationibus, atque Catholicæ Theologiæ diffinitione, patefactum nobis, ac demonstratum est. Principiò infinitæ non sunt censendæ Angelorum phalanges, eo quòd infinitum actu, vt aiunt in scholis, comperiri nequeat; at solus Deus infinitate gaudeat. Deinde quoniam summus omnium Opifex in numero, pondere, & mensura uniuersa construxit. Rursum, si Angeli stellis comparantur; vnde in Apocalypsi: Draco tertiam partem traxisse stellarum scribitur: Et Dauid de stellis prodit; Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina uocat: utì stellas, quanquam innumerabiles, attamen infinitas esse, nemo est inter eruditos, qui asserat: ita Angelos infinitate pollere, nullus profectò affirmare præsumet.

Apoc. 12. Psal. 146.

Angeli sunt penè innumeri.

Verum Angelorum millia innumerabilia propemodum esse, argumento sunt plurima. Primùm Deum Maximum, Augustum, Imperatorum Imperatorem, Mundi huius Dominatorē, Empyrei Regnatorem, pręcones in Cœlo numero innumeros habere, consentaneum est. Deinde multiplex ministerium Angelorum, ac tot tamque diuersa, quæ ipsi obeunt munera, quæ nobis, nec mente assequi, nec lingua eloqui posse conceditur: nonne illos ferè innumerabiles esse, & apertè loquuntur, & clarè demonstrant? Angeli etenim sunt præsides Mundi, Nationū ac hominum custodes, administratorij spiritus per uniuersum, uniuersorum ac singulorum fidelium tutores, & pedagogi, Ecclesię semper assistunt, largiora Dei beneficia nobis annuntiant, ac tandem humano generi auxiliantur. Quodque rationem hanc longè firmiorem reddit; qui tot tantaque præstant, in una tantùm, ac postrema Hierarchia collocantur. Quid ergo de cæteris hac una & maioribus, & amplioribus Hierarchijs dicendum, uel cogitandum est? Nonne in maximum, amplissimum, ac penè innumerabilem numerum, Angelorum cohortes redundare manifestant? Præterea, ut D. Thomas asserebat, in præstantissimis Deus ita abundauit, ut quantò perfectiora sunt, tantò in maiori excessu sint creata; qui profectò excessus in rebus materiæ obnoxijs quo ad amplitudinem; in ijs vero, quæ materiæ sunt expertes, quo ad multitudinem spectatur. Vnde & Cœlestia corpora, quia longè elementatis præstantiora sunt, longè etiam ipsis magnitudine, siue amplitudine excellunt; fons siquidem uberiori effusione in proximum lacum, quàm in remotum fluminis alueum effluit, atque descendit. Insuper nonne immensam Dei bonitatem mirificum in modum decebat, ut amplissima illius, fulgentissimaque maiestas, pluribus uallaretur radijs, in quibus fulgeret, atque coruscaret? Nonne exposcebat amplius, & id Beatitatis excelsitas, ut innumeræ eorum essent acies, qui ad summi Boni contēplatione perfruendum, atque in Regia, aulaque Dei perenniter uersandum destinabantur? Et præsertim cùm Deus ipse infinitum illud sit bonum, ad quod contemplandum, amandū, iugiterque fruendū, spiritales conditæ sunt creaturæ. Sapientissimus quippe hominum Salomon sic attestatur; In multitudine ministrorum gloria Regis: in paucitate plebis ignominia Principis. Tandem cùm Empyreum beatorum Regiam, uastissimum esse agnoscamus: nonne & ciuium classes eam incolentes innumerabiles censendæ erunt? Insuper idipsum sacra comprobat Scriptura; Iob nanque ait. Nun quid est numerus militum

Parte prima, quæst. 51.

Prouerb. 14.

Iob 25.

militum eius. Rursusq; scriptum est; Numera stellas si potes. Quocirca non defuere Theologi, qui plures esse Angelos, quàm Cęlorum stellas, Pelagi arenas, Terrarum omniumq; lapides, Arborum, Olerumq;, seu Herbarum flores, Piscium, Auiū, Animantiumq; turmas dijudicarint. Quamquam ego de prolato illo D. Dionysij nempe Angelorum phalanges omnem rerum materialium numerum superexcedere, non immeritò ambigam; num id de specifica, an de indiuiduata multitudine; atque ea num successiua, vel actuali, capiendum sit; consultiusq; fore hoc omitti, quàm temerè diffiniri existimem; quidquid censuerit Caietanus. Gen. 15.

Ordinis autem non expertes esse maximos illos, ac fortissimos Angelorum exercitus, omnes concessere; nil siquidem à Deo, qui cuncta fecit in numero, pondere, & mensura, inordinatum prosilijt. Deinde si ordo pulchritudinis ratio est, vtì nil Regia Dei pulchrius, ita nil ea ordinatius. Rursum si Mundo eum Deus immiscuit ordinem, vt cuncta per gradus in ipsum, vt in principium scandant; igitur & acies Angelicæ secundum gradus in Deum conscendunt. Sed (ut plura in vnum colligam) Angelos dispertitos esse in ordines, ac Hierarchias, ex quibus superiores illuminēt, purgent, & perficiāt eas, quæ subsunt, vniuersa sacra Theologia, duce D. Dionysio, edocet. Edocet pariter horū ordinum semina in natura, in naturæ inquam præstantia, & ingenij perspicacitate, ac voluntatis candore, atque in latitantibus ipsorum differentijs fuisse collocata: ex impertitis verò eis per gratiam donis, & gloriæ gradibus, munerumq; diuersitatibus absoluta. Tradidere id Scholasticorum principes Magister, D. Thomas, & Bonauentura; quos deinceps reliqui ferè omnes Scholastici insequuntur. Ordo est in Angelis. Lib. de Cœle. Hierarch. Lib. 2. sent. dist. 9. Ibid. q. 7. Ibid. q. 2.

De Lucifero Auctore Belli Angelici.

Num fuerit supremus Angelorum Lucifer.

Emicabat inter Angelos vti lucifer inter stellas, Angelus ille, qui celeberrimi huius, simulque nefandi belli temerarius auctor, totq; ac tantorum, quæ ex ipso consecuta sunt malorum, exitialis caussa, atque origo extitit. Verum vt pedetentim proficiscamur, indagandum nobis est; Num Lucifer fuerit omnium Angelorum eminentissimus, & Princeps: An potius terrestrium, seu postremi ordinis tantùm supremus. Patres enim, & Doctores, in has dispertiuntur sententias.

Catena Patrum, Luciferum omnium Angelorum eminentissimum fuisse, existimantium.

IGNATIVS in Epistola ad Philippenses hoc existimasse visus est, cùm inquit. *Tu ergo, qui tanquam fulgur de sublimi gloria cecidisti, audes dicere Domino, Mitte te deorsum?* De sublimi gloria, hoc est de sublimi loco gloriæ, seu eminentiori sede, in qua Lucifer super omnes Angelos considebat. Matth. 4.

DIONYSIVS libro de Diuinis nominibus, capite secundo. *Ipsa Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati non cognita.* Hoc loco Dionysius, per antiquissimorum Angelorum primatem, intelligit præcipuum illum spiritum Angelicum auersum à Deo, & defectionis reliquorum Angelorum principem, qui primatum excellentissimum inter Angelos tenuerat, vt dicit eiusdem libri Scholion.

TERTVLLIANVS aduersus Marcionem libro secundo, elucidans illa Ezechielis verba. Tu signaculum similitudinis, & corona decoris; habet hoc. *Vt eminentissimo Angelorum, vt Archangelo, vt sapientissimo omnium dictum est.* Ezech. 28.

METHODIVS Cyrus Episcopus Patharensis, & Martyr, qui circa annum ducentesimum quinquagesimumquintum floruisse perhibetur libro de Rebus, quæ ab initio Mundi contigerunt, his Luciferum cunctis Angelis excelsiorē nūcupat. *Cùm autem Lucifer inter omnes Angelos esset excelsior à Deo creatus, ac speciosissimus, vt de eo scribatur Ezechielis trigesimo primo; Omne lignum Paradisi non est assimilatum pulchritudini eius, quoniam speciosum eum fecit: Etiam inter stantes Angelos, nec fuit eo dignior.*

GREGORIVS Nazianzenus sexto carmine de Substantijs mente præditis, primam eum appellat.

Quocirca primus male sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quòd frueretur honore,
Sperabat regale Dei soliumq́; , decusque)
Corruit amisso vilis splendore, miserque:

Et in Iambico decimoquinto.

Natura simplex Angelus primus satus.
Qui deuiarunt a bono, quid? Dæmones,
Princeps & horum Lucifer, qui quondam erat
Inuentor atræ, præsul & caliginis.

CHRYSOSTOMVS clariùs id expressit Homilia de Adam, & Eua.

Isa. 14. *Angelos ergo fecit in spiritu sine carne, præceptum dedit eis nullum; vnus Angelus primus, qui Sathabel dictus est, malignam, & nefariam præsumptionem assumens dixit: Pono sedem meam in Aquilonem, & ero similis altissimo. Et ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, vt Angelus primus præcipitatus de culmine Angelico Diabolus nominaretur: Ecce sine præcepto cecidit irreparabiliter, vt consequentes sibi hodie hodieq́; occidat.*

Et Homilia de Lapsu primi hominis.

Psal. 103. *Fecit ergo Deus Angelos miro & ineffabili modo, dicente Propheta: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Factis ergo Angelis præceptum eis nullum dedit. In quibus Angelis Sathabel Angelus principatum tenebat. Hic ex defectu boni, fecit initium mali, quia malum Deus non fecit.*
Isa. 14. *Ergo quando ei obortum est, vt diceret. Pono sedem meam in Aquilone, & similis ero altissimo; recessit à bono, vt faceret (vt dixi) initium mali.*

TATIANVS Diui Iustini sectator, qui & quandiu à latere eius nō discessit, non aspernanda scripsit volumina; à Diuo Hieronymo in catalogo Ecclesiasticorum scriptorum recensitus, in Oratione contra Græcos, Luciferum primogenitum appellat.

Angelus autem ille primogenitus in Dæmonem mutatur, & alij phantasmata eius sicuti Dæmonum exercitui deputantur, & propter arbitrij libertatem stultitiæ suæ permittuntur.

CYRILLVS in Isaiam libro secundo, capite decimoquarto, Luciferum Angelorum insignem, & superis Potestatibus spectabilem cùm prodat, principem, superexcelsioremq́; sedem illi ascribere videtur.

Erat enim, inquit, quod ad gloriam attinet, insignis inter Angelos, & superis Potestatibus spectabilis, & sanè velut inter astra Lucifer.

D. HIERONYMVS Commentarijs in Psalmum vigesimum tertium, in illud. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ, hæc habet.

Virtutum dicit, quia Diabolus nouem ordines Angelorum sub sua habuit dominatione, siue bonos, siue malos.

Et aduersus Iouinianum libro secundo.

Luc. 10. *Videbam Sathanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem. Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non posset?*

Sed clariùs in Iob, capite quadragesimo.

Ezech. 28. *Ipse principium est viarum domini. Nam in Ezechiele Propheta in capite lapidum ignitorum refertur, quòd primus fuerit omnium Angelorum, & corona in manu domini. Et post. Proinde hic Behemoth, principium viarum Dei dicitur, eo quòd primus factus, Dei sui cognitionem, à quo conditus est, accepit.*

CYRILLVS Hierosolimitanus Cathechesi secunda, Archangelum illum vocat, cùm ait.

Archangelus enim cùm esset bonus, Diabolus postea, seu calumniator à calumniando dictus est.

GREGORIVS Magnus accurata oratione pulchrè adeò colligit Luciferum fuisse principem, eiusq́; prærogatiuas, vt non omittere possim, quæ ipse diuersis in locis de hoc tradit. Nam libro nono Moralium, capite secundo, sanctissimus hic Pater Luciferum summum spiritum, & ad culmen ascitum appellat, dum ait.

Summus ille Angelicus spiritus, qui subiectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsus patitur, quia per naturæ suæ inquietudinem foris vagatur.

Iob. 40. Et libro trigesimo secundo, capite decimo octauo, exponens illud dictum Iob; Ipse est principium viarum Dei, dicit.

Principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum, cùm cuncta creans Deus ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.

Vbi

Vbi sentit Angelum lapsum, qui nomine Behemoth ibidem exprimitur, fuisse Cœlestium spirituum præstantissimum, supremique ordinis excellentissimum. Ad quod itidem comprobandum eodem loco adducit illud Ezechielis; Omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi, nec pulchritudini eius, quoniam speciosum fecit eum, & multis, condensisque frondibus. Per ligna enim Paradisi, Angelicorum spirituum agmina intelligit, vnde ipse addit. Ezech.31.

Quæ quamuis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt, nec æquata.

Rursum & de ipso Angelo profert illud itidem Ezechielis; Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & decore. Subijcitque hic sanctissimus Doctor. Ezech.28.

Licet homo ad similitudinem Dei creatus sit; Angelo tamen quasi maius aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit; vt quò subtilior est in natura, eò in illo plenitudo Dei pleniùs credatur expressa.

Subiungitque illa pariter Ezechielis verba: Omnis lapis operimentum tuum, Sardius, Topatius, Iaspis, Chrisolytus, Onyx, Berillus, Saphirus, Carbunculus, & Smaragdus. Quæ Gregorius ipse prænominato in loco exponens inquit. Ibidem.

Nouem dixit genera lapidum, quia nimirum nouem sunt ordines Angelorum. Quibus tamen Behemoth iste opertus fuisse describitur; quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.

Demum concludit Gregorius.

Huius principatus celsitudinem adhuc idem Propheta intuens, adiungit; Tu Cherub extentus, & protegens in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti. Cherub quippè, plenitudo scientiæ interpretatur; & idcircò iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur. Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulauit; quia inter Angelorum corda igne succensa, clarus gloria conditionis extitit. Quem bene extentum, ac protegentem dicit; omne enim, quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatione claritatis suæ, cæterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extentus, & protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim, quasi obumbrando, operuit; qui eorum magnitudinem excellentia maiore transcendit. Ezech. 28.

ANTONINVS Episcopus Constantiniensis epistola ad Archadium, Dæmonem Archangelum, hoc est primum Angelorum, his nuncupat.

Ipse tecum Archangelus, qui cecidit, dimicat: ipse tecum luctatur; sed tecum est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

ISIDORVS de summo Bono libro primo, capite duodecimo.

Ante omnem creaturam Mundi creati sunt Angeli, & ante omnem creationem Angelorum, Diabolus conditus est, sicut scriptum est. Ipse est principium viarum Dei; vnde & ad comparationem Angelorum Archangelus appellatus est. Prius enim creatus extitit ordinis prælatione, non temporis quantitate. Primatum habuisse inter Angelos Diabolus excellentia prælationis, ex qua fiducia cecidit, ita vt sine reparatione laberetur. Cuius prælationis excellentiam Propheta his verbis annunciat: Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, Abietes non adæquauerunt summitatem eius: omne lignum Paradisi non est assimilatum illi, quoniam speciosiorem fecit eum Deus. Iob 40. Ezech.31.

HVGO Summæ Sententiarum, capite quarto, tractatu secundo.

Inter eos qui ceciderunt, vnus fuit excellentior omnibus alijs, & non solum illis, qui ceciderunt, sed & alijs omnibus eum fuisse excellentiorem videntur auctores velle, quemadmodum Iob dixit: Ipse est principium viarum Dei. Et in Ezechiele: Tu signaculum similitudinis, plenus scientia, & decore, in delitijs Paradisi Dei fuisti. Iob 40. Ezech. 28.

HONORIVS Augustudunensis præsbyter in Sermone de Sancto Michaele.

Iusti, qui in amore Dei feruentes alios in dilectione accendere anhelant, reuera in altitudinem ordinis Seraphim meant. Porrò, vt Lucifer rutilat inter astra, sic primus Angelus fulsit inter ista agmina. Qui mox, vt his despectis, Deo æqualis esse voluit, à summa gloria in ima barathri corruit.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione nona.

Lucifer qui fuit de collegio superiorum, ipsis etiam dignior extitit, qui alijs excellentiores creati fuerant. Ex quo percipitur, quòd si perstitisset, in ordine superiori fuisset, & alijs eiusdem ordinis dignior extitisset.

D. Thomas hanc sententiã, vt probabiliorem commendat. Magis enim considerandа (ait) est ratio, quæ sumitur à motiuo ad peccandum, qua euincitur, quòd Angeli, qui deliquerunt, superiores, principesque fuerint, cùm propria excellentia eis delinquendi occasio extiterit: quàm ea, quæ ex pronitate peccandi excerpitur, qua Angelos desertores ex infimo fuisse ordine argui potest. P. p.q.63. artic.7.

Senten-

Fundamenta huius sententiæ. Sententiam hanc mirificè muniunt tùm auctoritates, tùm rationes conspicuæ non modici momenti. Primùm apud Esaiam de eo, qui prior defectionem suscitauit, scriptum est: Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Vti Lucifer igitur inter stellas præstantior est; ita & Sathan inter Angelos eminentiorem fuisse censendum est. Isa. 14. Ezech. 28. Amplius de eo per Ezechielem dicitur: Tu signaculum similitudinis; quasi cæteri Angeli ad similitudinem Dei effecti fuerint: ille verò signaculum, hoc est, summa similitudinis extiterit: Plenus sapientia, perfectus decore; quasi cæteri non adeò essent sapientia decorati; donisque licet amplissimis alij fuissent referti: ille tamen super cæteros eminentius ipsis esset locupletatus: Cherub extentus; quasi reliquos protegens: Lapides operimentum eius; quasi ipse inter cæteros, in medio vt Princeps consideret. Hæc enim ita interpretati sunt Gregorius loco asserto, & Cyrillus in Ioannem: Magister secundo, Lib. 6. in Ioã. cap. 6. distinctione sexta: Hugo Summæ Sententiarum tractatu secundo, capite secũdo. Adest etiam & illud Ezechielis: Cedri non fuerunt altiores eo in Paradiso Dei; abietes non Ezec 31. adæquauerunt summitatem eius. Præterea id maximè rationi est consonum. Quo enim animi ausu omnibus præesse, nulli subesse, Dei sibi arripere maiestatem, cupere vnquam præsumpsisset, ni fulgida pulchritudine, & eminentia, reliquos omnes antecessisset? Nam si cæteris non antestetisset Angelis, nec super eos se extollere, nec Dei augustissimam maiestatem appetere, nisi forsan summa amentia, ac profectò in luce cæcutiens quiuisset. Deinde si infimum sortitus fuisset locum, tam numerosam Angelorum multitudinem secum in præceps trahere nequaquam valuisset: neque enim superiores adeò facilè in suam induxisset sententiam: & tamen ex quocunque ordine Angelos cecidisse, Doctores scholastici ferè omnes conformi assertione diffiniunt. Amplius singulare ex hoc elicitur Diuinæ iustitiæ monumẽtum: si enim Deus excellentissimo Cœlestium spirituum peccanti non pepercit; sed à beatissimis sedibus extorrẽ perpetuò damnauit supplicio, exilioque mulctauit perenni: quid non pœnarum & cruciatuum nobis, qui terra sumus, & cinis, si animo in Deum insolescere audebimus, nec citò, atque ex corde resipuerimus, ab eamet Dei omnipotentis nunquam corrupta iustitia iustè metuendum, formidandum, ac penitus expauescendum.

Classis Patrum, & Doctorum, Luciferum Terrestris ordinis tantùm Principem fuisse tradentium.

Lib. 8. c. 14. & lib. 6. 9. c. 8. Platonici, præcipuè Apuleius, vt refert D. Augustinus in libris de Ciuitate Dei, duplicem substantiarum intellectualium classem fecere: alteram earum, quas Deos nominarunt, quæ supra lunarem globum degunt: alteram earum, quas Dæmones appellarunt; & alios bonos, alios malos dixere; hos inquam, qui infra lunæ orbem uersantur, hominibusque naturæ ordine antecellunt.

RVFINVS Præsbyter Expositione in Symbolum Apostolorum idipsum sensisse visus est.

Ab initio Deus, cùm fecisset Mundum, præfecit ei, & præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur, & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyses indicat in Deuteronomij cantico vbi dicit. Cùm diuideret excelsus gentes, statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei; Deuter. 32. *Sed horum nonnulli sicut & ipse, qui princeps appellatus est Mundi, datam sibi à Deo potestatem, non iis, quibus acceperant legibus obtemperarunt, nec humanum genus diuinis obedire præceptis, sed suis parere prævaricationibus docuerunt.*

EPIPHANIVS contra Hæreses libro secundo, tomi primi.

Hoc enim erat Angelorum constitutio, quòd facti sunt à Deo ob prouidentiam eorum, quæ ab ipso constructa sunt; quo vniuersalem quidem, ac perfectam prouidentiam vniuersorum Deus haberet, & auctoritas, ac imperium omnium ex ipso penderet, & Vniuersum velut nauigium sapientiæ gubernaculo citra inclinationem dirigeret; particularem verò Angeli ad hoc ordinati haberent. Cæterum reliqui in his, ob quæ fecit, ac constituit ipsos Deus, manserunt. Hic verò violauit, & prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit. Quemadmodum, & qui postea carnes amauerunt, & cum filiabus hominum ob concubitus amorem conuersati sunt.

PAVLINVS Episcopus Nolanus, qui circa annum quadringentesimum floruit, Epistola ad Seuerum quarta, cùm Dæmonem vnum principem Angelorum appellet,

appellet, non supremum omnium ipsum extasse, censere videtur; namque ait.

Vnus enim principum Angelorum fuit, antequam deijciendo cadens fieret Zabolus, cui dicitur; Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur. Esa. 14.

AVGVSTINVS quoque Vndecimo de Genesi ad literam, capite decimoseptimo, hanc Angelorũ Cœlestium, & terrestrium duplicem classem memorat, nec reijcit, cùm ait.

Senserunt quidam, non fuisse Diabolum in illa sublimi natura Angelorum, quæ supercœlestis est, sed in eorum, qui aliquando inferius in Mundo facti sunt, & per sua officia distributi.

At decimonono eam non approbare videtur, cùm inquit.

Sed asserant hæc duo genera bonorum Angelorum qui potuerint, vnum supercœlestium, in quibus nunquã fuit, qui cadendo Diabolus factus est: alterum autem mundanorum, in quibus fuit; mihi autem fateor, vnde hoc secundum Scripturas asseram, non interim occurrit.

Et tandem vigesimo sexto eam repudiare visus est.

THEODORETVS Diuinorum Decretorum libro quinto, ex Paulo id excipi posse his tradit.

Ad Ephesios autem scribens Diuus Paulus declarauit, quòd antequam ad id, quod est deterius, esset conuersus, erat ei credita aëris administratio; Secundum principem, inquit, potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Ephes. 2.

DAMASCENVS libro secundo, capite quarto, idipsum detulit.

Ex ijs Angelicis virtutibus, ea quæ præerat terrestri ordini, & cui à Deo terræ custodia commissa erat, non natura mala facta est, sed bona existens, & à bono facta, & nullo pacto in seipsa à Conditore malitiæ vestigium tenens; non ferens illuminationem, & honorem, quem ipsi Conditor indulserat, libera voluntatis potestate, demutata est ex eo statu, qui secundum naturam, in eum qui contra, & præter naturam est.

D. THOMAS loco asserto, hanc non refutat sententiam.

Nec est abijcienda hæc opinio tanquam à fide aliena, quia tota creatura corporalis administratur à Deo per Angelos, vt Augustinus dicit tertio de trinitate. Vnde nihil prohibet dicere, inferiores Angelos diuinitus distributos esse ad administrandum inferiora corpora, superiores verò ad administrandum corpora superiora, supremus uerò ad assistendum Deo. P. par. qu. 63. art. 7.

Munirique potest hæc sententia. Primùm quòd Angelus præuaricator Cherub ab Ezechiele nuncupetur. Cherubin autem in supremo ordine non collocari, clarissimũ est. Deinde, nonne præstantissimam, supremam, omniumq; nobilissimam creaturam, frustra ferè & incassum diuina Sapientia creasse videretur? Idq; quantum Dei Sapientiã dedeceat, nemo tam desipit, quin hoc ipsum sapiat. Tandem ipsum primum, ac principem Angelorum omnibus præesse, si iam præerat, affectasse, atq; altiora, si iam primum sibi locum vendicarat, appetijsse; veritati ipsi manifestè refragari existimatur. Sententiæ istius fundamenta. Ezech. c. 28.

AVCTOR.

Pro huius disceptationis diffinitione, non multum insudandum esse arbitror. Primò enim in loco neutram sententiam repudiandam esse; verisimiliorem tamen primã existimo pluribus de causis. Primùm diuisionem illam Angelorum in Angelos cœlestes, & terrestres; Platonicam potius doctrinã, quàm Theologicam redolere censeo. Nostra siquidem Theologia Angelos omnes Cœlestes esse, atq; in tres Hierarchias, ac nouem ordines, distributos edocet. Quorum tres primos in Dei tantummodo contemplatione quiescere, cœteros sex in ministerium mitti perhibet; vel saltem quinque postremos, vt Diuus Thomas edisserit. Sed quicquid sit, certè, & omnes Angelos cõsimul in Empyreo conditos, & ante perduellium lapsum istam Angelorum discretionẽ, qua alij Deo semper assisterent, alij in ministerium ascriberentur, effectam non fuisse, sed post, clarissimum est: Deciderunt enim vix conditi, secunda, seu tertia in morula (vt aiunt in scholis) Chaos quidem producto; at nondum perfecto, ac venustato Mũdo, necdum homine formato, nec dum Angelis ad ministeria vlla destinatis. Idq; potissimum mihi persuadent duæ iam adductæ, & quidem firmæ ac potentissimę probationes: nempe, quòd Angelus si supremus non fuisset, nec facile Deo æquari, cæterisq; præferri concupiuisset: neque ex cunctis ordinibus Angelos tunc excidisse existimandum esset; quod attamen constanter Theologi omnes tradunt. Cæterum quod diuina Sapientia supremæ omnium creaturæ molitionem frustra patrasse videatur, non est mirum,

Prima sententia ut probabilior præfertur.

Par p. q. 112. art. 4.

Diluuntur rationes alterius sententię.

mirum, siquidem & in primæuo homine defectionem inobedientiæ pertulit: nec dicendum, Luciferum ipsum nil sublimius, quod appeteret, tunc habere potuisse; cũ non tantùm cæteris præesse, sed nulli etiam subesse, Deumq; existimari concupierit. Quæ cuncta profectò ipsi, etiam vt supremo, minimè competebant. Tandem quòd Cherub, non autem Seraph nuncupatus sit, mirandum non est; nondum enim fuerant Angeli in ordines, nisi fortè in præseminata dispositione, coniecti. Cherub autem præcipuè est appellatus, & non Seraph; quoniam ex naturæ suæ præstantia maxima pollebat scientia, nulla autem adhuc exardescebat charitate.

De Caussa defectionis præsumpta à Lucifero.

Emicabat igitur, vt dicebamus, inter cæteros Angelos, princeps omnium Lucifer, maiore intellectus perspicacitate, volũtate in bonum propensiore, præ cunctis ditatus; cùm repente (proh dolor) nescio quid ipsum perturbans atque peruertens, illum, vt a Deo deficeret, cæterosq; secum ad defectionem solicitaret, atque abduceret, permouit, impulit, pertraxit. Quid vero id fuerit, vel quidnam affectarit, seu quid ægrè tulerit, adeò vt apostata sit redditus, non satis est perspectum; neque vniformi consensione definitum. Plurimas siquidem comperio apud Patres, & Doctores huic defectioni ascriptas caussas. Primùm oracula scripturarum Luciferum Dei similitudinem
Isa. 14. peroptasse, impieq; concupijsse produnt. Quomodo cecidisti de Cęlo Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo in Cęlum conscendam, & super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo. Hoc quanquam D. Hieronymus ad literam de Babylonis Rege interpretetur; Gregorius attamen Nazianzenus, Oratione de pace; D. Ephrem in Sermone ad euersionem Superbiæ; Augustinus de Gen. ad literam vndecimo, capite vigesimo quarto; Theodoretus libro quinto Diuinorum Decretorũ, Ioannes Cassianus Collatione octaua, capite octauo, & capite vigesimoquinto, & alij,
Ezech. 28. de Diabolo id exponunt. Præterea in Ezechiele pariter hæc leguntur; Eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi in corde maris, & dedisti cor tuum quasi cor Dei. Quæ passim omnes Patres de Diabolo dicta allegoricè asseuerant. Quænam igitur fuerit hæc Dei similitudo, quam Lucifer concupiuit, non vna est sententia: cùm alij æquiparantiam; alij similitudinem Dei, ipsum appetijsse velint, atque decernant.

Quòd Dei æquiparantiam, & primùm quòd fieri Deum.

Cùm æquiparantia Dei, quam Lucifer concupijsse perhibetur, triplex esse potuerit; vel quòd exoptarit fieri Deum, vel Deo parẽ, aut existimari Deum: Non defuere, qui dixerunt, Luciferum optasse fieri Deum: adeoq; turgidè se extulisse, & tantis offusum tenebris cæcutisse, vt ex Angelo Deum euadere concupierit, in Deiq; naturam transire posse sibiipsi persuaserit.

GREGORIVS Nazianzenus Carmine sexto de Substantijs mente præditis.

Quocirca primus malè sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quòd frueretur honore,
Sperabat regale Dei soliumq; , decusque)
Corruit amisso vilis splendore, miserque:
Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus
Obrutus est, leuis atque licet prostatus ad ima.

Quòd fieri vt Deus.

Alij saniori sententia maluerè Luciferum eam æquiparantiam exoptasse, qua efficeretur non quidem Deus: sed ut Deus, hoc est alter Deus; Deo optimo maximo compar,
Par. p. q. 63. infinitus, immensus, omnium moderator, atque beatitudinis impertitor. Verùm hæ
Reiciuntur prædictę sententiæ. duæ sententiæ, mox à seipsis diluuntur, atque vt D. Thomas egregiè euincit, nequiuit Lucifer ità turgidè suam mentem efferre; Tùm quia id appetijsset, quod profectò ex ea qua

qua præditus erat, insita scientia, impossibile fore agnouisset: nec habitus prauus, seu passio vlla æstuans, eo in statu excellentem ipsius intelligendi virtutem fascinare adeo, obumbrareque poterat; vt in tantam sese vesaniam, seu dementiam præcipitaret: Tùm quoniam naturali appetitu, etiam malè affecto, nullus id vnquam concupiscat, quod sui est deletio, atque exitium; quamuis in sublimiorem naturam transmutaretur; Tùm denique, quia vt D. Bonauentura edocuit, nunquam id cadat in appetitu, quod prius non fulserit in intellectu; existimare perinde fieri Deus, vel vt Deus, in intellectu Angelico, qui perspicacissimus erat, nisi ex effictione cadere non poterat: si igitur id optasset, suam effictionem, quasi amens, & inscius tantùm concupiuisset.

Quòd existimari, vt Deus.

Cogitarunt alij verisimiliori assertione, appetijsse Luciferum non deitatem; sed existimari à cæteris Angelis, vt Deus, persuasisseque sibi, id fortè se consecuturum.

CYRILLVS in Esaiam libro secundo, capite quartodecimo, eleganter Luciferi tumorem, quo Deo æquiparari affectauit, reserat, cùm ait.

Erat enim, quod ad gloriam attinet, insignis inter Angelos, & superis Potestatibus spectabilis, & sanè veluti inter astra Lucifer. Cecidit, & comminutus est, tumida, & turgida cogitans, & honorem, ac gloriam summæ soli naturæ congruentem rapere cupiens, quantum molimine, & vi, & animo poterat.

THEODORETVS in Ezechielem sectione vndecima.

Diabolus in illam insaniam lapsus est, & rabie percitus Deum seipsum appellauit, hominibusque, vt diuinum sibi cultum adhiberent, persuasit.

Huic sententiæ fauere videntur sacræ Scripturæ oracula; siquidem in Ezechiele scriptum est; Eo quòd est eleuatum cor tuum, & dixisti; Ego sum Deus. Et rursum. Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis; meus est fluuius, & ego feci memetipsum. Ex quibus apparet, quòd cæteris Angelis persuadere contenderit, minimè se vt creaturam effluxisse. Et apud Ioannem mendax dicitur ab initio; quale autem mendacium ab initio fuit, nisi quòd mendaciter se Deum appellarit, existimarique concupierit? Esaias quoque Luciferum ipsum alloquens ait. Qui dicebas in corde tuo; In Cœlum conscendam; hoc est, in Dei ipsius gloriam, & censebor ut Deus. Quæ certè omnia Deum existimari, concupiuisse Luciferum demonstrant. Tandem, & Michael qui in Luciferum quasi Princeps consurrexit, ideo Michael nuncupatus est, quòd ea in defectione exclamarit; Quis vt Deus? quasi Lucifero improperans, quòd pro Deo existimari affectasset. Nec mirum est Luciferum in eam extumuisse insaniã: Nam vt rectè Augustinus obtestatur, cæca ambitio semper præsumit, plusquam possit. Munitur demum, & maximè hæc sententia, ex eo quòd post lapsum nil magis Lucifer contendere in hoc Mundo videatur, quàm vt diuinum cultum sibi præripiat; Deusque à mortalibus habeatur.

Ezech. 28. Sententiæ huius fundamenta.

Ioan. 8.

Isa. 14.

Quòd Dei similitudinem in Maiestate potentiæ.

Sensere quinetiam quamplures ex illustrioribus tùm Patribus, tùm Scholasticis, Luciferum Dei æquiparantiam, & similitudinem in potentiæ Maiestate peroptasse, qua propria auctoritate, nullisque ad id ferentibus meritis, cunctis præesse, & nulli subesse agnosceretur.

GREGORIVS Magnus Moralium libro trigesimo quarto; capite decimoseptimo.

Sic fuerat Diabolus conditus, quatenus timore læto auctorem suum, & amans metueret, & metuens amaret: sed sua peruersitate talis factus est, vt nullum timeret; Ei quippe, à quo conditus fuerat, subesse despexit. Ita enim Deus super omnia est, vt ipse sub nullo sit. Leuiathan verò iste eius celsitudinis culmen aspiciens, ius peruersæ libertatis appetijt, vt & præesset cæteris, & nulli subesset: dicens. Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Cuius eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbè similis in celsitudine concupiuit. Qui enim charitatem eius imitari debuit, subditus ambijt eius celsitudinem, & hoc quod imitari poterat, amisit elatus. Celsus nimirum esset, si ei, qui veraciter celsus est, inhærere voluisset. Celsus esset, si participatione veræ celsitudinis contentus fuisset; sed dum priuatam celsitudinem superbè appetijt, iure perdidit participatam. Relicto enim eo, cui debuit inhærere principio, suum sibi appetijt quodammodo esse principium.

Isa. 14.

pium. Relicto eo, qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit; & tantò magis infra se cecidit, quantò magis se contra gloriam sui conditoris erexit.

AVGVSTINVS quartodecimo de Ciuitate Dei, capite vndecimo.

Postea verò quàm superbus ille Angelus, ac per hoc inuidus, per eandem superbiã à Deo ad semetipsum conuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens, de spiritali Paradiso cecidit, &c.

EVCHERIVS in primum caput Geneseos, de Angelis sermonem habens, hæc quoque interserit verba.

Si natura incommutabiles essent, Diabolus vtique non cecidisset. Commutabilitati nanque naturæ in eis, suffragatur contemplatio Creatoris. Inde priuatus est apostata Angelus, dum fortitudinem suam non à Deo, sed à se voluit constare.

ALBERTVS Magnus de quatuor coæqueuis, quæstione decima, articulo quarto, id asseruisse visus est, cùm dixit.

Dicimus consentiendo sanctis supra inductis, quòd Diabolus nihil appetijt, nisi beatitudinem, ad quam peruenisset, si stetisset. Sed in beatitudine tria sunt, vt dictum est, scilicet perfecta potestas, & perfecta scientia, & perfecta bonitas. Et appetibile Angeli fuit beatitudo secundum perfectionem potestatis, non considerata scientia, & bonitate; Appetibile autem primi hominis fuit beatitudo secundum perfectionem scientiæ, non considerata potestate, & bonitate. Et appetibile Antichristi erit beatitudo secundum perfectionem, non considerata potestate, & scientia. Quod qualiter verum sit, sic potest intelligi. Ad perfectionem potestatis tria exiguntur, scilicet, vt à se, non ab alio habeatur; & vt habeatur statim, & non proficiscatur ad eam per meritum; & vt in subiectis per potestatem alterius resistentiam non inueniat.

D. BONAVENTVRA clariùs id explicauit secundo Sententiarũ, distinctione quinta, articulo primo, quæstione secunda.

Notandum est igitur, quòd Diabolus quodammodo appetijt similitudinem imitationis, quodammodo æqualitatis: & hoc apparet, si attendatur appetibile, & modus appetendi. Diabolus enim appetijt alijs præesse, sua tamen auctoritate. Quòd appetijt præesse, hoc fuit imitationis; & hoc quidem aliquando obtinuisset, si stetisset: quòd autem propria auctoritate, ita quòd sine meritis, & sine datore, ita quòd nulli subesset; hoc est solius Dei, & hoc est æquiparantiæ: & ita patet quid appetijt; & patent multæ auctoritates sanctorum: Quia Gregorius dicit, quòd appetijt esse sui iuris, ita quòd nulli subesset: Anselmus, quòd appetijt præesse sine meritis; & omnes verum dicunt, & diuersæ auctoritates circumloquuntur hoc, quod est præesse omnibus propria auctoritate.

P.p.q. 63. artic. 3. Verùm sententiam hanc elidit D. Thomas loco asserto, ea ratione: quia si Angelus Deo non subesse affectasset, suam ferè deletionem, atque interitum concupijsset, cùm nulla creatura absque eo, quòd Deo subsit, valeat vlla ratione consistere. Et in Scriptis in secundum Sententiarum superaddit, quòd totum bonum Angeli est in hoc, quòd Deo subest, sicut tota claritas aëris est in hoc, quòd subijcitur radijs Solis. (In scrip. 2. distin. 5. q. 2.)

Quòd similitudinem Dei in amplitudine sapientiæ.

CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia decima septima.

Sicut igitur Diabolus, qui per te operatus, & te vt instrumento vsus est, è Cœlis deorsum depulsus est, quia plus quàm dignitatis suæ erat, sapere volebat.

Ex his fortasse ansam alij susceperunt, vt autumarent Luciferum Dei similitudinem in scientiæ præeminentia peroptasse.

HIERONYMVS etiam visus est sensisse, amplitudinem Dei, seu similitudinem, quam desiderauit Lucifer, non tantùm secundum potentiæ maiestatem, sed magis secundum scientiæ excelsitudinem extasse. Idque libro nono in Ezechielem capite vigesimo octauo patefecit, dicens. (Lib. 9. comment. in Ezechi. prophe.)

Dum enim multa conquirit, & non est contentus scientia, quam acceperat, nec potestate, cui præpositus erat, repleuit cellaria, & interiora pectoris sui; vt saturatus, & incrassatus calcitraret contra Creatorem suum. Et post. Et idcirco corrupta est doctrina tua cum decore tuo, siue perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, vt dum plus vis esse quàm conditus es, & magis sapere, quàm à Deo acceperas; etiam id perderes, quod habebas, & pro pulchritudine, atque doctrina, deformitas te, atque stultitia possideret.

Quod attamen paucis placuisse comperio.

Quòd omnipotentiam Patris, Sapientiam Filij, Bonitatem Spiritus Sancti.

PETRVS Abbas Cellensis libro de Panibus, capite primo.

Si quomodo sic sedeant tres sine gradum distinctione, & sine honoris variatione, sine loci distensione, vel dimensione, nullo modo apprehendas; noli mirari, quia nec vertex carmeli (idest scientia Angeli) hoc comprehendit: Deum enim nemo vidit vnquam. Idcirco abstinet, & superponit digitum ori suo, neque manum conferens mensæ, neque os aperiens negatæ diuinitati, vt velit eam deglutire. Vidit nanque consortem naturæ suæ Luciferum aliquando gulam desiderij ad hanc mensam extendisse, & non exinde diuinitatem, sed mortem degustasse. Vidit manum in lateribus Aquilonis porrexisse, & statim glacie Aquilonari riguisse, seu gehennalibus flammis exaruisse. Fortè omnipotentiam Patris, fortè sapientiam Filij, fortè bonitatem Spiritus Sancti fera illa bestia voluit deuorare; hæc enim sunt fercula mensæ Dei, quæ soli Regi sæculorum immortali, inuisibili debentur in sæcula sæculorum. Hæc de mensa Dei, cui non communicat alienus natura, conditione, sorte, sed sola Trinitas singulariter, perenniter, inuisibiliter gloriatur. Ioan. 1.

Quòd beatitudinem eam, quam naturæ vi.ibus nancisci poterat, spreta supernaturali selegerit.

D. THOMAS loco asserto.

In hoc appetijt Lucifer esse similis Deo, quia appetijt, vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtutis suæ natura poterat peruenire, auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei.

Quasi in hoc consistat Dei similitudo, quam concupiuit Lucifer, nempe vt naturæ suæ præclara eminentia perfici, beatificariq; optarit; spreta, contemptaq; beatitudine ea supernaturali, qua ad gloriam promouendus foret.

Quòd supernaturalem beatitudinem concupierit, virtute sua, & sine merito comparare, eamq; à se in inferiora difflui optarit.

D. THOMAS eodem loco hanc alteram deprompsit sententiam, cum ait.

Si appetijt Lucifer, vt vltimum finem, illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex diuino auxilio secundum Dei dispositionem.

Sed vberiùs in Scriptis libro secundo, distinctione quinta, quæstione secunda.

Dicendum, quòd non appetijt æqualitatem simpliciter, quantum ad substantiam desiderati, vt scilicet vellet tantam bonitatem habere, quantam Deus habet: sed tamen appetijt æqualitatem secundum quid, scilicet, quantum ad modum habendi; bonitas autem, siue beatitudo est in Deo, quam habet per suam naturam, & à qua omnis creaturæ beatitudo, & bonitas transfunditur: videns ergo Angelus dignitatem naturæ suæ, qua creaturis cæteris præeminebat, voluit à se beatitudinem, & bonitatem in omnia inferiora deriuari: voluit etiam per sua naturalia in perfectionem beatitudinis peruenire. Et ideo dicitur, quòd sine merito habere voluit hoc, quod meritis habiturus esset, si perstitisset. Nec etiam quantum ad modum habendi, simpliciter Deo æquiparari voluit; non enim voluit à se beatitudinem habere, nec esse primum in alios transfundens, sed à Deo, & sub Deo, secundum quòd ipse in omni natura operatur.

Thomistarum plures his blandiuntur assertionibus à D. Thoma excitatis.

Quòd sua dignitate delectatus Deum Creatorem contempserit.

D. AVGVSTINVS caussam, quòd transfuga Angelus Deo non adhæserit, nullam aliam in suis disseminauit lucubrationibus, nisi quòd propriæ dignitatis fastu, & excellentia delectatus, impudentissimèq; intumescens, ad laudem Creatoris non insurrexerit. Duas enim declarans cognitiones in Angelo; matutinam, qua in Deo; & vespertinã, qua in propria earum natura res percipiebat: Angelum desertorẽ ad matutinam non peruenisse autumat, eo quòd in vespertina moratus, seipsoq; delectatus, ad mane laudis Creatoris, & rerum fiendarum præuisionis in Verbo non conscenderit. Augustinus igitur de Gen. ad literam, libro quarto, cap. vigesimoquarto ait.

In omnibus sex diebus animaduerti potest, quia non remanet Angelica scientia in eo quod creatum est, quin hoc

hoc continuo referat ad eiusdem laudem atque claritatem, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur; in qua veritate stando dies est. Nam si vel ad seipsam natura Angelica conuerteretur, seq; amplius delectaretur, quàm illo, cuius participatione beata est, intumescens superbia caderet, sicut Diabolus; de quo suo loco loquendum est, cùm de serpente hominis seductore sermo debitus flagitabitur.

Et capite trigesimosecundo.

Mens Angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, vt præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo esse facienda, quæ facta sunt. Ac sic prius in eius fiebant cognitione, cùm Deus dicebat, vt fierent, quàm in sua propria natura. Quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognouit, minori vtique notitia, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sanè præcedebant quæ fiebant, quia præcedit cognitionem, quicquid cognosci potest. Nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest. Post hæc si eo modo sibi placeret, ut amplius seipsa quàm Creatore suo delectaretur, non fieret mane, idest, de sua cognitione in laudem Creatoris non assurgeret. Ioan. 1.

Et libro vndecimo, capite tertiodecimo.

Non enim valent intelligere, omne quod est, inquantum aliqua substantia est, & bonum esse; & nisi ab illo vero Deo, à quo omne bonum est, esse non posse: malam verò voluntatem inordinatè moueri, bona inferiora superioribus præponendo: Atque ita factum esse, vt rationalis creaturæ spiritus sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia; per quam caderet à beatitudine spiritualis paradisi, & inuidentia contabesceret.

Et capite vigesimo tertio.

Diabolus factus continuò se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriè potestatis delectatione corruptus.

Sed clariùs de Ciuitate Dei libro duodecimo, capite primo inquit.

Angelorum bonorum, & malorum, inter se contrarios appetitus, non naturis, principijsq; diuersis, cùm Deus omnium substantiarum bonus author, & conditor vtrosq; creauerit; sed voluntatibus, & cupiditatibus extitisse, dubitare phas non est: dum alij constantes in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, atque in eius æternitate, veritate, charitate persistunt. Alij sua potestate potius delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt; & habentes elationis fastum pro excelsissima æternitate; vanitatis astutiam pro certissima veritate; studia partium, pro indiuidua charitate; superbi, fallaces, inuidi effecti sunt. Beatitudinis igitur illorum causa est, adhærere Deo.

Consimilia insinuarunt Chrysostomus, Homilia de lapsu primi hominis, & Cyrillus libro sexto in Ioannem. Ex quibus claret, iuxta Augustini placita, desertorem Angelum tumidum factum dignitate, quasi Deum Creatorem paruipendisse, suaque excellentia extumuisse. Cap. 6.

Quòd indignatus sit Deo ex eo, quia conditione sua non contentus altiora munera, & maiorem dignitatem optarit.

THEODORETVS huius sententiæ assertor est libro secundo de Dijs, & Angelis, cùm dicit.

Dæmones ab initio nequaquam malos fuisse à Deo creatos perhibemus, neque qua nunc præditi sunt, sortitos naturam fuisse; sed vitio voluntatis à melioribus ad peiora præcipites corruisse; cùm enim datis sibi muneribus contenti non essent; sed altiora quoque appeterent, contraxisse labem superbiæ illos dicimus; ita vt ea quoque dignitate cassi prorsus exciderint, qua honestati ab initio fuerant.

CHRYSOSTOMVS Homilia vigesima secunda in Genesim.

Scriptura nos docet, quòd à sua dignitate exciderunt Diabolus, & qui cum eo maiorem, quàm decebat, dignitatem ambiebant.

ANASTASIVS Episcopus Nicenus, ex auctoritate Theodoreti, ferè eadem defert; Quæstionibus in Scripturam, quæstione sexagesimaprima.

Iis non contentos Dæmones, quæ præbuerat Creator, maiora quidem appetijsse dicimus.

FVLGENTIVS ad Monimum libro primo.

Superbia tunc initium sumpsit, cùm Angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam, quæ radix est omnium malorum, volens vsurpare quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset; sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam, licet expleuere nequiuerit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi iam factus est pena, vt suppliciũ semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua.

Quòd

Quòd munere administrationis creaturarum sibi commissarum impiè sit perfunctus.

PAPIAS D. Ioannis Euangelistæ discipulus, vt refert Andreas Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ; Commentarijs in Apocalypsim, sermone duodecimo.

Alijs ex ipsis, nempe Angelis, quandam circa terræ administrationem potestatem, & procurationem tribuit, riteque munus iniunctum administrare iussit. Et paucis interpositis, subiungit: Accidit autem, vt ordinem sibi præfinitum absoluerent, non vt decebat.

EPIPHANIVS libro secundo, tomo primo, Hæresi sexagesima quarta.

Hoc enim erat Angelorum constitutio, quòd facti sunt à Deo ob prouidentiam eorum, quę ab ipso constructa sunt: quò vniuersalem quidem, ac perfectam prouidentiam vniuersorum Deus haberet, & auctoritas, ac imperium omnium ex ipso penderet, & vniuersum velut nauigium sapientiæ gubernaculo citra inclinationem dirigeret; particularem verò Angeli ad hoc ordinati haberent. Cæterum reliqui in his, ob quæ fecit, ac constituit ipsos Deus, manserunt. Hic verò violauit, & prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit. Quemadmodum, & qui postea carnes amauerunt, & cum filiabus hominum ob concubitus amorem conuersati sunt.

Hanc assertionem, Patrum, Doctorumve nullus, quòd meminerim, prosequutus est; & certè si in primordiali ipsius Mundi congestione deliquerunt Angeli, nondum ipso Vniuerso absoluto, nec homine plasmato; quarum rerum regimen, & administrationem exercuerint, non conspicio.

Quòd aliquod ipsi indictum à Deo præceptum renuerit.

Non desunt, qui Angelis viatoribus, (viatores enim Angelos fuisse Catholica fides astruit) Deum, vt de eorum obedientia periculum faceret, aliquod præceptum proposuisse; seu per seipsum, vt etiam Adamo de pomo non edendo legem tulit; seu per præconem, hoc est, eminentiorem aliquem Angelum existimarint; Quodq́; Lucifer, atq; perduellium cohortes, sicut obtemperando beatitudinem sibi promeruissent, ita renuentes deciderint.

EPIPHANIVS contra Hæreses libro secundo, tomo primo, Hæresi sexagesimaquarta.

Spontaneam enim etiam ipsis habere ad vtraque voluntatem Deus constituit, velut etiam in hominibus; vt aut obedientes Verbo essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, eaque fruerentur; aut non obedientes iudicarentur.

AMBROSIVS Catherinus Commentarijs in posteriorem Epistolam Beati Petri, idipsum insinuasse euincitur; Quanquam præceptum illud Angelis promulgatum, vt Christum adorarent, fuisse autumet.

Erat autem & maximè illa ratio ponderanda, quam ex Caietano iam attulimus. Dignum omnino, & æquum fuisse, vt Angeli ad gloriam ex aliquo obedientiæ merito promouerentur non cuiuscunque pręcepti, sed excedentis præcepta naturæ; quandoquidem, & ipsa gloria, ad quam vocabantur, naturæ limites excedebat. Hactenus de eorum ruina à nobis dictum sit.

Quòd Verbi Incarnationem, in Christoq́; humanæ naturæ maiestatem ægrè tulerit.

Dijudicarunt alij, Deum Lucifero, cæterisque asseclis, Verbum sua in hypostasi humanam assumpturum naturam reserasse: adeò vt etiam intellexerint, Christum Deum hominemq́ue quinque super cunctos Angelos præeminentijs cohonestandum fore. Quarum prima ac princeps, vt filius Dei naturalis appellaretur. Quod certè priuilegium nunquam Angelis conferri posse non ignorabant; Iuxta illud Pauli ad Hebræos; Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu? Altera quòd & ipsi cuncta diuina impertienda, communicandaque essent idiomata, Christusque Deus, immensus, Omnipotens, nuncupandus foret. Tertia deinde, quòd ipsi imperium rerum omnium, tùm cœlestium, tùm terrestrium deferendum esset, iuxta illud; Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra: & Paulus ad Hebræos; Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula; Adijcias, quòd super choros omnes Angelorum

Priuilegia quinq; Christi Dei, & hominis. Heb. 1.

Matth. 28.

Heb. 1.

Psal. 109. gelorum esset consessurus, ad dexteram inquam Dei; Iuxta illud; Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; & cum eo Deipara Mundi Imperatrix, Angelorumque Regina. Postrema tandem præeminentia, quòd & ipsi Angeli eum adorare
Heb. 1. cogerentur, iuxta illud; Adorent eum omnes Angeli eius. Quæ cuncta molestè adeò pertulit Lucifer, cùm naturam humanam longè sua ignobiliorem, flaccidioremque agnosceret, vt in eam præcipitarit sibi funestam perduellionem, Deoque resistere ausus, bellum collatis signis inchoare non dubitarit. Properare in hanc sententiam existimati sunt Patres illi, qui Luciferum inuidia collapsum fuisse produnt. Homini etenim in natalis eius primordijs, minimè consentaneum est Angelum inuidisse. Tùm quòd inuidia non æstuet inter dispares; tùm quòd nondum plasmatus esset homo, cuius conditio præclara inuidiæ tabem in Angelo excitaret. Quapropter si hunc in sensum Patrum oracula excipiamus, profectò subscripti Patres in hanc sententiam descendisse conspiciuntur.

BASILIVS in Sermone de Inuidia.

Quid principium illud malorum omnium Dæmonem in inimicitias cum humano genere impulit? nempè Inuidia; Ob quam Dei hostis manifestè deprehensus est.

CYPRIANVS in Sermone de zelo, & liuore.

Facilius tam perniciosum liuoris malum à nobis vitabitur, si eiusdem mali & origo, & magnitudo noscatur. Hinc Diabolus inter initia statim Mundi, & perijt primus, & perdidit. Ille dudum Angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus, & charus; postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maliuolo liuore prorupit; non prius alterum deijciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deiectus; captiuus ante quàm capiens; perditus ante quàm perdens; dum stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id, quod prius fuerat, amisit: Quale malum est fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumueniri, & subuerti, alta illa, & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse, qui decepit?

LACTANTIVS libro secundo, capite nono, id clariùs videtur explicare, si Angeli boni antecessoris nomine, Verbum ipsum carnem efficiendum, vt ita dicam, interpretemur.

Deinde fecit alterum, in quo indoles diuinæ stirpis non permansit. Itaque suaptè inuidia tanquam veneno infectus est, & ex bono ad malum transcendit, suoque arbitrio, quod à Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen asciuit. Vnde apparet cunctorum malorum fontem esse liuorem. Inuidit enim ille antecessori suo, qui Deo Patri perseuerando tùm comprobatus, tùm etiam & charus est.

BERNARDVS id declarat apertiùs, tanquam si spiritu id conspexisset, in Cantica Canticorum Sermone decimo septimo.

Putasne, Lucifer ille, qui mane oriebatur, sed præpropere eleuabatur, antequam verteretur in tenebras, generi nostro inuiderit, & ipse olei effusionem, vt per seipsum iam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se
Matth. 26. *quodammodo; Vt quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere spiritum; sed nec contradicere dico! nescio enim. Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum Sapientia, & perfectum decore, homines præscire potuisse futuros, etiam & profecturos in parem gloriam. Sed si præsciuit, in Dei Verbo absque dubio vidit, & in liuore suo inuidit, & molitus est habere subiectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura, non decet esse conciues, nec equales in gloria. An fortè prodit impiam hanc eius*
Isa. 14. *machinationem illa præsumpta ascensio, sessioque significans magisterium? Ascendam, inquit, super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis, quò Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam, ita & ipse altus sederet, regeretque genus humanum. Absit. Iniquitatem meditatus est incubili suo.*

Porrò cùm homo, nisi fuisset per Christum sublimatus, Angelici spiritus socius esse non posset; scribens Bernardus Luciferum suo liuore homini tanquam socio inuidisse, hominis sublimitatem in Christo, hoc est humanam naturam à Verbo assumendam, Luciferum ipsum intellexisse manifestat.

CATHERINVS placiti huius præcipuus propugnator, Commentarijs in posteriorem Epistolam Beati Petri, sub præcepti typo hanc recitat sententiam.

Dicimus Dominum Deum, antequam hunc Mundum nostrum constituisset, creasse Angelos, & in Cælo illo summo, quod Empyreum vocant, collocasse, & illis aliquando ostendisse voluntatis suę beneplacitum, ac decretum de humano genere condendo, & de Incarnatione Filij, & sublimatione nostri generis ad illud regnum. Adiecit autem illis præceptum, vt ipsi omnes illum Deum hominem adorarent, & in Deum suum, & auctorem glorię ipsorum reciperent: ille autem Lucifer hoc videns, & inflatus superbia inuidit, (nunquid vnquam erit inuidia absque superbia?) atque ideo præceptum illud spreuit, & quod decretum erat de Christo, sibiipsi appetiuit, vt in persona Dei sua natura, idest Angelica, cum diuina coniungeretur; id enim cernebat

nedum

nedum possibile, sed etiam, (vt prima facie videri poterat) longè decentius apparebat: ecce causa ruinæ. Prosequitur amplius, nonnullis Scripturę obtestationibus suam munire, firmioremq; reddere assertionem: de quibus infra.

Judicium Auctoris.

IN re tam ardua, nec clarè à Patribus delata, neque à Scholasticis diffinita, quid proferam non conspicio: Quis enim poterit vnquam ad ea, quę extra Mundum, in ipso temporum exordio, inter cætus illos spirituales Angelicos gesta sunt, contemplatione pertingere? Vel quanam caussa seu occasione Angelica mens à Deo deficere, apostatareq; prælegerit, intellectu perspectare? Difficillima admodum hæc sunt; atque vt certa, & comperta enarrari minimè queunt. Superest igitur, vt propositas tantūmodo sentētias examinemus, & discutiamus, & quænam verisimilior videatur, diffiniamus. Propositæ sententiæ in maximū hunc numerum exurgunt. Quòd appetierit Lucifer se esse Deum ipsum; Quòd fieri vt Deus, immensus, infinitus, & omnium moderator; Quòd à cæteris Angelis, & creaturis existimari, coliq; vt Deus; Quòd in potentiæ maiestate æquiparari Deo, adeò, vt nulli subesset, & omnibus præesset; Et in scientiæ, & bonitatis amplitudine; Quòd beatitudinem ineffabilem, nullo diuinæ gratiæ auxilio nancisci posse, opinatus sit, simulque à se beatitatem defluere in cæteras creaturas optarit; Quòd supernaturali spreta, naturalem felicitatem selegerit, eamque vt finem supremum sibi constituerit. Quòd dignitate suæ naturæ delectatus, tumefactusque, Deum paruifecerit; Quòd altiora munera, augustioremque dignitatem affectans, Deo sit indignatus; Quòd alicui Dei reserato, seu promulgato præcepto obtemperare renuerit; Quòd commissa sibi à Deo administratione sit impiè functus. Quòd tandem Verbi incarnandi, hoc est, Christi excellentiæ inuiderit, seu humani generis dignitati. Cæterum, vt quænam sit harum caussarum probatior, indagemus: constituendum nobis est, quasi pro fundamento, axioma illud; Angeli intellectum omnium eminentissimum, ac perspicacissimum, viuidumque cæcutire in luce; & errore, aut ignoratione vlla illudi non potuisse; quare si deliquit Angelus, malitia sola, ac voluntatis prauitate tantummodo deliquisse. Id enim & Scriptura, & Patres clarè obtestantur, & ratio constanter approbat. Peccatum enim Luciferi ex libero prouenit, promanauitque arbitrio, qui prauæ assentiens cupiditati suamet malitia seipsum polluit, infecit, fædauit, deturpauit. Quo axiomate constituto, corruit mox prima, & secunda sententia, quæ Luciferum effici Deus, vel vt Deus, concupijsse enuntiabant. Angelorum enim omnium, & creaturarum vniuersarum præstantissimus, fulgido illo, quo exornatus erat, naturæ lumine, haud ignorare quibat, contingere nequaquam posse, vt ipse in aliam trāsmutaretur naturam, atque ex finito infinitus, & ex Angelo Deus euaderet: cunctaq; hæc absque suimet exitio, & interitu, perfici nulla ratione posse, optimè ipsi compertum erat. Neq; huiusmodi futilem chimeram, fictam, commentitiáq; cogitationem sibi effinxisse, consentaneum est arbitrari. Eliditur etiam quarto loco memorata sententia, quæ Deo non subesse Diabolum optasse tradit. Minimè siquidē ipsum latebat, Deum omnium esse primariam caussam, seq; ac cæteras creaturas non posse sine dependentia consistere, quemadmodum radius absque Sole effundi nequit. Ruit amplius, meo quidem iudicio, illa sententia, quæ Luciferum, proprijs viribus beatitudinem supernaturalem se comparaturum, putasse astruit. Quemadmodum enim non aberrat intellectus humanus, quin certissimè noscat, ea quæ sunt supra insitas sibi naturæ vires, sicuti est beatitudo, gloriaq; æterna; se etiam viribus tantùm supernaturalibus, vtpote gratia nancisci posse: multo minus in hoc intellectum Angelicum errasse censendum est. Amplius beatitudinem in cæteros per seipsum diffundi, Lucifer non nisi obtenebrato certè intellectus lumine peroptare non quibat; solius siquidem Dei munus hoc esse, cùm hominem non lateat; multò magis id, vt perspicatiore, clarioreq; mentis acie pollens ipse percipiebat. Nullam igitur harum sententiarum insequendā duco, nam in Angeli intellectum irrepsisse errorem perhibere videntur: Cùm certissimè existimandum sit, Diaboli peccatum prauæ fuisse voluntatis affectum, nulla intellectui illi viuido, & omnium clarissimo obrepta deceptione; sciens enim & volens à Deo

Quidnā Lucifer appetijt, plurimæ de hoc sunt sententiæ.

Elidūtur duę primę sententiæ.

Reicit quarta sententia.

Refellitur alia sententia.

Duæ aliæ sententiæ repudiantur.

Deo defecit. Sententia ea, quæ non probè perfunctum fuisse suo munere Luciferum in rerum sibi creditarum regimine, autumat, futilis est; cùm Angelos, vt dicebamus, conflato nondum Orbe, nec vlla ipsis adhuc demandata prouincia, seu munere, confestim ac repente ferè post eorum prosilitionem decidisse, ut compertum existimetur. Sententia altera, quæ Angelis promulgatum fuisse aliquod putat præceptum, seu reuelatam aliquam, nobis quidem incompertam, uolũtatem; qua de Angelorũ obedientia periculum fieret; singularis mihi visa est, & pro arbitratu delata; cùm nec oracula Scripturarum id insinuent, nec Patres approbent; Quinimmo

CHRYSOSTOMVS nullum fuisse Angelis mandatum indictum constanter tradit, Homilia de Adam, & Eua, cùm ait.

Angelos ergo fecit in spiritu sine carne, præceptumq; dedit eis nullum.

Et Homilia de Lapsu hominis.

Factis ergo Angelis, præceptum eis dedit nullum.

Quæ sententiæ acceptandę.

Quapropter, vt ingenuè fatear, alteram duarum sententiarum libentius ego prosequerer. Primumq; plures sententias in vnum colligens, ac conferens, hanc profectò cõficiendam iudicarem: quòd Lucifer mox vt seipsum, impertitaq; sibi munera contemplatus est, statim naturæ suæ dignitate, atque eminentia demulcitus; delectatusq; intumuerit: nec Deo gratias retulerit, vt tradit D. Augustinus; altioraq; adhuc munera, & augustiorem sedem concupierit, vt Theodoretus, & Chrysostomus censebant; nempe ipsius fortasse Verbi dignitatem, sicuti Nazianzenus asserebat; non quidem vt Deus fieret, siue vt Deus; his siquidem optatis potiri se nunquam posse, minime ignorabat: sed fortè vt existimaretur tanquam Deus, veluti tertia astruebat opinio, quod sibi facilè fore arbitratus est. Addiderim illud pariter, quòd nimio fastu non modo elatus, & turgidus; verùm ebrius omnino ac planè redditus, supernaturalem beatitudinem neglexerit, atque contempserit. Sententia hæc Scripturis sacris maximè congruit, quæ vbiq; Luciferum eleuasse cor suum, Dei sedem appetijsse, reddi se Altissimo similẽ affectasse produnt, & prædicant, vt supra deductum est. Hæc mirificè consentanea est Patrum doctrinæ, sicuti post ex Catena in quæstione; Quodnam fuerit Diaboli peccatum, deducenda, spectari poterit. Hæc Dæmonem non intellectu desipuisse: sed voluntate praua defecisse, verisimiliùs astruit; potuit enim Luciferi intellectus, praua voluntatis cupiditate fascinatus, hac deceptione obuolui, vt Deum se esse, cæteris persuadere posse existimaret. Comprobatur tandem hæc sententia ex eo, quòd in Mundo nil aliud vnquam eundem contendisse experiamur, nisi tùm oraculis, tùm diuinationibus, præstigijsq;, tùm etiam Idololatria inducta, diuinum cultum sibi præripere, atque vẽdicare. Altera sententia, quam prosequerer, est, quòd Lucifer excelsitatem humani generis in Christo, ad tantam gloriam, atque dignitatem prouehendi, vt super Angelicam naturam extolleretur, ægrè admodum, ac molestè tulerit; quamobrem mox ea intellecta, indignatus ipse à Deo desciuit, cæterosq; ad defectionem excitauit. Hoc autem coniecturis ac rationibus non paucis muniri potest. Primùm arduum est existimare, quòd mens illa Angelica recta, cùm nullam in se haberet insitam ad malum propẽsionem, mox vt se in eminentissimo omnium gradu constitutam conspexit, non tantùm gratias Creatori nõ rependerit, sed ingrata omnino ipsi Deo, è cuius manibus vix prosilierat, æquiparari cogitarit; maximè cùm tàm singulare beneficium experiretur: nulla equidem in hoc sese offert caussa, qua ipsum à Deo deficere voluisse opinemur: è contra autem non ignoramus, nil magis animos nobiles afficere, pungere, turbare, quàm æqualiũ, & sibi inferiorum prælationẽ. Quapropter verisimile est, non potuisse humanæ naturæ supra seipsum elationem sufferre; inuidentia ob id exarsisse, sperasseque suis viribus, atque conatu, huius rei sanctioni se obuiam iturum, & obstaculum allaturũ. Adijcias, quòd à veri imagine non recedat suspicari, cæteros Angelos potius hac communi Angelicæ naturæ illata, vt ipsi putabãt, iniuria permotos fuisse, vt descirent; quàm quò dignitatem, tumoremq; superbi Angeli propria pernicie, & ruina efferrent; quamquã etiam nonnihil dignitatis sibiipsis comparaturos sperarent. Conspicimus amplius, Luciferi conatum omnem ab origine Mundi ad finem vsque contra Christum dirigi, summaq; vi, vt homines à Christo auertat, atque ab illa æterna gloria diuertat, contendere. Pro-

Lucifer humanis generis in Christo dignitati inuidit.

Protoparentes ideo peccato prostrauit, non tantùm vt in Dei imaginem, atque similitudinem sibi admodum inuisam debaccharetur, sed vt humanum genus peccati fœditate adeò deturparet, vt Deus ipsum nunquam assumere, nec ad cœlestem Regiam perducere dignaretur. Infensus ob id etiam semper fuit præ omnibus Christo, redemptionisque mysterijs; quibus solis humanum genus ad prædestinatam ipsi dignitatem prouehi posse arbitrabatur. Rursus, quas non Hæreticorum, Tyrannorum, ac impiorum insectationes in Ecclesiam concitauit? quæ non oppugnationum machinamenta excelsæ, ac firmissimæ huic turri, quò eam demoliretur, admouit? Ac tandem, nonne Cœlo terram, terræ Cœlum miscuit, iste humani generis osor, vt illi non modò graue aliquod damnum inferret; verùm & summum eius excidium, ac perniciem moliretur, ipsum denique omnino prosterneret, subigeret, pessundaret? Cæterum Theodoreti, Chrysostomi, Nazianzeni sententiam, cum hac conciliari posse censeo. Lucifer certè ampliora munera, excellentiorem dignitatem, cùm ipse esset supremus omnium creaturarum, muneribus insignitus eminentioribus, affectare non potuit. Nec Verbo æterno inuidisse consentaneum est, quoniam sanctissimæ Trinitatis imaginem in seipso expressam, effulgentemque conspiciens, Verbum Patri coæternum, comparque, ac consubstantiale agnoscebat, nec Deo se æquiparare posse non ignorabat; quare verisimilius est, ipsum munera Christi, quæ suis multò sublimiora erant, eiusque dignitatem propria dignitate longè eminentiorem, desiderasse; Christoque æquiparari concupijsse. Atque hæc fortè sunt, quæ appetijt, cùm dixit, Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo, hoc est Christo. Comprobant hanc sententiam plures Scripturæ auctoritates. Apud Esaiam enim dixisse scriptum est; Exaltabo solium meum, & sedebo in monte sancto testamenti. Quid certè hoc loco capiendum est, per verba ea, Monte Sancto testamenti; nisi Ecclesia sancta? Quasi diceret; Ego caput ero Ecclesiæ; Iuxta illud; Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Quæ expositio, & illi Ezechielis auctoritati perpulchrè adaptatur; Peccasti, & eieci te de monte sancto Dei. Quid enim huic Propheticæ sententiæ rectiùs vnquam adaptari, vel pulchriùs accommodari potest, quàm dicere; Eieci te de monte sancto, hoc est, de Ecclesia? Zacharias quoque scribit; Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Enixè igitur contendit Diabolus Christo semper aduersari, vt æmulo, cuius gloriæ inuidet, & cuius dignitati insidias molitur, quò eam præripiat. Amplius in Ioanne scriptum est; Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria eius vultis perficere, ille homicida erat ab initio. Sic igitur Iudæi Christi mortem machinantes, Diaboli desideria perficiebant, qui ab initio homicida fuit. Certè Diabolus ab initio, non alium præter Christum intercipere machinatus est; peccatum igitur illius ab initio in Christum fuit. Tandem & in Apocalypsi ænigmaticè hoc demonstratur. Scriptum est enim, quòd serpens, qui cauda trahebat tertiam partem stellarum, mulieris filium deuorare nitebatur; at mulieris, Deiparæ scilicet, seu Ecclesiæ filius, Christus erat, quem ab initio Diabolus deuorare concupiuit. Hæc igitur fortè fuit defectionis Angelicæ caussa, hæc tàm cruenti, immanisque belli presumpta, exceptaque occasio. Cæterum ex his duabus sententijs, quæ mihi verisimiliores visæ sunt, quænam ut potior prosequenda sit, iudicio ingenui lectoris relinquendum diiudicaui.

Lucifer, cùm esset omniũ creaturarũ supremus, qũo maiora adhuc appetijt.

Isa. 14.

Psal. 2.

Ezech. 28.

Zach. 3.

Ioan. 8.

Apoc. 12.

Quodnam fuerit peccatum Luciferi.

Quonam peccati genere Diabolus deliquerit, non vniformi sententia diffiniunt Patres; cùm alij Superbiam, seu Arrogantiam, alij Inuidiam, alij Malitiam, seu Nequitiam, alij Auaritiam; alij Furtum, alij Incontinentiam, alij Impatientiam, alij Inanem gloriam, alij impiam Administrationem crimen illud denominent, ut in subsequentibus Catenis uidere est.

Quòd Superbia, seu Arrogantia.

Passim, atque vt plurimum Patres, peccatum Luciferi superbiam, nonnunquam arrogantiam, & insolentiam, quæ superbiæ partes sunt, fuisse contestantur.

IGNATIVS in Epistola ad Philippenses, non tantùm per malitiam & auaritiam, sed per arrogantiam decidisse Satanam tradit, dum ait.

Tu qui per auaritiam, & arrogantiam, ad impietatem deductus es.

MARTIALIS in Epistola ad Burdegalenses, capite vndecimo.

Venient autem præsumptores absque gratia Dei loquentes, quorum gloria labiorum procedit ex superbia; similes illi, qui superbia Cœlum præsumens habitare, mox de Cœlo cum Angelis suis sequacibus ruit in æternam voraginem.

METHODIVS Patharensis Episcopus, & Martir, libro de Rebus, quæ ab initio Mundi contigerunt.

Eminentiam suæ naturæ, & profunditatem suę scientiæ Lucifer perpendens, in suum Creatorem superbiuit intantum, quòd Deo voluit se æquare.

Cap 3. Apoc. 12. ANDREAS Archiepiscopus Cesareæ Cappadociæ, Commentarijs in Apocalypsim, sermone duodecimo, exponens illud; Factum est prælium magnum in Cœlo.

Isthæc primo Diaboli lapsui, quo ex Angelico ordine propter superbiam, & inuidiam proscriptus est, accommodari possunt. Et Post. *Aduerte autem, Patribus nonnullis visum esse, post aspectabilis Mundi huius opificium, Diabolum propter superbiam, & inuidiam è Cœlo eiectum; potestatem, quam in aëream hanc regionem ante lapsum acceperat, post lapsum in partem adhuc retinuisse.*

GREGORIVS Nazianzenus de Pace, Oratione prima.

Ex Angelis autem, is qui deficere, & supra dignitatem se extollere est ausus, ac contra Dominum omnipotentem rebellare, & cathedram super nubes Verbi instar ponere, dignas arrogantiæ suæ pœnas dedit.

Et Oratione in Christi Natalia Panegyrica.

Ille ob splendorem Lucifer, propter superbiam caligo effectus est.

Et Oratione in Sanctum Baptisma, quæ est Quadragesima, docens nos Diaboli tentationes elidere, ita ait.

Dic signaculo fretus, ipse quoque Dei imago sum; nondum, vt tu, à superna gloria propter superbiam deiectus sum.

GREGORIVS Magnus Homilia trigesima quarta in Euangelia, vt etiam D. Patherius colligit libro tertio.

Angeli, cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina à ministerijs trahunt. Michael nanque quis vt Deus? Gabriel autem fortitudo Dei: Raphael verò dicitur medicina Dei. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, vt ex ipso actu, & nomine, detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere præualet Deus. Vnde & ille antiquus hostis, qui esse Deo per superbiam similis concupiuit, dicens; In Cœlum conscendam, super astra Cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo: dum in fine Mundi in sua virtute relinquetur extremo supplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur, sicut per Ioannem dicitur; Factum est prælium cum Michaele Archangelo: vt qui se ad Dei similitudinem superbus extulerat, per Michaelem peremptus discat, quia ad Dei similitudinem nullus per superbiam exurgat.

Isa. 14.

Apoc. 12.

Et Expositione in primum Regum, libro tertio.

Dum ergo Israelis pręlia per literam referuntur, interna, & spiritalia designantur. Philisthijm nanque, cadentes poculo interpretantur: quo nimirum nomine reprobi Angeli exprimuntur; quia per abundantiorem potum superbiæ, statum perdiderunt æternæ vitæ. Eis quippè velut poculo cadere fuit, potum superbię sine omni mora retractionis assumere. Nam quod potatur, facilè sumitur. De quorum profectò cadentium principe, velut de potante Dominus dicit; Quia in veritate non stetit. Velut enim potu corruit, qui superbiæ suæ velocitate ebrius, in ea, qua fuerat conditus, veritate, nec ad momentum stetit.

Ioan. 8.

Et in Iob vigesimo nono libro, capite sexto.

Notandum verò est, in quantam superbiæ foueam cecidit, qui in mensura ruinæ, qua lapsus est, non permansit. Diabolus quippè, vel homo, à statu conditionis proprię elata mente corruerunt.

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Matthæum, in opere imperfecto.

Ille antiquus Lucifer, qui mane oriebatur, cogitauit apud se dicens: Super Cœlum ascendam &c. Sic ergo ille Angelus constitutus, pro sola cogitatione superbię depositus est de Angelica gloria ad ignominiam tenebrarum: Ego quid merear pati, si homo carnalis, & corruptibilis constitutus, tantæ superbiæ opus impleuero, & dignum me existimauero totius creaturæ Dominum baptizare?

Et Homilia ex varijs in Matthæum locis sexta.

1. Tim. 3. *Quoniam enim malorum maxima, totumque perdentia Mundum ex superbia subrepserunt: Nam & Diabolus, cùm non esset antea talis, ita Diabolus effectus est: quod & Paulus ostendens, dicebat; Ne in superbiam elatus incidat in iudicium Diaboli. Et his primus homo expectationibus à Diabolo inflatus, precipitatusque*

tatusq; est, factusq; mortalis: sperans enim esse Deus, & quod habebat, amisit. Quòd exprobrans illi Deus, & ipsius carpens dementiam, dicebat; ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Et quisque sequentium hinc in impietatem delapsus est, quòd Dei affectaret æqualitatem. Gen. 3.

Et in caput primum Ioannis Homilia decima quinta.

Bene inquit Sapiens; Initium superbiæ non cognoscere Dominum. Non esset è Cœlo eiectus, neque in Diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere coinquinasset. Hoc eum præcipitem dedit, hoc in gehennam intrusit, hoc malorum omnium ei caussa fuit. Eccle. 10.

AMBROSIVS Commentarijs in Psalmum centesimum decimum octauum, sermone septimo.

Ipse Diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam. Denique dum dicit; Ponam Thronum meum super nubes, & ero similis altissimo: consortijs excidit Angelorum. Isa. 14.

ATHANASIVS Quæstione ad Antiochum sexta.

Int. Quando, & quam ob caussam ex Cœlo Diabolus decidit? Fabulantur enim quidem, quòd deciderit eo quòd Adamum adorare voluerit. Resp. *Hominum stultorum commenta sunt hæc. Diabolus enim, antequam creatus esset Adam, cecidit. Constat verò cecidisse eum propter superbiam suam, vt inquit Isaias Propheta; Cogitauit apud semetipsum, supra nubes locabo solium meum, & similis ero altissimo.*

THEODORETVS Diuinorum Decretorum libro quinto.

Diabolus, & Dæmonum caterua, qui erant cum alijs incorporeis, illorum quidem in Dominum Deum beneuolentiam non sunt imitati, insolentiæ autem & arrogantiæ morbo suscepto, ad id, quod est deterius, conuersi sunt & à priore sorte exciderunt. Hoc autem declarauit Diuinus Apostolus, de Episcopali ordinatione legem ferens; Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli: Per hæc enim verba innuit, quòd superbia caussa fuit Diabolo, vt caderet. Timot 3.

DAMASCENVS libro secundo, capite quarto.

Ex ijs Angelicis virtutibus, ea quæ præerat terrestri ordini, eleuata est aduersus Deum, qui illam fecit, rebellare illi volens; & prima prolapsa à bono, in malo constituta.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro vndecimo, capite quartodecimo, & quintodecimo; eleganter non inuidia in hominem, sed superbia sua primùm cecidisse Diabolum demonstrat.

Nonnulli enim dicunt, ipsum ei fuisse casum à supernis sedibus, quòd inuiderit homini facto ad imaginem Dei. Porro hæc inuidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim caussa superbiendi est inuidentia, sed caussa inuidendi superbia. Cum ergò superbia sit amor ecellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid vnde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur: vel inferioribus, ne sibi coæquentur: vel superioribus, quòd eis non coæquetur. Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est. Meritò initium omnis peccati superbiam Scriptura definiuit, dicens; Initium omnis peccati superbia. Eccl. 10.

LEO Magnus huic Augustini sententiæ, & luculenter, & eleganter subscribit, Sermone quarto de Collectis & Eleemosinis.

Incentor nanque ille, auctorq; peccati, primùm superbus, vt caderet, deinde inuidus vt noceret; quia in veritate non stetit, totam vim suam in mendacio collocauit; omniaq; deceptionum genera de hoc venenatissimo artis suæ fonte produxit: vt ab illo bono, quod ipse propria elatione perdiderat, spem humanæ deuotionis excluderet; eosq; in consortium damnationis suæ traheret, ad quorum ipse reconciliationem pertinere non posset.

HIERONYMVS Commentarijs in Iob, capite quadragesimo.

Leuiathan verò additamentum quidam aiunt interpretari. Quia ergò in veritate non stetit, & excedens præsumptionis modum, addit sibi superbiam, quasi supra naturæ bonum, in tumorem & morbum elationis excedit. Proinde additamentum dictus est, vocabulum enim factum de crimine operuit conditionem naturæ bonæ, quam Deus bonus creauerat. Et ante. *Montem præruptum ipsius superbiæ diabolicæ verticem significatum puto, in quem nimium se extulerit, ita vt de eo vsque in ima caderet inferorum.*

CLAVDIANVS Mamertus Episcopus Viennensis de statu animæ lib. tertio.

Postquàm Lucifer improbè superbia tumuit, & inuidiæ febre tabuit, sponte illocaliter sanctitate prolapsus, eaq; localiter è Cœlo non sponte deiectus, quum non Angelus, sed bonus esse cessauerit, innocentiam perdidit, non naturam.

IO. CASSIANVS Collatione octaua, capite decimo.

Idcircò Dæmonis priorem lapsum, quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per inuidiam subsecuta est.

Et capite vigesimo quinto.

Igitur & Diabolus, secundum hoc quòd vel spiritus, vel Angelus bonus creatus est, patrem neminem habuit, nisi Deum conditorem suum. Qui cùm superbia fuisset elatus, & dixisset in corde suo; Ascendam super altitudinem nubium, ero similis altissimo; factus est mendax, & in veritate non stetit, sed de proprio nequitiæ Isa. 14.

quitiæ thesauro mendacium proferens, non solum mendax, sed etiam pater ipsius mendacij factus est, quo Deitatem homini repromittens ac dicens; Eritis sicut Dij; in ueritate nõ stetit, sed ab initio factus est homicida.

NILVS in Tractatu de octo vitiosis cogitationibus, capite de Superbia.

At Superbia, cùm animæ principatum obtinuerit, eam prorsus euertit, non secus atque ingentem ciuitatem acerbissimus Tyrannus. Nam & Diabolum ipsa è Cœlo præcipitem eiecit.

PROSPER libro primo de Vita contemplatiua, capite tertio.

Hoc iudicium, quod inter iustos homines iniustosq; futurum dicimus, inter Sanctos Angelos, & immundos credimus factum. Nam cùm essent vtrique sine peccato creati, & ad seruiendum Deo suo feliciter instituti; eorum quidam voluntate propria deprauati noluerunt permanere, quod facti sunt; & cùm se contra Creatorem suum typo superbiæ lethalis hostiliter extulissent, de superna Cœli regione proiecti sunt. Quos diuina sententia eo supplicio condemnauit, vt quia noluerunt perseuerare cùm possent, nec vellent reparari, nec possent.

ANASTASIVS Episcopus Nicenus quæstione in Scripturam sexagesimaprima.

Superbiæ, & arrogantiæ dicimus Dæmones vitium suscepisse, excidisse verò, & esse priuatos honore, qui cis datus ab initio fuerat.

FVLGENTIVS ad Monimum libro primo.

Ecclesiast. 10. *Itaque si initium peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia inuenitur. Dicit enim Scriptura; Initium omnis peccati superbia. Quæ itaque tunc initium sumpsit, cùm Angelus aduersus Deum elatus, & ipsa elatione prostratus, per concupiscentiam (quæ radix est omnium malorum) volens vsurpare, quod illi datum à Deo non fuit, à Deo discessit, & cecidit, in quo si stetisset, non cecidisset. Sed per concupiscentiam malam, qua concupiuit plus extra se, minus factus est in se. Quam concupiscentiam licet explere nequiuerit opere, tamen retinuit voluntate. Sic ipse sibi iam factus est pęna, vt supplicium semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco ipsa cæcitas sua, & concupiscentia peccandi tormentum fieret peccatori; & rebellis, ac refuga, qui illam imperturbabilem requiem fugeret, deinceps perturbationi seruiret, atque à bono Domino relinqueretur iustè, quem ipse reliquit iniustè. Ita factum est, vt perseuerans inordinatus ex se, ordinaretur in se, & in eo, qui in se ordinem perderet, diuini ordinis ratio non periret.*

ISIDORVS de summo Bono, libro primo, capite duodecimo.

Ioan. 8. *Prius de Cęlo Diabolus cecidit, quàm homo conderetur; nam mox vt factus est, in superbiam erupit, & præcipitatus de Cęlo est. Nam iuxta veritatis testimonium, ab initio mendax fuit, & in ueritate non stetit, quia statim vt factus est, cecidit. Fuit quidem in ueritate conditus, sed non stando, confestim à veritate est lapsus. Vno superbiæ lapsu, dum Deo per tumorem se conferunt, & homo cecidit, & Diabolus: sed homo reuersus ad pęnitentiam Deo se inferiorem esse cognouit; Diabolus verò non solum in hoc contentus, quòd se Deo*

2. Thess. 2. *æqualem existimans cecidit, insuper etiam superiorem Deo se dicit, secundum Apostoli dictum, qui ait de Antichristo; Qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Diabolus ideo non petit veniam, quia non compungitur ad pęnitentiam.*

SEDVLIVS Presbyter, Ecclesiasticus Poeta percelebris, ea in florentissima tẽpestate anno Domini circiter quadringentesimo trigesimo degẽs, Hymno, in quo carmine reciproco dimidium versus primi finem secundi complectitur, idipsum cecinit.

Primus ad ima ruit magna de luce superbus;
Sic homo cùm tumuit, primus ad ima ruit.

ANTONIVS Abbas, Epistola secunda ad Arsenoitas.

Nam pro certo est, quòd cùm se nouerit Diabolus per superbiam, & inanem gloriam cęlitus fuisse deiectũ; ideo & ille eos, qui peruenerint in magnam mensuram, aggreditur, in primis artifices existentes per superbiam & inanem gloriam, vt sint aduersum se alterum; scientes quòd per ista segregent nos à Deo.

NOVATVS Catholicus Homilia de Humilitate, & Obedientia, & calcanda Superbia.

Psal 35. *Propterea Dauid dicit; Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me; Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem. Vbi ceciderunt? in lapsu superbiæ: Inde enim cecidit Diabolus, qui per superbiam lapsus est. Omnino ergò non admittatur ad seruos Dei superbia.*

VRBANVS Quartus Pontifex Maximus pia Metaphrasi in Psalmum quinquagesimum.

Hactenus mentionem tibi feci Domino Deo meo de vna iniquitate, & de vno peccato meo, quod est superbia, & arrogantia mea magna: de qua timeo mihi valde, attendens quòd nec superbientibus Angelis pepercisti,

Ezech 28. *sed illum Cherub, qui erat signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, propter superbiam de delitijs Paradisi ad inferos detraxisti. Idcirco à te Domine petij tam instanter, vt hanc iniquitatem, & peccatum meum deleres, lauares, mundares; quia maculam valde hærentem in anima mea fecit. Nunc autẽ, quia intelligo,*

intelligo, quòd ex peccato meo, peccata, & iniquitates aliæ pullularunt; cùm superbia fundamentum, & initium sit omnis peccati, & Angelum, & hominem apostatare à te fecerit nimium imprudenter: Ideò imploro tuam humiliter Deus ineffabilem pietatem, ne lætitia, & exultatio, quas auditui meo, & humilitatis ossibus meis infudisti, in lamentum, vel vocem flentium conuertatur. Timoth. 6.

HVGO Victorinus noster Summæ Sententiarum tractatu secundo, cap. quarto.

Lucifer, vt dicit Isidorus, postquàm creatus est, absque aliquo interuallo, profunditatem suę scientiæ perpendens, in suum Creatorem superbiuit, & vt dicitur in Esaia, Deo æquari voluit dicens; In Cęlum conscendam, super astra Cæli exaltabo solium meum, & ero similis altissimo. Similis esse voluit, non per imitationem, sed per æqualitatem, & non solum æqualis, sed etiam, quòd superior esse voluit, videtur auctoritas illa velle; Extollitur supra omne, quod dicitur, aut colitur Deus. Isa. 14. 2. Thess. 2.

INNOCENTIVS tertius de contemptu Mundi, libro secundo.

Initium omnis peccati est superbia, primogenita mors: hæc enim inter ipsa rerum primordia creaturam contra Creatorem erexit, Angelum contra Deum; sed eum absque mora deiecit, quoniam in veritate non stetit, ab innocentia in peccatum, à delictis in miserias, à Cœlo Empyreo in aërem caliginosum.

THOMAS de Kempis cognomento Malleolus, Canonicus Regularis Augustinianus, secūda parte Sermonum ad Nouitios, sermone decimo, prænarratum bellum inter Angelos, & Luciferum patratum cùm recenset, Luciferi peccatum ipsam superbiam fuisse, affluenter edocet.

Primum bellum incepit per Angelos in Cœlo, quando Lucifer per superbiam voluit altiùs se extollere, & assimilari altissimo, & quasi in propria virtute gloriari, & in seipso singulariter delectari. Hoc percepto in superni Regis palatio, sanctus Michael, & Angeli eius indignè ferentes arrogantiam superbientis Luciferi, permoti sunt zelo iustitię, & eiecerunt omnes superbiæ ciues de finibus suis. Non enim debuit aliquis Angelorum quantumlibet magnus supra Creatoris sui magnificentiam se erigere; nec factus factori suo se æquare, nec in decore sapientiæ suæ temerè gloriari, nec abuti donis altioribus à Deo sibi gratuitò collatis. Quia ergo Sathanas per tumorem superbiæ se nimis extulit vanè gloriando, & sedem suam supra cæteros eleuando, iusto Dei iudicio cecidit de fœlici societate Sanctorum Angelorum in abyssum Inferni, & carcerem damnatorum. De quo Saluator ad discipulos ait: Videbam Satanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem. De cuius terribili casu, & irrecuperabili lapsu, beatus Ioannes Euangelista loquitur in Apocalypsi dicens: Factum est prælium magnum in Cęlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & proiectus est Draco in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt, & non est inuentus locus eorum amplius in Cœlo. Ecce quanta meruit superbia Diaboli, qui proiectus est à facie Dei Cęli, ne videat gloriam Dei. Quam sine dubio consequi non poterit, quum in se ipso voluerit gloriari. Luc. 10. Apoc. 12.

ALBERTVS Magnus prima parte de quatuor coæqueuis, articulo quinto, D. Augustini doctrinam his approbat.

Dicimus secundum Augustinum, quòd superbia fuit primum peccatum Dęmonis, & ex superbia nata est inuidia, quæ deiecit hominem. Vnde Augustinus dicit in libro de conflictu vitiorum & virtutum; quàm densissimis putamus in terra superbiæ tenebris lutum inuolui, si potuit in Cęlo stella, quæ mane oriebatur, per superbiam lucis suæ globos amittere?

D. THOMAS in Scriptis in secundum Sententiarū, distinctione quinta, quæstione tertia, subtilissimè genera superbiæ explicans, qualis fuerit Diaboli superbia edocet.

Superbia tribus modis accipitur; vno modo prout sumitur habitualiter, scilicet quędam inclinabilitas, vel ex naturæ flexibilitate tantùm, vel ex fomitis corruptione ad superbiendum; & sic dicitur superbia initium omnis peccati: alio modo dicitur superbia, secundum quòd aliquis actualiter se effert extra præcepti limites, vt præcipienti non subijciatur; & sic non est speciale peccatum, sed quædam generalis conditio, omne peccatum consequens ex parte auersionis: tertio modo dicitur superbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & pręcipuè in dignitate, vel honore; & sic est speciale peccatum vnum de septem capitalibus vitijs; & sic primum peccatum Angeli superbia fuit: quod patet tùm ex desiderato, quia eminentiam dignitatis appetijt; tùm ex motiuo, quia ex consideratione propriæ pulchritudinis in peccatum ruit.

D. BONAVENTVRA tandem eodem loco, articulo primo, quæstione prima, idipsum tradidit, astruens peccatum Luciferi in præsumptione sumpsisse exordium, in ambitione complementum, in inuidia, & odio stabilimentum.

Dicendum, quòd est loqui de peccato quantum ad triplicem statum, scilicet quantum ad inchoationem, consummationem, & confirmationem. Peccatum Diaboli initiatum est in præsumptione; statim enim vt suam vidit pulchritudinem, pręsumpsit: Consummatum est in ambitione, quia pręsumens de se, appetijt quod omnino supra se fuit, & ad quod peruenire non potuit: Sed confirmatum est inuidię, & odij auersione, quia ex quo obtinere non potuit, quod appetijt, ideo inuidere cœpit, & affectu odij contraire: & in hoc firmatum est, quia hęc omnino ipsum à Deo separauit, & perfectum obstaculum posuit, sicut perfecta charitas perfectè Deo iungitur.

Quòd

Quòd Inuidia.

BASILIVS Homilia de Inuidia.

Inuidiæ mala vsque omnes penetrauerunt, quibus solis armis euersor vitę nostræ Diabolus, à Mundi initio vsque ad sæculi consummationem, omnis homines ferire, ad interitum deducere contendit. Nec mirum, vt qui per inuidiam, ac superbiam cecidit, nostra item pernicie gaudeat, nosque eiusdem vitij spiritu configere, ac pessundare cupiat.

Idipsum in eo ipso Sermone contestatur, vti supra deductum est.

PETRVS Chrysologus aurea certè ingenij, ac eloquentiæ vbertate præstantissimus, Sermone centesimo septuagesimo secūdo, qui est de Inuidia, & Hypocrisi.

Iste velociter fugiendus est morbus, quia quos contigerit, non patitur iam sanari. Inuidia Cęlum tentat; ibi enim Diabolum fecit ex Angelo: vrit terras, quæ vtique Paradisi nobis amœna flammeo custode seclusit.

CLAVDIANVS Mamertus Episcòpus Viennensis, de Statu animæ libro tertio.

Diabolus improbè superbia tumuit, & inuidię febre tabuit.

Cyprianus Sermone de zelo & liuore; Bernardus in Cantica Canticorum sermone decimoseptimo; Ambrosius Catherinus Commentarijs in posteriorem epistolam D. Petri Luciferum inuidentiæ labe prolapsum esse, inuidiamque ipsius fuisse crimen contestati sunt, vti supra eorum sententias intexuimus, disceptatione mox discussa.

Quòd Malitia, seu Nequitia.

IGNATIVS Epistola ad Philippenses, præter Arrogantiæ peccatum, etiam Malitiæ crimen Diabolo adscribit, cùm ait.

Tu omnium malignorum spirituum malignissimus es, & pro malitia, ventre, & pectore in terram repere iussus es.

THEODORETVS Quæstione in Genesim trigesima quarta.

Maledictionem Deus propriè intulit ei, qui malum perpetrauit. Nam & ille serpens appellatus est, qui talem à Deo omnium conditore naturam non accepit; bonus enim creatus est, & vnà cum incorporeis virtutibus conditus. At vbi spontè in nequitiam declinauit, tùm honore priuatus est, quem ab initio sortitus erat, & in terram proiectus, maledictionem recepit.

Ephes. 6. Et Commentarijs in Epistolam ad Ephesios, super illud; Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem.

Erant ex bonis ordinibus mali Dæmones; sed propter improbitatem ab illo ordine exciderunt. Habent autem nunc quoque appellationes ad conuincendam eorum execrandam malitiam.

IOANNES Cassianus, collatione quarta, capite quartodecimo.

Spiritualis nanque substantia, nec vlla carnis soliditate deuicta, vt excusationem exortæ in sese prauę non recepit voluntatis, ita veniam malignitatis excludit; quia nulla, quemadmodum nos, ad peccandum impugnatione carnis extrinsecùs lacessita est, sed vitio solius malę voluntatis accensa, & ob hoc sine venia peccatum, & sine remedio languor est.

Quòd Auaritia.

IGNATIVS loco asserto, & Auaritiam Diabolo ascribit.

Qui per auaritiam, & arrogantiam ad impietatem deductus es.

1. Timot. 6. D. AVGVSTINVS quodnam genus auaritiæ fuerit, eleganter explicat, de Genesi ad literam libro vndecimo, capite quintodecimo.

Cui testimonio non inconuenienter aptatur etiam illud, quod Apostolus ait; Radix omnium malorum est auaritia, si auaritiam generalem intelligamus, qua quisque appetit aliquid amplius quàm oportet, propter excellentiam suam, & quendam propriæ rei amorem; cui sapienter nomen Latina lingua indidit, cùm appellauit priuatum, quod potius à detrimento, quàm ab incremento dictum elucet; omnis enim priuatio minuit. Vnde
1. Timot. 6. *itaque vult eminere superbia, inde in angustias, egestatemque contruditur, cùm ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. Specialis est autem auaritia, quę vsitatiùs appellatur amor pecuniæ, cuius nomine Apostolus per speciem genus significans, vniuersalem auaritiam volebat intelligi dicendo; Radix omnium malorum est auaritia. Hinc enim, & Diabolus cecidit, qui vtique non amauit pecuniam, sed propriam potestatem.*

Quòd

Quòd concupiscentia terrestrium.

GREGORIVS Nyssenus Philosophię libro septimo, qui est de Libero arbitrio. *Arbitror itaque, ex his quæ dicta sunt, demonstratum esse, rationales creaturas omnes à principio optimas fuisse conditas; quòd si deinde ita permansissent, vt à principio creatæ sunt, extra omnem vtique malitiam essent. Soli tamen Angeli incorporales quidem versi sunt, & neque ipsi omnes, sed quidam ex ipsis; quicunq; videlicet se ad inferiora, aut ad terrestrium concupiscentiam spontè conuertentes, ab habitudine, quæ est ad superiora, & diuina, se separarunt, in diesq; magis ac magis separant.*

NEMESIVS libro de Animæ facultatibus, capite quadragesimo primo, & floruit circa annum trecentesimum & octuagesimum.

Soli autem Angeli inter ea, quę sunt sine corpore, mutati sunt; neque hi omnes tamen, sed aliqui, qui ad inferiora propensi, res terrenas concupierunt, cùm à propensione ad res superas, & Deum discessissent.

Quòd Furtum.

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro primo, peccatum Diaboli furtum appellauit, cùm dixit.

Diabolus autem, cùm liberum haberet arbitrium, & duci posset pœnitentia, & furari, ipse quoq; furti causa est, non autem Dominus qui non prohibuit.

Quo loco animaduertendum est, Clementem pœnitentiæ nomine, non à peccato resipiscentiam accipere; Tunc enim Origenis, cuius præceptor fuit, errori faueret, vt alij adnotarunt: sed obedientiam, atque in bono persistentiam intelligit.

HIERONYMVS Commentarijs in Iob capite vigesimo quarto.

Potest, & Diabolus homicida fur & adulter intelligi; quia ad decipiendum hominem factus est homicida, vt ait Dominus; Ille homicida fuit ab initio. Diuinitatem quoque sibi per superbiam arrogando, quam præsumptione animi sui tentauit inuadere, velut fur inuentus est, qui aliena conatur auferre. Et post. Ioan. 8. *Noctem vero peccati ipse sibi operatus est, quando ad diuinitatem inuadendam velut fur irrepere voluerat, dicens; Super sydera Cęli ponam thronum meum, & ero similis altissimo: & exinde cum suis, quos Cęli syderra appellauit, nox & tenebræ, princepsq; tenebrarum est appellatus.* Isa. 14.

Quòd Impatientia.

TERTVLLIANVS libro de Patientia.

Igitur natales impatientiæ in ipso Diabolo deprehendo, iam tunc cùm Dominum Deum vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, idest homini subiecisse, impatienter tulit. Nec enim doluisset, si sustinuisset: nec inuidisset homini, si non doluisset. Ideo decepit eum, quia inuiderat: inuiderat autem, quia doluerat: doluerat, quia patienter vtique non tulerat. Quid primùm fuerit ille Angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quęrere, palam cùm sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam; deinde inter se conspirasse, & indiuiduas in vno patris sinu adoleuisse.

Quòd Blasphemia.

HIERONYMVS In Psalmum centesimum decimum nonum.

Quod est maius peccatum, quàm blasphemia in Deum? & tamen lingua peccat. Diabolus cur de Cœlo decidit? quia furtum fecit? quia homicidium fecit? quia adulterium commisit? Et hæc quidem mala sunt: sed Diabolus non propter hoc cecidit, sed propter linguam suam cecidit. Quid enim dixit? In Cęlum ascendam, super sydera Cęli ponam thronum meum, & ero similis altissimo. Isa. 14.

Quòd Vanagloria.

IGNATIVS eadem Epistola ad Philippenses inanis etiam gloriæ peccatum Diabolo his ascribit.

Tu qui per inanem gloriam inhonoratus es.

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Matth. caput quartum, in opere imperfecto.

Sicut ergo Diabolus concupiscentia vanæ gloriæ ipse ruit de Cœlo, nam cùm esset Angelus, volens se ostendere Deum, perdidit & illud quod erat, dùm voluit apparere quod non erat; sic putauit, & Christum concupiscentia vanæ gloriæ ferri.

TATIANVS in Oratione contra Grecos.

Etenim per stultitiam suam vana gloria impulsi Dæmones, & effrenes facti, latrones Diuinitatis fieri sibi proposuerunt.

BEATVS Antonius Abbas, Epistola secũda ad Arsenoitas, vt supra relatũ est.

Pro certo est, quòd cùm se nouerit Diabolus per superbiam, & inanẽ gloriã cœlitus fuisse deiectũ, ideo &c.

Quòd Apostasia.

Patres passim Dęmoni Apostatæ nomen ascribunt, sufficiatq; mihi vnum tantùm testem præcipuum adducere.

Epist. ad Philip.

IGNATIVS loco asserto, vbi his contra Diabolum inuehitur.

Tu Belial, draco, desertor, transfuga, serpens tortuose, qui à Deo defecisti, qui à Christo separatus es, qui à Spiritu Sancto alienatus es, qui è choro Angelorum pulsus es, legum diuinarum violator, legitimorum hostis; qui contra Protoplastos insurrexisti, & Dei præcepto non parere fecisti eos, qui nil te læserunt; qui aduersus Abel excitasti homicidam Cain; qui aduersus Iob arma sumpsisti.

Quòd Incontinentia.

Non defuere Patres, qui peccatum primum Diaboli incontinentiam, libidinemq; fuisse tradant.

IVSTINVS Apologia prima pro Christianis.

Deus, cùm hanc rerum vniuersitatem effecißet, terrenaq; hominibus subiecisset, cęlestiaq; elementa, ad frugum fructuumq; copiam, & abundantiam, temporum vicissitudinibus distinxißet, & ornaßet, atque hanc diuinam legem definißet, quæ eadem hominum etiam caussa procreasse videtur: hominum quidem, eorumq; quæ Cœlo continentur, Angelis, quos ea de caussa parauit, prouidentiam, procurationemq; tradidit. Angeli autẽ, qui hunc ordinem deseruißent, cum mulieribus concubuerunt, liberosq; procrearunt, ijque sunt, qui vulgo Dæmones nominantur, & præterea reliquum hominum genus seruitute oppresserunt, quorum partim magicis scriptis, partim metu & supplicijs, partim disciplina sacrorum odorum incendendorum, & libationum inuexerunt: quæ desiderarunt omnia, posteaquàm cupiditatibus, perturbationibusq; seruierunt, atque inter homines cædis, bellorum, adulteriorum, stuprorum, libidinum, vitiorumq; omnium semina sparserunt.

Iustini sententiam sequuti sunt plures Patrum; Tertullianus libro de Idololatria; libro de Habitu muliebri, libro de Cultu fœminarum, libro de velandis Virginibus, & aduersus Marcionem libro quinto; Ioseph Antiquitatum libro primo; Athenagoras pariter in Apologetico; Clemens Alexandtinus libro quinto Stromatum; Lactantius libro secundo, qui est de Origine erroris, capite quintodecimo; Ciprianus libro quarto de Disciplina, & habitu Virginum; Eusebius de præparatione Euangelica, libro quinto; Methodius sermone de Resurrectione, Sulpitius Seuerus Historię sacrę libro primo. Cæterùm saniori iudicio libidinem hanc non carnalẽ; sed spiritualẽ interpretati sunt,

CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro tertio.

Verùm enimuerò non oportet considerare continentiam in vno solum genere, nempe in rebus venereis; sed etiam in quibuscumq; alijs, quæ luxuriosa concupiuit anima, non contenta necessarijs; sed sollicita de delicijs. Continentia est pecuniam despicere, voluptatem, possessionem, spectaculum magno & excelso animo contemnere, os continere, ratione, quæ sunt mala, vincere. Iam verò Angeli quoque quidam, cùm fuissent incontinentes, victi cupiditate, huc è Cęlo descenderunt.

AMBROSIVS de Virginibus libro primo.

Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim Angelos fecit. Qui eam seruauit, Angelus est: qui perdidit, Diabolus. Et post. *Quàm præclarum autem Angelos propter intemperantiam suam in sęculum cecidisse de Cęlo, virgines propter castimoniam in Cęlum transiße de sæculo?*

Iudicium Authoris.

Reicitur postrema sententia.

Quid ego de tot sententijs existimem, breuissimè aperiam. Postremam hanc, omnino peregrinam, erroneamq; vnusquisque dijudicabit. Quamuis enim Dęmones libidinis vitio laborasse, licet perperam, admitteremus, quod etiam non modica Patrum illorũ classis astruit, qui pro Dei filijs, quos sibi in vxores hominum filias assumpsisse, sacra Geneseos narrat, ac pandit historia, Angelos, siue Dęmones interpretati sunt, vt suo loco videbimus: adhuc tamen Luciferi, Dæmonumq; crimen illud primum, quo in ipso

Gen. 6.

ipso exordio Mundi, ante Adæ plasmationem exciderunt, libidinem fuisse, putare nun-
quam aliquis poterit, quoniam necdum mulier formata erat. Quapropter data etiam
ea Patrum interpretatione, & concesso, quòd Angeli, seu Dæmones, vt corpori obno-
xij, in libidinẽ exardescere potuerint; quod tamen plures alij Patres, & Scholastici cun-
cti constanter inficiantur, non tamen ad propositum hoc loco id dici posse, clarissimum
est; nisi libidinem spiritualẽ, seu proprij amoris cõplacentiam eam fuisse, cũ Clemente — Lib. 3. Strom.
Alexandrino, & Scoto, & alijs interpretemur. Reliquæ sententiæ in vnũ conciliari pos- — Aliæ sententiæ conciliantur.
sunt, si asseramus Luciferũ omnibus his peccatorũ generibus deliquisse, sed non simul,
vt rectè adnotauit D. Bonauẽtura, ex eo quòd Diaboli affectus simplex credatur, veluti
& intellectio. Quamobrẽ sicuti mẽte plura simul percipere nequibat, ita etiã nec affectu
pluribus se vitijs addicere, maximè ijs, quæ ad varias spectabant actiones, vllo modo po-
terat. Quis autẽ in his Luciferi criminibus ordo sit cõstituendus, nõ difficilè est obserua-
re. Verùm de his possumus theosophari, triplicique methodo inuestigare; Quod scilicet — Triplex ordo in peccatis Luciferi.
fuerit ipsius maius peccatum, quod prius, quod detestabilius. Si enim peccati pondus,
seu grauitatem inquirimus; certè superbiam ipsam maius Luciferi crimen fuisse, asse- — Superbia fuit maius peccatũ Luciferi.
rendum videtur. Ipsa enim radix est omnium criminum, à qua plura hinc, & hinc pro-
deunt peccata, tanquam rami plures ab vno stipite. Quòd si ordinem temporis, seu ori
ginis inuestigemus, profectò is ordo à nobis effingi potest, vt primam sententiam, quæ
Angelum sui fastu peccasse decernebat, insequentes asseramus: quòd ille eminentissi-
mus Angelus in sui contemplationem, reflexo intellectus radio, sua dignitate sit delecta- — Complacentia sui primũ fuit Dæmonis peccatũ.
tus, atque in inanem gloriam turpiter, ac miserè effusus, moxque turgidus factus in su-
perbiam deciderit, inde in arrogantiam, qua augustiorem dignitatem exoptare, & con-
tendere non pertimuerit, simulque ac semel in auaritiam, prout auaritia est propriæ di-
gnitatis amor, necnon & in concupiscentiam terrestrium, cùm Mundi imperium affe-
ctarit, atque in furtum, quoniam similitudinem Dei furari, animo conceperit. Quia
verò contumaci prolapsus est voluntate, ideò mox malitia correptus est, & nequitia,
obstinationeque in malum. Cùm autem, quod optarat non facilè se consequi posse
conspexerit, in impatientiam, & tandem in humani generis inuidiam, & odium præci
pitatus est, ęgrè admodum ferens hominem ad locum, & gloriam illam assumendum
fore, vnde ipse exciderat. Verùm si crimen Luciferi inuidentiam in Christum, huma-
namque naturam in eo sublimandam, fuisse asseuerabimus, certè inuidia radix fuit pec
cati ab ipsamet superbia enata; qua tumescens, inanique sui gloria elatus inuidere
cœpit. Inde in impatientiam, mox in nequitiam, post in concupiscentiam dignitatis
Christi, auaritiam, & furtum imperij Mundi, incontinentiamque sui status instan-
tanea prolapsione seipsum præcipitauit. At verò si quodnam peccatum ipsius detesta- — Apostasia, siue ingratitudo detestabilius fuit Diaboli crimen.
bilius fuerit, inuestigabimus: certè apostasiam, & ingratitudinem fuisse, qua Deum,
qui eum genuit, dereliquit, & oblitus est Dei Creatoris sui, asseuerare compellemur.

De Agminibus Angelorum, quæ Luciferum sequuta sunt.

Hac igitur præsumpta occasione, non tantùm Lucifer ipse à Deo descire est ausus:
verùm & cæteros ad defectionem impulit, deduxitque: moxque ex numero illo prope-
modum innumerabili Angelicorum exercituum duæ seiunctæ, inuicemque aduersæ
apparuere, & constitere acies: ex vna parte Lucifero non modicæ copiæ, ex altera au-
tem Michaeli reliquæ adhæserunt. Verùm quotnam cum vtroque steterint Angelo-
rum phalanges, non est compertum. Duo attamen sacra Theologia nobis, vt clara, ex-
ploratáque pandit, ac manifestat. Primùm quòd ex vnoquoque ordine Angeli sint pro- — Ex singulis ordinibus Angeli cecidere.
lapsi, Luciferique sub vexillo redacti. Doctoribus enim atque Patribus probatior est,
vt demonstrabamus, ea sententia, quæ Luciferum omnium Angelorum eminentissimũ
fuisse perhibebat, quàm ea, quæ ipsum terrestrium tantummodo Principem constitue-
bat. Quapropter, & verisimilior est assertio, quæ ex singulis ordinibus decidisse An-
gelos autumat, quàm quæ ex terrestribus tantum. Vnde & D. Thomas asserit, in eo — P. p. q. 63. art. 9. ad 3.
etiam voluntatis faciliùs comprobari libertatẽ, quando secundum quemlibet creaturæ
gradum in malũ flecti posse demonstratur. Alterum est, quòd Scripturæ, & Patres, &

Angelorum plures remansere, quàm cecidere. Apoc. 12.

Doctores, sicuti collapsorum Angelorum numerum nobis esse incompertum, vniformi diffiniunt sententia, ita plures remansisse cùm Michaele, quàm corruisse cum Dracone tradunt. Nam in Apocalypsi de Dracone scriptum est; Traxit tertiam partem stellarum. Quo ex loco, Patres etsi non definitè tertiam duntaxat Angelorum partem decidisse depromunt, saltem attamen contumaces, ac perduelles pauciores fuisse, quàm bonos, eliciendum putant. Eliseus Propheta ministro suo, qui equites, & currus innumeros vrbem obsidentes, ac circumuallantes viderat, dixit; Plures sunt nobiscũ, quàm cum illis. Ex quo loco non futile quidem argumentum desumpsere plures, quo, allegorico quidem sensu, maiorem esse sanctorum Angelorum classem, quàm apostatarum demonstrarent.

4.Reg.6.

CYRILLVS in Genesim libro primo.

Quid enim est quæso, quod te vehementer facit tristari, quia fortassis aliqui ob insolentiam, vitam beatam amiserint? At sunt plures, qui meliorem apud Deum obtinent statum, eiusque mansuetudine repleti, longis assiduisque laudibus eum efferunt.

HVGO Victorinus noster de Sacramentis libro primo, parte quinta, capite trigesimo primo.

4.Reg.6.

De numero autem lapsorum certa auctoritas nulla reperitur, omninò tamen probabile videtur, plures remansisse, quàm cecidisse. Propheta enim, cùm demonstraret currus igneos, consolans ait; Plures sunt, qui nobiscum sunt, quàm cum illis. Hinc conijcimus, plures esse electos Angelos, quàm reprobos.

D. THOMAS prima, quæstione sexagesima tertia, articulo nono.

Dicendum, quòd plures Angeli permanserunt, quàm peccauerunt; quia peccatum est contra naturalem inclinationem; ea verò, quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt; natura enim consequitur suum effectum, vel semper, vel vt in pluribus.

Dæmonum maximus est numerus.

Quanquam autem plures Angelos constitisse, quàm Dæmones decidisse, vt compertum statuendum sit: numerosæ attamen extarunt phalanges, & acies, & turbæ atræ Dæmonum, vt plures ex Patribus obtestantur.

GREGORIVS Nazianzenus de Substantijs mente præditis carmine sexto, ingens agmen fuisse, quod cum Lucifero corruit, his tradit.

Sic ille ætherea, fastu dum turget, ab arce
Corruit: at quoniam fastus grauis attulit ipsi
Exitium, haud solus cecidit, verùm agmine septus
Ingenti, sceleris cui dux fuit, atque magister.
Nam velut auertit commissum proditor agmen
Regis ab imperio: multas sic ille cohortes
Regis ab obsequio magni, cœtuque piorum
Abductos ad se allexit; nam scilicet ipse
Imperium in multos prauos cupiebat habere.

CHRYSOSTOMVS in Psalmum quadragesimum primum, beneficia Dei amplificans adiecit.

Quot Dæmones feruntur per hunc aërem? quot aduersæ potestates? Si ergo eis solùm permitteret terribilem illum suum, & horrendum aspectum nobis ostendere; an non mente dimoueremur? an non periremus? an non omnino interiremus?

D. ANTONIVS, vt Athanasius in conscripta eius vita tradit.

Ingens Dæmonum turba istum peruolat aërem, non procul à nobis hostium caterua discurrit.

AVGVSTINVS eleganter de Ciuitate Dei, libro vndecimo, capite trigesimo tertio, inclitè has duas Angelorum, Dæmonumque, discriminatas acies his describit.

Psal. 96. Matth. 4. Iacob. 4.

Nos tamen has duas Angelicas societates, vnam fruentem Deo, alteram tumentem typho: vnam cui dicitur; Adorate eum omnes Angeli eius: aliam cuius princeps dicit; Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me: vnam Dei sancto amore flagrantem, alteram propriæ celsitudinis immundo amore fumantem: & quoniam, sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: illam in Cælis Cælorum habitantem, istam inde deiectam in hoc infimo aëreo Cælo tumultuantem: illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam: illam Dei nutu clementer subuenientem, iustè vlciscentem, istam suo fastu subdendi, & nocendi libidine exæstuantem: illam, vt quantum vult consulat, Dei bonitatis ministram, istam, ne quantum vult noceat, Dei potestate frenatam: illam huic illudentem, vt nolens prosit persequutionibus suis, hanc illi inuidentem, cùm peregrinos colligit suos.

Cæterum

Cæterum caussæ, quæ tot Angelorum desertorum acies, vt in Luciferi partes descen derent, impulerunt, seu adegerunt, duæ potissimum à Scholasticis, maximèq; ab Angelico Doctore in sua Summa recensentur. Altera ipsum Luciferi exemplum. Nam illius Apostasia alijs pariter deficiendi caussa, non quidem cogens, sed suadens, & exemplo inducens extitit; ex quo illis consequutum est, vt modo Lucifero ipsi subdantur; cùm is diuinæ iustitiæ æquissimus ordo censeatur, vt cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius quoque potestati subijciatur in pœna. Quanquam verò Luciferi peccatum, cæterorum fuit defectionis occasio, omnes tamē simul ac semel peccasse existimādum est, cùm Angelus mora non indigeat ad ratiocinandum, eligendum, seu consentiendum. Quarè sublata in Angelis quacunque deliberationis cunctatione, eo momēto, quo Lucifer suum à Deo auersissimum animum patefecit, eo ipso potuere alij cōsensum præbere. Altera autē caussa superbia ipsorum fuit; cōcupierunt enim, affectaruntq; excellentiam quandam suo statu longè præstantiorem, atque augustiorem, quam profectò absque Luciferi sublimitate ab ipsis comparari non posse existimarunt, vt edocet D. Bonauentura loco asserto: Et spe eminentioris dignitatis allecti, Lucifero ipsi licet inferiori, potius quàm Deo altissimo subesse voluerunt. His igitur de caussis, desertores sub vexillum apostatæ se redegere. Moxq; amplissima illa, ac innumerabilis Angelorum multitudo, in duas seiuncta, & dispertita est classes. Quarum altera (quæ ante Regem in Throno sedentem astat, de qua dictum est; Millia millium ministrabant ei) lux nitida, nox atra altera euasit; ea prorsus rerum imagine ac euentu, quo emergente ab Oceano Sole, in aëreque nubibus obducto rutilante, nubium alias candidas, alias mox atras resilire conspicimus. Moxq; initum est prælium.

Lib. 2. dist. 1. Par. 1. q. 63. art. 8.

Due caussæ lapsus reliquorum Angelorum.

Q. 2. art. 1.

Dan. 7.

De Copiarum Angelicarum congressu.

Funesti Angelici belli authorem, causasq; enarrauimus; Duces qui, militum copiæ quales, quantæ hinc inde comparatæ essent, demonstrauimus: superest, vt earum congressum proferamus.

Vt igitur ex Scripturarum ipsarum oraculis, quæ primordijs temporum gesta sunt, per futurorum similitudinem decerpamus. En illud Apocalypsis maximè perpendendum. Signum magnum apparuit in Cœlo; Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens; & clamabat parturiens, &c. His siquidem quanquam Ecclesiam allegorico sensu, morali verò animam à Patribus grauissimis figurari edoceamur; non aliena tamen surreptitiave interpretatione asseuerare etiā possumus, quòd in ea muliere Sapientia præsignetur æterna. Hæc profectò verè Solis candore elucescens; & Lunam, hoc est vniuersa tempori obnoxia pedibus calcans; stellifera corona insignis, cùm cœlestia cūcta moderetur; in vtero, hoc est prædestinatione æterna, gestabat humanæ naturæ assumptionem; & clamabat, idest figuris, vaticinijs prædicebat; cruciabaturq;, hoc est vehementi caritate affectabat, vt pareret, vt videlicet statuto tempore humanitatem nostram imbecillem, mortalemq; assumeret. Quare Draco, Lucifer inquam, sua prauitate, inuidiæq; liuore Dæmon effectus, tertia stellarum parte, hoc est non modica Angelorum classe secum rapta, ad statutum Dei, nobis augustissimum, impediendum, totis viribus se accingebat. Tunc igitur quasi tuba strepente factum est prælium magnum. Cæterum præliorum duplex est genus: aliud corporeum, & est, quando corporis viribus dimicatur, seu armis, quæ humana solertia ad hostes proterendos excogitauit, quo armorum genere bella gerunt mortales; seu quæ natura suppeditauit, quo genere armorum belluæ, feræq; immanes inuicem decertant. Aliud spirituale; idq; multiplex secundum multiplices animi vires. Quandoque enim certamen est inter intellectum, & intellectum, quo genere belli in scholis disceptationum pugna conseritur; quandoq; inter voluntatem, & voluntatem, cùm mortales, vt diuersos sibi præscriptos fines consectentur, lites, contentiones, & iurgia exercent; persæpe inter rationem, & voluntatem, seu spiritum, & carnē; cùm aliud ratio indicat, & aliud voluntas efflagitat, vnde caro concupiscit aduersus spiritū. Bellum hoc Angelicum, quod impiè concitauit impius Lucifer, spirituale equidem fuit

Apoc. 12.

Prælium duplex, corporeum & spirituale.

Prælium spirituale multiplex.

Bellũ Angeli cum ſpirituale ſecundum tres ipſorum facultates. Iſa.c. 14.

ſecundum tres ipſis Angelis connatas facultates, intellectum videlicet, voluntatem, & naturæ vires. Intellectu acies illæ ſupernæ, præſtantiſſimiq; ſpiritus oppoſita ſentiebãt. Lucifer ſiquidem ſe Deo in maieſtate potentiæ æquiparare poſſe ſuis viribus æſtimabat dicens: Ero ſimilis altiſſimo; ipſius quoque aſſeclæ, eo duce ampliorem ſe nacturos excellentiam dignitatis arbitrabantur. Michael è contra reclamabat: Quis vt Deus? Quis vt Deus? Magno igitur conatu ſuperiores Angeli tùm boni, tùm apoſtatæ, ſuas apprehenſiones inferioribus exprimebant, ad easq; proſequendas ipſos hortabantur, atq; ſuadebant. Voluntate pariter ad oppoſita trahebantur, nam Lucifer ſuis cum agminibus propria dignitate, ac tumore ebrius, à Deo creatore deſcire, ſumma ingratitudinis labe non verebatur: Michael vero cum ſuis copijs, diuina & flagrantiſſima charitate accenſus, vt Deo cuncti adhærerent, anhelabat. Tandem & viribus ad oppoſita nitebantur. Effingat ſibi quæſo ingenuus lector, quàm ingens eſſet hoc bellum inter eas ſpirituales, Angelicasq; mentes, quarum intellectus adeo eſt perſpicax, voluntas adeo efficax, vires adeo præpotentes. Vt quid profecto miramur magna, & cruentoſa bella inter Cirum & Creſum, Xerſem & Themiſtoclem, Alexandrum & Darium, Annibalem & Scipionem, Cæſarem & Pompeum, ſeu quos alios ſtrenuos, & inclyti nominis Duces, geſta? Factum eſt igitur prælium magnum; Verè magnum, & ſupra quàm dici, aut excogitari poſſit magnum, & vndecunque magnum; magnum inquam, ex patentiſſimo loco, magnum ex Ducum ſtrenuitate, magnum ex innumeris copiarum agminibus, magnum ex genere belli, magnum ex celeritate temporis, magnum ex profligatorum ruina, magnum tandem ex victorum coronis. Hæc omnia nobis patefecit Ioannes. Prælium magnũ, ex loci eminentia: quoniam ſeu in Cœlo ſupremo, vt ſenſit D. Hieronymus, ſeu in Empyreo, vt æſtimarunt Scholaſtici, fuerit; vbiq; locus ſupereminens erat, & ampliſſimus, Trinitate ſanctiſſima ſpectatrice; magnũ ſi Ducum fortitudinẽ per-

Dan. 12.

pendas: Michael inquam Archangelus, Dux ille inuictus, de cuius principatu Daniel obteſtatur; Conſurget Princeps Michael magnus; & Eccleſia à Spiritu Sancto inſtructa decantat: Archangele Michael conſtitui te principem ſuper omnes animas ſuſcipien-

Apocaly. 12.

das; & de cuius robore in Apocalypſi legitur; Concuſſum eſt mare, & contremuit terra, vbi Archangelus Michael deſcendit de Cœlo; & Angeli eius ampliorẽ in phalangẽ coacti, quàm illi qui Luciferi vexillum ſunt ſequuti, viribus, vt dicebamus, ampliſſimis, ac ſuppetias illis ferente Deo præliabantur. Cum Dracone. Strenuus Dux certe, & Draco. Hic ſiquidem ille Lucifer, qui mane oriebatur. Hic initium viarum Dei. Hic ſignaculum ſimilitudinis. Hic plenus ſapientia. Hic perfectus decore. Hic opertus omni lapide prætioſo. Hic Cherub extentus. Hic princeps Mundi huius, ſeu tenebrarum harum. Nec mirum eſt, quòd in hoc ſæuo bello Lucifer ſymbolo Draconis magni, rufi, capita ſeptem, & cornua decem geſtantis, & cauda trahentis tertiam partem ſtellarum effingatur. Incomparabilis eſt quippe in Dracone furor, rabiesq́ue, atq; ita veſanè furit, vt nunquã conquieſcat; donec aut venenum intulerit, aut ipſe rabie exanimetur, quemadmodum pereleganti oratione declarat Euthimius. Quamobrem & Lucifer in hoc prælio nunquam deſtitit, quouſque venenum in tot ſuos aſſeclas transfudit, & rabie (quòd omnes eos inficere non poſſet,) diſcerptus, præceps è Cœlo corruit, ſeptem ſpiritualibus vitijs quaſi capitibus inſoleſcens, & cornu ſuperbiæ ſupra nouem choros Angelorum, atque decimum hominum ſe efferens. Præliabãtur inquit. Quã-

Quantũ perdurarit Angelicum Bellũ.

tum perdurauerit hoc atrox bellum, non diffinitum comperio. Patres expreſsè id nõ docuerunt, Theologi ſcholaſtici ferè omnes vnico, vel duplici momento, & initum, & abſolutum tradunt; adeo vt ſequenti mora, vt aiunt, & Angeli Sancti ad gloriam aſſumpti; & impuri, contumacesq; celerrime fuerint profligati, pulſi, atque in exiliũ acti,

Luc. 10.
Lec. 10.

iuxta illud; Videbam Sathan tanquam fulgur de Cœlo cadentem. Catherinus attamen Libello à ſe de hac re edito, vt ei aſcribit etiam Vielmius, prolixius fuiſſe bellum, quàm ſit inſtans, momentumve, aſſeueraſſe videtur; maxime ex eo quòd ſcribatur hoc loco; Præliabantur: Cùm enim prælium hoc, ait, ſpirituale, nil aliud fuerit, quàm diſcrepantia ſententiarum, mutuaq; earum ventilatio, atque diſcuſſio; fortè & plura fuerunt à primo Angelo expreſſa cæteris, & pluribus momentis; cùm Angeli non exprimant, neq; intelligant omnia ſimul, ſed vnum poſt aliud; & in re tam ardua, fortè non

adeo

adeo celeris fuit voluntas in electione; & si viribus contendebant, contentio ipsa, cùm inter strenuos spiritus agitaretur, non ita potuit subitò, seu citissimè absolui. Arbitror ego intellectiones Angelorum mensurari tempore discreto tantùm posse, cuius momenta non sunt momentis nostri temporis consimilia, & respondentia: Potuisseque ob id uno nostro momento bellum illud absolui, ob intellectus, & voluntatis Angelicæ insignem, nobisq; imperceptibilem, in functionibus efficaciam, ac celeritatē. Potuisse etiam esse momentum discretum vnum, quod alicui nostri temporis prolixitati, & moræ valuisset exæquari. Hæc siquidem nobis comperta non sunt, sed abscondita. Verùm si vt supra diffiniebamus, tot à nobis in bello Angelico ex similitudine recenseri possunt momenta, quot operationes natura sua se consequentes fuere; certè nō vnica mora, seu momento, tam arduum bellum commissum est, & absolutum. Præcessit nanque in primo Angelo sui elatio; deinde defectio, deinde expressio, qua reliquis suam affectionem manifestauit; & post subsequuta est consensio, seu electio inferioris Angeli: & si plures adhibuit expressiones Lucifer, vt Angelos inferiores peruerteret; & plures illuminationes Michael, vt fideles firmaret, nutantes retraheret; plura certè decucurrere momenta, longiusculaque mora protractum est illud bellum. Quapropter si in eo prælij successu tempus nostrum indagemus, certè vnum potuit esse momētum; cùm operationes Angelicæ præ nostri temporis decursu instantaneæ sint; si verò quadam similitudine tot momenta, quot operationes esse potuerunt, effingamus, profectò sicuti plures successere immanentes actiones se inuicem consequentes, ita & plura momenta fuisse, asserere non ineptè possumus, & diu protactum esse illud bellum. Et non valuerunt Lucifer, & desertores, Michaeli, & Sanctis copijs; tùm Dei virtute Angelis bonis opitulante; tùm quia numero, & uirtute impares essent; non ualuerunt inquam resistere, neque locus inuentus est, &c. Profligatorum rebelliumque casus hic describitur.

Quomodo vnum vel plura momenta in hoc bello.

De Profligatorum Angelorum ruina.

Quæ, quantaque fuerit ruina Angelica, quando profligati apostatæ Angeli, tanquam fulgura è Cœlo corruere, non absque maximo negotio enarrari potest. Corruere à rectitudine naturæ, in culpæ reatū; à statu beato, in miserum pœnis addictum; à sublimi Cœlo, ad infima loca. Dicam de singulis his, Culpa scilicet, Pœna, & Loco; & quàm breuissimè. Culpa ea intellectum atra fuligine obtexit, hoc est, luce destituit, non quidem naturali, sed luce gratiæ, & gloriæ, quam, si stetisset, nactus fuisset: uoluntatem deprauauit; vires si non ademit, saltem infregit, atque eneruauit. Dicam lapsus euentū. Cùm duplex cognitio censeatur Angelica, secundum D. Augustinum; Vespertina, qua res in natura ipsarum; Matutina, qua eas in Verbo contueri queunt: quemadmodum Angeli à vespertina ad matutinam profecti sunt, atque inde in meridianam transiere; cùm beati redditi perenni Verbi visione fuere ditati: ita Dæmones à vespertina ad matutinam non ascenderunt: sed prolapsi à vespertina in nocturnam deciderunt. Secreuit enim Deus lucem à tenebris, lucem appellauit diem, & tenebras noctem: ex vespertina nempè cognitione, qua seipsos perceperunt, ad referendas Creatori laudes, gratiasque rependendas non assurgentes, tenebræ redditi sunt. Quapropter cognitio Dæmonum duplici nocturnæ luci comparanda est, luci videlicet Lunæ, & stellarum. Stellarum lumen in eis est naturalis cognitio, quæ nec ablata, nec diminuta fuit; nil enim subtrahi poterat simplicitati naturæ ipsorum. Vnde Dionysius, dona naturalia, inquit, in eis integra remanent; Lunæ lumen in Dæmone cognitio est illa modica, quæ per gratiā quandoque ipsi communicatur. Reuelantur siquidem Dæmonibus nonnulla diuina arcana, uel mediantibus Angelis, uel effectibus diuinæ virtutis. Proindè Lunæ lumen in eis nitescit, sed non calefacit; Et hæc cognitio impertita ipsis ex Dei uoluntate, quid diuinum eis notificat, sed diuini amoris ardorem nullum in ipsis gignit; hoc enim est munus sapientiæ eius, quæ Spiritus Sancti est donum, & quæ ipsis nunquam condonatur; Sed quid funestius Dæmonibus contingere potuit, quàm uoluntatis decidentia, deprauatioq; , & quòd adeo in præceps lapsi sint, vt resilire nunquam se posse desperent? En mulier illa apud Prophetam in amphora clausa, super os cuius massa plumbea superposita

Casus Angelorum quo ad tria.

Zach. 5.

sita est. quæ tandem à duabus mulieribus in terrã Sennaar est deportata: Voluntas in-
quam desertoris Angeli, quæ se adeò efferebat, vt Deo altissimo seipsam æquiparare au
Lib.2.cap.3. deret, ita postmodum in mali obstinationem collapsa est, vt nunquam resipiscere, & ad
bonum reuerti queat; quoniam vt inquit Damascenus, id Diabolo fuit casus, quod ho-
q.11.arti.14. mini est mors; & quia, vt ait Albertus Magnus, prima parte Summæ de quatuor coæque
uis; prima voluntatis flexio fuit ipsis non in uia, sed in uiæ termino, & quòd, vt inquit
P.p.q.60.art. secundo. D. Thomas, cùm voluntas prosequatur intellectus apprehensionem, uti illi contingit
apprehendere immobiliter per intellectum, & homini mobiliter per rationem; Ita illi
euenit adhærere immobiliter, & homini mobiliter. Adeoque deprauata est dæmo-
niaca voluntas, fœda atque impia reddita; vt naturales ipsius actus (quanquam ex natu
ræ rectitudine boni quandoque emergant) ex deliberatione attamen mox semper de-
turpentur, & mali euadant; ita vt Dæmones nunquam nisi crimen perpetrare possint,
nec virtutem vllam seu informem, hoc est ad politicam fœlicitatem ordinatam, seu for
matam, hoc est, ad æternam beatitudinem directam, efficere queant. Asportata est
igitur amphora ista, plũbo, hoc est obstinatione occlusa, à duabns mulieribus, hoc est à
Dei iustitia & potentia, in campum Sennaar suæmet perpetuæ confusionis. Passiones
autem efferatæ sex, quæ appetitum sensitiuum consequuntur, quanquam in Dæmoni-
bus non vigeant, quia vti sunt corporis expertes, ita organis sensuum non pollent, atta-
men vt simplicis voluntatis actus esse possunt, adeo sæue, atque atrociter ipsos iactant,
ut amor nullus, nec in Deũ, nec in seipsos, nec in cæteras creaturas, ipsos demulceat, sed
odiũ immensum torqueat; spes nulla boni refocillet, sed timor de futuro ingens eos cor
rodat; gaudium nullum de proprio bono, vel breue de alieno malo lætificet: sed dolor
perpetuus, & atrox excruciat, quòd multa peroptent esse, quæ non sunt; & non esse, quę
esse perspiciũt. Vires amplius in ipsis adeptæ nõ sunt: sed coarctatę, atq; arctiùs religatę.
In ipsis quidẽ feruescit, exardescitq; immensa nocendi cupiditas, irascuntur, dentibusq;
fremunt, & tabescunt; sed desideriũ ipsorum perit, perpetuoque anguntur animi crucia-
tu, quòd non sibi à Deo permittatur id iniquè efficere, quòd ipsi iniquè, & peruersè af-
fectant: Et si quid sibi permitti conspiciunt, id omne ad maius suarum pœnarum aug-
mentum permitti experiantur. Sunt siquidem vt Sanson obligati, qui Philisteos pro-
strare nequibat, nisi seipsum contereret, atque sepeliret. Hæc siquidem culpam Ange-
lorum profligatorum sunt insequuta.

Verum grauiora, & immaniora adhuc pœnarum ipsorum incommoda, quomodo
enarrabo? maximè cùm Dæmonum calamitates sine vlla animi pietate sint referendæ?
Apoc. 12. Primùm à Cœlesti Regia deturbati sunt, ex aulaque Dei, ut extorres depulsi; Non
enim est inuentus amplius locus eorum in Cœlo. Sedes autem ipsorum hominibus
Pęna damni in Dæmonibus. mox destinatæ sunt. Quid obsecro grauius, quidue molestius ipsis contingere potuit,
quàm ea Dei summi destitui contemplatione, quæ suprema est spiritualium creatura-
rum oblectatio, fœlicitas, & beatitudo? Hæc autem pœna damni à Theologis nuncu-
patur. Insuper, & supplicio ignis vbique eos plecti, veluti qui febre ardentissima exæ-
stuant, quamplures Patrum, Theologorumque arbitrantur. Glossa super illud Iacobi
inflammata à gehenna; Gehenna, inquit, est Diabolus, propter quem facta est gehen-
na; sicut gehenna semper ardet; sic Diabolus, vbicunque sit, vel in aëre, vel sub terra,
fert secum tormenta suarum flammarum. Hæc Glossa. Deinde si anima flagitij rea,
mox decedens gehennali plectitur igne, multo magis desertores Angelos, quorum
execratior est culpa, & quibus parata est primùm gehenna, ardentissimis ignis tartarei
flammis exuri semper, existimandum est. Quod quo pacto fiat, non una consensione
difiniunt hi Doctores. Patres, qui Dæmones cuidam corpori aëreo, & maximè caligi
noso obnoxios esse perhibẽt, vt D. Augustinus, Rupertus, & alij, in eo etiam corpore
eos ab igne torqueri, cruciarique, asseuerare possunt.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima quarta, articulo quar-
to, ad tertium, inquit.

Melius est dicendum, quòd idem iudicium sit de malis animabus, & malis Angelis, sicut idem iudiciũ est de bonis animabus, & bonis Angelis. Vnde dicendum est, quòd sicut locus cœlestis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur, cùm ad nos veniunt, quia considerant illum locum, esse suum, eo modo,

modo quo dicimus honorem Episcopi non minui, dum actu non sedet in Cathedra. Similiter dicendum est, quòd Dæmones, licet non actu alligentur gehennali igni, dùm sunt in aëre isto caliginoso, tamen ex hoc ipso, quòd sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur.

Scholasticorum quamplures censent è contra, Dæmones modo nec in corpore ab igne affictari, eo quòd à corpore omnino sint soluti; nec imaginaria pœna affligi, quoniam ad eorum cruciatum non sufficeret ignis illius flagrantis, & nunquam absumentis apprehẽsio: sed ignis pœnam in ipsis vsque ad iudicij diem, quo in Barathro coarctabuntur, differri; tùm vt per eos iusti interim exerceantnr, tùm vt diuina misericordia appareat, vasa sustinens iræ apta in interitum in multa patientia.

Consequuta autem sunt casum Diaboli, non tantùm à superna Regia exiliũ, & ignis perennis cruciatus; verum etiam vt tradit D. Dionysius, furor irrationalis, demens concupiscentia, & phantasia proterua; furor inquam, non prout in irascibili viget, & feruet, & quo homo insurgit in ardorẽ, sanguine ad cor, oculos, & faciem illapso; sed prout est in intellectu, atque vt est animi ad ardua mala facinora accensio, inflexibilisq; obstinatio: Demens concupiscentia, non quæ fit ex organi alicuius læsione; sed quæ ex praui habitus confirmatione prosilit: Phantasia proterua, non prout est in anima per imagines corporum, seu phantasmata; sed in intellectu per species rerum, eo obtenebrato ex carentia illuminationis à Deo manantis. His igitur quasi furijs aguntur perpetuò Dæmones, seipsos cruciantes, & homines immani, truciq; rabie infestantes. lib. 4 de Diu. nominibus.

Tandem locum, in quem relegati sunt illi desertores Angeli, num scilicet in aërem, an potius in Barathrum, Scriptura primùm clare prodere non videtur. Quẽ in locũ relegati fuerint Dæmones.

D. PETRVS Epistola secunda, capite secundo.

Si enim Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.

Quibus videtur asserere, fuisse Dæmones in infernũ detrusos. Non desunt & plura Patrum loca, id passim obtestantia, quæ coaceruare non oportunum dijudicaui.

D. PAVLVS è contra ad Ephesios, capite sexto.

Colluctatio est nobis aduersus Principes, & potestates Mundi huius, aduersus rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cęlestibus.

Et secundo capite ad Ephesios.

Et vos, cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum Mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

Et in Apocalypsi capite duodecimo, post finem belli illius Angelici scribitur.

Proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocabatur Diabolus & Sathanas, qui seducit vniuersum Orbem: & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et Post. *Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Et postquam vidit Draco, quòd proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.*

Quibus omnibus apparet, actos fuisse Dæmones in hunc aërem caliginosum, quasi in locum exilij; permissumq; eis fuisse ipsius aëris principatum.

Patres, ac Doctores ferè omnes, in hanc secundam properant sententiam; sufficiatq; mihi Patrum trium obtestationes, ac Doctorum similiter trium decisiones subnectere.

IVSTINVS in Admonitorio, Diabolum de Cœlo tantùm deturbatum, atque eiectum, Homerum intellexisse his tradit.

Similiter quoque de humani generis hoste de Cęlis proiecto, quem diuinæ scripturæ Diabolum nuncupant, (id enim nomenclaturæ à prima in hominem calumnia sortitus est) si quis exactè considerauerit, inueniet, à Poëta mentionem factam, non quòd eum proprio Diaboli signarit nomine, sed ex pessima illius operatione cognomen indiderit: quippè qui ἄτην, hoc est damnum appellauerit, idq; de Cœlo ab ipsorum Deo detrusum asseruerit. Et tanquam exactè memor verborum, quæ de illo protulit Esaias Propheta, ita in sua poësi scriptum reliquit.

Actutum comptis damnum cepisse capillis
Dicitur iratus, stabilem iuratus Auernum:
Nunquam Stelligeros rediturum rursus in axes.
Sic fatus, celso damnum detrusit Olympo.

D. BASILIVS Homilia, quòd Deus non est auctor malorum.

Dignitas verò ipsius principalis est; aduersus enim Principes, & Potestates, inquit, aduersus rectores tenebrarum harum. Locus autem principatus aër, sicut idem memorat; Contra principatus, & potestates aëris, spiritus Ephes. 6. Ephes. 2.

Ioan. 12. Ioan. 14. Ephes. 6. Psal. 49. Psal. 106. *spiritus qui operatur nunc in filios inobedientiæ. Idcircò, & Mundi princeps appellatur, quoniam circa terras est eius imperium, quod & Dominus ipse testatur; Nunc iudicium est Mundi, nunc princeps Mundi huius eijcietur foras. Et rursus; Venit princeps Mundi huius, & in me non habet quicquam. Quoniam autem dicitur de exercitu Diaboli ab Apostolo; Spiritalia nequitiæ in cœlestibus, scire oportet, quòd Scriptura Cœlum aërem solet appellare, vt est illud; Volatilia Cæli. Et alibi; Ascendunt vsque ad Cœlos, hoc est, in aëris sublimitatem longè tolluntur.* Luc. 10. *Ideo Dominus Satanam vidit, vt fulgur de Cœlo cadentem, hoc est, ex proprio principatu ad ima ruentem, vt planè ab ijs, qui in Christo sperant, conculcaretur.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Epistolam Pauli ad Ephesios, in caput secundum.

Paulus cur dicit eum principem sæculi huius? Quoniam tota ferè humana natura seipsam illi dedit, & omnes sua sponte ei seruiunt, & ex libero animi instituto & arbitrio. Et Christo quidem bona promittenti innumerabilia, ne animum quidem adhibet quispiam; illi autem nil tale pollicenti, sed ad gehennam trasmittenti cedunt omnes. Sed principatus eius est in hoc sæculo, & is plures habet, quàm Deus, & ei magis cedentes quàm Deo, præter paucos, propter nostram socordiam. Secundùm potestatem, inquit, aëris spiritus. Hoc rursus dicit, quòd locum habet sub Cœlo, & spiritus rursus aërei sunt incorporeæ potestates eo operante. Ephes. 6. *Nam quòd sæcularis sit eius principatus, hoc est, qui cum præsenti sæculo dissoluitur, audi eum dicentem in fine epistolæ; Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, & aduersus Mundi rectores tenebrarum huius sæculi. Nam ne cùm audieris, Rectores tenebrarum, dicas etiam ipsum esse increatum, alibi etiam nequam sæculum vocat tempus peruersum, non dicens de creaturis: mihi enim videtur, si fuisset princeps sub Cælo, non fuisse casurus à principatu, etiam post transgressionem.*

D. AVGVSTINVS in Enchiridion, capite vigesimo octauo.

Angelis igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum, & in huius aëris imam caliginem de superna cœlesti habitatione deiectis, residuus numerus Angelorum in æterna cum Deo beatitudine, & sanctitate permansit.

Et Enarratione in Psalmum centesimum quadragesimum nonum.

Ephes. 2. *Propterea ad istam caliginosam, idest, ad hunc aërem, tanquàm ad carcerem damnatus est Diabolus, de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum Angelis suis: nam Apostolus hoc de illo dicit; Secundum Principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ. Et alius Apostolus dicit; Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in iudicio puniendos seruari: infernum hoc appellans, quòd inferior pars Mundi sit.*

MAGISTER secundo Sententiarum distinctione sexta.

Ephes. 6. *Diabolum cadentem huius caliginosi aëris habitaculum excepit. Et hoc ad nostram probationem factum est, vt sit nobis exercitationis caussa. Vnde Apostolus; Colluctatio est nobis aduersus Principes & potestates Mundi huius, & aduersus rectores harum tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus: quia Dæmones, qui sunt spirituales, & nequam, in hoc turbulento aëre nobis propinquo, quod Cælum appellatur habitant. Vnde, & Diabolus princeps aëris dicitur. Non enim est eis concessum habitare in Cælo, quia locus clarus est, & amœnus: nec in terra nobiscum, ne homines nimis infestarent. Sed iuxta Apostoli Petri doctrinam in Epistola canonica traditam, in aëre isto caliginoso, qui eis quasi carcer vsque ad tempus iudicij deputatus est: tunc autem detrudentur in barathrum Inferni secundum illud: Ite maledicti in ignem æternum,* Matth. 25. *qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius.*

Vnum autem adijcit notatu dignissimum: Dæmonum scilicet ipsorum nonnullos quotidie in Infernum descendere, vt animas impiorum ludificent, & torqueant.

D. THOMAS, relegationis huius rationem reddidit, non prætermittendam: P. par. q. 64. art. 4. bonum scilicet à diuina prouidentia directè per Angelos bonos, & indirectè per malos procurari; Quare iniquis Angelis deberi duplicem locum; alterum ratione culpæ, & est Infernus; alterũ, ratione exercitationis humanæ, & est caliginosus aër: In quo vsque ad diem Iudicij persistent; quemadmodum & eorum indirecta salutis nostræ procuratio vsq; tunc protendetur.

Idipsum D. Bonauentura secundo Sententiarum, distinctione sexta, articulo secundò, quæstione prima. Quibus, & hæc adiecit.

Aër enim caliginosus propter caliginem conuenit tenebrositati culpæ: sed propter mobilitatem, & subtilitatem conuenit Angelicæ velocitati: vnde sicut aliquibus viris sanctis ostensum est, frequenter circa nos volitant vt muscæ.

Communi igitur, tutaque sententia Patrum, diffiniendum est, Dæmones in hunc aërem caliginosum, & non in Barathrum relegatos, in exiliumq; pulsos fuisse.

D. Petri authoritatem Magister secundo Sententiarum, distinctione sexta elidit, cùm Tartarum interpretatur aërem hunc caliginosum, cui tanquam carceri vsque ad iudicij diem mancipati sunt.

Num Lucifer in Infernum detrudatur.

Superest autem difficultas, quid sit sentiendum de Lucifero illo apostatarum Duce. Difficultas autem hæc emersit ex eo Scripturæ loco; Et uidi Angelum descendētem de Cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum, ut nō seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solui modico tempore. Et post. Et cùm consummati fuerint mille anni soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est, ut arena maris. Apocal. 20.

Locus hic diuersas habet interpretationes. Patres illi, qui Millenariorum nomen sumpsere, quorum non modica est classis, hos mille annos, quibus Luciferum in Barathrum fore detrudendū tradit Scriptura, eos mille annos interpretantur, in quibus post sex millenarios, (totidem enim duraturum fore hoc uniuersum ipsi existimant) electi in Mundo summa cum hilaritate, corporisq; & animi tranquillitate persistent, quousque tandem denuo solutus Satan ingens in ipsos inferet bellum: sicque demum incendio conflagrabit Mundus; Resurrectio fiet generalis; ac postremo uniuersale omnium iudicium.

LACTANTIVS libro septimo, capite vigesimoquarto, hunc Mundi renouati statum vberiùs describit: de Dæmone autem hæc habet.

Etiam princeps Dæmonum, qui est machinator omnium malorum, catenis vincietur, & erit in custodia mille annis cœlestis imperij, quo iustitia in Orbe regnabit, ne quid malum aduersus populum Dei moliatur.

Prosequiturque amplius capite vigesimosexto, enarrare qua serie post mille annos, solutus denuo Lucifer bellum magnum ciuitati sanctæ inferet: donec tandem Deus Solem adeò inflammabit, ut omnia comburat, fietque postrema Mundi renouatio, secundaque omnium resurrectio.

HIERONYMVS libro vndecimo in Ezechielem, capite trigesimosexto, fictitiam hanc Millenariorum sententiam, uti Iudaicam fabulam, eiusque sectatores memorat, irridetque dicens.

Neque enim iuxta Iudaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam, & auream de Cœlo expectamus Hierusalem: nec rursum passuri circuncisionis iniuriam: nec oblaturi taurorum, & arietum victimas: nec Sabbati otio dormiemus. Quod & multi nostrorum, & præcipuè Tertulliani liber, qui inscribitur de Spe fidelium, & Lactantij institutionum volumen septimum pollicetur, & Victorini Pictauiensis Episcopi crebræ expositiones, & nuper Seuerus noster in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit: & vt Græcos nominem, & primum extremumque coniungam, Irenæus & Apollinarius.

Mentionem egit de his placitis etiam Hieronymus in Proœmio in decimumoctauū librum Commentariorum in Esaiam. Loca autem Patrum à Hieronymo memoratorum sic colligito. Tertullianus libro de Resurrectione carnis, capite vigesimoquinto; Aduersus Marcionem libro primo, capite vigesimonono; libro tertio, capite vigesimoquarto; & libro quarto, capite vigesimonono; & in fragmentis libri de Spe fidelium. Irenæus libro quinto de Hæresibus. Iustinus Dialogo aduersus Triphonem & Militonem. Lactantius libro secundo, capite decimotertio; & libro septimo, capite vigesimoquarto. Victor in Apocalypsim antequam à D. Hieronymo castigaretur; & eodem teste, Seuerus in Dialogo de vita Sancti Martini. Vtcunque sufferri posse hoc placitum, D. Augustinus libro vigesimo de Ciuitate Dei non inficiatur. Cæterum hęc quàm fictitia sint, & quantum Milliariorum, seu Chilliastarum aspernanda sint figmenta, plures Patrum decertant; præcipuè D. Hieronymus locis assertis; Eusebius Hæresi septuagesimasexta. Sed hæc suo loco luculentiùs demonstrabimus.

PROSPER in Prædictionibus, quarta parte, capite quarto, duas protulit præfati numeri supputationes,

Mille verò anni, aut à parte totum accipiendi sunt (vt Petrus dicit Apostolus; Vnus dies enim Domino sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus) aut ab exitu sermonis, quando à Daniele septuaginta hebdomadæ taxatę sunt futurę vsque ad Christum ducem. Nam tunc esse bellum factum, vt Michael & Angeli eius pugnarent cum Dracone, & Danieli Angelus ostendit dicens; Missum se esse, vt pugnaret cum Principe 2. Pet. 3. Dan. 9. Dan. 10.

Regni Persarum, & non est, ait, qui me adiuuet, nisi Michael princeps vester. In quo bello Diabolus victus est, & principatus eius, sicut eidem Prophetæ in initio, ita Ioanni in fine temporis ostensum est. Vt illi quadringenti nonaginta anni, & isti qui excurrunt ab aduentu Saluatoris vsque in solitudinem eiusdem Diaboli, concludant mille annos, in quibus ligatus est Diabolus, ne vltra seduceret nationes, quas ante possederat in Idololatrijs.

Patres quamplures, præcipuè Richardus de Sancto Victore Commentarijs in Apocalypsin; Doctores Scholastici omnes, duce Magistro: eam Luciferi relegationem ab eo tempore, quo tentauit Christum in deserto, vel quo in passione deuictus est, effectam fuisse autumant, in qua mille annis, hoc est, vsq; ad Antichristi tempora, vinctum permansurum perhibent. Quæ interpretatio longè communior, acceptior, & probabilior censetur. Tandem nec aberrant, qui cum Magistro putant Satan dici relegatum nunc, seu uinctum, quòd ea nocendi facultate sit destitutus, quæ ipsi miseranda Antichristi tempestate, qua soluendus dicitur, à diuina prouidentia permittetur.

Lib. 6. cap. 7. Lib. 2. senten. dist. 6.

De Coronis Beatorum Angelorum.

Profligatis contumacibus, deiectisq; apostatis, qua lætitia affecti sint Angeli sancti, tali, tantaque parta victoria; in quos concentus proruperint, quas Dei Optimi Maximi laudationes decantarint, dum à cardine ad cardinem Mundi exultantes vociferarent, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi; Quæque etiam coronæ, seu quæ præmia illis obuenerint, nec intellectus humanus pertingere, nec mens contemplari, nec lingua vnquam celebrare posset. Dicam de gloria, quæ eorum fuit corona. Extemplo igitur à merito ad prẹmium assumpti fuerunt Angeli, beatitudinisq; compotes facti, ac secũdum gradus perfectionis, illis natura insitos, collata sunt eis præstantissima dona, & amplissima beatitudinis præmia. Exigebat equidem id primum diuina Sapientia; nam quemadmodum naturam Angelicam constituit Deus ad gratiam, gloriamque adipiscendam valde propensam; ita & naturæ gradus, ad diuersos gradus gratiæ & gloriæ suscipiendos, Deum ipsum disposuisse, illisque inseruisse censendum est. Deinde id etiam expetebat natura ipsa Angelica, quæ ab aliquo obstaculo non præpedita, simplex enim erat, neq; ex diuersis conflata naturis, vt homo, in quo sensilis vis intellectionem deprimit, propria uirtute cuncta in bonum dirigebat. Ita ferè D. Thomas. Cæterum gloria ista in eminentissimæ, ac superexcelsæ Dei maiestatis clarissima intuitione, ardentissima dilectione, ac iucundissima fruitione consistit. Ex uespertina igitur cognitione (ut de prima disseramus parte) Angeli ad matutinam exurrexerunt, inde in meridianam profecti sunt. Quapropter trium illi cognitionis generũ, nempe naturalis, gratuitæ, & beatificæ, compotes effecti sunt. Splendent profectò Stellæ, & Luna, etiam Sole effulgente, quamuis ampliori offuscatæ lumine à nobis non cernãtur. Remansit pariter natiua cognitio in Angelo, nec ab eo sublata est diuinorum mysteriorũ intellectio, quandoq; ex gratia ipsi impertita, quanquã amplissima Dei uisione fuerit insignitus, & decoratus: quoniã pallens cognitio naturalis coruscantissimo lumine gloriæ non fuit amota; nihilq; prohibet Angelum idipsum cognoscere, & in Dei ineffabili essentia, quod est munus beatificæ scientiæ, & per connatas sibi rerum species, quod spectat ad cognitionem naturæ; quemadmodum nil uetat à nobis idipsum percipi posse demonstratione, & per probabiles caussas, seu conspici per species proprias rerũ conspicabilium, & per retusas à speculo. Verùm non pigeat de hac Angelica Dei visione dubias Patrum sententias audire.

Apoc. 12.

P. p. q. 62. art. secundo.

Num essentiam Dei videant Angeli.

Deum clarissima intuitione ab Angelis non videri, sensisse visi sunt Patrum nonnulli.

MARTIALIS Apostolus, Confessor, & Episcopus Lemouicensis ad Burdegalenses Epistola, capite decimo.

Scitote intelligentes, quia vltra omnem sensum Angelicarum Potestatum: & Virtutum, vera Diuinitas excellit, quam impossibile est etiam à Spiritibus Angelicis comprehendi.

CHRY-

CHRYSOSTOMVS Homilia in Ioannem quartadecima, Dei naturam, & substantiam ab vlla creatura conspici non posse, his tradit.

Sed quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli. Sed si eos percunctaberis, nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantùm referentes; Gloria in altissimis Deo. Lucæ 2.

Et paulo post addit.

Quòd si omnis natura creata est, quanam ratione increatum videre poterit? Nam si incorpoream virtutem, quamuis genitam, non possumus manifestè conspicari, & hoc sæpenumero in Angelis ostensum est: multo minus incorpoream, & ingenitam substantiam. Quarè Paulus; Quem, inquit, nemo vidit vnquam, neque videre potest. 1.Tim.6.

Et infra occurrens obiectioni, quæ his obstare videtur, inquit.

Quænam illa sententia est, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est? Et; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt? Cogitationem nanq; , atq; imaginationem, quam pro viribus nostris de Deo capimus, eam visionem appellat. Neque aliter de Angelis intelligendum est, propter puram ipsorum, & nullo somno obnoxiam naturam, cùm nihil aliud quàm Deum semper mente agitent. Matth. 18. Matth. 5.

Et de incomprehensibili Dei natura Homilia tertia.

Quòd si Virtutes tam expletæ scientiæ compotes, nec condescensum quidem Dei valeant tolerare: quantæ sit amentiæ facinus, quæso, homines, in quibus particularis quædam inest scientia, Paulo auctore, qui ex parte cognoscimus, inquit, & per speculum in ænigma, ea sibi perspicua, explorataq; haberi putare, quæ ne illis quidem patere Virtutibus liceat? Statueram quidem non modò Cherubin, ac Seraphim, verum etiam Principatibus, Potestatibus, & omni virtuti creatæ, Deum esse incomprehensibilem explicare. 1.Cor. 13.

THEODORETVS Dialogo inscripto, Immutabilis, in quo Orthodoxus, & Eranistes loquuntur, hæc habet Orthodoxus.

Nos autem & pijs rationibus vtentes, & diuinis sententijs credentes, quæ apertè clamant, Deum nemo vidit vnquam, dicimus ipsos non vidisse diuinam naturam, sed visiones quasdam, quæ eorum facultati conuenirent, nec eius modum excederent. Eran. *Ita dicimus.* Orthod. *Ita ergo de Angelis intelligamus, audientes; Quotidie vident faciem Patris vestri: non enim vident diuinam substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ vniuersa comprehendit: sed quandam gloriam, quæ eorum viribus respondeat, sitque eis commoderata.* Eran. *Hæc ita habere in confesso est.* Ioan. 1.

Et Dialogo primo.

Ita ergo de Angelis intelligamus, audientes; Quotidie vident faciem Patris vestri. Non enim vident diuinam substantiam, quæ nec circunscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ vniuersa comprehendit: sed quandam gloriam, quæ eorum viribus respondeat, sitq; eis commoderata. Matth. 18.

Et libro inscripto, Basilij, & Gregorij Dialogus de inuisibili Dei essentia.

Quemadmodum Angeli Dei essentiam non capiunt, aut cernunt, sic neque Angelorum naturam homines, nisi gloriam, & id imperfectè, & aliqua ex parte.

THEOPHILACTVS Commentarijs in cap. primum Ioannis.

Cæterum dixerit hic fortasse quisquam; quomodo hoc loco discimus, quòd nullus viderit Deum; cùm Propheta dicat; Vidi Dominum? Vidit quidem Propheta Deum, at non ipsam substantiam, sed similitudinem, & apparentiam quandam, sicut capere poterat. Et alius iterum in alia figura vidit, & alius in alia. Vnde scilicet non ipsam veritatem viderunt; non enim diuersis figuris illam vidisent, quæ simplex est, & infigurabilis, quin neque Angeli vident substantiam Dei, quamuis dicantur videre faciem eius. Hoc enim totum indicat, semper Deum eis apparere: Filius igitur ex omnibus hominibus semper videt Patrem. Isa. 6.

EVTHIMIVS his consentiens in Commentarijs pariter in primum caput Ioannis.

Nulla creatura Deum videt, non materialis tantùm, sed & immaterialis, siquidem ipsis quoque immaterialibus Virtutibus inuisibilis est Deus in sua natura, licet prout sibi conceditur Deum videant.

ATHANASIVS in illud; Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Matth. 11.

Homines profectò sunt audaces, & proterui, qui non tremunt eam gloriam, in quam cupiunt Angeli proni, inclinatique aspicere, cùm præ illis longè sint natura, & ordine sublimiores; quid enim propinquius Cherubinis, & Seraphinis? Illi non obtuentur hanc maiestatem, aut in pedibus erectos se tenent, immò ne faciem quidem nudam relinquunt: sed ea obuelata, gloriam, maiestatemq; Dei labijs nunquam cessantibus extollunt, nihil aliud quàm diuinam, & ineffabilem naturam triplici titulo sanctitatis glorificantes.

Verùm ex aduerso omnes ferè Patres Angelos, & Verbum, & in Verbo cuncta videre obtestantur.

D. Petrus vt habetur apud Clementem Recognitionum libro tertio. Deus videtur mente non corpore, spiritu non carne, vnde & Angeli, qui sunt spiritus, vident Deum.

GREGORIVS Nazianzenus de Theologia libro secundo.

Scimus Angelos, Archangelos, Thronos, Dominatus, Principatus, Potestates, splendores, ascensiones, Virtu-

tes mentales mentes, vel naturas puras, & incorruptas ad malum si non immobiles, certè ægrè mobiles, vt quæ circa primam caussam semper exultent, nisi alius aliquis verbum aliud his laudandis aptius inuenerit, & in quas ex illo inhexausti luminis fonte, limpidissimi sanè deriuentur riui, idq; pro cuiusq; naturæ dignitate, ordinisque gradu. Imprimitur adeò eis tanta pulchritudinis forma, vt sint & ipsi secunda lumina, possintq; ipsius primæ lucis riuos deinceps per se, velut quosdam canales, in inferiores naturas deriuare.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro quarto, capite vigesimoquarto.

Quapropter cùm Sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, si viam, quæ nobis Christus factus est, vsque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, Verboq; eius vnigenito filio, sicut Patri æqualis est, perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia; proculdubio vniuersam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius nouerunt; in quo sunt omnium etiam, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quem facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura, quã sic nouerunt tanquam infra despicientes, eamq; referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes, secundùm quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo tanquam per diem, vnde & concordissima vnitas eorum eiusdem veritatis participatione dies est primitus creatus, hic autem tanquam per vesperam, sed continuo fit mane.

Et vndecimo de Ciuitate Dei cap. vigesimo nono.

Illi quippe Angeli Sancti non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis, hoc est, Verbum eius vnigenitum, & ipsum Verbum, & Patrem, & eorum Spiritum Sanctum; eamq; esse inseparabilem Trinitatem, singulasq; in ea personas esse vnam substantiam: & tamen omnes non tres Deos esse, sed vnum Deum ita nouerunt; vt eis magis ista sint nota, quàm nos ipsi nobis cogniti sumus. Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est, in sapientia Dei, tanquam in arte, qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt: ac per hoc, & seipsos ibi melius quàm in se ipsis.

GREGORIVS Magnus Expositione in Iob. libro decimooctauo, capite trigesimo octauo.

1. Pet. 1. *Sed quia de Deo per primum Ecclesiæ prædicatorem dicitur; In quem desiderant Angeli prospicere: sunt nonnulli, qui nequaquam Deum videre vel Angelos suspicantur, & tamen dictum per veritatis sententiam* Matth. 18. *scimus: Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est. Nunquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia vtraque confertur, quia sibi nequaquam discordet agnoscitur. Deum quippe Angeli, & vident, & videre desiderant; & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minimè perfruantur; desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt; quia nunquam simul pœna, & beatitudo conueniunt. Rursum cùm eos dicimus Dei uisione satiari, quia &* Psal. 16. *Psalmista ait: Satiabor dum manifestabitur gloria tua: considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Vt ergo rectè sibi vtraque conueniant, dicat veritas; Quia semper vident: dicat prædicator egregius: Quia semper videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.*

HIERONYMVS in Esaiam libro primo, in caput primum.

Homo igitur Dei faciem videre non potest, Angeli autem etiam minimorum semper uident faciem Dei.

Et libro sexto in decimum quartum caput.

Nec pastores ibi requiescent, Angeli videlicet, qui humano præsunt generi, & quotidie vident faciẽ patris.

Et in Ezechielem Prophetam libro vndecimo, in trigesimum quartum caput.

Ecclesiæ, quarum Angeli quotidie vident faciem Dei.

AVCTOR.

Ab œcumenica, sacrosanctaq; Theologia diffinitum comperimus, Angelos ad beatitudinem ascitos ineffabilem Dei essentiam conspicari & contemplari. Cæterum pro cõciliandis his Patrũ controuersijs, duæ possunt afferri distinctiones; Altera Angelos excelsam Dei essentiam naturali sua virtute intueri non posse: sed beatifica tantùm, & supernaturali facultate; Altera quòd aliud sit videre, conspicereq;, & aliud comprehẽdere, nempe simul totum apprehendere, & capere, vt D. Thomas doctissimè adnotauit. Fieriq; posse, vt Angeli Deum videant, sed non comprehendant: solus enim Deus sicut seipsum perfectè nouit, solus etiam suiipsius substantiam, qualis, quantaq; sit, integrè, & omnifariam comprehendit. Quapropter, & benè Chrysostomus Angelicam visionẽ Dei essentiæ, ut ingenitæ, & infinitæ, cogitationem, atque imaginationem appellauit, quoniam non quantus sit Deus Angeli comprehendunt, sed tantùm cogitant, atque imagi-

Angeli quomodo Deũ videant.

Lib. 4. sent. dist. 49. q. 2. art. 3.

imaginantur, atque hoc pacto Deus incomprehensibilis est; nam tota eius substantia, nec ab Angelo, nec à beato homine comprehendi potest. Et bene Theodoretus asserebat, Angelos non uidere diuinam substantiam, hoc est non totam, quòd nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi possit, vt potè ea, quæ in seipsa vniuersa comprehendit: sed quandam gloriam, hoc est, Dei visionem quandam, quæ eorum viribus respondeat, sitque eis commoderata. Theophilactus quoque eleganter asserit, Angelos substantiam Dei non intueri, quamuis faciem eius videre perhibeantur: hoc est, non totam Dei substantiam, sed partem eam, quæ ad eos beandos spectat, contuentur. Inuisibilis quidem (ut ait Euthimius) in sui natura est Deus, attamen illum Angeli prout eis ipse elargitur, beatissimè conspicantur.

Intellectus igitur Angelicus præmium illud augustissimum retulit, uidelicet, ut incircumscriptum lumen cerneret, ut fulgentissimo Dei aspectu perpetuò frueretur. Voluntas pariter duplicem suæ electionis mercedem percepit, vtranque ingentem, vtranque ineffabilem; nempe flagrantissimum diuini amoris ardorem, & indiuiduam Deo inhæsionem: perenne enim firmamentum, ac stabilitatem nacti sunt Angeli, tùm dono perseuerantiæ à Deo sibi elargito, tùm immobilitate ad bonum comparata; ex eo quòd voluntas ipsa fini ultimo, & augustissimo, qui est Deus, fuerit coniuncta. Hæc Albertus Magnus. Vt statera nimirum librata erat uoluntas Angelica, cùm ad vtranque declinare partem ualeret, sed pondere amoris ad centrũ, hoc est, Deum perueniens, immobilis reddita est: Diuino etiam amore, quo nihil suauius, Angelica uoluntas exarsit, est enim diuinus amor ceu rubus ille, quem Moses semper quidem ardentem, at nunquam combustum mirabatur. Deus profectò ignis est, sed nõ comburens: Angelum siquidem, uel animam, in qua eius dilectio ardet, non absumit; quin potius fouet, ac uiuificat: amor uerò sui, uel rerum terrenarum, ignis ardens est, & comburens; cùm animã torreat, uel magis exanimet, ad mortemque perducat. Hoc igitur perenni amore esflagrantes Angeli, quasi nectare Deo fruuntur.

Intellectus & volũtatis Angelorum præmium.

P.p. quæst. 6. art. 3.

Exod. 3.

Cæterum (quod maximum fuit post tantam comparatam victoriam) Angelica natura, quæ surrexerat vt aurora, puritate suę naturæ nitescens reddita erat vt Luna, quando gratia fuerat insignita; illustrata vt Sol, cùm gloria condecorata; aliudq; excepit præclarissimum præmium, dum in ordines redacta est, terribilisque effecta, ut castrorum acies ordinata. In amplissima siquidem Dei Regia, aulaque coruscantissima, ciues Angelici aureas sedes exceperunt; vniuersaque insigni adeò sapientia distributa sunt, ut nunquam Regina Sabba satis demirari posset ordines ministrantium in domo æterni Salomonis, & dispertita ipsis officia, ac ministeria circa Deum, & Mundum. Dicam de his breuissimè. Quemadmodum Deus Trinus est, ita in aula Dei omnia ad Triadem redacta sunt. Sub Principe igitur Deo Angelorum amplissima multitudo in tres Hierarchias seiuncta, & secreta est; primaque conflata ex eis, qui Deo, ut natura perfectissimi, assisterent, & illuminationes rerũ à Deo, principe, uniuersalique caussa caperent, & quasi in uestibulo diuinitatis collocarentur. Altera eorum qui Mundi regimini supereminerent; rationesque rerum ab uniuersalibus creatis causis indagarent. Tertia tandem eorum, qui ministrarent, & à proprijs, proximisque caussis rerum rationes exciperent. Rursum in vnaquaq; Hierarchia tres ordines seiuncti sunt, singulisq; ordinibus diuersæ functiones, & munera distributa. Prima Hierarchia complexa est Seraphim, Cherubim, & Thronos, qui Deo uoluntate, intellectu, natura adhærerent. Seraphim Deo uoluntate rapida datum est coniungi: Cherubim diuina secreta supereminenter in Deo cognoscere: Thronis Deum in se recipere. In secunda autem Hierarchia secundum D. Dionysij doctrinam enumerantur, Dominationes, Virtutes, Potestates, ex auctoritate D. Pauli, qui habet; Instituit autem illum (hoc est Christum) ad dexteram suam in cœlestibus super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Horum officia sunt, ut Dominationes ea quæ agenda sunt, diffiniant, & imperent; Virtutes uim & robur ad ea exequenda impertiantur; Potestates ea quæ diffinita, & imperata sunt, ordinent, ut effici possint. In tertia pariter comprehenduntur ex D. Dionysij doctrina, Principatus, Archangeli, & Angeli. Principatuum munus esse uoluit ducere, & dirigere; Archangelorum dirigere, & operari; Angelorum verò tantùm

Hierarchiæ Angelorum tres, & earum munera.

Ephes. 1.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. Idest, Ignis emicans ad superas partes prosiliens.

Colosſ. 1.

tum exequi. Verùm D. Gregorius hanc Angelicorum ordinum seriem aliquo pacto inuertit, ea ductus D. Pauli authoritate, quæ habet. Siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. In secunda igitur Hierarchia D. Gregorius, Dominationes, & Principatus, & Potestates subcludit; Dominationumq; munus, & officium esse, quæ agenda sunt diffinire, & imperare; Principatuum puris spiritibus præsidere; Potestatum malos, hoc est, Dæmones arcere, tradit. In postrema Hierarchia tandem, Virtutes super omnia corporea ad miracula patrāda imperium habere; Archangelos ea reuelare, quæ magna sunt, atque rationem transcendunt; Angelos demum parua, & ad quæ ratio se extendit, sapientissimè edocet.

ATHANASIVS de Communi essentia Patris, Filij, & Spiritus Sancti ad finem, alterum defert ordinum Angelicorum discrimen.

Cæterum, quia ipsi ordines, & milites denominantur, restat, vt ordinem distinguamus, in ordinem docentiū, permittentium, punientium, eorumq; qui animabus gratificantur, & qui apud homines permanent. Et quemadmodum discrimen ordinis in supernis potestatibus cognouimus; ita quoque stationis, & scientiæ discrimina sunt: Throni scilicet, Cherubim, & Seraphim, qui continuò, & sine vllo mediatore, aut intrepete à Deo condiscunt, vtpotè cæteris sublimiores, & Deo propinquiores, & ab ijs erudiuntur inferiores ordines, atq; ita deinceps cæteri pro suo gradu: postremi autem omnium sunt Angeli, qui & hominum pędagogi sunt censendi.

Patrum, Doctorumq; plurimi de his plura edisserunt: sed præcipuè D. Dionysius de Cęlesti hierarchia, & Gregorius; ex quibus quæ à nobis hucusq; sunt tradita D. Thomas decerpsit. Excepere igitur acies illæ Angelicæ post partam victoriam ordinem, iā prius in natura insitum, ex gradibus donorum gratiæ, & gloriæ; excepere & munera, officiaq; enarrata. De quibus non meæ sed Theologorum partes sunt plura disserere. Hæc igitur iam condito Chaos, ante eius discretionem, & venustationem, in primordio temporum, inter Angelos gesta sunt. Tempus iā expostulat, vt deinceps ad alia trāseamus.

Catena Patrum lucem eam priscam corpoream fuisse existimantium.

Patres omnes ante D. Augustinum, & post ipsum quamplures, Mosis literam secundum vsitatam significationem capientes, lucem eam, quam primordiali die prosilijsse audiuimus, corpoream fuisse omnino reputarunt. Quanquam in explicando quid ipsa esset, in aduersas profecti sint sententias. Postulat igitur institutum nostrum, vt ipsas per classes proferamus.

GLOSSA Interlinearis.

Fiat lux, hoc est Angelica natura, vel corporalis lux. Lux à luendo, idest purgando tenebras.

a. Idest, Ignis emicans ad superas partes prosiliens.

Non defuere Patres, qui lucem eam priscam nil aliud fuisse quàm ignem, ex illa rerū sub Cęlo mole confusa à seipso egressum, splendoremq; Mūdo effundentē duxerint.

HERMES in libris Diexodicon, teste Cyrillo contra Iulianum libro secundo, primus hanc excitauit sententiam.

Omnium Dominus statim dixit suo sancto, & mentali, & vim condendi habente verbo, sit Sol: & simul apparuit ignis, qui natura sursum fertur; dico sanè purum, & fulgidissimum, & efficacissimum, & fæcundissimum, attracta est natura suo spiritu, & in altum ab aquis erexit.

GRE-

GREGORIVS Nyssenus libro de Historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est, pręcipuus fuit huius placiti assertor, cùm dixit.

Quum enim iam aceruatim in vno momento diuinæ voluntatis, vniuersa rerum natura promiscuè, & indistinctè creata esset, & elementa inter se omnia mutuò permixta essent, ignis, qui passim dispersus esset, nimia ac redundante materia officiente, offuscabatur, & obscurabatur. Sed quoniam velox quædam vis eius, & agilis est, simul atque naturæ rerum ad Mundi ortum, à Deo signum, & occasio data est, ante omnem naturam grauiorem emicuit, atque prosiluit, ac statim res vniuersæ lumine collustrabantur. Et post. *Proinde etiam hic præcucurrit quidem, & à rebus cæteris secreta est vis illuminatrix celeritate pariter, atque agilitate naturæ, sese ab ijs, quæ diuersæ naturæ sunt, segregans: atque Vniuersum circunfusum splendore collucens, per illustratricem vim eius illuminatum est. Sed qua ratione natura ignis hæc efficiat, solius Dei est explicare, qui rationem illuminatricem imposuit ei naturæ. Atque hoc per sua scripta etiam magnus testatur Moyses, dum ait, quòd etiam dixerit Deus: Fiat lux: hoc (vt opinor) per ea verba docens, quòd diuina ratio, quæ omnem præterit humanam cogitationem, lucis opus sit. Nam nos quidem, id quod fit, duntaxat intuemur, & sensu miraculum accipimus: vbi autem ignis versans, inde repentè enascatur, aut ex collisis silicibus emicans, aut ex aliùs cuiuspiam materiæ mutua attritione prosiliens. Item, quæ vis sit, quæ id, quod comprehenderit, peredat, & absumat; aëra verò flamma illustret: neque videre, neque de ea re aliquam notionem mente concipere possumus: sed rationem huius mirifici, communemque sensum, & opinionem effugientis operis, sitam esse dicimus in solo Deo, qui per ineffabilem potentiæ suę rationem effecit, vt igni lumen innasceretur: quemadmodum Moyses in suo libro testatur, quòd etiam dixerit Deus; Fiat lux, & facta sit lux.*

Et post etiam clariùs.

Facta est igitur vnà cum omnibus rebus cæteris lux: sed quandiu splendoris expertes creaturæ partes, illuminatrici facultati efficientes manebant, non protinus rebus omnibus præluxit: simul atque autem à Deo creaturæ data est occasio ad sui digestionem, ignea, atque illuminatrix vis leuitate, agilitateque naturæ ante res cæteras emicans, atque exiliens creaturæ præluxit. Atque initio quidem tota circa seipsam collecta, atque coaceruata erat, vniuersitatemque rerum circumibat: post hæc verò rursus proprijs particulis ad cognatas, sibique accommodatas res, redacta, dirempta, separataque est.

Prosequitur amplius Nyssenus declarans, qua serie ex illa ignea mole, quæ triduo primo illuxit, dirempta, atque secundum partium sympathiam secreta, astra & Sol fuerint conflata.

IOANNES Damascenus Orthodoxæ Fidei, libro secundo, capite septimo.

Ignis vnum quatuor elementorum existit, cæterorum leuissimum, & ocyssimè sursum emicans, adustiuum, & illuminatiuum, prima die à rerum opifice conditum. Inquit enim diuina Scriptura; Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Neque enim aliud est ignis, quàm lux, vt quidam aiunt. Alij autem mundanum ignem sub aëre esse dicunt, quem Aethera vocant.

Glossa Locupletata idipsum excepit.

HVGO in Genesim, capite sexto, idipsum sensisse visus est.

Prima die distinxit Deus ignem à cæteris elementis, & hoc est, quod ipse dicit; Fiat lux, idest, distinguatur ignis à cæteris elementis. Fieri enim in hoc loco distingui intelligitur. Fecit enim Deus omnia, & creando, & distinguendo, non operatione, sed sola voluntate, quæ fuit ab æterno. Ignis verò distinctus, lumen præbuit Mundo inferiori qualecunque, & motum habens circularem, quasi quædam lucida nubes circunferebatur, sicut modo Sol. Ortu, & occasu illius, fecit tres primos dies, & noctes. Qualis autem ei forma fuerit, rotunda scilicet, an longa, ignoratur. Et post. *In quarta die de luce, siue igne prædicto meliorando cum forma, & splendore fecit Solem.*

Proficisci videntur in hanc sententiam cuncti Philosophi vetustissimi, & prisci Patres, qui astra ignea & calida arbitrantur, quorum copiosam admodum habes catenam in disceptatione; Num Sol & astra ignea, aut calida existant.

Aduersus hoc placitum argumenta afferunt recentiores non modicum vrgentia. Primùm; Vniuersæ naturæ constitutionem, quæ oculis subijcitur, quæque permansura erat, explicandam suscepit Moses: at conspicimus nunc Mundum fulgore Solis, & non ignis illustrari. Deinde ignis sua natura non emicat, nam ignem vt in propria sphæra non splendescere euincunt Philosophi; tùm quia conspiceretur noctu saltem, si fulgeret; tùm quòd, teste Auerroe; ad explendescendum pabulo indiget, nec lucet nisi alienam depascat materiem: at si tribus priscis diebus eluxisset, certè vt summo vigore præditus, vel vnum, vel plura elementa concremasset. Nec asserendum est, ignem illum, ne in elementa debaccharetur, Dei virtute præpeditum, quemadmodum etiam Rubus, qui à Moyse conspiciebatur, ardebat quidem, at non comburebatur. Id enim profectò nil

4. de Cœlo com. 2.

Exod. 3.

AnnoMundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. Idest, Nubes lucida.

nil aliud esset, quàm ad Asylum miraculorum ineptè confugere. Tandem cùm ignis sphæricè terram vndiq; ambiat, aut vniuersus, aut secundũ partes emicasset: si vndiq; totus, nullo in Hemisphærio nox atrescere quiuisset; si secundum partes, pars ignis fulgens fuisset genere à non fulgente sciuncta.

Cæterum argumentationes has, secundum Philosophiam peripateticam satis validas, Nyssenus, & qui Platonica sequuntur placita facilè propulsarent. Platonici siquidem astra ignita esse astruunt, sicuti & nos quoque sustineri posse infra demõstrabimus. Quò fit, vt idem prorsus sit fulgor, quo nunc Mundus illustratur, & quo triduo primo illuminabatur. Autumant deinde Platonici ignem sua natura desuper emicare, etsi alienam non absumat materiem; nec cunctũ, sed partem eam tantùm, quæ magis obdensatur, splendescere. Quapropter Nyssenus, ab his non recedens, voluit ex ea prisci Chaos permistione ignem primùm prosilijsse, ac in seipso constipatum, coaceruatumq; luxisse: cumq; nec vltra Mundum ascendere, nec intus descendere posset, volutationem suam inchoasse, ex eaque incondita massa quarto deinceps die astra secundum partium sympathiam conflata fuisse. Quæ omnia, iuxta priscorum ante Aristotelem Philosophorum sententiam, miracula non sapiunt; immò naturæ placitis maximè arrident, Mosisque narrationi magis conformia, quàm ea, quæ nuperi iuxta Peripatetica dogmata nunc depromunt, comperiuntur.

a. *Lux, Nubes lucida.*

Parum secunda hæc sententia à supra delata discedẽs lucem in Orbis primordio cõditam, Mundoque lumen præbentem, nil aliud, quàm nubem lucidam extasse tradit. GREGORIVS Nyssenus hanc ipsam nubem significasse videtur vbi supra, cùm dixit.

Ignea, atque illuminatrix vis leuitate, agilitateque naturæ ante res cęteras emicans, atque exiliens creaturæ pręluxit: atque initio quidem tota circa seipsam collecta, & coaceruata erat, vniuersitatemque rerum circumibat.

Moles igitur ignea, circa seipsam collecta, & coaceruata, nil aliud quàm lucidæ nubis speciem præferebat.

AVGVSTINVS hoc ipsum insinuasse visus est, de Genesi ad literam, libro primo, capite decimo; cùm enim (quasi hæsitando) quænam lux corporalis fuerit illa prisca inuestigaret, pluraque lucis genera perpenderet, lucem quandam Solis vices gerentem, ac ei comitem detulit dicens.

Si autem corporalis, quænam illa lux est, quam post occasum Solis videre non possumus, quia nec Luna erat adhuc, nec aliquę stellæ? Aut si semper in ea parte Cęli est, in qua Sol, vt non sit Solis lux, sed quasi comes eius, eidem ita coniuncta, vt discerni, dignoscique non possit, ad eandem reditur difficultatem soluendæ huius quæstionis: quia & ista lux eodem modo quo Sol, tanquam comes eius ab Occasu in Ortum circumiens redit; & est in alia parte Mundi, quo tempore pars ista in qua sumus, tenebrescit in noctem. Ex quo cogit, quod absit, in vna parte credere Deum fuiße, quam partem lux ista desereret, vt posset ei vespera fieri. An fortè in ea parte lucem fecerat, in qua facturus erat hominem: & ideò cùm ab ipsa parte lux decessisset, vespera facta dicitur, etiam cùm in alia parte lux illa esset, quę inde discesserat, mane exoriturę peracto circuitu. Vt quid ergo factus est Sol in potestatem diei, qui luceret super Terram, si lux illa diei faciendo suffecerat, quæ dies etiam vocata est? An illa prior regiones superiores à Terra longinquas illustrabat, vt sentiri non posset in terris, atque ita oportebat Solem fieri, per quem dies inferioribus Mundi partibus appareret? Potest & hoc dici, auctum esse fulgorem diei Sole addito, vt per illam lucẽ minus fulgens dies, quàm nunc est, fuisse credatur.

GLOS-

GLOSSA Ordinaria hæc Augustini ita retulit.

Si corporaliter lux facta est, quænam illa est, quam cùm Sol occiderit, videre non possumus? Quia nec Luna erat, nec erant stellæ. Sed forsitan in ea parte Cæli est, in qua Sol, non Solis lux: sed sic ei iuncta, vt discerni non possit: vel fortè in parte lucem Deus fecerat, in qua hominem facturus erat, vt cùm ab illa parte lux discessisset, vespera diceretur. Sed quare factus est Sol in potestatem diei; si lux illa faciendo diei sufficiebat? Sed fortè lux prior superiores tantùm partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum Solem fieri oportebat. Potest quoque dici auctum esse fulgorem diei Sole addito.

Ex quibus hoc vnum colligito; D. Augustinum nouam quandam posteris excitasse sentētiam, nempe primam illam à Deo procreatam lucem, lucidum quoddam corpus Solis vicem supplens extasse; quanquam diuersis territus difficultatibus hæsitando potius quàm diffiniendo id dixisse videatur; quinimmo oppositum statuat, cùm tandem lucem eam priscam minime corpoream fuisse contendat.

HVGO Victorinus noster, præcipuus certè huius placiti prosecutor fuit. Nā de Sacramentis Fidei libro primo, parte prima, cap. nono, cùm lucem illam primo die productam non spiritualem, sed corpoream esse demonstrasset, in hæc incidit.

Secundum hanc itaque considerationem conuenientius puto, vt credamus lucem illam in principio factam ad illuminanda corporea, sine dubio corpoream fuisse, quale fortasse esse potuisset corpus aliquod lucidum, cuius præsentia cuncta illustrarentur, quemadmodum nunc in Sole videri potest: ipsamq; vice, & loco Solis factam, vt interim motu suo circumageretur, & noctem, diemq; discerneret.

Amplius, quare Deus non primo die Solem, sed eius vice hanc lucem ediderit, perpendit capite vndecimo.

Sed quid significat, quòd non statim factus est Sol, ex quo lucem fieri oportuit: sed quasi, vt lux esset priusquam clara lux? Et fortassis confusio plena luce digna non erat: aliquam tamen lucem accepit, vt videret exire ad ordinem, & dispositionem.

Tandem quid de ea luce effectum sit, luculentissimè edocet. cap. decimoquinto.

Igitur Deus prius lucem facere voluit ad illuminandum Mundum, antequam Solem crearet, ope vicaria præcurrentem, donec veniret, quod perfectum est. Et sunt qui quærant, quid de illa luce factum sit; propterea quòd iam nulla eius vestigia reperiri possunt, ex quo Solis claritas illuxit. Alij dicunt dispersam per ampla aëris spatia, vim lucendi, & illuminandi amisisse: superesse tamen adhuc quasdam tenues reliquias, quæ in ambitu firmamenti intrinsecus huc illucque sparsim diligentiùs intuentibus nocte demonstrentur: die verò eas maiori, ne videri valeant, Solis claritate abscondi. Sic quique suas opiniones, prout possibile est, confingunt. Sed quis scit, vtrum ipsa eadem lux postea in Solis substantiam translata sit, & ampliata claritate formam meliorem acceperit, quemadmodum in nuptijs Iesus de aquis vinum fecit, vt reformationis statum in melius, & restaurationis sacramentum demonstraret? Nam erat lux, antequam Sol factus est: hoc erat aqua priusquàm in vinum mutata est, vt non aliud fieret, quod potius exhibitum est: sed de eo ipso, quod ante vilius habebatur. Ita de rebus dubijs nemo est, qui possit certum aliquid definire.

Hoc ipsum Summæ Sententiarum tractatu tertio, capite primo disseruit.

RICHARDVS noster Hugoni assensisse visus est, Exceptionum parte prima, libro secundo, capite septimo.

Lux illa primaria eo in loco creditur facta, quo Sol modo quotidie oritur, &c.

Ex Richardi itaq; sententia Sol non fuit illa lux, sed corpus lucidū loco Solis consitū.

MAGISTER Sententiarum libro secundo, distinctione decimatertia.

Si verò corporalis fuit lux illa, quod vtique probabile est, corpus lucidum fuisse intelligitur, velut lucida nubes: quod non de nihilo, sed de præiacenti materia formaliter factum est, vt lux esset, & vim lucendi haberet, cum qua dies prima exorta est; quia ante lucem, nec dies fuit, nec nox, licet tempus fuerit. Et post. Solet autem quæri, quare factus est Sol, si lux illa ad faciendum diem sufficiebat? Ad quod dici potest, quoniam lux illa fortè superiores partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum Solem fieri oportebat. Vel potius ideo, quia facto Sole, dies fulgur factus est. Ampliori enim multò luce radiauit dies postea, quàm ante. Si autē quæritur, quid de illa luce factum sit, cùm modò non appareat: potest dici, aut de ea corpus Solis formatū; aut in ea parte Cæli esse, in qua Sol est: nō quòd ipsa sit Sol, sed sit sic ei vnita, vt discerni nō valeat.

PETRVS Comestor capite tertio ab his non dissentit.

Lucem vocat quandam nubem lucidam illuminantem superiores Mundi partes, claritate tamen tenui, vt fieri solet diluculo: & hæc ad modum Solis circumagitata. Præsentia sui superius hemisphærium, & inferius vicissim illuminat.

HVGO Carensis in Postillis idipsum asserit: de origineque & exitu nebulæ diuersas sententias adijcit.

Lucem dicit lucidam nubem, claritate quadam tenui superiores Mundi partes illuminantem. Hæc fuit de

de materia præiacenti, in quam etiam resoluta est, facto Sole; sicut dicitur de stella Magorum, & columba Christi. Alij dicunt, quòd de nihilo creata est cum Cęlo, & Terra in Oriente, quę ad modum Solis circumagitata, superius & inferius hemispherium illuminabat. Licet enim aquæ totum aëris spatium continerent: erãt tamen vaporabiles, & tenues: vnde poterat ibi lux illa lucere. Cùm etiam Nautæ faciant aquas spissiores lucidas artificio, scilicet, oleo de ore emisso sub aquis.

LYRANVS in Postillis, in secunda expositione, quam non ita probare euincitur.

Fiat lux. Secundum istam expositionem ista lux fuit quædam nubes lucida de superiore parte materiæ communis prædictæ facta à Deo, quæ motu suo faciebat diem, & noctem vsque ad quartam diem, in qua factus est Sol: veruntamen imperfectiori modo quàm ipse Sol. Quia sicut in generatione naturali est processus ex imperfecto ad perfectum, ita in prima rerum productione, non propter imperfectionem agentis, sed ad ostendendum ordinem suę sapientiæ. Considerandum tamen, quòd illa nubes lucida non potest conuenienter dici eiusdem rationis cum nubibus, quæ fiunt in aëre, quia illa erat de natura cælesti, istæ autem sunt natura elementarij.

TOSTATVS Commentarijs in Genesim, in secunda expositione, cum Lyrano proficiscitur.

Et facta est lux. Dicitur hic lux quædam nubecula lucida, quæ fuit facta in superiori parte materiæ, scilicet in loco, vbi nunc est Solis circulus: & lustrabat in circuitu, incidens in medio illius corporis nondum distincti in varias rerum species: & lustrabit tribus diebus, donec in quarto die factus est Sol, qui nobiliori modo circumibat, quàm illa lux: vnde creditur Solem de illa nubecula, factum perfectum substantialiter in alia specie; & accident aliter in fulgore, & virtute influendi. Dicendum tamen, quod ista nubes non erat eiusdem naturæ cum nubibus, quas in aëre fieri videmus: quia illa de natura cęlesti incorruptibili erat; istę autem sunt de natura elementari.

ALEXANDER Alensis secunda, quæstione quadragesima sexta, articulo primo.

Ad quod dicendum secundum istam opinionem; quòd lux ista non fuit lux Solis, vel aliorum luminarium: quia reuera facta sunt quarto die: sed fuit quoddam corpus lucidum formatum ex præiacenti materia: ex cuius præsentia super Terram fiebat dies: ex Occasu autem eius, super Terram nox.

D. BONAVENTVRA secundo, distinctione tertiadecima, articulo primo, quæstione prima, cùm eam sententiam, quæ lucem corpoream primo die exijsse decernit, magis approbasset, quàm eam, quæ lucis nomen ad Angelum trahit, vltimam dissoluens instantiam, hæc adijcit.

Placuit tamen Deo rebus ad maiorem perfectionem eductis, vtpote ad ornatum, lucem facere pleniorem, quæ etiam diem faceret clariorem, & propter hoc ex ipsa etiam luce, siue nube lucida, Solem facit in maiori lumine, sicut dicetur postea.

Cæterùm hanc assertionem, Doctores ij, qui Solem primordiali die prolatum existimant, acriùs labefactare, & euertere nituntur. Horum dux est D. Thomas, præcipuè prima parte, quæstione sexagesimaseptima, articulo quarto, ad secundum.

Quidam dicunt lucem illam fuisse quandam nubem lucidam, quæ postmodum facto Sole, in materiam præiacentem redijt. Sed istud non est conueniens, quia Scriptura in principio Genesis commemorat institutionem naturæ, quæ postmodum perseuerat. Vnde non debet dici, quòd aliquid tunc factum fuerit, quod postmodum esse desierit. Et ideò alij dicunt, quòd illa nubes lucida adhuc remanet, & est coniuncta Soli, vt ab eo discerni non possit. Sed secundum hoc illa nubes superflua remaneret. Nihil autem est uanum in operibus Dei. Et ideò alij dicunt, quòd ex illa nube formatum est corpus Solis. Sed hoc etiam dici non potest, si ponatur corpus Solis non esse de natura quatuor elementorum; sed esse incorruptibile per naturam: quia secundum hoc, materia eius non potest esse sub alia forma.

VIELMIVS Lectione nona ita assentit D. Thomæ, vt de præcitata assertione ferè loqui dedignetur.

At verò opinionem hanc in præsentia nequaquam refellam, quòd alioqui esset actum agere. Repudiauit enim eam loco iamiam citato S. Thomas validissimis argumentis, adeò vt videatur nunc à doctis tanquam antiquata, & obsoleta prorsus contemni. Quamobrem & miratus sum Abulensem in eam fermè concessisse, suppressisseq; Sancti Thomæ rationes: est enim profectò iustum, vt in disputationibus, vel soluenda quæsita sint, vel ut concertatori alter assentiatur.

Aegidius secunda parte Hexæmeron, capite sexto, luculenter profectò præscindere nititur fugas omnes propugnatorum illius sententiæ, quas, dum se vrgeri conspiciũt, quid de nube ea prisca actum sit, comminiscuntur. Scholasticorum Thomistarũ quamplures idipsũ contendunt: Pererius, & alij. Ex delatis ergo ab his Doctoribus plura

plura simul perstringam) dilemmate vno contra hanc sententiam possem insurgere; percunctarique, quid de ea nube primordiali actum sit; an in tenebris delituerit, vt amplius conspici nequeat; an in præiacentem materiam redierit; an perenniter Soli fuerit addicta; an tandem ex ipsa Sol syderũ fulgentissimus, Lunaq; & Astra conflata sint.

Impugnatur præhabita sẽtentia.

Primum certè dicere, ac affirmare non decet; id etenim nonnulli scitè admodum hisce carpunt, atque redarguunt. Vel in elementaribus regionibus, vel in cœlestibus nubes illa delituit: si in elementaribus; cùm inter elementa corruptioni omnia sint obnoxia, ergo nubes ea corrupta fuit (neque enim subest caussa vlla, qua perpetuo miraculo illam Deum pręseruasse dicamus, nec etiam summæ ipsius prouidentiæ id condecẽs esset) si verò in cœlestibus; igitur ex circumlatione, sicut cæterę omnes Cœli partes spectantur, appareret, Solemque alterum saltem pallente luce intueremur. Contra alteram assertionem, quæ in præiacentem materiam redactam eam nubem asserit; Diuus Thomas loco citato, omnesque inclamant: Moses in Genesis historia naturæ institutionem non mox diruendæ, defecturæque, sed diu permansuræ, ac perseueraturæ patefecit: Dicere igitur aliquam creaturam mox factam euanuisse, nil aliud est, quàm indecens opus diuinæ potentiæ, sapientiæque attribuere. Nec multum huic D. Thomę argumentationi officit, quod Lyranus opponit; nempe id potuisse ei nubi contingere, quod quarta, & quinta die euenit materiei, ex qua certè, secundum ipsius D. Thomæ sententiam, putrescente putrida animalia prodire debebant. Angelicus etenim Doctor responderet, summum rerum prouisorem imperfectioris rei corruptionem propter perfectius gignendum admittere; secus autem contigisset de nube ea, ex cuius corruptione nil producendum foret. Quamobrem indecens reputatur hanc superuacaneam, ac inutilem corruptionem statuere; in ipsisque naturæ natalibus funestas neces, ac putrefactiones interserere. Adijcias, quòd subscribit Moses; Vidit Deus lucẽ quòd esset bona; qua diffinitione lucis permansionẽ decretam à Deo fuisse dicendũ est. Deum enim, quod bonum vidit, mox deleuisse, nefas est cogitare. Tertiam eorum assertionem, quæ Soli perpetuò annexam illam nubem asseuerat, redarguunt ex hoc præcipuè plerique Doctores; Quod cùm nil à Deo opifice, ac natura superfluum fiat, nubes illa perpetuis sæculis Soli addita ociosè ageret, quãdoquidem Sol ipse vberrimam ex se lucis copiam, ac exuberantem fulgorem ad Orbem perlustrandum præseferat. Quartam vero ex nube Solem conditum asserentem, ita nonnulli demoliuntur: Vel nubes illa ex elementari constabat crassitie, seu materia, vel ex cœlesti; si ex elementari, Solem corruptibilem omnino genuisset; nam ea est materiæ elementaris ratio, vt vna forma imbuta, alteram mox appetat, ad eamque prima corrupta vicissitudinibus obnoxia properet: at si ex cœlesti materia nubes illa constabat; iam Sol ipse fuisset, atque (vt inquit Aegidius) opinio hæc in Dionysij, & Thomæ sententiam recideret.

Opinio prædicta defensatur.

Cæterum assertionis huius propugnatores, ac fautores, oppositiones à D. Thoma, Vielmio, Aegidio, ac reliquis illatas nullo negotio propulsarent. Ex quatuor siquidem propositis modis, quibus exquirebatur, quid de luce illa effectum fuerit, postremum seligentes, eiq; inhærentes asseuerarent, quòd ex ea luce quarto die astra, præcipuè Sol, formata, congestaque fuerint. Nyssenus enim ex igne compacta sydera, Hugo verò & cæteri ex nube illa ignita, & lucida, congesta autumarunt. Quapropter D. Bonauentura, Ideo est quarta opinio, inquit, quòd ex illa facta sunt corpora luminosa, inter quæ principatum tenet Sol, nec fuit ibi aliqua violentia, quia vnaquæque creatura eum locum accipiebat, quem sibi Dominus per naturam deputabat. Et sic patent obiecta, quia nec fuit illius lucis corruptio, nec etiã violentia, sed maior quædã & profectio, & distinctio. Hęc illę. Cùm postremò quærebatur, an materies illa cęlestis esset an elemẽtaris: Primò asserendũ est, quòd fuerit cœlestis, ex qua deinceps satus fuerit Sol, non per mutationẽ substantificam, sed per diuersam illius materiæ condensationem, atque figurationem, & vberioris, nobilioris, atq; efficacioris lucis accessionem. Hæc Pererius, & nuperi. Deinde concedendum est, quòd fuerit elementaris; quia ex Nysseni, Patrumq; Theologia, Cœlos Astraque ex elementis coacta fuisse diffiniendum est. Ad id, quod obijcit D. Thomas dicens: Cùm Cœlum sit corpus incorruptibile, non potuit eius materia fuisse sub alia forma, alioquin materia illa capax esset multarum formarum, ob idque in

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Ideſt, Sol abſque determinata virtute ad particulares effectus.*

potentia contradictionis; in quo autem ea potentia eſt, id nullo modo eſſe incorruptibile, multis modis ex Ariſtotele confirmatur. In Patrum gratiam cumulatè ſatisfacere poſſumus, concedereque primùm Cœlos, Aſtraque non eſſe corruptionis immunia, ſed eo euentu, vt ſicuti ſemel in Mundi primordijs fuere conflata, ſemel etiā ſint in eiuſdem excidio diſſoluenda; Et quemadmodum quintam eſſentiam proferre potuiſſet Deus, ab omni corruptione ſemotam, ita etiam potuit defęcare, ac depurare elementa, actiuis, paſſiuiſque qualitatibus reciſis, vel adeò compreſſis, vt ex eorum ſummitatibus congererētur corpora cœleſtia, & iubara ſplēdidiſſima, vel omnino incorruptibilia, vel ſemel tantùm in Mundi fine interitura. Quòd autem id, & non illud effecerit, ex ipſa Moſis narratione demonſtratur, in qua ſecunda die, & quarta, Cœlos aſtraque ex præiacente materia fuiſſe conflata ſignificatur. Non me fugit nuperos Doctores omnes, Peripatetica Philoſophia imbutos, ex quinta eſſentia Cœlos congeſtos arbitrantes, hæc irridere, ac paruifacere: Sed mihi tutius viſum eſt D. Petri, Baſilij, Ambroſij, Nazianzeni, Nyſſeni, Chryſoſtomi, Theodoreti, Gennadij, Hippolyti, Cyrilli, Iunilij, Seueriani, Athanaſij, Accacij, Bædę, Strabi, Anſelmi, Albini, Hugonis, Richardi, cunctorumque priſcorum Patrū, & Doctorū ſententiam ſectari, Platonicę Philoſophiæ dogmatibus (quę & in ſcholis ſuſtineri poſſe non ignoro) inhærere, placidumque Scripturæ ſacræ ſenſum amplecti, & proſequi; quàm, dum Peripatetica placita, noſtra ætate ſcholis ferè omnibus tyrannico propemodum faſtu dominantia, inſequor, à tantis Patribus diſcedere, & germanos, planoſque Moſis literæ ſenſus peruertere.

Claſsis Doctorum lucem primo die conditam Solem fuiſſe aſſerentium.

D. DIONYSIVS Areopagita de Diuinis nominibus, capite quarto, de priſca luce hæc attulit.

Lux eſt menſura, & numerus horarum, dierum, totiuſque labentis temporis. Ipſa eſt enim ea lux (etſi tunc erat informis, quod & diuinus Moſes ait) quæ primam diſtinxit, & diffiniuit dierum noſtrorum trinitatem.

Hæc D. Dionyſij ſententia nec profundè, nec apprimè forſitan à D. Thoma primò, deinde ab eius ſectatoribus, nuperrimiſque Doctoribus perpenſa; vt Solem prima die conditum fuiſſe exiſtimarent, argumentum detulit, ea tamen ratione, vt informitatem lucis diuerſa ſentētia ſumentes, diuerſas de ea Solis informitate protulerint aſſertiones.

a. *Sol ſine determinata virtute ad particulares effectus.*

D. THOMAS, prima parte, quæſtione ſexageſima ſeptima, art. quarto, ad ſecundum, informitatem illam, ſpecialis, ac determinatæ virtu tis carentiam ad particulares effectus eſſe docuit.

Cap. 4. de Diuinis nominibus.

Et ideò eſt dicendum, quòd vt Dionyſius dicit, illa lux fuit lux Solis; ſed adhuc informis quantum ad hoc, quòd iam erat ſubſtantia Solis, & habebat virtutem illuminatiuam in communi; ſed poſtmodum data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus.

Et quæſtione ſeptuageſima, articulo primo, ad ſecundum, inquit.

Si autem lux primo die facta, intelligitur lux corporalis, oportet dicere, quòd lux primo die fuit producta ſecundum communem lucis naturam; quarto autem die attributa eſt luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus: ſecundum quod videmus alios effectus habere radium Solis, & alios radium Lunæ; & ſic

Fiat Lux.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. Idest, Sol sine absoluta globi densitate, ac luce.

& sic de alijs. Et propter hanc determinationem virtutis dicit Dionysius, quòd lumen Solis, quod primo erat informe, quarto die formatum est.

Cap.4. de diuinis nominibus.

VVIELMIVS præ cæteris, & validis rationibus hanc consolidare assertionem nititur Lectione decima, dicens.

Pro quorum quidem (Diui Dionysii, ac Thomæ videlicet) sententia confirmanda illud primum facit, quòd Solis lux dignissima sola est, quæ simpliciter & absque vllo additamento lux fuerit nuncupata: deinde, quòd omnia, quæ in præsenti ab auctore de dierum, noctiumq́; efficientia narrantur, eidem competere tantummodo videntur. Amplius, & hoc inde conijcimus, quia communis, & vetustissima omnium gentium consensio, primum à Sabbato diem, quem nos Dominicum nuncupamus, quòd Dominus in eo triumphator à mortuis resurrexerit; & natus in hunc Mundum identidem sit (licet nocte media, vt se non indigere Solis, & Syderum beneficio, ac vt quantis tenebris nostrum genus esset vndiq; circumfusum, hoc modo declararet) Soli tanquam præcellenti, & qui vnà cum Mundo prodierit, iamdudum dedicauit, ac nuncupauit. Et demum positio hæc (quod vbiq; magni ponderis est) patitur satis leuiora incommoda, & pauciores difficultates, reliquis commentarijs, vt qui eos cùm hac probè contulerit, spontè testabitur.

a. Sol sine absoluta globi densitate, & luce.

AEGIDIVS, à D. Thoma abscedens, hanc à Dionysio memoratam Solis informitatem ita interpretatus est, vt minorem globi densitatem, fulgorisq; minorem vbertatem eam dixerit, Hexæmeron secunda parte, capite quinto.

His itaque prælibatis dicamus, quòd ab ipso primordio illa lux, & omnia luminaria Cæli fuerunt facta secundum suas substantiales formas; & illa materia vnde fuit facta lux, & vnde fuerunt facta luminaria Cæli, fuit magis spissa, quàm alij Cœli, sed non erat tantùm spissa, quòd luceret. Quando ergo dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, illa materia (vt facta est lux) fuit magis densata, & inspissata, quàm prius esset, vt extunc inciperet lucere, cùm prius non luceret. Si ergo quæritur, quomodo facta sit illa lux, prout in titulo capituli proponebatur, dicemus, quòd fuit facta per inspissationem, & condensationem suæ materiæ, non per acceptionem alicuius alterius formæ substantialis: rarum enim, & densum non sunt formæ substantiales, sed accidentales: fuit ergo illa lux à principio producta secundum suam substantialem formam; sed non lucebat, quia illud corpus, quod dicitur factum lux, ab ipso primordio non erat ita densum, & spissum, quòd poßet lucere: sed cùm dixit Deus, Fiat lux, fuit eius corpus sic densatum, & inspissatum, vt luceret. Et Post In sequenti capite.

Erat enim (vt diximus) in illa parte Cęli, vbi facta est lux, materia magis densa, quàm in quauis alia parte illius orbis, sed non erat ita densa, nec erat ibi tanta aggregatio luminis, quòd luceret: sed quando Deus dixit, Fiat lux, materia illa fuit magis condensata; & ex hoc lumen fuit ibi magis aggregatum; & ex tunc incepit lucere. Postea quarta die, quando Deus ex illa luce fecit Solem, materia illa fuit adhuc magis aggregata, & magis condensata, & lumen fuit ibi amplius multiplicatum, vt ex hoc amplius luceret: ergo nec in productione lucis ex sua materia, nec in productione Solis ex illa luce facta, est variatio secundum substantialem formam, sed solum secundum maiorem condensationem, & secundum maioris luminis aggregationem: nam quilibet orbis Cœlestis, secundum se totum, est de natura lucis; propter quod idem est orbem Cœlestem in aliqua sui parte condensari, & lumen ibi aggregari; & idem est stellam eße densiorem partē sui orbis, & esse aggregationem luminis in suo orbe.

Amplius de D. Thomæ sententia hoc tulit iudicium.

Dicunt tamen aliqui informitatem illam fuiße quantum ad causalitatem, quia lux illa primò facta erat sub stantia Solis, & habebat virtutem in communi, sed postmodū data est ei spetialis, & determinata virtus, quantum ad particulares effectus. Sed vel hoc est idem cum dicto nostro, vel est sine caussa positum: nam cùm tradunt Philosophi influentiam eße à luminoso, si fuerit ei data specialis virtus ad influendum, & causandū, fuit ei spetialis illuminatio addita, quia cùm possumus aliquid naturaliter saluare, non oportet ad miraculum recurrere. Propter quod dicemus, quòd illa lux erat informis, propter minorem luminositatem: facto autem inde Sole, dicitur fuisse formata propter maiorem luminositatem; qua aucta, cùm influentia sit à luminoso, potuit illa

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. Ideſt, ſubſtantia Solis luce exigua prædita, ſine virtute ad progignendos influxus.

illa lux habens maiorem luminoſitatem in multos effectus, in quos non poterat propter minorem luminoſitatem, dum dicebatur eſſe informis.

a. Ideſt, ſubſtantia Solis luce exigua prædita, ſine virtute ad progignendos influxus.

Dionyſius Carthuſianus & Pererius D. Thomę & Aegidij ſententiam cõplicaſſe viſi ſunt, cùm prima die Solem abſolutum quidem quantum ad ſubſtantiam, ſed non quantum ad formam, amplitudinem, atque decorem, nec ſplendidiſſima ſua luce refertum, & abſque virtute ad gignendos influxus, manaſſe tradunt. Diſcrepant quidem ab Aegidio, qui iubar non apprime condenſatum exiſſe opinatur: à Diuo Thoma verò, qui ab exordio Solem congrua ſibi luce decoratum maluit.

DIONYSIVS Carthuſianus Enarrationibus in Geneſim, art. nono.

Fiat lux, ideſt, ſubſtantia Solis lucem aliqualem recipiat. Sol enim, quantum ad ſubſtantiam ſuam, factus eſt in principio, ſed non ſplenduit clarè.

Et poſt, articulo duodecimo.

Dicuntur autem luminaria facta, non quòd tunc creata ſint, aut ex materia præiacenti produ cta, ſed quia tunc acceperunt plenariam lucem ſibi congruentem, & virtutem actiuam perfectam ad determinatos, variosq; producendos effectus in inferioribus iſtis, vt dictum eſt pleniùs.

Pererius Commentarijs in Geneſim, libro primo, ſententiam illam, quæ lucem primigeniam, lucem ipſam Solis informem, nec abſolutam extaſſe aſſeuerabat, pluribus nititur munire argumentationibus; quarum argumentum ex ipſiuſmet lucubrationibus deſumptum ad hæc redigi poteſt.

Primũ, quòd ſentẽtia iſta fuerit Dionyſij Areopagitę, D. Thomæ, & Dionyſij Carthuſiani (locis iã adductis) auctoritate cohoneſtata. Deinde, ordo quidẽ naturæ poſcebat, vt primùm exornaretur Cœlum; vnicum igitur, & maximum ſuum ornamentum recepit, lucem nempe Solis; nam elementum ignis, vel nubes lucida, Cœli ornamenta nõ ſunt, nec effici ſine miraculo poſſunt. Amplius cùm Sol vniuerſaliſſima ſit generationis & cõſeruationis rerum omnium cauſſa, conueniebat profectò, vt & primo die crearetur. Deinde nomen lucis abſolutè, Solis lumen ſignificat propter eius pulchritudinem, & efficaciam; idq; cùm apud Scripturas, tùm apud gentes in vſu eſt. Adhæc, cùm lux hæc primigenia eadẽ munera obierit, ſeparandi nẽpe lucẽ à tenebris, & diem à nocte, quæ quarto die aſſignantur Soli, argumento eſt, quòd ipſa omnino lux Solis extiterit. Inſuper, ſi ea, quæ Deus patrauit his diebus, perſeuerarunt ſemper, igitur lux ea ipſa fuit lux Solis, quæ nunc irradiat Mundũ, diſtinguit diem à nocte, & facit veſpere & mane. Adhuc & dies Dominica, in qua edita eſt lux, denominata eſt dies Solis, quòd in ipſa verè effectus fuerit Sol. Tandem omnis alia ſententia inexplicabilibus difficultatibus inuolui cognoſcitur. Quæ autem extarit ipſa Solis informitas, & quid ei ſuperadditum ſit in quarto die,

PERERIVS ipſe, recitata ſententia Diui Thomæ, his addit.

Quibus addi poßet quarto die acceßiſſe Soli eam, quam poſtea habuit, magnitudinem, figuram, & pulchritudinem. Non enim primo die globus Solis vſquequaque accenſus eſt, ſed aliquatenus tantùm: quarto autem die totus eſt ſplendidiſſima luce completus, peculiares item vires, & influxus, maiorem quoque copiam lucis, applicationemq; ad ipſum proprij motoris, qui proprio Solis motu eum circumageret. Ad hæc numeroſiſſimum comitatum aliorum ſyderum & Planetarum, quorum motus, vt Aſtronomi tradunt, ſecundum motum Solis diſponi,

Fiat Lux.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. Ideſt Sol, longè ampliori quàm nunc fulgore coruſcans.

diſponi, & dirigi videntur. Quarto die cœpit Sol dare ſigna, & præbere præſagia futurarum tempeſtatum, & effectuum naturalium: tunc incœpit quadripartita variatio anni, hoc eſt Hyemis, Veris, Aeſtatis, Autumni: Tunc cœpit diſſimilitudo, & inæqualitas dierum; nam primi tres dies fuerant omninò æquales, & vniformes. Tunc denique acceſſit dependentia Lunæ à Sole: nam pro vario Lunæ congreſſu cum Sole, vel ab eo digreſſu, variè lumen eius commutatur; varius quoque Solis cum reliquis Planetis concurſus, & coitio, varios parit influxus, & effectus.

CATHERINVS Enarrationibus in primum caput Geneſeos, à prædictis Doctoribus deficiens, Solem tum iubare, tum lucis fulgore, tum ad influendum virtute, abſolutum, perfectumque primo die manaſſe reputauit. Amplius verò ea, quę de Solis geneſi quarto die enarrat Moſes, per recapitulationem ſcripta exiſtimauit.

Supereſt ergo vt cum D. Dionyſio, & alijs pleriſque id aſſerentibus, per hanc lucem intelligamus Solem ipſum, quem aſſiduè cernimus tam admirabilem.

Et paulo poſt.

Nec obſtat, ſi hęc Solis creatio quarta die commemoretur, vbi dicitur; Fecitque Deus duo luminaria magna, Solem vt præeſſet diei, &c. Si enim diligenter aduerteris, non dicitur ibi factum fuiſſe Solem in illa die, ſed rememorando, ſeu (vt melius dicam) recapitulando circa luminaria Cœli, narrantur quæ in illa die quarta iam facta inueniebantur.

a. Sol longè ampliori quàm nunc fulgore coruſcans.

STEVCHVS in ſua Coſmopœia à cunctis Doctoribus abſcedens, nouam, ac mirificam inuexit de luce priſca ſententiam. Primoque die Solem coruſcantiſſima luce, multoque ampliori ea, qua nunc fulget, decoratum, ac omnino abſolutum prodiiſſe cenſuit: Lunã porrò & aſtra inchoata eſſe, atq; in quarto die completa, in eoq; etiam de Solis genitura repetitionem fieri; idque nec nouum eſſe pluribus ex Scriptura deductis exemplis nititur demonſtrare.

Prima igitur ex aquis genita res lucida ſubſtantia fuit. Hunc fuiſſe Solẽ vna tantùm deterret, plures autem aliæ mutant, perſuadentque nos aſſerere rationes. Deterret, quòd quarta die ſatum eſſe Solem, Lunam, & Stellas, Theologus videtur dicere. Quòd autem in contrarium, tantùm non vociferatu magno nos attrahunt rationes; hæ cumprimis ſunt, quòd ſolus Sol (dictus quia luceat ſolus) lucis corporeæ eſt genitor. Solus is ignis cœleſtis, vna terreſtris Mundi lucerna, quam ſuper candelabrum Mundi, vt ab omnibus videretur, poſuit Deus. Deinde cùm à principio Cœlum, ac Terras creatas dixerit, gradum hunc primum dans Cœlo creationis, non poſſumus non eadem ſententia, ac cogitatione Solem comprehendere. Cum Cęlo enim creatum eſſe Solem, quoniam Sol, & ſtellę ſunt Cęlum, neceſſe eſt. Qui ergo primum dedit locum in creatione Cœlo, dedit etiam Soli. Et poſt. *Hunc primum ex aceruo debuit auctor producere, cuius illuc incubuiſſe prudentia cernitur, vt ante particulares effectus, vniuerſales cauſſas excogitaret. Sicut autem vnde cuncta depromeret, terram & aquas primas iecit: ſic quo aërem, animalia, plantas conderet, Solem iſtarum rerum præmiſit genitorem. Deus, Sol, & Homo, gignunt hominem.* Et poſt. *Iam in Theologia Moſis, idem eſt nomen, effectuſque Solis, atque lucis: etenim cùm de Sole ſcribit idem, vt luceant ſuper Terra, eandem vſurpat vocem, atque cùm prodit primo lucem fuiſſe. Illic, Fiat Or, ideſt lux: hic Iehair ad lucendum, vel vt luceant.* Et poſt. *Deinde idem eſſe & apud Moſem, & cæteras gentes, lucem, atque Solem, ſatis, ſuperque docet loquendi conſuetudo. Latini lucem vocant diem, vt ab eodem lucem, atque diem effici monſtrent. Moſes autem, quod maximo eſt argumento illam primogenitam lucem fuiſſe Solem, idem munus huic primogenitę rei attribuit, atque ei, quæ die quarta eſt creata. Vtrique datur munus fugandarum tenebrarum, vtrunque ad efficiendum diem creatur. Vtroque dies à nocte ſeparatur.* Et Poſt. *Quid quòd alijs Scripturæ locis Sol vocatur lux: vt Hieremię capite quarto; Aſpexit Cœlos, & non erat lux in eis.* Et Poſt. *Eo etiam probatur lucem corpoream, ideſt Solem, intelligendam hic primo creatam, quòd omnes Prophetæ, qui locuti ſunt de creatione, aut res creatas nominarunt, Solem pro luce expreſſerunt. Pſalmus centeſimus quadrageſimus octauus, commemoratis Angelis, ait; Laudate*

Hierem. 4.

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Ideſt, Empyrei ſplendor.*

date eū Sol,& Luna. Concludit igitur; *Cùm autem lux iſta noſtra manet ab igne, à nubibus colliſis, à ſyderibus, à Luna, præcipua tamen viſibilium eſt Sol ἡγεμονικόν. Vt fictitia ſit, & à non conſiderata Scripturarum loquendi conſuetudine profecta, neſcio quæ nubecula, & materia quædam luminoſa, ab Hebræis, & noſtris aſcita non multis.*

Hoc eſt ſummarium rationum à Steuco prolixa oratione deductarum, cum ſuiſmet verbis excerptum. Proſequitur amplius demonſtrare, ea quæ quarto die de Solis genitura narrantur, per repetitionem tradi, pluribus Scripturarum locis in exemplum adductis, quæ in explanatione quartæ diei à nobis afferentur.

Tandem Solem ipſum inuſitato, ampliſſimoque fulgore coruſcaſſe, poſt plura hiſce demonſtrat.

Verique eſt ſimillimum, primum illum diem fuiſſe ardentiſſimum, quòd id & diuinus impulſus vrgeret, & nubes, ac vapores, qui Solis ardorem retunderent, pauci, & perexiles eſſent. Eadem flagrantia, rapidusque æſtus eſt cæteris diebus conſecutus. Eoque animalia ex humo vehementer concalefacta, & confota, affatim pullularunt. Cuius rei plura poſtea, natura referens, & ſequens ortus ſuos, dedit exempla. Eas enim terras nouimus, & varietate formarum, & numero plures beſtias edere ſolitas, in quas potentiùs Sol, ac rectiùs, ardores ſuos dirigeret.

a. *Lux Empyrei ſplendor.*

Comperij Patres, quod mihi valde mirandum viſum fuit, qui lucem priſcam primordiali die ſatam, lucem ipſam Empyreo inſitam fuiſſe exiſtimarint.

BRVNO Carthuſiæ Patriarcha libro de Nouis, capite ſecundo, id primus inſinuauit, cùm dixit.

Moyſes duos Cęlos poſuit. Ait enim; In principio creauit Deus Cęlum & Terram. Ecce vnum. Secunda die fecit Dominus firmamentum in medio aquarum: diuiſitque aquas, quæ erant ſuper firmamentum, ab his, quę erant ſub firmamento: vocauitque firmamentum Cęlum. Ecce alterum. Et hoc quidem eſt illud Cælum, quod per Solem, Lunam, & Stellas, quę in eodem fulgent, noſtris oculis reuelatur. Primum enim Cælum de hoc Mundo videre impoſſibile eſt; quoniam hoc quod videmus, inter nos, & illud poſitum eſt. Sed cuius excellentiæ pulchritudinis illud eſſe putabimus, cùm huius inferioris tantam eſſe videamus? Et primum quidem Cælum ſtatim eadem die factum, & illuminatum eſt, dicente Domino; Fiat lux, & facta eſt lux. Hoc autem tertia die poſtquam factum eſt, Solem, Lunam, & Stellas ſuſcepiſſe narratur. Erat igitur ſine lumine vſque ad hanc diem: præſertim cùm aquis omnia continentibus nondum appareret arida. Tertia namque die dictum eſt; Congregentur aquæ, quæ ſub Cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Nondum igitur arida apparebat, quia nondum firmamentum lumen habebat. Primum verò Cęlum iam luce ſua fulgebat: illa autem lux, dies à Domino vocata eſt: dicente Scriptura; Vocauitque Dominus lucem diem, & tenebras noctem: dies autem ſine luce eſſe non potuit. Quo autem inſtrumento lux illius Cæli, & illius diei facta ſit, cùm nondum Sol, & Luna, vel aliqua luminis inſtrumenta facta fuiſſent, dubitari poteſt. Legimus tamen, quòd Mundus illе non egebat lumine Solis, quòd & nox non erat illic: vbi enim Angeli ſunt, tenebræ eſſe non poſſunt. Nam de Sanctis dictum eſt, quod Fulgebunt ſicut Sol in Regno Dei. Ipſe quoque Diabolus tunc niger, & tenebroſus, propter nimiam claritatem prius Lucifer vocabatur. Vbi igitur tot Soles ſunt, iſte Sol ibi neceſſarius non eſt.

Matth. 13.

GVLIELMVS Pariſienſis primæ partis de Vniuerſo, parte prima, cùm in capite quadrageſimo Tenebrarum nomine, vt ſupra recitabamus, carentiam lucis in Empyreo interpretatus eſſet, in capite quadrageſimo primo hæc adiecit.

Quòd ſi de hac luce corporali dixit Deus, vt fieret lux, conuenientiùs intelligitur hoc de ſplendore Empyrei Cæli, quàm de alia luce corporali: licet quibuſdam viſum ſit, quia de luce quadam intelligitur hoc; quoniam dicunt fuiſſe quaſi nubem lucidam, & eius reuolutionem, vel in aquis, vel ſuper aquas factam eſſe: ac deſignatam primam diem. Hic autem ſermo valde incredibilis eſt, cùm omninò nulla vtilitas appareat lucis illius, neque

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Lux ipsa Solis, non adhuc suo globo insita.*

neque reuolutionis suæ; non enim erant animalia, vel homines, quibus luceret, aut horas, & cæteras partes designaret. Amplius. Quid factum est postmodum de luce illa? si enim expleta prima die, statim destructa est, tanquam ociosa fuit; si postmodum, vt nonnulli dixerunt, corpus Solis ex illa factum est, sequuntur multa, quæ videntur absurdissima. Vbi enim eßet fabricatum corpus Solis ex illa? Si enim vbi ipsa creata est, qualiter transferri potuit per Cęlos medios ad Cęlum Solis quarta die? Non enim modicum fuit corpus lucis illius, cùm ex ea formandum esset corpus Solis, quod constat eße tantæ magnitudinis: sed de motu illius, num eßet naturalis, vel violentus, vel voluntarius, quæstionem habet. Tu autem quicquid horum ponatur, vides, quæ inde sequantur. Amplius. Propter quid laudata est bonitas lucis illius, si non eousq; bona fuit, vt placeret Creatori permanentia ipsius? Non enim eousque attollenda erat bonitas, cuius permanentiam Creator non approbauit. Conuenientiùs igitur intelligitur lux illa fuiße vel spiritualis illa illuxio Solis intelligentiæ, quam dixi, vel splendor, quo illustratum est Cęlum Empyreum, ex vtralibet caussarum antedictarum noueris. Neque enim substantiæ Angelicæ in nocte suæ imperfectionis diù relinquendæ fuerunt: neq; Cælum Empyreum absque luce esse debuit: cùm eius habitatores ad lucem creati essent. Non enim decet lucidos habitatores tenebrosa habitatio: sicut neque è conuerso tenebrosos inhabitatores lucidæ mansiones. Apparet etiam ita esse ex contrarijs ex proportione. Sicut enim habitatio obtenebratorum, scilicet Infernus, tenebrosa est, & fuit, ex quo factus fuit Infernus, quemadmodum doceberis in sequentibus: sic habitatio contraria in luce illa, scilicet quam prædixi, iucundissima, non debuit esse tenebrosa. Amplius. Quis est qui habitationem ædificet, vel hominibus, vel etiam animalibus, & non eam ornet, atque decoret, omniq; modo paret pro congruentia illorũ? Decorandum igitur fuit splendore Empyreum Cælum, & etiam tanto splendore, vt tota subiacens ei habitatio vsque ad nonum Cælum inde claresceret.

ALEXANDER Halensis rapi in hanc sententiam videtur, secunda parte quæstione quadragesimaquinta, membro secundo, cùm ait.

Dicendum est, quòd Cælum Empyreum continetur nomine Cęli: sed sicut Angeli quodammodo dicebantur informes, priusquam reciperent formam gratiæ; quæ nomine lucis designatur: ita & Cęlum Empyreum poterit dici informe; quousque Dominus in formam perfectam redigeret, dicendo; Fiat lux &c. Et secundum hoc nomine lucis, non intelligitur tantùm lux, quæ distinguit per reuolutionem sui noctem, & diem: sed etiam lux distincta à tenebris: quomodo Cælum Empyreum est lux distincta: tenebrę enim hic fiunt in aëre, aqua, & terra: ibi autem non.

a. *Lux ipsa Solis, non adhuc suo globo insita.*

Patrum quamplures, qui Scripturæ sacrę authoritatem adeò venerantur, vt ab ipsius plano sensu recedere non audeant, quanquam prodigiosus, ac probabilitati repugnans aliquando videatur; simplici Mosis narrationi innixi, quæ habet; Fiat lux, & facta est lux: Et post; Fiant luminaria, & fecit Deus luminaria: in hanc proficiscũtur sententiam, vt prima die lucem ipsam Solis sine globo manasse, quarta verò globos ipsos conflatos fuisse, interpretentur; ea sola ducti ratione, vt literarum sacrarum auctoritas inconcussa persistat. Adducam primo loco Poëtas Ecclesiasticos, qui genesim rerum percensentes, hoc ipsum insinuarunt.

TERTVLLIANVS, Carmine heroico in quatuor Geneseos prima capita: quod Fabritius Cypriano ascripsit, & fortè perperam, cùm magis Tertullianicum, quàm Cyprianicum stylum redoleat.

De prima die.

Deus super æquora vasta meabat,
Dum Chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.
Has dum disiungi iussit de cardine, fatur:
Lux fiat, & claro nituerunt omnia Mundo.
Quum Dominus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem.

Et Post.

Quarta dies generat Solis cum lampade Lunam,
Et Stellas tremulo radiantes lumine fingit.

GREGORIVS Nazianzenus in laudem Virginitatis.

At tu consilio parens bone Christe paterno,
Singula sede sua rectè discreta locasti.
Condita principio lux est, vt gratior esset
Tota operis moles, iucundo lumine fulgens.
Postea tornasti (facinus mirabile) Cælum,
Perspicuum Solis radijs, Lunæq; rubentis.
Namque illum sparsa iussisti luce per Orbem
Fulgere humano generi, cursuq; notare
Horas, atque suo distinguere tempora motu.

CLAVDIVS Marius Victor Commentarijs in Genesim, lib. primo.

De prima die.

Qum lux immissa supernè
Emicuit dicente Deo, discretaq; nigrum
Vmbra peplum retrahens, summo discessit Olympo.
Tum diuina diem appellans prudentia lucem,
Indidit & tenebris obscuræ nomina noctis:
Sic facta vna dies de mane ac vespere primo.

De quarta.

Iam tribus exactis, motu succensa citato,
In flammas, ignisq; globum se cogere iussa est
Solis prima dies, fundataq; semina lucis
Puniceos roseo sparserunt fomite crines.

ALCIMVS Auitus Viennensis Archiepiscopus, libro primo de initio Mundi, & primorum Parentum creatione, cap. primo.

Cedebat iam obscura dies: varioq; colore
Plurima distinctum pingebat gratia Mundum,
Temporibus sortita vices: tum lumina Cælo
Fulsere, alterno Solis, Lunæq; meatu.
Quin & sydereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras.

DRACONTIVS Hexæmeron libro primo, de prima die hæc habet.

Principium factis lucem dat lucis origo,
Quæ Mundo vita præmissa est principe luce,
Quæ totum præcessit opus, quod continet orbis,
Quæ Solis præuenit iter, Lunamq; coruscam,
Cuius iussit ope clarescere cuncta creata.

De quarta verò hæc subiungit.

Auroræ iam quarta dies permanserat vndis,
Et rutilante polo compresserat astra rubore:
Mox Solis radiare globum iubet igne salutis,
Flamma salutaris perfundit lumine Mundum.

SYBILLINA Oracula libro primo.

Primum, quænam sit origo
Mundi, dicere me Deus imperat. Ergo scienter
Ne mea mortalis temnas præcepta, caueto.
Supremum Regem, qui Mundum condidit omnem,
Sic fatus, fiat: factumq; est, namq; locauit
Quæ cingatur aquis, & cingat tartara, terram:
Dulce dedit lumen: Cælum subuexit in altum:
Et mare cæruleum explicuit: Cęlumq; renidens
Astrorum clara cinxit, densaq; corona.

Poëtæ igitur Ecclesiastici digestionem Orbis enarrantes, lucem primùm, deinde Cęlum, tandem Solem manasse perspicuè tradunt, ac manifestant. Quamuis primæ diei lucem, quartæ verò Solem non omnes ita clarè, sed Tertullianus, & Claudius Marius tantummodo ascripserint.

BASI-

BASILIVS conspicua, ac diserta oratione primus hanc tradidit sententiam: cùm siquidem Homilia secunda Hexæmeron ea verba, Dixit Deus, Fiat lux, sic interpretatus esset.

Prima Dei vox lucis naturam creauit, tenebras dispulit, Mundum illustrauit, & exhilarauit, vniuersis continuò gratum attulit, iucundumque conspectum.

Quibus apparet, lucis nomine lucem ipsam Solis corpoream Mundum illustrantem intellexisse: Homilia deinceps sexta luminarium nomine Solem & Lunam capiens, hanc suscitat difficultatem.

Si lucis ortus Solem anticipauit: cur nunc Sol, vt luceat super terram, exortus esse dicitur?

Cui ita satisfacit.

Non aduersantur hæc illis sanè, quę de luce sunt dicta. Tunc enim ipsa natura lucis producta est: nunc autem hoc Solis corpus eò conditum est, vt illi primogenitę luci vehiculum esset. Nam vt alia, diuersaq; sunt, & non eadem, ignis, atque lucerna: & ignis quidem illuminandi vim obtinet, lucerna autem idcircò facta est, vt vel moderatam lucem subministret egentibus; sic & illi purissimæ, syncerę, immaterialique luci ceu vehiculum nunc ipsa luminaria sunt extructa.

Prosequiturque amplius, suam declarans sententiam his verbis.

Atqui incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens, quod dictum mihi est, aliud nimirum quiddam esse à luce splendorem, aliud item corpus subsidens luci, ac subiectum. Primùm enim res omnes compositę sic à nobis diuidi solent, in ipsam essentiam susceptricem, & in eam, quæ ipsi accidit, qualitatem. Vt igitur diuersa sunt hæc natura, albedo inquam, & corpus dealbatum: sic & ea, quæ modò diximus, differunt quidem; vnita tamen sunt potentia Creatoris. Itaque ne mihi dixeris, fieri hęc non posse, vt lux à corpore Solis separetur. Neque enim ego lucis à Solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico: sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola agitatione, cogitationeque disparari à se possunt, ea re ipsa seiungi facultate Creatoris vtriusque naturæ posse.

Amplius exemplis, & obtestationibus id comprobat: exempla duo adducit: Primum ignis in rubo ardentis, nec comburentis.

Nam, & ignis vim vstiuam ab eius splendore, tu quidem ipse separare minimè vales: Deus autem volens famulum suum reddere sibi attentiorem illo admirabili spectaculo, in rubum ignem splendore solùm agentem, ociosam autem flagrandi, vrendique facultatem habentem immisit.

Alterum ignis post Mundi consummationem, quo tempore seiunctis proprietatibus fulgoris, & ardoris, lucem beatis præbebit, ardorem verò damnatis.

Vnde arcana quædam doctrina nos docet, cùm pro ijs, quæ in vita gessimus, mercedes nobis retribuentur, naturam ignis in hæc distributum iri: Lux sanè iustis in perennem, & peramœnam fruitionem cedet: è diuerso, supplicio addicendis seorsim attribuetur vis vstiua.

Auctoritatem etiam deducit ex Psalterio mirificum hoc factum comprobantem. David siquidem vocis, hoc est præcepti, imperijque diuini vim amplificans ait. Vox Psal. 28. Domini intercidentis flammam ignis, &c. Neque his contentus D. Basilius, ad vberiorem doctrinam ex Lunæ similitudine lucem à corpore, globoque suo seiungi posse, lepidè demonstrat, dicens.

Ad hæc, tamen ex Lunæ affectibus, eorum quæ in quæstionem posuimus, inuenire possumus fidem. Deficiens enim deliquio Luna, decrementaque suscipiens, non corpore toto absumitur, sed lumen, quod accesserat, ipsa deponens, iterumque aßumens, speciem nobis incrementi, decrementique exhibet. Enimuerò corpus Lunæ haud absumi, cùm in deliquio est, argumento dilucido sunt ea, quæ nunc cernimus.

Et post inquit.

Et noli mihi proferre lucem aduentitiam esse Lunæ; propterea quòd imminuitur quidem, cùm Solem versus motu cietur: accrescit autem, cùm ab eodem discedit. Non enim hoc in præsenti nobis inuestigandum proponitur, sed illud, esse aliud Lunæ corpus, aliud lucem ipsius, qua lucet. Tale aliquid mihi cogita & de Sole, præterquam quòd is semel acceptam, sibique attemperatam lucem nunquam deponit. Luna verò continuè quasi seipsam expolians, atque vestiens luce, & ea quæ de Sole dicta sunt, vicissitudinibus suis hisce per se confirmat.

GREGORIVS Nazianzenus Oratione in nouam Dominicam, & est quadragesima tertia.

Nam cùm Deus hunc ex visibilibus, & inuisibilibus rebus constantem Mundum, hunc inquam, magnum, & admirabilem maiestatis suę pręconem fingere ac construere voluißet, æternis quidem nullum aliud lumen quàm seipsum præbuit, (Quid enim secundo lumine opus ijs erat, qui maximum habebant?) inferioribus autem, atque humanis primam huius luminis vim protulit; (Conueniebat quippe magno lumini opificium suum à lumine auspicari) quo tenebras, vastamque illam rerum congeriem, & confusionem omnia occupantem, sol-

uit, ac depulit. Nec verò id organicum à principio, nec, mea quidem sententia, solare protulit, verùm incorporeum, & Solis expers: sed postea ad Orbem terrarum illustrandum Soli traditum est. Nam cùm in alijs rebus hanc rationem tenuisset, vt materiam prius conderet, ac deinde eam forma conuestiret, ordine videlicet, ac figura, magnitudineque vnicuique rei impositis: hic, vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materia priorem protulit: (forma enim Solis lumen est) ac postea materiam induxit, Solem hunc nimirum, diei oculum, fabricatus.

NICETAS eo loco.

Atque hoc sensibile lumen Deus organicum à principio nequaquam ostendit, idest, quasi in organo quodam, & corpore (veluti in vase) circunscriptum, & conclusum, quale nunc cernitur, cum Solis orbe continetur, verùm incorporeum, ac Solis expers. Nam cùm nondum Solari orbe circunscriptum esset, incorporeum erat: hoc enim significat ἀνήλιον: postea ipsum Soli ac syderibus dedit, hoc est, primigenium lumen illis luminaribus summus Architectus imposuit: non quòd luminis alterius inopia premeretur, sed ne lumen illud iners, ac torpidum maneret. Neque enim luminare, lumen ipsum est, sed luminis conceptaculum. Quid autem causæ fuit, cur prius lumen, deinde luminis conceptaculum, hoc est, Solarem orbem crearet? Nimirum, vt magnum quoddam, & insigne miraculum ederet. Nam cùm in reliquis creaturis materiam prius condidisset (Est autem materia id, quod vnicuique rei ad essentiam subiacet, velut quatuor elementa) ac deinde formam indidisset: hic tamen formam prius creauit; hoc est, lumen (Solis enim forma lumen est; Sol autem luminis materia) postea autem materiam effinxit, hoc est Solare corpus, ac Solem diei parentem fabricatus est.

THEODORETVS in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum Stellę & lumen. Symmachus sic explanauit; Laudate eum omnes stellę luminis: sic etiam cęteri. Atqui secundum Septuaginta sic est intelligendum. Prima die lucem Deus fecit, quarta verò luminaria: & propterea seorsum luminis mentionem fecit; non quòd per seipsum consistat, sed quòd luminaribus attributum sit. Verùm hæc etiam iam supra diximus, hęc Prophetam conuocare non veluti animata, & rationem habentia, sed vt nos in hæc intueamur, Deiq; sapientiam discamus; & per omnia, vt ipsi laudes componamus, adhortatur.

IVNILIVS in Hexæmeron, sub verbo; Vt sint in signa.

Nam totum illud triduum superius indiscreto cursus sui processu transierat, nullam penitus dimensionem habens horarum: vtpotè, quia lumine primario adhuc generaliter omnia replente, nullumque caput habente, quod nunc de Sole accepit, nusquam radij ardentiores illuxerant: & nulla sub caute, vel arbore, aquis remotior vmbra frigebat.

Quibus autem rebus insideret ea lux, nulli innixa organo, ac quo loco fuerit appensa, clarissimè edocet, sub verbo, Fiat lux.

Si autem quæratur, inquit, quibus in locis iubente Deo facta sit lux, cùm adhuc abyssus omnem terræ amplitudinem contegeret: patet profectò, quia in superioribus partibus eiusdem terrę, quas & nunc diurna Solis lux illustrare consueuit, tunc principalis illa lux emicuit.

Quomodo autem illustraret molem eam aquarum, quæ vsque ad Empyreum conscendisse reputauit ipse.

Nec mirandum nobis, diuina operatione lucem in aquis posse respondere, cùm & hominum operatione constet eas sæpius illustrari: nautarum videlicet, qui in profundo maris demersi, ex ore oleo perspicuum sibi hoc, ac lucidum reddunt. Si enim homo talia per oleum sui oris potest, quantam Deus per spiritum oris sui lucem creare posse credendus est? Præsertim cùm multo rariores, quàm modo in terris videre solemus, aquæ in principio fuisse factæ credendę sint, priusquam in locum essent vnum vt apparerent congregatæ.

Glossa Ordinaria hæc eadem compendiosiùs repetijt.

PROCOPIVS Gazæus in Genesim, libro primo, disertiùs hanc Patrum sententiam declarat.

Primò lux in medium adducta est interuentu diuinæ vocis: deinde demum lucis receptaculum conditum est. Vt enim aliud est ignis, sic aliud est lychnus. Nam lucis, quę materia caret, Sol quasi corpus factus est. Siquidem & composita diuiduntur in subiectum, & qualitatem, quę subiecto inhęret. Semel autem à Deo composita cùm sint lux & subiectum eius, à nobis non aliter, nisi sermone, aut cogitatione dispesci possunt. Ei verò qui vtraque coniunxit, & copulauit, facilè diuisibilia sunt. Cuius rei exemplum luculentum dedit in rubo ardenti; vbi igni vim vrendi abstulit, & solam illuminationis & splendoris virtutem reliquit, vt eo miraculo Mosem conuerteret. His consensit Psalmographus, dicens; Vox Domini dissecat flammas igneas. Cæterum Psal. 28. *tanta est potentia Dei, vt effectus producere queat citrà substantias. Cùm apud Aegyptios tribus diebus omnia inuoluta essent obscurissimis tenebris, lux alma recreabat Israëlitas. Lux illa primogenia, quę instar fulguris coruscabat ab initio, trium dierum spatium expleuit, & emensa est. Præterea fertur quidam sermo, at occultus, fore in extremo die, vt ignis diuidatur: lux ignea reddetur pijs: vis verò ignis, quæ vrit, attribuetur impijs, vt ea in æternum crucientur. Idem comprobat Luna, nunc plena, nunc noua existens: qualitate nunc accedente, nunc decedente à corpore Lunari. Certè euidenter conspicari licet Lunæ nunc obscurationem, nunc splendo-*

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Idest, Lux ipsa Solis sine globo, sed coruscantior.*

splendorem, siue illuminationem, quamuis dicas eam aliena vti luce, quam à Sole mutuetur. Vtcunque hæc eueniant, liquido, quæ modo diximus, Lunæ accidere nouimus: Sol vbi semel potitus est luce, eam nunquam abijcit, vel deponit. Nam vt existimemus primo Cœlo facto, ibidem relictam esse in summo primogeniam lucem, & secundum indiguisse Cęlum luce, nulla ratio permittit.

ANASTASIVS Synaita Commentarijs in Hexæmeron libro quarto; Dum sensus mysticos contemplatur, lucemq; diuinæ essentiæ, Solem autem hypostasis Christi typum gessisse edisserit; hanc de luce prisca sententiam, quòd ipsa fuerit lux Solis sine corpore incidenter detulit.

Nam lux quidem trium dierum præcedentium expansa, ac dispersa per totam Vniuersitatem, ostendit lucem increatæ Trinitatis quocunque peruenire, & nullum relinquere locum ea vacuum. Quando autem quarto die fabricatur Orbis Solis, & lux illa, quæ est vbique præsens; in eo ponitur, hoc significat, quòd diuina illa lux in orbe quodam primùm quidem ponitur obscura ob peccatum Adami, postea autem lucida propter vnionem in Deo per hypostasim; in abiecto scilicet, & contempto homine, quem Filius hominis sibi assumet ex tota obscura & tenebricosa humanitate; sed ita quoque, vt non coërceatur in arctum, neque circunscribatur. Quomodo enim lux rursus post eius in Sole posituram quarto die, adest vbique, & per totam Terram expenditur: ita etiam lux Diuinitatis post incarnationem, non est circunscripta, nec contracta: sed rursus sic etiam Deus Christus omnia intuetur, illustratq; , & viuificat. Illa enim Dei Verbi hypostasis etiam in carne est operta; & illa etiam ex carne Mundum illustrat. Quartus autem dies, in quo perfectus fuit Sol, &c.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Et bene nota, quòd non est sermo in spetie de Sole, Luna, aut Stellis, sed de luce, non alia à luce Solis, Lunæ, & Stellarum, sed aliter significata, ac nominata. Quemadmodum enim Cęlum describitur prius natura obscurum, posterius natura formatum luce; ita prius natura describitur facta lux Cœlestis, & posterius natura distincta in Solem, Lunam, & Stellas; quia & prius natura est cœlestis lux, vt sic, quàm sit ipsamet, vt distincta in Solem, Lunam, & stellas.

Aduertas Caietanum, qui cuncta vnico momento manasse putat, lucem non tempore, sed tantùm natura globos præisse existimare.

a. *Lux ipsa Solis sine Orbe, sed coruscantior.*

Patres alij non tantùm lucem eam priscam, Solis lucem fuisse existimarunt, sed eam coruscantiorem putarunt, adeò vt in astra distributa acceptior euaserit.

APOLLINARIS interprete Steuco.

E primogenita, inquit, luce, quicquid purissimum esset, in Solem selegit, reliquum lunæ, & astris deputauit.

THEODORETVS Quæstione in Genesim quartadecima.

Dominus Deus tùm ex his, quæ non sunt, tùm ex his, quæ sunt, creare solet. Nam prius Cœlum ex nihilo creauit, posterius autem ex aqua fecit. Sic & Terram, quæ prius non erat, produxit: genera verò arborum, & seminum germinare iussit. Igitur & lucem creauit, quemadmodum ei libuit. Sicuti verò firmamento distinxit aquarum naturam, & quasdam sursum collocauit, reliquas deorsum reliquit: sic lucem illam distinguens pro arbitrio suo, luminaria magna, & parua condidit.

Quòd autem fulgentissima fuerit, adeo vt ferri ægrè potuerit, edocet post quæstione decimasexta, cùm ait.

Lux verò distributa in parua, & magna luminaria, conuenientem oculis animalium splendorem reddit.

ATHANASIVS Quæstione in Genesim octuagesima tertia.

Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Lux illa non est Sol: Qualis verò lux sit, audi. Est hæc lux illa matutina, quæ exoritur diluculo, & Mundum illustrat, antequam Sol oriatur. Nec est vt aliquis putet, quòd Solis hic splendor sit, qui Solem præueniens statim lucet, & Mundum illustrat, sed hoc illud ipsum est quod dicit Scriptura; Et dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux. Hæc lux magna, & splendidissima cùm esset, diuisit eam Deus in luminaria illa, Solem, & Lunam, & reliqua.

Et

Anno Mundi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Idest, Lux ipsa Solis, sed exilior, & pallidior.*

Et post, quæstione octuagesimaquinta.

Lucem illam magnam, quam Deus fecerat, in luminaria diuisit: quæ lux hinc inde dispersa, aliquatenus est imminuta: quod nisi factum fuisset, non potuissent animalia sustinere magnum iubar, & splendorem tanti ignis. Atque huius quidem rei gratia post Solem, & Lunam sunt animalia creata, vt illius ignis splendorem perferre possent.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim capite primo, cùm ante dixisset, quòd lux illa primogenia, quæ instar fulguris coruscabat ab initio, trium dierũ spatium expleuit, & emensa est, non multò post adiecit.

Cæterum Deus purissimam partem primogeniæ lucis accipiens transtulit in Solem; reliquam partem lucis distribuit inter Lunam, reliquaq; astra.

a. *Lux ipsa Solis, sed exilior, & pallidior.*

Patres alij lucem primò procreatam Solis lucem fuisse asserunt, sed valde exiguam, tenuem, & pallentem, at in Sole post fulgentior euaserit.

TERTVLLIANVS libro aduersus Hermogenem, capite vigesimonono, hoc ipsum insinuauit.

Siquidem omnia opera sua Deus ordine consummauit, incultis primò elementis depalans quodammodo Mundum, dehinc exornatis velut dedicans: Nam & lumen non statim splendore Solis impleuit, & tenebras non statim solatio Lunæ temperauit, & Cœlum non statim syderibus, stellisq; signauit, & Maria non statim belluis frequentauit, & ipsam Terram non statim varia fœcunditate dotauit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.

Aduertimus itaque quòd lucis ortus, antequam Solis, diem videatur aperire, (principia enim diei noctis exitum claudunt) finisq; temporum, & statutus limes nocti, & diei videatur esse præscriptus. Diem Sol clarificat, lux facit. Frequenter Cœlum nubibus texitur, vt Sol tegatur, ne vllus radius eius appareat: lux tamen diem demonstrat, & tenebras abscondit.

Et libro quarto, capite tertio.

Mouere autem potest quod ait: Vt fiant luminaria ad illuminationem super Terram, quæ discernant inter diem, & noctem. Quia & supra iam vbi lumen fecit, dixerat. Separauit Deus inter lucem ac tenebras, & factum est vespere & mane dies vnus. Sed consideremus, quia aliud est lumen diei, aliud lumen Solis, & Lunæ, & lumen Stellarum, eò quòd ipse Sol radijs suis fulgorem diurno lumini videatur adiungere, quod vel ortus diei potest prodere, vel occasus. Nam ante Solem lucet quidem, sed non refulget dies, qui amplius quoque meridiano sole resplendet. Et post. *De die autem vel ipsa Solis flagrantia docere nos potest, diuersam diurni luminis, & Solis esse naturam, & ipsam esse spetiem discolorem. Simplex est enim lucis species, vt lumen præbeat.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite vndecimo, hæc eadem (dato quòd ea lux corporea esset) de ipsius lucis qualitate existimauit.

Vt quid ergo factus est Sol in potestatem diei, qui luceret super Terram, si lux illa diei faciendo suffecerat, quæ dies etiam vocata est? An illa prior regiones superiores à terra longinquas illustrabat, vt sentiri non posset in terris: atque ita oportebat Solem fieri, per quem dies inferioribus Mundi partibus appareret? Potest & hoc dici, auctum esse fulgorem diei Sole addito, vt per illam lucem minus fulgens dies, quàm nunc est, fuisse credatur.

CHRYSOSTOMVS Homilia sexta in Genesim, in hanc visus est incidisse sententiam, cùm dixit.

Sol enim clariorem diem efficit, rutilans aureo suo iubare, & radijs, & quotidie speciem suam vigesentem ostendens: & simul atque mane exortus fuerit omne hominum genus ad suorum operum studia excitans. Et post. *Deus quarto die Solem fecit, ne putes illum diei auctorem. Nam quod de seminibus à nobis dictum est, & de die licet dicere, quòd fuerunt tres dies ante Solis formationem. Voluit autem Dominus &* per

Fiat Lux.

Anno Mūdi primo. Die Prima.

a. Non lux Solis, sed lux quædam ex miraculo à Deo tantùm eo in triduo effusa.

per hoc elementum clariorem diei lucem fieri. Et Post. *Quid est in præfecturas diei, & præfecturas noctis? Hoc est, vt Sol diem suis radijs clariorem reddat; Luna autem, vt dispellat tenebras, & hominum generi lumine suo præbeat commoditates vtendi suis studijs.*

a. Non lux Solis, sed lux quædam ex miraculo à Deo tantummodo in triduo effusa.

BVRGENSIS in Additionibus in Genesim primùm inuehitur contra sententiam asserentem, quòd lux illa fuerit nubes lucida, peculiari hac sua ratione. *Sententia illa ex serie literæ non videtur stare; Quia lux significat qualitatem tantum: nubes autem lucida non est lux; licet sit corpus luminosum, vel luminare, & huiusmodi; sicut album non est albedo: vndè in tali lucidæ nubis productione debuisset exprimi substantia cum sua qualitate, dicendo: Fiat nubes lucida, vel quid luminosum, & huiusmodi. Fieri enim, sicut & esse, principaliter pertinet ad subiectum, seu substantiam. Accidentium enim, prout in Metaphysica traditur, non est esse, sed inesse.*

Deinde, & reprehendit alteram sententiam, diffinientem lucem fuisse lucem Solis. *Tùm quia si sic, debuisset dicere, producatur, seu procedat lux, vel producat Sol, seu Cœlum lucem; sicut dicitur in hoc capite in his, quæ ab alijs procedunt. Tùm quia secundum hoc diuisio lucis à tenebris in prima die facta fuit per circularem motum Solis, sicut in quarta die; & tamen Scriptura in hoc loco attribuit hanc diuisionem Deo, dicens; Diuisit Deus lucem à tenebris. In quarta autem die attribuunt hanc diuisionem luminaribus, dicentes, vt diuidant lucem à tenebris. Tùm quia maximè inconueniens videtur dicere, quòd accidens, seu motus alicuius rei singularis sit in rerum natura, antequam suum subiectum in esse producatur.*

Quibus concludit. *Ex quibus patet, quòd lux in prima die facta, differt à luce Solis, de qua fit mentio in quarta die non solùm quantum ad particulares effectus, sed etiam quantum ad essentiam.*

Cùm inde Basilij sententiam inseruisset; suam his detulit, quasi ex Basilio excerptā. *Vnde secundum eum, hæc lux non fuit corpus, seu substantia corporea, sed quędam qualitas formaliter illuminatiua, non procedens ab aliquo corpore luminoso, sed solùm à voluntate diuina per creationem, prout ipsa litera plano modo significat, cùm dicit; Fiat lux.* Et Post. *Secundum quam positionem Basilij, quæ valde videtur consonare literæ, non est inquirendum quid factum fuit de illa luce prima post creationem Solis: nam adueniente prouisione naturali rationabiliter cessat prouisio miraculosa; sicut & legitur Iosuè; Defecit manna postquam comederunt de frugibus terræ.* Iof. 5.

Interposuit nonnulla de motu illius lucis, de quibus infra. Nec reticere potui hanc singularem assertionem à Basilij mente alienam, quanquam eius nomine decoratam.

AVCTOR.

Consistit certè mens diu fatigata, lassatusque calamus, cùm de tot sententijs dissidentibus inuicemque repugnantibus in re tam ardua, ac potiùs variè distracta, quàm diffinita, iudicium ferre compellor. Afferam tamen, maiore qua possum in tantos Patres, & Doctores obseruantia, de eorum relatis sententijs iudicium. Principiò D. Augustini sectatorumque placitum, lucem primæuam Angelum interpretantium, iam supra suo loco reiectum est. Sententias pariter illas, quæ primo die asseuerant, vel Solem prorsus absolutum, & suis numeris cumulatum prodijsse, qualis est Catherini assertio; vel ampliori etiam luce rutilantem, ut est ea Steuci; vel saltem cum globo ea forma prædito, qua nobis nunc apparet, at sine virtute ad particulares influxus, vt D. Thomas, Vielmius, & Nuperi plures putarunt, vel absq; corporis perfecta obdensione, seu fulgore, vt Aegidius censuit, tanquā à vero excidētes, reijciendas, ac refellendas arbitror. Primò etenim

etenim Doctores isti Cœlos cunctos in primordijs temporum, seu prima die prosilijs-
se, vt exploratum, certumque existimant; & fortè perperam, cùm id maxima indige-
re probatione censeam. Illud siquidem ipsis iaciendum erat fundamentum, opifi-
cem Deum in temporum exordio, orbes cœlestes protulisse, quandoquidem Moses id

Corpora Cœlestia non primo die conflata.

non tradit. Cœli nanque nomine cum terra procreati, alij supera cuncta cœlestia non
vt condita, sed quatenus ipsorum genitura erat enarranda intellexere, vt Chrysosto-
mus, Cyrillus, Augustinus: Alij Idæas Cœli, vt Plato, Philo; Alij Angelum, vt Au-
gustinus, Eucherius, Hieronymus, Beda, Isidorus, Magister, & alij: Nonnulli Cœli
nomine Empyreum capi voluerunt, vt D. Petrus, Diodorus, Claudianus, Iunilius, Stra
bus, Petrus Comestor, Lyranus, Tostatus, & Catherinus: Alij tria superna elementa,
sicuti Hugo Victorinus, Richardus; Alij supremum orbem tantùm, scilicet Basilius,
Ambrosius, Damascenus. Præterea non solum hi omnes; verùm, & Tertullianus,
Origenes, Accacius, Seuerianus, Gennadius, Athanasius, Theodoretus, Damasce-
nus, Cyrillus, Procopius, Cœlos secundo die compactos edocent; cùm clarè enarret
Moses effectum fuisse secunda die firmamentum, quod vocatum est Cœlum, in quo
tandem die quarto astra insita fuisse produntur. Arduum igitur maximè videretur his
Patribus, lucis nomine non tantùm Solem, sed & cœlestia corpora intelligenda fore,
quemadmodum illi pro arbitratu existimarunt. Quapropter euincitur, placitum hoc,
quo cœlestes orbes in exordio temporum, seu in primæua die manasse asseuerat,
D. Thomæ tempestate primò emersisse. At quomodo fieri potuit, vt Ecclesiæ an-
nis plusquam mille ac ducentis id fuerit incompertum, & inexploratum; totque præ-
stantissimi Patres istud non leuiter saltem odorarint? Firma igitur, ac opportuna basi
destituta est hæc assertio, quæ vel Solem ante orbes conditum putat, vel certè ante pri-
mum diem, seu ipsa prima die Cœlos manasse, nullo iacto fundamento, nulla auctori-
tate suffulta opinatur. Deinde assertiones istæ sex dierum opera ita distribuunt, vt
vnum prorsus diem auferant, quartumque superuacaneum, vel saltem inopem fa-
ciant, cùm in ipso ad Cœli venustationem dedicato, opifex minimè, quod summum
erat & præstantissimum, Solem inquam lucis fontem, Mundi decus, sed tantùm Lu-
nam, & sydera, quæ lucem mutuant, condiderit; at propterea Mundum non sex diebus,
sed quinq; ferè Deum diremisse, & venustasse tradunt. Amplius Mosem mendacem
demonstrant, ipse etenim scribit, Dixit Deus, Fiant luminaria; & fecit Deus lumina-
ria: isti vero ex aduerso non luminaria, sed vnicum tantùm luminare effectum autu-
mant. Quod autem asserunt Mosem die quarta per repetitionem, genesim Solis enar-

Sol quarto tantùm die conditus.

rasse, ex professo verò Lunæ, ac syderũ natalia prodidisse; id longè certè à verisimilitu-
dine recedit. Vt quid enim consimul quarto die Solem, Lunam, Sydera, ijsdem ver-
bis, eademque narrationis serie producta tradit, si nec simul, nec eodem prorsus die
compacta fuere? Cùm enim vnica & conformi verborum prolatione, Moses Solem,
& Lunam, atq; astra condita perhibeat, arduum profecto est id de Sole per repetitionẽ,
de Luna verò & astris per veram effectionem dictum existimare. Deinde quæ repeti-
tio esse potest, cùm prius Solis, vt Solis, genesim, ac munera non explicasset? Nec exem-
pla adducta de Protoparentum plasmatione, seu de pluribus in Scripturis vel præposte-
ris, vel reiteratis narrationibus, huic assertioni suffragantur. Debebant siquidem ipsi
repetitionis huiuscemodi in ijs, quæ sex diebus creationis Mundi effecta fuerunt, exem-
plum aliquod deferre, ac patefacere; quo scilicet, quod vno die effectum erat, in altero
iteratim, non vt factum repeteretur, sed ipsum vt ante prorsus editum, ac genitum de-
scriberetur. Amplius sententiæ istæ voces ipsas Mosis è suo loco diripiunt, siquidem si
Sol primo die manauit Dei imperante voce; quare non inquit Vates, Dixit Deus, Fiat
Sol, sed dixit Fiat lux? Nunquid Solis nomen ei defuit? Quanquam enim Sol, Lux,
Dies se inuicem consequantur, cùm à Sole prosiliat lux, & lux gignat diem, sæpiusq; in
Scripturis nomina ista commutentur, & confundantur: diuersa attamen sunt ratione;
nam Sol globum Solis significat; lux verò fulgidam ab eo prodeuntem claritatem; dies
autem tempus, quo Sol super terram degit. Quin & diuersum nomen tam apud nos,
quàm apud Hebræos sortita sunt, Sol, & lux; lux nanque Or dicta est, Sol verò Moor,
hoc est, luminare, seu lumen deferens.

Cùm

Cùm igitur in hac Mosis de opificio Mundi historia, discretis omnino diebus Sol & lux effecta narrentur, diuersoq; admodum loquendi genere eorum productio describatur, quandoquidē de ista, Fiat Or, de illo vero, Fiat Moor, perhibetur: cur non primo loco lucem, vt claritas est, secundo vero Solem, quatenus vehiculum est lucis, effecta narrari, rectè ac tuto poterimus existimare, præcipue cùm Patres ferè omnes in hanc interpretationem properarint? Contra præfatos mehercle Doctores prolatæ hucusque à nobis rationes non modici roboris, nec parum vrgentes spectātur, vt meritò pro Patribus lucis nomine non Solem, sed lucem ipsam accipiendam diffiniamus. Singulas deinde assertiones istas in eo quòd peculiares sunt, censeo redargutioni subiacere. Solē primo die conditum, quarto verò specialem virtutem ad particulares effectus nactum esse D. Tho. ac Vielmius asseuerabant. Cæterùm ego ab ipsis expostulo; Num ea peculiaris virtus ex luce, & motu ipsi contigerit, an ex retrograda circumlatione, & congressu coitioneq; syderum; si ex luce, & motu eam virtutem nanciscitur Sol, certè & primo die uim ad illuminandum excepit, & supremi orbis raptu secundum ipsos ciebatur: si ex syderum aspectibus, peculiarique latione; nil igitur Soli quarto die, quod illi essentiale esset, additum est. Nec qua ratione interpretari nobis liceat, Fiat Sol, hoc est, Soli ex syderum coitione, seu ex propria conuersione virtus ad spetiales effectus tribuatur, conspicio. Aegydij sententia Dei certè sapientiam, atque potentiam, prima sui fronte denigrare cognoscitur; existimare nanq; Deum primordio temporum Solem protulisse ita densitatis lucis expertem, ut prorsus non emicaret; inde primordiali die adeo coëgisse, vt exigue splendesceret; tandem quarto ipsum reassumptum magis coarctasse vsquequo fulgentissimo exornaretur lumine, est Deum figulum effingere, qui cænosam molē, seù argillam super rotā, vel manibus mēbratim cōprimat. Anilem profectò fabulam, vel insulsum excogitatum eruditissimi, grauissimiq; Patres id censerent. Catherini assertio, qui Solem absolutum ac perfectum, cum orbibus cœlestibus, vno excepto firmamento, primo die manasse arbitratur, & ea quæ de Sole quarta die narrantur, per recapitulationem prodita autumat; inops ac nutans mihi visa est, cùm ipse eam nec ratione, nec auctoritate corroboret. Quapropter vt suo marte solo, (cui necdū Vulcanus arma conflauit) parta derelinquenda est. Quantum enim ad firmamentum spectat, quod non prima die cum cæteris orbibus, sed secunda congestum sit, sciscitari possumus, quid eius loco immensum illud spatium ocuparit; Num corpus aliud Cœleste? sed quò properauit hoc corpus, cùm exilijt firmamentum? si elementum, quo pacto inter corpora cœlestia elementum interiacere poterat? si vacuum; nonne vacuum horret natura? sed hæc disertiùs suo loco. Quantum verò ad inductam recapitulationem, eam consentaneā non fuisse supra demonstrabamus. Steuci sententia, quæ censet Astrorum emolitionem primo die inchoatam, in quartum protractam fuisse, Solem verò coruscantiori lumine fulgidum manasse; vti recens, & singularis, ita & commentitia est existimanda; cùm non modo præfatarum sententiarum difficultatibus laboret, verùm adhuc longè maiora subeat, & patiatur incommoda. Deū siquidem vnico die opus absoluisse, quod patrandum assumpserat, Moses ipse demonstrat, cùm ait; Dixit Deus fiat, et factum est, & vidit quòd bonum est: si enim non absolutum, nec factum, nec bonum dici poterat. Deinde omnium priscorum Patrum, ac Doctorum Scholasticorum in vnum conspirant, coëuntq; sententię, nempe vnumquodque opus singulo die consummatum prodijsse. Perturbat insuper placitum hoc Mosis literam; ad quid enim dierum sex enumeratio celebratur, si operum sex non fuit seiuncta constitutio? Amplius Potentiam, Sapientiamq; Dei in Mundi congestione non extollere, & amplificare, sed deijcere, atque obscurare videtur, dum secundis caussis, & tempori, rerū ipsarum conflationem ascribit, quæ sola Dei virtute, & momentis, effecta est. Tandē quo cessit ille coruscantissimus Solis splendor? quonam loco Moses ipsum splendore fuisse exutum enarrat? Hæc igitur commentitia plane & fabulosa sunt existimanda. Superest vt quæ ex aduerso proferebantur argumenta diluamus. Nullius profectò sunt ponderis delata à Vielmio, & Pererio fundamenta. Solis solam dignissimam esse lucem, quæ simpliciter lucis nomen sibi vendicet propter suam vbertatem, pulchritudinem, & efficaciam ipsam esse quæ constituat diem, & noctem; munusq; obeat illa distinguendi, ipsam

Prædictæ assertiones singillatim refelluntur.

Singulis diebus assumpta opera Deus absoluit.

Diluuntur argumenta Vielmij & Pererij.

ipsam esse quæ postea non tantùm in triduo primo, sed & sex diebus, & in temporum decursu fulserit, ipsam ornamentum Cœli, & decus Vniuersi, à Deo vt pulchram, & bonam comprobatam; ipsam denique generalissimam esse tùm creationis, tùm conseruationis rerum cunctarum caussam equidem non inficiantur Patres; sed lucem prima die productam esse Solis lucem, luminare verò quarto die conditum ipsius vehiculum extare profitentur. Disceptatio autem seu discrepantia est, quoniam immediatã lucis caussam in naturæ constitutione Patres à Mose edocti Deum arbitrantur, Solem verò eius tantùm vehiculum perhibent: Hi verò lucẽ à caussa, seu forma sua, à qua nũc in natura constituta prodit, in ipsa primordiali rerum constitutione disiunctam prouenisse tradunt. Quòd dies primus, qui nobis Dominicus est, omnium gentiũ consensione, à Sole, vtì eo die procreato, nuncupatus fuerit; imbecillis admodum est argumentatio. Duabus etenim vijs eam elidere ac euertere possum: Primò nimirum asseuero, hanc primam fuisse gentilitatis institutionem, quæ veræ Theologiæ expers erat, & ignara, syderaq; in Deos sibi asciuerat, & dies circumuolutæ hebdomadæ Astris errantibus, vt sibi lubuit, ascripserat. Deinde quòd si prima dies Soli assignata fuit, non incommodè id factum sit, cùm lux, quę præstantissima pars est in Sole, à qua vehiculũ, seu corpus ipsius omnem pulchritudinem, efficaciam, præstantiamq́ue suscipit, primo die condita narretur. Enimuerò si nomenclaturæ ordinem ex ordine quo effecta sũt, deprõpsere prisci gentilitatis Vates, cùm vnico tantùm, scilicet quarto die, Sol, Luna, et errantes Planetæ, atq; etiã inerrantes stellæ emanarint, quanã serie dies partiti sunt; quanam ratione primum Soli, secundum Lunæ, tertium Marti, quartum Mercurio, quintũ Ioui, sextum Veneri, septimum Saturno destinarunt? Nunquid Deus septima die, qua quieuit ab omni opere, quod patrarat, Saturnum produxit? Puerilia hæc certè sunt, arbitrorq; antiquos illos Vates gentilitatis, vel nullam vnquam de Mundi effectione veram hausisse sententiã, vel eam in hac dierum nuncupatione contempsisse. D. Dionysij dictum non certè à Patribus dissentit, sicuti D. Thomas, & nuperi Doctores reputarunt. Lux est mensura, ait Dionysius, & numerus horarum, dierum, totiusq; labentis tẽporis. Ipsa est enim lux, etsi tunc informis, quod & diuinus dixit Moses, quæ primã distinxit, ac diffiniuit dierum nostrorum trinitatem. Duo siquidem prodidit D. Dionysius D. Basilio conformia. Primùm quòd ea lux esset eadem, quæ Solis est. Erat siquidem totius labentis temporis mensura, &c. Quod quidem Solis luci tantùm peculiare est. Alterum quòd tunc informis esset. Sciscitarer certè quid nomine informitatis contendat Dionysius, & quare potius informitatis nomine nõ interpretemur carentiam Iubaris seu vehiculi, ipsius lucis tenuitatem palloremq́ue, quàm virtutis ad determinatos effectus defectionem, seu quid simile.

IODOCVS Clicthouæus Neoportensis Parisiensis Theologus Commentarijs in caput septimum libri secundi de Orthodoxa Fide Ioannis Damasceni, sic locum Dionysij interpretatur.

Porrò sanctissimus Pater Dionysius, cùm de luce Solis, prima parte quarti capitis libri de Diuinis nominibus pertractat, inquit; Ipsa (vtpote lux Solis) est ea lux (etsi tunc erat informis, quod & diuinus Moses ait) quæ primam distinxit, atque diffiniuit dierum nostrorum trinitatem. Vbi asserit eandem lucem, quæ primo die creata est, & trium dierum formationem Solis præcedentium distinctionem effecit, postea in Solis lucem esse formatam.

Accedendum modo est ad excutiendam sententiam illam, quæ lucem priscam nil aliud quàm lucem Empyrei interpretatur. Porro adeo frigidum & peregrinum est placitum istud, ut absque ullo negocio repudiari possit. Peregrinum, inquam, quoniam vetusti omnes Patres uel nullam de Empyreo memorationem egisse Mosem statuerunt, utpotè quòd ipsi de Mundo tantùm sensili negocium esset; vel si Cœli cum Terra effecti nomine Empyreum interpretati sunt, illud undequaq; absolutum, suaq; coruscantissima, & glorifica luce insignitum prodijsse censuerunt. Frigidum deinde hoc placitum & imbecille cernitur; percunctari nanq; possumus, cuiusnam generis lux Empyrei existimanda sit. Si sensilis non igitur glorifica, non igitur perennis, non igitur Regia Dei & beatorum digna. Si spiritalis, & gloriosa, quo pacto tenebras totũ Chaos obumbrantes potuit expellere? Amplius, qua serie ualuit dies, ac noctes generare? Narratio

ratio equidem Mosis conturbaretur, si post descriptionem Chaos peractam, ipse ad Empyrei lucis genituram declarandam conscenderet. Voces quinetiam Mosaicæ narrationis, qua dicit Deum diuisisse lucem à tenebris, & factum fuisse vesperum, & mane, ad inopinatas, atq; extortas significationes pertraherentur; prout ipse Gulielmus prolixiori oratione pertrahere, ac detorquere contendit.

Supersunt modò duæ sententiæ, altera quæ lucem fuisse ignem, seu nubem lucidam interpretatur (has enim duas vnam esse arbitror, vt supra disserebamus) lucem etenim eam ignitam nubem lucidam extasse asseuerare possumus: Altera verò, quæ lucem eã priscam Solis lucem, sed absque corpore, seu lucis conceptaculo diuina virtute effusam fuisse arbitratur. Prima, mea quidem existimatione, secundum dogmata Philosophiæ & potissimum Platonicæ, quam omnes ferè vetusti Patres sunt insecuti, probatior verisimiliorque apparet. Nam cùm astra ignea, & calida existimentur, non longè abest ab imagine veri ex Chaos primum ignem ad superas partes conscendisse, ac in speciem nubis lucidæ sese demonstrasse, ex qua postea quarto die secundum partium sympathiã astra conflata sint. Secunda attamen literæ Mosis magis arridere, appropinquareque mihi videtur. Lucis etenim nomine lucem hanc nostram Solis secundum simplicem eius significationem, Solis autem appellatione Solarem globum iuxta cõsuetam illius vocis acceptionem interpretatur. Sed prima sententia in eo deficit, quòd non ita simplicem Mosis literæ intelligentiam insequatur. Hæc autem secunda in eo, quod miraculum astruat singulare, dum sola Dei virtute accidens à substantia, seu subiecto seiunctum extitisse autumat, quod quidem omnis Philosophia, naturalisque ratio ægre audit. Quapropter ego secunda non repudiata, quòd Basilij & Gregorij Nazianzeni grauissimorum Patrum auctoritate sit munita, ad primam accederem. Atque vt quoquo modo ambas conciliarem, dicerem, prima die materiem quandam ex summitate elementorum conflatam, & ex prædominio igneam. (nam nullum elementum purum prorsus admittit Philosophia) iussione Dei ex Chaos prosilijsse, ad superasque partes euectam effulsisse, expansamq; adeò, vt nullo capiti, seu corpori, sicuti inquit Iunilius, addicta videretur. Quæ quarto die postea conserta, & cõstipata astra pepererit. Quamobrem lucis nomine lucem ipsam Solis interpretarer nulli adiunctam corpori, seu globo, apparenti scilicet, nec tamen sine substantia aliqua, sed in ea insitam materie, ex qua compingenda coagmentandaque erant astra, quæ tamen speciem aliquam non præferebat, quamuis lux ex sua crassitie nubes lucida videretur.

Lucis nomine lux Solis absq; globo intelligitur.

Ex his ita simul conciliatis sententijs, tertia quæ emergit ac prodit assertio, planum, germanum, conspicuumque omnibus, etiam ineruditis, nullaque disciplina imbutis sensum effert; cum lucis nomine lucem, Solis appellatione Solem, seu luminaris nuncupatione globum ipsum Solis, consueta, vulgataque significatione accipiat. Hæc dierũ opera perspicua, ac rata reddit, dum præcepto indicto, diuinoque verbo Fiat, duo abinuicem disiuncta admodum effecta recenset: lucem, & lucis vehiculum, vti egregiè docuit D. Basilius. Quare & quarto die Moses Solem non proprio nomine, quod est Hebraicè Shemesh, eum vocauit, sed luminare. Fecisse enim Deum duo luminaria magna contestatur Moses. Luminare autẽ Hebraicè dicitur Maor, à luce, quæ Or nuncupatur, quasi lucem deferens, vt aptiùs hæc duo seiungeret: si enim dixisset Solem, quoddam ex deferente lucem, & luce ipsa aggregatum intelligi potuisset: dum autem dixit luminare, seu lumiferum, expresse lucis vehiculum significauit, atque explicauit. Hæc Mosis scopo, ac præscripto fini multum arridet. Summis profectò viribus Moses, vt Hebræam prosapiam Idololatriæ deditam, à rerum creatarum cultu auerteret, contendebat. Apud priscas Gentilitatis nationes nil prorsus inter creata cuncta, quod mortalium mentes in sui venerationem alliceret, pertraheretque magis quàm ipse Sol ob nimium splendorem eminentemque sui præstantiam comperiebatur. Quare Aegiptij omnium vetustissimi, omnium quoque sapientissimi (teste Eusebio de Præparatione Euangelica) existimati fuere, quòd eius cultum primi suscepissent. Consultè igitur Moses lucem à Deo prius prolatam, & congestam absque organo primo die tradidit, deinde in ipsius Solis orbe à summo opifice insitam, & coactam demonstrauit, vt probè intelligerent mortales, lucem, qua Sol splendidè fulget, totq; mirifica in Mundo operatur,

Solẽ facilius quàm reliqua Gentiles adorabãt.

ratur, non esse illi connatam, sed à Deo, qui Solẽ ipsum fabricarat, inditam, & impressam. Quamobrem ei quoque, vt bonorum omniũ auctori & principi, ab vniuersis creaturis gratias esse rependendas. Hæc insuper assertio ipsius Scripturæ auctoritate magis comprobari conspicitur; sæpius enim sacra pagina lucem, & lumen, vt quid à Sole
Psal. 148. discriminatum memorat. Dauid enim cùm dixisset: Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes stellæ, demum & lumen adiungit. Tres etiam Pueri in fornace arden-
Dan. 3. tium flammarum, Benedicite, aiunt, Sol & Luna Domino, benedicite stellæ Cœli Domino. Et post. Benedicite lux & tenebrę Domino. Hæc ab Ecclesia spõsa Christi, cui diuina patefacta sunt arcana Spiritus Sancti munere, non dissentit. Ecclesia nanq; in quotidianis hymnis, cùm Deo opifici, de vnoquoque sex dierum opere per singulos dies collato, gratias refert, in die Dominico ita decantat.

Lucis creator optime, Lucem dierum proferens,
Primordijs lucis nouæ, Mundi parans originem.

Deinde quartæ diei Hymnus est.

Cœli Deus sanctissime, Qui lucidum centrum Poli
Candore pingis igneo, Augens decoro lumine.
Quarto die, qui flammeam Solis rotam constituens,
Lunæ ministrans ordinem, Vagosque cursus syderum.

Scitissimè certè tradit Ecclesia à Patribus edocta, à Spiritu Sancto afflata, die primo lucem diei Deum protulisse, vt primordijs lucis nouæ Mũdi pararet originem. Quarto autem flammeam Solis rotam constituisse, Lunæ ordines, cursusque syderum vagos ministrasse, aucto decoro lumine, vt Cœlum exornaret, coloreque pingeret igneo. Attendas precor, vnanimi planè assensu, ac vno ferè ore, Mosem, Scripturam, Patres, Ecclesiam idipsum proferre; adeo vt nouas inducere interpretationes, nil aliud sit, quàm à Mose, à Patribus, ab Ecclesia recedere, eorumque consensionem declinare. Consensio autem ea est, quòd duo sint, lux & Sol, lux primo die manarit, & Sol quarto die conflatus sit. Num autem primogenia lux Dei sola virtute, nulli insita organo, vt aiunt in Scholis, diffunderetur; an potius insideret in ea materie, ex qua compingendus erat Sol, quæ tamen materies nullam corporis speciem præferebat, non magni refert hoc loco demonstrare. Minoribus tandem irretitur difficultatibus interpretatio ista, quã quæuis alia: tametsi iuxta Peripatetica placita pluribus ipsam incommodis, quàm aliarum quamlibet à Scholasticis & recentioribus adductarum nouerim subiacere. Sed profectò reliquæ etiam & singulæ assertiones Peripateticis ludibrio erunt; siue enim dixeris lucem eam fuisse ignem; seu nubem lucidam, ex qua congerenda erant astra; seu Solem absque determinata virtute ad peculiares effectus, & sine retrograda orbium circumlatione; aut Solem absolutum, sed sine firmamento, & stellis, & Luna; siue Solem sua naturali luce minimè præditũ, seu etiam fulgentiori, quàm nunc clareat, luce micantem; seu lucem ipsam Solis nulli insitam substantiæ: certè cunctas has sententias Peripateticus vt commentitias reijciet, deridebit, proculcabit; cùm ipse Mundum æternũ, Solemque nullam aliam conditionem, nisi eam ipsam, quam nunc habere conspicitur, tulisse constituat. Verum è contra iuxta Platonica placita sententiæ Nuperorum, & Scholasticorum quintam ab Aristotele excogitatam essentiam statuẽres, quampluribus circumuenientur, atque opprimentur difficultatibus. Nysseni verò, qui per lucem ignem; Vgonis, Richardi, & cæterorum, qui nubem lucidam interpretati sunt, assertiones, nullum in uia Platonica discrimen subibunt. Diui autẽ Basilij, & Nazianzeni assertio, qui lucem eam nulli vehiculo addictam, sed diuina virtute editam fuisse profitentur: quanquam in peripatetica & platonica Philosophia difficultates plures experiantur, in Mosis tamẽ litera offendicula minimè patiuntur. Tandem in via Patrum opiniones nouissimorum nullius censendæ sunt auctoritatis, vtpotè quæ à quadringẽtis hinc annis exortæ sunt. Basilij sententia singularis est, cùm paucos habeat sectatores. Nysseni autẽ & Vgonis acceptissima habetur: nam omnes vetusti Patres platonicæ Philosophiæ adhæserunt; Astraque ignita esse, & calida, numerosa Patrum classis mirifica etiam antiquorum Philosophorum consensione accedente existimauit. Conueniunt siquidem in hanc sententiam Hermes teste Cyrillo, Xenophanes, Anaxagoras, Democri-

Fiat Lux.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. *Idest, Fiat Lux, quæ non de Deo, sed quæ à Deo prouenit.*

Democritus, Metrodorus, Euripides, Diogenes, Parmenides, Heraclitus, Thales, Plato teste Theodoreto; insuper Stoici teste Cicerone. Ex nostris Philo, Iustinus, Tertullianus, Basilius, Gregorius Naziãzenus, Ambrosius, Cyrillus Hierosolimitanus, Theodoretus, Chrysostomus, Damascenus, Procopius, Nyssenus, Anastasius Synaita, Iuuencus, Lactantius, Claudius Marius, Alcuinus, Isidorus, Anselmus, Hugo, Richardus, Magistri duo, & quamplures alij; de quibus in sua Catena.

Cùm igitur omnes hæ delatæ sententiæ, in via Peripatetica plurima pariter subeant discrimina, cùmq; sententia nuperorum Scholasticorum, quanquam Peripateticis placitis ætate hac nostra in Gymnasijs publicis, (& quod mihi magis mirificum videtur, in Cænobijs etiam Cucullatorum) acceptissimis, magis consentanea existat; attamen in litera Mosis, & in via Patrum arduas habeat contrarietates: E contra verò, cùm Nysseni, & Vgonis opinio iuxta Platonis, & Patrum dogmata sine offendiculis incedat, nec multum à plano sensu Scripturarum recedat; Diui autem Basilij placitum mirificè diuinis literis consentiat, magisq; sit existimanda sacræ Scripturæ auctoritas, vt inquit D. Augustinus, quàm omnis humani ingenij perspicacia: profectò summæ ac insignis dementiæ erit, à Patrum sententijs declinare, vt Nuperorũ assertionem teneamus; Cõpingamus igitur nos & coagmentemus sẽtẽtias Vgonis, & Basilij, & certe tùm in via Platonica, tùm in via Patrum, tùm etiam in Scriptura paucioribus difficultatibus inuoluemur.

Superest tandẽ, vt priusquam huic disceptationi finẽ imponã, Burgensis opinionem reijciam. Mentem D. Basilij Burgensem non esse assequutum existimo. Tradit certè Basilius, quòd lux illa non fuerit corpus, seu substantia corporea, sed quædã qualitas formaliter illuminatiua, non ab aliquo luminoso corpore, sed solum à diuina voluntate per creationem procedens; sicuti ipse Burgensis (eius enim uerbis usus sum) exponit. Sed eam ipsam lucẽ Solis non fuisse, nunquam prodidit Basilius, cùm ipse eleganti narratione posse Deum accidentia à substantijs seiungere, exemplis etiam ignis, & lunæ adductis, demonstret: & Nazianzenus ex hoc miraculo potentiam Dei celebret, atque extollat. Ex mente igitur horum Patrum lux ipsa primigenia lux fuit Solis, Solis orbi non insita. Quòd autem Burgensis obijciebat; si lux Solis fuisset, debuisset dicere Moses, producatur lux, vel producat Sol, seu Cęlũ lucem; uti dicitur in his, quæ ab alijs procedunt, nullius est ponderis. Existimant enim hi Patres lucem, non à Sole, seu Cœlo, quæ adhuc non extabãt, sed ex nihilo uirtute Dei omnipotentis manasse. Ad illud quod secũdo loco opponebat, quia tũc diuisio lucis à Tenebris prima die per circularem motũ facta fuisset; illatio hæc neganda esset: poterat enim Deus duplicem luci Solis motum impertiri, alterum per emissionem & attractionem, antequam orbi alligaretur, alterum circumlationis, postquam in globo fuisset collocata. Tertium à Burgense obiectum, quòd accidens siue motus alicuius rei ante suum subiectum tunc fuisset productũ: hoc Deo impossibile non esse assererent Patres, quinimmo ex hoc Dei potentiam suspiciunt, & celebrant. Labitur igitur Burgensis placitum in eo, in quo à Patribus dissentit.

a. *Fiat lux, quæ non de Deo, sed quæ à Deo prouenit.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite quinto.

Et dixit Deus, Fiat lux. Vtrum ea lux, quæ his carnalibus oculis patet, an aliqua occulta, quam nobis per hoc corpus videre non datum est? Et si occulta, vtrum corporea, quæ per locorum spacia tenditur fortasse in subli-

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Fiat Lux.

a. *Ideſt, Quæ corpus non eſt, nec defluxus corporis, ſed qualitas.*

ſublimibus partibus Mundi: an incorporea, qualis in anima eſt, ad quam vitandi, & appetendi refertur examen à ſenſibus corporis, qua non carent etiam animæ beſtiarum? An ea quæ ſuperior ratiocinando apparet, ex qua incipit omne quod creatum eſt? Quamlibet enim lucem ſignificet, factam tamen & creatam debemus accipere, non illam qua fulget ipſa Dei Sapientia, quæ non creata eſt, ſed nata, ne ſine luce Deus fuiſſe putetur, priuſquam iſtam, de qua nunc agitur, condidiſſet. De hac enim, ſicut ipſa verba ſatis docent hoc commendatur, quòd facta ſit. Et dixit, inquit, Fiat lux & facta eſt lux. Alia eſt lux de Deo natura, & alia lux, quã fecit Deus: natura de Deo lux, eſt ipſa Dei Sapientia; facta verò lux eſt quælibet mutabilis ſiue corporea, ſiue incorporea.

Triplex rerũ genus poteſt lux appellari.

Cõtemplatur igitur D. Auguſtinus poſſe triplex rerum genus appellatione lucis inſigniri; Sapientiã ipſam æternam, hoc eſt, Dei Verbum, Angelum, vel Animam, & lumẽ in aëre coruſcans; ſcienterq; edocet de duobus tantùm poſtremis poſſe dici Fiat, non de æterna illa Sapientia, cùm illa increata in æternitatis latebris ſemper extiterit, hæc uerò duo congeſta, & condita cernantur.

a. *Quæ corpus non eſt, nec defluxus corporis, ſed qualitas.*

SVIDAS interprete Hamero.

Lumen eſt actus quidam, & perfectio eius, quod fieri poteſt pellucidum, lumen alio nullo indicatur niſi ipſo viſu. Eſt igitur lux pellucidi actus, quatenus pellucidum fieri poſſit, ideſt forma & perfectio eius. Si enim lux acceſſerit ad id quod fieri pellucidum poterit, tum ei formam dat, & perficit.

D. THOMAS prima parte, quæſtione ſexageſima ſeptima, articulo tertio, cùm in ſecundo probaſſet lumen corpus non eſſe, atque in tertio lumen habere eſſe naturale, & non intentionale, itidemq; non eſſe formam ſubſtantificã Solis, concludit.

Dicendum eſt ergo, quòd ſicut calor eſt qualitas actiua conſequens formam ſubſtantialem ignis; ita lux eſt qualitas actiua conſequens formam ſubſtantialem Solis, vel cuiuſcunque alterius corporis à ſe lucentis, ſi aliquod aliud tale eſt. Cuius ſignum eſt, quòd radij diuerſarum ſtellarum habent diuerſos effectus, ſecundum diuerſas naturas corporum.

D. BONAVENTVRA ſecundo Sententiarum, diſtinctione tertiadecima, articulo tertio, quæſtione prima, pluribus recitatis ſententijs eorum, qui lucem corpus eſſe autumabant, adijcit.

Quarta eſt poſitio concors rationi, & philoſophiæ: ꝙ lumen, & radius ſi nominetur illud præcisè, quod à luce habet ortum, nec eſt corpus, nec corporis defluxus; ſicut rationes ad hoc inductæ oſtendunt. Si autem dicatur radius aër illuminatus ſecundum diametrum; & lumen aër illuminatus ſecundum profundum; ſic ipſo modo radius, & lumen poterit dici corpus; prout tamen propriè accipitur, lumen & radius in medio corpus non eſt.

AVCTOR.

Scholaſtici omnes hoc loco lumen corpus non eſſe, nec corporis defluxum, communi aſſertione decernunt. De lucis nanque ſubſtantia tres olim extarunt celebres inſigneſq; ſententiæ. Nonnulli lumen corpus eſſe, egrediq; à Sole, quemadmodum riuulus à fonte egreditur, eiuſdem quoque naturæ eſſe cum Sole, ſicut aqua riuuli eiuſdem eſt naturæ cum fontis aqua cenſuerunt: Solemque ob id non abſumi, quia vaporibus alatur, vireſq; ipſius ad nouos procreandos radios iugiter reſtaurentur. Exiſtimarunt alij lumen à Sole profluere, veluti à radice rami conſurgunt, atque dũ Sol ipſe circumuoluitur, radios quoque perpetuò conuerti. Arbitrati demum ſunt alij lucem à Sole quo ad formam produci, à Deo verò quo ad materiem creari; ita vt in Mundo propter Vniuerſi perfectionem creatura tota à Deo emanans, vt Angelus, & creatura à Deo quãtum

De Lucis ſubſtantia tres ſententiæ.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Et facta est Lux.

a. *Non primùm Sol, sed lux ante Solem, quòd rerum confusio plena luce digna non esset.*
b. *Hoc est Angelus, secundum exemplar quod erat in Verbo.*
c. *Vel, creatura non excessit præfixos in Verbo terminos suos.*

tum ad formam, & à natura quantum ad materiam prosiliens, vt Homo; & creatura respectu materiæ à Deo, sed respectu formæ à Sole, vt lux, prodiens comperiatur. Cæterum sententiæ istæ à Scholasticis facillimè reijciuntur. Prima quidem, quia lux vt cœlestis incorruptibilis est: altera, quia saltem in Passione Christi, cùm Sol delituit, radios fulgido lumine destitutos prius, deinde eodem decoratos fuisse, seu rursum creatos esse, asserere cogeremur: postrema tandem, quoniam nunquam Deus materiam nisi forma venustatam condit. Omnes autem hæ assertiones simul reprobantur, quia apertissimis, euidentissimisque rationibus lumen corpus non esse, corporisve defluxum euinci potest. Primò enim, cùm duo corpora in eodem loco esse non possint, sequitur quòd si aër corpus est, lux ipsi aduentitia sit qualitas. Deinde motus corporis in instanti fieri non potest, nec simul rectè, & oblique; Lux verò mox orta à Sole cunctum illustrat Hemisphærium, omnia tam directè, quàm per circulum illustrans. Tandem si lumen corpus esset, sequeretur quod adueniente vespere corrumperetur, infinitæque propemodum fierent lucis generationes, & corruptiones. Communis igitur est, ac probata sententia apud omnes Scholasticos, lumen nec corpus, nec corporis defluxum extare. Num verò in aëre habeat esse naturale, vt sensit D. Thomas, an intentionale, vt arbitratus est Aegidius; Nũ in se virtualiter id quod spectat ad esse naturale, & intentionale complectatur, vt edocuit Caietanus in expositione huius quæstionis; rursumq; Nũ lux ipsa forma sit Solis, vt censuit Bonauentura; an tantùm sit qualitas, veluti iudicauit D. Thomas, scholis discutienda relinquo.

a. *Non primùm Sol, sed lux ante Solem, quòd rerum confusio plena luce digna non esset.*

HVGO de Sacramentis libro primo, parte prima, capite vndecimo.
Sed quid significat, quòd non statim factus est Sol, ex quo lumen fieri oportuit: sed vt quasi lux esset, priusquam clara lux? Et fortassis confusio plena luce digna non erat: aliquam tamen lucem accepit, vt videret exire ad ordinem, & dispositionem.

b. *Hoc est Angelus, secundum exemplar illud, quod erat in Verbo.*

GLOSSA ex D. Augustino.
Ea conditione scilicet, qua cuncta subsistunt intemporaliter in Dei Sapientia priusquam in seipsis. Et facta est lux, idest Angelica, & Cœlestis substantia in se temporaliter, sicut erat in Sapientia, quantum ad eius incommutabilitatem æternaliter.

c. *Scilicet, creatura nequaquam excessit præfixos in Verbo terminos suos.*

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.
Cùm enim audimus: Et dixit Deus, Fiat, intelligimus in Verbo esse, vt fieret. Cùm verò addit, Et factum est, ita intelligimus factam creaturam non excessisse præfixos in Verbo terminos generis sui.

Facta

Anno Mundi primo. Die Prima.

Et facta est Lux.

a. *Facta est in natura, quæ erat in præscientia Dei vt fienda.*
b. *Siue dicitur facta est lux, vt demonstretur quàmcelerrime Deum cuncta conflaſſe.*
c. *Facta est lux, idest, de materia præiacente.*

a. *Facta est actu, quæ erat in præscientia Dei vt fienda.*

PETRVS Comestor in Genesim, capite tertio.
Per Fiat, præsentia, vel præscientia lucis in Deo intelligitur, priusquã fieret; per Facta est, essentia eiusdem in actu, cùm prodijt ad esse.

HVGO Carensis in Postillis hoc ipsum adnotabat.
Per Fiat intelligitur essentia lucis in Dei præscientia; per Facta est, essentia eius in propria natura.

b. *Hoc est statim, vt demonstretur quamcelerrime Deum cuncta conflaſſe.*

Patrum quamplures hæc verba intersita existimant, vt celeritatem, ac facilitatem, quæ fuit in Mundi structura notificet, quasi quòd mox, vt dixerit Deus Fiat, statim fecerit, statim factum apparuerit. Adducam nonnullorum sententias.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.
Sanè imperium hoc opus ipsum erat, mox enim fiebat natura, qua vna nihil possit humana ratiocinatio comminisci, & excogitare, quo se oblectet suauius.

Psal. 148. AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.
Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux. Non ideò dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negocium. Vnde pulchrè Dauidicum illud; Dixit & facta sunt; quia dictum impleuit effectus. Auctor ergo lucis Deus: locus autem & causa tenebrarum, Mundus est. Sed bonus auctor ita lucem dilexit, vt Mundum ipsum infuso aperiret lumine, atque eius speciem venustaret. Resplenduit igitur subito aër, & expauerunt tenebræ noui luminis claritatem. Repressit eas, & quasi in abyssos demersit, repentè per vniversa Mundi fulgor lucis infusus. Pulchrè itaque & propriè dixit; Facta est lux. Sicut enim citò lux Cœlum, Terras, maria illuminat, & momento temporis sine vlla comprehensione retectis surgentis diei splendore regionibus, nostro se circumfundit aspectui; ita ortus eius citò debuit explicari. Quid miramur, si Deus loquutus est lucem, & caliganti Mundo lumen emicuit, quando si quis inter aquas mersus, oleum ore emiserit, clariora faciat ea, quę profundi tegebantur occultis?

IOANNES Chrysostomus in Genesim, Homilia tertia.
Et dixit, inquit, Deus, Fiat lux: & facta est lux. Dixit, & facta est; mandauit, & tenebrę quidem fugatę sunt, lux autem producta. Vides ineffabilem potentiam?

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quinto.
Quid enim conuenientiùs de Deo dicitur, quàm cùm ita ponitur, Dixit Fiat, & factum est: Vt in eo quòd dixit, Fiat, imperium, in eo quod factum est, potentia demonstretur.

c. *Et facta est, idest de Materia præiacente.*

HVGO Victorinus de Sacramentis, libro primo, parte prima, cap. septimo.
Hoc primùm in hoc loco lectorem admonere volumus, vt quoties in his operibus, videlicet sex dierum aliquid fieri audierit, vt verbi gratia: Cùm dicitur, prima die facta est lux; secunda die factum est firmamentum; tertia die congregatę sunt aquę; quarta die facta sunt luminaria: non modo primum cùm facta dicuntur, hæc de nihilo creata fuiſſe existimet, sed potius de ipsa, (quę prius creata erat de nihilo) materia formata intelligat. Etiam aliquando verbum creationis positum reperit: vt est ibi; Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem: non ad materiam, qua eſſe cœperunt, sed ad formam, qua hoc quod sunt, eſſe cœperunt, referendum eſſe sciat.

Et post capite nono.
Principium ergo diuinorum operum fuit creatio lucis, quando ipsa lux non materialiter de nihilo creata est, sed de præiacenti illa vniuersitatis materia formaliter facta est, vt lux esset, & vim ac proprietatem

Et facta est Lux.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. *Facta ex nihilo.*
b. *Facta est lux, & cuncta illustrabat.*

tatem lucendi haberet. Hoc opus prima die factum est; sed huius operis materia ante primam diem creata est.
Glossa Locupletata hæc deducit pariter.
MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione decimatertia.
Lux prima corpus lucidum fuit, velut lucida nubes, quod non de nihilo, sed de præiacente materia formaliter factum est.
LYRANVS in Postillis in secunda expositione.
Ista lux fuit quædam nubes lucida de superiore parte materiæ prædictæ facta à Deo.
TOSTATVS pariter.
Dicitur hic lux quædam nubecula lucida, quæ fuit facta in superiori parte materię.
ALEXANDER Halēsis secūda, quęstione quadragesima sexta, articulo primo.
Lux fuit quoddam corpus lucidum formatum ex præiacente materia.
HVGO Carensis in postillis.
Hæc fuit de materia pręiacenti; in quam etiam resoluta est facto Sole, sicut dicitur de stella Magorum, & columba Christi.

a. *Facta ex nihilo.*

ALBINVS è contra Quæstionibus in Genesim.
Int. Quæ creaturæ de nihilo factæ sunt? Resp. *Cælum, Terra, Angeli, lux, aër, aqua, anima hominis.* Int. 20.
Idipsum plures alij Patrum asseuerant.
BEDA de Natura rerum libro primo, capite secundo.
In ipso quidem principio conditionis facta sunt Cælum, terra, Angeli, aër, & aqua de nihilo. Die autem primo lux facta est, & ipsa de nihilo.
HVGO Carensis in postillis.
Alij dicunt, quòd de nihilo creata est cum Cælo & Terra in Oriente.

AVCTOR.

Animaduertendum has Patrum repugnantes sententias ex eo prouenire, quòd etiā repugnantes sint ipsorum de luce intelligentiæ. Qui enim lucis nomine Angelum capiunt, ut Augustinus & sectatores, & qui lucem ipsam Solis absq; vehiculo diuina virtute effusam intelligunt, vt Basilius, eam quoque ex nihilo congestam decernunt. At qui lucis nomine vel ignē, vel nubem lucidam, vel Solē percipiunt, Chaosq; effingunt ante sex dies productum; hi certè lucem, seu ignis fuerit, seu Sol, seu nubes micās ex rudi incōgestoq; eo Chaos exertam volunt: Quemadmodum Hugo etiam ex tribus elementis in nebulæ simulachrum coagmentatis nubem fulgidam excerptam tradit.

b. *Facta est lux, & cuncta illustrabat.*

BASILIVS Hexæmeron, Homilia secunda.
Prima Dei vox lucis naturam creauit, tenebras dispulit, Mundum illustrauit, & exhilarauit, vniuersis continuo gratum attulit, iucundumque conspectum. Nanque Cęlum quidem in omnium prospectum venit, & tenebris eatenus adopertum Mundo inclaruit; pulchritudinemq; tantam vltro obtulit, quantam etiam nunc aspectus, oculique testantur. Aër autem omni ex parte illustrabatur. Immò verò totam immixtam sibi per omnia lucem habebat, celeriterq; splendorem per fines quaquauersum suos distribuens transmittebat. Etenim partes superas versus, ætherem ipsum, Cælumq; pertingebat: in latitudine verò omnes Mundi partes, tam Aquilonares, ac Australes, quàm ipsum Ortum, atque Occasum, momento temporis, punctove illuminabat. Talis est enim ipsius natura, nempe pertenuis atque perspicua, vt lumen per ipsum transiens, mora prorsus nul-

la temporis egeat. Nam vt incunctanter, ac subito nostros aspectus ad ea, quæ conspiciuntur deducit: sic & luminis accessus, & eiaculationes ad fines vsque suos puncto temporis suscipit, quo sanè minus temporis momentum vllum vel mente nemo capere potest. Aether denique iucundior post ortam lucem euasit, & aquâ magis perspicua non solùm splendorem suscipiendo, verùm & ex se per refractionem remittendo, splendidius, & intermicantibus vndecunde ab aquæ elemento fulgetris. Tum enim Dei vox ad iucundissimam omnia, & longè præstantissimam conditionem permutauit. Vt enim qui in profundam aquæ voraginem oleum immittunt, ei loco conciliant, & infundunt perspicuitatem: itidem & Vniuersi Creator edito mox verbo lucis, amabilem, & peramœnam venustatem Mundo inuexit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.

Resplenduit igitur subito aër, & expauerunt tenebræ noui luminis claritatem. Repressit eas, & quasi in abyssos demersit repente per vniuersa Mundi fulgor lucis infusus. Pulchrè itaque, & propriè dixit; Facta est lux. Sicut enim cito lux Cœlum, terras, maria illuminat, & momento temporis sine vlla comprehensione retectis surgentis diei splendore regionibus, nostro se circunfundit aspectui, ita ortus eius citò debuit explicari. Quid miramur si Deus loquutus est lucem, & caliganti Mundo lumen emicuit, quando si quis inter aquas mersus oleum ore emiserit, clariora faciat ea, quę profundi tegebantur occultis?

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Prima Dei vox omnia repleuit luce, cuius hæc fuit natura, vt sua virtute celerius omni cogitatione penetrarit, & permeauerit omnia, inprimis tamen tenuiora & pellucidiora, sicut est aëris natura. Principium simul & finis vno lucis impetu sunt illuminata, vnoque momento ab initio ad finem vsque lux excurrit.

IVNILIVS Commentarijs in Genesim.

Si autem quæratur, quibus in locis iubente Deo facta sit lux, cùm adhuc abyssus omnem terræ amplitudinem contegeret: patet profectò, quia in superioribus eiusdem Terræ partibus, quas & nunc diurna Solis lux illustrare consueuit, tunc principalis illa lux emicuit. Nec mirandum nobis diuina operatione lucem in aquis posse resplendere, cùm & hominum operatione constet eas sæpius illustrari; nautarum videlicet, qui in profundo maris demersi, ex ore oleo perspicuum sibi hoc, ac lucidum reddunt. Si enim homo talia per oleum sui oris potest, quantam Deus per spiritum oris sui lucem creare posse credendus est? Præsertim cùm multò rariores, quàm modò in terris videre solemus, aquæ in principio fuisse factæ credendæ sint, priusquam in locum essent vnum, vt apparerent congregatæ.

MAGISTER Sententiarum libro secundo, distinctione tertiadecima.

Si autem quæritur; Vbi facta est lux illa, cùm abyssus omnem terræ altitudinem tegeret: dici potest in illis partibus facta, quas nunc illustrat Solis diurna lux. Nec mirum lucem in aquis posse lucere, cùm etiã nautarum operatione sæpius illustrentur: qui in profundum mersi, misso ex ore oleo, aquas sibi illustrant: quæ multò rariores fuerunt in principio, quàm modò sunt: quia nondum congregatæ fuerant in vno loco.

Glossa Ordinaria hæc ipsa repetit.

NYSSENVS in Hexæmeron.

Quum enim iam aceruatim in vno momento diuinæ voluntatis vniuersa rerum natura promiscuè, & indistinctè creata esset, & elementa inter se omnia mutuò permixta essent, ignis, qui passim dispersus esset, nimia, ac redundante materia officiente, offuscabatur, & obscurabatur: sed quoniam velox quædam vis eius, & agilis est, simulatq; naturæ rerum ad Mundi ortum à Deo signum & occasio data est, ante omnem naturam grauiorem emicuit, atque prosiluit, ac statim res vniuersæ lumine collustrabantur.

HVGO de Sacramentis libro primo, prima parte, capite nono.

Lux fortaße potuit esse corpus aliquod lucidum, cuius præsentia cuncta illustrarentur.

TOSTATVS in Postillis in secunda expositione.

Nubes lucida fuit facta in superiori parte materiæ, scilicet in loco vbi nunc est Solis circulus; & lustrabat in circuitu incidens in medio illius corporis nondum distincti in varias rerum species.

HVGO Carensis in Postillis.

Alij dicunt, quòd de nihilo creata est cum Cœlo & Terra in Oriente. Quæ ad modum Solis circumagitata superius & inferius hemisphærium illuminabat. Licet enim aquæ totum aëris spacium continerent, erant tamen vaporabiles, & tenues, vnde poterat ibi illa lux lucere, cùm etiam nautæ faciant aquas spissiores lucidas artificio, scilicet oleo de ore emisso sub aquis.

a. *Lux facta in supernis partibus, sed tantùm supremam partem illuminabat.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, capite decimo.

An illa lux prior regiones superiores à terra longinquas illustrabat, vt sentiri non poßet in terris.

GLOSSA Ordinaria ex ipso Augustino.

Sed fortè lux prior superiores tantũ illustrabat partes, & ad illuminationẽ inferiorum Solem fieri oportebat.

MA-

Et facta est Lux.

a. *Lux facta in supernis partibus, sed supremam tantùm partem illuminabat.*
b. *Dixit facta est lux, & non factæ sunt tenebræ: quoniam lucem creauit, & tenebras tantummodo ordinauit.*

Anno Mūdi primo. Die Prima.

MAGISTER Sententiarum secundo distinctione tertia.
Lux illa fortè superiores partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum Solem fieri oportebat.
MAGISTER Scholasticæ historiæ, capite tertio.
Lucem vocat quandam nubem lucidam illuminantem superiores Mundi partes.

AVCTOR.

Non est cur de his interpretationibus disceptemus. Clarissime siquidem Patres omnes lucem, siue ipsa fuerit ignis, siue nubes lucida, siue Sol non vndique absolutus, siue lux ipsa Solis sine vehiculo, siue lux mirifica per emissionem & attractionem effusa dies gignens, in supernis partibus coruscasse produnt. Arduum tamen magis est diffinire, qua serie lux illa primordialis posset, maximè iuxta præfatorum Patrum doctrinā, Mundum illustrare. Iunilius, qui aquas vsque ad supernam Mundi oram omnia obruisse tradit, Mundum ab illa luce illuminatū edocet, tùm quòd Deus spiritu oris sui quasi oleo, luci ipsi virtutem contulerit, vt aquarum illarum colluuionem penetrans perspicuas illas redderet, tùm quòd aquæ rariores extarent. Nyssenus, qui ex rudi Chaos ignem ad superna euolatum asserit, cæteris elementis in illa incondita, indigestaque massa remanentibus, certè nisi tertio die, postquam disiuncta fuere elementa, atque depurata, lucem illam Mundum clarè illustrare valuisse, cogitur asseuerare: quanquam probè asserat res vniuersas mox lumine illo perfusas fuisse. Hugo pariter, qui nube crassa elementa obuoluta tradit; eadem ratione, nec ipse Mundum illustrari perspicuè potuisse nisi tertio die, postquam semotis aquis serenitate ditatus est aër, asseuerare potest. Difficultas verò ista parum officit Diuo Basilio, & cæteris, qui à primordijs temporum, in Chaos elementa segregata effingunt. Potuit siquidem, vt ipse Basilius ait, tunc lux tenebras expellere, Mundum illustrare, & exhilarare, sed non vsq; ad terræ superficiem, eò quòd cęnosa esset, terraque & aqua quasi vinum non defęcatum simul commiscerentur. Compingi igitur simul possunt, adeò vt in vnum coëant, hæ auersæ opinationes, si lucem eam primigeniam Mundum vndequaque illustrasse diffiniamus, sed pallente, exiliq́ue luce in infernis, clariori in supernis Orbis regionibus: adeò vt D. Augustini, & asseclarum sententia, lucem nempe eam priscam radijs suis infimam hanc regionem non attigisse, verisimilior censeatur.

Lux prisca quomodo Mundum illustrauit.

b. *Dixit facta est lux, & non factæ sunt tenebræ; quoniam lucem creauit, & tenebras tantùm ordinauit.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quinto.
Dixit itaque; Fiat lux: & facta est lux. Non dixit fiant tenebræ, & factę sunt tenebræ. Horum ergo vnum fecit, alterum non fecit: vtrumque tamen ordinauit, cùm diuidit Deus inter lucem & tenebras. Ita & ipso faciente, pulchra sunt singula; & ipso ordinante, pulchra sunt omnia.

Scitissime profecto animaduertit Augustinus, Deum lucem protulisse, tenebras verò tantùm ordinasse; Duobus siquidem muneribus perfunctus est, Deus in Mundi congestione Satoris & Prouisoris, vt Sator res ipsas conflauit, vt Prouisor priuationes à rerum ipsarum productarum decidentia prodeuntes ad mirificum redegit ordinem, vt & ipsæ decorem, atque commodum inexpectatum vniuerso afferrent.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. In Hebraica lectione non adest verbum Esset.
b. Tob, idest, quod bonum, optimum, pulchrum, decorum, beneplacens, delectabile, suaue, & vtile.
c. Vidit, hoc est humana forma conspexit.
d. Siue, modo ineffabili vidit; quòd pulchra non ex proportione partium, sed sua simplici natura.

Hebraica lectio habet. Vaiar Elohim Ethuor Schi Tob.
Chaldaica lectio legit. Vidit Deus lucem quòd esset bona. ita Vatablus, Pagninus, Lusitanus, & Caietanus. Septuaginta καὶ εἶδεν ὁ θεὸς τὸν φῶς, ὅτι καλόν. Hoc est; Et vidit Deus lucem, quòd bona. Vulgata nostra editio cum Chaldaica concordat.

a. *In Hebraica lectione non adest verbum Esset.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.
Hebręa lingua habet Elohim, & caret verbo Esset.

b. *Tob, idest, quòd bonum, optimum, pulchrum, decorum, beneplacens, delectabile, suaue, et vtile.*

Vox pilcra quando Mundum illustrat.

RABBINI in Adnotationibus.
Vox Hebręa Tob significat bonum, suaue, delectabile, amœnum, & vtile.
LIPPOMANVS in Catena.
Tob enim, idest, quòd bonus, optimus, pulcher, decorus, beneplacens, bonum, siue bonitas; & est generis masculini.

Sed hæ obseruationes nil notatu dignum nobis subministrant; parum enim interest dicere; Vidit Deus lucem quòd esset bona; vt Chaldaica, & nostra editio habet; vel, quòd bona; vt Hebraica, & Græca sine verbo legunt.

Verba hæc, quæ Dei super opus suum intuitum, iudicium, & beneplacitum demonstrant, Patres in diuersas admodum rapiunt sententias; quas ego multis exantlatis laboribus, ac paginis diu versis, vix collectas ingenuè recitabo.

c. *Vidit humana forma sumpta conspexit,*

VIELMIVS Lectione vndecima.
Lib. 1. c. 4. *Verbum enim Videre geminam habet significationẽ, propriam videlicet, ac translatitiam; sicut Rabbi Moses adnotauit; quarum prior omnibus nota est, ac trita, vt in eiusmodi asynthetis: Veni, vidi, & vici: Abij, laui, & vidi: Vidi, cognoui, damnaui, quod Iulianus Cæsar de cuiusdam scriptis respondit, cui vt Nicephorus*
Lib. 10. c. 25. *refert, D. Basilius (vt opinatur) acutè ita reposuit: Vidisti, non intellexisti, damnasti: aut certè simile quidpiam: Translatitia verò ad cognitionem omnem (hoc est, quæ vel sensuum sit, vel etiam intellectus) omnium vsu extenditur, quòd sensus visus dignissimus, certissimusque omnium sensuum sit, ac nobis præ cæteris charus, vti Plato in Thimæo, & Aristoteles in Prœmio Metaph. testantur.*

Non defuere igitur, qui vsitata significatione, Deum humanam effigiem, dum Mundum cōdidit, ac uenustauit, sumpsisse tradāt, & oculis spectasse lucem firmamentũ &c., ac secundum humanam consuetudinem ea iudicasse & approbasse: sed quantum à vero aberret hæc sententia, ex antedictis facilè euinci potest. Cæterũ Patres omnes verbum Dicere secundum translatitiam significationem excipientes, plures tulerunt de hoc loco sententias.

d. *Vidit Deus lucem, quia bona; modo ineffabili vidit, quòd pulchra non ex proportione partium, sed sua simplici natura.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda, ante Ambrosium.
Quas nos possimus depromere laudes luce hac dignas, quæ initio statim suę conditionis anteuertit, suum vt haberet Creatorem prerogatiuę suæ pulchritudinis testem? Etenim vel apud nos oratio ipsis defert, ac cedit oculis

Anno Mundi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Hoc est præuidit & cognouit, quòd ad vtilitatem & pulchritudinem futura esset Vniuerso secundum rationem præstituti finis.*

oculis hac de re iudicium: ita enim ne sermo vllus tantum queat expromere, quantum ipse oculorum sensus anteuertens suo comprobat testimonio. At si bonitas, siue pulchritudo corporis, tale vt sit, sortitur ex moderata partium temperie, ex apparente item, & conspicua coloris bonitate: quonam pacto conseruatur ratio pulchritudinis in luce, quæ suapte natura simplex est, & omnimoda constat partium similitudine? An quod istiusmodi contemperatio luci attestatur, & consentit, non quidem in proprijs ipsius partibus consistens, sed quòd mox conspecta nos mœrore liberat, animumq; demulcet blanda quadam placiditate? Nam & ratione consimili aurum constat dici pulchrum, non vtique ex collata inter sese partium symmetria, potiùs quòd probo isto & insigni colore nos proliciat ad sui amorem & inuitet. Ad eundem modum Lucifer pulcherrimus est stellarum, non eo, quia partes habet iusta & æquabili portione contemperatas, sed quòd illius splendor affusus semel oculis se contuentium, & illapsus tristitiam ex animo depellat: nosq; mira circunfundat iucunditate, & recreet.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.

Et vidit Deus lucem, quia bona est. Dixit, & sonum vocis nullus audiuit: discreuit, & operationis molimina nemo deprehendit: vidit, & oculorum eius intentionem nullus aspexit. Et vidit, inquit, Deus lucem, quia bona est. Nec quod ignorabat, vidit, nec id quod nesciebat ante, aut non viderat, comprobauit: sed bonorum operum proprium est, vt externo commendatore non egeant, sed gratiam suam, cùm videntur, ipsa testentur. Plus est quod probatur aspectu, quàm quod sermone laudatur. Suo enim vtitur testimonio, non alieno suffragio. Quòd si apud nos oculis iudicium emittitur, quibus simul & gratia venustatis & rerum mensura comprehenditur: quanto magis Deus, omnia quæ probat, videt; & quæ videt, probat: secundum quod scriptum est; Quia oculi Domini super iustos? Lucis natura huiusmodi est, vt non in numero, non in pondere, vt alia, sed omnis eius in aspectu gratia sit. Proprijs itaque sermonibus naturam lucis expressit; quæ videndo complacet: quoniam ipsa videndi officium subministrat. Nec immeritò tantum sibi prædicatorem potuit inuenire, à quo iure prima laudatur, quoniam ipsa fecit, vt etiam cætera Mundi membra digna sint laudibus. Vidit ergo Deus lucem, & vultu suo illuminauit. Et vidit quia bona est. Non ex parte Dei, sed ex generali iudicium est. Itaque non in splendore tantummodo, sed in omni vtilitate gratia lucis probatur. Vnde & discretio fit inter lucem & tenebras, vt separata lucis natura, atque tenebrarum, nihil videatur habere intra se confusum.

Psal. 33.

a. *Vidit quod Bona, hoc est præuidit & cognouit quod ad vtilitatem & pulchritudinem futura esset Vniuerso secundum rationem præstituti finis.*

BASILIVS primus excitauit hanc interpretationem, hancque Dei approbationem ad uenustatem conditarum rerum, atque ad vtilitatem Vniuersi redundantem retulit. Quare Hexæmeron Homilia secunda hæc adijcit.

Iam verò, quod loco præsenti inducitur Dei iudicium, non est vsquequaque spectantis ad eam, quę ex illius pulchritudine in contemplantes resilit, oblectationem; sed veriùs prospicientis vtilitati ex eadem luce olim ad posteros peruenturæ. Neque enimdum erant oculi, qui lucis pulchritudinem internoscerent ac diiudicarent.

PROCOPIVS Gazeus Commentarijs in Genesim, capite primo, pręfatorum Patrum sententiam secutus.

Quod inquit pulchra, &c. non accipiendum est pulchram apparuisse sensibili visu. Absit. Haud enim humano more Deus cernit; sed pro videndo vtitur sua cognitione, qua nouit omnia non visu solum pulchra, sed complecti quoque insignem pulchritudinem & vtilitatem, & inter se debita & legitima proportione conuenire: quapropter Aquylas in sua translatione adiecit verbo Vidit, præpositionem συν, quæ in compositione, cum, significat ac si diceret; Contuitus est, conspexit, &c. Quod singulis suis operibus opifex subiunxit; quòd sint pulchra: ideò factum est, quia omnia erant exactè consummata, & ad vnguem elimata; quibus nihil deesse animaduertere potuisses. Propterea non ab re, inquit; Et vidit omnia quæ fecit, quod essent supra modum pulchra.

Hanc

Anno Mundi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Hoc est, placuit iam factum, quod placuerat in arte faciendum.*

Hanc autem absolutionem, ac conditarum rerum perfectionem, nō tantùm ratione totius Vniuersi, sed ratione etiam earundem vt partium, præstantem fuisse eleganti exemplo demonstrat.

Lapides ingeniosè cęsi, & expoliti, etiamsi non coniungantur, vt inde statua fiat, verum sparsim, & seiuncti iaceant, ceu partes ex quibus statua conficienda & connectenda sit: attamen pulchri videntur, si non cuiuis idiotæ, at ei qui eos ex ratione artis considerat, & intuetur. Si his compares lapides ignarios, etsi per se minime pulchritudinem teneant, tamen ratione Vniuersi nequaquam sua pulchritudine destituuntur. Nam si eos coaptaueris ad pulchritudinem alicuius ædificij, licet sint despecti; attamen si totum ædificium respicias, superant longè vnam statuam, vtcunque sit decorata. Sic existimandum existimo de partibus totius Vniuersi. Si quæ per se videntur deformes, collatæ ad rationem Vniuersi, pulcherrimæ deprehendentur. Cæterùm exactam vtilitatem singularum, & mutuam inter sese conuenientiam, cohærentiam, & commissuram sensui humano percipere impossibile est: immo nec vulgaris, & cuiusuis hominis intellectus illa indagare potest.

ISIDORVS hoc ipsum disertiùs explicauit libro primo de summo Bono, capite decimo.

Attende vniuersaliter creaturam in principio valde bonam vocari; singulariter verò tantùm bonam. Quia & membra corporis cùm sint singula bona: maius tamen bonum faciunt, dum singula omnia valde bonum corpus efficiunt.

Psal. 33.

Eleganter autem adijcit, hominis, & elementorum, & cæterarum rerum, quæ propter hominem emanarunt, discrepantiam, dicens.

Decor elementorū omnium in pulchro & apto consistit: sed pulchrum est, quod per seipsum est pulchrum, vt homo ex anima & membris omnibus constans. Aptum verò est, vt vestimentum, & victus. Ideoq; hominem dici pulchrum ad se, quia non vestimento & victui est homo necessarius, sed ista homini. Ideo autem illa apta, quia non sibi, sicut homo, pulchra, aut ad se; sed ad aliud, idest ad hominem accommodata, non sibimet necessaria. Hoc & de cæteris elementorum naturis dicendum; Cuncta quæ sunt, & facta sunt, mira valde sunt: sed consuetudine viluerunt. Ideoq; sic diuina scrutare opera, vt semper ea cogites immensa.

a. *Vidit, hoc est, placuit iam factum, quod placuerat in arte faciendum.*

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite vigesimo primo hanc contra Platonem excitauit interpretationem.

Et Plato quidē plus ausus est dicere: elatū esse, scilicet Deū gaudio, Mundi vniuersitate perfecta. Vbi & ipse non vsq; adeò desipiebat, vt putaret Deū sui operis nouitate factū beatiorē: sed sic ostendere voluit, artifici suo placuisse iam factum, quod placuerat in arte faciendum, non quòd vllo modo scientia Dei varietur, vt aliud in ea fiant, quæ nondum sunt, aliud quæ iam sunt, aliud quæ fuerunt. Non enim more nostro ille vel quod futurum est prospicit, vel quod præsens est aspicit; vel quod præteritum est respicit, sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè, lateque diuerso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omninò incommutabiliter videt, ita vt illa quidem, quæ temporaliter fiunt, & futura nondum sint; & præsentia iam sint; & præterita iam non sint: ipse verò hæc omnia stabili, ac sempiterna præsentia comprehendat: nec aliter oculis, aliter mente: non enim ex animo constat & corpore. Nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: quoniam non sicut nostra, ita & eius quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet, & præteriti, vel futuri varietate mutatur: Apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio.

Iacob. 1.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite secundo.

Et vidit Deus lucem, quia bona est. Non quòd subitò viderit Deus lucem quòd esset bona, & visio ei contulerit scientiam, quum in nobis omne opus præcedat voluntas nostra, dum cogitamus, quid operari debeamus. Non enim ignorans aliquis facit aliquid, dum cogitat qualiter fiant, quæ facienda cogitando disposuit; & quū hoc in hominem cadere non possit, vt aliquid ignorans faciat, quanto magis in Deum, qui omnia æterno & stabili

Anno Mundi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Quapropter si artifici secundum artem iudicanti fides datur, multò magis Deo est adhibenda.*
b. *Vidit, hoc est placuit, vt ea bonitate manerent, qua placuit, vt fierent.*

stabili consilio suo facit? Ergo ne discit, sed docet factum in arte faciendum: & nec aliter facta, nec aliter facienda vidit. Eo itaque modo vidit facta, quo viderat facienda.

BEDA Quæstionibus in Genesim.

Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. D. Si subitò vidit Deus lucem, quòd esset bona, an antea nesciuit, & visio ei contulit scientiam? M. Omne enim opus præcedit voluntas. nam dum cogitamus quid operari debeamus, neque enim ignorans aliquid facit, dum cogitat, qualiter fiant, quæ facienda cogitando disposuit, & cùm hoc in hominem cadere non possit, vt aliquid ignorans faciat: quanto magis in Deum, qui omnia ęterna, & stabili consilio suo, quomodo voluit, fecit? Nec aliter etenim facta, & aliter facienda vidit: eo itaque modo vidit facta, quo viderat facienda.

ALCVINVS Quæstione in Genesim trigesima quinta.

Vidit Deus, quòd esset bonum, idest in ea bonitate placuit, vt fieret, quod fecit.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa interlineari.

Placuit ei in sua essentia, quod prius placuerat in sapientia.

HVGO Victorinus noster de Sacramentis libro primo, parte prima, capite tertiodecimo.

Per lucem ergo probauit Deus lucem, quia in luce incommutabili vidit, quòd lux ista commutabilis suo modo & ordine bona esset.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coęqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo.

Dicendum, quòd videre non sumitur ibi secundum quòd est principium cognitionis, quæ oritur ex sensibus, sed sumitur pro signo voluntatis, & beneplaciti artificis ad opus perfectum: ad id enim, quod bene placet, multiplicatur aspectus oculorum frequenter. Et hoc est, quod dicit Glossa ibidem; Vidit Deus, idest, placuit ei in sua essentia, quod prius placuerat in sua sapientia.

D. THOMAS prima parte, quæstione septuagesimaquarta, artic. tertio.

In hoc significatur quædam complacentia Dei artificis in re facta, non quòd alio modo cognosceret, aut placeret ei creatura iam facta, quàm antequam faceret.

a. *Quapropter si artifici secundum artem iudicanti fides datur, multò magis Deo est adhibenda.*

CAIETANVS.

Considera ordinem. Ad similitudinem artificis primo creat Cælos: deinde quasi informes Cælos (vtpotè obscuros) formando, imperat esse lucem formam diaphanorum: tertio videndo, non ex relatione percipiendo, vtilitatem, appetibilitatem, ac bonitatem lucis à se factę, illam approbat. Sicut enim ex hoc, quòd artifex videt opus à se factum esse bonum, ipsius iudicio decernitur bonum; ita multo magis ex hoc, quòd Deus vidit ab æterno lucem in principio temporis factam, & esse, & fore bonam, ipsius Dei iudicio habemus lucis bonitatem: & vnde reijciamus stultitias dogmatizantium, quòd creaturæ sensibiles non sunt secundum se bonæ.

b. *Vidit, hoc est placuit, vt ea bonitate manerent, qua placuit, vt fierent.*

D. AVGVSTINVS de Genesi ad literam primo libro, capite octauo, & hancalteram retulit expositionem.

Vidit Deus, quia bonum est: placuit enim quod factum est in ea benignitate, quia placuit vt fieret. Duo quippe sunt, propter quæ amat Deus creaturam suam; vt sit, & vt maneat. Vt ergo esset, quod maneret, Spiritus Dei superferebatur super aquam: vt autem maneret, vidit Deus, quia bona est. Et quod de luce dictum est, hoc & de omnibus: manent enim quædam supergressa omnem volubilitatem temporalem in amplissima sanctitate

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Vt artifex quod vidit intus in arte, hoc foris probat in opere.*
b. *Quod cognouit in sapientia sua ab æterno, tunc effectu se cognoscere demonstrauit.*

sanctitate sub Deo: quædam verò, secundum sui temporis modos, dum per decessionem, successionemque rerum seculorum pulchritudo contexitur.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite secundo.

Inde est, quod dicit, Vidit Deus, quòd esset bonum: idest in ea bonitate placuit, vt maneret; in qua placuit, vt fieret, quod fecit.

PETRVS Comestor in Genesim capite tertio.

Et vidit Deus lucem quòd esset bona, idest, quæ placuerat in præsentia, vel præscientia, vt fieret: placuit in essentia, vt maneret.

GLOSSA Ordinaria.

Vidit Deus, quòd esset bonum, intelligimus in benignitate spiritus eius, non quasi cognitum postquam factum est placuisse, sed eadem bonitate placuisse, vt factum maneret, in qua placuit, vt fieret. Ideò enim diligit Deus creaturam suam vt sit, & vt maneat.

ALEXANDER Alensis secunda, quæstione quadragesima nona, membro secundo.

Duo sunt, propter quæ amat Deus creaturam suam, scilicet, vt sit: & vt maneat. Vt ergo esset, Spiritus Dei superferebatur super aquam: vt autem maneret; Vidit Deus, quòd bona est. Et quod de luce dictum est, hoc de omnibus.

D. THOMAS prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio.

Duo sunt, vt Augustinus dicit primo super Genesim ad literam, propter quæ Deus amat creaturam suam, scilicet, vt sit; & vt permaneat. Vt ergo esset, quod permaneret, dicitur: quod Spiritus Dei ferebatur super aquas, secundum quod per aquam materia informis intelligitur; sicut amor artificis fertur super materiam aliquam, vt ex ea formet opus: Vt autem maneret, quod fecerat, dicitur; Vidit Deus, quòd esset bonum. In hoc enim significatur quædam complacentia Dei opificis in re facta, non quòd alio modo cognosceret, aut placeret ei creatura iam facta, quàm antequam faceret.

HVGO Carensis.

Vidit, idest, quod placuerat in presentia, vt fieret, placuit in essentia, vt maneret.

a. *Vt artifex quod vidit intus in arte, hoc foris probat in opere.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos, lib. primo, cap. octauo.

Et vidit Deus lucem, quia bona est. Dicunt Manichæi; Ergo non nouerat Deus lucem, aut non nouerat bonam. Miseri homines, quibus displicet, quòd Deo placuerunt opera sua, cùm videant etiam hominem artificem, verbi gratia, lignarium fabrum, quamuis in comparatione sapientiæ, & potentiæ Dei penè nullus sit, tamen tamdiu lignum cędere, atque tractare dolando, asciando, planando, vel tornando, atque poliendo, quousque ad artis regulas perducatur, quantum potest, & placeat artifici suo. Nunquid ergo, quia placet ei, quod fecit; ideò non nouerat bonum? Prorsus nouerat intus in animo, vbi ars ipsa pulchrior est, quàm illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere: & hoc est perfectum, quod artifici suo placet. Vidit ergo Deus lucem, quia bona est: quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum.

b. *Quod cognouit in sapientia sua ab æterno, tunc effectu se cognoscere demonstrauit.*

DIONYSIVS Carthusianus Enarrationibus in Genesim, articulo nono.

Et vidit Deus lucem, quòd esset bona; hoc est, intra se, atque in sapientia sua, æternaliter, inuariabiliterque cognouit; & tunc per effectum se cognoscere demonstrauit, quòd illa lux conueniens esset, & vtilis; & placuit ei, vt esset, & permaneret.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Vidit, Hoc est, videri fecit ab Angelis.*
b. *Siue, Vidit, idest videri voluit, vel fecit, cùm eam fecit visibilem.*
c. *Ex humana consuetudine Deo attributum est, quòd viderit, quòd & approbarit, ad nostram infirmitatem.*

TOSTATVS in Postillis.
Et vidit Deus lucem, quòd esset bona: idest demonstrauit lucem esse bonam per effectus, quos ei facere concessit: Deus autem non vidit tunc nouiter, quòd lux esset bona; quia ab ęterno cognouerat qualis futura esset.

a. Vidit, hoc est, videri fecit ab Angelis.

DIONYSIVS Carthusianus in Genesim Enarratione, articulo nono.
Vel tropice vidit, idest videri fecit ab Angelis.
Asseritque hanc esse interpretationem Petri Comestoris. Quanquam ille habeat tantùm, Vidit, idest videri fecit.

b. Vidit, idest videri voluit, vel fecit, cùm eam fecit visibilem.

GLOSSA Interlinearis.
Vidit, idest videri voluit.
HVGO Carensis in Postillis.
Vidit, idest videri fecit, seu visibilem fecit, si esset qui videre posset.
GREGORIVS Magnus expositione morali libro decimonono videre Dei ex vsitata Scripturæ phrasi significare videre nos facere obtestatur cùm ait. Cap. 5.
Vsitata sacri eloquij locutione, videre Dei dicitur, videre nos facere, sicut iusto Viro Dominus dicit: Nunc cognoui, quòd timeas Dominum. Et Israelitæ præmonentur: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum: idest, vt scire vos faciat. Gen. 22. Deut. 13.
HIERONYMVS Epistola quintadecima, quæ est de ijs, quæ Deo in Scripturis Sanctis attribuuntur, hunc locum, quem præfati Patres ad conspectionem exteram, oculorum scilicet, retulerunt, ipse ad internam mentis intellectionem adaptauit, cùm ait.
Videre Dei est bona acta probare, sicut est illud in Genesi: Vidit Deus cuncta, quę fecerat, & erant valde bona, idest intelligentibus esse bona demonstrauit.
Et quanquam de ijs interpretationibus sim iudicium allaturus, non possum attamē hoc loco id vnum reticere, duplicem scilicet esse intuitionem, externam, & internam. Externa est, qua oculorum acie conspicabiles res intuemur media luce, quæ corpora perlucida, perspicuaq; irradiat & illustrat, hocq; genere intuitionis vidit Deus lucem, quòd esset bona, hoc est, oculis nostris eam bene conspicabilem fecit. Et certè, quid luce gratius, quid iucundius? cùm non tantùm suo decore nos alliciat, sed & cuncta, quæ conspicimus ex eo nobis grata reddantur, quia ipsa sunt perfusa. Interna autem conspectio est, qua mentis acie rerum naturā, earumq; dotes conspicimus, hacq; visionis specie vidit Deus lucē, quòd esset bona; hoc est, inquit Hieronymus, nobis intellectu præditis eam bonam esse demonstrauit. Quale enim decus, quæ commoda Mundo præbeat, diuturna contemplatione vix mens nostra attingere potest.

c. Ex humana consuetudine Deo attributum est, quòd viderit.

CHRYSOSTOMVS Homilia tertia in Genesim, hunc locum sicut & cæteros secundum humanum morem à Mose intextum edocuit.
Vide quæso hic dilecte, quanta verborum humilitas. Quid ait? Num priusquam fieret lux, nesciebat quòd bona? Sed postquam producta fuit, oculus primùm ostendit opifici pulchritudinem, & bonitatem productæ? Et quis, cui cor est, tale quiddam diceret? Nam si homo, qui aliquid per artem operatur, & priusquā fabricet, quod vult facere, & priusquam formet, scit vsum eius quod elaborare statuit: quantò magis omnium Opifex, qui verbo omnia, ex nihilo vt essent produxit, sciebat antequam lucem faceret, quòd esset bona? Quare ergo hac dictione vsus est? Demittit se, & iuxta humanam consuetudinem hæc omnia loquitur beatus ille Propheta. Et quemadmodum homines, cùm magnum aliquid magno studio elaborauerint, & finem labori-

Anno Mundi
Primo.
Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Vidit, appositum est, vt Sanctissima Trinitas completim indicaretur.*

boribus suis imposuerint, tunc tandem per experientiam declarant ea quæ fecerint, & opus laudibus extollunt: ita & diuina Scriptura solet, & nunc, cùm se ad nostrarum aurium infirmitatem demisit, & dixit; Et vidit Deus lucem, quòd bona esset.

Ea ipsa, seu consimilia habet Chrysostomus, præcipuè Homilia tertia de firmamenti commendatione. Hæc & Glossa Locupletata.

LIPPOMANVS in Catena.

Sicut ergo laudare consueuimus, quod accuratè elaboratum videmus; sic Scriptura nihil de Deo dignè loqui valens, veluti infirmis loquitur, & blanditur infantiæ nostræ, quasi Deus laudauerit opus suum, in quo ei complacuerit, probaueritq; lucem: & ideò bona dicitur, quia à Domino probatur; vnde est omne bonum.

STEVCHVS in Cosmopœia, in caput primum Genesis.

Hoc quoque ad eandem ferè rationem, atque superius ex Hebraismo est profectum, vt dicat Deum vidisse lucem esse bonam. Ea facilitate gens illa loquitur, attribuens Deo, quos à consuetudine hominum sermones sumpserit. Non enim constitutum, ac certum erat Mosi apud plebem philosophari, necdum subtilior Philosophia erat reperta; sed promiscui de Deo, atque homine, Deo tanquam humano Rege, iustissimo illo quidem, & potentissimo, ferebantur. Huic & iram, & indignationem, dolorem, & pœnitentiam, commiserationem, sententiæ mutationes, placationem, munerumq; oblatorum gratam recordationem attribuebant. Quod philosophandi genus vulgarius fortasse videatur: si quis autem perspiciat, longè melius ac sanius isto posteriorum sæculorum. Genus ergo Theologiæ Mosaicum, Scripturarumq; sacrarum, humanius fuit, ac simplicius, & antiquorum sanam illam, incorruptamq; simplicitatem retinens.

a. *Vidit, appositum est, vt Sanctissima Trinitas completim indicaretur.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite sexto.

Et quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quę Cęli & Terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur Creatoris: Nam dicente Scriptura; In principio fecit Deus Cœlum, & Terram, intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principij nomine; qui non Patris, sed per seipsum creatæ primitus, ac potissimum spiritalis creaturæ, & consequenter etiam vniuersæ creaturæ principium est: dicente autem Scriptura; Et spiritus Dei ferebatur super aquas: completam commemorationem Trinitatis agnoscimus: ita, & in conuersione, atque perfectione creaturæ, vt rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuatur: Verbum Dei scilicet, & Verbi generator, cùm dicitur; Dixit Deus: & sancta bonitas, in qua Deo placet quicquid pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cùm dicitur; Vidit Deus, quia bonum est.

Et de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite vigesimo quarto.

Sed si nihil aliud est bonitas diuina, quàm sanctitas, profectò & illa diligentia rationis est, non præsumptionis audacia, vt in operibus Dei secreto quodam loquendi modo, quo nostra exerceatur intentio, eadem nobis insinuata intelligatur Trinitas, vnamquamque creaturam quis fecerit; per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intelligitur Verbi, qui dixit, vt fiat. Quod autem illo dicente factum est, proculdubio per Verbum factum est. In eo verò, quod dicitur; Vidit Deus, quia bonum est: satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suæ cuiusquam vtilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est; idest, quia bonum est. Quod ideò posteaquam factum est, dicitur, vt res quæ facta est, congruere bonitati propter quam facta est, indicetur. Quæ bonitas si Spiritus Sanctus rectè intelligitur, vniuersa nobis Trinitas in suis operibus intimatur.

D. THOMAS prima parte, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio, disertiùs cæteris idipsum his explicabat.

Et sic in vtroque opere creationis & formationis, Trinitas personarum insinuatur. In creatione quidem persona Patris per Deum creatorem: persona Filij, per principium, in quo creauit: Spiritus Sancti, qui superfertur aquis. In formatione verò, persona Patris in Deo dicente: persona Filij, in Verbo, quo dicitur: persona Spi-

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Vidit quòd bonum, vt indicaret bonitatem caussam fuisse, qua Deus cuncta conflauit.*
b. *Vidit quòd bonum, hoc est laude dignum declarauit.*

Anno Mundi primo. Die Prima.

Spiritus Sancti, in complacentia, qua vidit Deus esse bonum, quod factum erat.

Et supra quæstione trigesimasecunda, articulo primo, ad tertium.

Cognitio autem diuinarum personarum fuit nobis necessaria dupliciter. Vno modo ad rectè sentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quod dicimus Deum omnia fecisse verbo suo, excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturæ. Per hoc autem, quòd ponimus in eo processionem amoris, ostenditur, quòd Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit, neque propter aliam caussam extrinsecam, sed propter amorem suę bonitatis. Vnde & Moyses, postquam dixerat; In principio creauit Deus Cœlum & Terram, subdit; Dixit Deus, Fiat lux: ad manifestationem diuini Verbi. Et postea dixit; Vidit Deus lucem, quòd esset bona: ad ostendendum probationem diuini amoris. Et similiter in alijs operibus. Alio modo, & principaliùs ad rectè sentiendum de salute generis humani; quæ perficitur per Filium incarnatum, & per donum Spiritus Sancti.

a. *Vidit quòd bonum, vt indicaret bonitatem caussam fuisse, qua Deus cuncta conflauit.*

TERTVLLIANVS aduersus Marcionem, libro secundo, capite quarto.

Et dixit Deus, Fiat, & factum est: & vidit Deus, quia bonum, non quasi nesciens bonum, nisi videret, sed quia bonum, ideò videns, honorans, & consignans, & dispungens bonitatem operum dignatione conspectus. Sic & benedicebat, quæ bene faciebat, vt tibi totus Deus commendaretur, bonus, & dicere, & facere. Maledicere adhuc sermo non norat, quia nec male facere. Videbimus caussas, quæ hoc quoque à Deo exegerunt.

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei, libro vndecimo, capite vigesimo primo.

Hanc etiam Plato caussam condendi Mundum iustissimam dicit, vt à bono Deo bona opera fierent: siue ista legerit, siue ab his qui legerant, fortè cognouerit; siue acerrimo ingenio inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspexerit; siue ab his, qui ista conspexerant, & ipse didicerit. Rom. 1.

PROSPER in Sententijs Præceptoris sui Augustini doctrinam æmulatus vt stylum, consimilia tradidit.

Tria quædam nobis maximè scienda de conditione creaturæ oportuit intimari: Quis eam fecerit; per quid fecerit; quare fecerit. Dixit Deus, inquit, Fiat lux: & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quòd bona esset. Si ergo quærimus, quis fecerit: Deus est. Si, per quid fecerit: Dixit, & facta est. Si, quare fecerit; quia bona est. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior Dei verbo; nec caussa melior, quàm vt bonum crearetur à bono.

Hæc ipsa Glossa Locupletata.

Libentiùs in his Catenis repetitas easdem et sententias Patrum interpono, & reitero, vt qua fide & humilitate Patres posteri à maioribus, & prædecessoribus eas suffurari dignati sint, agnoscamus. Indeque & aureas consimiles grauissimasque, sæpius & nos simul cumulare discamus.

b. *Vidit quòd bonum, hoc est, laude dignum declarauit.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quinto.

Vidit vtique, non oculis corporalibus intendit, sed definiuit plenitudini gratiæ conuenire, vt mihi eius iudicium cognosceretur. Nos enim solemus etiam de ijs, quæ diuina sunt, disputare.

IVNILIVS Commentarijs in Genesim.

Non velut incognitam antea repente lucem videns laudauit, quia bonam didicit: sed eam, quam laudabilem se facturum nouerat, iam factam hominibus laude dignam, ac mirandam esse declarauit.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Vidit, cùm per nos videt, & laudat: per se quidem perenniter, per nos verò temporaliter.*
b. *Dixit Moses, Vidit &c. Ne nos vituperemus, quæ Deus laudauit.*
c. *Vel vt Dei benignitas enitesceret.*

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.
Non quasi incognitam lucem laudauit; sed iam factam dignam laude declarauit.

a. *Vidit, cùm per nos videt, & laudat, per se quidem perenniter, per nos verò temporaliter.*

ISIDORVS de summo Bono, libro primo, capite decimo, non paruipendendam reddit rationem.

Matth. 10. *Non septies à Deo visa, septiesque laudata est creatura, quæ antequam fieret, perfectè ab illo est visa; sed dum nos singula videntes laudamus, tanquam ipse videat, laudetque per nos: sicut illud; Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Proinde sicut ipse per nos loquitur; ita videt, & laudat per nos: sed per se perenniter, ac sempiternè videt: per nos verò temporaliter.*

b. *Dixit Moses, Vidit &c. Ne nos vituperemus, quæ Deus laudauit.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quinto.
Illud morale; Vidit mihi, probauit mihi. Quod Deus probauit, tu reprehensibile ne dixeris: quoniam
Act. 10. *quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris, scriptum tibi esse meministi. Ergo bonum Dei nemo blasphemet.*

THEODORETVS hoc præclarum documentum excerpsit, quæstione decima in Genesim.
Quamobrem auctor hoc addidit; Et vidit Deus, quòd bonum erat, &c. Vt persuadeat ingratis non aspernari, quę sententia diuina vocat bona.

Glossa Locupletata eadem desumpsit.

c. *Vel vt Dei benignitas enitesceret.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quinto.
Et vidit lucem, quia bona est. Ista sententia non quasi insoliti beneuolentiam, sed approbationem operis significari oportet intelligi. Quid enim conuenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest, quàm cùm ita ponitur; Dixit: factum est, placuit: ita vt in eo quod dixit, Imperium eius intelligatur; in eo quod factum est, Potentia; in eo quod placuit, Benignitas; sicut ineffabilia per hominem hominibus, ita vt omnibus prodessent, dici debuerunt.

AVCTOR.

Hausi, prout potui, ex oraculis Patrum has expositiones; de quibus quid sentiam paucis reserabo. Quæ Deum humanis oculis nostrisque consimilibus res effectas conspexisse arbitratur, vt erronea iam supra reiecta est, cùm Deum humanam non sumpsisse effigiem, ita per transennam satis euidentibus rationibus demonstrauerimus. Postremæ verò illæ expositiones (vt ordine incedam retrogrado) quibus per verba hæc, Vidit Deus, quòd esset bonum, edocemur non aspernari, quę Deus ipse commendauit; Et ea laude digna declarari: Et benignitatem Dei commendari; tropologiam sapiunt, & nos excitant ad celebrandum ob id Dei opificium, quia Deus ipsum approbarit. Expositio illa, quæ his verbis, Vidit Deus, quòd esset bonum, finem quare Mundum Deus congesserit, declarari edocet, non ad amussim sensum penetrare existimo. Siquidem Deus Mundum fabricauit, quia ipse summum bonum erat, hoc est, bonitate sua, atque

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Bona secundum hominem, non secundum Deum.*

Anno Mũdi primo. Die Prima.

atque charitate eum impellente; non quia Mundus ipse, vt bonus, Deum ad eum condendum inuitaret: Mundus enim ex eo tantùm optimus cernitur, quia à Deo optimo totius bonitatis fonte prosilijt. Explanatio ea, quæ Trinitatis tertiam personam, Spiritũ Sanctũ inquã, insinuari hoc loco edisserit; vel ad allegoriã transit, vel interpretationẽ omnino arduã, captuq; difficilẽ, rudibus maximè hebræis, ac peregrinam profert. Altera quæ interpretatur Vidit, idest videri fecit ab Angelis, omnino erronea est; siquidem planum literæ sensum nimiũ detorquet, & deflectit; & insulsus est loquẽdi modus; Vidit Deus, hoc est, videri fecit ab Angelis. Ea altera quæ exponit, Vidit, hoc est, videri voluit, hilari animo accipi potest. Mosem secundum humanos modos hanc de Mundi opificio historiam congessisse, vt Chrysostomus dixit, non est ambigendum; sed in his etiam aliquid profundius latitare, omnes Patres tradiderunt. Duæ illæ expositiones, quæ præfata verba; Vidit Deus quòd esset bonum, ita declarant: Placuit Deo, vt in ea bonitate persisterent, in qua placuit, vt fierent, seu placuit iam factum, quod placuerat in arte, hoc est in Verbo faciendum; altissimæ sunt, veraq; & mystica Theologia refertæ; verùm imperceptibiles eas crassioribus ingenijs existimo, vereorq; ne literam ipsam minimè placidam ferant. Quapropter germanior mihi semper visa est D. Basilij, Ambrosijq; elucidatio, qui verba ista, Vidit Deus quòd esset bonũ, ita interpretantur; Præuidit, ac cognouit, quod pulchrum, & vtile in vniuerso futurum esset. Dei optimi Mundum particulatim ad instar artificis, membratimq; condentis studium profecto erat, vt quæ ab ipso quotidie construebantur, in Vniuersi perfectionem redundarent; vt sicut de singulis dixerat, Vidit Deus, quòd esset bonum; de Vniuerso tãdem prodere posset; Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, quasi quod ex partibus bonis Vniuersum optimũ resilierit. Nec repudianda est ea Augustini, quæ interpretabatur, Deũ satorẽ Mundi, quod intus conspicabatur in arte, id approbasse, commendasseq; in operatione, cùm in natura ea prodire fecit, quæ in ineffabili Verbo æterno, quod eius erat ars, perẽniter latitabãt. Huic fere consimilis est ea quę sequitur, Vidit, idest, quod cognouit in sapientia sua ab æterno, tunc effectu se nosse demonstrauit, quare & ijsdem calculis est acceptanda. Arbitror attamen cunctas has interpretationes prima excepta, non esse reijciendas; quanquam Basilij expositionem literæ magis attemperatam, atque accommodatam putem. Neque etiam ea, quæ de bonitatis ratione, ac discrepantia doctissimè Rupertus habet, existimo vllo pacto prætermittenda.

Quæ sententia ex prædictis sit acceptior.

RVPERTVS ergo Commentarijs in Genesim, libro primo, cap. tertiodecimo.
Notandum inprimis quòd dictum est, Vidit Deus lucem, quòd esset bona. Nemo enim bonus nisi vnus Deus. Porro quicunque bonus prædicatur siue homo siue Angelus, non nisi respectu boni Dei, rectè bonus prædicatur; quia cùm nemo sit bonus nisi vnus Deus, quicunque bonus est, vel esse dicitur, non nisi intantum bonus est, inquantum bono Deo participatur. Marc. 10.

a. *Bona secundum hominem, non secundum Deum.*

AVGVSTINVS Sermone de tempore centesimo trigesimo quarto.
Et vidit Deus lucem, quia bona est: non quòd Deus lucem antè non nosset, quam non nisi visam laudaret, cùm sit lux solus omnium ipse, sicut Euangelista testatur: Ego sum lux Mundi. Et Apostolus; Qui habitat lucem inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest. Hanc lucem dixit in sæculo, quia bona est secundum hominem, non secundum Deum. Deus enim non tantam hanc lucem tribuit, quam poterat ipse largiri, sed quantum mortalis oculus capere potuit. Nec qui vniuersum Orbem illuminat, tribueret splendorem, nisi quem mortalis capere, aut sustinere vtique posset. Ioan. 8. 1. Timoth. 6.

Per

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Vidit Deus lucem, quòd esset bona.

a. *Per lucem increatam iudicauit bonam lucem creatam, quia omnia tantum bona sunt, quantum in ipsa increata luce insident.*

Diuisit lucem à tenebris.

b. *Addendum Deus.* c. *Legendum est inter lucem, & inter obscuritatem.*

a. *Per lucem increatam iudicauit bonã lucem creatam, quia omnia tantum bona sunt, quantum in ipsa æterna luce insident.*

HVGO Victorinus de Sacramentis libro primo, parte prima capite tertiodecimo.

Sed occurrit fortassis, quomodo vidit Deus lucem, quòd esset bona; & diuisit lucem à tenebris, & vocauit lucem diem, & tenebras noctem. Nam si cætera opera sua in luce vidit, quòd essent bona, in qua luce vidit lucem, quòd esset bona; & diuisit lucem à tenebris, vocauitq; lucem diem, & tenebras noctem? Nihil enim videri potest sine luce, sed nec tenebræ sine luce videntur, quanto magis lux non videtur sine luce? Quæ fuit ergò illa lux, per quam Deus vidit lucem, quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris? An per ipsam eam vidit, quòd esset bona, an per aliam lucem vidit, quòd esset bona? Sed quomodo per ipsam videre potuisset, quòd esset bona, si aliam lucem non habuisset, per quam, & in qua ipsam lucem vidisset quòd esset bona? Nã si vidit, quòd esset bona lux ista, & vere vidit; in aliquo vidit, de cuius bonitate dubitari non potuit: Ergo alia lux increata, in qua ista lux creata videbatur, quòd esset bona: quia illam imitabatur, quæ semper est bona. In illa enim luce, cùm ipsa solum sit bona, videntur & mala, & bona, & non solum mala & bona in ea videntur, sed mala etiam esse mala, & bona esse bona in ea videntur: propterea quòd ipsa vere, & summe est bona. Quod enim ab ipsa discordare videtur, malum esse videtur: & quod ei simile esse videtur, bonum esse videtur: & vtrunque non nisi in ipsa, & per ipsam videtur. Per lucem ergo probauit lucem: quia in luce incommutabili vidit, quòd lux ista commutabilis suo modo, & ordine bona esset.

Quæ sint tenebræ, quæ lux, quo modo.

Diuisit lucem à tenebris.

Hebraica lectio est. Vaiabdel Elohim ben haor vben hahosech; idest, vt exponit Lipomanus; Et diuisit Deus inter lucem, & inter tenebras. Chaldaica pariter ita legit. Septuaginta, καὶ διεχώρισεν ὁ θεὸς ἀναμέσον τοῦ φωτὸς, καὶ ἀναμέσον τοῦ σκότους; idest, Et diuisit Deus inter lucem, & inter tenebras. Editio nostra legit; Diuisit lucem à tenebris. Vatablus, & Pagninus; Diuisit Deus lucem à tenebris.

b. *Addendum Deus.*

RABBINI in Adnotationibus in Genesim.

Post hanc autem repetitur Deus apud Hebræos, atque ita legitur in Codice Dionysiano oblongo.

c. *Legendum est inter lucem, et inter obscuritatem.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Iuxta Hebræum habetur; Et diuisit Elohim inter lucem, & inter obscuritatem. Et Post. Clarum est noctem esse speciem obscuritatis. Omnis enim nox est obscuritas: sed non omnis obscuritas est nox.

Sed quicquid sit de his, id vt clarissimũ reputari uelim, editionem nostram mancam non esse: quanquam enim non habeat nomen illud, Deus, subintelligi tamen consentaneum est. Paruam verò, vel nullam discrepantiam puto esse inter hæc duo, Diuisit inter lucem, & inter tenebras; seu diuisit lucem à tenebris; seu inter lucem & obscuritatem: quamuis siquidem obscuritas genus sit, & omnem obscuritatem significet, siuè ea sit vmbra, siuè lucis omnimoda carentia; tamen sæpe confunduntur uoces istæ, Obscuritas, & Tenebræ, adeò vt pro eadem re sæpius sumantur.

Diuisit

Diuisit lucem à tenebris.

AnnoMundi primo. Die Prima.

a. *Diuisit Deus summa facilitate: Quòd idipsum fuerit, & creare lucem, & ipsam à tenebris secernere.*
b. *Diuisit, non Deus, sed lux ipsa.*
c. *Triplicem lucem à triplici genere tenebrarum.*

a. *Diuisit Deus summa facilitate; Quòd idipsum fuerit, & creare lucem, & ipsam à tenebris secernere.*

AVGVSTINVS libro de Genesi imperfecto, capite quinto.

Et diuisit Deus inter lucem, & tenebras: Hinc intelligi licet, quanta diuini operis facilitate ista dicantur effecta. Non enim quisquam est, qui sic æstimet lucem factam, vt esset confusa cum tenebris; & ob hoc postea separationis indigeret; sed eo ipso, quo lux facta est, consecuta est etiam diuisio inter lucem & tenebras. Quæ enim societas lucis cum tenebris? Deus ergo diuisit inter lucem & tenebras, quia lucem fecit, cuius absentia tenebrę vocantur. Interest autem inter lucem & tenebras, sicut interest inter vestimentum, & nuditatem; aut plenum, & inane, & similia.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Et diuisit &c. Hoc factum est, ex quo lux facta est. Sed non potuit ab homine simul dici, sicut à Deo fieri.

b. *Diuisit, non Deus, sed lux ipsa.*

TOSTATVS in Genesim.

Istud verbum, Diuisit, non attribuitur Deo, sed luci, quia lux formaliter distinguitur à tenebris, cùm tenebræ sint lucis priuatio: nec indiget, quòd ab agente extrinseco, vt à Deo, causetur distinctio inter eam & tenebras: & est sensus, quòd lux creata diuisit inter lucem & tenebras; idest, inter diem & noctem; quia motu illius nubeculæ distinguebatur dies à nocte, vel tempus lucis, & tempus tenebrarum, quod idem est.

Sed hæc impropria videtur interpretatio, quasi lux sortita fuerit vices agentis caussæ, & patientis.

c. *Triplicem lucem à triplici genere tenebrarum.*

Diuisit profectò Deus lucem à tenebris; aliud nanque est lux, quam Deus ipse fecit, aliud priuationes ab ipsius defectu prodeuntes, quas certè non fecit conditor, sed ordinauit.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite quinto, cùm plura lucis genera proposuisset, sic concludit.

Siue ergo lucem æthercam, siue sensualem, cuius animalia participant, siue rationalem, quam Angeli, & homines habent, à Deo factam primitus in rerum natura, & hac sententia vult intelligi, diuisisse Deum inter lucem & tenebras, eo ipso, quo lux facta est, oportet accipi, quòd aliud est lux, aliud illę priuationes lucis, quas in contrarijs tenebris ordinauit Deus. Non enim Deum fecisse tenebras dictum est, quoniam species ipsas Deus fecit non priuationes, quæ ad nihilum pertinent, vnde ab artifice Deo facta sunt omnia: quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cùm dicitur; Et diuisit Deus inter lucem & tenebras: ne vel ipsæ priuationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente, atque administrante. Sicut in cantando interpositiones silentiorum, certis, moderatisque internallis, quamuis vocum priuationes sint, bene tamen ordinantur ab ijs, qui cantare sciunt, & suauitate vniuersæ cantilenæ aliquid conferunt. Et vmbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. Nam & vitiorum nostrorum non est auctor Deus, sed tamen ordinator est; cùm eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, quòd oues ponuntur ad dexterã, hædi autẽ ad sinistrã. Quędã ergo & facit Deus & ordinat: quędã verò tantùm ordinat. Iustos & facit, & ordinat: peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm. Quippe cùm illos ad dexteram, illos ad sinistram constituit, & quòd in ignem ęternum iubet ire, ad meritorum ordinem valet: ita species, naturasque ipsas & facit, & ordinat. Priuationes autem specierum, defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantùm. Dixit itaque Fiat lux: & facta est lux. Non dixit, Fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ. Horum ergo vnum fecit, alterum non fecit: vtrunque tamen ordinauit, cùm diuidit Deus inter lucem & tenebras. Ita & ipso faciente pulchra sunt singula, & ipso ordinante pulchra sunt omnia.

Diuisit

Anno Mūdi primo. Die prima.

Diuisit lucem à tenebris.

a. *Diuisit &c. Non vt duo positiua, sed vt positiuum & priuatiuum.*
b. *Hoc est, naturam, lucis, & tenebrarum impermixtam fecit.*
c. *Idest, distinxit lucem & tenebras caussa, loco, tempore, subiectoque.*

a. *Diuisit &c. Non vt duo positiua, sed vt positiuum & priuatiuum.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos, libro primo, cap. nono.
Diuisit Deus inter lucem & tenebras. Hic non dictum est, fecit Deus tenebras: quia tenebræ, sicut superius dictum est, lucis absentia est. Distinctio tamen facta est inter lucem & tenebras; quemadmodum nos clamando vocem facimus; silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silentium est. Distinguimus tamen sensu quodam inter vocem & silentium, & illud vocamus vocem, illud silentium. Quemadmodum ergo rectè dicimur, facere silentium, sic rectè multis diuinarum Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibus vult temporibus & locis vel non donat, vel detrahit.

GLOSSA Ordinaria.
Discretio autem lucis à tenebris, distinctio est inter perfectum cuiusque rei statum, & quem habet ex se defectum.

Alexander Halensis secunda, quæstione quadragesimanona, membro secundo, hanc Augustinianam doctrinam mutuatis verbis repetit.

b. *Hoc est, naturam, lucis, et tenebrarum impermixtam fecit.*

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia secunda.
Et diuisit Deus inter lucem, & inter tenebras; idest, naturam harum impermixtam fecit, adeò vt neutra alteri permisceretur, sed contrariè sibi essent, & contrapositæ.

Hæc alijs verbis Glossa Locupletata.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.
Vnde & discretio fit inter lucem & tenebras, vt separata lucis natura, atque tenebrarum, nihil videatur intra se habere confusum.

PROCOPIVS Gazęus Commentarijs in Genesim.
Et distinxit Deus inter lucem & tenebras. Nequaquam enim inter se commiscentur. Si quidam alterum habitus, porrò alterum priuatio est, quę quidem neutiquam coire possunt, altero incolumi existente.

c. *Idest, distinxit lucem et tenebras, caussa, loco, tempore, subiectoq;.*

IOANNES Chrysostomus Homilia tertia in Genesim.
Et distinxit Deus inter lucem, & inter tenebras. Et suam cuique regionem distribuit. Nam ab initio vtique suos terminos præfixit, quos perpetuò absque impedimento custodiret: id quod cuilibet, qui mediocriter sapit, contueri licet, quomodo ex eo tempore vsque in præsens, neque lux terminos suos transgressa sit, neque tenebræ suum ordinem præterierint, confusione & deordinatione quadam introducta.

IVNILIVS in Hexæmeron.
Et diuisit lucem à tenebris. Diuisit nanque eas non solum qualitatis, sed & locorum distantia. Lucem itaque in superiore Orbis parte diffundendo, in qua humana erat conuersatio futura: inferiora verò eius priscis in tenebris remanere sinendo.

PETRVS Comestor in Genesim, capite tertio.
Hic incipit dispositio, & tamen aliquid dicit de creatione, quasi cum luce aliquid creauit, idest vmbram ex obiectione corporum luci. Et creatas diuisit locorum distantia, & qualitate; vt scilicet nunquam simul, sed semper è regione diuersa hemisphæria vicissim sibi vendicarent.

GLOSSA Ordinaria.
Et diuisit lucem à tenebris. Diuisit enim non solum qualitate, sed & locorum distantia, diffundendo lucem in superiori parte, inferiori in tenebris manente.

ALBER-

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Diuisit lucem à tenebris.

a. *Quare de luce Cælesti diffusa per Orbem & diurna, hæc intelligi debent.*

ALBERTVS Magnus, quod Chrysostomus confusè, & præcipuè de tẽpore, Iunilius, & Strabus de loco prodiderãt, ipse de caussa tradit, prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo. Hac enim mota difficultate, quomodo tenebræ à luce seiungi possint, cùm ipsæ nil sint, adiecit.

Dicendum, quòd per proprietatem naturæ distincta est lux à tenebris: quia id quod per se est luminosum, naturaliter est in circumferentia: id autem, quod per se est opacum, & tenebrosum, naturaliter est in centro. Et tenebræ secundum quod ibi sumuntur, intelliguntur in sua caußa, quæ est corpus opacum, & in illa non sunt nihil, sed aliquid, & sic possunt distingui.

D. THOMAS consimul hæc tria connectit prima parte, quæstione sexagesima septima, articulo quarto, ad secundum.

Distincta est lux à tenebris quantum ad tria. Primo quidem quantum ad caussam: secundum quod in substantia Solis erat caussa luminis, in opacitate autem terræ caussa tenebrarum. Secundo quantum ad locum, quia in vno hemisphærio erat lumen, in alio tenebræ. Tertio quantum ad tempus, quia in eodem hemisphærio secundum vnam partem temporis erat lumen, secundum aliam tenebræ.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim, articulo nono.

Et diuisit lucem à tenebris; idest, distinxit, ac discreuit ab alio, ita quòd ab inuicem distinguuntur natura, ac loco, tempore, ac subiecto. Lux enim fuit in Sole, tenebræ autem in loco, ad quem non peruenit diffusio, seu emicatio lucis. Lux quoque est habitus, tenebræ autem priuatio. Et quando lux fuit, seu dies in vno hemisphærio, fuit caligo seu nox in hemisphærio alio; immo & in eodem hemisphærio erat iam lux, iam tenebræ, secundum motum ipsius Solis, sicut & modo.

HVGO Carensis in Postillis.

Et diuisit lucem à tenebris. Hic incipit dispositio, tamen aliquid addit de creatione, quia simul cum luce tenebras creauit, idest vmbram ex obiectu corporis tenebrosi ad ipsam lucem. Et ita tenebras & lucem creando diuisit loco, & qualitate, vt nunquam simul essent, sed semper è regione.

Hæc eadem Petrus Comestor iam ante nobis prodiderat.

CAIETANVS eodem loco hæc pariter habet.

Et diuisit lucem à tenebris. Propterea ex hoc ipso, quòd obscuritas diuisa à luce definitur ad noctem, dicendo Et vocauit obscuritati noctem, manifestè habetur, quòd dicendo, Diuisit inter lucem, & obscuritatem, non est sermo de diuisione quidditatiua, sed de diuisione locali; hoc est secundum diuersitatem hemisphęriorum. Et est sensus, quòd Deus non fecit lucem illuminantem simul vtrunque hemisphærium: Si enim lux Cęlestis simul illuminaret vtrunque hemisphærium (puta si essent multi Soles fixi in diuersis hemisphærijs) nulla esset nox, quia nullus relinqueretur locus vmbræ terræ: nam vmbra terræ totius vocatur nox: sed Deus fecit lucem tantam, in tali loco, & in tanta distantia à terra, vt terræ vmbræ locus relinqueretur: & hoc est Deum diuisisse inter lucem, & inter obscuritatem.

a. *Quare de luce Cælesti diffusa per Orbem & diurna, hæc intelligi debent.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Ex hoc quoque, quòd lux ad diem, & obscuritas ad noctem definitur, habetur & quòd sermo est de luce cęlesti, cuius ex interposita terra vmbra est nox: & quòd de illa luce non secundum seipsam, sed secundum diffusum lumen in elementari sphæra est sermo. Nam dies non vocatur ipsa cælestis lux, sed affectus eius in his inferioribus: quæ inferiora extendi constat vsque ad orbem lunarem. Nisi enim vmbra Terræ pertingeret vsq; ad Lunam, non appareret Eclypsis Lunæ. Ita quòd quum dicitur in litera; Et vocauit luci diem; non est sensus, quòd lux, de qua dictum est; Erit lux, vocata sit dies: sed quòd lux, de qua dictum est; Et diuisit inter lucem; vocata est dies. Et verè sic est: nam nulla lux vocatur dies, nisi cui succedit obscuritas, quæ vocatur nox.

Anno Mūdi primo. Die prima.

Diuisit lucem à tenebris.

a. *Diuisit, &c. Cùm ignis rotatione triduum primum effectum est.*

AVCTOR.

De ijs Interpretationibus iudicium ferre, non est difficile. Duæ primæ D. Augustini ingenuę quidem sunt, & ingeniosæ, sed parum ad literam accommodatæ, magisq; rem ipsam contemplantur, quàm literæ sensum adaperiant. Reliquæ simul connectuntur. Discriminauit siquidem Deus lucem à tenebris, secundum quatuor. Secundum naturā primò, cùm lux sit qualitas, & habitus, tenebræ vero priuatio: Secundum caussas, quandoquidem fons lucis est Sol, vmbræ autem caussa est corpus opacum vmbriferum; atq; Sol in Cœlo, corpora autem opaca circa Mundi centrum consident: Secundum locum, nam dum lux Solis vnum hemisphærium illustrat, Terræ vmbra alterum offuscat. Tandem secundum tempus, cùm inuicem sibi diei, & noctis horas, lux, & tenebræ secarint.

Qua serie lux prima dies, tenebra vero noctes gignerent.

Cùm lucis, & Tenebrarum diuisio ex prima luce producta primorum trium dierum & noctium fuerit constitutio; percunctandum est hoc loco, quanam serie lux ea prisca dies, ac noctes pareret, nam id à Patribus non vna eademque sententia diffinitum comperitur.

a. Diuisit, &c. Cùm ignis rotatione triduum primum effectum est.

GREGORIVS Nyssenus graui quidem Philosophia, ex ignis ad superas partes euolati circumlatione, tres primos dies, noctesq; factas fuisse, his luculenter explicat, libro de Historia sex dierum.

Quoniam igitur ignis, simulatq; rerum vniuersitas constituta est, veluti telum quoddam ab ijs, quæ diuersę naturę erant, elementis emissum, naturali suo motu, quo vtpote res leuis supera petit, ante vniuersas res cæteras exiluit: atq; eodem intellectu, pariue consideratione, sensibili natura superata directò motum promouere non potuit: quippe cùm creatura, quæ mente, atq; ratione sola percipitur, cum sensibilibus, qualis est ignis, consociari, ac permisceri non possit: huius rei gratia ignis, quum ad extremos creaturæ terminos peruenisset, necessariò in Orbem redeuntem, atque rotundum motum facere cœpit, quumq; ad res vniuersas quidem ferri ab insita naturæ suæ in compelleretur. Sed his cursus, qui recta linea fit, locum non haberet (omnis enim natura sensibilis, proprijs terminis comprehensa est) extremam oram sensibilis naturæ prosperè inibi sese mouendo peragrāt: quum, vt modo diximus, natura, quæ cogitatione percipitur, cursum ignis in sese non recipiat. Idcircò Moyses motum ignis mente subsequutus, non in iisdem partibus immorari dicit eam, quæ facta erat, lucem, sed vehementi suo motu crassiorem rerum naturam ambientem per eum circuitum, tùm luce carentibus splendorem, tùm illuminatis caliginem inuicem reducere atque referre. Quum autem secundum interualla temporum æquabiliter circa inferam regionem, ea vicissitudo, lucis inquam, & tenebrarum, contingat, rursus Deo Moyses impositionem nominis diei pariter & noctis tribuit, nihil ex ijs quæ consequenter facta sunt, temerè, casuvè fortuito factum esse, aut ab aliquo alio principium & originem habuisse, in animum inducere, atque cogitare permittens. Idcircò dicit; Vocauit Deus lucem diem; & tenebras appellauit noctem. Quum enim vis illuminatrix naturaliter quiescere non possit, quum splendor superam circuli partem percurrisset, & cursus esset circa partem subiectam, necessariò accidit, vt simulatque ignis subtercurrere cœpisset, supera pars obumbraretur, crassiori nimirum natura splendori officiente. Recessum igitur & occasum lucis, vesperum nominauit: ac rursus, cùm ignis subiectum circulum percurisset, superisq; partibus splendorem reduxisset, id quod fiebat, mane, diluculum ita nominans appellauit.

Diuisit,

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Diuisit lucem à tenebris.

a. *Diuisit &c. Cùm Nubis lucidæ circumlatione dies, & noctes tridui primi efficiebantur.*

b. *Vel cùm Lucis emissione, & attractione triduum primum peractum est.*

a. *Diuisit &c. Cùm Nubis lucidæ circumlatione dies, & noctes tridui primi efficiebantur.*

HVGO Victorinus de Sacramentis Fidei, libro primo, parte prima, cap. nono.

Secundum hanc itaque considerationem conuenientius puto, vt credamus lucem illam in principio factam ad illuminanda corporea sine dubio corpoream fuisse, quale fortasse esse potuisset corpus aliquod lucidum, cuius præsentia cuncta illustrarentur, quemadmodum in Sole videri potest; ipsamque vice, & loco Solis factam, vt interim motu suo circumageretur, & noctem diemque discerneret.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione tertia decima.

Si autem quæritur vbi est facta lux illa, cùm abyssus omnem terræ altitudinem tegeret; Dici potest in illis partibus facta, quas nunc illustrat Solis diurna lux. Nec mirum lucem in aquis posse lucere, cùm etiam nautarum operatione sæpius illustrentur, qui in profundum mersi, misso ex ore oleo, aquas sibi illustrant, quæ multo rariores fuerunt in principio, quàm modo sunt: quia nondum congregatæ fuerant in vno loco. Facta est ergo lux illa, quæ vicem, & locum Solis tenebat, quæ motu suo circumagitata, noctem, diemque discernebat.

Hugonem, & Magistrum, lucem priscam nubem existimasse, iam supra demonstratum est.

LYRANVS in Postillis, in secunda expositione.

Secundum istam expositionem, ista lux fuit quædam nubes lucida, de superiore parte materiæ communis prædictæ facta à Deo, quæ motu suo faciebat diem & noctem, vsque ad quartam diem, in qua factus est Sol: verumtamen imperfectiori modo, quàm ipse Sol.

TOSTATVS Commentarijs in Genesim.

Istud verbum, Diuisit, non attribuitur Deo, sed luci; quia lux formaliter distinguitur à tenebris, cùm tenebræ sint lucis priuatio: nec indiget, quòd ab agente extrinseco, vt à Deo, causetur distinctio inter eam, & tenebras. Et est sensus, quòd lux creata diuisit inter lucem & tenebras, idest, inter diem & noctem; quia motu illius nubeculæ distinguebatur dies à nocte: vel tempus lucis, & tempus tenebrarum; quòd idem est.

ALEXANDER Halensis secunda, quæstione quadragesima sexta, articulo primo, à Magistro Sententiarum non recedens idipsum diffiniuit.

Nubecula lucida, quæ hic vocatur lux, ab initio fecit diem & noctem: diem, cùm apparebat: noctem, cùm erat abscondita: & descendens ad Occasum fecit vespere: & reuocatum ad Ortum, mane: & hoc est quod dicitur; Diuisit lucem à tenebris.

D. BONAVENTVRA secundo, distinctione tertiadecima, articulo primo, quæstione secunda, cùm Græcorum sententiam recitasset, adiecit.

Alius modus dicendi secundum Latinos Doctores, qui videtur esse rationabilior, est: quia virtuti naturali possibilior, scilicet, quòd lux illa diem & noctem faciebat suo motu, sicut Sol sua facit actione.

b. *Cùm Lucis emissione, et attractione triduum primum peractum est.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Nunc quidem ex illo tum dies post Solem factum, is aër est, quem Sol ipse illuminat, in nostro dum est hemisphærio, supra terram relucens. Nox vmbra est terræ, quæ diei Sole se occultante succedit. Tum verò fiebat dies, cui cedenti nox vicissim succedebat, non quidem secundum motionem Solis, sed primigenia illa luce suum splendorem diffundente, seque rursum contrahente, idque pro mensura à Deo diffinita,

GRAECVS, vt in Catena Lippomani habetur, in hanc videtur abire sententiam, cùm ait.

Si quæris quo pacto antequam fieret Sol, fuerit nox, ac dies, omnipotentiam sapientiæ Dei considera, & inuenies

nies Prophetam Amos super hac re dicentem capite quinto; Faciens omnia, & fabricans, & conuertens in mane vmbram, & diem in noctem obcurans.

IOANNES Damascenus ex Gregorij Nazianzeni doctrina libro secundo Orthodoxæ Fidei, capite septimo.

Et factum est vespere & mane dies vna. In tribus igitur diebus, refuso & contracto lumine, diuino præcepto dies & nox fiebat.

PROCOPIVS Gazæus clariori orationis serie hanc Patrum explanauit sententiam, Commentarijs in Genesim, capite primo.

Nunc verò alia diei ratio est. Nam post creatum Solem, dies est à Solis splendore illuminatus aër in hemisphærio nostro supra terram. Nox est vmbra terræ, quæ contingit, vbi occiderit Sol. Tunc autem scilicet in rerum primordio, non secundum cursum Solis nascebatur dies, verùm primogenia, & vndique circunfusa lux, iuxta modum à Deo definitum contracta, diem præstabat, cui deinde succedebat nox.

BVRGENSIS ex recentioribus solus, quantum ego viderim, hanc Basilij suscitauit sententiam.

Secundum Basilium, hæc lux non fuit corpus, seu substantia corporea, sed quædam qualitas formaliter illuminatiua, non procedens ab aliquo corpore luminoso, sed solum à voluntate diuina per creationem, prout ipsa litera plano modo significat, cùm dicit; Fiat lux: quæ quidem lux non habebat per se motum; & ideo non poterat de se diuidere lucem à tenebris, sed hoc faciebat per emissionem, & contractionem luminis virtute diuina determinatam: & ideò dicitur hic; Diuisit Deus lucem à tenebris.

Lib. 2. Sent. dist. 13. art. 1. quæst. 2. D. BONAVENTVRA loco asserto his memorat hanc sententiam, sed non approbat.

Dixerunt enim Basilius, & Damascenus, quòd lux illa emissione, & contractione radiorum, diem & noctem faciebat: hoc autem dicebat esse in potestate ipsius lucis, non per virtutem propriam, sed per præceptionem diuinam. Et huius simile legimus in Scriptura; Extendit Moyses manum in Cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in tota terra Aegypti tribus diebus. Constat enim, quòd in illo triduo Sol erat in hemisphærio terræ nostræ habitabilis, & in terra Gessen, & in alias habitabiles regiones radios suæ lucis emittebat, & à terra Aegypti radios suæ lucis contrahebat. Simile etiam fortè factum est in Passione Domini; vbi Sol dicitur obscuratus fuisse: & hoc totum factum est non natura, sed diuino præcepto. (Exod. 10.)

Hæc Basilij sententia reprehenditur primò, quòd irrisione digna videatur, vt pote extra naturam.

AVGVSTINVS enim pluribus in locis præfatorum Patrum sententiam reprobans, primos dies non ex emissione, & contractione lucis, sed ex circumlatione fieri potius censet; de Genesi ad literam libro primo, capite decimo hæc habet.

An dicendum est, quòd cùm citò peractum esset hoc opus Dei, tandiu stetit lux non succedente nocte, donec diurnum spatium peragetur: & tandiu mansit nox luci succedens, donec spatium nocturni temporis præteriret, & mane fieret diei sequentis, vno, primoque die transacto? Sed si hoc dixero, vereor ne deridear, & ab ijs, qui certissimè cognouerunt, & ab ijs, qui possunt facillimè aduertere, quòd eo tempore, quo nox apud nos est, eas partes Mundi præsentia lucis illustraret, per quas Sol ab Occasu in Ortum redit, ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius alibi diem, alibi noctem.

Burgẽsis his satisfacit, asserẽs in cõflatione rerũ plura esse miraculo edita, qualia sunt productio herbarum, plantarum ante luminaria, & coactio maris. At certè frigida, & inepta hæc defensio est. Cuncta siquidem fluxerunt potentia Dei, ac supra naturam, & quoad caussam efficientem sunt miranda: sed non quoad naturam, & operationes consequentes. Quemadmodum lux ista prodigiosa euadebat, non tantùm ex eo, quòd à Deo manauit, sed quòd accidens sine substantia existeret, & diuina non sua naturali virtute noctes, & dies gigneret, quæ cæteris rebus non contingebant.

AVGVSTINVS loco asserto capite sextodecimo, alia ratione præfatam sententiam redarguit, nempe quòd nulla subesset caussa huiusce emissionis, & contractionis.

Emissionem verò, contractionemque lucis illius, si velimus diem, noctemque intelligere, nec caussam videmus cur ita fieret. Non enim erant animalia, quibus hæc vicissitudo salubriter exhiberetur, & quibus postmodum exortis per circuitum Solis cernimus exhiberi; nec vllum occurrit exemplum, quo istam emissionem, contractionemque lucis, vt diei, noctisque vicissitudines fierent, probare possimus.

Burgensis pariter respondet, asseuerans, quòd hæc vicissitudo deseruiebat saltem distinctioni sex dierum. Verùm imbecillis est hæc responsio. Poterat siquidem hæc dierum seiunctio circumlata luce fieri, vt tùm pristini tres dies, tùm reliqui sequẽtes eiusdẽ essent

AnnoMundi primo. Die Prima.

Diuisit lucem à tenebris.

a. *Diuisit, &c. Cùm lux primæua triduum primum rotatione confecit.*

essent generis, nec necesse erat hanc dierum peregrinam naturam inducere, quoniam nulla tunc fuisset nox, vel saltem non eiusdem generis cum nostra.

IVNILIVS in Hexæmeron hanc insinuauit rationem.

Nam si non hoc faceret, & magis facto vespere paulatim tota periret, & rursum paulatim mane recreata resurgeret: non iam in mane diei sequentis, sed potius in vespera primi vnum diceret esse diē perfectū.

Adijciamus ex D. Bonauentura loco asserto, nulla seiunctio fit inter ea, quę sunt, & non sunt; si igitur diuisit Deus lucem à tenebris, lux vno erat in Hemisphærio, & tenebræ in altero. Nec potuit simul cunctus Orbis, tùm in superno, tùm in inferno Hemisphærio secundum diei ac noctis rationem duodecim illustrari horis, & duodecim pariter opacari.

Amplius nullum tunc fuisset vesper, & mane, si sola radiorum emissione fieret dies, & contractione nox, cùm repente subito momento, & non paulatim temporeque dilabente lux accessisset, & discessisset.

a. *Diuisit, etc. Cùm lux primæua triduum primum rotatione confecit.*

Non desunt Patres, qui nullum corpus seu orbem priscæ luci adscribentes, sua tamē rotatione Dei virtute peracta primos tres dies ac noctes, modo eo, quo Sol dies nobis præbet, ipsam detulisse arbitrantur.

IVSTINVS in libro Quæstionum à Gentibus Christianis positarum. Quæst.62.

Quæst. Si tertio die luminum, astrorumq; origo extitit, & ex diebus numerus constat, qui fit, vt dies tres, qui luminum ortum antecesserunt, ambiguum dierum numerum, qui astrorum ortum sequuti sunt, non ostendat? Explica. Lucis originem lucis ac tenebrarum sequuta est separatio: lucisq; & tenebrarum separatione dies & nox constiterunt. Antè autem quàm astra fierent, lucis principatus Dei determinatione diem efficiebat, tenebrarumq; occupatio tenebras, siue noctem. Astris verò, cùm prolata sunt in lucem, præceptum est, vt principatum obtenerent, Sol quidem luce ac die, Luna in tenebris, atque noctu. Opifex enim lucem cum definito, certoq; eius imperio ac dominatu, maiori astro attribuit, atque dies eiusmodi, quos nunc cum astro lux efficit, tales etiam ante condita astra faciebat, terminumq; Dei, qui principatum eius decem horis definiuit, terminus ille Solem compellit in motum decem horarum, qui ab initio moderatus fuit.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Factum est vespere occidente paulatim luce, post expletum spatium diurnæ longitudinis inferioris Mundi partes subeunte: & quod nunc vsitato Solis circuitu noctibus agi solet. Factum est & mane, redeunte eadem paulatim super terras, atque alium diem initiante, & huc vsque dies expletus est vnus: viginti scilicet quatuor horarum. Cuius commendatione verbi Scriptura vigilanter admonet, vt lucem, quæ facta est inferiora Orbis occasu suo lustrasse dicamus. Nam si non hoc faceret, & magis facto vespere, paulatim tota periret, & rursum paulatim mane recreata resurgeret: non iam in mane diei sequentis, sed potius in vespera primi vnum diceret esse diem perfectum. Vnde vesperam & mane, quàm noctem, ac diem factam, dicere maluit: vt insinuaret, tunc primariæ lucis actum esse circuitum, quod nunc circuitu Solis, die noctuq; geri constat. Patet hoc solummodo, quòd post creata sydera nox quoque sua tametsi minore quàm dies luce perfunditur: triduo autem illo primo tenebrosa, & prorsus obscura manebat.

GLOSSA Ordinaria ex D. Augustino.

Occidente luce paulatim, & post spatium diurnæ longitudinis inferiores partes subeunte, factum est vespere, sicut nunc vsitato circuitu Solis solet fieri. Factum est autem mane eadem super terram redeunte, & alium diem incohoante, & dies expletus est vnus vigintiquatuor horarum.

CAIETANVS in Genesim.

Si lux fuisset fixa, consequenter fuisset fixus, ac perennis dies in vno hemisphærio, & iugis nox in altero hemi-

AnnoMundi primo. Die Prima.

Diuisit lucem à tenebris.

a. *Diuisit, &c. Cùm Sol triduum primum sua consueta conuersione peregit.*

hemisphærio; nec vnquam fuisset vespera terminans diem artificialem: Vnde ex hoc effectu, quòd fuit vespera terminans diem artificialem, & fuit mane terminans noctem, manifestè significatur, quòd lux facta est in motu: ex continuo enim lucis motu circa terram fit vespera, & fit mane.

a. *Diuisit, etc. Cùm Sol triduum primum sua consueta circumlatione peregit.*

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima septima, articulo quarto, ad tertium, cùm D. Basilij sententiam D. Augustini obiectionibus reiecisset, adijcit; *Et ideò dicendum est, quòd duplex est motus in Cælo. Vnus communis toti Cælo, & qui facit diem & noctem; & iste videtur institutus primo die. Alius autem est, qui diuersificatur per diuersa corpora, secundum quos motus fit diuersitas dierum adinuicem, & mensium, & annorum. Et ideò in prima die fit mentio de sola distinctione noctis & diei, quæ fit per motum communem. In quarta autem die fit mentio de diuersitate dierum, & temporum, & annorum, cùm dicitur; Vt sint in tempora & dies, & annos. Quæ quidem diuersitas fit per motus proprios.*

Idipsum senserunt Catherinus Enarratione in Genesim, Vielmius Lectione decima, Steuchus in Cosmopœia, & Nuperorum plurimi.

AEGIDIVS insuper de dierum priscorum diuersitate hæc singularia, sed fortè commentitia habet, secunda parte Hexæmeron, capite septimo. *Concludamus ergo, & dicamus, quòd incipiendo diem primum à factione lucis, illa dies non continuit nisi vnam reuolutionem tantùm, quia nondum erat factus motus firmamenti. Secunda autem dies, & tertia, quando iam factum erat firmamentum, continebat vnam reuolutionem, & tantum plus, quantum retrogradiebatur illa lux motu firmamenti. Quarta autem dies, & omnes alij dies sequentes facto iam Sole continebant vnam reuolutionem, & quantum ipse Sol contrauoluebatur motu firmamenti, & etiam quantum contrauoluebatur motu proprio Solis. Propter quod liquide apparet, quòd quarta dies, & omnes sequentes excesserant secundam & tertiam, quantum contra gradiebatur Sol in vna die: secunda autem, & tertia dies excesserunt primum diem, quantum contra gradiebatur illa lux motu firmamenti in vno die: prima verò dies vnam reuolutionem continens, & nihil habens de retrogradatione, quia nondum erat motus firmamenti, & nondum erat factus Sol, minor fuit omnibus alijs diebus.*

AVCTOR.

Quæ sententiæ reijciendæ.

Ex diuersis Mundi prosilitionis modis diuersæ insecutæ sunt de tribus primis diebus sententiæ. Cæterum ex diffinitione supra ventilatæ disceptationis, Quid fuerit ea prisca lux condita; elicienda est & huius difficultatis solutio. Principiò reijciendæ sunt sententiæ illæ, quæ Solis rotatione triduum primum effectum præsumunt, seù Soli carentiam virtutis ad speciales effectus adscribant, vt D. Thomas, & Vielmius; vel etiã minorem orbi densitatem, atque splendorem attribuant, vt Aegidius; siue ipsum Solem absolutum, seu maiori fulgore coruscantem tradant, vt Catherinus, & Steuchus. Sententiæ siquidem hæ omnes longè à litera Mosis, & à Patrum doctrina recedere conuincebantur. Primùm enim orbes cœlestes tũc extasse, ipsoq; temporum primordio extitisse, seù prima die cum Sole manasse existimant, quod à Mosis historia, atque à Patrum doctrina valde alienum comperitur: Nam secunda die firmamenti, in quo postea consita fuere astra, & quarta die Solis genituram expresse tradit Moses, & ita Patres interpretantur: sed hæc iam fusiùs demonstrauimus. Basilij, Damasceniq; sententia, quæ effusione, & contractione lucis diuina manu peracta, dies tres primos persolutos

Tres primi dies non fuerũt ex effusione & contractione lucis.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Iom Hebraica vox diem artificialem hoc loco significat.*

tos edocent, singularis certè conuincitur, cùm priscorum Patrum plurimi eam insequi formidarint. Præterea, non tantùm ea suscipit incommoda, quæ ex D. Augustino & Iunilio excerpsimus: sed quod potissimum est, miraculum, vt dicebamus, non necessarium astruit. Deinde omnimodã emanationem, atq; deletionem sæpius statuere, in rerum natura portẽtosum est. Amplius tenebræ noctium earum diuersæ prorsus à tenebris, seu noctibus subsequentium temporum extassent; quoniam non quidem vmbra molis Terræ, sed omnimoda fuissent obscuratio, ad instar illius, quę super faciẽ abyssi cùm nondũ manasset lux, diffundebatur. Insuper, vt adnotauit Bonauentura, dies noctesq; priscę vespere & mane non potitę essent, sed sẽper aut dies clara Orbi effulsisset, aut atra nox tenebris ipsum obuoluisset. Paulatim siquidem non decessisset lux, & emersissent Tenebræ, sed in momento hę erupissent; ac proinde non recta extasset Tenebrarum, & lucis discretio, cùm semota ipsa luce, tenebræ, seu vmbra minimè eius loco successissent, sed obscuratio, quæ noctis non est affectio, prout nox diei aduersatur. Tandem non explicant hi præstantissimi Patres, num ea lucis effusione tam supernum, quàm infernum Hemisphærium illustraretur simul, an alterum tãtùm: si enim totus Orbis simul collustrabatur interdiu, noctu vero lucis contractione obscurabatur, iam dies, noctesque tridui primi alterius erant generis à post delapsis. Quòd si effundebatur lux in vno hemisphærio, eo euentu, vt in altero attraheretur, non vna igitur effusione, & attractione, sed pluribus, ijsque superfluis dies illi manabant. Possumus attamen sententiam hanc præstãtissimorum Patrum pie interpretari, statuereq;, triduũ primum peractum fuisse effusa, contractaque luce, hoc est, effusa ab hemisphęrio vno ad alterum, attractaque ab altero ad primæuum. Quod idẽ est, ac si diceremus, triduum primum lucis circumlatione effectum fuisse. Effundebatur siquidem lux ab ortu, vt hemisphærium nostrum scanderet, & attrahebatur ab Occasu, vt clarorẽ alteri supposito hemisphærio impertiretur. Caietani placitum, qui lucem supremi Cœli raptu circunferri asserebat, fundamentum habet titubans non omnibus exploratum; primum scilicet Cœlum mox conditum ab Angelo cieri cepisse, vt supra discussimus. Quapropter cunctis ponderatis eam amplector sententiam, quam supra cùm de luce, quid esset, disputabamus, selegi. Assero propterea posse Nysseni, Hugonis, Iunilij, Basilijque assertiones conciliari, asseuerarique lucem eam priscam substantia igneam, specie nebulam adeo expassam, vt nullo corpore deuincta videretur, sua natiua vi, Dei quoque virtute munitam, vigintiquatuor horarum spatio orbem circulumque suum confecisse, ea certè conuersione, qua Sol, cùm sub æquatore circunfertur, nunc incedit, eaque serie triduum primum absoluisse. Qua conciliatione prima, altera, tertia, sequensque positio verum exposuisse comperiuntur. Hæc satis.

Pia sententię Patrũ interpretatio.

Tres primi dies ex lucis circumlatione efficiebantur.

Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.

Hebraica Lectio, Chaldaica, Græca Septuaginta Interpretum, & Latina, ferè omnes vel hanc, vel consimilem habent editionem. De eaque animaduertendũ, quòd capitur

a. *Iom pro die artificiali.*

LIPPOMANVS.

Dictio Hebraica Iom accipitur aliquando pro die artificiali duntaxat, idest pro tempore, quo Sol lucet super nostrum Horizontem, & sic ponitur hoc in loco.

CAIE-

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Deus externo sermone res sic appellauit.*
b. *Vocauit non verbo externo, sed interno, hoc est in æterna ratione.*
c. *Siue, disposuit, vt congruè vocari possint.*

CAIETANVS solus edidit.

Et vocauit Elohim luci diem; & obscuritati vocauit noctem. Clarum est noctem esse speciem obscuritatis: Omnis enim nox est obscuritas, sed non omnis obscuritas est nox.

Excitant hæc disceptationem elegantem, quænam fuerit illa Dei nuncupatio, qua Deus appellauit lucem diem, & tenebras noctem; & consimiliter postea firmamentũ vocauit Cœlum, congregationes aquarũ maria, & aridam terram. Si enim opifex Deus humanam non assumpsit effigiem, vt supra luculenter demonstrauimus; si nullum aderat idioma; si homo adhuc plasmatus non erat, qui nomina hæc edisceret: quidnam est nuncupatio ista? Audiendi sunt Patres, vt hoc nobis abditum reserent enigma.

a. *Deus externo sermone res sic appellauit.*

Primùm nobis ea se offert expositio Lusitani, qui Deum non semper effigiatum, vt Antropomorphitæ, seu Vadiani vetusti hæretici autumabant; sed in Mundi emolitione in hominis obsequium, & humana effigie, & externo verbo vsum fuisse, plectroque linguæ hæc protulisse nomina, nuncupationesque, quæ post homini domesticæ forent, existimat, & docet.

TOSTATVS in Genesim in hanc visus est incidisse sententiam, cùm ait in secunda expositione.

Pis sententia Patrũ interpretatio.

Appellauitque lucem diem, idest, Tempus lucis vocauit diem. In creatione rerum Adam posuit nomen omnibus rebus secundum sapientiam à Deo datam: Deus autem posuit nomen quinque rebus, scilicet, diei & nocti, terræ, & mari; & homini: vt patet hoc capite, & sequenti. Et tenebras noctem; idest tempus tenebrarum vocauit noctem.

Steuchus quoque non obscure id approbasse visus est, vt mox referemus, sed non nisi condito Adamo.

b. *Vocauit non verbo externo, sed interno, hoc est in æterna ratione.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite decimo.

Tres primi dies ex lucis circumlatione effectos tur.

Huc accedit, quia Verbo sibi coæterno, idest, incommutabilis sapientiæ internis, æternisque rationibus, non corporali sono vocis vocauit Deus lucem diem, & tenebras noctem. Rursum enim quæritur, si verbis quibus vtimur vocauit, qua lingua vocauerit, & quid opus erat sonis transeuntibus, vbi cuiusquam non erat corporalis vllus auditus? & non inuenitur.

c. *Vocauit, hoc est disposuit, vt congruè vocari possint.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite sexto.

Fortasse ergo ipsum diuisisse inter lucem & tenebras, hoc est vocasse lucem diem, & tenebras noctem; vt hoc sit ordinasse ista, quod vocasse.

Sed clariùs de Genesi contra Manichæos, libro primo, capite nono.

Hoc autem totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocauit Deus diem lucem, & tenebras noctem: vtrum Hebræa, an Græca, an Latina, an aliqua alia? Et sic omnia quæ vocauit, quæri potest, qua lingua vocauerit. Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu & diuersitate linguarum. Vocauit autem dictum est, vocari fecit; quia sic distinxit omnia, & ordinauit, vt & discerni possent, & nomina accipere. Sed postea loco suo requiremus, vtrum verè sic est accipiendum, quia vocauit Deus: quoniam quantum accedimus in Scripturis, & in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus,

Anno Mundi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Hoc est, cognouit, & instituit debere ita vocari.*
b. *Vocauit. Tropus est humanus in gratiam ineruditorum à Mose insitus.*

dicimus, ille Paterfamilias ædificauit domum istam, idest ædificari fecit, & multa talia per omnes libros diuinarum Scripturarum inueniuntur.

IVNILIVS in Hexæmeron consimilia habet.

Appellauit autem dictum est, appellari fecit. Quia sic distinxit omnia, & ornauit, vt & dies cerni possent, & nomina accipere. Sic enim dicimus; Ille Paterfamilias ædificauit istam domum, idest ædificari fecit: & multa talia per omnes libros diuinarum Scripturarum inueniuntur. Hoc ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua appellauit Deus lucem diem, & tenebras noctem? Vtrum Hebræa, an Græca, an alia lingua? & sic omnia quæri possunt, quæ vocauerit, & qua lingua vocauerit. Sed apud Dominum purus intellectus est, sine strepitu, & diuersitate linguarum.

Hæc & Glossa Locupletata.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Appellauitque lucem diem, &c. Nulla lingua hæc appellatio facta est, quia apud Deum purus intellectus est sine strepitù linguæ, sed appellauit, idest appellari fecit, quia sic distinxit, vt discerni possent, & nominari.

BEDA Expositione in Genesim.

Appellatio autem diei & noctis, distinctionis insinuatio est. Et post. *Quòd autem dicitur, vocauit lucem diem, & tenebras vocauit noctem, qua lingua vocauit? Vocauit autem dictum est, quia vocari fecit. Quia sic distinxit omnia, vt discerni possent, & nomina accipere.*

D. THOMAS loco asserto.

Intelligitur autem vbiq; per hoc quod dicitur, Vocauit, idest, dedit naturam, vel proprietatem, vt posset sic vocari.

HVGO Carensis in Postillis.

Appellauit lucem diem, idest, talem fecit, vt conueniret ei hoc nomen Dies scilicet clarum.

STEVCHVS in Cosmopœia, in caput primum Genesis.

Duobus sensibus potest intelligi, vt vel ad ipsa nomina, vocesq; rerum, vel res ipsas in solidum spectet. Non fuisse videlicet factas, ac notatas has appellationes à rerum Creatore, sed eum statuisse de rebus ipsis, vt lux esset id, quod postea vocatum est dies: quasi hoc Moses dicat; Et Solem statuit esse diem. Sicut enim non dicendo, sed vel iubendo, vel volendo creauit lucem, licet Theologus scribat; & dixit Deus, Fiat lux: sic non expresso vocis sono, diei ac noctis nomina signauit; sed voluit lucem esse diem, & ad diem efficiendam eam creauit, vt mirabile, vereq; diuinum esset istud noctium, dierumq; interuallum. Et Post. *Hæc nimirum Dei nuncupatio diei, ac noctis fecit, aut præcepit, vt spatium à matutino ad vesperum tempus, dies vocaretur. Non indidit ipse nomen, sed edidit rem talem, vt hæc sortita sit nomina.*

a. *Hoc est, cognouit, & instituit debere sic vocari.*

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione, in Genesim articulo nono.

Appellauitq; lucem diem, hoc est, lucis illius emicationem super nostrum horizontem, seu spatium, aut durationem illuminationis illius cognouit, atque instituit debere diem vocari in omni idiomate hominum per diuersa vocabula. Simili sensu appellauit tenebras, idest absentiam lucis Solaris, noctem.

b. *Vocauit. Tropus est humanus in gratiam ineruditorum à Mose insitus.*

IOANNES Chrysostomus in Genesim Homilia secunda.

Vocauit enim inquit, Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Vidisti optimam distinctionem, & admirabile opificium: quomodo id quod omnem rationem transcendit, vno sermone & præcepto factum est? Vidisti quantum se nostrorum ingeniorum paucitati attẽperauerit beatus ille Propheta, immo misericors Deus, per Prophetæ linguam erudiendo omne hominum genus, vt videat eorum, quæ facta sunt ordinem, & quis

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Vocauit. Præoccupatio est, & significat. Vocare post ipse Adam vel posteros docuit.*
b. *Siue, Vocauit, hoc est distinxit & natura, & nomine.*
c. *Vocauit, vt discerneret lucem à luce, tenebras à tenebris: cùm non omnis lux dies, tenebraq; nox sit.*

Vniuersi Opifex; & quomodo vnumquodque produxit? Quoniam enim adhuc imperfectius erat humanum genus, quàm vt perfectiora capere posset: propterea pro auditorum imbecillitate, Prophetæ linguam sanctus mouebat Spiritus, inque hunc modum nobis omnia edißerebat.

Idipsum insinuauit de firmamento Homilia quarta.

a. *Vocauit. Præoccupatio est, et significat: Vocare post ipse Adam vel posteros docuit.*

Nuperi Doctores accuratiùs rem perpendentes, ex præoccupatione Deum appellasse diem, ac noctem tradunt.

VIELMIVS Lectione vndecima.

Porrò autem quod hic dicitur, Deum appellasse, occupatio est: ea enim quæ postea illo docente vel Adamum, vel alium ex posteris quenquam, facta est appellatio, nunc ei tanquam ipse illam fecerit, à nostro Historico vbiq; adscribitur; & est sermo de nomine, & appellatione Hebræa. Hanc enim linguam D. Hieronymus, & alij volunt à Deo edoctum fuiße Adamum.

STEVCHVS apertiùs hoc explicauit in Cosmopęia; cùm enim Hebraicam linguam eam vetustissimam esse, qua Adam vsus est, demonstrasset, his concludit verbis.

Hanc igitur linguam, partim à Deo, partim à primo homine constatam par est. Primarumq; nomina rerum à Deo notata. Tum hæc & res ipsas Deum, Adam docuiße. Neque credibile fit totam linguam ab homine signatam; sed quoniam vbi creatus est, & dum crearetur, homo sese creantem Deum vidit, est allocutus, vicissimq; ille hominem, quandam inter eos linguam oportet fuiße, subito eius scientia homini donata, sicut donata est vita, intelligentia, sensus. Audiuit igitur Adam in omni eo colloquio Deum solitum appellare lucem diem, & tenebras noctem, & aëris effusionem Cęlum. Quemadmodum autem, quod postea clariùs dicetur, Deum, idest, Filium Dei, auctoritatem, ac potestatem, cui condendarum, administrandarumq; rerum Pater tradiderat potestatem, vidit Adam, quia vidit eum & Abraham: vidit inquam, imaginem suam gerentem, ad quam fuerat ipse formatus; sic audiuit eum in illa humana figura loquentem. Sermo autem fuit è rerum creatarum nominibus, & cæteris quos vsus postularet.

CATHERINVS Commentarijs in Genesim.

Ista autem, quæ dicitur à Deo indita diei & nocti appellatio, quid aliud significat, quàm inde ab eo fuiße edoctos primos homines, vt ista tempora ijs nominibus appellaßent, vt diei quidem appellatio ad id temporis arctetur, quo Sol luceat in hemisphærio vbi inuenimur? etsi aliter accipiendo hanc vocem, dies quoque noctem comprehendat.

b. *Vocauit, hoc est, distinxit & natura, & nomine.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono.

Vnde & discretio fit inter lucem & tenebras, vt separata lucis natura, atque tenebrarum, nihil videatur intra se habere confusum. Et vocauit Deus diem lucem, & tenebras noctem vocauit. Vt & nomine ipso diem, noctemq; distingueret.

GLOSSA Ordinaria.

Appellatio diei & noctis, significatio distributionis, qua significatur, nihil Deum inordinatum relinquere, nec profectus creaturarum sine supplemento Vniuersi decoris eße.

c. *Vocauit, vt discerneret lucem à luce, tenebras à tenebris: cùm non omnis lux dies, tenebraq; nox sint.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite sexto.

An potius ista vocatio accipienda est ipsa distinctio? Non enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox.

Sed

Appellauitq. lucem diem, & tenebras noctem.

Anno Mundi primo. Die Prima.

a. *Vocauit &c. vt distingueret diem artificialem à naturali.*
b. *Vt Deus non tantùm rerum, sed nominum auctor euinceretur.*

Sed lux & tenebræ certis inter se vicibus ordinatæ atque distinctæ, diei & noctis nominibus appellantur. Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Vnde etiam nomen, quod rem notet, appellatum est, quasi notamen. Notet autem, idest distinguat, & doctitanter ad discernendum adiuuet. Et post. *An ista vocabula significare nobis volunt, quam lucem dixerit, & quas tenebras? Tanquam diceret, Fecit Deus lucem, & diuisit inter lucem, & tenebras: lucem autem dico diem; & tenebras dico noctem: ne aliquam aliam lucem intelligas, quæ non sit dies; & ne aliquas alias tenebras intelligas, quę non sint nox. Nam si omnis lux dies poßet intelligi, & omnes tenebræ noctis nomine censerentur, fortasse non esset opus dicere; Et vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem.*

Rerum nuncupationes ea perfectam earum distinctionem ostendunt.

a. *Vocauit, vt distingueret diem artificialem à naturali.*

RABBI Moses, teste D. Thoma, prima, quæstione sexagesimanona, articulo primo, ad quintum.

Vbicunque dicitur Vocauit, significatur æquiuocatio nominis. Vnde prius dictum est, quòd vocauit lucem diem, propter hoc, quòd etiam dies vocatur spatium vigintiquatuor horarum, secundum quod ibidem dicitur; Factum est vespere & mane dies vnus. Similiter dicendum est, quòd firmamentum, idest aërem, vocauit Cœlum, quia etiam Cœlum dicitur, quod est primo creatum. Similiter etiam dicitur, quòd aridam, idest illam partem, quæ est discooperta aquis, vocauit terram, prout distinguitur contra mare; quamuis communi nomine Terra vocetur, siue sit aquis cooperta, siue discooperta.

a. *Vt Deus non tantùm rerum, sed nominum auctor euinceretur.*

CAIETANVS in Genesim.

Appellauitque lucem diem, ac tenebras noctem. Scripsit hęc Moses, vt manifestaret, quòd Deus est auctor non solum rerum naturalium, sed etiam artificialiam, qualia sunt nomina: & quòd Deus singularia sensibilia, & priuationes (de quarum numero est obscuritas) intimè, & nominatim nouit, vtpote illis propria nomina vocans.

A V C T O R.

Ex his diuersis sententijs, prima quæ Deum effigiatum plectro linguæ, aëreoque sonos has nuncupationes tradit protulisse, iam ex supradictis explosa est. Deum nanque humana effigie, humanave lingua Mundum emolitum esse, nec tutum, nec exploratum; sed potius ambiguum, aspernandumque placitum esse demonstrauimus. Cum hac reijci potest, & ea altera sententia Vielmij, & Steuci, quæ cum homine condito Deum Hebræa lingua collocutum, hæc nomina illi tradidisse censuit, vel fortè eum excitando, vt ita res appellaret, vel potius ipso Adam ea ex ore Dei hauriente. Nam assertio hæc plura non certa, neque verisimilia decernit. Ambigere etenim & meritò possumus, num Hebraica lingua sit prisca illa, qua vsi sunt Protoparentes nostri, quemadmodum isti autumant, cùm Theodoretus Syriacam linguam vetustissimam omnium, & ipsam Adami esse dilucidè obtestetur. Amplius, num præter ea, quæ à Mose enarrantur quid aliud Adamo fatus sit Deus, in dubium reuocari potest. Rursum num sermone externo, an potius imaginaria visione, vel intelligibili expressione, absque vlla nominum prolatione, seu impressione eum alloqueretur. Neque insuper dilucida vel placida est hæc interpretatio, nam Moses has nuncupationes in Mundi emolitione non post absolutum Mundum factas enarrat, multoq; minus consentaneum videtur, Mosem illas Deo ante ascripsisse, si Adamus ipse eas post protulit. Explanatio D. Augustini, quæ

Deus nō plectro linguæ res nuncupauit.

Nec Adamū alloquēs nuncupationes rerum illi demandauit.

Quæst. in Gen. 59.

AnnoMundi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Felicitatem in Angelis; Damnationem in Dæmonibus.*

Rerum nuncupationes ad perfectam earum distinctionem sūt additæ.

Vocauit, hoc est distinxit, interpretatur; & altera Rabbi Mosis, quæ his nuncupationibus æquiuocationem inesse putat, quasi distinguenda sint dies naturalis ab artificiali, firmamentum à Cœlo supremo, maria ab aquis aërem afficientibus, arida terræ facies nudata ab ea, quæ substrata est aquis: non reijciendæ quidem meo sunt iudicio, parum tamen literæ sensum patefaciunt. Eleganter profectò adnotauit Ambrosius, nuncupationes has ad completam distinctionem fuisse additas, vt quæ iam re discreta, separataque erant, ipsis quoque nominibus seiungerentur. Caietani interpretationem, quæ has nūcupationes à Mose enarratas arbitratur, vt Deum tam arte gestarum, quàm natura editarū rerum institutorem demonstret, potius tropologicā, seu ætiologicā, quàm literalem existimo. Superest igitur, vt cæteras connectendo à D. Chrysostomo non dissentiamus, dicamusq;, ex tropo humano Mosem tradere Deum has res suis nominibus nuncupasse, sicut & dixisse eū, uidisse, & quieuisse narrat, quæ omnia hominis sunt affectiones, & mores. Et cum D. Augustino, Iunilio, Beda, Strabo, Thoma exponamus, Deum appellasse diem, ac noctē; hoc est sanciuisse, disposuisse, & fecisse, ut post his nominibus appellarentur. Disposuisse, inquam, ex præscientia, ut res istæ consimili nomine ab Adam prisca in lingua, & à cæteris in eorum idiomatibus nominarentur.

Lucem diem, tenebras noctem.

Verba ista, nomenclaturasque has ad eundem sensum non trahunt Patres, cùm alij occasione sumpta, quòd lux sua literali significatione lucem etiam spiritualem significare censeatur, noctem quoq; ad aliud quàm ad partes temporis exprimendas rapiunt.

a. *Felicitatem in Angelis, Damnationem in Dæmonibus.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite decimo nono.

Appellasse autem diem & noctem dicitur Deus, non quia vel Hebraicè, vel Græcè, vel Latinè fuerit locutus; quippe qui nec linguam, nec labia quæ moueret, habuit. Nec enim est corporeus, siue localis; sed quia sententiam cuique parti firmam posuit, quæ vlterius mutari non possit. Hæc appellatio diei, stabilimentum est fælicitatis, firmamentum gratiæ & honoris, vt amplius lux illa, quę hoc nomen ex ore Dei semel accepit, diesque vocari meruit; iam non possit in tenebras conuerti, iam non valeat amoueri à fonte luminis æterni. Tunc apostatantibus spiritibus lucifugis, in luce stare maluit: & idcircò iam in æternum, lux decoris, & pulchritudinis huius prouecta est eo, vt perfecta sit ad similitudinem Patris luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Econtrà, noctis appellatio firma & stabilis est ex ore eiusdem incommutabilis Dei semel prolata tenebrarum damnatio, vt quia venit illis pes superbię, & de loco suo moti, sua sponte ceciderunt, & iniquitatem operati sunt; iam semel expulsi non possunt stare inconuertibiles apostatę.

Hæc Rupertus secundum literalem sensum ita exponit, qui & lucis nomine Angelum significari autumauit: sed hæc interpretatio iam supra cùm sit reiecta, non est, vt eam amplius repudiemus.

Hoc

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Hoc est, spatia diei & noctis, quæ euenire poterant.*
b. *Diem, perfectionem rei; Noctem, eius defectum.*
c. *Noctem, rerum in materia prima informitatem, Diem, ipsam rerum formam.*
d. *Vel Diem, speciem rerum, Noctem, earum priuationem.*
e. *Lucē vocauit diē, & tenebras noctem, & non econtra. Quia rebus imponēda nomina.*

a. *Hoc est, spatia diei & noctis, quæ euenire poterant.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite sexto.

Item quæri potest, quem diem dicat, & quam noctem. Si istum diem vult accipi, quem Solis ortus inchoat, & claudit Occasus, & istam noctem, quæ à Solis occasu vsque in Ortum tenditur, non inuenio quomodo esse potuerint, antequam Cœli luminaria facta essent. An ipsa spacia horarum & temporum, etiam sine discrimine fulgoris, atque vmbræ, iam ita vocari potuerunt? Et quomodo in illam lucem rationalem, si hæc significata est, aut sensualem cadit hęc vicissitudo, quæ nomine diei & noctis significatur? an non secundum quod euenit, sed secundum quod potest euenire, ista insinuata sunt, quia & rationi potest error succedere, & sensui quædam stoliditas?

Et de Genesi contra Manichęos libro primo, cap. quartodecimo, idipsum clarissimè exponit, quod hoc loco proponit: Et nos aliàs locum eum deducemus.

b. *Diem, perfectionem rei; Noctem, eius defectum.*

AVGVSTINVS vbi supra.

An potius in ipsa re facta, atq; formata, eadem mutabilitas, hoc est, deficiendi (vt ita dicam) possibilitas nox appellata sit; quia inest in rebus factis etsi non mutentur posse mutari.

GLOSSA Interlinearis.

Lucem, idest perfectionem rei, & tenebras defectum.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Discretio autem lucis à tenebris, distinctio est inter perfectū cuiusque rei statū, & quem habet ex se deffectū.

c. *Noctē, rerū in materia prima informitatē, Diem, ipsā rerū formā.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro secundo, cap. decimoquarto.

Quis ergo animo penetret, quomodo illi tres dies transierint, antequam inciperent tempora, quæ quarto die dicuntur incipere: vel vtrum omninò transierint dies illi? An circa speciem factæ rei dies appellatus sit, & circa priuationem nox, vt nondum specie formata materia nox dicta sit, vnde formanda erant cætera; sicut potest, quamuis in rebus formatis, intelligi tamen in ipsa mutabilitate informitas materiæ: non enim spacijs vel locorum quasi remotior; vel temporum quasi anterior discerni potest.

d. *Diem, speciem rerum, Noctem, earum priuationem.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite duodecimo.

An ista dierum, & noctium enumeratio ad distinctionem valet inter illam naturam, quæ facta non est, & eas, quæ factæ sunt: vt mane nominaretur propter earum speciem factarum: vespera vero propter priuationem, quæ quantum attinet ad illum, à quo facta sunt, speciosa atque formosa sunt: quantum autē in ipsis est, possunt deficere; quia de nihilo facta sunt: & inquantum non deficiunt, non est eorum materię, quæ ex nihilo est, sed eius qui summè est; & illa facit esse in genere & ordine suo?

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Diem quippe in specie rei conditæ intelligimus: Noctem verò in eius rei priuatione, vel defectu, quæ rebus temporaliter conditis ex se inest, etiam si desit effectus.

e. *Lucem vocauit diem, & tenebras noctem, et non econtra. Quia rebus imponenda nomina.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite sexto.

Quid ei respondebimus, si quis à nobis ita quærit, luci nomen impositum est dies, an diei nomen impositum

Anno Mūdi primo. Die prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Vt Diei naturalis sunt partes.*
b. *Dies à fremitu; Nox ab horrore, & tristitia.*

tum est lux; quia hæc duo vtique inquantum ad res significandas articulata voce enunciantur, nomina sunt. Hoc modo etiam de alijs duobus quæri potest: tenebris nomen impositum est nox, an nocti impositum est nomen tenebræ? Et quidem, vt Scriptura describit, manifestum est, lucis nomen dictum esse diem, & tenebrarum nomen dictum esse noctem. Quia cùm diceret, Deus fecit lucem, & diuisit inter lucem & tenebras; nondum de vocabulis agebatur: postea adhibita sunt vocabula, dies & nox; cùm & illa sine dubio vocabula sint, lux, & tenebræ, res aliquas significantia, sicut dies & nox. Ergo hoc ita accipiendum est, quia enunciari aliter non posset res, quæ nomen accepit, nisi aliquo nomine.

a. *Vt Diei naturalis sunt partes.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Nunc quidem ex illo tum dies post Solem factum, is aër est, quem Sol ipse illuminat, in nostro dum est hemisphærio, supra terram relucens. Nox vmbra est terræ, quæ diei Sole se occultante succedit. Tum verò fiebat dies, cui cedenti nox vicissim succedebat, non quidem secundum motionem Solis, sed primigenia illa luce suum splendorem diffundente, seq; rursum contrahente, idq; pro mensura à Deo diffinita.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, in caput primum.

Nunc verò alia diei ratio est. Nam post creatum Solem, dies est à Solis splendore illuminatus aër in hemisphærio nostro supra terram. Nox est vmbra terræ, quæ contingit, vbi occiderit Sol. Tunc autem, scilicet in rerum primordio, non secundum cursum Solis noscebatur dies, verùm primigenia, & vndiq; circumfusa lux, iuxta modum à Deo definitum contracta, diem præstabat, cui deinde succedebat nox.

Et quanquam hi Patres asserant triduum primum non fuisse eiusdem conditionis, qua nunc sunt dies, hoc est, non effectum fuisse Solis conuersione; obtestantur attamen diei & noctis vocibus, temporis, naturalisq; diei partes significari, quod & Postillatores clariùs explicant.

LYRANVS.

Appellauitq; lucem diem, quia dies est latio Solis super terram. Et tenebras noctem; quia sicut per præsentiam Solis efficitur dies; ita per suam occultationem efficitur nox.

TOSTATVS.

Lucem Diem, idest tempus in quo est claritas super Orizontem, Diem. Quia dies aliquid clarum signat. Et tenebras noctem, idest tempus, in quo sunt tenebræ, quando occultatur Sol, vel magna lux.

AVCTOR.

Ecce diei, & noctis non tantùm genesim sed & nomina à Deo indita habemus, & ea quidem præstantissima, quemadmodum & res sunt insignes, adeo vt merito de ipsorum multiplici etymologia aliquid subnectere cogamur. Quis enim depromere posset laudes præstantissimas diei, & noctis? Quis vicissitudines, quibus horas sibi inconcussa infractaq; fide partiuntur, mutuant, & reddunt? Quis beneficia, commodaque nobis collata? De his siquidem cumulatè edisserunt Theodoretus de Prouidentia sermone primo: Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi nona, & alij quamplures, quorum argumentum in contemplationibus nostris desumpsimus. Dicamus nonnulla de eorum nominum etymologia.

b. *Etymologia nominum hebraicorum, Diei et Noctis. Dies à fremitu: Nox ab horrore, et tristitia.*

STEVCHVS in Cosmopœia.

Iure autem, nec sine ratione Deus appellauit diem Iom. sic enim dicitur Hebraicè, ductum, vt dixi, à verbo Ham,



Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

Anno Mũdi primo. Die Prima.

- a. *Dies à mansuetudine : Nox à stimulo .*
- b. *Dies à desiderio .*
- c. *Vel Dies à Deo .*
- d. *Siue, Dies , quia diuina res .*



Ham, fremere, strepere, consonare, quòd in die cuncta fremant, & perstrepant, noctu contrà cuncta sileant, plenaque horroris omnia, & tenebrosa . Cœperuntque nato Sole, & die, cuncta perstrepere, idque tum primum fecerunt, quod postea semper factum est . Dies enim vigiliæ, nox omnium rerum quieti data, vt eorum nomina declarant . Diciturque Iom dies Hebraicè, à verbo, vt dixi, Ham, in futuro formatur Iom, sicut à ZachaK verbo, nomen & futurum ZachaK . Nox quoque congruam naturæ suæ habuit etymologiam . Vocauit eam Deus Hiela , fortaße à Laha defatigari , in qua feßa diurna vigilia , & strepitu quiescunt omnia , & reparantur : Quod pulchrè Flaccus .

Nox hominum genus, & duros miserata labores,
Rettulerat somnos , & feßa silentia terris.
Sic donum diuum gratißima serpit :

Aut ab horrore, & tristitia tenebrarum : Hæc ante hominem, & alia ab homine reperta nomina , à natura rerum sunt indita.

a. *Etymologia nominum Græcorum .*

Dies à mansuetudine : Nox à stimulo .

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Diem, inquit, vocauit ἡμέρα. Græca dictio ponitur, quæ quandam mansuetudinem importat . Quicquid enim festum, & hilare est, id Græcè ἥμερον, idest placidum, & mansuetum appellare solent . Quapropter etiam humanitatem vel mansuetudinem nominamus ἡμερότητα . Preterea alia mansuefacta nuncupamus ἥμερα , idest cicura, & pacata . Nox dicitur Græcis νύξ, quasi νύττει; idest, stimulet hominem ferè dormientem , subinde inculcans : Disce homo, te eße mortalem, & somno seruis ? Et quid maiora tuis viribus & moliris , & cogitas ? Nam νύξ, est κατανύγη, idest stimulatio, vel admonitio . Hinc motus Dauid, ait ; Loquimini in corde vestro , & in cubiculo vestro , & stimulemini, vel pungamini : verùm Hebræus habet, tacete. Psal.4.

b. *Dies à desiderio.*

HAMERVS Commentatione in Genesim.

Dies Græcè vocatur ἡμέρα . Nec vox hæc semper eodem modo apud Græcos prolata fuit, vt auctor est Plato . Nam vetustißimi ἱμέραν vocabant, & ἑμέραν; recentiores ἡμέραν . Etymologia potest eße, vt Plato inquit; Quoniam lux ipsa è tenebris nascebatur , hominibus multum gaudentibus, & desiderantibus illam, eoque illam vocauerunt ἱμέραν, idest desiderium .

c. *Etymologia vocum Latinarum diei & noctis.*

Dies à Deo .

VARRO libro quinto Latinæ linguæ teste Hamero.

Dies à Deo dici putauit; Cœlum enim putabant Deum quendam eße , cuius motu dies conficitur . Igitur à Cœlo Deo, dies dictus est .

d. *Dies , quia diuina res.*

FESTVS eodem referente Diem quasi quid diuinum dici arbitratus est.

Festus verò, inquit, dies dictus, quòd diuini sit operis, siue à Ioue, vt putabant, rectore, qui Græcè Ζεὺς δίος appellatur, siue quòd aër diurnus debiscat in candorem.

Dies

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.

a. *Dies a Dio.*
b. *Dies a Dij, & Nox quòd oculis noceat.*
c. *Dies, a diuidendo. Nox, quòd noceat negocijs gerendis.*
d. *Dies a claritate, Nox a nocendo oculis; vti Lux a luere, Tenebræ a tenere.*

a. *Dies à Dio.*

Alij diem à Dio deflectunt, Diem autem sub Cœlo lumen vocant, quia & sub Dio siue, vt alij loquuntur, sub diuo aliquid esse dicimus, cùm in aperto, atq; sub Cœlo est.

b. *Dies à Dij, & Nox, quòd oculis noceat.*

ISIDORVS Etymologiarum libro quinto, capite trigesimo.
Dies dicti à dijs, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacrauerunt.
Et capite trigesimo primo.
Nox ab eo dicta, eo quòd oculis noceat.

c. *Dies, à diuidendo: Nox, quòd noceat negocijs gerendis.*

BEDA de Ratione computi.
Dies vnde nomen accepit? à diuisione; eo quòd diuidat lucem à tenebris. Et post. *Item dies dicitur, eo quòd lucem, & tenebras disiungat, ac diuidat: appellatiue dicitur, dux operum, & absentia tenebrarum.* Et post. *Vnde dicta est nox? Quòd noceat aspectibus, vel negocijs humanis, siue quòd in ea fures, vel latrones nocendi alijs occasionem nanciscantur.*

d. *Dies à claritate: Nox à nocendo oculis; vti Lux à luere, Tenebræ à tenere:*

PETRVS Comestor in Genesim, capite tertio.
Et appellauit lucem Diem à Dyan Greco, quod est claritas; sicut Lux dicitur, quia luit, hoc est, purgat tenebras. Tenebras dixit noctem, à nocendo, quia nocet oculis ne videant; sicut tenebrę, quia tenent oculos ne videant: sicut tamen Dies exortum est à Dyan Graeco, ita Nox à Nyctim.
HVGO Carensis in Postillis.
Et Dies dicitur à Dyan, quod est claritas, Lux vero dicitur à luendo, quia luit, idest purgat tenebras; & dicuntur Tenebræ, quia tenent oculos, ne videant.

Etymologiæ nominum diei ac noctis.

Sunt igitur Etymologiæ Diei, quòd dies dicatur à verbo Fremere & strepere, eo quia in ipso omnia obstrepent; à mansuetudine, nam omnia magis in ipso mansuescunt, nec horrescũt; à desiderio, noctis siquidẽ horrore pertesi mortales ipsum diem peroptant; à Deo, quoniã eius auctor Deus optimus fuit, vel quia diuinũ sit opus, seu à Dijs, à quibus denominatur; à distinctione, eo quòd discriminet lucẽ à tenebris; à Dio, seu ab aperto Cœlo; à Dyan, idest à claritate. Nox autẽ ab horrore dicitur, quòd omnia in atra obscuritate horrescant; à stimulo, quoniã admonitio sit imbecillitatis humanæ; à nocendo, est enim tùm oculis, tùm negocijs gerendis nocumento. Ex his etymologijs, quæ propensior sit ad declarandam emphasim vocis, Pædagogis diiudicandum relinquo. Quamnam Deus, siue Adam primorum nominum institutor mente conceperit, non audeo diffinire; non enim adhuc compertum est, quodnam fuerit illud vetustissimum Idioma, quo vsus est Adam; num scilicet Syriacũ extiterit, vt autumauit Theodoretus; num Hebraicum, vt maluit D. Augustinus, & Hieronymus; num ignotum illud nobis sit, vtpotè iam deletum, sicuti quamplures alij censuerunt. Vnum mihi superest dicendum, quòd ex etymologijs Latinis (nam de Hebraicis, & Græcis non est nostrum negocium) Bedæ etymologiam probatiorem iudico, quæ diem à diuidendo dictum tradit,

Etymologia acceptior, quæ.

Factum est vespere & mane.

a. *Hareb, ab Harab quod significat ligare, descendit: Vnde dicitur Vespere, quia colligat diem cum nocte.*
b. *Vespere, quòd obliget ad quietem.*

AnnoMundi primo. Die Prima.

dit, & noctem à nocendo. Nox enim, vt tradit Isidorus, lunæ & syderum lucē nacta est, ne indecora esset, hominibusque nocte vigilātibus solatiū afferret, atq; vt quibusdā animantibus lucem Solis ferre non valentibus, ad eorum vires lumen temperaret. Obest autem, & prodest nox. Obest quidem aspectibus humanis, præcipue cùm ad humana negotia peragenda sit inutilis, & facinorosis hominibus nocendi aditum præbeat. Prodest autem, quoniam permulta cōmoda & beneficia mortalibus affert, cùm dies perpetuamq; lucem intercidat. Si enim perennis esset dies, certè calor non foueret, sed torreret, & in cineres cuncta redigeret, & si nox non intercederet, mortaliū corpora diurnis vigilijs ac laboribus fessa, quomodo somno recrearentur? Nonne sopore & quiete nulla intermista, breuissimo temporis interuallo hominum negocia, vires, immo & vita ipsa ad exitium, atque ad nihilum omnino redigerentur?

Cur Nocti Lunæ, & Syderum lumē tributum. Noctis commoda & incommoda.

Factum est vespere & mane.

Hæbraica lectio sic habet. Vaihi èreb vaihi bòer iomehad; idest, & fuit vespera, & fuit mane, dies vnus. Chaldaica, Et fuit Vespere, & fuit mane. Septuaginta legūt, Factum est vespere, & factum est mane, dies vnus. Latina nostra editio consimilis est. Idipsum autē meo iudicio sunt, Fuit vespere, fuit mane: quod Factū est vespere, factum est mane. Pagninus, Vatablus, Caietanus, Steuchus, Lusitanus, & Rabbini Hebræi à Chaldaica non declinarunt: disceptant tantùm de eius etymologia; de qua post.

a. Hareb ab Harab, quod significat ligare, descendit: Vnde dicitur Vespere, quia colligat diem cum nocte.

LVSITANVS Commentarijs in Genesim.
Dictio Hebraica Hareb, quæ hic ponitur, & vesperam significat, ab Harab, quod est ligare, obligare, ortum habet. Inferius enim cap. quadragesimo quarto, dicit Iudas Ioseph; Seruus tuus Harab, idest, obligauit se, seu ligauit se pro puero. Sic Prouerbiorum vndecimo; Quia Harab, idest, obligauit se pro extranea, vel extraneo. Inde Ereb, propriè significat colligationem.
Plura & exempla in Scriptura colligit: deinde subnectit.
Hac etiam ratione significat vesperam, quòd scilicet liget diem cum nocte; & videtur propriè significare illud tempus, quod latini crepusculum vocant.

b. Vespere, quòd obliget ad quietem.

VIELMIVS Lectione vndecima hæc reijcit.
Et primùm quia noctis, & diei colligatio, siue nexus, qui mane fit, & nobis Aurora dicitur, posset itidem nuncupari Hereb: est enim ligamentum. Deinde, quia vesper, & mane, vel diei, vel noctis partes sunt, quanquam sub iudice lis pendet, an diei, an verò noctis potius sint: quare non desunt, qui partem hanc idcircò Latinis crepusculum dictam velint; quòd incerta sit & dubia, an ad noctem, vel ad diem pertineat; nam res incertas Latini creperas vocāt. At verò ligamentum aliud quidpiam esse videtur ab his, quæ ligantur. Ad hæc tertio, Exodi duodecimo, iuxta Hebræam literam iubentur mactare agnum inter duas vesperas; hoc est, (omnium consensu) inter crepusculum, & noctem: nam & Plautus crepusculum vocauit primam vesperā, sicut Liuius primas tenebras, & Macrobius primam facem; quòd tunc primùm lumina, siue faces accenduntur. Ergo ipsa quoque nox vespera, & Hereb appellatur. Est autem certum, noctem dici non posse ligamentum sui cum die. His igitur rationibus ductus, opinor crepusculum noctis, atque noctem quoque ipsam Hebræis dici ligamentum, aut obligatio, quòd homines tantisper obliget feriari: siquidem vel inuios quoque

Anno Mundi primo. Die Prima.

Factum est uespere & mane.

a. *Mane Boquer à discernere.*
b. *Vespere à miscere.*
c. *Mane à quærere.*
d. *Vel, Mane à Manu, vel Dijs manibus, vel Aëre.*
e. *Vespere à Stella insequente Solem Vesper appellata.*

Cur Nocti Luna, & syderum laud tributum. Noctis commoda & incommoda.

eos ad quietem, & ad operum atque laborum cessationem (quibus interdiu incumbunt) adducit: ac videtur illis veluti manus ligare, ne ciuilia negocia transigant: quæ profectò omnia Dauid in Psalmo centesimo tertio luculentissimè cecinit; Ortus inquit est Sol, exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsq; ad vesperam. Facta est nox, in ipsa pertransibunt bestiæ syluæ.

a. Mane Boquer à discernere.

LVSITANVS de Mane etymologia.

Est etiam aduertendum, verbum, Bacar, à quo Boquer, idest mane, significare propriè, Discernere, vt patet Ezech. trigesimo quarto, vbi dicitur, Vbicartim, idest, & discernam eas, scilicet oues meas. Et Leuit. vigesimoseptimo. Non iebequer, idest non discernet. Sic infra cap. vigesimonono. Et fuit boquer, idest mane: & ecce Leath, idest discreuit esse Leah. Vnde boquer, idest mane dicitur, quòd tunc res ab inuicem discernantur; licet Hebræi dicant, quòd Barca significat quærere, & Boquer mane, quòd tunc res quærantur.

VIELMIVS ea ipsa loco asserto habet.

Hebræis autem dicitur, Bocher, à verbo Bachar, quod est quærere, & discernere. Itaque, quoniam à nobis inuicem res manè discernuntur, quæruntur q; non verò noctu, quando omnia cæca sunt, & videntur veluti latitare, eapropter Bocher scitè admodum dictum fuit.

b. Vespere à miscere.

HAMERVS Commentatione in Genesim.

Vespera Hebraicè vocatur Hereb, à verbo Harab, miscuit. Inde Hereb vulgum promiscuum, & Hereb vespera, quòd lux, & tenebræ eo tempore permisceantur, vel quòd res ipsæ imperfectæ visæ indiscretè cognoscantur. Sic apud Latinos crepusculum; quod tamen, vt Varro inquit, à Sabinis ortum est; & significat dubium.

c. Mane à quærere.

HAMERVS vbi supra.

Mane Hebraicè vocatur Bocher à verbo Bachar, quæsiuit; fortasse sic dictum, quòd mane quisque suum negocium quærat.

Et hanc existimo etymologiam Hebraicorum nominum. Secundum Latinas voces, Mane à manibus, seu ab omine boni nominis.

MACROBIVS libro primo Saturnalium, teste Hamero.

Mane dictum est latinis, aut quòd ab inferioribus locis, idest manibus exordium lucis emergat, aut (quod verius mihi videtur) ab omine boni nominis.

d. Mane à Manu, vel Dijs manibus, vel Aëre.

ISIDORVS Etymologiarum libro quinto, capite trigesimo.

Mane lux matura & plena; nec iam crepusculum. Et dictum mane à manu: manum enim antiqui bonum dicebant. Quid enim melius luce? Alij mane existimant vocari à dijs manibus; quorum conuersatio à Luna ad Terram est. Alij putant ab aëre, quia manus, idest rarus est, atque perspicuus.

e. Vespere à Stella insequente Solem Vesper appellata.

ISIDORVS vbi supra capite trigesimo primo.

Vesper à stella Occidentali vocatur, quæ Solem occiduum sequitur, & tenebras sequentes præcedit, de qua Virgilius.

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Tenebras autem dictas, quòd teneant vmbras.

Consimilia habet Beda libro de Ratione temporum.

Sufficiat mihi hoc loco coarctasse eas Etymologias, quas præstantiores iudicaui; de illis iudicium ferat lector.

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Factum est uespere & mane.

a. *Idest, Vespertina, & matutina apprehensio in Angelo.*
b. *Vel, Vespere perfectionis operum terminus, Mane inchoatio.*
c. *Siue, Vespere esse in Dei occulta sapientia, Mane in natura.*

a. *Factum est vespere & mane, vespertina, & matutina apprehensio in Angelo.*

Quid his verbis intelligendū sit, nō vna sententia decernunt Patres. Prætermitto, qui primùm huic loco interpretationem eam deferunt, quæ per diem cognitionem Angelicam, per vespere & mane, vespertinam & matutinam Angelorum apprehēsionem intelligebat, de qua supra.

b. *Vespere perfectionis operum terminus, Mane inchoatio.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, capite decimo septimo post plura.

Vespera autem in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, consummati operis terminus non absurdè fortasse intelligitur; mane vero tanquam futuræ operationis significatio.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim, lib. primo, cap. secundo.

Vespere, conditę creaturæ terminus: mane, initium condendæ creaturæ alterius.

GLOSSA Interlinearis.

Factum est vespere; hoc est, perfectæ rei terminus: Et mane, hoc est, exordium.

BEDA libro de sex dierum Creatione.

Factum est vespere & mane dies vnus. Quid est vespere, nisi ipsa perfectio singulorum operum? & mane, idest inchoatio sequentium?

Idipsum Quæstionibus in Genesim, & Expositione in primum caput Genesis.

Vespere autem in toto illo triduo, antequam luminaria essent, consummati operis terminus non absurdè fortasse intelligitur: mane autem futuræ operationis significatio.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Vespera in triduo, antequam fierent luminaria, consummati operis terminus. Mane futuri inchoatio. Et Post. *Vespera in omnibus perfectæ conditionis terminus est: mane exordium incipientis. Omnis enim creatura certis initijs, & terminis continetur. Nondum enim erant Solares dies, vt ortus Solis dies, Occasus vespera diceretur; quod quarta die factum est, cùm luminaria primùm in firmamento ordinata sunt.*

Hæc ipsa sic habet liber inscriptus Anticimenon, interrogatione tertia. Restat vt intelligamus per tres illos dies, qui sine Sole, vel Luna fuerunt, in ipsa quidem mora temporis distinctiones ipsas operum sic appellatas, idest, vesperam propter transactionem consummati operis, mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia pleraque à mane incipiunt, & ad vesperam desinunt.

Cæterum omnes expositiones præfatę Augustini sequūtur doctrinam, qui Mundum unico momento concretum arbitratur. Quapropter & voces eas, quæ temporis aliquod genus indicant, ad peregrinos sensus diripit, ac trahit.

c. *Vespere esse in Dei occulta sapientia; Mane in natura.*

RVPERTVS in Genesim libro primo, capite trigesimo.

Et factum est, inquit, vespere & mane, quia videlicet non casu factum est, sed vespere, idest, in illa occulta Dei sapientia disposita, & factum est, priusquam in actum visibilem exiret: Et mane factum est, videlicet, vt quod in occultis Dei erat, in publicum per euidens opus exiret, sicut iam de anteriori die dictum est.

Anno Mũdi primo. Die prima.

Factum est vespere & mane dies vnus.

a. *Quod factum est vno momento, temporum delapsu effectum dicitur, in gratiam ineruditorum.*
b. *Vespere & Mane, temporum, seu diei partes indicant.*
c. *Vespere initium noctis, Mane exordium diei.*

a. *Quod factum est vno momento, temporum delapsu effectum dicitur, in gratiam ineruditorum.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite septimo.

Sed quomodo facta est vespera, & factum est mane? An tanta mora temporis fecit lucem Deus, & diuisit inter lucem & tenebras, quanta mora tenditur dies lucens, idest, non annumerata nocte? Et vbi est, quod scriptum est; Subest enim tibi cùm voles, posse, si opus est Deo productione temporis, vt aliquid proficiat? An omnia quidem tanquam in arte, atque ratione perfecta sunt Deo, non in productione temporis, sed in ipsa vi, qua illas etiam res quas non stare, sed transire cernimus, stabiliter efficit? Non enim & in sermone nostro, cùm verba alia transeant, & alia succedant, credibile est ita fieri in ipsa arte, qua operante stabiliter artificiosa occurrit oratio. Quanquam ergo sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse cùm volet, ipsæ tamen naturæ temporales, motus suos temporaliter peragunt. Ita ergo fortasse dictum est; Et facta est vespera, & factum est mane dies vnus: sicut ratione prospicitur, ita fieri debere, aut posse, non ita vt sit temporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu Sancto, qui dixit; Qui manet in æternum, creauit omnia simul. Sed commodissimè in illo libro quasi morarum per interualla, factarum à Deo rerum digesta narratio est, vt ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per huiusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur.

Sap. 12.

Eccle. 18.

b. *Vespere & Mane, temporum, seu diei partes indicant.*

Cæteri ferè omnes tùm Patres, tùm Doctores vocaminibus istis diei partem aliquã significari censuere: sed non æqua conformique sententia, cùm alij per vespere initium noctis, & per mane exordium diei capiant: alij vespere pro lapsu Solis à meridie ad occasum, & mane pro eiusdem ascensu ab ortu ad meridiem: alij vespere pro nocte, & mane pro die: alij tandẽ vespere pro diei fine, & mane pro noctis exitu intelligant. Sẽtentiarumq́ue harum uarietas ex eo prouenit, quoniam primęuę diei initium non conformiter accipiũt, nonnulli enim à uespera, nonnulli à meridie, quidã à mane eum sumunt. Amplius de loco, quo explenduerit primùm Sol, non conueniunt, cùm quidam in occasu, nonnulli in meridie, alij in ortu, prosilijsse ipsum arbitrentur. Sicuti singulorum recitatis sententijs patefiet.

c. *Vespere initium noctis, Mane exordium diei.*

Sententia, quæ Solem in occasu nostro, seu in ortu Hemisphærij suppositi effulsisse, diem à vespera inchoasse astruit, & uespere pro initio noctis, & mane pro exordio diei capit.

Primo quippe loco nobis se offert Catherini sententia omnium nuperrima, qui Solem in occasu splenduisse; & diem à uespere supputat, & uespere, & mane, pro noctis, & diei initijs accipit.

CATHERINVS siquidem Enarratione in primum caput Geneseos hæc habet.

Dicendum est à Mose sic fuisse positam Mundi inchoationem, vt in alio hemisphærio illi genti, ad quam scribebat opposito, Sol illucere inceperit; ita vt primò esset vespere in hoc nostro, & Sole postmodum nobis oriente lux diuina, vsque ad aliud vespere redderetur. Itaque Mundus iste secundum hoc nostrum hemisphærium, in quo creatus est homo, habuit primum vespere, deinde mane: quod etiam cum diuinis officijs appositissimè conuenit. Nam Sabbatho in vespere iam cadente incipit dies Domini celebrari, vt significetur tunc incipere diem

Factum est uespere & mane dies unus.

a. *Vespere delapsus Solis ad occasum, Mane ascensus eiusdem ad meridiem.*

Anno Mundi primo. Die Prima.

diem Domini solemnem. Ob eam caußam fuit mandatum in Scripturis, vt festorum solemnitates à vespere inciperent. Et Post. *Verum ergo est secundum Scripturam, diem nobis incipere ab ipso occasu vespere; & terminari ad idem punctum reuerso Sole. Existimo & hoc traditum à veteribus acceptum. Thales enim Milesius interrogatus, nox ne diem, an dies noctem præcessisset, respondisse fertur, noctem præcessisse.*

LVSITANVS in Genesim in hanc decidere sententiam visus est, cùm dixit. *Denominat autem noctem ab initio sui, quod est vespera, diem etiam à mane, à quo ortum, seu initium habet. Et hinc arbitror Hebræos dies festos celebrare à vespera in vesperam; idest, à crepusculo noctis præcedentis vsque ad crepusculum sequentis. Propriè tamen appellari vesperam puto crepusculum: quod est inter Solis occasum, & noctem; quod tempus in Sacris literis dicitur inter vesperas, quo immolare iubentur agnum Paschalem. Hinc etiam ortum arbitror vsque hodie, noctem præcedentem, cum die suo artificiali, vocari vnum diem. Est etiam aduertendum, verbum Bachar, à quo Boquer, idest mane, significare propriè, discernere.*

TOSTATVS hanc redarguit sententiam, cùm ait. *Aliqui errantes dicunt creationem rerum incepiße die Dominica ad horam Completorij, quod valde stultum est, & impoßibile: quia tempus Completorij dicitur, quando Sol cadit sub Orizonte, sed ante creationem primam rerum non fuit aliquod tempus.*

Sed immeritò: lucem enim in occasu explenduisse primò, & non in ortu, autumant hi Doctores.

Huius igitur placiti fundamenta sunt. Primùm quòd si dies ac nox à diluculo, & crepusculo appellari debebant, nox potius à vesperis, & dies à mane ipso nuncupandi profectò erant, cùm vespera pars sit noctis, mane verò diei. Deinde, à vespera ad vesperam celebrandum fore Sabbathũ, noscitur institutum: Cùm igitur Sabbathi celebratio, Sabbathi eius primæui, quo Deus requieuit, esset commemoratio, iuxta illud; Sex diebus operaberis, &c. Certè Sabbathum primum cœpit à Vesperis, vti & festi dies à Vesperis initium ducebant. Amplius, ista sententia, noctem videlicet diei præisse, vetustorum vatum Gentilitatis extitit. Tandem inueteratus mos plurimarum gentium præcipuè Aegyptiorum fuit, inter duos occasus diem computare.

Catherini sẽtentiæ fundamenta.

Exod. 20.

a. *Vespere delapsus Solis ad occasum, Mane ascensus eiusdem ad meridiem:*

Sententia quæ lucem in meridie explenduisse, & diem à meridie pariter cępisse censet, sumit vespere pro delapsu Solis ad occasum, & mane pro ascensu eiusdẽ ad meridiẽ. Marsilius Ficinus libro de Sole, & lumine, capite decimo; & in meridie conditũ fuisse Solem autumauit, & à meridie diem exordium sumpsisse, & hanc esse caussam, quare Moses prius vespere, quàm mane transactum fuisse dixerit; quòd Sol à Meridie ad occasum proprie descendens primus vesperas, quàm noctem, & mane efficiat.

AEGIDIVS Hexæmeron secunda parte, capite secundo, hanc recenset sententiam.

Alij quidem dicunt, quòd in Meridie, idest in circulo meridiano Terræ habitabilis, vel illius partis Terræ, vbi producendus erat homo, fuit facta illa lux: & quia cùm Sol, vel quodcunque corpus luminosum attingit meridianum circulum, statim incipit declinare versus Occidentem; & ex hoc statim dici potest, quòd incipit facere vesperam, ideò dicitur illa dies incepiße à vespera, & post habuit vesperam, & postea habuit mane: & sic vespere & mane factus est dies vnus.

Amplius hic Doctor diem eam, noctemq; non fuisse denominatã censet, ex eo quòd recensitis extremis cointelligatur medium, vespereque pro media die à meridie in sero, mane pro altera dimidia à mane ad meridiem, capienda arbitratur.

STEV-

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Factum est uespere & mane.

a. *Vespere, tenebræ ante emanationem lucis; Mane, initium secundi diei.*

STEVCHVS in Cosmopęia hoc ipsum asseruit scribens. *At in creatione, in medio Cęlo, refero enim ad situm vbi creatus est homo, vbi Cœli, Terræque dicta, ac promulgata fuit creatio, vbi homo Cælum, Solemq; suspexit, & in suum Orizontem respectans, dies numerare cœpit; creatus est Sol.* Et Post. *Ob eamq; caussam scriptor dixit, Et factum est vespere. Nam cùm in describendo vnius diei interuallo, debuerit mane primùm, postea vesperum censere, videlicet, Factum est mane, & vespere; tuncq; dicere, diem vnum fuisse; huncq; ordinem vbiq; Mosen seruare decuerit: ea certè, cur non seruarit, caussa fuit, quòd primus ille dies, quia super Orizonte Sol est creatus, dimidius propè dies fuit, nec Auroram, antecedentesq; Solem lucis afflatus habuit, caruitq; matutino.*

His quasi æstimare videtur Steuchus diem primā tātùm horis decē & octo cōstasse. Diem verò auspicandum esse à meridie certiùs, quàm ab alia quacunque diei parte, demonstrant plura. Vmbri, & Athenienses, (teste Beda libro de Ratione temporum) à meridie ad meridiem dies computabant. Astronomi huius instituti rationem & pro sequuntur, & celebrant. Dierum enim exordium exploratiùs in ea Cœli parte capi posse autumant: nam Sol in meridiano rutilantior est, & coruscantior, ac veluti in sua arce, & solio, fortior, validiorq; consistit.

a. *Vespere, tenebræ ante emanationem lucis; Mane, initium secundi diei.*

Sententia verò ea, quæ lucē micasse in meridie, sed diem in mane exordium sumpsisse diffinit: vespere nomine Tenebras Chaos ante lucem occupantes, & mane pro initio diei sequentis capit.

Existimarunt profectò nōnulli, lucem in nulla alia Cœli plaga pręterquàm in meridiana effulsisse, diē attamen à mane incepisse; adeò vt sex horis Mūdi emolitio lucis manationē præcesserit, sexque horis Mundus obscurissimis in tenebris iacuerit. Deinde in meridie lucem emicasse, & post sex alias diei horas noctem horarum duodecim dilapsam esse vsque ad ortum Solis secundæ diei, quo dies primus absolutus fuit.

D. BONAVENTVRA secundo, distinctione tertiadecima, his hanc recitat sententiam, Bedæq; ascribit. *Quidam enim dicunt, quòd lux illa facta est in meridie, & rationem huius assignant duplicem. Vna, quia lux illa primò faciebat vespere, & postea mane: sicut dicit Scriptura; ergo videtur, quod prius tenderet ad occasum, quàm rediret ad ortum. Alia est ratio, quia Dei perfecta sunt opera, & ideo diem & lucem fecit in sua plenitudine; & ita in meridie: & hoc modo videtur sentire Beda, & alij expositores, qui dicunt primum diem à prima luce cœpisse. Et si tu obijcias, quòd à principio diei vsque ad mane non sunt viginti quatuor horæ: Respondent, & dicunt, quod sex horæ huius diei præcesserant successione tēporis pertranseunte propter ipsius materiæ mutabilitatem, & postmodum sexta hora (quæ est in numero perfecta) facta est lux, quæ est corpus perfectum in sui natura, in plena & perfecta irradiatione, vtpotè in meridie: & cùm esset tunc tempus æquinoctiale, vsque ad occasum fuere sex horæ; & postmodum vsque ad ortum sequentis diei, fuerunt duodecim; & sex præcesserant ante formationem lucis post creationem Cęli, & Terræ: & ita factus est dies naturalis perfectus, & integer.*

Aegidius secunda parte Hexæmeron, in capite secundo hanc eandem memorat opinionem. Colligi possunt ex D. Bonauentura rationes duę, quibus lucem in meridie coruscasse comprobatur: altera scilicet, quòd vesperas fecerit, & post mane: altera verò, quoniam si cuncta opera Dei absoluta, omnibusque suis numeris completa emersērūt: certè & lux in meridie emicuit, hoc est in arce & solio suo, in quo splendidior, ac fulgentior apparet, atque ad inferendos effectus potentior.

Anno Mundi primo. Die Prima.

Factum est vespere & mane.

a. *Vespere nox; Mane dies.*
b. *Vespere diei finis; Mane noctis exitus.*

a. *Vespere nox; Mane dies.*

Sententia vero, quæ lucem in ortu exilijsse, diem verò à sero exordium sumpsisse autumat; vespere pro nocte, & mane pro die assumit.

Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, diem priscum à sero exordium sumpsisse primumque illum diem nullum tempus præcessisse, sed eo ipso momento, quo Mundus, seu Chaos prosilijt, & priscum diem cœpisse arbitratur. Opinatur deinde tempus illud ante manationem lucis dilapsum, duodecim extasse horarũ, quæ vices noctis egerint, noctẽq; hãc, luce in Orizõte ab ortu effusa, diem quoq; duodecim horarum esse insecutum. Vesperamq; censet vocari tempus, quo Cœlum & Terra tenebris offusa constiterunt, hoc est duodecim horarum noctem, mane verò diem vsitatum, quem lux illa post creata confecit: ex utroque autem temporis spatio diem primum naturalem constitisse. Quæ sententia, quantum ad id, quòd lucem in ortu effusam docet, à sequenti non dissentit.

TOSTATVS itaque Commentarijs in Genesim tres deferens expositiones hanc primo in loco adducit.

Et accipitur hic dies pro naturali, qui fuit ex die artificiali, qui vocatur mane: & ex nocte, quę vocatur vespere. Et possunt accipi ista duo dupliciter, vno modo quòd fuerit antea vespere, idest tempus sine luce: quod tamen non erat nox, nec dies; quia Mundum lux erat creata: & sic vespere est genus ad noctem: & isto modo dicemus, quod materia corporum omnium corporeorum, & Cælum Empyreum, & Angeli cum tempore fuerunt creata per duodecim horas ante; quæ faciunt vnam de noctibus, quæ sunt tempore æquinoctiali: & post creata fuit lux; & circuit in duodecim horis medietatem Cæli, scilicet vsque ad oppositum occasus punctum: & fuit vna dies artificialis; & tunc ex duobus ijs completa fuit dies naturalis: & ista positio conuenit ordini literę ponentis prius vespere, quàm mane. Et conuenit priori literæ, quæ ponit materiam, & Cælum Empyreum sine die creata; lucem autem cum primo die creauit.

b. *Vespere diei finis; Mane noctis exitus.*

Sententia tandem & opinio ea, quæ lucem in ortu, & diem à mane inchoatam tradit, vespere diei, & mane noctis exitum indicare diffinit.

Superest communis peruulgataque præstantissimorum Patrum sententia, quæ lucem in ortu explenduisse prodit, diem primum à mane ad mane deducit, vesperarum nomine diei, & mane voce noctis finem, atque absolutionem interpretatur. Patres prisci, qua parte Cœli lux manarit, non expresse edocent, sed primum diem à mane ad mane computantes, & vesperarum, maneque nominibus, diei & noctis fines exponentes, implicite & lucem in ortu primùm irradiasse Orbem, sensisse visi sunt, sicuti ex sequentibus eorum sententijs excerpi potest. Posteri clariùs id tradidere.

BASILIVS Hexæmeron Homilia secunda.

Sanè vespera, & diei, & noctis terminus est vtrique communis: at mane peræque est noctis ad diem vicinitas. Vt igitur in ordine creationis primigeniam prærogatiuam deferret diei, ipsius diei finem priore loco commemorat, dein subnectit quod vltimum est noctis, quando nox diem subsequitur. Prior enim ille Mundi status, nimirum ante primigeniam lucem exortam, non nox dicebatur, sed tenebræ: Nox enim ea temporis portio dicta est, quæ distinctè se habet, & oppositè ad diem, quæ quidem diei succedanea nouam hanc appellationem indepta est. Facta est igitur vespera, & factum est mane.

Deinde diem nocti dignitate pręcellere: & quare Moses dixerit; Factum est vespere & mane, dies vnus; & non Factus est dies & nox: seu Facta est nox vna, adnotat, dicens,

His

His planè verbis diem noctemque comprehensim significat. Non iam vtrunque complexus est nuncupatione diei, ac noctis: sed præstabiliori totam tribuit appellationem. Hanc vtique consuetudinem inuenire possis in tota Scriptura obseruatam, nimirum in metiendo tempore dies solere enumerari; non item cum diebus noctes.
Psal. 89. *Dies annorum nostrorum, dicit Psalmorum Cantor. Et Iacob. Dies vitæ meæ parui, & mali. Rursus omnes dies vitæ meæ. Hæc itaque nunc in speciem, formamvè historiæ tradita, præuię quædam sunt veluti legum sanctiones, ad ea quæ deinceps sequuntur. Et facta est vespera, & factum est mane dies vnus.*

Quibus innuere uidetur Basilius, uespere & mane diē tantùm significare, cùm mane eius sit principium, & uespere finis: Noctē uero intelligi consequenter; quoniā totū tēpus consueuit denominari à prętantiori parte, videlicet à die. Idipsum adnotauit Diuus Thomas prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio, ad sextum.

AMBROSIVS disertiùs hanc rem explicauit Hexęmeron libro primo, capite decimo.

Quærunt aliqui, cùm prius vesperum, postea mane Scriptura memorauerit, ne forte noctem prius, quàm diem significare videatur. Nec aduertunt primò, quòd præmiserit diem, dicendo; Et vocauit Deus diem lucem, & tenebras vocauit noctem. Deinde, quòd vesper finis diei sit, & mane finis noctis. Ergo vt prærogatiuam & primatus natiuitatis diei daret, prius finem diei significauit, post quam secutura nox est. Deinde postea finem noctis adiunxit. Eousque autem noctem diei Scriptura anteferre non potuit, vt & diei, & noctis tempora, diei appellatione concluserit, & tanquam principalis auctoritatem nominis vindicauerit; & hanc Scripturę esse consuetudinem, vt potiori appellationem deputet, frequentibus exemplis probamus. Siquidem & Iacob dixit;
Gen. 47. *Dies vitæ meæ pusilli, & mali. Et iterum, Omnes dies vitæ meæ. Et Dauid posuit; Dies annorum meorum,*
Psal. 89. *non & noctes. Vnde aduertimus ea, quæ nunc in specie historiæ traduntur, vim statuisse legis in posterum. Principium ergo diei, vox Dei est; Fiat lux, & facta est lux. Finis diei, vesper est. Iam sequens dies ex noctis fine succedit. Sententia autem Dei euidens, quia diem primo vocauit lucem, & secundo vocauit tenebras noctem.*

CHRYSOSTOMVS hęc eadem est vno verbo complexus, Homilia tertia in Genesim.

Finem diei, & finem noctis, vnum signanter nominauit, vt ordinem aliquem, & consequentiam statueret visibilium, nullaque fieret confusio.

Et clariùs Homilia quarta.

Et vesperum finem lucis rectè quis dixerit, mane autem finem noctis, completionem autem diem. Hoc enim vult diuina Scriptura manifestare, dicens; Et factum est vesperum.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite septimo.

Non vocata autem prima nox, sed dies. Quare prima est dies, nox extrema: sequitur igitur nox diem, & à principio diei in alteram vsque diem, vnum (vt sic dicam) noctidium: inquit enim Scriptura; Et factum est vespere, & mane dies vna.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam imperfecto, capite septimo.

Et facta est vespera, & factum est mane dies vnus. Non eodem modo nunc appellatur dies, quo cùm diceretur; Et vocauit Deus lucem diem; sed eo modo, quo dicimus; Verbi gratia, triginta dies habere mensem. Hic enim diei nomine, noctes quoque includimus: superius autem ita dictus est dies, vt à nocte seiungeretur. Itaque cùm illa opera diei per lucem gesta insinuaretur, consequenter factam dicitur esse vesperam, & factum esse mane diem vnum: vt scilicet sit vnus dies à cœpto die vsque ad cœptum diem, idest à mane vsque ad mane, quales dies annumeratis, vt dixi, noctibus appellamus.

Et de Genesi ad literam libro primo, capite decimo.

Facta est vespere, & factum est mane dies vnus. Vnde videtur illud opus Dei factum per spacium diei, quo peracto ad vesperum ventum est, quod est initium noctis. Itemque peracto nocturno spacio, completus est totus dies, vt mane fieret in alterum diem; in quo die Deus aliud consequenter operaretur.

Et clariùs de Genesi contra Manichæos libro primo, capite decimo.

Et factum est vespere, & factum est mane dies vnus. Et hic calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quasi à vespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam, qua lux facta est, & diuisim est inter lucem, & tenebras; & vocata est lux dies, & tenebræ nox. Hanc ergo totam operationem non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem, tanquam finito die, facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies vnus, nisi etiam nocte transacta, quum factum est mane: sic deinceps reliqui dies computantur à mane vsque in mane. Nunc enim quum factum est mane, & transactus est vnus dies, incipit operatio, quæ sequitur ab ipso mane, quod iam factum est: & post ipsam operationem fit vespera, deinde mane, & transit alter dies: atque ita deinceps cæteri dies transeant.

ANASTASIVS Synaita, Comm. in Hexæmeron, libro quarto.

Cùm fecißet Deus hęc duo luminaria, magnum nempè Solem statim fixit ad Ortum firmamenti; Lunam autem ad Occasum,

GREGORIVS Nyssenus vt supra delatum est.

Cùm enim vis illuminatrix naturaliter quiescere non possit, quum splendor superam circuli partem percurrisset, & cursus esset circa partem subiectam; necessariò accidit, vt simulatque ignis subtercurrere cœpisset, supera pars obumbraretur, crassiori nimirum natura splendori officiente. Recessum igitur, & occasum lucis, vesperum nominauit: ac rursus cùm ignis subiectum circulum percurrisset, superisq; partibus splendorem reduxisset, id quod fiebat, mane, diluculum ita nominans, appellauit.

ATHANASIVS Quæstione nonagesima.

A primitiua quidem Mundi creatione, ab eo tempore videlicet, quo factus est Adam vsque ad aduentum Christi, prior fuit dies, sicut etiam diuina Scriptura loquitur, quòd dixerit Deus; Fiat lux, & facta est lux, & quòd lucem Deus vocauerit diem, tenebras verò vocauerit noctem. Primùm posita fuit lux, per hanc enim extitit primus dies. Et à luce primùm inchoantes, in tenebras postea deuenimus.

IVLIANVS Pomerius Archiepiscopus Toletanus contra Iudæos, lib. tertio.

In sex diebus fecit Deus Cœlum, & Terram, & omnem à se formatam distinctis diebus condidit creaturam, vnumquenque diem luce initians, vespere consumans, dicente Scriptura; Factum est vespere, & mane dies vnus.

IVNILIVS in Hexæmeron, vt supra referebamus.

Factum est vespere, & mane dies vnus. Factum est vespere, occidente paulatim luce, post expletum spatium diurnæ longitudinis inferioris Mundi partes subeunte, & quod nunc vsitato Solis circuitu, noctibus agi solet. Factum est & mane, redeunte eadem paulatim supra terras, atque alium diem initiante, & huc vsque dies expletus est vnus, viginti scilicet quatuor horarum. Et post. Decebat nanque omnibus modis, vt dies incipiens à luce, in mane diei sequentis esset protelatus, quatenus intimaretur, opera eius, quę est lux vera, & in quo tenebræ non sunt vllæ, à luce inchoare, & in lucem cuncta esse completa.

Catena Lippomani hæc Augustino ascripsit.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim lib. primo, cap. secundo.

Quærunt aliqui, cùm primùm vesperum, postea mane, Scriptura commemorauerit; ne fortè noctem prius quàm diem significare videatur. Nec aduertunt primùm, quòd præmiserit diem, dicendo; Et vocauit Deus diem, lucem, & tenebras, noctem. Inde est, quòd vespera finis diei sit, & mane finis noctis. Ergo vt beneficium ante oblatum prærogatiuæ & primatus natiuitatis diei daret, prius finem diei significauit, post quem sequutura nox esset. Deinde postea finem noctis adiunxit, dicendo; Factumq; est vespere & mane dies vnus.

GLOSSA Ordinaria præfata his perstrinxit.

Occidente luce paulatim, & post spacium diurnæ longitudinis inferiores partes subeunte, factum est vespere, sicut nunc vsitato circumitù Solis solet fieri. Factum est autem mane eadem super terram redeunte, & alium diem inchoante, & dies expletus est vnus viginti quatuor horarum. Notandum verò, quòd nox in illo triduo omninò tenebrosa fuit, quæ post creata sydera aliqua luce claruit: decebat etiam, vt dies à luce inciperent, & in mane sequentis diei tenderent, vt opera Dei à luce inchoata, & in lucem completa esse significarentur. Factumq; est vespere, &c.

Idipsum egit Magister secundo, distinctione tertiadecima.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim cap. primo.

Distinctio, qua Deus secreuit lucem & tenebras, communes vtrisque dedit, & præstituit terminos. Finis enim diei (vt apparet) est vespera: noctis verò, mane. Et vicissim, seu ordine conuerso: initium quidem noctis, vespera est: & mane, initium diei. Semper etenim principia, fines, extremitatesq; concipiuntur simul cum rebus animo. Quapropter non dixit; Fecit, sed, Factum est &c. quasi vna post distinctionem lucis & tenebrarum subsliterint.

Edisserit non ineruditè Procopius hoc loco diem seniorem esse ipsa nocte.

Plurima disputatio est, vtrum præcesserit dies vel nox. Sed qui argumentantur, diem, vt vulgo creditur, seniorem esse nocte, sic procedunt. Deus ipse primatum donauit diei: Nam primò posuit finem diei, nempe vesperam, quasi dies antecesserit noctem: & vbi desiuerit in vesperam, tùm demum ex eius fine prognatam esse noctem. Nox enim, vt quies diurni operis, nobis affertur ex præcedente die. Cæterum vultus, vel forma, quæ ante lucis exordium Mundo erat, non dicitur propriè nox, sed potius caligo, seu tenebræ. Verùm nox suum nomen, quod tenet, sortita est, quòd distinctionem faciat inter diem seq; . Nec appellanda est vel caligo vel tenebræ, sed Die noctium (vt ita dicam) quod ex vtrisque constituitur: idest, vtrunque tam diei, quàm noctis spatium, nemo diem, & noctem appellabit, sed contentus erit id spatium dixisse diem, nominatione petita à potentiore, & principaliore. Nam Psaltes inquit; Dies vitæ nostræ, &c. Et Iacob Patriarcha ait; Dies vitæ meæ pauci, & laboriosi, &c. Et iterum, Omnes dies vitæ meę. Psal. 89. Gen. 47.

Ex duobus igitur argumentatur Procopius, diem præstantiorẽ esse nocte, tùm quòd Deus ipsi primatum tulerit, quoniam primùm diei finem per vesperam dedit, quàm nocti per mane; tùm quòd potentior, & excellẽtior sit, & ipse solus adeo denominetur, vt ipsius nomenclatura nox intelligatur. Prosequitur amplius huic sententiæ duo obij- Dies nocte est præstantior.

ciens. Alterum quòd in festis, & ieiunijs lex præponat noctes diebus; alterũ quòd ipsum in Seruatoris nostri sacerrima morte, illustriq; resurrectione obseruatũ cernatur. Quibus & respondet, id ex mysterio contigisse. Primùm, vt quæ antea in Mundi initio euenerant, & quæ post in eius exitu euentura erant, denotaret: Mundum scilicet ex tenebroso eo Chaos ad lucem exoptatam processisse; Nos quoq; ex hac labente vita, quæ nox atra est, & caligo, ad diem perennem futuræ vitæ transituros. Deinde (& hæc longe post adijcit in sua narratione) Mosem festos dies à nocte celebrari iussisse, vt noctu Iudæi ad audiendam in die diuinam legem seipsos præpararent. Concludit igitur.

Cæterum decet diuinam maiestatem in creatione Mundi initium capere ab his, quæ splendorem fundunt, & quorum substantia est: nec exordiri ab his, quæ non sunt, quibusq; lux denegata est. Horum etiam creatio non traditur. Sed quã via eorum creatio inuestiganda erit? Nam tum demum caligo, & nox intelligitur, cùm submota fuerit, vel abfuerit lux.

Posteri Patres clariùs id nobis tradiderunt.

HVGO Victorinus de Sacramentis fidei libro primo, par. prima, cap. nono.

Lucem primam (quia dies prima exorta est) crediderim ego, quando facta est, ibidem primùm apparuisse, vbi Sol quotidiano cursu circumuectus oriens emergit, vt eodem tramite circumcurrens, ac primò ad occasum descendens, vesperam faceret: & deinde reuocata ad ortum, Auroram, hoc est mane, ante ortum sequentis diei illustraret. Et propterea, quia primus dies Auroram præcedentem non habuit, quoniam antequam lux crearetur, plenæ tenebræ fuerunt: mox autem luce apparente super Terram, plenus dies: propterea quòd à perfecto opus Dei inchoari debuisset; ideò dixisse Scripturam; Factum est vespere, & mane dies vnus. Nõ enim dixit, Factum est mane & vespere; sed factum est (inquit) vespere & mane, dies vnus: quia, sicut diximus, primus dies mane præcedens non habuit; quoniam à luce plena, atque perfecta, initium sumpsit. Propterea omnis Aurora præcedentis diei est; & omnis dies ab ortu Solis initium sumit. Estq; dies naturalis illud spacium temporis, quod ab ortu Solis vsque ad Ortum pertransiens, noctem in se, diemq; concludit: in qua (quoniam naturaliter dies noctem præcedit) & finem noctis, Auroram: constat indubitanter, quòd Aurora semper ad præcedentem diem referenda sit.

RICHARDVS quoque Exceptionum libro secundo, capite septimo.

Lux illa primaria, & in loco creditur facta, quo Sol modo quotidie oritur, & per eandem viam, per quam Sol creditur girasse; ac sic vespere & mane peregisse: & hoc fuisse opus primæ diei.

MAGISTER Sententiarum libro secundo, distinctione tertiadecima.

Ibi ergo primùm lucem apparuisse verisimile est, vbi Sol quotidiano cursu circumuectus apparet, vt eodem tramite lux circumcurrens, ac primò ad occasum descendens, vesperam faceret: deinde reuocata ad ortum, Auroram, idest, mane illustraret: & ita diuisit Deus lucem & tenebras, & appellauit lucem diem, & tenebras noctem. Et Post. *Hic notandum est, quòd dies diuersis modis accipitur in Scriptura. Dicitur enim dies lux illa, quæ illo triduo tenebras illuminabat, & dicitur dies illuminatio ipsa aëris. Dicitur etiam dies spatium vigintiquatuor horarum: qualiter accipitur, cùm ait; Factum est vespere & mane dies vnus. Quod ita distinguendum est. Factum est vespere prius, & postea mane: & ita fuit dies vnus expletus vigintiquatuor horarum. Dies scilicet naturalis, qui habuit vesperam, sed non mane. Mane enim dicitur finis præcedentis, & initium sequentis diei, quod est Aurora, quæ nec plenam lucem, nec omninò tenebras habet. Mane ergo primus dies non habuit, quia nec dies præcesserat, qui sequentis diei initio terminaretur; & eò præcipuè, quia luce apparente, mox super terram plenus, atque præclarus dies extitit: qui non ab Aurora, sed à plena luce inchoauit; & mane sequentis diei consummatus est. Vnde Beda super Genesim; Decebat, vt dies à luce inciperet, & in mane sequentis diei tenderet: vt opera Dei à luce inchoasse, & in lucem completa esse significarentur. Reliqui autem dies mane habuerunt & vesperam; quorum quisque à suo mane incipiens, vsq; ad alterius diei mane extendebatur.* Et post. *Primus itaque dies non ab Aurora, sed à plena luce incipiens. Et post vesperam paulatim occidente luce excipiens, mane sequentis diei expletus est.*

MAGISTER Historiæ Scholasticæ in Genesim, capite tertio.

Et factum est vespere; & post factum est mane. Et sic completus est dies vnus naturalis. Primò enim cum Cælo & Terra lux est creata: qua paulatim occidente factum est primum vespere primæ diei vsualis, & eadem migrante sub terras, & ad ortum veniente, factum est mane, idest terminata est nox: & inchoauit dies secunda. Itaque præcedente luce dies terminata; & sequente nocte terminatus extitit dies vnus. Lux ipsa diuisas partes ostendebat, sed non diuidebat.

LYRANVS in Postillis, in prima expositione.

Factumq; est vespere & mane dies vnus. Loquitur de naturali, quæ est vigintiquatuor horarum, & complectitur diem & noctem. Et ideò dicit; Factumq; est vespere, & mane dies vnus. In vespere enim completur dies artificialis, qui est prima pars diei naturalis, & in mane diei sequentis completur nox, quæ est secunda pars diei naturalis: & ideò præponit vespere ipsi mane, vt ostendat completionem diei naturalis, exprimendo terminos diei artificialis, & noctis, quæ sunt partes integrantes diem naturalem. TO-

TOSTATVS secundo loco.

Secundo modo potest dici, quòd principium istius diei est à creatione lucis: & sic fuit primò mane, idest dies artificialis; dum lucida nubecula transiuit totum hemisphærium, in quo creata fuit, transiens à puncto Orizontis in quo creata fuit, vsque ad punctum oppositum occasus. Et accipitur istud hemisphærium, vel orizon in respectum ad superficiem Lunam circularem transeuntem super centrum illius magni, & primi corporis: & in puncto signato in parte anteriori huius superficiei secundum circulum intersecantem signatur punctus Orientis, siue punctus creationis lucis: & ille est verum Oriens, licet à nobis ignoratur; punctus signatus in parte posteriori, est punctus Occasus; & iste transitus fecit diem artificialem: deinde subintrante luce punctum Occasus fuit vespere, siue nox, vsque dum rediret ad locum in quo creata fuit, & à quo incepit moueri: & isto modo mane præcessit vespere: licet primò ponatur propter caußam assignatam in alia expositione.

ALBERTVS Magnus prima parte de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo undecimo.

Mane accipitur, vt punctus continuans in ratione finis & principij; & ideò cùm primam diem nihil præcesserit, neque nox, neque dies, initium eius non potest secundum rationem nominis dici mane: sed finis eius habet bene rationem vespere, quia est initium noctis, & finis diei.

D. THOMAS prima parte, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio, ad sextum, recensitis sententijs Basilij, & Augustini adijcit.

Præmittitur vespere, quia cùm à luce dies incæperit, prius occurrit terminus lucis, quod est vespere, quàm terminus tenebrarum & noctis, quod est mane. Vel secundum Chrysostomum, vt designetur, quòd dies naturalis non terminatur in vespere, sed in mane.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Factumq; est vespere & mane dies vnus. Iuxta Hebræum habetur; Et fuit vespera, & fuit mane dies vnus. Si lux fuisset fixa, consequenter fuisset fixus, ac perennis dies in vno hemisphærio, & iugis nox in altero hemisphærio; nec vnquam fuisset vespera terminans diem artificialem. Vnde ex hoc effectu, quòd fuit vespera terminans diem artificialem, & fuit mane terminans noctem, manifestè significatur, quòd lux facta est in motu. Ex continuo enim lucis motu circa terram, fit vespere, & fit mane. Et si lux fuisset creata in puncto medij Cæli, fuisset quidem vespera, & fuisset mane; sed non fuisset dies vnus, sed dimidius, seu mutilus; quoniam non fuisset dies naturalis integer, quum fuit mane. Vnde ex hoc, quòd ex vespera, & mane constitui dicitur dies vnus (proculdubio naturalis) manifestatur, quòd lux creata est in puncto Orientis. Sic enim verificatur, quòd fuit vespera, & fuit mane dies vnus, non dimidius, non aliqua ex parte mutilus. Et quoniam prius describitur vespera, terminus diei artificialis; & deinde mane, terminus noctis, manifestatur, quòd primum diem artificialem nulla præcessit nox. Quod etiam conuincitur ex hoc, quòd antequam esset lux, nulla potest esse, aut intelligi vmbra terræ, quæ est nox.

D. BONAVENTVRA Sententiarum libro secundo, distinctione tertiadecima, articulo primo, quæstione secunda.

Intelligitur enim lux illa facta fuiße, vbi nunc est Sol: nam ex illa formatus creditur eße Sol; producta autem fuit super eam partem, supra quam nostrum est hemisphærium, & illud hemisphærium illuminando fecit diem; & progrediens peruenit ad Occasum, & fecit vespere; & post deinde regrediens ad Ortum, fecit mane.

AEgidius secunda parte Hexæmeron, capite tertio, assertionem hanc præ cæteris approbat, rationesq; has insinuat. Ideo rectius existimandum esse, & lucem in ortu, & diē in mane cœpisse, quòd & quarto die eo ipso loco Sol effulserit, & in Mūdi excidio, cùm Orbis reparabitur, perpetim consistet.

DIONYSIVS Carthusianus Commentarijs in Genesim, articulo nono.

Factum est vespere, idest spacium diei, seu illuminationis illius, peruenit vsque ad vesperam, seu noctis initium, Sole recedente ab hemisphærio nostro; & postea factum est mane, nocte ipsa completa, Soleque redeunte ad hemisphærium nostrum. Et mane illud fuit exordium diei sequentis, quia tunc dies incępit à luce. Sicque Moses exprimendo in primis finem diei artificialis, videlicet vesperam, deinde finem noctis eiusdem diei, insinuat consummationem naturalis diei vnius, seu primi.

HVGO Carensis in Postillis.

Factumque est vespere: luce enim facta in Oriente procedente ad Occidentem, ad modum Solis, factum est vespere, & eadem migrante sub terra, & veniente ad ortum factum est mane. Et sic factus est dies vnus naturalis ex viginti quatuor horis. Hoc notandum, quòd mane est terminus finalis præcedentis diei, initium verò & pars sequentis. Vnde prima non dicitur habuisse mane, quia mane duplicem habet respectum: Est terminus finalis præcedentis diei, & initialis sequentis.

Vielmius, Pererius, & reliqui in hanc proficiscuntur sententiam.

AVCTOR.

Narrationis Mosaicæ ordo, quo sanctissimus noster Vates vespere ante mane memorat, diei naturalis descriptio his uocibus vespere & mane prodita, præclarissimorum Patrum, Doctorumq; repugnantes sententiæ, à nobis certè, vt pro decisione, ac rerum disceptatarũ perspicua diffinitione plures admodum percunctationes suscipiamus, expostulant. Primùm, quamnam sphære positionem sibi præscripserit Moses, an rectam, seu naturalem, an obliquam vllam, siue singularem. Deinde, in quanam Cœli parte lux primò effulserit. Tandem, num à mane, an à sero, siue à meridie, vel à media nocte pri-sca primogenitaq; dies exordiũ duxerit. Quare ẽt prius uespere, quàm mane recensuerit Moses: an fortè voluerit appellationibus istis diem, & noctẽ, seu diei, & noctis initia, siue diei, ac noctis fines, uel crepuscula ipsa significare. Atque hæc omnia breuissimè, aç simul, cùm seinuicem consequantur, absoluam.

Num Moses sphæram rectam, an obliquam prosequatur. Sphæra recta & obliqua quæ sit.

Cosmographiæ eruditione pollentes non ignorãt aliam esse sphæram rectam, aliam obliquam; sphæramque rectam tunc nuncupari, cùm Cœli respectu nullus polorum erigitur, & Arietis punctus primus, seu gradus, cum Orizonte congruit, æquinoctialisq; circulus sphæram in æquas dissecat partes, ab utroq; Polo æquali spatio distans, cumq; terræ respectu hemisphærium hoc nostrum, à meridiano vltra Canarias deducto ad centesimum octuagesimum meridianum Iappan, & Moluchas recenter compertas insulas concludentem, cunctumque uetustum Mundum complectentem; desuper collocat. Obliquam autem sphæram, quando polorum alter attollitur, alter deprimitur, supponiturque. Porrò tot sphæræ, seu rectæ, seu obliquæ præsumi possunt, quot à meridiano Zenit apprehenduntur: sex autem objjciuntur Zenit, seu puncta uerticalia, siue loca, quæ sanctum Mosem respexisse possumus non immeritò suspicari. Hierusalem nempe, quam Terræ umbilicum, seu centrum plurimi existimarunt: Desertum, in quo Moses Pentateuchon, Historiamque hanc exarauit. Paradisi terrestris situs: Damascenus campus, in quo protoplasmatum fuisse hominem nonnulli arbitrati sunt: Roma totius orbis domina, ac moderatrix: Sphærę rectæ meridianus, qui est nonagesimus latitudinis. Existimarem ego (mihi enim ad Patres de hac re consulendos interclusum aditum conspicio) quòd non exacta, neque exquisita sit expetenda unius loci, seu Zenit ratio, uerùm sufficiat Regionis, seu Climatis, amplitudinis tamen non immensæ, situm excerpere. Quapropter Mosem consimul, & sphærę rectę dispositionem respexisse, & Regiones eas, in quibus sita est Hierusalem, extat desertum, suspicaturque fuisse Paradisum terrestrem, formatos Protoparentes nostros, humanamque prosapiam propagatã, spectasse iudicarem. Nempe quantum ad longitudinem spectat, si Mundi ueteris à Ptolomeo descripti, atque à Veteribus cogniti, typum Geographicum excussum nunc librabimus, cùm ille inter primum Meridianum, & centesimum quinquagesimũ terram habitabilem concludat; medium terrarum certè ea Plaga censebitur, quæ inter sexagesimum Meridianum, & octuagesimum decurrit, in quo Climate cuncta præfata constringi eruditis Geographicæ disciplinæ perspicuum est. (Si tamen Paradisus terrestris in Mesopotamia constitutus erat, ut Patrum numerosa Classis existimauit.) Rursum quantum ad latitudinem, cùm eiusdem Ptolomei typus Geographicus terræ habitabilis terminos ab æquatore ferè ad sexagesimum septimum supra ęquatorem parallellum, in quo circulus arcticus delabitur, deducat; in medio certè, videlicet inter parallellum trigesimum, & quadragesimum, præfatę Regiones collocantur. Quare concluderem, Mosem quoque si non arctata quadam geometrica commensuratione, sed latioribus confinijs, vt decet historicum, historicam narrationem suam confecit, consimul & sphæram rectam naturalemque Mundi à priscis Geographis agniti, & Cœli, quoad Zodiaci saltem collocationem, & terrarum eum tractum, in quo & Hierusalem, & Desertum, & Mesopotamia sita esset, respexisse. Ad quod existimandum multa me compellunt. Primùm quòd rerum naturas simpliciter explicandas sumpserit. Quare & Orbis dispositionem simpliciter accepisse opinandum est. Deinde quoniam si profundiùs Mosis historiam, præcipuè vsque ad Diluuium perpendamus, comperiemus ipsum, dum Orientem vocat, non ad huius, vel alterius loci respectum habuisse, sed ad hemi-

Sex Mundi plagas Moses attendere potuit.

Moses rectã sphæram respexit.

hemisphærium nostrum, naturalemq; Mundi dispositionem. Vnde illud nobis graue est testimonium, quod de Cain dicitur; Egressus Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden; de quo suo loco. Tandem, quòd regionum illarum dignitas id popofcerit, & maxime præclara quamplurima à Deo in eis peracta, hoc etiam priuilegium non fuisse ipsis sublatum insinuent. Gen. 4.

Constituto igitur hoc axiomate, quòd Moses in hac sua de Mundi structura historia, naturalem sphærę dispositionem prosequatur, Hemisphæriumq; nostrum in Antica (vt aiunt) collocet, regionesq; eas quæ à Mediteraneo ad Tygrim vastissimum flumen, & à rubro mari, ac Arabia petrea, ad montem Caucasum, seu ad fontes Euphratis distenduntur, capiat: Percunctandum est, in quanam Cœli parte constituta ea sphæræ dispositione lux primò fulserit, num in Hemisphærio nostro, an verò in altero nobis aduerso. Quòd si in Hemisphærio nostro; num in ortu, vel potius in meridie explenduerit.

Qua Cœli parte lux primò effulserit.

Principiò itaque Hemisphærio nostro aliud esse suppositum, quo Antipodes degũt, certissimum esse puto. Quanquam enim D. Augustinus de Ciuitate Dei libro sextodecimo, capite nono, & Lactantius libro tertio Diuinarum institutionum, capite vigesimo quarto, & Procopius Commentarijs in Genesim illud inficiantur: Attamen celeberrima illa per Oceanum vltra Herculeos limites, ab antiquis vel nunquam vel incassum tẽtata, sed à Christophoro Columbo mirifico ausu, & summa cùm sui, tùm Italorum gloria, & cepta & absoluta nauigatio, nullum nobis amplius de hac re dubitandi locum reliquit. Insuper compertum est nuperis Geographis in Orbis terrarum typo eruditis, meridiano septuagesimi gradus, sub quo ferè Iudeæ conuicina loca constituuntur, subsitum esse meridianum ducentesimum quinquagesimum, sub quo Americæ partes amplissimæ, hactenus inuisæ & latitantes protenduntur. Lucem igitur priscã primæua die, Solemque quarta hemisphærio potius nostro quàm inferno effulsisse arbitrarer. Primùm enim si Moses Orbis naturalis sibi præscripsit dispositionem, vt præscripsisse diffiniuimus; Sol certè fulgenti sua luce prius hemisphærium nostrum venustauit, quoniam hemisphærium nostrum in Antica, hemisphærium autem Antipodum in Postica collocatur. Deinde si Orbis Animal est, dexteraq; eius pars Oriens, læua Occidens, superior Antarcticus polus, inferior Arcticus, vt Aristoteles luculenter edocuit; cùm omne animal motionem suam à dextera ad læuã, primùm anterius, quàm post auspicetur; fieri certè non potest vt Sol primi orbis conuersione Antipodum hemisphærium antequam nostrum suo candore illustrarit. Amplius hemisphærii nostri dignitas id expostulabat. Primùm ex amplitudine terræ, nam in eo insignes illæ prouinciæ, Europa, Asia, Africa, quæ in Mundo veteri concludebantur, equidem si non maiori, saltem æqua amplitudine ac vastitate, qua nunc America seù nouus Orbis, veteribus vsque ad annum à Christo nato millesimum quadringẽtesimum, nonagesimum secundum inaccessus atq; incognitus, distenduntur. Insuper in hoc hemisphærio cõpactus est primus homo, propagatum genus humanum, erecta Monarchiarum amplissima imperia, & insigniores vrbes, scientiæ, artesq; omnes excitatæ; Hebraica prosapia elata, lex Mosis promulgata, & quod potissimum est, Mundi redemptio per Christum Deum, & hominem persoluta. Tot igitur à Deo huic hemisphærio collatæ gratiæ non leuem suspicationem excitant, Deum etiam lucem ei primò fuisse impertitum. Ex quibus lucem nostro in Mũdo primò explenduisse, contra Catherinum satis demonstratum esse arbitror. Sentio etiam eam potius in ortu, quàm in meridie apparuisse. Siquidem si Mosem rectam respexisse sphæram, & non obliquam bene diffiniuimus, cùm sphæra recta ea censeatur, in qua (Cœli respectu) primus Arietis punctus cum recto Orizonte coincidit, Mundũq; non autumnali sed verno æquinoctio manasse existimandum est, vt in sua disceptatione iuxta priscorum ferè omnium Patrum sententiam demonstraturi sumus: certè lux, & Sol non nisi in primo gradu Arietis, qui cum Orizonte nostri hemisphærij concurrit, effulserunt: eodem etenim puncto & lucem priscam in prima die, & in quarta Solem emicuisse, sanciendum est, ex eo quòd triduum primum cum diebus tribus subsequẽtibus eandem detulisse seriem statuendum sit. Accedit, quòd hæc peruulgata, vniuersalisq; fuerit priscorum Patrum sententia, præcipue Basilij, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Damasceni, Athanasij, Procopij, Hugonis, Magistri, & cæterorum, quorum obtesta-

Antipodes cõtra nonnullorum sententiam reperiũtur.

Lux & Sol prius hemisphærio nostro effulserunt.

Lib. 2. de Cœlo.

Lux primò in ortu emicuit.

testationes iam protulimus. Nec leuis etiam existimāda est coniectatio illa, quam Aegidius excitauit, idem scilicet esse de situ lucis, & Solis in sua manatione, quod & in restauratione censendum: cùm enim Mundus absolutum sit Dei opus, absolutasq; conuersiones Solē delaturū esse præsumatur, certè innumeris rotationibus effectis in eodē puncto Sol ipse consistet, in quo & conditus est: Cæterū Solem tunc in ortu septies coruscantiorem quàm nunc sit, lunam verò in occasu summè splendidam, à suis lationibus feriaturos, & sacrarum Scripturarum, & Sanctissimorum Patrū oracula innuūt; iuxta illud, Sol & Luna steterunt in habitaculis suis.

Habac. 3.

A qua diei parte supputanda sit prima dies.

Ad alteram modò percunctationem proficiscentes, à qua scilicet parte supputanda sit prisca dies; id primùm animaduertendum arbitramur, quòd duplex sit dies, naturalis scilicet, & artificialis. Naturalis est tempus horarum viginti quatuor, quo primi orbis conuersio conficitur, cuius partes sunt dies, & nox. Artificialis verò ita diuersa diffinitione declaratur. Dies est (inquit Aristoteles) latio Solis super Orizontem. Philosophi perinde, quando Sol est super terram, dies est. Isidorus autem, Dies est præsentia Solis, siue Sol super terras, sicut nox Sol sub terris. Ex quibus apparet diem artificialem totius conuersionis Solis partem eam esse, quam super hemisphærium hoc nostrū, duodecim vel plurium seu pauciorum horarum spatio, ex arcus diurni longitudine diuersis signorum gradibus perpetuò immutati ipse gerit. Cæterum in capiendis diei præfati naturalis initijs Nationes non consenserunt. Institutiones gentium, quæ fuerint, disertiùs tradunt Gellius libro tertio, capite secundo: Censorinus libro de natali die Romanorum: Plinius libro secundo, capite septuagesimoseptimo. Ex nostris Anastasius Synaita Commentarijs in Hexæmeron libro primo: Isidorus Hispalēsis Etymologiarum libro quinto, capite trigesimo: Hamerus Commentatione in Genesim, sed breuiùs Beda de Ratione temporum. Hunc inquit Hebræi, Chaldęi, & Persæ inter duos Solis exortus, Aegiptij inter duos occasus numerant; Romani à medio noctis in medium, Vmbri, & Athenienses à meridie computant ad meridiē; Moses vero à mane ad mane diem vnū appellat. Cùm igitur quidā à mane, nonnulli à meridie, alij à vespere, permulti à media nocte, seù inueterata consuetudine, seù legibus id indicentibus dies inchoent; præstantissimā omnium esse supputationem ab exortu Solis sumptā, qua diem à mane subducimus, simulq; etiam primam Mundi diem à mane exordiū cœpisse existimarem. Primò nanque, quoniam vetustissimę gentium Nationes hoc sunt prosequutæ institutum, vt Chaldæi, Hebræiq;, teste Beda de Ratione temporum, capite secundo. Apud Chaldæos autem, & Hebræos priscam omnium linguam, atq; instituta ab Adam per ipsius Seth prosapiam à Deo selectam viguisse, ac perstitisse quamplures opinantur; ex quibus suspicari possumus eam ipsam esse computationem, quam Adā ex diebus sex conditi Orbis carpsit. Preterea quoniam deductionem hanc Magister naturalem appellat, nec immeritò; cùm naturalem eam motionem & progressionem, quam Mundum veluti animal cepisse Philosophi diffiniere, (sicuti nos supra ex posuimus) in sequatur. Insuper quòd dies noctem anteuertat, vna omnes & mente & voce consentiunt. Quod etiam pluribus argumentis doceri & confirmari potest. Primum, cùm duo hæc Dies & Nox in utero rudi temporis illius ante primariū diem veluti Phares, & Zaram in vtero Thamar gestarētur; fortius proculdubio præstantiusq; prodire debuit: Quis verò diem nocte præstantiorem, tenebrisq; lucem præclariorem audebit vnquam inficiari? Quòd si Thales Milesius sciscitatus, an nox diem præcessisset, noctem præisse diffiniuit: certè ad tenebrosum illud Chaos, quo Mundus obruebatur, priusquam iucundissima perfunderetur luce respexit. Deinde nox & tenebræ cùm nil aliud, quàm diei luciśq; carentia vel priuatio censeantur, & sint, habitus autem ex Philosophicis institutis necessariò priuationem antecedat, quis tam insanus & excors comperietur; vt diei noctem, luci tenebras anteisse præsumat arbitrari? Rursus dies ad laborem, nox autem ad quietem à Deo pręinstituta est: at labor præcedit quietem, cùm quies sit viarium ex diurno labore afflictarū restauratio. Gentiles etiam veræ Mundi originis prorsus ignaros, indita sibi rerum ratione idipsum nouisse duobus tantùm testibus comprobabo. Plato in septimo de Republica ita loquitur. Ordo temporis liberis hominibus ab ortu Solis perpetuus ad alterum Solis ortum est habendus. Et Quintilianus libro

Lib. 5. Etymolog. c. 30.

2. sen. dist. 13.

Dies noctem præcedit.

libro nono Institutionum oratoriarū, huc fortè respexit, cùm de ordine in singulis verbis obseruando ait. Est & alius naturalis ordo, vt viros & fœminas, diem ac noctem, ortum & occasum, dicas potius, quàm retrorsum. Verùm, ut ad sacros Patres deueniā, D. Basilius hanc alterā innuit rōnem. Mos est (ait) Scripturarū, dies, non autē noctes recensere, ut ijs locis, Factū est uespere, & mane dies unus; Requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat; In die illa, qua creauit Deus Cœlum, & Terram: sicut etiam in supputādo Israëlitarum numero uiri prætermissis fœminis pluries memorantur. Quòd si quandoque dies noctesque Pagina sacra percenset, quemadmodum de Iona scriptum conspicimus; Fuit Ionas in uentre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; & de Mose, Ieiunauit Moses quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, Dies semper noctibus præferre cōsueuit. Planum igitur fit, atq; conspicuum, dies à sacra Pagina noctibus semper fuisse & dignitate præstantiores, & tempore seniores existimatos. Quinimmo Deum tenebras condidisse nunquam obtestatur Scriptura: genitæ quidem creduntur, cùm non sint ingenitæ, sed & ingenitæ cēsentur, quoniam in suis natalibus nullam substantiam nactæ sunt. Procopius altero haud infirmo argumento hanc caussam nititur, atque elaborat obtinere. Diuinam (inquit ipse) Maiestatem decebat, ut in structura Mundi ab his, quæ splendida sunt initium duceret, cùm ipse lux perennis, atque indeficiens existat. Tandem si opus, quod singulo die effecit Deus opifex in eius diei exordio vel integrum manauit, uel fieri cœpit, cùm lux prisci diei opus fuerit, & lux mox enata diem pariat, necessariò dies illa primæua noctem præcessit. Adiiciamus vltro istud maximè obseruandum, Analogiam scilicet elegantem cum Anno, & mense diem habere. Si dies quippe conuersio est absoluta supremi orbis, Annus perinde integra est orbis Solis latio, mensis verò, qui lunaris dicitur, Lunæ orbis absoluta circunductio. Quemadmodum igitur annus in quatuor præcipuas secatur partes, Ver, Aestatem, Autumnum, & Hiemem, quas Græci (teste Eustathio in Iliade) horas appellarūt, ipsarū principia ab vtroq; æquinoctio, & gemino solstitio auspicantes, Luna quoq; quatuor ostēdit facies, dū semel plena est, bis dimidia, tandē vacua; ita & diei quatuor sunt partes, mane Ver, meridie Aestatem, vespera Autumnum, nox Hyemem adumbrantes. Et quemadmodum anni initium à vere proprie desumi conspicimus; Ita & diei exordium à mane deduci censendum est. Veruntamen non me fugit, priscos Romanos diem à medio noctis ad medium supputasse (an autē id ex Latij instituto, an potius Romuli, uel Numæ decreto hauserint, non legi) Plutarchumque in Problematibus huiusce rei eam reddidisse caussam, quòd dimidium noctis, & diei, certius quàm ortus, & occasus dignoscatur. Sed meo quidem iudicio longè fallitur, nam mediæ noctis meridieique momentum, minus exploratum ortu & occasu, minusque certum esse arbitror. Vnde verisimiliorem puto rationem illam, quam Celius tradidit, à media scilicet nocte Romanos diem suum inchoasse, quoniā negotia summo diluculo administrabant, ad eaque obeunda diē ante cœpisse opus erat. Nec ignoro Arabes, Vmbros, & Athenienses Bedæ obtestatione à meridie diē auspicatos esse, Astronomosque idipsum institutum eadem ratione amplexatos, quia cùm Sol splendidior, & rutilantior in meridie existat, certiùs quoque meridianū punctum percipiatur. Quod esse verū non arbitror, nam meridianā lineam non ita facile, nec ab omnibus comperiri posse experimur. Idq; non vulgariū & imperitorum quorumuis hominū, sed eruditorum tantūmodo, Astronomicæque facultatis exquisitè, ac summè callentium munus censetur. Nec me latet deductionē dierum inter duos occasus, vti Aegyptijs, ita nunc nobis esse familiarē, certamque & exploratam: verùm vniuersæ supputationes istæ minus naturales, minusve propriæ existimantur.

Cap. 4.
Gen. 1.
Gen. 2.
Gen. 2.
Matth 12.
Deut. 9.
Diei cū mense, & anno Analogia.
Antiquit. libro 2. cap. 1.

Mihi tandem diffiniendū est: quid nominibus istis Vespere, & Mane capiendum sit: cùm ea alij pro noctis, & diei initijs; alij pro nocte ipsa, & die; nonnulli vespere pro sex illis horis, quibus Mundus in tenebris iacuit à mane usque ad meridiē, quando Sol ceu lampas fulgentissima apparuit, vel pro duodecim ipsis horis, quibus Mundus obscuritate primæuę noctis obruebatur; mane verò pro luce irradiante; quidā verò uespere pro ea diei parte, qua Sol à meridie ad occasum præcipiti cursu descendit, & mane pro altera, qua Sol ab ortu ad meridiem scandit; alij tandem uespere & mane pro fine diei, & noctis

Quid vocibus istis Vespere & Mane intelligendum sit.

& noctis capi censuerunt. Ego prætermissis omnibus, quæ de horum nominum ety-
mologia dici possent, hoc vnum animaduertendum duco. Quandoque vespere & ma-
ne compresso sensu crepuscula tantùm siue lucem dubiam exprimere. Quandoq; latio
ri significatu, mane significare Aurorā, quæ nitescente, sed non rutilante splendore saltē
horæ spatio Solem antecedit, Vesperum autem alborem eum, qui præcipitato iam in
occasum die paulatim euanescit. Quandoque amplissima significantia mane diei
partē, qua Sol nitidus exoriens, fulgentissimus, ac feruentissimus ad medium vsque Cœ
li peruenire conspicitur, Vesperum verò alteram, quando Sol properat ad occasum
demonstrare. Quandoque ex Hebræorum more vespere nomine matutinus splen-
Marc. 16. dor, seu Aurora prisca accipitur; Vnde in Euangelio legitur, Vespere autem Sabbati,
quæ lucescit in prima Sabbati. Quandoque vesperæ duæ in sero ipso concluduntur.
Altera quidem vt diei finis, altera verò vt initium noctis, sicuti Exodi duodecimo,
iubentur Hebræi agnum inter duas vesperas, hoc est, inter crepusculum, & noctem, seu
noctis initium mactare. Qua serie Plautus crepusculum vocauit primam vesperam, &
Liuius primas tenebras, & Macrobius primam facem, quòd tunc prima lumina, seu fa-
ces accendantur. Cæterum ex his acceptionibus magis propriam, & germanam existi
marem eam esse, quæ vespere, & mane pro Aurora, & serotino albore capit. Vespere
Vespere & mane vnde sic appellata. siquidem appellatum est à Latinis à stella illa, quæ vesper, cùm Solem subsequitur,
cùm verò antegreditur Lucifer nuncupatur, teste Cicerone secundo de natura Deorū.
Mane verò à Latinis Varro tradit sic dictum esse, quòd hic maneat dies; priscosque
vocasse bonum manum, quoniam ipsi lumen pro fausto omine, & pro uita capiebant,
quemadmodum etiam Aegyptios per lucernæ symbolum vitam designabant, im-
mo quod longè excellentius est, Scripturæ sacræ vitam ipsam non raro lucem appel-
lant. Hebræis etiam vesperus dicitur Hereb, à verbo Harab, quod ligare, seu obligare
significat: mane verò Boques, à verbo Bachar, quod est discernere, uel quærere, eo
quòd mane res discerni queant. Non inficior attamen quin & mane ligamentum dici
possit, nam & ipsum ligat, nectitque diem cum nocte, prout etiam serum diei noctē ad-
iungit. Sicut enim lux vesperi non tota repente contrahitur, & extinguitur, sed sensim
inualescentibus tenebris remittitur, ita mane non tota fulget & apparet, sed gradatim
augetur. Rursum non me fugit, quòd vespere & mane ea sint, de quibus adhuc lis sub
iudice est, & pendet, num diei, num noctis sint partes: atque ideo crepuscula ea dici
volunt nonnulli, eo quòd incōpertum, ac dubium sit, cuius ipsa partes existant, Latini
siquidem dubias res creperas appellant. Quòd si mihi huius vetustæ litis diffiniendę
onus incumberet, Luminis ratione, diei partes potius dici debere quàm noctis pronun-
ciarem; Aurora nanque splendor est à Sole antequam ad Orizontem perueniat præ-
missus, & serotinus albor lumen est Solis sub Orizonte occidui: Respectu verò tem-
poris, noctis partes esse decernerem, cùm ea sit ratio, atque ius diei, vt id tantùm tēpus
tanquam suum vendicet, quo Sol est super terram. Quapropter eas esse noctis partes,
sed diei reliquias, & nuntias arbitror: ex hisque planum fieri, quomodo vespere, & ma-
ne pro Aurora, ac primis tenebris sumpta possint & initia diei & noctis, ac etiā fines si-
gnificare. Censeo attamen cum Patribus Mosem nomina hæc promiscuè cepisse, prout
diei extremam partem in uesperę tenebrescentis crepusculo terminatam, & noctis finē
in crepusculo roscidæ albescentisq; auroræ completum indicant; ac tandē, ut sunt ter-
mini ad quem, non à quo, quemadmodū scholasticè Burgensis explicabat. Cuius rei
argumentū est meo iudicio absolutissimū, quòd dixerit Moses, Factum est uespere, &
mane, & non fieri cœperunt: & quòd adiecerit, dies vnus. Si quidē si vespere & mane
prout initia sunt, illud noctis, hoc diei, cœpisset, non consequeretur, quòd factus fuisset
dies vnus completus viginti quatuor horarū; nam facto mane minimè adhuc expletus
dies censetur. Adnotarunt idipsum Patres & ex nuperis Catherinus, & Vielmius. Qua
ratione autem, cùm posset Moses diē & noctem à mane & vespere, quatenus initia sunt
noctis & diei, desumere, ab ipsis, vt fines sunt diei & noctis, capere maluerit, Hugo equi-
dem, & Magister doctissimè, ac elegantissimè tradiderunt; nempè diem primū à mane
nuncupari nequisse, vtpotè quia ipso caruerit. Nam si mane Aurora est, seu matuti-
nus ille splendor, quo aër ante exortū Solem albescit, cùm dies primus non agnoue-
rit

rit Solem, qui nocte antegressa aliud hemisphærium perlustraret; caruit & splēdore eo matutino ac roseo, quo Aurora maneque paulatim adueniente Sole nitescit, ac simul rubescit.

Superest mihi vt iam supra delatas assertiones nominatim memorem, earumq; fundamenta euertam. Catherini ac Lusitani sententia, quæ lucē in hemisphærio Antipodum splenduisse, & diem à vespera inchoandum esse, maneq; & vespere, diei ac noctis initia significare edocet; singularis est, & pro arbitratu delata. Nulla siquidem potest euidens afferri ratio, quare Sol ipse suppositum potius quàm nostrum hemisphæriū primo sui fulgore perfuderit. Cùm è contra & naturalis Orbis dispositio, sphæreq; positura, & terrarum amplitudo, & hemisphærij nostri dignitas, primigeniæ lucis sibi priuilegium expeterent, atque expostularent. Deinde supputationem diei ab occasu ad occasum (quanquam nobis domesticam) primæui Mundi ætatibus peregrinā fuisse demonstrauimus. Amplius, & ex vsu Scripturarum, & ex sua natura, nomina hæc Vespere & Mane, tam ad initia diei & noctis, quàm ad fines significandos rapi posse perpendimus. Et ipse Catherinus, data etiam eius assertione, priorem fuisse in nostro hemisphærio noctem, quàm diem euincit, non autem prius vespere, quàm mane, nisi vespere nomine noctem ipsam incongruè accipiat. Illud vnum, quod maxime ipsius astruere sententiam, nostramq; labefactare videbatur, erat, quòd Moses dies celebres, atq; festos, & ieiunia à vesperis ad vesperas celebrari indixerit, scribens; Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis Azima, vsque ad diem vigesimam primā eiusdem Mensis ad vesperam. Idq; ipsum alijs in locis repetat, dieque Sabbati quasi pro memoratione prisci Sabbati secundum eundem ordinem Iudæos feriari instituat: quem morem, & consuetudinem Ecclesia prosequuta est. Verùm Philonis, Iosephi, Hebræorumq; omnium scriptorum testificatione possumus nos rectè asserere, duplicē Iudæos annorum, & dierum supputationem insecutos fuisse, vetustam alteram naturalemq; qua annum ab æquinoctio autumnali, & diem à mane auspicabantur; legalem alteram, qua annum à Verno æquinoctio, & diem à vesperis inchoabant. Illam ex maiorum traditione; hanc ex Dei pręcepto per Mosem promulgato perceperunt. Huiusce autem commutationis caussas plures reddi, vti supra innuebamus, non ignoro. Harumq; alias germanas, alias allegoricas comperio. Germana ea est, quam D. Thomas in quarto Sententiarum, & super Ioannem detulit; nempe Mosem à vespere ad vesperas dies indixisse, quoniam ieiuniorum, ac celebrium dierum ratio à luna depromebatur, lunaq; renascens ante vesperam non conspiciebatur. Altera literalis & germana est, quòd vespere egressi sint ex Aegypto, & vespere in libertatem redacti; quare & vespere immolabant, ut vespere illis semper foret perpetuum vendicatæ libertatis, excussæq; seruitutis monumentum. Quas caussas deducebat Procopius, allegoricæ omnino existimantur. Symbolica enim significatione dies illi festi à vesperis ita initium desumentes, vt nox diem præcederet, fieretq; à nocte ad diem transitus, quatuor singularia nobis mysteria prænuntiabant. Primùm Mundi emolitionem, qua Mundus ab ea rudi coagmentatione, ac tenebrarum incubatione, ad suum ornatum ac splendorē ex pulcherrima illa lucis emanatione pertrāsijt: Insuper Orbis restaurationē, qua Vniuersum hoc crebra rerum vicissitudine submota, omniq; motione consistente, ad perennem stabilemq; æternitatis diem deueniet; Rursus nostrum ab hac ad futuram vitam transitū abumbrabat ordo ille festorum, quando ab hac, quæ obscura, & caliginosa nox est, plurimis scilicet tam corporis, quàm animæ ærumnis obuoluta, ad perennem omniq; augusta felicitate refertam vitam, tanquam ad diem splendore coruscantē permeabimus; si tamen iuxta hunc eundem festorum ritum, vigilias vespertinas, ieiuniaq; ante præmittere, noctu fidei lumine incedere, primaq; spiritus resurrectione, & carnis compressione, ad secundam nos ipsos præparare didicerimus. Tandem à peccato, Mundoq; ad gratiam, & Ecclesiam transitum significabat, cùm à tenebris, & à regione vmbræ mortis, ad lucem quæ Christus est, atque ad vitæ fontem peruenimus. Eramus enim (inquit Apostolus) aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quapropter abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Sententia altera, quæ lucem in meridie apparuisse, diemq; à meridiana hora supputandum

Catherini sētentia refellitur.

Exod. 12.

Leuit. 23.

Duplex annorū ac dierum computatio apud Hebræos.

Dist. 41.

Cap. 13.

Festi dies cur à vespera ad vesperā à Iudæis celebrabantur.

Dies festi Iudæorū quid præsignabāt.

Ephes. 4.

Rom. 13.

Reijcitur alia sententia.

tandum existimat, non adeò tuta iecit, quin ea possimus labefactare, & quoquo modo diruere fundamenta. Solem, cùm medius æthereas conscendit arces, lucemq; in meridie esse coruscantiorem, atque (vt aiunt) actuosiorem, seù fortiorem non abnuo: verùm id assero non respectu Solis, & lucis, sed Climatum, ac regionum contingere; æque enim fulget, & coruscat Sol, atque regiones eas vrit, quas, cùm nobis in ortu est, perpendiculari radio percutit, ex meridianoq; suo prospicit, uti & nostras dum nobis medium diem conficit. Prętterea id est naturæ institutum, vt ab imperfectioribus ad perfectiora ipsa progrediatur: Ordine igitur Naturæ decuit, vt Sol oriretur primũ, deinde paulatim ad summum Cęli verticem veheretur, vti, & cætera cuncta, præcipueq; homo, ab incremento ad consistentiam proficiscuntur. Nec imperfectiorem esse Solẽ in ortu, quàm in meridie censendum est, sed æque perfectum, & absolutum, suaq; luce coruscantissima refertum, adeo vt cùm Deus ipsum in ortu protulerit, perfectissimum cõgesserit. Supputationem quoq; à Meridie haud certiorem esse iam demonstrabamus. Quanquàm enim Astronomicæ disciplinæ eruditis meridianus punctus certissimus videatur, vulgo attamen, omnibusq; passim incertior, & inexploratior sensu ipso censetur, quoniam meridianæ lineæ situs non nisi Astronomicis instrumentis, multoq; negocio comperiri valet. Verùm quod Steuchus dicere visus est, diem eum priscum decẽ & octo horis tantùm constasse, atq; à meridie ad subsequentis diei ortum delapsum esse, dieiq; sex horas tantùm, noctis verò duodecim detulisse, commentitium quoddam dijudicari potest. Siquidem Moses obtestatione clarissima dixit; Factum est vespere, & mane dies vnus, hoc est exactus. Patres quoque omnes ex hoc loco diem primum naturalem viginti quatuor horas habuisse edocent. Deinde primum diem eiusdem rationis longitudinisq; extasse, qua & quinque alij posteri omnino existimandũ est. Amplius Solem in Meridie, vt clarissimam lampadem effulsisse, euidentissimis rationibus probandum erat, nec pro arbitratu supponendum, si à communi peruulgataq; sententia recedere Steuchus autumabat.

Sol in ortu nõ est imperfectior quàm in meridie.

Primus dies decẽ & octo tantùm horas non habuit.

Tertia sententia explodit.

Tertia sententia, quæ lucem in meridie explenduisse, diem verò à mane inchoasse excogitauit, diemq; priscum sex horis tantùm luce potitum esse, Mundumq; sex alijs horis in tenebris celatum iacuisse, vt D. Bonauentura & Aegidius recitant, multis obuoluitur, circumuallaturq; difficultatibus. Primùm enim lucem in meridie effulsisse asserit, quod nulla ratione munitum esse supra demonstrauimus. Deinde, & Chaos emolitionem primæ diei ascribit, quam ante omnem diem peractam Patres ferè omnes diffiniunt. Rursum initio diei primæuæ lucem illam primogenitam non censet resplenduisse, cùm tamen lux opus primum fuerit, dierumq; sex opera in primo cuiuslibet diei exordio producta omnes perhibeant. Adijcias quòd tenebræ illæ, quæ ante lucẽ Mũdum opacarunt, non eiusdem fuissent generis, ac constitutionis, cuius sunt modo tenebræ noctis, quãdoquidem illæ simplex & omnimoda fuerint lucis carentia, hæ vero Terræ vmbra censeantur. Quapropter inter illam noctis partem & reliquas noctes nõ modicum naturæ diffidium conspiceretur. Amplius duas noctes diei primæ ascire videtur hoc placitum. Alteram sex horarum ab effectione Mundi ad lucis emanationẽ: Alteram à luce occidua ad mane horarum duodecim. Quinimmo sex tantùm lucis horas, tenebrarum vero duodeuiginti primæ diei ineptè ascribit. Rursum nullam certam rationem profert, qua tempus à Mundi ortu ad lucis creationem elapsum, sex duntaxat horarũ extiterit, cùm Tostatus duodecim horas enumeret, pariterq; etiam vnusquisq; pro voluntate plures, vel pauciores eas ipsas sancire posset.

AEGIDIVS itaque Hexæmeron parte secunda, capite secundo, hanc à se recitatam sententiam explodens, ait.

Inter creationem Mundi, & factionem lucis, non creditur plus fuisse de mora, quàm inter creationem Diaboli, & eius casum; vel inter creationem bonorum Angelorum, & eorum illuminationem: sed tam modica fuit morula inter creationem, & eius casum, vt dicatur Diabolus mendax à principio, & dicatur in veritate non stetisse. In veritate quidem fuit, quia vt dicitur Ezech. vigesimo octauo; In delicijs Paradisi fuit: nam Diabolus in veritate innocentiæ, & in delicijs innocentiæ fuit; sed ita fuit modica morula inter illa, vt dicatur in veritate non stetisse.

Tostati opinio repudiatur.

Tostati tandem postrema assertio, quę lucem in ortu emicasse, diem verò à uespera ante-

Anno Mūdi primo. Die prima.

Dies unus.

a. *Dies vnus, phrasi Hebraica, idest primus.*
b. *Vel dies vnus, hoc est diei vnius, idest primi.*

antecedente cœpisse exponit, insueta admodum, ac frigida visa est Vielmio & Nuperis, nec immeritò. Primò, quoniam idem prorsus fuisse exordium & temporis, quo Chaos conditum est, & diei, qua lux est producta, præsumit. Quod placitum duo singularia, Patribusque cunctis aduersantia comprehendit. Alterum ante priscum diem nullum fuisse elapsum tempus, quod Patres vna mente & ore reijciunt, cùm Mundum in incongesta ea ruditate, & tenebris obdensis aliquandiu constitisse diiudicarint. Alterum est, diei noctem antecessisse, quæ quidem sententia pluribus, cōpertisq; rationibus, accedentibus etiam præclarissimorum Philosophorum calculis, iam supra reiecta est. Deinde nullam certam tradit Tostatus coniectationem, quòd tempus illud à Chaos manatione ad lucis prosilitionem decursum duodecim extarit horarum. Pari siquidem arbitratus libertate vnusquisque id maius, vel minus effingere posset. Rursum tenebrę priscæ, quę noctem primę diei adumbrarunt, alterius fuissent constitutionis, noctemq; primam omnium diuersam à subsequentibus peperissent, id quod statuere, erroneum, minimeque consentaneum esse supra demonstrabamus. Tandem voces has Mane & Vespere in significationē à Scripturarum consuetudine longè alienam pro voluntate detorquet. Insuper dies ille priscus diuersam nactus esset temporis rationem, cùm nox nulla circumlatione, dies autem lucis circulo fuisset effectus. Quibus omnibus explosis, ac reiectis, à fundamentoque dirutis sententijs, reliquum est, vt Patrum assertio, quæ tam lucem, quàm diem in ortu exordium sumpsisse diffiniebat, Vespereque & Mane, diei ac noctis fines significare diiudicabat, præstantior à nobis, atque ad veritatem magis accedens censeatur. Hęc de his satis.

Dies vnus.

Emergebat ea tandem difficultas, cur Moses primum diem omnium insignem, quo lux effulsit, Mundusque pallentibus, atque atris tenebris depulsis, vim vitæ claritatemque excepit, non primum, sed unum uocarit, cùm dixit; Factum est vespere, & mane dieś vnus. Audiamus primùm pedagogos, quid de hac re ipsi contemplati sint.

a. *Dies vnus, phrasi Hebraica, idest primus.*

RABBINI in Adnotationibus.

Vnum pro primo vsurpant Hebręi, vt in Euangelio, Vna Sabbatorum, idest prima. Ioan. 20.

STEVCHVS in Genesis caput primum.

Sic est Hebraicè, Iom Ehad; idest, dies vnus. Apud Hebræos autem, vnus etiam ordinis est.

b. *Vel dies vnus, hoc est diei vnius, idest primi.*

Adnotationes in Genesim à lingua Hebræa professoribus Lutetiæ Parisiorum sub Christianissimo Rege Francisco compilatæ legunt.

Dies vnus, hoc est diei vnius; idest primi. Est enim genitiui casus, vt ex Chaldæo Paraphraste liquet, quasi dicat, atque ita transactus est dies primus.

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Dies vnus.

a. *Echad Hebraica vox significat tam primum quàm vnum.*
b. *Diem primæuum vnum dixit, vt vnico die Mundum conditum insinuaret.*
c. *Vel, vt Aeternitatem, seu vt æternum diem illum generationis Verbi, dequo Dauid, Ego hodie genui te, explicaret.*

a. *Echad Hebraica vox significat tam primum quàm vnum.*

CONSTANTIVS Rusconus Commentarijs in Genesim manuscriptis hanc recitat sententiam, & reijcit.

Mirum quibusdam videtur, quòd Moses non dixerit effectum diem primum, sed vnum. Cui quæstioni quidam Hebræi respondent, Echad tam primum, quàm vnum significare. Sed poterat tollere ambiguitatem Propheta, si vellet tantummodo primum intelligi, si diceret Risson, quod primum non autem vnum significat. Neque verum est Echad æqua ratione tam primum, quàm vnum significare, cùm reperiatur Echad sæpius replicari, & tam secundo, vel tertio, quàm primo loco poni, vt in libro primo Samuelis de votis Philistinorum dicitur. Pro Asdod Echad, pro Aza Echad, pro Ascaron Echad, vbi sæpius Echad, idest vnum repetitur. Echad ergo proprie vnum significat, & sic ea opinio non procedit.

Quæ omnia maiorem dicendis afferrent certitudinem, & claritatem.

Quorsum dies vnus dixit, & non primus.

Plures tùm misticas, tùm literales caussas produnt Patres, quare primum diem Moses non appellarit primū, vti secundum, & tertium &c.: singulas vt mihi occurrent, recensebo; sed recisis Catenis.

c. *Vt vnico die Mundum conditum insinuaret.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam imperfecto, capite septimo.

Ita ergo fortasse dictum est; Et facta est vespera, & factum est mane dies vnus: sicut ratione prospicitur, ita fieri debere à Deo, aut posse, non ita vt fit temporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu Sancto, qui dixit; Qui manet in æternum, creauit omnia simul. Sed commodissimè in illo libro, quasi morarum per interualla factarum à Deo verum digesta narratio est, vt ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per huiusmodi ordinem sermonis exposita, quasi istis oculis cerneretur.

Eccle. 18.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Cùm dicatur; Vnus dies, nec primus, &c. significatur vnà creationis opus esse peractum.

d. *Vt Aeternitatem, seu vt æternum diem illum generationis Verbi, de quo Dauid, Ego hodie genui te, explicaret.*

Psal. 2.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite vigesimo, asserit Mosem dixisse diem unum, & nō primum, ne Angelorum creationem Verbi generationi anteponeret.

Proinde quærendum est, quod vespere, & quod mane factum sit, ex quibus sano intellectu, dies vnus valeat computari. Quod vt tandem expeditiùs fiat, primò illud sciendum est, quòd certam ob caussam non dictum sit, dies primus. Quid enim? Nunquid iste Angelicæ claritatis dies, quamuis pulcher, quamuis decorus, dies est primus? Minimè, Absit hoc. Nam longè minor est illo die sanctificato, & benedicto, in quo requiescit Deus, de quo in hoc libro post cæteros dies, ita scribitur; Istæ generationes Cæli, & Terræ, quando creatæ sunt, in die quo creauit Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam virentem priusquam germinaret. Quem enim putas hunc esse diem, in quo creatum est omne virgultum, & omnis herba, priusquam oriretur, vel germinaret in terra, quem (inquam) vel quid putas esse hunc diem, nisi Verbum illud, in quo omne, quod factum est, vita erat, priusquam fieret? Bene ergo dictus est hic non primus, sed vnus dies, quia videlicet ille alius primus dies, immo & dierum dies est.

Vt vnam

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Dies vnus.

a. *Vt unam doceret esse Angelorum naturam, quę in hoc primo die manauit.*
b. *Vel, quia cùm non ante extasset tempus; nec poterat secundum rationem partium tempus nominari.*
c. *Siue, vt diem naturalem uigintiquatuor horarum hunc primum diem fuisse denotaret.*

a. *Vt vnam doceret esse Angelorum naturam, quæ in hoc primo die manauit.*

Eucherius, & Isidorus diei primi vnitatem ad Angelicæ naturæ vnitatem retulere.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim.

Factum est vespere, & mane dies vnus. Dies iste vnus prior factus, propter concordiam residuorum Angelorum sic appellatus est. Quorum propter vnitatem insinuandam, non dies primus, sed dies dictus est vnus.

ISIDORVS de summo Bono, capite decimo.

Dies prior, inquit, factus, Angeli sunt; quorum propter vnitatem insinuandam, non dies primus, sed dies dictus est vnus.

b. *Quia cùm non ante extasset tempus; nec poterat secundum rationem partium tempus nominari.*

ORIGENES Homilia prima in Genesim.

Non dixit dies prima, sed dixit dies vna; quia tempus nondum erat, antequam esset Mundus. Tempus autem esse incipit ex consequentibus diebus. Secunda nanque dies & tertia dies, & quarta, & reliquæ omnes, tempus incipiunt designare.

Glossa Ampliata hæc ipsa excepit.

CONSTANTIVS Rusconus, Commentarijs in Genesim manuscriptis.

Dicunt alij, diem primum vnum dici, quia cùm factus est, nullum habuit, cui compararetur, & ob id cùm esset vnus tantùm non apte diceretur primus, cùm in natura alter non extaret. Sed his obijci posset, Prophetam potuisse rectè primum diem posterioribus comparare, quos nouerat successuros, vel cùm hæc scriberet iam successisse constaret.

c. *Vt diem naturalem viginti quatuor horarum hunc primum diem extasse denotaret.*

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia secunda; Diem vnum Mosem appellasse censuit, vt diem priscum naturalem vigintiquatuor horarū fuisse diffiniret.

Quam ob caussam (inquit) non dixit primum diem, sed vnum, vbi magis conueniebat allaturum ordine secundum diem, & tertium, atque quartum, eum qui omnes anteibat primum appellare diem, non vnum? Sed vnum dixit. An vt diei, noctisq; spatium definiret, ac tempus vtriusque, nempe diei ac noctis coniungeret, ita vt ex vigintiquatuor horis vnius diei spatium compleretur, atque ita & nox sub vocabulo diei subintelligeretur: vt etsi in solstitijs altera exuperet alteram, definito tamen tempore, totum vtriusque simul spatium sit descriptum; quasi diceret; quatuor vigintiq; horę, spatium est vnius diei?

AMBROSIVS in Hexæmeron, libro primo, capite decimo.

Præclarè etiam vnum, non primum diem dixit. Nam secuturo secundo, & tertio die, & deinceps reliquis, primum potuit dicere: & hoc ordinis videbatur: sed legem statuit vt vigintiquatuor horæ diurnæ, atq; nocturnæ, diei tantùm nomine definiantur, vt si diceret, vigintiquatuor horarum mensura, vnius diei tempus est. Sicut enim virorum generatio computatur, & intelligitur etiam fœminarum, quia nectuntur secunda potioribus: ita etiam dies numerantur, & noctes æstimantur adiunctæ. Sicut igitur circuitus vnus, ita dies vnus.

CHRYSOSTOMVS Homilia tertia in Genesim.

Et factum est vespere, & factum est mane dies vnus. Finem diei, & finem noctis, vnum signanter nominauit, vt ordinem aliquem, & consequentiam statueret visibilium, nullaq; fieret confusio.

AVGV-

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Dies vnus.

a. *Dixit vnus, vt vnam conuersionem Cœli completam demonstraret.*
b. *Siue, vt Hebdomadam, & sæcula, cunctaq; tempora vnum esse tempus indicaret.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite septimo.

Et facta est vespera, & factum est mane dies vnus: non eodem modo nunc appellatur dies, quo cùm diceretur; Et vocauit Deus lucem diem: Sed eo modo quo dicimus, verbi gratia, triginta dies habere mensem. Hic enim nomine diei noctes quoque includimus: Superius autem ita dictus est dies, ut à nocte seiungeretur. Itaque cùm illa opera diei per lucem gesta insinuaretur, consequenter factam dicitur esse vesperam, & factum esse mane diem vnum, ut scilicet sit vnus dies à cœpto die usque ad cœptum diem, idest, à mane usque ad mane, quales dies annumeratis, ut dixi, noctibus appellamus.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Non eodem modo nunc appellatur dies, cùm dicitur; Et facta est uespere, & mane dies unus, quo cùm diceretur, Et uocauit Deus lucem diem: sed eo modo, quo dicimus triginta dies habere mensem. Hic enim nomine diei etiam noctes includimus: superius autem dictus est dies, ut à nocte seiungeretur.

D. THOMAS prima parte, quæstione septuagesimaquarta, articulo tertio, ad septimum.

Dicendum, quòd dicitur unus dies in prima diei institutione, ad designandum, quòd uigintiquatuor horarum spatia pertinent ad unum diem. Vnde per hoc quòd dicitur unus, præfigitur mensura diei naturalis.

HAMERVS Commentatione in Genesim.

Sed non contemnenda est hic nostrorum opinio, qui diem ipsam, quam naturalem uocant, suis limitibus uespere, & mane includi, & finiri scripserunt. Porrò diem constare non solùm Solis præsentia, sed etiam nocte, quæ diem, quem artificialem uocant, sequutura est. Totum igitur hoc ἡμερονύκτιον, idest dies & nox, quod uigintiquatuor horarum spatio tenditur, unus dies appellari debet.

LYRANVS in Postillis.

Factumq; est uespere, & mane dies unus, &c. Loquitur de naturali, quæ est uigintiquatuor horarum; & complectitur diem & noctem: & ideò dicit; Factumq; est uespere, & mane dies unus.

a. *Vt conuersionem Cœli completam demonstraret.*

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia secunda.

An quia Cœli ab eodem signo ad idem reuolutio uno die peragitur: ita ut quoties iuxta Solis circuitum uespera & mane Mundum occupant, non id prolixiore tempore, sed in unius diei spatio suã explicat periodũ.

GREGORIVS Nyssenus in Historia sex dierum.

Quoniam igitur circulo undiq; in sese terminato, atque diffinito nihil deest: rectè Scriptura unum quiddam nominauit, unum circuli ambitum, quum dicit; Factum est uespera, & factum est mane, dies unus.

D. THOMAS loco asserto.

Vel propter hoc dictum est dies vnus, vt significaret diem consummari per reditum Solis ad vnum & idem punctum.

VIELMIVS Lectione duodecima.

Dies unus. Et cùm dies vnus, dies integer sit, satis apparet Solem integrum circulum confecisse, & proinde erraße Ficinum, & quotquot existimant Solem in meridiano Orizontis recti fuisse creatum. Etenim, si lux in meridiano motũ suum inchoaßet, non vnus fuisset dies, cùm diluculum aut mane illa effecisset, sed dimidius, aut certè sexquimedius, hoc est, decem & octo horarum; ergo unus, hoc est, integer perfectus.

b. *Vt Hebdomadam, & sæcula, cunctaq; tempora vnum esse tempus indicaret.*

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia secunda.

An ea ratio potior est, quæ in arcanis, secretisq; literis traditur: Deus sanè, qui temporis naturam creauit, mensuras ipsi ac signa, nimirum spatia dierum adiunxit, septimanaq; ipsum metiens in orbem, septimanam in sese

Dies unus.

Anno Mūdi primo. Die prima.

a. *Vt diem perennem æternæ beatitudinis præsignaret.*

in sese semper versari iussit, curricula temporis, ac motiones enumerantem: & vnum item diem septimanam conficere, ipsum in sese septies redeuntem. Id autem Orbis subit effigiem, à sese incipiens, & in seipsum desinens: quod iam & sæculi proprium esse constat, in seipsum conuerti, & nequaquam terminari.

AMBROSIVS in Hexæmeron libro primo, capite decimo.

Nam plerique etiam hebdomadam vnam, vnum diem dicunt: quòd in se quasi in vnum redeat diem, & quasi septies in se recurrat. Est autem & circuitus figurarum à se incipere & in se reuerti. Vnde & sæculum vnum interdum Scriptura dicit. Nam etsi alijs locis secula appellat, videtur magis diuersitates statuum publicorum, vel negociorum significare, quàm sæculorum successiones aliquas definire.

HIPPOLYTVS Romæ.

Et facta est dies vna, vnam dixit, & non primam, vt hanc per circulum reuertentem, atque hebdomadam perficientem, cùm tamen vna, eademque esset, declaret.

BEDA Expositione in Genesim.

Dies vnus. Fortassis hic diei nomen, totius temporis nomen est, & omnia volumina seculorum hoc vocabulo includit. Ideoque non dictus dies primus, sed dies vnus.

a. *Vt diem perennem æternæ beatitudinis præsignaret.*

BASILIVS Homilia præfata.

Quamobrem caput ipsius temporis, non diem primum, sed vnum appellauit, vt ex appellatione etiam affinitatem ad ipsum sæculum sortiatur. Is enim, qui vnici principij, ac incommunicabilis ad aliud præ sese fert formam, propriè sanè, atque appositè, vnus est nuncupatus. Quòd si secula plura Scriptura nobis afferre solet, sæculi sæculum, sæculorumque sæcula pluribus in locis dicendo, tamen & illic nec primum, nec secundum, at neque tertium sæculum nobis enumeratur; vt statuum potius, variarumque differentię rerum, sed non descriptiones, ac fines, sucessiones ve sæculorum ex eo demonstrentur. Dies enim Domini, inquit, magnus est & præclarus. Et rursum; Cur vos quæritis diem Domini? Atqui hic est tenebrę, & non lux: Tenebræ videlicet ijs, qui digni tenebris sunt. Nam & vesperis, & successione, ac fine diem illum carere doctrina sacra nouit; quem & octauum Psalmorum auctor appellauit: propterea quod extra tempus illud situs est, quod septimanę metiri solent. Quare siue diem dixeris, siue sæculum, aut æuum, eandem sanè sententiam dixeris. Siue igitur dies status ille dicatur; vnus est, & non multi: siue seculum, aut æuum appelletur, vnicum vtique fuerit, & non multiplex, nec admittens numerum. Quę cùm ita sint, vt ad futuram illam vitam, statumque futurum illum, nostram Moses mentem erigat, atque deducat, vnum eum appellauit diem, qui sæculi ipsius imago, qui dierum primitiæ, qui luci coætaneus est: Ipsum, inquam, sanctum Dominicum diem, quem resurrectio Domini honore præcipuo affecit.

AMBROSIVS præcitato loco.

Quia dies Domini magnus, & præclarus. Et alibi; Vt quid vobis quęrere diem Domini? Et hic tenebræ, & non lux. Manifestum est enim, quòd male conscijs, & indignis, dies ille tenebrosus sit, quo fulgebit innocentia, & mens noxia cruciabitur. Cæterum quòd sine interpolatione noctium, & successione tenebrarum, dies perpetuus ille remunerationis æternæ futurus sit, Scriptura nos docet.

HVGO Etherianus libro de regressu animarum ab Inferis. Cap. 14.

Futuri enim sæculi dies illa imago est. Vnde à Moyse non prima, sed vna nominatur. Et factum est, inquit, vespere & mane dies vnus, quasi per circuitum reducta frequenter, eadem vna sit, & octaua: quæ nullam habebit varietatem, nil decliue post huius temporis decursum: siquidem erit sine vespere, sine successione, absque senio.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Forsitan de vno illo die & in Psalmis habetur; Hic est dies, quem fecit Dominus: exultabimus, & lætabimur in eo. Psal. 117. *Non ab re, inquit, quem fecit Dominus. Siquidem ab ipso Domino cognomen desumpturus erat, vt diceretur dies Dominicus, tanquam soli Domino consecratus, & dedicatus sit ille vnus dies. Adumbratur etiam hic indiuisibilis vnitatis similitudo & imago quædam, vt magis honoretur lux creata. Nam cùm Deus reuera sit lux; & lux primò sit facta, & primò quoque apparuerit pulchra, respexit diuinus opifex Mundi ad vnitatis essentiam, cùm appellaret primum diem, diem vnum. Eundem diem Psalmus appellat octauum, vt qui*

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Dies vnus.

a. *Vnus dignitate, cùm in ipso manarint res, quæ antea non fuerant, in reliquis effectæ sint ex his, quæ die prima prodiere.*

b. *Vnus dictus est ex dignitate, quod ipse nominandus esset dies Dominicus, singularibusque Priuilegijs euehendus.*

qui significet æternæ vitæ, quæ post hunc Mundum ventura est, formam. Eum verò ideò repræsentat, quia octonarius extra septenarium situs est, eumque excedit vno. Proinde haud immeritò nouam rerum omnium constitutionem successuram huic sæculo per vnum, quasi sub imagine nostro intellectui ingerit. Sic verò habet Scriptura; Dies enim Domini magnus & illustris. Et iterum; Veh desiderantibus diem Domini: ad quid enim iste nobis, cùm dies Domini caligo sit, & non lux? Sed nimirum impijs horridus caligine imminebit. Hunc diem Scriptura agnoscit absque vespera, & fine carentem. Quapropter octonario numero determinatur, vt qui longè alius sit, quàm præsens hoc sæculum.

Ioel. 2. Amos. 5.

a. *Vnus dignitate, cùm in ipso manarint res, quæ antea non fuerant, in reliquis effectæ sint ex his, quæ die prima prodiere.*

PROCOPIVS Gazæus Commentarijs in Genesim.

Primus itaque dies dignitate reliquos sequentes longè anteit; nam in illo, quæ nunquam fuerant, suam creationem sumpsere diuinitus, in cæteris diebus nihil effecit, cuius seminaria non in primo die sparsisset.

b. *Vnus dictus est ex dignitate, quòd ipse nominandus esset dies Dominicus, singularibusq; priuilegijs euehendus.*

BASILIVS vbi supra.

Vnum eum appellauit diem, qui sæculi ipsius imago, qui dierum primitiæ, qui luci coætaneus est. Ipsum, inquam, sanctum Dominicum diem, quem Resurrectio Domini honore præcipuo affecit.

VIELMIVS Lectione duodecima.

Vnus, qui & primus, nobilissimus sanè inter dies, & princeps, non ea tantùm ratione, quòd in eo, aut potius cum eo Vniuersum conditum fuit, ipsaque iucundissima lux prodijt, verumetiam & multo sanè magis, quòd in eo Christus Dominus excitauit seipsum è morte ad vitam, ac Deum se, & Dominum vitæ & mortis declarauit, & proinde in quo quieuit ob opere Redemptionis, quod magnas perpessus ærumnas, tantaque charitate patrarat. Quare & D. Marcus Euangelista, capite sextodecimo, imitatus Mosem hoc loco est: neque enim vocauit primum, sed vnum. Et valde mane (inquit) veniunt ad monumentum vna sabbatorum orto iam Sole. Quamobrem & dies Dominicus sanctus, ac venerandus Christianis omnibus est, in quo & præterea Spiritum Sanctum in vnum congregati sensiliter receperunt, ac non modò Constantini Principis magni constitutione C. de ferijs. l. omnes iudices. & Pij primi Pontificis decreto apud Eusebium, & Historiam Tripartitam libro primo, capite nono, nobis est sacrosanctum; verumetiam Apostolorum, ac totius veteris Ecclesiæ ritu, & consuetudine, quod fermè indicatur Apoc. capite primo. Vnde & cautum est, vt in eo à foro, à iudicijs, & laboribus, & cùmprimis ab operibus mortuis, & lethalibus peccatis nimirum, quæ interficiunt animam, homines diligentius abstineant, ferienturque, & Dei contemplationi, & cultui pro viribus omnes dent operam.

PERERIVS Cōmētarijs in Genesim libro primo, ex Epistola octuagesima B. Leonis ad Dioscorum, ex Sermone centesimo quinquagesimo quarto de tempore Augustini, ex Epistola Bedæ de Celebratione Paschatis, & ex alijs, mirifica vsq; ad tria super decem colligit patrata in hac die.

Quæ, & quāta in Dominica die effecta sint.

Primo, hic fuit primus Mundi dies, in quo lux facta est. Secundo, in hoc die siccis vestigijs Hebræi mare rubrum transgressi sunt. Tertio, eodem die primum de Cælo pluit manna in deserto. Quarto, Christus, vt quidam existimant, initio huius diei natus est. Quinto, baptizatus est in Iordane. Sexto, primum miraculum fecit in nuptijs, aquam conuertendo in vinum. Septimo, multiplicatis quinque panibus, & duobus piscibus, quinque hominum millia satiata sunt. Octauo, Dominus noster resurrexit à mortuis. Nono, octauo post resurrectionem die, Dominus Iesus ianuis clausis ingressus est ad discipulos, deditq; eis Spiritum Sanctum, & potestatem remittendi peccata. Decimo, mandauit Apostolis, vt Euangelium toto Orbe prædicarent, & baptizarent homines in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Vndecimo, in hunc diem incidit

Anno Mūdi primo. Die Prima.

Dies vnus.

a. *Vt vnitatis Sacramenta in primo numero intelligeremus.*
b. *Quoniam lucis essentia cunctarum dierum vna esset.*
c. *Vt diem secundum esse, & non secundum essentiam discriminatum à die, esse demonstraret.*

cidit dies Pentecostes, quo Spiritus Sanctus super Christi discipulos descendit. Duodecimo, in hoc die Dominico Ioannes habuit admirandas illas visiones & reuelationes, quas in Apocalypsi reliquit scriptas, vt ipsemet cap. primo eius libri testatur. Decimotertio, in hoc die creditur futura nostrorum corporum resurrectio, nostræq; fœlicitatis consumatio, & totius Mundi renouatio.

Hæc sunt (inquit Pererius) primi illius diei insignia, & ornamenta, quibus ea dies mirabiliter nobilitatur, atque decoratur. Sed de his copiosius aliàs.

a. *Vt vnitatis Sacramenta in primo numero intelligeremus.*

HAMERVS Commentatione in Genesim.

An numerorum rationem, & mysterium indicare, quàm aperire magis voluerit, vt quantū monadis ipsius sacramentum sit cogitaremus. Vnum, inquit Macrobius, quod vnitas dicitur, & mas idem & fœmina est: par idem atque impar; ipse non numerus, sed fons & origo numerorum. Hæc monas initium, finisq; omnium, neque ipsa principij, aut finis sciens, ad summum refertur Deum, eiusq; intellectum à sequentium numero rerum & potestatum sequestrat: nec in inferiore post gradu frustra eam desideraueris. Hæc illa est mens, è summo nata Deo, quæ vices temporum nesciens, in vno semper quod adest, consistit æuo: cumq;, vtpote vna, non sit numerabilis, innumeras tamen generum species & de se creat, & intra se continet. Hæc Macrobius. Plutarchus de monadis natura, hæc scribit; Hæc Monadis natura, si cui adfuerit, ei bonam temperationem præbet, animabus verò virtutem, corpori verò sanitatem, ciuitatibus, & domibus pacem, & concordiam. Hactenus Plutarchus. Certè Homerus Monadis præstantiam ijs verbis effert; Vnus Dominus sit, vnus Rex.

b. *Quoniam lucis essentia cunctarum dierum vna esset.*

PROCOPIVS Gazęus vnitatem diei ad vnitatem lucis, quæ una omnium dierum curriculis futura erat, retulit. Ex prædictis interpretationibus quæ literalis sint.

Cæterum iam tum quoque lucis substantiam nuncupauit diem vnam, nec tamen primam. Nam secunda & tertia numeri mutationem inferunt. Lux permanens, quę diei nomen sortita est, præstat, vt etiamnum dicatur vna: Eadem etenim adhuc omnibus diebus inest lucis vis, quæ à rerum primordio extitit. Quapropter omnes vna censentur dies. Et Post. *Nam cum Deus reuera sit lux, & lux primò sit facta, & primò quoque apparuerit pulchra, respexit diuinus Opifex Mundi ad vnitatis essentiam, cùm appellaret primum diem, diem vnum.*

CONSTANTIVS Rusconus Commen. in Gen. manuscriptis.

Dicimus ergo vnum tantū diem effectum esse, neq; alterum vllum illi successisse, quia opifex Mundi vnum tantùm effecit, si ipsius diei naturam consideramus, quæ utique lux ipsa dicta est: nam cùm facta est lux, dicitur diuisisse Deum lucem à tenebris, & appellaße lucem diem, & tenebras noctem. Dies ergo ipse lux est, & cū nulla noua lux creata sit, sed eadem semper perseueret, non potest dici dies vllus præter vnum vnquam effectum esse, sed tres priores dies intelligimus eiusdem lucis motionem, uel replicationem, qui nulla ratione distincti sunt nisi diuino opere, quod in singulis proprium applicatur.

c. *Vt diem secundum esse, & non secundum essentiam discriminatum à die, esse demonstraret.*

ALBERTVS Magnus prima parte Summę de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo.

Ad vltimum dicendum, quòd idem est dies secundum substantiam temporis in omnibus diebus, sed non est idem secundum esse: & propter hoc cùm primum notet diuersitatem ad secundum, secundum esse & substantiam: vnum autem secundum esse tantùm, potius dicit dies vnus, quàm dies primus.

Anno Mũdi primo. Die Prima.

Dies vnus.

a. *Vnus phrasi Hebraica, idem quòd primus.*

a. *Vnus phrasi Hebraica, idem quòd primus.*

STEVCHVS in Genesim, capite primo.

Apud Hebræos autem vnus etiam ordinis est. Primus ergo, vnus in ea lingua dicitur, atque ita hoc loco etiam est intelligendum. Quod loquendi genus etiam in Euangelijs reperitur, quorum phrasis tota Hebraica est: Vna enim sabbati, sicut & Theophilactus exponit, primam sabbati sonat, idest primam hebdomadæ: & vna mensis, primam diem mensis.

LIPPOMANVS.

Hebraica phrasi, vnus primus dicitur, sicut vna Sabbati, primam sonat Sabbati, idest primam diem hebdomadæ: & vna mensis, primam diem mensis.

TOSTATVS Commentarijs in Genesim capite primo.

Dies vnus, idest dies primus: quia hic vnus non dicit principaliter numerum, sed ordinem ad sequentes dies: sic habetur Apocalypsis capite sexto; Cùm aperuisset Agnus sigillum vnum, idest primum; quia ibi agitur de septem sigillis, quę aperta fuerunt.

PERERIVS Commentarijs in Genesim libro primo.

Sed illud mihi fit credibilius, Mosen dixisse unum pro primo, phrasi Hebraica, qua vsus est Daniel initio noni capitis. Vno, inquit, anno Darij Regis; hoc est, primo, vt ipse mox declarat. Et in Euangelio dicitur Dominus Iesus resurrexisse vna sabbati; hoc est primo die post sabbatum.

AVCTOR.

Cæterum ex his interpretationibus nonnullæ ad Allegoriam properant, vt ea Ruperti, quæ generationem Verbi, & ea Eucherij, ac Isidori, quæ Angelicæ essentiæ vnitatē hoc loco denotari præfinierunt. Negocium siquidem Mosis est Mundi sensilis, non Verbi æterni, seu Angeli genituram contexere. Aliæ ad Anagogiam incedunt, vt ea Basilij & cæterorum, qui diem æternæ beatitudinis præsignari autumant. Cæteræ literales sunt; at earum nonnullæ à germano sensu recedunt, vt illa Augustini, quæ Mundum vnica die congestum ex hoc elicit. Impropriè siquidem reliqui dies memorarentur, si ex his Mundi opificium vnico die manasse euinceretur. Illæ quæ hebdomadam, seù sæculum, seù æuum vnum esse, seù lucis vnitatem denotari, ex eo quòd dies primus vnus appellatus fuerit, interpretātur: vera decernunt, sed longè à plano literæ sensu declinare mihi videntur. Non arbitrarer tamen Patres adeò præstantes, quales sunt Hippolitus, Basilius, Ambrosius, Procopius hebraicam loquendi consuetudinem ignorasse, quemadmodum Steuchus in Genesis caput primum putare non erubuit, cùm profectò solertissimi fuerint Scripturarum sacrarum perscrutatores: sed magis eos contemplandi gratia ita varijs interpretationibus lusisse existimarem. Explanatio illa, quæ ex his Monadis, seù unitatis præstantiam indicatam celebrat, peregrina prorsus censenda est. Alberti expositio Scholasticis fortè arridebit, sed meo iudicio literam ad abstrusos sensus compellit, ac pertrahit; ampliusq; disceptatione id indigeret, quomodo primus diuersitatem dicat secundum substantiam & esse, non autem secundus & tertius.

Ex prædictis interpretatiõnibus quæ literales sint.

Supersunt igitur duo reliqui Commentarij, plani, germani, ac proprij. Alter quidem D. Basilij ac Patrum, qui diem priscum dictum esse à Mose existimant diem vnum & non primum, vt eum naturalem fuisse, suisq; numeris, hoc est uigintiquatuor horis absolutum indicaret. Alter verò Nuperorum, qui ex hebraica phrasi vnum significare primum adnotant. Verùm ex his duabus interpretationibus primam adhuc (non reiecta secunda) præstantiorem arbitror, quoniam Mosis verba sensibus magis grauida ac ponderosa præmonstrat, scopumq; ac finem Vatis attingit.

Interpretatio vera.

DE

DE REBVS GESTIS in secunda die.





FATEOR id mihi nunc contingere, quod Nautis necdum diuersarum nauigationum experimento, vel inueterata nautica disciplina peritioribus factis, euenire haud raro perhibetur. Hi siquidem cùm nimio ausu, ac insueta animi magnitudine, æquora insidis ventis velis pansis peragrare præsumpserint, pererrato diu inter procellas, ac tumentes fluctus Oceano, dum ad terras nauem appellere sperant, sæpius se magis in altum tolli conspiciunt. Quapropter animo adeo consternantur, vt suscepti discriminis ipsos pœniteat, velaque retrorsum dare percupiant. Fateor (inquam) & hoc mihi profectò accidisse; audaci certè animo Commentarios hos aggressus sum, neruos omnes in has contemplationes contuli: verùm post diuturnas lucubrationes, cùm ad littora peruenisse existimarem, adhuc per altum ferri, ingentibus fluctibus iactari, maioribusque adhuc difficultatibus me opprimi experior. Non prorsus attamen animum despondebo; sed oculos ad polarem stellam, ad sacratissimam videlicet Deiparam sustollam, preces vultu cernuo effundam, vt è Cœlo mihi iter tutum impertiatur, syrtes maximas, scopulosque cunctos euitare largiatur.

Duas simul commixtas (vt totius literæ argumentum simul absoluam) & arduas, ac multorum iudicio necdum explicatas, nec explicabiles difficultates illustrare aggredior. Quodnam sit firmamentum illud, quod Moses secunda hac die Deum patrasse obtestatur: Et quæ aquæ sint illæ, quas secasse firmamentum illud narratur. Atque adeo simul connexæ, complicatæque sunt hæ duæ percunctationes, vt altera sine altera dissolui non posse videatur. Enitar nihilominus seorsum vtranque strictè, & clarè quoad fieri poterit, perpendere ac definire. Herculeos attamen labores hac in re mihi subeundos vereor, quandoquidem vno Hydræ exciso capite, plura mox renasci conspiciam. Nam si firmamenti nomine cum Patribus cœlestium orbium compagem interpretabimur, indagandum actutum erit, cuius sint substantiæ, num aqueæ, num igneæ, num ex summitatibus elementorum ignota nobis mistura compacti, num ex quinta quadam essentia congesti: ac denique num cœlestes illi orbes sphærici existimandi sint; de his enim omnibus inter Patres disceptatio est. Rursus si aquas supra Cœlos locatas fuisse admiserimus, decreuerimusque; statim percunctandum se ingerit, quod genus aquarum illud sit, num quinti generis, an elementatum; quòd si ex elementi natura, num labentium, num vaporearum, num glacialium. Deinde ad quid ibi à Deo superuectæ fuerint; num ad mitigandum flagrantem æstum syderum; num ad comprimendam ignis exustionem; num vt deiectę in diluuio terram obruerent; num ad demittendos imbres; num ad muniendum Cœlum; num ad impertiendos influxus cœlestes; num ignota incompertaque nobis caussa. Iucunda siquidem, sed ardua; præstantissima, sed difficillima hæc sunt.

Inter grauissimas profectò difficultates, quæ præclariora Doctorum ingenia molestarunt, atque mirificè defatigarunt, ea est de supernis aquis, in qua vna præcelsiores etiam Doctores potius aberrandi periculum subijsse visi sunt, quàm certam decisionem propalasse, qua celebris hæc disceptatio sedata, & diffinita videretur.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Fiat firmamentum.

Hebraicè Rachiaà; idest extensio.

a. *Extensio in modum metalli extensi.*
b. *Seu, in modum Cortinæ, vel Pellis explicitæ.*

Expostulat institutum nostrum, vt primùm de editione aliquid dicamus. Hebraica lectio habet, Sehi rachiaa pedoch amaim iehi maudil ven maim lamaim; hoc est: Sit expansio in medio aquarum, & sit diuidens inter aquam, & aquam, & Sehi rachiaa, hoc loco vertitur, Fiat, vel erit extensio, vel porrectio, seu dilatatio.

Pagninus, & Vatablus hanc sequuti sunt translationem: cùm sic hanc clausulā transtulerint: Sit expansio in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.

Lectionem hanc mirificè celebrant cuncti Rabbini Hebræi. Ex nostris, qui Hebraicum textum venerantur, suspiciuntque: cæterum in id insudant postea Doctores hi, vt quod extensionis genus hoc loco nobis denotetur, declarent.

a. *Extensio in modum metalli extensi.*

LVSITANVS Commentarijs in Genesim, extensionem eam, seu porrectionem in similitudinem laminæ malleis protensæ capi his tradit.

Dictio autem Raquiah, quæ hic ponitur pro firmamento, extensionem propriè significat ad modum metalli extensi. Nam verbum, Racah, significat extendere; à quo, Raquiah, vt ex multis locis Scripturæ constat. Nam Isaias quadragesimo secundo; Rocah, idest extendens terram. Et Psalmus centesimus trigesimus sextus; Ierocah, idest, extendenti Cęlos super aquas. Et expressiùs Ezechiel sexto; Percute manu tua, vrecah; idest, tere pede tuo. Vbi vides verbum significare, pede terere, aut pede extendere: quemadmodum malleo extenditur res. Et Hieremias decimo; Argentum, murecah, idest, extensum malleis de Tarsis adducetur. Significat ergo hic, Raquiah, extensionem ad modum laminæ malleis deductæ.

b. *Seu, in modum Cortinæ, vel Pellis explicitæ.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Iuxta Hebræum habetur; Et dixit Elohim, erit extensio inter aquas; & erit diuidens inter aquas ab aquis. Et post. *Fieri autem extensionem contingit multis modis. Ferrum enim extenditur malleo; aqua congelata extenditur rarefactione: infans extenditur motu augumenti; cortinæ extenduntur sola expansione. In sacra Scriptura hoc vltimo modo inuenitur hic textus expositus à Dauide in Psalmo centesimo tertio; Extendens Cœlos, vt cortinam: quamuis vulgata editio habeat, sicut pellem. Quocirca Dauidem sequendo, simplicissimam extensionem, quæ pura extensio est, quæve decet simplicia corpora, intelligimus: quasi ipsæ substantię quantæ quasi quantitate interminata borum corporum secundum se; sint velut cortinæ complicitæ, & ipsæmet extensæ sint velut cortinæ explicatæ, seu expansæ. Huc enim tendit Dauidis interpretatio: & huic sensui quadrat illorum sententia, qui dictionem interpretatam extensio interpretandam censent expansio. Sicut enim cortinæ complicitę latet certa quantitas latitudinis & longitudinis; ita substantiæ quanti interminati, latet quantitas terminata: & quemadmodum cortinæ quantitas certa expansione panditur; ita substantiæ quanta, extensione ad certos terminos perficitur.*

STEVCHVS in Genesis caput primum idipsum censuit.

Sed vox Hebraica Rachia, extensionem sonat, aut id quod extenditur, ac diffunditur, vt vela, ac cortinæ. Ducitur autem à Verbo Racha, idest extendit; Vt Exodi capite trigesimonono; Extendent laminas aureas. Sciendum itaque est, diuinas Scripturas ita loqui solitas, vt cùm elementa diffusa sint, ac longissimè porrecta, dicant Deum ea effudisse, atque porrexisse; ideò Isaias capite quadragesimosecundo ait; Qui extendit terram, & germina eius. Et eiusdem capite quadragesimoquarto; Quis porrexit terram præter me? De quibus nos suis locis dicemus, præsertim in Ezechiele, vbi huius vocis creberrima fit repetitio. Tota itaque Cœli porrectio, ac quasi effusio, Hebraicè appellatur Rachia.

Vel,

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat firmamentum.

a. *Vel in vtrunque modum.*
b. *Rachiaa non tantùm significat extensionem, sed effusionem, quæ propriè de aëre dicitur.*
c. *Rachiaa, Firmamentum.*

a. *Vel in vtrunque modum.*

HAMERVS Commentatione in Genesim.
Quod nos legimus firmamentum, in Hebræo legitur extensio, à Verbo expandit, extendit, vt sit, Fiat extensio in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et Post. *Cur autem Cælum extensionis vocabulo appellauerit, duplex ratio reddi potest: prima ex similitudine extensionis, vt extenduntur cortinæ, sumitur, tanquam Cæli creati fuerint inuoluti, & secundo die extensi. Argumentum habet hæc expositio ex Psalmo centesimo tertio, vbi iuxta Hebraicum legitur, Extendens Cęlum veluti cortinam. Ratio secunda sumitur, ex similitudine extensionis, qua extenditur argentum, seu ferrum, aut æs in amplas laminas; tanquam Cęli creati fuerint absolutè, & secundo die fuerint extensi ad terminos, ac figuras quas habent.*
Quæ probatior sit sententia, infra disceptabimus.

b. *Rachiaa non tantùm significat extensionem, sed effusionem, quæ propriè de aëre dicitur.*

RABBINI Parisienses in Annotationibus.
Firmamentum, vox Hebræa RACIA, significat extensionem, & expansionem, ut in Psalmo; Extendens Cęlum, sicut pellem. Quidam diffusionem significare dicunt, atque ita vertunt, Sit diffusum quoddam corpus inter aquas supernas, & infernas. Nam de aëre intelligit. Sunt autem duplices aquæ, aliæ marinæ, & fluuiatiles, aliæ sunt in media regione aëris, quæ sunt nubes, aquæ potentia, quas dicit diuidi ab istis inferioribus per aërem. Conuertit enim Deus aquas illas, quæ circundabant terram, in corpus illud extensum, quod est inter Cælum & Terram; idest, vertit in aërem.

c. *Rachiaa, Firmamentum.*

Paraphrasis Chaldaica legit; Sit Firmamentum in medio aquarum, & diuidat inter aquas & aquas.
Græca editio habet γενηθήτω στερέωμα ἐν μέσῳ τοῦ ὕδατος. καὶ ἔστω διαχωρίζον ἀναμέσον ὕδατος καὶ ὕδατος. hoc est; Fiat firmamentum in medio aquæ: & sit diuidens inter aquã, & aquam.
Vulgata nostra; Fiat fimamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis.
STEVCHVS loco afferto, primùm editiones has longè ab Hebraica discedere his tradit.
Tota itaque Cęli porrectio, ac quasi effusio, Hebraicè appellatur Rachia: neque propriè firmamentum ea vox sonat. Quare dubium fit, cur tam dissimili voce verbum Hebraicum reddiderint Septuaginta, & post eos Hieronymus. Præsertim cùm eius vocis inuentores, ipsi videantur fuisse: neque enim apud gentes vsque inueniemus Cælum appellari στερέωμα, idest firmamentum.
Edisserit autem amplius pluribus scitissime, Septuaginta Cęlum στερέωμα nuncupasse, tùm vt eius soliditatem atque duritiem innuerent, tùm vt eius stabilitatem, ac firmitatem indicarent, conformi sententia cum Scripturis, Poëtis, & Patribus, quorum testimonia ipse enumerat.
LIPPOMANVS ecõtra editiones has ab Hebraica posse deuenire his ostendit.
Quod nos firmamentum dicimus, Hebraicè RaKijaa, Græcè στερέωμα dicitur. RaKijaa autem tam firmamentum, quàm extensio interpretari potest, vtpotè à RaKaa verbo descendens, quod extendere, seu expandere, & stabilire, seu firmare significat. Primi ergo Septuaginta Interpretes, Cęlum στερέωμα, idest firmamentum nuncuparunt, aut eius soliditatem, atque duritiem innuere cupientes, vel stabilitatem, quam in suo situ accepit à Deo. Hebræi autem magis extensionem dixerunt, ad illius porrectionem, dilatationem, ac diffusionẽ aspiciẽtes.

AVCTOR.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Dixit Deus.

a. *Idest voluit, quia sermo Dei ipsius est voluntas.*
b. *Appositum est Dixit, vt indicetur vnigenitus Dei Filius.*

AVCTOR.

Existimo ego editionem tùm græcam, tùm nostram, hebraicæ non esse repugnãtem: Duoque afferre possum; Primum est, volumen illud, quod scripsit Moses, quodq; Septuaginta interpretes, & Diuus Hieronymus verterunt, fortasse perijsse, vel saltem hac nostra ætate adeo deprauatum vagari, vt nullius ferè sit authoritatis. Quapropter textum nostrum, & Septuaginta probatiorem quàm hebraicum, quem nunc præ manibus habemus, esse arbitror. Nullum etenim comperio testimonium, quod hebraicos textus, qui nostra hac ætate circunferuntur, antiquissimos esse & vetustissimos, vtpote à Mose vel ab Esdra conscriptos, nulloq; errore sordidatos demonstret. Deinde esto nos textum habere hebraicum, illi, quem Septuaginta, & Hieronymus approbarunt, consimilem, intelligere nõ possum, quo pacto Septuaginta interpretes linguæ hebraicę eruditissimi, & Hieronymus vir omni in idiomate disertissimus cœcutire, atque à vera significatione aberrare potuerint, prout Steuchus opinatur; maxime cùm Doctorum, & nuperorum alij RaKijaa vocem non tantùm extensionem, sed & stabilimentũ significare autument, sicuti & Rachaa, à quo descendit, non tantùm extendere, & expandere, sed stabilire, ac firmare significat. Sed de his fusiùs infra.

a. *Idest voluit, quia sermo Dei ipsius est voluntas.*

BASILIVS Hexæmeron, Homilia tertia.

Sanè quod primo aßumpsimus inquirendum loco, hoc est; Num Deus nostro loquatur more. Et quidem prius à rebus ipsis typus, siue adumbratio abstracta se inserit, & imprimitur intellectui, siue cogitationi hominis. Deinde post imaginationem rerum apprehensarum, seligens proprias, & cuique rei subiectæ accommodas significationes, pronuntiat. Secundum hæc, ijs, quę intellectu, cogitationeve apprehendit, subministrationi vocalium organorum velut per manus traditis, ita demum per aëris reuerberationem, & impreßionem, perq; intermediam motionem articulatæ vocis, eam in medium promit, & explicat, quam in arcano mentis receßu concepit, cogitationem? Quinam fabulosum dici non debeat, asserere velle Deo opus eße periodo eiusmodi, ad eorum, quæ semel mente conceperit, explicationem? An pietati consentaneum magis fuerit asserere sanctam eam voluntatem, ac primariam appetitionem, siue institutionem motionis illius spiritualis, verbum esse Dei?

b. *Appositum est Dixit, vt indicetur Vnigenitus Dei Filius.*

BASILIVS loco asserto.

Expreßiore pro in figura ipsum nobis Scriptura delineat, ac pingit, non in hoc modo, vt declaret Deum voluiße fieri creaturam, sed & eandem promotam eße ad generationem per vnum aliquem cooperarium. Vtique potuisset, quo iam initio cœperat, consimili stylo perstringere singula, & commemorare: In principio fecit Deus Cęlum & Terram. Subin, fecit firmamentum. Nunc autem dum imperantem inducit simul, & cum quopiam sermones pertexentem: eam, etsi silentio suppreßam, personam subindicat, cui & mandatum communicat, & quæ cum edisserit, nihil nobis inuidens illius cognitionem: potius nos charitatis flamma extimulans ad illius complexum desiderabilem. Vtriusque enim istius boni gratia, vestigia quædam, ac veluti delineationes rei arcanæ expreßiuas suppingit. Rem enim labore partam ingenti cum gaudio, ac veluti paßis vlnis plerique omnes exceptant, exceptam tuentur, ac seruant non indiligenter: contra, quorum cuique est panis vilis, & ad manum exposita indeptio, horum & aspernabilis est consequutio, nec difficilè venit in contemptum. Hac sanè gratia veluti viam, ordinemq; præstruens Scriptura, nos recta promouet ad cognitionem vnigeniti Dei: etiamsi incorporeæ illi naturę nihil ad eum modum fuerat opus intermedio sermone, quem ipsi voce promimus, quando quæ mente conceperat pater citra sermonis officium se insinuare poterant concreatori.

Quo

Dixit Deus.

a. *Sic dicitur, vt demonstretur nil condi potuisse, quin prius fuerit in Verbo.*

Fiat.

b. *Verbo fiat, denotatur Dei imperium.*

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Quò fit, vt vsus sermonis minimè necessarius sit ijs, qui inita consilia solo possunt intellectu inter se partiri communiter. Vt enim vox in gratiam indulta est auditus, ita & auditus propter vocem. Nam vbi non aër suppetit, non lingua, non auris, non item meatus in sinus plicatiles contortus ad eam vsque posituram in capite, quæ consentit auditui, sonos subuehens, nullus iam ibi vsus sermonis est, sed communis tum partitio voluntatis fit ex ipsis, ita enim dicere quis possit, medullaribus, hoc est in intimis cordium conceptis consilijs. Sanè, quod mihi dictum iam est, quò se mens nostra surrigeret ad eius inquisitionem personæ, ad quam hic intenditur sermo; figuratam hanc disserendi proprietatem sapienti admodum, ac prouida, nec minus artifici ratione sibi Scriptura asciuit.

a. *Memoratur verbum Dei; vt demonstretur nil condi potuisse, quin prius fuerit in Verbo.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro secundo, capite sexto.

An eo ipso quod scriptum est, Fiat firmamentum, hæc ipsa dictio Verbum est Patris, vnigenitus Filius, in quo sunt omnia quæ creantur, etiam antequam creentur; & quidquid in illo est, vita est; & vita vtique creaturæ, quia vtique creatrix; sub illo autem creatura? Aliter ergo in illo sunt ea, quæ per illum facta sunt, qui regit, & continet ea: aliter autem in illo sunt ea, quæ ipse est. Ipse enim vita est, quæ ita in illo est, vt ipse sit; quoniam ipsa vita est lux hominum. Quia ergo nihil creari posset, siue ante tempora, quod quidem non est Creatori coæternum, siue ab exordio temporum, siue in aliquo tempore, cuius creandi ratio, si tamen ratio rectè dicitur, non in Dei Verbo Patri coæterno coæterna vita viueret; propterea Scriptura priusquam insinuet vnamquamque creaturam ex ordine quo conditam dicit, respicit ad Dei Verbum, prius ponens, Et dixit Deus; Fiat illud. Non enim inuenit vllam caussam rei creandæ, quam in verbo Dei non inuenit creari debuisse. Non ergo Deus totiens dixit, Fiat illa, vel illa creatura, quotiens in hoc libro repetitur, Et dixit Deus. Vnum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula. Sed eloquium scribentis descendens ad paruulorum capacitatem, dum insinuat singillatim genera creaturarum, per singula respicit vniuscuiusque generis æternam rationem in Verbo Dei. Nec illa repetita, ille tamen repetit, Et dixit Deus.

Psal. 35. Psal. 71. Psal. 130.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Quid autem sit dicere Dei; Fiat hæc & illa creatura, iam supra dictum est: dixit enim vt fieret, cùm in coæterno sibi Verbo, vnigenito videlicet Filio, cuncta creanda disposuit. Cùm ergo audimus; Dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis; intelligamus quid in Verbo Dei erat, vt fieret, in quo faciendum intus ante omne tempus præuidit, quidquid foras ex tempore Deus fecit.

GLOSSA Interlinearis.

Dixitque Deus, quia Verbo Domini Cœli firmati sunt.

b. *Verbo fiat, denotatur Dei imperium.*

AMBROSIVS Hexæmeron, libro secundo, capite secundo.

Audi verba Dei: Fiat, dicit. Iubentis est, non æstimantis. Imperat naturæ, non possibilitati obtemperat; non mensuras colligit; non pondus examinat. Voluntas eius mensura rerum est. Sermo eius finis est operis. Fiat, inquit firmamentum inter mediam aquam. Firmum est omne, quod statuit Deus. Et satis pulchrè præmisit, Fiat firmamentum, antequam subijceret, inter mediam aquam, vt tu prius crederes firmamentum ex præcepto Dei factum, quàm de aquarum proflua qualitate dubitares. Si naturam elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illę profluunt, illud constringitur; illæ currunt, hoc manet. Et sit, inquit, discernens inter aquam. Sed aqua confundere, non discernere solet. Quomodo iubet, quod scit secundum elementorum rationem esse contrarium? sed cùm sermo eius ortus naturæ sit, iure vsurpat dare legem naturę, qui originem dedit.

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Genesim.

Et vide ineffabilem potentiam, quę omnem humanam excedit rationem. Nam solùm iubet, & accedit aliud

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat firmamentum.

a. Hoc est corpus quoddam non graue & mole crassum, sed tenue, rarum, & percolatum, solidum tamen, ac firmum ad coërcendas aquas.

aliud elementorum, & aliud decedit. Dixitque, ait, Deus; Fiat firmamentum in medio aquę, & sit distinguens inter aquam.

Nulla nobis ex præfatis obseruationibus venit repudianda. Graues profectò sunt, nec inter se repugnantes. Ex ipsis attamen literæ mentem, & clausulæ huius; Dixitque Deus, sensum, ea quæ primo loco adducta est enucleatius reserat, & pandit. Innititurque ei vulgatæ, atque cunctis calculis comprobatæ interpretationi, quæ, Dixit, interpretatur Voluit, & mandauit; de qua exactius supra.

a. Hoc est corpus, non graue et mole crassum, sed tenue, rarũ, & percolatum, solidum tamen ac firmum ad coërcendas aquas.

Patres hoc loco ferè omnes ad declarandam huius nominis firmamenti emphasim, & vim diuertunt.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia tertia.

Dein dicendum esse videtur, quænam sit ipsius firmamenti natura, & quam ob caussam inter aquas separandas institutum sit intermedium vt esset. Scriptura sacra nomine firmamenti, in ijs rebus, quæ robore, viribusque exuperant vti consueuit; quemadmodum cùm dicit; Dominus firmamentum meum, & refugium meum. Et, Ego confirmaui columnas eius. Et, Laudate eum in firmamento virtutis eius. Nam externi homines id firmum corpus dicunt, quod quasi solidum est, densum, ac plenum, vt à Mathematico corpore distinguerent. Est autem Mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit, latitudine inquam, longitudine, & profunditate. Firmum autem, solidumque, quod cum demensionibus, & renititur resistereque potest. Scriptura autem sacra, quod perrobustum est, neque cedit, id omne firmamentum dicere consueuit, atque adeò, vt & in aëre addensato hac ipsa voce plerunque vti videatur, veluti cùm dicit; Qui tonitruum firmat. Soliditatem enim & resistentiam eius spiritus, qui in nubium concauis sinibus includitur, atque ob violentam eruptionem, inde sonos ac strepitus eos efficit, quos tonitrua dicimus, firmitudinem tonitrui Scriptura nuncupauit. Igitur & hic etiam pro quadam firma, solidaque natura, ad detinendas aquas ac coërcendas idonea, quæ suapte natura dilabuntur, perfacileque dissoluuntur, hanc à Scriptura vocem ordinatam esse arbitramur.

Psal. 17. Psal. 74. Psal. 150.

Et post, id non esse graue, quia tenue & rarum, his ostendit.

Diximus quid apud Scripturam significati habeat firmamenti nomen. Nimirum naturam insinuat neutiquam reluctantem, aut solidam, quæve suo pondere grauis sit, aut renitens. Non eiusmodi dicit esse firmamentum. Alioqui si sic grauem mole eius intelligis naturam, propius ac iustius hanc sibi vendicasset terra nomenclaturam firmamenti: sed quòd natura rerum nobis supereminentium, ac sublimium tenuis admodum sit ac rara, nec vllo sensu possit percipi, hoc appellauit Moses firmamentum, corporum comparatione, quæ tenuissima sunt, ea quæ sensu facilè comprehenduntur. Mihi nunc tu locum vnum aliquem cogita humoris discernendi facultate præditum, qui quidem tenuem, & percolatum ad supera loca traijciat: eum verò qui crassissimus est, ac terræ immistus, ad infera demittentem, vt ab initio finem vsque, eadem in Vniuerso temperies conseruetur, calore paulatim humoris essentiam absumente.

RVPERTVS Commentarijs in Gen. lib. primo, cap. vigesimo secũdo.

Firmamentum non solidum quid aut durum, vt vulgo putatur, sed aër est extensus, & adeò subtiliatus, vt licet videri queat, rectius tamen spiritus dici possit, quàm corpus, testante Ecclesiaste, cùm dicit in luminaribus, quæ visibiliter in eo feruntur; Lustrans in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Hoc itaque cùm solidum non sit, sed neque ita corpulentum, vt hæc inferior pars aëris, aliunde tamen Scriptura illud nuncupauit firmamentum, videlicet eò quòd diuidat aquas ab aquis.

Eccles. 1.

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Genesim idipsum dixit, cùm vocauit firmamentum parietem, ac interstitium.

Quid est, Fiat firmamentum? Quasi quis dicat humana lingua; Fiat paries quidam, & interstitium in medio diuidens, & separationem faciens.

AMBRO-

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Firmamentum dictum, non quia stet, sed quòd intransgressibilis sit terminus aquarum.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quarto.
A firmitate ergo firmamentum est nuncupatum, vel quòd diuina virtute firmatum sit, sicut Scriptura nos docet, dicens; Laudate eum in firmamento virtutis eius. Psal. 150.

ORIGENES Homilia prima in Genesim.
Cùm iam antea Deus fecisset Cœlum, nunc firmamentum facit. Fecit enim Cęlum prius, de quo dicit; Cęlum mihi sedes est. Isa. 66. *Post illud autem firmamentum facit, idest corporeum Cœlum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum: & hoc est, quod diuidit inter aquam, quæ est super Cœlum, & aquam quæ est sub Cœlo.*

EVCHERIVS in Genesim, libro primo.
Fiat firmamentum. Firmamenti nomine Cœlum significauit: pro eo quòd fortiter & firmè compositum est.

a. *Firmamentum dictum non quia stet, sed quòd intransgressibilis sit terminus aquarum.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro secundo, cap. decimo.
Hoc sanè nouerint, nec nomen firmamenti cogere, vt stare Cœlum putemus. Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorũ aquarum vocatum intelligere licet.

EVCHERIVS in Genesim, libro primo.
Maximeq; propterea vocatum est firmamentum, propter firmitatem, siue sustentationem, & intransgressibilem terminum superiorum aquarum.

BEDA Libro de sex dierum Creatione.
Dixit quoque Deus: fiat firmamentum. Idem propter firmamentum stabilitatis, siue propter intransgressibilitatem superiorum, atque inferiorum aquarum.
Idipsum habet Quæstionibus in Genesim.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.
Notandum, quòd firmamentum non propter stationem, sed propter firmitatem, & intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum, appellatum est. Et post. *Sed firmamentum, non propter stationem, sed propter firmitatem, aut terminum aquarum intransgressibilem dici potest.*

GLOSSA Interlinearis.
Fiat firmamentum; id est, intransgressibilis terminus.

MAGISTER Scholasticę Historiæ in Genesim, capite quarto.
Et dicitur firmamentum, non tantùm propter sui soliditatem, sed quia terminus est aquarum, quæ super ipsum sunt, firmus, & intransgressibilis.

HVGO Carensis in Postillis.
Et dicitur firmamentum, quia firmum: & quia terminus est aquarũ, quæ super ipsum sunt, intransgressibilis.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima, ex Augustino vt Glossa hausit.
Quæritur etiam si stet, an moueatur Cœlum. Si mouetur, inquiunt, quomodo est firmamentum? Si stat quomodo in eo fixa sydera circumsistunt? Sed firmamentum dici potest, non propter stationem, sed propter firmitatem, vel terminum aquarum intransgressibilem.

Patres omnes ferè in hanc ipsam nominis firmamenti etymologiam properant. Quãquam alij ex aquis condensatum concretumque, alij ex summitatibus elementorum ignoto nobis genere compactum impermeabile illud reputent, alij verò seu ex igne, seu ex aëre constrato, congestum ac permeabile illud decernant. Sed de his infra.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat firmamentum.

a. *Firmamentum dictum, quia ingenerabile, & incorruptibile.*
b. *Vel, quia stabile & firmum in suo situ, vel solidum & durum.*

a. *Firmamentum dictum, quia ingenerabile, et incorruptibile.*

Doctores nuperi, qui Aristotelis dogmata amplexati Cœlos ex quinta essentia conflatos autumant, firmamentum appellari diffiniunt Cœlum, quia corpus ex quinta essentia incorruptibile censeatur.

ALBERTVS Magnus, quem vnum adducam pro omnibus, prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quęstione quarta, atticulo decimonono.

Dicimus, quòd firmamentum dicitur à firmitate naturæ, quia ipsum non generatur, neque corrumpitur; vt supra probatum est, & non ab immobilitate secundum locum. Quod autem dicit Glossa, quòd firmiter stat inter aquas inferiores, & superiores: Dicendum, quòd hoc non est propter ponderositatem aquarum superiorum, vt patet ex prædictis, sed propter firmum concentum calidi & sicci frigidi & sicci, calidi & humidi, & frigidi & humidi. Hic enim concentus impedit nociuitatem vniuscuiusque per se; & dicitur propter hoc firmum, quia est indiuisibilis concentus ille, cùm sit extractus extra actionem & passionem contrariorum.

b. *Vel quia stabile, & firmum in suo situ, Vel quia solidum, & durum.*

STEVCHVS, Recognitione in Genesis caput primum, cùm Septuaginta Interpretes, Hieronymumq; ab Hebraica veritate, qua legendum credit, Fiat expansio, & non Fiat firmamentum, discessisse tradidisset, de hac nomenclatura adiecit.

Quæ nos de hac re cognita habeamus, in medium afferemus. Igitur Septuaginta Cælum στερέωμα nuncuparunt, aut eius soliditatem, atque duritiem innuere cupientes, vel stabilitatem, quam in suo situ accepit à Deo. Quod non solum Cælo tribuunt ipsi interpretes, verumetiam terræ, vt Psalmo nonagesimosecundo; Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Eandem etiam firmitatem, atque stabilitatem plerisque alijs vendicarunt. Vt igitur terram à Deo stabilitam esse dixerunt, idem fortasse sentiunt & de Cælo, cùm soliditatem, aut firmamentum ipsum appellant. Nam & illud quod erat Hebraicè Psalmo trigesimosecundo; Verbo Domini Cæli facti sunt: ipsi verterunt ἐστερεώθησαν, idest, firmati sunt. Hebræi ergo ad porrectionem, ac diffusionem respexerunt, Septuaginta ad stabilitatem. Est ergo Cælum porrectum, ac firmatum, sicut & terra. Vel certè, quod est melius, firmamentum appellarunt; vt eius duritiem, ac soliditatem innuerent.

Caussam reddere pręstantissimi Patres nituntur, vnde cęlestium sublimium corporũ compago firmamenti nomen sibi vendicarit. Et ex ipsis postrema, ut firmamentũ nuncupari censet ex duritie, & soliditate, ab ante enarratis non discrepat: Vt verò firmamentum appellari opinatur, quoniam stabile, ac firmum sit suo in situ, quemadmodum & terra in Mundi centro, non sine controuersia est acceptanda; quamuis enim non decidant à superno suo loco cœlestia ea immensa corpora, perenni tamen volubili motione aguntur, cùm terra immota consistat. Altera, quæ Cœlum ex eo firmamentum nuncupari decernit, quia à corruptione, & generatione sit innoxium, Peripateticã profectò redolet philosophiam, quintamq; quandam essentiam à Patribus propemodum commentitiam fabulosamq; existimatam astruit. Superest igitur vt hoc in loco Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Origeni, Augustino, Eucherio, Bedæ, cæterisq; præclari nominis Patribus adhærentes, Cœlum ex eo firmamentum nuncupari existimemus, quia solidum, firmum, impenetrabile, vt impermeabilis paries, sit, ad coërcendas, sustinendasq; supernas aquas, terminusq; intrãsgressibilis, qui traijci ab ipsis nequeat aquis. Quæ de natura Cęli edisserebant Basilius, Rupertusq;, exactius infra perpendentur.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Idest, Fiat aër.*

De Genesi Cœlorum.

Locus hic, in quo Cœlorum astrigerorum structuram habemus, ille est, qui non tantùm Patres priscos, sed magis Doctores nuperos mirifice defatigauit. Quid enim firmamenti nomine intelligat Moses, quid effectum sit hac secunda die, arduum est diffinire. Hinc non mirandum, si diuersæ repugnantesque excitantur sententiæ. Harum præcipuas, quas haurire potui, ingenue referam.

a. *Idest, Fiat aër.*

Perulgatior verisimiliorque suo apparatu se offert ea sententia Patribus vetustis non ignota, & à pluribus nuperis mordicus amplexata, quæ firmamenti nomine hoc loco significari censet non eam Cœlorum congeriem, in qua sitæ splendent stellæ, sed aëris elementum totum, seu illam aëris inferni partem, quæ desuper nubes, im bres, rores, aqueasque impressiones conglutinat, ac sustinet.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro secundo, capite quarto, quanquam firmamenti nomine Cœlorum congeriem cùm ea superna aëris regione, quæ nubibus, flatibusque non obruitur, intelligi diiudicet, vt suo loco demonstrabimus, hanc tamen propositam sententiam sua tempestate viguisse tradit. Cùm enim hanc excitasset difficultatem: vtrum nunc illud Cœlum fiat, quod excedit aëris omnia spatia, eiusque omnem altitudinem, vbi etiam luminaria, stellæque constituuntur quarto die, an ipse aër vocetur firmamentum: cùmque pluribus ex pondere, & natura elementorum, aquas super aërem, ignem, & Cœlos vehi nequire demonstrasset adiecit.

Talibus eorum disputationibus cedens, laudabiliter conatus est quidam demonstare aquas super Cœlos, vt ex ipsis visibilibus, conspicuisque naturis assereret Scripturæ fidem. Et prius quidem, quod facillimum fuit, ostendit & hunc aërem Cęlum appellari, non solo sermone communi, secundum quem dicimus serenum, vel nubilum Cęlum, sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cùm dicuntur volatilia Cœli, cùm aues in hoc aëre manifestum sit volare. Et Dominus, cùm de nubibus loqueretur; Faciem, inquit, Cœli potestis probare. Nubes autem etiam per proximum terris, aërem conglobari sæpe cernimus, cùm per decliuia iugorum ita recumbunt, vt plerunque excedantur etiam cacuminibus montium. Cùm ergo probasset, & hunc aërem Cęlum dici, nulla alia caussa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia interuallum eius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas, quæ corpulentius in terris fluitant. Matth. 16.

Hæc Beda Quæstione in Genesim non intercisa narratione inseruit.

Et post. *Hanc ergo diligentiam, considerationemque laude dignissimam iudico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, & in proposito documento credi potest.*

GLOSSA Ordinaria compendiosè Augustini coëgit disputationem, cùm dixit.

Quæritur vtrum illud Cęlum nunc fiat, quod excedit aëris spatia, an ipse aër vocetur firmamentum? Asserunt enim aquas super Cęlum sydereum esse non posse, cùm earum pondus exigat hoc, vt supra terram fluant, vel ferantur vaporaliter in aëre. Nec quisquam dicat fieri hoc omnipotentia Dei. Quomodo enim Deus naturas rerum fecerit, quæritur; non quòd ex eis ad miraculum potentiæ operetur. Qui verò negant aquas super Cęlum esse posse, non tantùm locis, sed & qualitatibus distinguunt elementa, pro quibus sortiantur propria loca, vt sit aqua super terram, aër super aquam, Cœlum super aërem. Vnde colligitur, quòd si aër super Cęlum maneret, ex pondere suo caderet: & sic aquam super Cęlum eśse non posse. Vnde quidam conantur demonstrare, aquas esse super Cęlos, aërem hic, Cœlum & firmamentum accipientes, propter hoc tantùm, quia interuallum eius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & aquas, quæ sunt in terris.

EVCHERIVS eam contemnere non est ausus.

Quærendum est, vtrum hunc aërem nebulosum nominet firmamentum, qui diuidit aquas superiores nubium ab inferioribus, quæ in terris fluunt. Nam & ipse aër, Cœlum vocatur, sicut legimus; Volucres Cęli: dum non de illo superiore dicatur, sed de isto, in quo aues volitant.

BEDA Commentarijs in Genesim.

Vtrum nunc illud Cœlum fiat, quod excedit omnia aëris spatia, & in quo constituantur quarto die luminaria: an ipse aër vocetur firmamentum, merito quæri potest. Multi enim asserunt aquarum naturam super sydereum Cęlum esse non posse, eò quòd sic habeant ordinatum pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporaliter circunferantur. Quidam his consentiens ostendit hunc aërem Cœlum appellari: sicut communi sermone dicimus serenum Cęlum, nebulosum Cęlum. Et Scriptura aues Cœli vocat, cùm aues in aëre manifestum sit volare. Firmamentum verò appellari, quia interuallum illius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas visibiles, quæ in terra fluitant.

Abraham, Aben Esra, ex Rabbinis Hebræis, firmamenti nomine hoc loco intelligi dixere non quidem ipsam Cœlorũ massam, aut congeriẽ in qua stellæ sitæ sunt, quomodo vocatur paulò inferius, cùm dicitur; Et posuit eas (stellas videlicet) in firmamento Cœli: sed solum aëris elementum, atque illud vel totum, vel eius etiam solum infernum interstitium, (vt gemina sit synecdoche) & uolũt aquas, quæ super hoc firmamentum commigrarunt, fuisse nubes, imbres, & aqueas impressiones reliquas, quæ in sublimi etiam nunc gignuntut. Hæc Vielmius Lectione decimaquarta.

TOSTATVS in Postillis hæc eadem his Rabbinis adscripta reijcit.

Rabbi Abraham abenazra videtur velle, quòd istud firmamentum sit prima pars, vel interstitium aëris, quod est inter nos, & locum aëris, in quo fiunt impressiones meteorologicæ. Et motiuũ est, quia firmamentum dicitur positum in medio aquarum, scilicet inter aquas Oceani, & fluuiorum, quæ sunt in superficie terræ, & inter aquas, quæ generantur in medio interstitio aëris. Sed ista positio nulla est, quia infra dicitur, quòd Sol, & Luna sunt in firmamento, sed non sunt in aëre.

D. THOMAS prima parte, quęstione sexagesima octaua, articulo primo, post plures sententias hanc ita recitat, vt videatur plurimum sibi arrisisse.

Potest autem & alio modo intelligi, vt per firmamentum, quod legitur secunda die factum, non intelligatur firmamentum illud, in quo fixæ sunt stellæ, sed illa pars aëris, in qua condensantur nubes. Et dicitur firmamentum, propter spissitudinem aëris in parte illa. Nam quod est spissum & solidum, dicitur esse corpus firmum, ad differentiam corporis Mathematici, vt dicit Basilius. Et secundum hanc expositionem, nihil repugnans sequitur vnicuique opinioni. Vnde Augustinus hanc expositionem commendans, dicit. Hanc considerationem laude dignissimam iudico. Quod enim dixit, neque est contra fidem, & in promptu posito documento credi potest.

D. Thomas itaque cùm primo die Solem motionem diurnam auspicatum esse dijudicauerit; ampliusque Fiat lux, hoc est, Fiat Sol sine speciali uirtute ad determinatos effectus, sit interpretatus; Solisque conuersione diem primum confectum fuisse decreuerit, uti supra retulimus: non potest certè elabi, quin & cunctos orbes cęlestes, seu in exordio temporum, seu in prima die conditos astruat. Et cùm elementa cuncta in temporum primordijs cum Chaos prodijsse velit, libentiùs à Thomistis ediscerem, quodnam ex D. Thomæ arbitratu censendum sit secundæ diei opus, nam grauissimè, & scitissimè quidem ipse inter plures assertiones ludere comperitur.

Hamerus Commẽtatione in Genesim hanc interpretationem prolixius disserit, nec eam repudiat.

STEVCHVS in Cosmopœia, omnium quos viderim acerrimus fuit huius sententiæ propugnator, non tantùm firmamenti nomine aërem solum capi, sed & secundo die eius manationẽ recenseri autumans. Cuius orationis prolixæ argumentum ego membratim sic colligo. Primùm firmamenti nomine Cęlorum compagem hoc loco non accipiendam esse, sed aërem argumentatur, ex eo quòd earum rerũ, quæ pateant oculis nostris tantùm Moses genesim memoret, orbium, qui ratione non sensu percipi possint, prætermissa narratione. His autem & proponit, & primam pro suo astruendo placito adducit rationem.

Ad fontem igitur sacrorum oraculorum recurrentes, quem portum in omni difficili, atque aspera quasi iactatione & tempestate, dubitatione inuenimus tutissimum, docemus aliud intelligendum hoc loco firmamentũ, & Cęlum, quàm substantiam illam orbium cęlestium, siue perpetuum quendam, & terras circumquaque ambientem globum, quem quidem oculis non percipimus, sed tum Philosophi tradidere nobis, tùm sit ratione manifestus

festus, quòd corpora fulgentia desuper, quorumq; sunt perpetui cursus & conuersiones, hos certos tenere motus non possint, nisi ab vnoquoq; orbe suo deferantur. Tū apparet eodem in loco cardinibus insistentibus, fieri totius simul, eundem locum cunctis stellis tuentibus, machinæ Cęlestis conuersionem, quod sine orbe, qui gerat infixas luces illas, fieri non potest. Quod vt verissimum sit, quia tamen non patent oculis hi orbes, arbitramur autem Mosen omnium sensibilium, oculisq; apparentium rerum originem docere voluisse, nullum de his orbibus dicimus hic esse sermonem.

Alteram secundo loco affert, quòd Hebræa nomina non Cœlos, sed aërem sua significatione indicent & demonstrent.

Sed tùm ordinem descriptionis à natura, tùm nominum proprietatem à Scripturis petentes, hæc duo nomina, Shamaim, & raKia, primum designat Cœlum, alterum diffusionem, pro aëre dicimus hic esse accipienda.

Amplius, quòd id naturæ in rerum ipsarum manatione, & descriptionis Mosis ordo expostularit.

Ordo autem est descriptionis & naturæ, vt post Solem sequatur aër, quòd ardentissima Solis lampade inflammata, eaq; super immensas aquas, quæ nullis infernè fluminibus, quibus nunc, nullis supernè imbribus augebantur, iubar suum præpotens, rapidum, demittens, magnam aëris regionem, perinde atque nunc solet, effecerit. Quod simul effectum esse, vt Sol extiterit, descriptio, & natura demonstrat. Quid enim aliud flagrante desuper Sole, inferius tantarum agminibus aquarum iacentibus, & late abysso decumbente fieri debuit, quàm aëria substantia, quam Deus ad infinita omnium generatim rerum commoda, sed animalium præcipuè, excogitabat.

Rursum, quoniam si aër secundo die effectus non fuisset, aquæ tertio cogi in vnum locum nequiuissent.

Quomodo enim vnum in locum aquæ conuenissent, quod prodit Moses, si plena erant aquis vniuersa? omnes voragines, omnes conualles, montes item omnes essent sub aquis. Stabant enim, ait Dauid super montes aquæ. Quo inquam, modo in vnum locum secessissent? Quis enim erat locus, quin aquis esset demersus, & circumfusus? Certè igitur id fecit denudationem terrarum, & aquarum in vnum locum concessum, quòd maxima earum pars in vapores, aëriosq; tractus abierunt. Vno rotatu Sol orbem circumuectus, tantas exoluit cateruas aquarum, vt tunc Cęlum, idest aër, & raKia, idest diffusio aëriæ regionis effecta, mox autem & terra sit detecta.

Amplius adhuc, quòd non Cœlo, sed aëri conueniat esse interstitium inter aquas, & aquas.

Hoc etiam est, quamobrem cum commemoratione istius Cœli, miscet Moses etiam aquarum superiorum, & inferiorum mentionem. Aquarum scilicet, quæ in aëre generantur, quæque remanserunt in terris. Quid enim oportuisset cum Cęlo aquas commemorare? Quę cognatio? Quid simile? Quid finitimum? Qua præterea caussa, qua ratione, à firmamento interiecto, in creatione rerum, tanquā mœnibus, quibus superiores & inferiores diuiderentur, sunt aquæ separatæ? Quicquid enim quod ante coiret, aliqua re interiecta, hinc atq; hinc partibus suis sepositis separatur, partes habet illas inter se adhærentes, sola mediatrice re separante. At si firmamento interiecto aquæ supernæ quędam sunt ab inferioribus diremptæ, deberent hinc atque hinc hæ adhærere ipsi firmamento. Nunc autem videmus infinitam propemodum distantiam ab aquis inferioribus ad Cœlum, siue firmamentum, ut cùm creatione firmamenti commemoratas aquas esse marinas nulla ratione factum videatur. Quę enim necessitas, quæ ratio Cœli conditionem, stabilitatemque describentem, cogebat inferiores aquas, idest mare, cùm eadem conditione comprehendere? Quid enim similitudinis, ac societatis mari cum Cœlo? Quid aquis nunc facit etiam firmamentum? Nam quod tunc factum est, debuit vsque ad hoc tempus perseuerare. At mare à firmamento nihil accipit, à quo immensis regionibus, & magno naturæ discrimine seiungitur. Quoniam ergo in creatione molis cęlestis superuacanea fuisset illa inter superiores & inferiores aquas intersiti discriminis commemoratio, necesse est illud Cœlum intelligere, quod & natura cum aquis, & situ sit contiguum.

Tandem de Cęlorum emolitione, hęc versus finem concludit.

Nos igitur (quanquam doctissimi Græci duos Cœlos induxerint: Primum supernum quoddam supra firmamento, de quo dictum sit, In principio creauit Deus Cęlum & Terram: alterum creatum secunda die, appellatum firmamentum, hocq; secundum velint esse crystallinum) dicimus, habita prius omni veneratione tantis viris, ex his quæ nobis videntur, hos Cęlos sic esse digerendos, vt Cęlum, quod creatum dicant secunda die, reuocetur in primum, vt spiritus Domini creauerit Cęlum illud crystallinum ex aquis, non secunda, vel prima die; nam nulla dies sine Cęlo esse potuisset, cui Sol est affixus diei creator, sed ante diem, quando Spiritus Domini ferebatur super aquas: ideò subito lux extitit: Deinde Cœlum, quod dicunt esse primò creatum supra firmamento, dixerim non esse apud Mosen, vt qui nec de Angelis sit vsquam locutus. Nam Cœlum illud, si esset, esset Cęlum Empyreum, de quo non est credendum Mosen scripsisse, apud quem de solis corporeis rebus creatis est sermo. Deinde Cœlum secundi diei dicimus esse aërem, de quo nihil illi sunt locuti.

Hoc igitur est argumentum sententiæ Steuci, ipsiusmet oratione explicatum.

Fiat

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat firmamentum.

a. *Idest, Fiat Octaua sphera.*
b. *Vel, Qualitas quædam aduentitia Cœlis adijciatur.*

a. *Fiat Octaua sphera.*

Recens Neotericorum Doctorum se obijcit sententia, quæ firmamenti nomine octauam sphæram interpretatur. Hi quidem vulgatam significationem sunt sequuti, rati octauam sphæram firmamentum rectiùs appellari, vel quòd ex tardissimo motu, rudibus firmum illud Cœlum appareat, vel quòd in eo innerrantes stellæ fixæ varijs motibus inter se non seiungantur, sed eandem omni æuo faciem præseferant, ac eadem spatia inter se conseruent.

HAMERVS Commentatione sua in Genesim hanc memorat sententiã.

Sunt etiam qui ab Astronomia intellectum mutuentur. Interpretantur enim firmamentum hoc octauam sphæram, innumeris stellarum facibus aptam. Hæc à Græcis vocatur Aplanes, à Latinis inerratica.

D. THOMAS Postilla in Genesim (si D. Thomæ illud nuper emissum opus est censendum) hoc uisus est sensisse.

Firmamentum autem illud, quòd istas aquas diuidit, est Cęlum ipsum, in quo sunt stellæ fixæ, sub quo sunt septem Planetæ, & eorum orbes; & dicitur à firmitate formæ, quia est incorporale, neque recipit peregrinas impressiones. Dicitur etiam firmamentum à firmitate loci, quia quamuis maneat super Polos suos quantum ad singulas partes, tamen totum suum locum non mutat, & sic à firmitate actus dicitur etiam.

CATHERINVS Enarratione in primum caput Genesis.

Simul ergo prima die ex illa informi materia creata est Solis lux, & orbes Planetarum, & elementa, terra, aër, aqua, & ignis.

Postea sub verbo Firmamentum, cùm firmamenti nomine aërem intelligi nequire demonstrasset, adiecit.

Cęlum ergo, quod nos sydereum vocamus, videlicet octauam sphæram, hoc nomine intelligi debere longè aptius est, & rectius: quoniam dignum fuit dici Cœlum, quod est summum inter eos orbes, qui videntur à nobis.

Nullis, quæ uiderim, fulcitur interpretatio hęc argumentis.

b. *Qualitas quædam aduentitia Cœlis adijciatur.*

Extarunt ex Doctoribus quamplures, qui firmamenti nomine congeriem corporum cęlestium uenire non abnuerint, sed ex eo quod dictum est, Fiat firmamentum, non intelligendum esse hac secunda die à summo opifice illa fuisse producta, sed potius congessisse in ipsis qualitatem, seu accidens aliud, quo prius minime prædita cernebantur.

LYRANVS in Postillis.

Considerãdum, quòd præter Cœlum Empyreum est Cœlum crystallinum, quod etiam dicitur aqueum propter similitudinem, quam habet cum aqua in diaphaneitate, & sub ipso Cęlo crystallino est firmamentum: sub quo nomine intelligitur octaua sphæra, quæ magis propriè dicitur firmamentum, & sphæræ septem Planetarum, quæ continentur sub octaua sphæra: videlicet Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ: Ita quòd sphæra Saturni est superior existens immediatè sub octaua sphæra: Sphæra autem Lunæ inferior, cui immediatè coniunguntur Elementa.

Effectio ista Cœlorum non intelligitur, quantum ad formam substantialem, inquit Lyranus. Vnde subdit.

Istud fieri non intelligitur quantum ad formam substantialem. Quia sic factum est per opus creationis secundum istam expositionem, vt prędictum est. Sed intelligitur secundum aliquam qualitatem ipsius firmamenti: quæ autem sit illa qualitas, in textu non exprimitur.

Fir-

Anno Mūdi primo Die secunda.

Fiat firmamentum.

a. Firmamentum, idest soliditas in corporibus cœlestibus.
b. Vel in ipsis robur ad conseruanda, regendaque elementa.
c. Seu valida distinctio in eis motuum retrogradorum contra motum primi mobilis.

a. Firmamentum, idest soliditas in corporibus cœlestibus.

RABBI Samuel Hebræus, teste ipso Lyrano, pro effectione Cœlorum, quæ secunda hac die enarratur, soliditatem ipsis adiectam interpretatur.

Firmamentum est soliditas, de qua dicitur Iob. Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi quasi ære fundati sunt. Et propter hoc ipsum Cęlum tunc vocatum est firmamentum à firmitate dictum. Iob.37.

b. Siue in ipsis robur ad conseruanda, regendaq; elementa.

LYRANUS in Postillis.

Alij dicunt, quòd ista qualitas est quædam virtus ad influendum super elementa, ad ipsorum conseruationem & gubernationem: propter quod dicitur primo Metheor. quòd Mundus, qui est circa Terram, idest elementa, contiguus est superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus gubernetur inde.

Superadijcit Lyranus.

Quod autem in Scriptura sacra res aliqua fieri dicatur, secundum acquisitionem alicuius dispositionis accidentalis, probat idem Rabbi Samuel, per illud quod habetur in Deuteronomio de muliere Gentili captiua apud Hebræum virum, de qua dicitur ibidem; Quòd si voluerit habere eam vxorem, radet cesariem suam, & Deut.21. *circuncidet vngues suos, secundum translationem nostrum: sed textus Hebraicus habet: Et faciet vngues suos. Ex quo patet manifestè, quòd fieri vnguium, ibi accipitur pro dispositione accidentali ipsorum. Possumus etiam ad hoc ponere exemplum secundum translationem nostram Daniel quarto, vbi dixit Nabuchodonosor Rex Babylonis; Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ædificaui? Et tamen certum est, quòd non fecit primo illam ciuitatem, quia multi Reges fuerunt ante eum in Babylone, immo etiam illa ciuitas videtur fundata & ædificata satis citò post Diluuium, vt habetur Gen. primo. Sed quia Nabuchodonosor eam ampliauit & fortificauit, ideò dicitur eam ædificasse, seu fecisse: & eodem modo dicitur hic; Et fecit Deus firmamentum, quia secunda die dedit sibi qualitatem accidentalem, vt prædictum est.*

Tostatus Postillis in Genesim, in prima expositione hæc eadem Lyrani repetit. Sæpius profecto Lyrani commentaria in suis interserit.

c. Aut valida distinctio in eis motuum retrogradorum contra motum primi mobilis.

AEGIDIUS Hexæmeron parte secunda, capite decimoseptimo, cùm nomine firmamenti octauam sphæram, seu Cœlum stelligerum innumeris stellis insignitum interpretandum esse, pluribus astruere contendisset; capi etiam posse pro congerie Cœlorum censuit: sed opus secundæ diei nihil aliud esse, quàm orbium ipsorum peculiarem motionem diffiniuit. Post multa siquidem ancipiti sententia prodita hæc subijcit.

Sed quæres, quomodo factum fuit firmamentum secunda die? Ad quod dici potest, quòd non fuit factum quantum ad substantialem formam, quia & ipsa elementa secundum substantialem formam fuerunt facta ab ipso primordio; multo ergo magis Cęli: sed dici potest factum firmamentum secunda die quantum ad distinctionem. Nam ab ipso primordio fuit factum Cęlum aqueum, quod est primum mobile, omnia alia inferiora secum circumuoluens, excepta terra, & quæ claudebantur inter montes terræ. Sed secunda die potest dici, quòd incępit moueri firmamentum contra motum primi mobilis, vt ex tunc diceretur fieri, quia factum est distinctum, & habuit motum distinctum contra primum mobile. Quare si accipiatur firmamentum pro solo Cęlo sydereo, factum fuit tale firmamentum secunda die; quia ipse die incępit habere motum sibi proprium distinctum à primo mobili. Si verò accipiatur firmamentum pro Cęlo sydereo, & omnibus alijs inferioribus Cœlis, verificatur etiam quod dicitur, quòd moto Cęlo sydereo in contrarium, omnes Cœli inferiores incęperunt etiam circumferri.

Firmamenti

Anno Mūdi primo Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Firmamenti nomine cuncta inter primum orbem, & aquam intersita intelligenda sunt.*
b. *Quapropter interpretandum, Fiat Firmamentum idest Dispositio corporum omnium simplicium ab aqua & terra ad supremum orbem secundum situm.*
c. *Vel soliditas in corporibus inter aquam & primum mobile intersitis, præcipuè in aëre, vt aquas ferat.*

a. Firmamenti nomine, cuncta inter primum orbem, & aquam intersita capienda sunt.

Non defuere etiam ex nuperis Doctoribus, qui firmamenti significationem non ad aërem tantùm, seu ad octauam sphæram solùm, seu ad cuncta corpora cœlestia traxerint; sed consimul firmamentum corpora cuncta simplicia, quæ inter aquæ & terræ sphæram, & supremum orbem interseruntur, hoc est aërem, ignem, Cœlosque astrigeros, significare, & exprimere diiudicarint. Effectionemque huius secundæ diei non harum rerum omnium genituram fuisse, sed potius inditam ipsis quādam qualitatem, seu dispositionem (dispari etiam inter seinuicem sententia) existimarint.

b. Firmamentum. Dispositio corporum omnium simplicium ab aqua & terra ad supremum orbem secundum situm.

CAIETANVS in hanc visus est rapi sententiam, cùm in Commentarijs suis in Genesim, Firmamenti nomine, præter Cœlos, ignem & aërem, & omnia corpora simplicia, non ratione substantiæ, sed extensionis ad certos terminos intelligi docens, hæc habet.

Nomine extensionis appellari in hoc textu omnia corpora simplicia sita inter primum mobile, & elementum aquæ, non solum hinc & inde explicatæ aquæ manifestant, sed etiam in opere tam quartæ, quàm quintæ diei aperitur: nam quarta die luminaria locantur in extensione; & quinta die aues volant in extensione. Quemadmodum itaque tertio die aquæ elementum describitur per modum congregationis cedere terræ, vt appareat; ita in hoc secundo describitur per modum extensionis corporum simplicium, occupari situm vniuersum inter primum mobile, & elementum aquæ, ita quòd Mundus quatenus perfectus secundum situm medium inter primum mobile, & elementum aquæ, est materia secundi diei: hæc enim perfectio consequens est ad perfectionem primam, qua Mundus perfectus est primo motu & luce. Et quia extensio supponit rem quantam, quæ extenditur, instruimur ex ipsa extensionis ratione, substantiam quidem quantam quantitate interminata istorum corporum simplicium, sicut & omnium esse corporum simplicium, spectare ad opus primæ diei (propter quod vniuersitas diaphanorum corporum, vocata est à Mose primo die, abyssus; hoc est, profunditas immensa) extensionem autem istorum ad certos terminos, esse opus secundæ diei.

c. Firmamentum, idest soliditas in corporibus inter aquam et primum mobile intersitis, præcipuè in aëre, vt aquas ferat.

VIELMIVS Lectione decimaquarta.

Hunc vtique sensum verba ea, Fiat firmamentum, habent. Fiat solida & vigorosa tota corporum moles à primo mobili ad Oceanum, & terram vsque; & sanè ita, vt aquas vtrinque tangat à conuexa scilicet, & à concaua sui parte, hoc est, supernis ambiatur, & infernas ipsa similiter ambiat, nec interim fatiscat. Amplius, fiat & hæc quoque eius infima portio ita solida, quæ aër est, vt tanquam interstitium, & paries quidam supra sui partem aliquam, aquas pro opportunitate locorum, & viuentium ferat, ac deorsum maria complectatur, ac nunquam tamen defluat. Vtrunque enim miraculum arbitror nobis Spiritum Sanctum in præsenti exposuisse: de quorum tamen alterutro, antedicti Doctores cogitasse, non nisi videntur.

Hoc

Anno Mũdi. primo. Die secunda

Fiat Firmamentum.

a. *Hoc est, munus conferatur aëri, vt locus naturalis generationis aquarum sublimium esse possit.*
b. *Vel, Fiant corpora cœlestia.*

a. *Hoc est, munus conferatur aëri, vt locus naturalis generationis aquarum sublimium esse possit.*

PERERIVS vir hac nostra ætate eruditione præclarus, præcedenti cõsimilem excitauit sententiam, censuitq; primùm firmamenti nomine totum id spatium, quod à terra protenditur ad Astra, significari. Ait enim.

Nos igitur existimamus nomine firmamenti, hoc loco significari à Mose totum illud spatium, quod expansum & diffusum est circum terram vsque ad astra: scilicet quatenus oculorum acies vsquequaque porrigi potest. Huius spatij supremam partem tenent Cœli, & astra; imam partem elementum ignis & aëris. Et Moses aliquando loquitur de firmamento ratione supremæ partis, vt cùm dicit sydera esse posita in firmamento; interdum ratione inferioris partis, vt cùm ait aues volare in firmamento, & firmamentum diuidere aquas superiores ab inferioribus.

Ampliusq; ex nebula ea prisca diffusa effectos fuisse ignem & aërem, vel lucis ardentissimæ vi, vel Dei virtute. Adeas tantum Doctorem hæc disertiùs explicantem.

Verùm antedictarum à se rerum memor factus, mutata sententia, non aërem secunda hac die conditum, sed ipsi ad ferẽdas aquas sublimes facultatem collatam his tradit.

Veruntamen quia supra diximus similius vero esse, omnia elementa simul cum omnibus Cœlis esse facta secundum substantiam, dicendum potius est hoc die factum esse aërem non secundum substantiam, sed factum esse medium quendam terminum disterminantem aquas pluuiales à terrestribus, & esse factum locum naturalem generationis eiusmodi aquarum sublimium: ita vt hoc die facta sit distinctio elementi aquæ in aquas aëreas & terrestres: tertio autem die facta est aliquatenus distinctio aquæ à terra. Ergo die secundo factus est aër non simpliciter, sed vt rationem haberet firmamenti, & munus diuidendi aquas ab aquis. Neq; necesse est hoc die sublatos esse vapores, & nubes in sublime, & in media regione aëris generatas fuisse aquas, cùm infra dicat Moses cap. secundo, quòd condito iam Paradiso, nondum pluerat super terram: sed hoc die designatus & destinatus est aër, vt esset locus naturalis aquarum, & diuideret aquas ab aquis.

Munireque contendit hic Doctor suam sententiam nonnullis non aspernandis rationibus: de quibus infra.

b. *Fiant corpora cœlestia.*

Patres prisci ferè omnes firmamenti nomine Cęlos, in quibus postea quarto die intexta sunt astra, capi arbitrantur, eosque hac secunda die emanasse edocent, eo videlicet modo, vt ex aquis tanquam crystallum solidati, seù alio nos latente constitutionis genere compacti, aquarum partem sustulerint. Recensebo primò sacrorum Poëtarum, deinde Patrũ numerosas sententias, si non explicitas, saltem adeo præclaras, vt ex ipsis per firmamentum Cœlos astris postea insignitos, eos intellexisse ingenuus lector comprehendere valeat.

TERTVLLIANVS Poëmate inscripto Genesis, Cœlum manasse secunda die, sic clarè cecinit.

Quum Dominus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem.

GREGORIVS Nazianzenus pari sententia Poëmate de Virginitatis laudibus.

Condita principiò lux est, vt gratior esset
Tota operis moles, iucundo lumine fulgens.
Postea tornasti (facinus mirabile) Cęlum,
Perspicuum Solis radijs, Lunæq; rubentis.

CLAVDIVS Marius Victor Commentarijs in Genesim, lib. primo.

Anno Mudi. primo. Die secunda

Sic facta vna dies de mane, ac vespere primo.
Rursus mane nouum, primo iam vespere pulso,
Reddita lux fecit, quum se firmissima moles
Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit, ac latè duro solidata rigore,
Diuisas suspendit Aquas, gelidumq; profundum
Axibus obiecit calidis, seque æquore septo
Nixa superfudit rebus, quas circite vasto
Contegit æthereum, deducto hinc nomine, Cęlum.

DRACONTIVS Hexæmeron, seu de opere sex dierum.

Altera quippe dies Cęli conuexa meretur.

Per alteram autē diē Dracontiū intellexisse secundā, ipsa lectio clarissimè patefacit.

SYBILLINORVM Oraculorum libro primo, idem prorsus ordo, quo post Chaos terræ, & aquæ, lumen primùm, deinde Cęlum, tertiò mare, inde Astra prosilijsse à Mose narratur, lepide contexitur.

Sic fatus, fiat, factumq; est, nanque locauit,
Quæ cingatur aquis, & cingat tartara, terram:
Dulce dedit lumen: Cęlum subuexit in altum:
Et mare cæruleum explicuit, Cęlumq; renidens
Astrorum clara cinxit, densaq; corona.

PHILO disertè id perhibet de Mundi opificio, libro primo.

Iamq; perfectus erat Mundus ille incorporeus, situs in diuino Verbo, cùm sensibilis hic ad exemplar alterius absoluebatur: & ante alias eius partes, potissimum omnium faciebat Conditor, Cœlum videlicet, quod aptè firmamentum appellauit, vt rem corpoream. Corpus enim naturaliter firmum est, solidumque tres dimensiones habens. Solidi autem & corporis, quæ potest esse alia cogitatio, quàm quaquauersum dimensio?

IOSEPH de Antiquitatibus libro primo, capite primo.

Post hæc secunda die Cęlum super omnia collocauit, ipsumq; ab alijs distinguens in semetipso constitutum esse præcepit, & ei crystallum circumfigens, humidum eum, & pluuialem ad vtilitatem, quæ sit ex terræ imbribus, congruè fabricatus est.

CLEMENS Recognitionum libro primo.

Iam verò aqua, quæ erat intra Mundum, in medio primi illius Cęli, terræq; spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata, distenditur, & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media Cęli & terræ spatia, idq; firmamentum, Cęlum Conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum.

Et libro secundo inter Cęlos firmamentum numerat, cùm ait.

Cęlos autem esse, qui ab ipso facti sunt, sicut & lex dicit, quorum vnum sit superius, quo continetur visibile firmamentum.

Iunilius in Hexæmeron hæc ipsa desumpsit.

IVSTINVS libro Quæstionū à Gentibus Christianis positarū, quæstione sexagesimatertia, cùm inter Cœlum primum & firmamentum, & aëris spatia discrepantiam ponat, & firmamentum essentia Cœlum esse tradat, certè firmamenti nomine nil aliud quàm Cœlum supernum, astrorum sedem, intelligi debere edocuit. Hæc eius sunt verba.

Diximus suprà, solitam esse diuinam Scripturam vocare Cęlos, aut eos qui per se & essentia Cœli sunt, veluti primum Cęlum & firmamentum, aut aëris spacia, vt dicat Cęlos Solis tabernaculum posuit.

Ezech. 1. TERTVLLIANVS libro de Trinitate, quem Nouatiano Iacobus Pamelius ascribit, cùm in eam Ezechielis incidisset clausulam, quę est. Et similitudo super capita animalium firmamenti quasi aspectus Crystalli horribilis, & extenti, firmamenti nomine Cœlum intelligi sic diffiniuit.

Hinc est, quòd & desuper Cherubim sedet; idest, pręest super operum suorum varietatem; subiectis Throno eius animalibus præ cæteris principatum tenentibus; cuncta desuper crystallo contegente, idest, Cęlo omnia operiente, Quod in firmamentum de aquarum fluente materia fuerat, Deo iubente, solidatum, vt glacies robusta aquarum terram pridem contegentium diuidens medietatem, dorso quodam pondera aquæ superioris, corroboratis de gelu viribus sustineret.

ORIGENES in Genesim Homilia prima.

Isa. 66. *Cùm iam antea Deus fecißet Cœlum, nunc firmamentum facit. Fecit enim prius Cęlum, de quo dicit; Cęlum mihi sedes est. Post illud autem firmamentum facit, idest corporeum Cęlum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum: & hoc est, quod diuidit inter aquam, quæ est super Cęlum, & aquam quæ est sub*

est sub Cœlo. Cùm enim ea quæ facturus erat Deus, ex spiritu constarent,& corpore,ista de caussa in principio,& ante omnia Cęlum dicitur factum, idest omnis spiritalis substantia, super quam velut in Throno quodam,& sede, Deus requiescit. Istud autem Cœlum, idest firmamentum corporeum est.

HIPPOLYTVS Romæ, qui fortè Hippolytus fuit ille Portuensis Episcopus,& Martyr.

Cùm enim aquarum abundantia super faciem terræ diffunderetur, propter quod terra erat inuisibilis & incomposita,Deus omnium Dominus, cùm voluit inuisibilem visibilem facere, tunc tertiam aquarum partem potentia sua in medio fixit; tertiam verò supra firmamentum eleuauit: tertiam demum infra esse voluit, ad hominum scilicet vsum, atque vtilitatem.

HILARIVS Enarratione in Psalmum centesimum trigesimumquintũ.

Fecit autem Cęlos in intellectu: non irrationabiles,neque informes,neque confusos & inordinatos. Sed cum regionem cognitionis suæ, qui infinitus est,collocaret,Cęlo superiore,atque primo,eodemque in Orbem collocato: terminum quendam virtutibus,quæ primum ad cognoscendum se gignerentur,inclusit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent; nisi naturæ temperatioris obiectu, sedem hanc moderatę ad infirmitatem habitationis incolerent. Aquis etenim eleuatis illam ipsam primi Cęli naturam temperauit, quæ superni Dei accensa virtute nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cęlum verò inferius non vniforme, sed multiplex tetendit; quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum,temperationemque aëris nostri firmitate solidauit.

BASILIVS longa enarratione plura de hoc firmamento disceptans Hexæmeron Homilia tertia, plura quoque edidit monumenta, quibus firmamenti nomine Cœlos astrigeros intelligendos esse edoceat. Primùm enim cùm eleganti oratione disputasset, num firmamentum Cęlum sit diuersum ab eo, quod conditum fuerat cum Terra in primordijs temporum, his concludit.

Dictum est à nonnullis nostris maioribus, non esse secundi Cœli hunc ortum, sed explanationem quandam prioris; propterea quòd illic Scriptura Cęli ac Terrę creationem in summa quidem tradidit: hic verò modum, quo singula facta sunt, exactiùs explicet. Nos autem dicimus,cùm nomen diuersum, officiumque peculiare Cęli secundi traditum sit,aliud hoc præter id esse,quod in principio est effectum, solidioris sanè naturæ, præcipuum quoque officium Vniuerso subministrans.

Rursum de firmamenti natura disceptans, hæc habet.

Dein dicendum esse videtur,quænam sit ipsius firmamenti natura,& quam ob caussam inter aquas separandas institutum sit intermedium vt esset. Scriptura sacra nomine firmamenti, in ijs rebus, quæ robore, viribusque exuperant,vti consueuit; quemadmodum cùm dicit; Dominus firmamentum meum,& refugium meum. Psal. 17.
Et, Ego confirmaui columnas eius. Et,Laudate eum in firmamento virtutis eius. Nam externi homines id Psal. 74.
firmum corpus dicunt,quod quasi solidum est, densum, ac plenum, vt à Mathematico corpore distinguerent. Psal. 150.
Est autem Mathematicum corpus,quod in dimensionibus solis consistit, latitudine inquam, longitudine, & profunditate. Firmum autem, solidumque,quod cum dimensionibus & reniti, resistereque potest. Scriptura autem sacra, quod perrobustum est, neque cedit, id omne firmamentum dicere consueuit,atque adeò,vt & in aëre addensato hac ipsa voce plerunque vti videatur, veluti cùm dicit; Qui tonitruum firmat. Soliditatem enim & resistentiam eius spiritus, qui in nubium concauis sinibus includitur, atque ob violentam eruptionem inde sonos ac strepitus eos efficit,quos tonitrua dicimus, firmitudinem tonitrui Scriptura nuncupauit. Igitur & hic etiam pro quadam firma, solidaque natura,ad detinendas aquas, ac coërcendas idonea, quæ suapte natura dilabuntur, perfacileque dissoluuntur, hanc à Scriptura vocem ordinatam esse arbitramur. Nec tamen ipsum firmamentum,cùm iuxta communem, & vulgatam acceptionem ex aqua videatur ortum habuisse suum, aut aquæ in glaciem concretæ,aut materiæ cuiquam tali, quæ sui principium ortus ex humore percolato sumit, simile censendum est esse,qualem crystalli lapidis naturam esse constat: quem ob exuperantem aquę congelationem,in eam essentiam quam obtinet,asseuerant transmutari, aut specularij lapidis qualis est natura, qui inter metalla concrescit. Est sanè lapis hic transparens, ac pellucidus, & peculiari quadam, ac purissima perspicuitate prænitens, adeò vt si is suæ naturæ numeris omnibus responderit, neque vlla exesus putredine, sed nec vlla sui parte perruptus, cum aëre contendit, eique ferè perspicuitate similis esse videtur. Ex his igitur nulli simile firmamentum esse censemus. Est enim puerilis, simplicisque profectò mentis,tales de corporibus cœlestibus opiniones habere. Neque tamen si cuncta in cunctis insunt, ignis in aëre, aër in aqua, cæterorumque similiter aliud inest in alio,& nullum omninò eorum,quæ sub sensum cadunt, elementum syncerum est, mixtioneque caret,vt non sit aut medij,aut oppositi sibi particeps: firmamentum ob id ipsum,aut ex vno simplicium corporum,aut ex omnibus mixtum esse asserere nobis placet, qui iam ab ipsa diuina Scriptura, ita instituti sumus,vt nihil vltra ea,quæ sunt concessa menti nostræ,imaginari,cogitareque concedamus.

Gregorium Nazianzenum hoc ipsum existimasse non reperij: non deest attamen Nicetæ obtestatio,qui id ei ascribat.

NICETAS siquidem Commentarijs in Orationem quadragesimam tertiam hæc habet.

Fiat lux: quid caussę sit, cur Theologus Deum opus suum à lumine auspicatum esse dicat. Quod etiam non hoc tantùm loco dicit, sed in Poësi quoque sua, in qua ita cecinit.

Principiò lumen summus moderator Olympi
Fecit, vt accessu lucis iucundior esset
Tota operis magni facies: at postea Cęlum
Sydereum, facinus mirabile, duxit in Orbem.

Et post. *Sed multis modis hanc dubitationem soluere licet, atque ostendere Theologi verba cum Mosis verbis nequaquam pugnare. Primùm, quia Moses quoque ipse post primi Cęli creationem lumen factum, deinde firmamentum, in quo & Solem, & sydera collocata esse asserit. Eodem enim modo Theologus quoque lucem primùm conditam fuisse ait: deinde Cœlum hoc stellis distinctum, quod etiam firmamentum nominatum est, ac primo hoc Cœlo inferius est, quod prophanis quoque scriptoribus, Mosis doctrinam suffurantibus, ac sibi vendicantibus, Cœlum syderibus carens dicitur.*

GREGORIVS Nyssenus de Historia sex dierũ, quibus Mundus à Deo creatus est, disertiùs hæc ipsa approbat.

Sed ad continuationem commentationis, & explicationis rursus progrediamur, quomodo, posteaquam ignis supremum sensibilis naturæ terminum semel ambiuisset, atque lustrasset, consequenter firmamentum factum sit, quod confinium superarum, & inferarum aquarum esse dicit. Nam ego corpus quidem densum & spissum, solidum, resistens, ac durum, siue ex quatuor illis vnum, siue etiam aliquod aliud præter hæc, quemadmodum externis Philosophis visum est, nullum circa firmamentum arbitror spectari: sed extremitatem sensibilis naturæ, quam natura ignis irrequieta, semperque se mouente vi lustrat, & ambit, eam à Scriptura firmamentum dici comparatione sempiternæ, incorporeæ, tactumque effugientis proprietatis. Quis enim ignorat, quòd quicquid solidum & firmum est, per quandam duritiem prorsus densatum & consolidatum sit? At quod densum & durum est, à qualitate ponderis & grauitatis, vacuum, ac purum non est. Quod autem graue est, ad supera ferri natura non potest. Atqui supra omnem sensibilem creaturam firmamentum est. Non igitur aliquid crassum, & corporeum circa ipsum esse putare consequentia sermonis dat: sed vt dictum est, comparatione cum eo, quod cognitione, & mente percipitur, & incorporeum est, quicquid sensibilis generis est, solidum dicitur: etiamsi naturali tenuitate effugiat animaduersionem & visum. Quocirca consequenter quicquid ambitu ignis comprehensum est (comprehensa est autem extrema ora materialis naturæ, quæ semel proprio quodam termino circumscripta est) firmamentum quidem propter materialem naturam comparatione superorum appellatum est; Cœlum autem ei impositum est nomen: quemadmodum etiam luci nomen diei, item tenebris noctis nomen imposuit.

Et post de triplici Pauli Cęlo disceptãs, quàm scitè discrim inatum quid esse aërem à firmamento existimet, clarè his tradit.

Existimo igitur extremam sensibilis Mundi partem, tertium Cęlum appellatam esse à Paulo, in treis quidem partes quicquid apparet diuidente: secundum consuetudinem autem Scripturæ vnamquamque harum partium Cœlum nominante. Nam sermo Scripturæ abutendo quibusdam verbis, vnum quidem Cęlum nominat, terminum crassioris aëris: quousque etiam nubes, & venti pertinent, & altè volantium auium natura fertur:
Gen. 1. *Etenim etiam nubes Cœli dicit, & volucres Cœli; ac non simpliciter hoc Cęlum dicit, sed cum adiectione etiam firmamenti. Dicit enim, Edant aquæ reptilia animarum viuentium, & volucres volantes supra terram circa firmamentum Cęli. Deinde alterum & Cęlum, & firmamentum denominat, id quod post inerrantium stellarum sphæram intrinsecus spectatur: in quo errantes stellæ versantur. Dicit enim; Et fecit Deus luminaria magna, & collocauit ea in firmamento Cœli, vt lucerent super terram. Nemini autem eorum, qui aliquocunque modo rerum vniuersitatis digestionem considerauerit, incognitum est, quanto hæc inferiorem locum, quàm supe rus ille cursus, obtineant. Atque ipsam etiam extremitatem sensibilis Mundi, quod confinium est eius, quæ cogitatione percipitur, creaturæ, & firmamentum, & Cęlum nominat.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite secundo.

Discernens inter aquam, & aquam. Et factum est sic. Audi verba Dei; Fiat, dicit. Iubentis est, non æstimantis. Imperat naturæ, non possibilitati obtemperat: non mensuras colligit, non pondus examinat. Voluntas eius, mensura rerum est. Sermo eius, finis est operis. Fiat, inquit, firmamentum inter mediam aquam. Firmum est omne, quod statuit Deus. Et satis pulchrè præmisit: Fiat firmamentum, antequam subijceret, inter mediam aquam: vt tu prius crederes firmamentum ex præcepto Dei factum, quàm de aquarum proflua qualitate dubitares. Si naturam elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illę profluunt, illud constringitur: illæ currunt, hoc manet. Et sit, inquit, discernens inter aquam. Sed aqua confundere non discernere solet. Quomodo iubet, quod scit secundum elementorum rationem esse contrarium? Sed cùm sermo eius ortus naturæ sit, iure vsurpat dare legem naturæ, qui originem dedit.

Et

Et post capite tertio.

Et hinc tractatus vtrum hoc firmamentum appellet, quod ante iam fecit, de quo scriptum est; In principio fecit Deus Cælum & Terram. Nec fallit, quod aliqui ante nos ita acceperint, eo quòd supra creatum, auctore Deo, & conditum Cælum Scriptura expresserit, hic expositionem operis, creationisq; diffuderit, vt ibi quasi summa operis breuiter comprehensa sit, hic operationis qualitas per ipsas concurrentium rerum digesta sit species. Sed mouet nos, quia & nomen aliud significatur, & species solidior, & caussa discernitur, & persona cooperatoris adiungitur. Sic enim scriptum est; Et discreuit Deus inter medium aquæ, quæ erat sub firmamento, & inter medium aquæ, quæ erat super firmamentum.

HIERONYMVS in Epistola ad Oceanum.

Inter Cęlum & Terram medium extruitur firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis ἐτυμολογίαν, Cęlũ, idest Samaim, ex aquis sortitur vocabulum: & aquæ, quę super Cælos sunt, in laudes Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Propheta; Crystallũ super Cherubim videtur extensum, idest compactæ, & densiores aquæ.

Et Commentarijs in Psalmum decimumoctauum exponens illud; Cœli enarrant gloriam Dei, ait.

Cęlum, hoc est firmamentum. Vnde dixit; Et posuit Deus firmamentum inter medium aquarum; idest, Cęlum. Et Post. *Et vt sciamus, quia hoc est firmamentum, quod & Cęlum dicit in Genesi, Et appellauit Deus firmamentum Cœlum.*

D. AVGVSTINVM per firmamentum Cœlum syderibus exornatum, ac emicans intellexisse, passim plures eius doctrinæ loci euincunt. Seligam nonnullos ex præstantioribus.

AVGVSTINVS igitur primò de Genesi ad literam libro secundo, cap. primo, hanc proponit difficultatem.

Vtrum autem nunc cùm dicitur, Fiat firmamentum, illud Cęlum fiat, quod excedit aëris omnia spatia, eiusq; omnem altitudinem, vbi etiam luminaria, stellæq; constituuntur quarto die, an ipse aër vocetur firmamentum, quęri meritò potest. Multi enim asserunt istarum aquarum naturam super Syderum Cælum esse non posse, quòd sic habeant ordinatum pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporaliter ferantur.

Cumque pluribus disceptasset ex pondere & natura elementorum, aquam superemi nere terræ, aërem aquæ, & ignem aëri, ob idq; difficulter credi posse aquas super Cœlum sydereum considere, atque etiam eam sententiam, quæ firmamenti nomine aërem interpretabatur, commendasset, vtpote quæ hanc difficultatem euitet: concludit tandem, aquas ibi esse vel subtilissimos in vapores cōcisas, vel glaciali soliditate constrictas, & concretas: adijcitque in capite quinto.

Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus: maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Certè si per firmamentum Cęlum astrorum sedem non intellexisset Augustinus, nul la fuisset hæc disceptatio.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima, de opinione Augustini hoc iudicium tulit.

Vtrum verò nomine firmamenti Cœlum quod excedit aërem, an ipse aër hic intelligatur, idem Augustinus quærit, nec soluit. Magis tamen approbare videtur Cęlum illud hic accipi, quod spatia aëris excedit.

Alter locus ex libro de Genesi ad literam libro secundo, cap. decimo, desumitur: Disceptat enim eo capite, an mobile sit firmamentum, his verbis.

De motu etiam Cęli nonnulli fratres quæstionem mouent, vtrum stet, an moueatur: quia si mouetur (inquiunt) quomodo firmamentum est? Si autem stat, quomodo sydera, quæ in illo fixa creduntur, ab Oriente vsque ad Occidentem circumeunt?

Quod tandem soluit.

Hoc sanè nouerint, nec nomen firmamenti cogere, vt stare Cœlum putemus: Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum & inferiorum aquarum, vocatum intelligere licet.

Quis igitur adeò hebes est ingenio, qui hoc loco Augustinum per firmamentum Cęlum astrigerum capere non cognoscat? Locus est clarus; adijciamus & alterum de Ciuitate Dei libro vndecimo, cap. nono, vbi Angelorum genesim secundo die minime enarrari discept ans, ait.

Nunquid nam secundo? nec hoc quidem. Tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores & inferiores, Cœlumq; appellatum est: in quo firmamento facta sunt sydera quarto die.

Nescio quid apertius. Tandem libro Quæstionum ex vtroque Testamento mixtim (si D.

Quæst. 106. (si D. Augustini opus est, cùm id stylus abnuat, & plura alia contra Augustinianam doctrinam legantur inserta) habet.

Luce ergo facta, & cursu diei moderato, & peracto, secundo die fecit firmamentum, idest Cælum, vt lux in terra firmamenti moderaretur diem, vt esset quasi lucerna in domo. Hoc (inquam) firmamentum factum est ex supradicta aquæ substantia. Et Post. *Firmamentum ergo, idest Cælum factum est in medio aquarum; vt diuideret inter aquam, quæ erat super firmamentum, & inter aquam quæ erat sub firmamento: vt Dei virtute, in medio aquarum consisteret firmamentum, sub se, & intra se, & supra se, & circa se habens aquam, vt esset concauum deforis, & intra munitum, ne aquæ siue interiores, siue exteriores penetrarent concauum eius, vt esset quasi domus munita, atque firmata, vt securi essent habitantes in ea.*

CRYSOSTOMVS Homilia quarta in Genesim hæc eadem insinuasse visus est, cùm ait,

Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit distinguens inter aquam & aquam. Attende hic charissimè doctrinæ consequentiam. Quoniam antea nobis dixit post Cæli & Terræ Creationem; Terra autem erat inuisibilis, & inculta: & caussam apposuit, quòd propter hoc fuerit inuisibilis, quia à tenebris & aquis obtegebatur; Omnia enim erant aqua & tenebræ, & nihil præterea: Et postea quòd præcepto Domini producta sit lux, factaq; distinctio lucis, & tenebrarum: & illa quidem diei appellationem acceperit, hæ verò noctis: Iterum nos docere vult, quòd sicut tenebras separauit producta luce, & vtrisque congruum vocabulum indidit; ita & multitudinem aquarum præcepto segregat. Et vide ineffabilem potentiam, quæ omnem humanam excedit rationem. Nam solùm iubet, & accedit aliud elementum, & aliud decedit. Dixitq; ait, Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit distinguens inter aquam. Quid est, Fiat firmamentum? Quasi quis dicat humana lingua: fiat paries quidam, & interstitium, in medio diuidens, & separationem faciens. Et vt discas magnam elementorum obedientiam, excellentemq; virtutem opificis, ait; Et factum est ita. Dixit solùm, & opus secutum est. Et fecit, ait, Deus firmamentum, & diuisit Deus inter aquã, quæ erat sub firmamento, & inter aquam, quæ erat super firmamentum. Dicit; Facto firmamento, iussit aquas alias sub firmamentum ferri; alias autem supra dorsum esse firmamenti. Sed quid tandem esse dicemus hoc firmamentum? aquamne densatam, vel aërem constratum, vel aliam aliquam essentiam? Haud quis prudentium hoc temerè asseuerarit. Oportet enim magna modestia, & gratitudine, ea quæ dicuntur, à nobis accipi, & non vltra naturam nostram progredi, & scrutari quæ supra nos sunt: sed hoc solùm scire, & tenere apud nos, quòd præcepto Domini productum est firmamentum, separationem aquarum faciens, quod valeat alias sub se continere, alias verò in dorso suo ferre.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto.

Dicimus in totius Mundi generatione, Cæli facturam nos intelligere eam sphæram, quam quidam Sapientum (qui non ex nostris sunt) instellarem appellant, ea quæ Moseos dogmata sunt, sua efficientes. Deinde & firmamentum vocauit Deus Cælum, quod in medio aquarum fieri præcepit, ordinans ipsum dispescere medietatem aquæ, quæ super firmamento est, à medietate, quæ sub firmamento est: Cuius naturam D. Basilius tenuem dixit esse veluti fumum, ex diuina doctus Scriptura. Alij verò aqueam, vt quod sit in medio aquarum genitum. Alij ex quatuor elementis: Alij quintum corpus, & aliud ab illis quatuor esse. Nonnulli autem arbitrantur Cælum circulari motu Vniuerso circumferri, sphericæq; esse formæ, & vndiq; summam Vniuersi partem esse; mediastimam verò eius spatij, quod ab ipso continetur, esse partem infimam. Et post. *Est igitur Cælum Cæli, primum Cælum supra firmamentum collocatum. Ecce duo Cæli: nam & firmamentum vocauit Deus Cælum. Consuetudo etiam diuinæ Scripturæ est, aërem Cælum vocare, ab eo quod est sursum videri: Benedicite (enim inquit) omnes volucres Cæli, aërem intelligens: nam aër volatilium iter est, & non Cælum. Ecce tres Cæli, quos diuinus dixit Apostolus. Si autem septem circulos, septem Cælos suscipere volueris, nihil in ratione veritatis offenditur. Consuetum etiam, & in voce Hebraica Cælum, pluratiue vocare Cælos. Cælum igitur Cæli volens intelligere, Cælos Cælorum dixit: quod perinde significat, atque Cælum Cæli, quod est supra firmamentum, sed & aquas, quæ sunt supra Cælos, idest aërem firmamentum, septemve circulos firmamenti, consuetudine Hebraicæ linguæ, pluraliter Cælos nominat.*

Dan. 3.

ACACIVS, firmamentum non aërem interpretatus est, sed Cælum à supremo seiunctum, quod ipse ex aquis conflatum censuit.

Num fortè hoc secundum Cælum ad prioris Cæli differentiam firmamentum appellatur? Par est enim Cælum illud primum, ac supremum, longè tenuius, ac magis integrum esse. Nam & primum Cælum non firmamentum, sed Cælum nominatum est. Secundum verò, & Cæli & firmamenti nomen accepit. Cæli quidem, quia supra nos est, & prioris Cæli vices atque vsum nobis refert: Firmamenti verò, quia ex fluxa aquarum essentia constitit; & fluxa illa, ac liquida natura, densissima ac solidissima ab vniuersorum opifice Deo effecta est. Duos igitur tantùm Cælos diuina agnouit Scriptura. Neque te moueat quod dictum est, Cæli Cælorum. Nam neque aquæ vocabulum singulari nomine apud Hebræos profertur. Sed & illud sciendum, Terram quoque firmamentum in Scriptura dici, vt cùm ait; Qui firmauit terram super aquas. Et Esaias; Dominus qui fecit Cælum, & fixit illud, & firmauit Terram.

Psal. 135.
Esa. 51.

SEVE-

SEVERIANVS Gaballorum, si præstat eius verba audire, concretionem crystallinam ex aquis coactam, Cęlum dixit.

Hæc aqua triginta (verbi caussa) cubitis terram superabat. Dixit Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum, nec mora compacta est. In medijs aquis congelatio quædam crystallina id ipsum Cœlum est, quod dimidium aquarum secum suspendens reliquum infra reliquit. Et Rursum. *Cęlum ergo hoc non illud supremum, sed quod aspectabile est ex aquis, effecit Deus, & vt crystallinum fixit. Vide operum virtutem, vt opificem admireris. Mediam aquarum partem supra, mediam infra esse voluit.*

GENNADIVS consimilia tradidit.

Firmamentum itaque ex ipsius rei opificio appellauit, eo quòd cùm prius lenta, fluxa, solubilisque natura esset, solidam, & minimè mobilem constipationem accepit.

CYRILLVS Hierosolymitanus Catechesi nona.

Quid enim habeat, quod accusent, in hoc maximo Dei opificio? Qui stupere potius deberent, intuentes Cęlorum magnitudinem: qui adorare deberent constituentem tanquam fornicem Cœlum, & ex fluxa aquarum natura indeficientem Cœli naturam fabricantem. Dixit enim Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum. Semel dixit Deus, & permansit, neque deinceps cecidit. Aqua est Cœlum, & igneus in illo Sol, & Luna, & sydera. Et quomodo ignea in aqua currunt? Quòd si quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Aegypto tempore Mosis, exurentis in grandine, & consideret sapientissimum Dei opificium. Cùm enim futurum erat, vt propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra Cœlos, vt cùm terra pluuiarum irrigatione indigeret, paratum sit à natura ad hoc Cęlum.

Et Catechesi tertia.

Magnum enim quiddam est aqua, & ex quatuor Mundi elementis apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum est Cęlum: atqui ex aquis sunt Cœli.

THEODORETVS Quæstione vndecima in Genesim.

Quum Scriptura diuina doceat, in principio Deum creasse Cęlum & Terram, deinde post lucis creationem secunda die dicat firmamentum factum esse, imperitiæ plena videtur esse huiusmodi quęstio. Oportebat enim ex temporis ratione & ipso creationis modo, Cœlorum diuersitatem nosse, & vnum luce prius, alterum verò post lucem: & illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatum esse. Nam inquit, Fiat firmamentum in medio aquæ, quod per medium separet aquas ab aquis. Sic enim ab ipsa re, Cęli sortiti sunt appellationem. Siquidem quum ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida, condensata & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est. Deinde, quia sursum collocatum est, prioris Cęli vsum commodo nostro perficiens, Cęli nomen sortitum est.

PHILASTRIVS Heræseon Catalogo, Hæresi post Christum quadragesimasexta.

De Cęlorum diuersitate est hæresis, quæ ambigat; Scriptura enim in primo die Cęlum & Terram facta declarat duo hæc elementa: Secundo firmamentum æquè factum, & nihilominus ipsum firmamentum Cęlum appellatum fuisse testatur.

CLAVDIANVS Mamertus Viennensis libro secundo de statu Animæ.

In principio, inquit principium Geneseos, creauit Deus Cœlum & Terram. Si opinionibus missis, veri fidem quærimus: Ecce tibi creaturarum testem ipsum creationis auctorem, qui cùm ante omne tempus creauerit Cęlum & Terram, postque die vno fecerit lucem & firmamentum, secundo idem die condiderit, idque Cęlum abusiuo nomine vocitauerit, cui ratis interuallorum limitibus, loco, vel modo variantium porrò sydcrum ornamenta subtexuit. Animaduerti promptum est, hoc visibile firmamentum, tanto interuallo substantiæ Cœlo inuisibili cedere, quantum id idem terræ imis locorum intercapedine præeminere: quocirca alieno, ac translato nomine firmamentum istud Cęlum dici potest. Quum verò esse Cęlum, illi creato ante tempora Cęlo sit proprium; Enimuerò istud stelligerum, quod Cęlum dicimus, in Scriptura Geneseos Cęli dicitur firmamentum: quippe vbi luminarium creationem retexit, Fecit, inquit, Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento Cęli: qua videlicet auctoritate, verum illud vnum ante temporaneum Cęlum credere sinitur; quanquam istud, de quo agimus firmamentum, Cęlum dicere non inhibeamur, eo videlicet, quia Deus firmamentum vocauerit Cœlum.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim disertiùs hæc explicat.

Cæterum, qua ratione non emerget contrarietas, cùm videamus primum Cęlum esse constructum in principio vnà cum Terra, & simul cum his, quæ vnà extitere, quasi nihil præcesserit ipsum. Hoc verò, de quo nunc sermo est, secundo demum die effectum est in medio aquarum subsistens. Ex quo colligere licet, quòd firmamentum in eorum medio, quæ ipsum antecessere, constiterit.

Et de firmamenti muneribus, cùm sequitur.

Nec quis dixerit huius creationem superuacaneam. Nam dum haud exiguam aquarum vim, quasi tergo excepit, accidit vt relictæ aquæ expeditiùs & celeriùs in vnam colluuiem confluerent, & terra habitationi accommoda,

accommoda citiùs emergeret innundatione sublata. Primum quidem Cęlum propter immensam longinquitatem, nequaquam erat Terræ commensurabile: proinde nihil eius partus infinitos adiuuare quiuisset. Cæterum medium illud Cęlum, quod firmamentum vocant, progrediens quandam proportionem cum habitabili elemento traxit: & astra in hoc mediocri & debito interstitio collocata pulcherrimè, quæ Terra tenet, excolunt, & eliciunt, suoque calore perficiunt. Siquidem etiamnum Sol, si à nobis paululum recesserit, infirmiores ad nos dimittit radios. Proinde eo tempore, quo abest, omnia apud nos tùm frigidiora, tùm obscuriora sint. Quid verò, dic quæso, eueniret, si Sol in primo Cęlo constitutus fuisset? Certè Orbis partes, quæ nunc cultu nitent, & habitantur, profectò perpetuo frigore occupatæ squalerent, & incultæ forent.

Et post, de situ firmamenti.

Quantum autem primum Cęlum remotum est ab secundo, tantum distat secundum ad Orbe habitabili.

Tandem de natura firmamenti nonnulla subnectit; de quibus infra suo loco.

IVNILIVS Commentarijs in Hexæmeron.

Hic nostri Cęli, in quo fixa sunt sydera, creatio describitur: quòd in medio constat, firmamentum esse aquarum. Nam suppositas ei esse aquas & ipsi in aëre, terrisque videmus; superpositas, non solùm huius Scri-
Psal. 103. *pturæ auctoritate, sed & Prophetæ verbis edocemur, qui ait; Extendens Cęlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. In medio ergo aquarum firmamentum esse constat sydereum Cœlum. Neque aliquid probibet, vt & de aquis factum esse credatur. Quæ enim crystallini lapidis firmitas, quæ sit perspicuitas, ac puritas nouimus: quem de aquarum congregatione certum est esse procreatum. Quid obstat credi, quòd idem dispositor naturarum, in firmamentum Cęli substantiam solidaret aquarum?*

Glossa Ordinaria hæc coegit, vt post deducemus.

BEDA Expositione in Genesim, doctrinam quam D. Augustinus habet de Genesi ad literam libro secundo, à capite primo ad sextum, sic breuissimè restrinxit.

Vtrum nunc illud Cœlum fiat, quod excedit omnia aëris spatia, & in quo constituantur quarto die luminaria, an ipse aër vocetur firmamentum, meritò quæri potest. Multi enim asserunt, aquarum naturam super sydereum Cęlum esse non posse, eo quòd sic habeant ordinatum pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporaliter circunferantur. Quidã his consentiens, ostendit hunc aërem Cœlum appellari; sicut cõmuni sermone dicimus serenũ Cęlũ, nebulosũ Cęlũ. Et Scriptura aues Cęli vocat, cùm aues in aëre manifestum sit volare. Firmamentũ verò appellari, quia interuallum illius diuidit inter quosdam vapores aquarũ, & istas aquas visibiles, quæ in terra fluitant. Nos verò quomodo, vel quæ aquæ ibi sint, esse has super summũ Cœlum minimè dubitemus. Maiori est quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Eandem ferè doctrinam Augustinianam habet Quæstionibus in Genesim, & libro de sex dierum Creatione.

GLOSSA Ordinaria, cùm primus ea ferè methodo, qua Beda, Augustini sententiam compilasset, de qua infra, & Iunilij dicta colligit.

Psal. 103. *Cœli, in quo fixa sunt sydera, creatio describitur, quod constat esse in medio aquarum. Nam suppositæ sunt ei aquæ in aëre, & in terra, superpositæque: de quibus dicitur. Qui tegis aquis superiora eius. In medio ergo firmamentum est sydereum Cęlum, quod de aquis esse factum credi potest. Crystallus enim lapis, cuius magna firmitas, magna perspicuitas, de aquis factus est. Si quem mouet, quomodo aquæ naturæ fluidæ*
Iob 26. *& in ima labiles, super Cęlum possunt consistere, cuius figura rotunda videtur esse? de quo scriptum est meminerit Iob; Qui ligat aquas in nubibus suis &c. Qui enim infra Cęlum ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, potest super Cęli sphæram ne labantur, non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate aquas suspendere, qui etiam terræ molem appendit in nihilo. Quales autem, & ad quid vtiles; nouit ipse, qui condidit.*

ALCVINVS Quæstionibus in Genesim.

Secundo die Cęlum istud sydereum factum esse legitur, & tertia die Terram apparuisse, & vestiri floribus cœpisse.

ANSELMVS Canthuariensis de Imagine Mundi libro primo, capite vigesimoquinto.

Superius Cęlum firmamentum dicitur, eo quòd sit inter medias aquas firmamentum. Hoc est forma sphæricum, natura aquarum aqueum, stellis vndique versim ornatum, ex aquis instar glaciei, immo crystalli solidatum: vnde & firmamentum dicitur.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari.

Aquarum superior pars in modum crystallini lapidis congelata est; inferior in materiem redacta.

HVGO Victorinus præcipuè de Sacramentis libro primo, parte prima, capite decimoseptimo.

Factum est firmamentum die secunda, prius quidem in illa vniuersitatis materia de nihilo creatum: & nunc ex illa ipsa ad talem formam erutum & factum firmamentum, vt ambitu suo medium quodam modo interueniens, magnam illam aquarum, immensamque congeriem ab inuicem separaret, atque diuideret: & de aquis faceret

faceret aquas & aquas: hoc est aquas, quas ambitu suo intrinsecus complecteretur, & subtus se contineret: & aquas, quas extrinsecus, & supra gyrum limitis sui relinqueret.

RICHARDVS Exceptionum libro secundo, capite septimo.

Secunda die firmamentum factum est in medio aquarum, idest, in medio confusionis illius trium elementorum. Et post. *Firmamentum ex stellis supra infixis esse volubile comprobatur.*

MAGISTER Scolasticæ Historiæ, capite quarto.

Fecit ergo ea die Deus firmamentum in medio aquarum; idest, quandam exteriorem Mundi superficiem ex aquis congelatis, ad instar crystalli consolidatam & perlucidam, intra se cætera sensibilia continentem ad imaginem testæ, quæ in ouo est; & in eo fixa sunt sydera. Et dicitur firmamentum, non tamen propter sui soliditatem, sed quia terminus est aquarum, quæ super ipsum sunt, firmus, & intransgressibilis. Dicitur etiam Cęlum, quia celat, idest tegit omnia sensibilia.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima.

Sciendum est, quòd illius Cęli describitur hic creatio, sicut ait Beda super Genesim, in quo fixa sunt sydera: cui suppositæ sunt aquæ in aëre & in terra; & superpositæ aliæ, de quibus dicitur; Qui tegis aquis superiora eius. In medio ergo firmamentum est, idest sydereum Cęlum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallinus enim lapis, cui magna est firmitas, & perspicuitas, de aquis factus est.

BRVNO Carthusiæ Patriarcha in Psalmum centesimum quadragesimum octauum, exponens illud, Laudate eum Cœli Cœlorum, ait.

Non solum laudent eum Sol, & Luna, & Stellæ, & lumen; sed etiam laudate eum; idest materia estote laudandi eum vos superiores Cœli, Cęlorum inferiorum complexiui. Superiores qui Cœlos inferiores ambiunt, dicit firmamentum, & æthera: Inferiores verò circulos Planetarum, & aërem.

Sed clariùs libro de Nouis, capite secundo.

Secunda die fecit Dominus firmamentum in medio aquarum: diuisitq; aquas, quæ erant super firmamentum, ab ijs quæ erant sub firmamento; vocauitq; firmamentum Cęlum. Ecce alterum. Et hoc quidem est illud Cœlum, quod per Solem, Lunam, & Stellas, quæ in eodem fulgent, nostris oculis reuelatur.

GVLIELMVS Parisiensis primæ partis de Vniuerso prima parte, capite trigesimo quarto; firmamenti nomine Cœlos astrorum domicilia intelligi exponit: quanquam aquarum nomine non aquam nostram, sed massam, seu molem incongestam rerum interpretetur.

His igitur ita determinatis, & positis; videlicet, quòd Cęlum primum creatum sit quietissimum in extremo, & supremo Vniuersi corporei, seu corporalis, Terra verò ex opposito: dico, quòd consequens est, vt Cœlum, quod est in vltimitate mobilitatis, sit in æquali distantia ab illis duobus, hoc est dicere in medio eorum, sicut narrat sermo Propheticus; Fiat firmamentum in medio aquarum.

Et post, capite trigesimo septimo.

Et quoniam incępi ex incidenti exponere narrationem propheticam in exitu vniuersi corporei, siue corporalis à creatore, prosequar, & declarabo tibi firmamentum, siue Cœlum continens nouem Cęlos factum esse in medio aquarum: & diuidere aquas ab aquis, hoc est abyssum implentem totam concauitatem Cœli Empyrei vsque ad Terram.

Deueniamus ad Duces Scholasticorum.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione quarta, articulo decimonono, cùm firmamentum dici existimet non à firmitate siue à stabilitate, quasi non moueatur, sed ab impermutabili naturæ cōstitutione, eo quòd non generetur, neque corrumpatur, certè Cœlum incorruptibile astrorum sedem firmamenti nomine significari decernit.

Firmamentum dicitur à firmitate naturæ, quia ipsum non generatur, neque corrumpitur, vt supra probatum est, & non ab immobilitate secundum locum. Quòd autem dicit Glossa, quòd firmiter stat inter aquas inferiores, & superiores: Dicendum, quòd hoc non est propter ponderositatem aquarum superiorum, vt patet ex prædictis: sed propter firmum concentum, calidi & sicci, frigidi & sicci, calidi, & humidi, & frigidi & humidi. Hic enim concentus impedit nociuitatem vniuscuiusque per se: & dicitur propter hoc firmum, quia est indiuisibilis concentus ille, cùm sit extractus extra actionem, & passionem contrariorum. Adiecit. *Dicendum, quòd firmamentum dicitur duobus modis: vno modo dicitur octaua sphæra tantùm firmamentum; alio modo dicitur tota natura quinti corporis firmamentum: & sic accipitur in Genesi capite primo.*

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesima octaua, articulo primo; dum circa diuersas ludit assertiones, hanc memorat, nec reijcit.

Sciendum est ergo, quòd hoc quod legitur, firmamentum secunda die factum, dupliciter intelligi potest. Vno modo de firmamento in quo sunt sydera; & secundum hoc oportet nos diuersimode exponere secundum diuersas opiniones hominum de firmamento. Quidam enim dixerunt firmamentum illud esse ex elementis compositum. Et hæc fuit opinio Empedoclis, qui dixit ideò illud corpus indissolubile esse, quia in eius compositione

lis non erat: sed amicitia tantùm. Alij verò dixerunt firmamentum esse de natura quatuor elementorum, non quasi ex elementis compositum, sed quasi elementum simplex: & hæc fuit opinio Platonis, qui posuit corpus Cœleste esse elementum ignis. Alij verò dixerunt Cęlum non esse de natura quatuor elementorum, sed esse quintum corpus præter quatuor elementa. Et hæc est opinio Aristotelis. Secundum igitur primam opinionem, absolutè posset concedi, quòd firmamentum factum fuerit secunda die, etiam secundum suam substantiam. Nam ad opus creationis pertinet producere ipsam elementorum substantiam: ad opus autem distinctionis & ornatus pertinet formare aliqua ex præexistentibus elementis. Secundum verò opinionem Platonis, non est conueniens, quòd firmamentum credatur secundum suam substantiam esse factum secunda die. Nam facere firmamentum secundum hoc, est producere elementum ignis. Productio autem Elementorum pertinet ad opus creationis secundum eos, qui ponunt informitatem materiæ tempore præcedere formationem, quia formæ elementorum sunt, quæ primo adueniunt materiæ. Multò autem minus secundum opinionem Aristotelis poni potest, quòd firmamentum secundum suam substantiam sit secunda die productum, secundũ quod per istos dies successio temporis designatur. Quia Cęlum, cùm sit secundum suam naturam incorruptibile, habet materiam, quæ non potest subesse alteri formæ. Vnde impossibile est, quòd firmamentum sit factum ex materia prius tempore existente. Vnde productio substantiæ firmamenti ad opus creationis pertinet. Sed aliqua formatio eius secundum has duas opiniones pertinet ad opus secundæ diei: sicut etiam Dionysius dicit quarto capite de Diuinis nominibus: quòd lumen Solis fuit informe in primo triduo, & postea fuit in quarta die formatum. Si autem per istos dies non designetur temporis successio, sed solum ordo naturæ, vt Augustinus vult; nihil prohibebit dicere secundum quamcunque harum opinionum, formationem secundum substantiam firmamenti ad secundam diem pertinere.

Hæc D. Thomæ detulimus, vt ea quoquo modo glossemus & vẽtilemus. Si ex ipsius diffinitione firmamentum quatenus compactum est ex elementis, die hac secunda effeci profecto poterat: cùm Patres omnes vsque ad eius tempestatem, Cęlum elemẽtatum existimarint, (ut in subsequenti disceptatione demonstrabimus) certè ex ipsorum sententia hoc ipso die congestum est. Amplius dato firmamentum ex puro elemento confectum esse, nempe ex aqua, seù igne, vt plures Patrum visi sunt existimasse (de Platone quidem ita asserere non audeo, cùm ex Platonicorum sanctione Cœlum potius ex summitatibus elementorum iuxta Platonis placita conflatum dicatur) nõ exinde sequitur non potuisse ipsum die secundo effici, tanquam productio elementorum ad opus creationis in primordijs persolutum attineat. Nam Patres hi, vti Nyssenus & alij, non primum Chaos ex elementis consertum, sed potius Chaos quoddam seù materiẽ vel massam inconditam vna rudi forma pręditam sibi effingunt, ex qua elici secundo die ignis seu quid aliud ex elementis potuerit. Et alij aquarum congeriem vsque ad Empyreũ conscendentem astruunt, in cuius medietate Cœlum ad instar cry stalli solidari, cõpingiq; potuisse opinantur. Rursum posito Cœlum ex quinta constitui essentia, neq; adhuc exinde sequitur non potuisse illud secunda die construi, si ex eadem mole congesta, seu ex eadem sylua (vt dixere nonnulli) excisa tùm Cęlestia tùm elementata perhibeamus. Quapropter anceps remanet D. Thomæ sententia, neque ea, quæ ipse superaddit, opus videlicet secundæ diei quandam solummodo formationem, & dies non temporum successionem, sed naturæ ordinẽ iuxta D. Augustini placita tantùm importare, tuta censentur, hæc enim omnia cumulatè à nobis supra reiecta sunt. Neque etiam id quod adijcit, fortè aëris effectionem secundæ diei tribuendam esse, iuxta ipsius mentẽ consistere potest, cùm ipse quoque aërem in primordio temporum emanasse diffinierit, ac pronuntiarit.

D. Thomæ sententia anceps.

Alexander Alensis secunda, quæstione quinquagesima, & Bonauentura secundo, distinctione tertiadecima, passim firmamenti nomine cęlestia corpora desumunt, cùm de eius natura, & figura disceptant, vt Scholasticis clarissimum est.

LYRANVS Postillis in Genesim, in secunda expositione hanc amplexatur sententiam.

Fiat firmamentum in medio aquarum. Istud fieri hic accipitur quantum ad formam substantialem, quia de vna parte materiæ prius productæ, sub forma communi factum est firmamentum secundum formam specificam Cęli syderei. In qua productione intelliguntur etiam producti orbes septem Planetarum, qui sub nomine firmamenti comprehenduntur.

TOSTATVS eadem ferè & consimili doctrina habet.

Factum fuit firmamentum secunda die, idest de parte superiori illius corporis magni assumpta fuit materia, cui Deus dedit formam substantialem Cęli. Et nomine firmamenti accipitur tota magnitudo, vel moles

Cœlestis continens octo Orbes, scilicet Cœlum stellatum, Cœlum Saturni, Iouis, Martis, Solis, & Veneris, Mercurij, atque Lunæ. Et Post. *Et vocatur Cęlum istud totum firmamentum à firmitate, quia substantia cęlestis firma, & durans est, & sic dicitur. Tu forsitan cum eo fabricatus es Cęlos, qui solidi sunt, quasi ære fundati. Hebraicè autem vocatur istud corpus totum cœleste, Raquia, quòd significat expansionem, & non firmitatem. Et sic habetur in Psalmis. Extendens Cęlum sicut pellem: & vocatur expansum: quia super totum Orbem expansum est, omnia tegens.* Iob. 37. Psal. 103.

DIONYSIVS Carthusianus Commentarijs in Genesim, articulo decimo; nomine firmamenti cuncta corpora cœlestia capi censuit, & ipsum non hoc die effectum, sed perfectum voluit.

Quid verò intelligendum sit nomine firmamenti, constat ex eo, quòd paulopost stellæ dicuntur positæ in firmamento. Itaque Deo dicente, seu præcipiente, factum est firmamentum, idest Cęlum stellatum, quod est sphæra octaua, quia sub ea sunt septem sphæræ, seu orbes, ac Cęli planetarum. Et factum est firmamentum hoc in medio aquarum, ad diuidendum aquas ab aquis. Et sumitur nunc firmamentum, prout includit septem sphæras præfatas. Et fecit Deus firmamentum. Iam ante ostensum est expositionem illorum esse rationabiliorem, & textui, atque antiquis, ac sanctis Doctoribus consonantiorem, qui dicunt in principio corpora cęlestia, ac elementa simul producta sub distinctis, & proprijs substantialibus formis. Ideò firmamentum, & orbes Planetarum in principio sunt creata, quantum ad totam suam substantiam; veruntamen non in tanta perfectione, quantum ad accidentales proprietates, virtutes, & qualitates, vt postea. Vnde quòd firmamentum dicitur factum die secundo, intelligendum est non de productione suę substantiæ, sed de quadam sui completione, qua factum est magis completum, & vigorosum in qualitate, & proprietate suæ substantiæ, & in virtute caussali ad influendum elementis, ac mixtis, ad quosdam generales effectus, vt in præinducto dixi articulo. Et post. *Fecit itaque Deus firmamentum, perficiendo illud in soliditate, & caussalitate, qua influit ad inferiorum conseruationem, ac regimen, quia (vt ait Philosophus) oportet hunc Mundum inferiorem esse contiguum lationibus, seu motibus, & influxionibus superiorum, videlicet cęlestium corporum, vt tota eius virtus inde gubernetur.*

HVGO Carensis in Postillis.

Firmamentum superficies Mundi sensibilis ex aquis congelatis in crystallum, vt dicunt, alia omnia sensibilia continens ad similitudinem testæ oui; & dicitur firmamentum, quia firmum.

BVRGENSIS in additionibus super Genesim, capite primo.

Dicendum, quòd hoc firmamētum, de quo hic agitur, est Cęlum sydereum, quod diuiditur in octauam sphæram, quæ est stellarum fixarum, & in septem Planetarum orbes. De quibus etiam stellis & Planetis legitur planè infra in opere quartę diei. Posuit ea Deus (scilicet luminaria, & stellas) in firmamento Cœli. Nec obstat, quòd dicitur in prima die: In principio creauit Deus Cęlum; quia ibi summariè includitur totum opus sex dierum, vt supra dictum est. Et quia in prima die mentionem fecerat de primo mobili, & eius motu, vt ibi fuit expositum. Nunc autem in secundo die de firmamento, in quo sydera fuerunt posita, mentionem facit.

Amplissimum Senatū præstantissimorum Patrum vniuscuiusque manus coëgimus, eorū sententias quasi in ęcumenico Concilio prolatas audiuimus. Quæ ex eorū placitis tanquam explorata, & certa decerpere possumus, duo sunt. Primum, firmamenti nomine nil aliud intelligendum, quàm congeriem corporū cęlestium, quibus insita post fuere astra, & faces illæ fulgentissimæ Mundum die ac nocte suo lumine collustrantes. Alterum quòd illud ipsum firmamentum, seu Cœlorum massa post lucem secūda hac die manarit. Consentiunt siquidem omnes hi Patres, (quorum vota prolixiori deducta catena retuli, vt quàm vetusta acceptaque fuerit apud omnes hæc interpretatio, demonstrarem) in his duobus, & firmamentum nil aliud esse quàm Cęlum astrigerum, & id secunda die elaboratū fuisse, tametsi in eius emolitione, ac substantia (quam certè ex elementis compactam omnes astruunt) explicanda dissideant. Sed de hac infra. Duo ex dictis Patrum sententijs eliciuntur.

SCHOLION. Ne miretur quispiam precor, me sententias has Patrum, & iam memoratas, & post memorandas, seu repetitas, & post repetendas, quasi superuacaneo apparatu sæpius legentibus obiectare. Id profectò his meis in lucubrationibus maximè cupio, vt studiosis copiosissima pateant loca, quibus mentem Patrum in his rebus, de quibus controuersia est, apprimè ac vberrimè assequi possint; nec tempus, operaque in euoluendis paginis conteratur, dum ea quæ fortè vno loco consulenda expetuntur, in altero tædiose inquirantur: Ratus libentius ingenuos Lectores sumptus detrimentum, qui hac de caussa augeri possit, quàm temporis, & laboris iacturam æquiori animo perlaturos.

AVCTOR.

De hac grauissima, atque ardua difficultate iudicium allaturus sententiam meã discindere, & hoc ordine distribuere necessarium arbitror; vt primùm diffiniam ex varijs firmamenti significationibus à diuersis his sententijs delatis, quam præstantiorem, atq; magis ingenuam propriamq; existimem. Deinde quidnam præclari secunda die à summo rerum Parente, ac Mundi fabricatore verè perpetratum sit. Elidendæ insuper mihi sunt sententiæ, euertendaque fundamenta eorum, qui à Patribus abscedere, atque simul à veritate, Mosisque scopo aberrare conspiciuntur. Tandem Patrum assertiones conciliandæ, atque contra nuperorum infestationes defensandæ.

Firmamenti nomen quid propriè signi ficet.

Firmamenti significationẽ ad quinq; trahi sensus perspeximus. Primùm ad octauam sphæram innumeris ferè stellis quasi facibus splendentem, à Græcis ἀπλανεῖ, vt dicebat Hamerus, à Latinis verò inerraticam nuncupatam, nonnulli traxerunt, & præcipuè Catherinus. Alij ad cũcta corpora cęlestia, quæ in vnã naturã congruere omnes decernũt, quanquam quasi circulis ea seiuncta esse perhibeãt, vt omnes ferè prisci Patres, quemadmodum ex eorum sententijs in catena deductis cognosci potest. Quidam etiam Patrũ ad cunctos orbes cęlestes, atq; aëris supernam regionem illam, quæ omnis afflatus, seu exhalationis expers est, huius nominis significatum detorquent; sed disertiùs D. Augustinus pluribus in locis, præcipueque libro de Genesi imperfecto, cap. decimoquarto.

AVGVSTINVS siquidem eo in loco aërem fuisse à Mose commemoratum edocet non explicita mentione, sed ea serie, vt firmamenti nomine superna eius regio, aquarum verò vocula inferna, quæ vaporibus, nubibusque semper ferè est obuoluta, capiatur.

Nisi fortè istum aërem terris contiguum, quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocauit, qui & in nubem cogitur. Nubes autem aqua est, quod omnes sentiunt, quibus contingit in montibus inter nubila, vel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippe aëre volare aues dicuntur. Nam in illo sublimiore, atque puriore, qui verè aër ab omnibus appellatus est, nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem neque nubes concrescere asseruntur, neque aliquid procellosum existere. Quippè vbi ventus adeò nullus est, vt in vertice Olympi montis, qui spatia huius humidi aëris excedere dicitur, quędam literæ in puluere solere fieri perhibeantur; & post annum integræ, illesæque inueniri ab ijs, qui solenniter memoratum montem ascendebant. Quapropter non absurdè existimari potest firmamentum Cœli in diuinis scripturis vsque ad hæc spatia vocari, vt & ille aër tranquillissimus & syncerissimus ad firmamentum pertinere credatur. Hoc enim nomine firmamenti, ipsa tranquillitas, & magna pars rerum significari potest.

Amplius firmamenti significationem ad omne illud spatium, quod à terræ, & aquæ sphæra ad Empyreum laxatur, atque distenditur, concluso etiam aëre hoc crasso, nuperi Doctores, vt supra videre est, ampliarunt. Tandem quod singulare est, nonnulli ad aërem tantùm illam retulere.

Prætermitto siquidem hoc loco sententias eas, quæ firmamenti nomen ad qualitatẽ quandam aduentitiam manifestandã distraxerunt, vtpotè ad soliditatem Cœlorum, & elementorum, ad robur corporum cęlestium supra elementa, ad situs corporum omnium simplicium dispositionem, ad vim qua aër præditus est, vt sit sedes aquarum, & similia, vtpotè quòd longè recedant à Mosis proposito, qui Mundi partium, seu substantificarum rerum genituras, & affectiones recenset, sed magis, quòd longiùs à placitis præstantissimorum Patrum abscedant; nuperæque, distractæ, vel non approbatæ censeantur.

Cæterùm ex his de firmamenti nomine assertionibus, primam quæ ad octauã sphæram denotandam firmamenti significatũ perstringit, Astronomicam esse opinor, longeque à Theologia vagari, nam veteres Theologi Patres consensione mirifica firmamenti nomen ad ampliorem significationem præripuerunt. Deinde sententiam hanc Sacrarũ literarum consuetudini haud omnino esse consentaneã suspicor, cùm ipsa Scriptura firmamẽti vocamine cęlestia illa corpora, in quo intexta sunt sydera, ferè semper, sed præcipuè hoc loco, dum luminaria posita in firmamento Cœli dilucide tradit, accipiat. Cæterum Solem, & Lunam octaua considere in sphæra nullus eruditus vnquam asseuerare præsumet. Deinde diuina pagina aues sub firmamento Cœli volitare perhibet,

hibet, quod quidem vtrum de octaua sphæra vllo pacto interpretari possit, tu ipse ingenuè lector iudicato. Propheta quoque firmamentum super rotas illas, atque animalia quæ in aëre visebantur, vt crystallum extentum scribit: sed neque id quoq; octauæ sphære competere posse arbitror. Postremam vero sententiam, quæ in firmamenti significatu etiam aërem hunc crassum nostra in regione diffusum includit, à vero non abscedere existimo. Contestati hoc sunt Patres. Ezech. 1.

BASILIVS in Hexæmeron Homilia tertia his vtitur verbis.

Ipsi enim subinde obseruauimus hunc aëris locum conspicuum Cœlum dici, quòd densus sit, & ob continentem cohærentiam aëris sub aspectum nostrum apertè cadentis.

Idipsum testatur Ambrosius Hexæmeron libro secundo, capite quarto.

PROCOPIVS autem Cōmentarijs in Genesim cap. primo apertiùs.

Nemo intelligat Cœlum primum, quod superat secundum, sed intelligamus hic nominari firmamentum, & omnem regionem, quæ media inter ipsum, & terram excurrit, & in plurimos Cœlos diuisa, vel distributa est propter altitudinem.

Sed & clarissimi sunt loci Scripturæ, qui vt plurimum regionem etiam hanc aëris infernam, Cœlum, & quandoq; firmamentum nuncupant. Siquidem scriptum est; Cataractæ Cœli apertæ sunt. Dauid quoque de Deo Vniuersi moderatore loquens ait; Qui operit Cœlum nubibus. Zacharias insuper habet; Cœli dabunt rorem suum. Moses etiam minatur Iudæis, si legem Dei violauerint forè illis desuper Cœlum æneum; Erit inquit æneum tibi super verticem Cœlum. Eisdem verbis & minis alio in loco vtitur; Erit tibi Cœlum super caput tuum æneum, & terra tua ferrea. Isaac quoque filio suo benedicēs aiebat; Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ. Quæ loca à D. Basilio Hexæmeron, & ab Ambrosio recensebantur. Verū arbitror non propriè, sed abusiue, & per similitudinem, aëris hanc partem, quam nubibus obuolui non ignoramus, Cœlū sæpius dici, nunquam autem vel raro firmamentum. Gen. 7. Psal. 146. Zach. 8. Deuter. 28. Leuit. 26. Gen. 27. Hom. 3. Lib. 2. c. 3.

GREGORIVS Nyssenus in Hexæmeron id aperte innuit.

Nam sermo Scripturæ abutendo quibusdam verbis, vnum quidem Cœlū nominat terminum crassioris aëris: quousque etiam nubes, & venti pertinent, & alte volantium auium natura fertur: etenim etiam nubes Cęli dicit, & volucres Cœli: at non simpliciter hoc Cœlum dicit, sed cùm adiectione etiam firmamenti: dicit enim; Edant aquæ reptilia animarum viuentium, & volucres volantes super Terram circa firmamentum Cœli.

Quapropter sententiam eam, quæ firmamenti nomine solam totius aëris regionē, & multo magis illam, quæ aëris infernam hāc tantùm partem explicari censet, Cœlis astrigeris minime intellectis, omnino erroneam, atq; à Scripturis & Patribus dissonam reputo. Idq; mihi validissima sit demonstratio, quòd Moses Cęlos firmamentum nuncupet, cùm ait; Fecit Deus duo luminaria magna, & stellas, & posuit eas in firmamento: sed id enucleatius, cùm locum illum ventilabimus, apparebit. Rursum eā, quæ simul & cœlestes orbes, & aëris omnem regionem capit, non ita propriam & accommodatā censeo. Decernendum igitur mihi ac diffiniendum videtur, Diui Augustini & Patrū assertiones posse adinuicem absque ingenti negocio conciliari, si statuamus firmamenti nomine totum illud Mundi spatium intelligi, quo astrigeri Cęli concluduntur, atque ignis & aëris superna pars illa, quæ flatibus à Sole attractis nunquā obruitur, nec ventis iactatur, sed firma semper & inconcussa consistit. Hanc itaque sententiam ex illis sic adinuicem sedatis, simulq; consociatis assertionibus emergentem, vel potius enascentem, tanquam tutiorem ac præstantiorem amplexandam esse arbitror. Non pauca verò id mihi persuadent. Primò nanq; Scripturarum sacrarū testificationes quæ de firmamento sunt, mirificè conciliari, planæq; fieri hac asserta interpretatione conspiciuntur. Quamobrem cùm in spatio præfato duæ protēdantur regiones, suprema, & infima; suprema Cęlestium eorum corporum, quæ nisi per lumina splendescentia nobis conspicua non sunt; infima autem regio ignis aërisq;, vix à nobis ex intercapedine perspectorum: De ambabus intellexisse Scripturas puto, nimirum quandoq; de vtraque simul, interdum autem de suprema tantùm, quandoq; verò de inferna, ea profecto serie, vt cū ter præcipue in hac Orbis prognati enarratione firmamenti nomen intexuerit, & memorarit, prima vice pro firmamento, omnem simul regionem, tam supremam, quàm infimam acceperit, nempe cùm dixit; Fiat firmamentum. Secundo loco firmamenti nomine suprēmam tantùm, cùm adiecit in opere quartæ diei; Et posuit eas in firmamento

Firmamentū Cœlos ignē atque supremā aëris partem propriè significat.

mento

mento Cœli: quod certè de aëre perhiberi nunquam potuit. Tandem infimam intellexit, quando diei quinti gesta explicans adiunxit; Et volatile sub firmamento Cœli. Aues siquidem ad aërem illum purum nunquam pertingunt, seù transcendunt. His profectò omnibus D. Thomas consensit. Rursum suadet id mihi summopere, quòd munus firmamento ascriptum disiungendi aquas ab aquis, firmamento seù spatio huic ex corporibus cœlestibus, & aëre puro flatibus terræ nunquam obruto, magis quàm Cœlo stellifero tantùm, seu aëri tantum conueniat. Tria siquidem firmamento, vt aquarū sit interstitium, necessaria comprobantur. Alterum quòd situ sit medium inter duo extrema, nulli extremorum admixtum; Alterum quòd nullo alio corpore interserto, seù medio, & aquas quæ supra sunt vehat, & quæ subter, ipsi immediate subsidant. Tandē quòd sit adeò intransgressibili substantia præditum, ut nec supernæ ad infernas desilire, nec infernæ ad supernas scandere queant. Cœlum autem, quanquam proxime super cœlestes aquas ferat, & disiungat, non proximè attamen fluxiles & terrestres quæ terræ incumbunt, sub ipso sternuntur. Aër vero solus nullam earum nanciscitur conditionem. Primò enim medius non est, cùm supra nullas ferat aquas, sed omnes vel intus concludat, vel subtus ambiat; Neque expers est aquarum, quinimmo perennis earū sedes censetur, cùm in eius vtero imbres, pluuiæ, omniumq; vaporum genera progignantur. Tandem nec paries intransgressibilis, cùm aquæ per eum decidant, atque ipsi commisceantur. Verum si firmamenti nomine spatia amplissima Cœlorū, & aëris superni intellexerimus, certè & proxime diuidet aquas ab aquis, quòd supercœlestes in dorso vehat, terrestres autem nullo interserto corpore ipsi subsidāt, nec vllis cōmisceatur aquis, nec ab ipsis penetrari possit. Quod verissimum conuincitur, & præcipue si Chaos ipsius inconditam figuram, quam secunda die gestabat, perpendemus. Tunc etenim si sub Cœli supremi ambitu aquas supracœlestes, super terram verò aquas vndique eam ambientes, & ampliori quàm in Diluuij colluuione exundantia illam obruentes, collocamus, ignemque & aërem (vt ex sententia Patrum iam diffiniuimus) super eā molem aquarum incongestam iam diffusos statuimus, in ea certè Chaos specie, & indistincta dispositione, aëris regio infima quæ tūc aquis occupabatur, inter aquas, & aquas media esse non poterat. Congeries vero illa cœlorum, ignis, atque superi aëris, inter aquas, & aquas egregie tunc interiacebat, quemadmodum & nunc interponitur, si vaporeas, & fluitantes aquas aquarum terrestrium nomine intelligi decreuerimus. Tandē firmamenti nomine capiendam esse eam coacervationē corporū cœlestiū, ignis, aërisq; nulla crassitie vaporum condensati, ipsa nominum vis, & emphasis satis persuadet: firmamenti enim nomen singulariter id demonstrat. Quod vt euincam, prolixior mihi de voculæ huius significatione sumenda est disceptatio, eo magis quòd ab aduersarijs huius nominis significatus tanquā sententiæ ipsorum non nutans basis diripiatur, atq; ad suam ipsorum muniendam sententiam pertrahatur.

Tria in munere firmamenti necessaria.

Quid Hebræa vox Rachija significet.

Vocula Hebræa est Rachija, seù Rachia, seù Raquiah, siue Raquia. Hanc vocē Septuaginta interpretes græce reddiderunt στερέωμα hoc est solidū, & Interpres noster transtulit Firmamentum. Rabbinorum nonnulli, & nuperi Doctores, Caietanus, Lusitanus, Steuchus, Vielmius, Pererius (vt referebamus supra) vna consensione tradidere, Rachia non solidum, seù firmamentum significare, quemadmodum Septuaginta, & Editio nostra verterunt, sed extensionem, à voce Racah, quod est extendere: adeo vt vox hebræa Rachia Firmamentum, aut solidum immeritò reddatur.

Quid ego arbitrer tot diuersis Doctorum nuperorum attestationibus circunseptus, maxime hebraici Idiomatis ignarus vix proferre audeo, attamen cū vox Raquiah ab eruditis in plures distrahatur sensus, non ita ratam, exploratamq; esse alteram significationem reputo; quin & Septuaginta ac Interpretis nostri non tutam existimē versionem, qui non Expansionem, sed Firmamentum, seù solidum transtulerunt.

LIPPOMANVS in Catena hæc habet, vt referebamus.

Fiat firmamentum in medio aquarum, &c. quod nos firmamentum dicimus, hebraicè Rachija Græcè στερέωμα dicitur. RaKija autem tam firmamentum, quàm extensio interpretari potest, vtpote à RaKaa verbo descendens, quod extendere, seu expandere, stabilire, seu firmare significat. Primi ergo Septuaginta interpretes Cœlum στερέωμα, idest firmamentum nuncuparunt, aut eius soliditatem, atque duritiem innuere cupientes, vel stabilitatem,

tatem, quam in suo situ accepit à Deo, Hebræi autem magis extensionem dixerunt, ad illius porrectionem, dilatationem, ac diffusionem aspicientes.

Et quanquam nonnulli refragentur Lippomani auctoritati, quasi exempla opportuna ad suam constituendam sententiam non deduxerit; sufficit attamen mihi, & ex nuperis eximium comperijsse Doctorem, qui editiones insignes Septuaginta, & nostram non reiecerit. Amplius autem non ita huic textui à nuperis deducto innitendũ duco, quin existimemus, & Septuaginta interpretes forsitã codices habuisse non minoris nitoris, auctoritatis, & antiquitatis, qui loco vocis RaKiia aliam contineret, quæ rectius στερέωμα, seu solidum verti posset; vel etiam hunc ipsum textum, quem nuperi nunc proferunt, qui consimilem vocem habuerit, apud ipsos Septuaginta interpretes extasse. Testificationem profecto aliquam ab his nuperis, qua textum Hebraicum, quo nunc ipsi vtũtur, priscum illum ac vetustum esse à Mose, seu ab Esdra editum; purumque & intactum, ac nullo vitio labefactatum extare demonstraretur, auidiùs desiderarem. Vereor siquidem textum illum, seu temporum iniuria, cùm ille omnium sit antiquissimus, & Israëlitica gens excidia sæpius, captiuitates, atque desolationes perpessa sit, sedesque frequentius immutarit, seu Typographorum inscitia, præsertim quia Hebraici characteres singulares sunt, exaratuq; difficiles, cunctisq; nationibus peregrini; seu Rabbinorum Hebræorum versutia, quorum ingenium quàm prauum sit, maximeque in Christum infestum, omnes norunt; adeo esse adulteratum, ac deprauatum, vt non minoris auctoritatis nobis esse debeant septuaginta interpretum, & vulgata nostra editiones tan quam à certiori textu eductæ, seu minus deprauato excerptæ. Quapropter cùm omnes editiones æquè vitiatæ esse possint, nescio quare Hebræa, vt purior cæteris sit præferenda. Accedit, quòd Septuaginta interpretum versio, tùm Synagogæ, tùm Ecclesiæ nascentis iudicio summam, ac longè super ipsam Hebraicam editionem sibi auctoritatem vendicarit. Nam à captiuitate Babilonica vsque ad D. Hieronymi tempestatem semper fuit ab Hebræis primùm, & à nostris deinde vt prestantior recepta; quinimmo Christus Dominus noster & Apostoli, cùm sacrarum Scripturarum testimonia adduxere, secundum eam editionem ipsa protulerunt. Editio verò nostra ex Ecclesiæ Romanæ vsu, ad quam Scripturarum delectus spectat, mirificam nacta est existimationẽ. Ex quibus omnibus colligo, versiones Septuaginta & nostram tanta pollere auctoritate, vt ab his ad eam vetustam, ac penè sepultam Hebraicam confugere, sit à conspicuo fonte, ad turbidum cænosumq; ineptè pertransire. Accedit auctoritas Græcorum Patrum omnium, Gregorij Nazianzeni, Nysseni, Basilij, Origenis, Theodoreti, Cyrilli, Damasceni, Chrysostomi; Et Latinorum, Augustini, Ambrosij, atque cæterorum ferè omniũ in indagandis Scripturarum sensibus solertissimorum, & præcipuè Hieronymi, qui & eruditione linguæ Hebraicę, & sanctitate nuperos nostros longè præcellit. Auctoritas, inquam, tantorum Patrum, qui nunquam hoc loco firmamenti nomen, vt quid solidũ dicit, refutarunt. Nunquid fortè his Patribus textus hic, qui Rachiia habet, defuit? & si ipsum habuerunt, nunquid eius vim, atque significationem non intellexerunt? Non possum certè non cõmisereri his nuperis, qui ita facilè ab editione nostra, & Septuaginta recedunt, quasi vetustate exoleuerint. Misereor quòd Septuaginta interpretes, & D. Hieronymum carpere, Patrumque doctrinam vetustam nouitijs Commentarijs inficere præsumant, quasi id nihil esset negotij, vel in vetustorum paruipendenda auctoritate occaluerint. Verùm estò translationem Septuaginta, & nostram adulteratas esse, vocemque RaKiia non firmamentum, sed extensionem Latinè reddi debuisse: Cùm extensio ipsa, vt primùm edocuit Caietanus, & ab ipso surripuere Lusitanus, Vielmius, & alij, quatuor modis fieri contingat; contusione, qua ferrum malleo in latissimam laminam extendi conspicimus; rarefactione, eo pacto, quo aqua gelida calore intumescens excrescit; Incremento, siquidem & infantium corpora dum augentur, sensim extenduntur & corpulentiora fiunt; postremo expansione, qua serie Cortina, seu Tabernaculum complicatum, conuolutumque exsoluitur, explicatur, & extenditur: scitor ab eis, quænam extensio illa extarit; extemploque eos in diuersas adeo rapi sententias conspicio, vt in seipsos verso prælio mutuis vulneribus confodiantur, simulque cuncti mox concidant. Caietanus, Steuchus, & Pererius, extensionem hanc, seu expansionem

Textus Hebraicus non omnino incorruptus.

Editio Septuaginta interpretum & nostra maximæ sunt auctoritatis.

Commen. in Gen. cap. 1. Extẽsio quatuor modis fieri potest.

sionem ad instar Cortinæ, seu Tabernaculi effectã fuisse censent; sed diuersa repugnantique sententia. Caietanus, quia mirifice quod extenditur amplificatur, hanc expansionem nil aliud fuisse maluit, quàm Cœlorum, ignis, & aëris ad amplitudinem, qua nunc pollent, redactionem.

Steuchus verò aëris fuisse ex aquis ardentissima Solis luce attractionem. Pererius ex ea nebulosa materia, quæ totum Chaos obtegebat Dei virtute aëris extẽsionem; sed à cæteris mox eliduntur.

Vielmius primò contra Caietanum Lectione decimaquarta, hanc profert argumentationem. Determinatã formam determinata quantitas, cæteraq; accidentia, quæ ab ea emanant, è vestigio consequũtur. Cæterũ si elemẽta specificis formis prędita iã emer serãt, ĩterminata esse nõ poterãt. Deĩde si interminata erãt, certè infinitatẽ pręseferebãt: nõ igitur postea sũt extẽsa, aut explicata, aut expãsa, sed cõtracta, cõplicata, & angustata.

Contra Steuchum cæteri insultant, asseuerantes vt axioma certum habendum esse cum Patribus, Doctoribusque reliquis omnibus, aërem cum alijs elementis in exordio temporum prosilijsse. Pererius sententiam mox mutauit, aëremque cùm cæteris elementis in primordijs temporum manasse asseruit. Lusitanus amplius Rachiah extensionem ad modum laminæ mallei contusione deductæ significare edocuit, vt supra relatum est.

VIELMIVS hanc pariter interpretationem ita redarguit, Lectione quartadecima.

Primùm quia Dauid indicat eam fuisse expansionẽ, nam ait; Extendens Cœlum sicut pellem, vel sicut cortinã. Porrò autẽ pelles & cortinæ extenduntur explicatione, & expansione, non contusione. Rursum, nulliũ perspicuũ, dũ perspicuum manet, ductile est; ac prætereà nullum ductile est perspicuum. Vitrum enim, cùm liquescit, & ducitur, desinit esse perspicuum. Porrò autem corpora, quæ firmamenti nomine venire existimantur, Cœli videlicet, & aër, perspicua sunt: non est igitur apta similitudo, quæ extensa ea fuisse ait ad modum laminæ malleis deductæ. Amplius caussa, quamobrem metalla contusione deducuntur, humidum vnctuosum est: Nam quæ humidum est, ictibus, & percutienti cedit; quæ verò vnctuosum prohibet, ne discontinuitas, aut etiam intercisio facilè obrepat, quemadmodum Magnus Albertus libro tertio de Mineralibus, capite tertio, scribit: at verò nec humiditas, nec vnctuositas Cęlis reuera adsunt: translatio illa igitur apta non est. Postremò Iob fusionis tropo vsus est, non autem contusionis, cùm dixit Cęlos tanquam æs fusos fuisse.

Tandem Vielmius Lectione quartadecima, extensionem eam non per modum rarefactionis, aut expansionis fuisse, neque ad instar contusionis, sed potius auctionis, non quidem substantię, vel quantitatis aut molis, sed magis nuper inditæ qualitatis & virtutis, quasi ab opifice hoc die nacta sint corpora cœlestia, vt solidiora, atque fortiora redderentur, vt nedum aquis superpositis cederent, & citra vllum incommodum naturæ ipsorum eas sustinerent, immo velut traditum illis depositum tandiu aquas conseruarent, quousque opifex illas ab eis repeteret. Sed meo iudicio ea argumentatione, qua Caietanum Vielmius infestarat, ipsius quoque labefactatur, atque infirmatur assertio. Si quidem si determinatam formam cætera accidentia, quæ ab ea emanant, euestigio insequuntur, cùm robur & soliditas, accidens, affectioque sit à forma profiliens, certè & ipsam cœlorum substantiam mox prosequuta est. Corruit igitur sententia Vielmij ea ratione, qua Caietanum opprimere existimarat. Quapropter assererem ego, ex firmamenti nomine, seu ex vi, & emphasi illius, dato quòd expansionem significet, id ipsum indicari, quod Septuaginta, & editio nostra per solidum explicare maluerunt. Vocem quoque Rachiia, seu expansionem mirifice fauere nostræ sententiæ, quæ firmamenti nomine cœlestia corpora etiam accipit, asseuerare non dubito; arbitror siquidem cum Lusitano, expansionem eam posse ad metalli contusi instar effectam nuncupari, ea potissimum Iob auctoritate accedente, qua Cœlos vt æs fusos testatur. Nec argumenta à Vielmio illata multum officiunt Scripturæ, siquidem auctoritates, quæ Cœlum sicut pellem, seu cortinam extensum produnt, non structurę, seu emolitionis Cœli modum, & seriem, sed formam, seu figuram Cœlorum iam emanatorum explicant. Sic enim Patres ea loca interpretantur. Amplius Deum, quasi artificem, seu fabrum Vulcanium malleo Cœlos, vt ductiles humidi vnctuosi ope cõtudisse, nemo eruditus asseret vnquam, sed potius sua virtute ex elementorum summitatibus eos cõflasse

Cœlum expansum ad instar metalli contusi.

vnico

vnico momento, ac modo nobis impercepto, adeo vt repente hac mirifica specie, qua nunc uisuntur, ornati ac venustati apparuerint: quamuis nos, sicut æs malleo tunditur, & extenditur, sic ipsos contusos ferè, atque in tenuissimas laminas extentos imaginemur. Et hæc pro Lusitano satis. Verum posito insuper extensionem eam, non modum contusionis, sed extensionis cortinæ, atque tabernaculi importare, quænam ratio deinceps cogit, ut potius aërem, quàm Cœlum per expansionem conditum perhibeamus? Immo expansione illa Cœli potius emolitionem, quàm aëris manationem significari contẽderem, nam sicuti ipsi aërem ex aqua extractum censent, ita ego ex elementis extricatum atque expassum fuisse Cęlum existimarem; neque etenim minus quàm aër in aquis Cœlum in elementis obuolutum, & complicatum, delitescebat. Sed quod magis ad rem facit, Cęlum & non aërem ad instar pellis seù tabernaculi aut cortinæ expassum nũc suspicimus, prout eggregie Dauid in Psalmo cẽtesimo tertio, & Esaias cap. quadragesimo testantur; quoniam pelles & cortinæ, siue tabernacula extenta firmitudinẽ, atq; soliditatẽ quandã præseferunt, uti & Cœlũ retinet, & nõ aër, qui vndiq; semper iactatur, & permouetur. Ex his igitur omnibus tùm voce firmamenti in Græco, & Latino Idiomate, tùm etiam uocula Rachiah hebraica, Cęlos astrigeros decentius, quàm aerẽ significari, demonstratum esse arbitror.

Quid firmamenti nomine accipiendum sit, cùm quasi præludio, & apparatu diffinierimus: institutum nostrum iam expostulat, vt promissa absoluentes quid hoc secundo die à Deo effectum sit, profundius perscrutemur. Quod fuerit secundę diei opus.

Reijciẽdæ sunt igitur primùm illæ assertiones, quæ Patrum contempta doctrina atque authoritate post tot sæcula in Ecclesiam irrepserunt. Principiò (vt neglecto eo ordine, quo progressus sum in eis recitandis, incedam) sententia Thomæ in Postillis, Bonauenturę, Catherini, & cæterorum, qui octauam sphæram stellis insignitam inerrantibus secunda die congestam fuisse autumarunt, facillime elidi, & sine vllo discrimine refelli potest. Primùm quoniam nupera est, tantumque abest, vt Patres eam sint insecuti, vt etiam nullus eorum ipsam memorarit. Sententiæ autem, quæ inueterata Patrum authoritate non muniuntur, recenterq; emerserunt, facilè prosternuntur; indignum nanque ac nefarium prorsus auditu est, Patres illos præstantissimos, Ecclesiamq; tot sæculis extasse, non germana Scripturarum interpretatione agnita, atque penetrata. Deinde quòd assertores huius sententiæ Cosmographos potius, quàm Scripturas & Patres, in firmamenti acceptione sectentur. Amplius placiti huius fallaciosas ambages contextus ipse Mosis, & Scripturarum euincit, cùm firmamenti nomen pluribus alijs locis repetat, nec vnquam pro octaua tãtùm sphæra illud desumat, quemadmodum supra demonstratum est. Præterea nulla se offert ratio, cur Deus magis octauam sphæram, quàm reliquos orbes Cœlũ appellarit, cùm dixit Moses; Vocauit Deus firmamentũ cœlum: nam Cęli nomen cunctis cœlestibus sphæris æquè asciri potest. Sed si firmamẽti nomine octaua tantùm sphæra hoc secundo die effecta significatur, verificari ægre valet, quòd diuiserit aquas ab aquis, nisi ad metaphoras confugiamus, prout ipsi repente cõfugiunt aquarum nomine, Cœlos Crystallinum, & Saturnum interpretantes; quæ à vero sensu quantum labantur, suo loco demonstrabimus. Insuper si primo die omnes orbes suis decorati luminibus, vt isti asserunt, excepto sydereo Cœlo promanarũt, quid quæso firmamentũ illud seiunxit? Nunquid fortè supernum aqueum Cęlum à Saturno discreuit, nonũ extollens, & septimũ deprimens, vt aliquem sibi ipsi opportunum locum pararet? At hæc omnino commentitia sunt & fabulosa. Tandem cùm vniuersi orbes in vnam naturam congruerent, vt quid Deus primo die cæteros condidit, hunc autem in secundum diem reiecit. Et si Deus secundo die sydereum Cœlũ tantùm post reliquos produxit, quid eo loco, in quo ipsum compactum est, extabat? Nunquid vacuum? sed vacuũ horret natura. Nunquid elementum? sed inter cęlestia corpora ex quinta essentia, vt ipsi arbitrantur, congesta, nullum intersertum considere potuisset elementum. Nunquid aliud corpus cœleste? sed quid ipsi post euenit? quònã sublatũ est? Nũquid ipsa corpora cęlestia simul cohærebant? At illa fluxilia non esse, vt condensari, atque coarctari possent, seù dilatari, exploratum est. Verùm si iam conditi orbes, saltem ab exordio primæ diei sine firmamento, vt

Reijcitur sententia Catherini.

Secundæ diei opus nõ fuit octaua sphæra tantùm.

to, vt ipsi astruunt, mouebantur, quæ cōcinnitas, seù proportio motui Cœlorum inesse poterat, cùm Cœlum præstantissimum deficeret? Vel igitur hæc commentitia sunt, & pro arbitratu prolata; vel saltem fundamentis nutantibus ac titubantibus innixa: quare etiam facillime euertuntur, & corruunt.

Lyrani assertio exploditur.

A Lyrano delatæ assertiones in eo Patribus assentiunt, quòd firmamēti nomine congeriem corporum cęlestium interpretantur: In eo autem dissentiunt, quòd ipsa hac secunda die non constata fuisse decernunt, sed qualitatem tantùm quandam ipsis superadiectam constituunt. Quod haud probè dictum reputo. Primùm quoniam quæ sex diebus gesta sunt, res substātificę fuerunt, non autem ex ijs quæ accidētia nuncupantur, prout etiam reliqua cæteris diebus effecta ventilantes facillimè percipiemus. Absolutas siquidem Mundi partes vnaquaque die congessit Deus. Nec est cōcinna comparatio inter Dei opera, & ea quæ à natura, vel arte proferuntur, in quibus Scriptura qualitatum accidentiumq; additamentum, effectionem interdum appellare consueuit. Rabbini Samuelis placitum cum Vielmij sententia proficiscitur. Quapropter & cū ea mox elidetur. Sententia altera, quæ hac secunda die collatum Cœlis robur ad præseruanda, regendaq; elementa, asseuerat, imbecillis, & fictitia est, atque in angustias redigi potest; si quidem si Cœli id virtute naturæ, seù lucis, & motus consequuntur, certe tùm id nacti sunt, quando ipsis natura est communicata, vel lux, & motus superadiectus. Aegidij sententia, quæ ancipiti diffinitione vel octauam sphæram, vel omnes stelliferos orbes secundo die non conditos, sed ex inito motu proprio, & retrogrado, à supremo Cœlo seiunctos fuisse astruit, vti nulla ratione, ac authoritate suffulta facillime contemnitur, & reijcitur. Primùm enim singularis spontanea ac nouitia est, nec ab ullo Patrum insinuata. Deinde fundamentum non adeo tutum iecit, quando vniuersam cœlestiū orbium compagem in primordio temporum conditam supposuit, id nanque omnes ferè prisci Patres abnuunt, nec ipse vnica saltem argumentatione illud muniuit, vel cōprobauit. Dein octauam sphæram, planetaresque orbes secundo die proprias auspicatos fuisse conuersiones, cuncti Patres inficiantur, neque vlla Scripturæ authoritate, aut vlla ratione firmatur. Nam si sphærarum volubilis latio est propter sydus, vt quid secundo die suas lationes exorsæ sunt, si Sol, Luna, astraq; quarto tantùm die, vt essent signa in tempora, ac dies, & annos, emanarunt? Ociosa profecto, ac superflua fuisset illa orbium circumlatio, nec ex ea influxus uix prodire potuisset. Adijcias, quòd exile nimiū secundæ diei opus extasset, nisi in ipsa recens aliqua res substantifica, vel saltem recenti prædita figura prosilijsset. Tandem importuna, extortaq; videtur hæc interpretatio, Fiat firmamentum, idest, fiat motus in firmamento. Nunquid motus Cœli firmamentum est? Verum indigna hæc sunt, vt ea prolixiori disceptatione confutemus.

Sex dierum opera substātiæ non accidētia fuerūt.

Refellitur alia sententia.

Aegidij opinio repudiat.

Steuci sententia oppugnatur.

Steuci sententia, quantum ad ea, quibus aërem firmamenti nomine gaudere astruit, à vero recedere non attestor, tametsi firmamentum aërem tantummodo significare nō assentiam, cùm diuinas Scripturas, sanctissimosq; Patres, vt supra iam deductum est, aliter sensisse perspiciam. Quantum verò ad id, quod aërem hoc secundo die manasse tradit, quæ sententia adeo probata & comperta ipsi visa est, vt stolidos, & contentiosos eos, qui secus opinentur, existimandos dicat, tanquam ei soli Scriptura, ratio, & experimentum suffragentur, nimio ausu prolatum arbitror. Ego siquidem non aliorū doctrinam reprehendendi, nec propriam ostentandi libidine, sed Patres solummodo defensandi gratia, aërem non secunda die manasse, nec ex aquis elici exeriue potuisse, nec Solis ardentissima luce conflari quiuisse, phisica ratione, & methodo, seù via demonstrare aggredior. Primùm Philosophi omnes tam Platonici, quàm Peripatetici, ex insitarum elementis qualitatum ratione elementa ipsa seorsum esse unum sine altero non posse diffiniunt, & merito. Quinimmò ex hismet qualitatum oppositionibus Arist. secundo Cœli, & Plato in Timęo, (quos omnis Philosophorum acies subsecuta est) corpora simplicia & esse quatuor, & consimul orta demonstrant. Amplius aërem primordijs temporum à Deo productum non una rudi forma præditum, sed elementis fuisse cōmixtum asseuerarunt, Basilius, Ambrosius, Ioannes Damascenus, Seuerianus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Rupertus, Hugo, Strabus, Magister, D. Thomas, Caietanus. Præter hos Augustinus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Gre-

Aer non manauit die secunda, neque ex aquis exertus est.

Gregorius magnus, Philo, Acacius, quorum nullus vnquam aërem secundo die conditum prodit, ac præter Pererium, qui statim producta sententia hac, ab ea defecit, solum Steuchum huius placiti assertorē præcipuum propugnatoremque acerrimum comperio. Iunilius, qui à terra ad Empyreum aquas cum Steucho inundasse censuit, aërem in terræ hiatibus insitum tradidit. Tertullianus, Theodoretus, Diodorus ex vetustis, Vielmius ex nuperis, spiritum Domini super aquas delatum, aërem interpretati sunt. Quapropter placitum hoc, quòd aër, seu ignis & aër secundo die manarit, tanquam singulare prorsus ab omnibus tùm Philosophis, tùm Patribus, tùm Theologis deuitatur. Deinde cum aëris nomen conspicuum, clarum, Mosi non defuisset, quorsum metaphoricū mutuare? Et cùm dicere potuisset, Fiat aër, quorsum dicere, Fiat firmamentum, seu fiat extensio, & expansio? Hæc enim omnia tanquam cōmunia etiam quid diuersum ab aëre significare potuissent. Ex aquis totum elementū aëris esse elicitū, erutumque nullus nec Philosophus, nec Theologus annuet, nisi ex prodigio. Non ignorant siquidem Philosophi mutuā adinuicem elementorum contiguis in partibus transmigrationem, dum semper vicissim attenuantur, & colliduntur, sed vniuersam vnius elementi molem, atque congeriem ex alio gigni potuisse nunquam concedent. Tunc siquidem aër nec elementum, nec corpus simplex dicendū esset, si ex alio congestum cerneretur. Theologi pariter omnes quatuor simplicia corpora à Deo simul ex nihilo producta decernunt. Rursus aërem ex aquis ardentissima Solis lampade exortum fuisse, cōmentitium est: cùm omnes, tam Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ Patres, vsque ad D. Thomæ tempestatem, Solem quarta tantùm die exilijsse iuxta Mosis dictū diiudicarint. Atque eo magis, cùm nec D. Thomas, neque sectatorū nuperorum alius, Solem ipsum ardentiori potentiorique luce præditum, quàm nunc sit, prodijsse diffiniant. Insuper Deum creationis opus, sola sui virtute, non Solis, neque alterius secundæ caussæ ministerio patrasse, omnes vna consensione, atque admiranda conspiratione decernant. Deinde, si ex motu, quo aër atteritur, ac tenuatur, seu ex radij repercussione à terra, & aqua in aëre Sol exurit, ac calefacit: qui ardor? qui calor? quæ attritio? quæ attenuatio? quæ repercussio esse poterat, qua aër cùm non esset gigneretur, si vniuersa vsque Lunæ orbē aquæ contegebant? Aniles fabulas hæc certè sapiunt, & sicuti nulla ratione munita produntur, ita etiam nullo negocio prosternuntur. Sed neque quia aër (inquit Steuchus) non esset, Solis lux calere, & radij non poterant, nam hi in aquas infigebantur, ordo autem est alius post res creatas quotidianus insecutus. Sed vt quid Steuce ad miraculorum Asylum confugis? aderant aquæ certè, in quibus radij infigi poterant, sed in Sole & aquis requisita intercapedo non aderat, neque etiā aderat aër, in quo radiorū ipsorum refractio efficeretur. Si autem miraculosa existebat illa Solis efficacia, & ardor, poterat vtique summus ille rerum omnium parens & conditor Deus idipsum absque Sole efficere, si Sol non naturali, sed diuina vi vrebat, atque torrebat. Quod ex D. Augustino adduxit Steuchus, id Beatissimus Doctor non ex sua sententia protulit, sed disceptans quomodo aquæ supercœlestes illic consistere dicerentur, hanc induxit sententiam, mirificeque eam in hoc commendauit, quòd difficultatem cęlestium consessionis aquarum effugerit: Non tamen eam prosequutus est; cum ipse (vt ex eius doctrina elicuit Beda, & Strabus) aquas super Cœlos elatas asserendum esse ex Scripturarum auctoritate concludat, ex quibus ipsum firmamenti nomine Cęlum excepisse perspicuè demonstratur. Idipsum omnino de Eucherio dicendum. Quantum ad D. Thomæ sententiam spectat, fateor me libenter Thomistarum aliquem eruditum auditurum, qui mihi de secundo diei opere eius assertionem, ac mentem declaret.

Superest mihi, vt inualidis aduersariorum obiectionibus satisfaciam. Moses (inquit Steuchus) Cœlorum memorationem non habet, quoniam sensui non patent, & de sensu perceptibilibus tantùm geniturā tradendi munus assumpserat. Quidnam ego huic insulsæ rationi proferam? Possum equidem cum multis Patribus, præcipuè cū D. Augustino asseuerare, Mosem de omnibus creaturis, tùm sensilibus, tùm spiritalibus pertractare; Sed dato, quòd Mundi tantùm sensilis genesim enarret; num corpora cęlestia partes sint Mundi, machinæque huius, num sensibus nostris appareant saltem astrorum respectu, num cognita sint, & perspecta ineruditis etiam, ingenuo lectori diiudicandum

De Ciui. Dei lib. 11.

candum relinquo. Duo nomina, inquit, Rachiah, & Samaim aërem denotant, non Cœlos. De voce Rachiah iam supra dictum est: De Samaim autem hoc vnũ accipias, quòd si Cœli ex aquis congesti sunt, seù aquas supercęlestes super dorsum ferunt (quẽadmodum inferius reiecta Peripatetica commentatione ex Scripturarum & Patrũ sententia euincemus) certè & corpora cęlestia Samaim, quasi ibi aquæ, nuncupari potuere. Adiicias, quòd si Samaim quid mirificum significat (vt cum Lusitano iam adnotauimus) mirifice profecto nomen hoc cęlestibus competit corporibus, quibus nil excellentius, nil mirabilius. Adiiciebat tertio loco Steuchus, quòd natura in rerum ipsarũ manatione exposceret, vt post Solem flagrantem desuper mox in aquarum mole aër gigneretur. Ordinem hunc, haud equidem naturæ, seù descriptionis Mosis ordinẽ, quin potius ipsiusmet Steuci excogitatum, atque inuentum censeo. Naturæ profectò ordinem perlepidè præter cæteros digessit Nyssenus: isque erat, vt elementa primùm corpora simplicia prodirent, deinde ex ipsis cætera conficerentur. Ordo autem descriptionis Mosis is fuit, quem Patres interpretati sunt, & non quem Steuchus ipse recenter inuexit. Quòd verò existimabat aquas tertia die non potuisse in Pelagi finibus constringi, nisi aër secundo die effectus fuisset, existimare hoc poterat secundũ id genus Chaos, in quo aquas vsque ad Empyreum scansisse effingebatur, sed & cum Patribus, nempe Iunilio, & pluribus alijs asseuerare potuisset Steuchus, ex ea immensa aquarum exundantia, partem super Cęlos elatam, partem in Cęlis construendis absumptam, partemq; subsidente terra non conflagratione, sed condensatione coactam fuisse. Quod autem postremo loco asserebat, esse interstitium inter aquas, & aquas, non Cęlo, sed aëri conuenire, longè à veritate recedit. Cùm enim firmamentum, vt dixit Ioannes Chrysostomus, aliud non sit, quàm paries quidam, & interstitiũ in medio sitũ, diuidens aquas ab aquis, firmamentoque ob id competat medium consistere inter extrema, atque intransgressibile permanere: Cęlum certè, & non aer, paries, & firmamentũ dici potest, cùm desuper gerat supercęlestes aquas, terrestresq; substernat, & terminus sit, quẽ ipsæ transgredi nulla ratione queant. Aer verò terminus non sit disterminans; sed sedes aerearum impressionum, quarum profecto cum aquis super terram labentibus non modò continuatio est magna, verùm etiam eadẽ prorsus in vtrisque natura spectatur. Dum autem quærit, quæ cognatio, & quid finitimum sit Cęlo cum aquis, nam supra Cęlum nullæ sunt aquæ, sub ipso autem fluxiles aquæ tanto interuallo à Cęlo seiungantur. Respondeo, Steuchum ipsum Mundanæ machinæ dispositionem non secundum Scripturarum, & Patrum doctrinam, sed secundum Philosophicam rationem desumpsisse. Duplex siquidem est machinæ huius congestionis ordo. Philosophi enim Peripatetici post Regiam Deorum (si tamen illam norunt) quæ nobis Empyreum est, nullis aquis intersertis Cęlos ex quinta essentia conflatos, atque in octo orbes diuisos astruunt. Inde ignẽ, aerẽq; super hanc terræ & aquæ labentẽ sphærã constituunt. Patres autem, Theologiq; nostri post Empyreũ, si cũ Clemẽte, Philone, Origene, Claudiano, Diodoro, Iunilio, Strabo, & cæteris, seu post Empyreũ & supremũ orbem Mundum concludentẽ, si cum Basilio, Ambrosio, Theodoreto, & alijs Cęlorum dispositionẽ statuamus, aquas supercęlestes, seu fluxiles, seu glaciales, seu vaporeas collocant. Inde firmamentũ, Cęlum scilicet astrigerum in plures circulos secatum; subinde ignem, & aerem purum nulla aquarum impressione vnquam confertum. Tandem aeris regionem aquarum sedẽ ipsi terræ, aquisque defluentibus connexam. Si igitur Peripateticam dispositionem prosequamur, certè inter Cęlos, & aquas nulla erit cognatio, nulla similitudo, nullum confinium: At si Patrum structuram amplectemur, profecto Cęlum potius quàm aer interstitium dici poterit, maximè si firmamenti nomine Cęlorum, ignis, & aeris puri congeriem capiemus. Tunc siquidem nullo interiacente corpore firmamentum hoc supra, & sub finitimum erit aquis, & non aer, qui sedes est aquarum, vt dicebamus. Maximè si hoc vnum obliuioni non tradamus, aquas hoc secundo die vniuersam hanc regionem, quæ nunc sedes est aquarum, atque impressionum, exundasse, purique fortasse aeris superficiem vsque conscendisse. Ego autem (derideant licet Steuchus, & nuperi) cuncta Aristotelica placita abiurare, contemnereq; malo, quàm à Patrũ doctrina trãsuersum digitũ recedere, ratus ipsos Mosis, Scripturarumq; sacrarũ, à quibus omnis cęlitus

Hom. 3. in Gen.

cęlitus reuelata doctrina diffluit, mentē fuisse consecutos. Sed hæc cōtra Steuchū satis. Caietani sententiam, Vielmius (vt dicebamus) his iam confutauit. Primùm si determinatam formam determinata quantitas euestigio consequitur (ait Vielmius) quemadmodum corpora inter Empyreū & aquæ sphæram interiecta in primordio temporum specificis formis absoluta prodiere, ita & absoluta, requisitaque quantitate, seù amplitudine manasse censendum est. Deinde quòd si interminata erant, infinitatemq; præseferebant, igitur potius angustata, quàm extēsa fuere. Sed meo iudicio Vielmius Caietani mentem non est assecutus. Caietanus siquidem existimauit Mundum vnico momento fuisse conditum, hac autem enarratione non tradi hæc, quasi quòd prius, & post emerserint, sed veluti diuersa, quæ post, & prius, non secundum essentiā, seù emanationem, sed secundum rationem percipi possunt. Verum illud me à Caietani sentētia abscedere cogit, quòd ex doctrina eruditissimorū ac sanctissimorū Patrū, quæ à summo rerum conditore vnoquoque die gesta sunt, non inter ea quæ alteri accidunt & inhærent, sed potius inter ea quæ ex seipsis consistunt, enumeranda arbitrer, maxime cùm semper verbo Fiat, Fecit, & Factum est, procreata illa Sanctus Vates enarret. Quare secundæ diei opus ipsa Cœlorum congeries certe fuit; & fortè aëris puri ignisque non extensio, sed depuratio addita est, quemadmodum supra fusius demonstrauimus.

Caietani sententia reijcitur ex Vielmio.

Vera impugnatio Caietani.

Vielmij assertio, quæ soliditatem roburque Cœlis hac secunda die adiunctam edocet, suomet fundamento mox ruit. Si enim formam è vestigio consequntur cuncta accidentia, quæ à forma manant, certè & densitas Cœlorum, suammet formam sunt insecuta eo magis quòd Cœlos tanquam æs fusos tradat Scriptura. Deinde cùm singulare, recensq; sit hoc placitum, non est, cur à tantorum Patrum vetusta sententia tam facile discedamus. Amplius si solida non erant corpora cęlestia, quomodo circunferebantur? vt ipse Vielmius cum Sole circunferri à primæ diei initio asseuerauit. Miraculum certe fuisset non necessario inductum.

Vielmii assertio destruit.

Pererij tandem sententiam, quæ à Steuco defectione facta aërem secunda die quò ad substantiam minime effectum esse, sed alia nactum esse munera autumat; primùmque ipsum fuisse medium quendam terminum, aquas pluuiales à terrestribus secernentem, destinatum; & deinde locum generationis naturalem aquarum sublimium constitutū; amplius hoc die effectam esse distinctionē elementi aquæ in aquas aëreas, & terrestres, censet; non adeo certam tutamq; existimo, vt (si quis intimius rem perpenderit) nihil horum prorsus hac die effectum fuisse, non ambigat. Primùm medius terminus disterminans ille est, qui inter disterminata ea serie collocatur, vt disterminatorū aliud ei sit prorsus supra, & aliud infra: sed hoc nunquam de aëre asserere possumus; neque etenim caligines, nubes, impressionesq; aëreæ supra aërem existunt, ita vt inter eas, ac labentes terrestres aquas aër intersidere dicatur; immo in ipsius vtero gignuntur, constipantur, condensantur, laxantur, dissoluuntur, ipsum aërem à suprema regione vsq; ad terræ, & aquarum harum superficiem prorsus inficiunt ac obruunt, eo euentu, vt ipsæ caligines, nubesq; cum terra, & aqua connectantur, iuxta illud; Sicut nebula texi omnem terram; Et illud. Cùm ponerem nubem vestimentū Maris, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem. Nullum igitur obtinet aër munus diuidendi aquas ab aquis quasi terminus disterminans, sed ex eo ascribitur ei præasserta seiunctio, quòd locorū diuersitatem sortitæ sint aquæ, dum impressiones in eius vtero gignuntur, & soluūtur, terrestres vero aquæ per sinus terræ sub ipso dilabūtur. Quòd si aër terminus interiectus inter aquas superiores, & inferiores dicitur, eo quia sēper superiores aquæ gignātur in sublimiori aëre, & inferiores sedem sub aëre in tèrræ hiatibus vendicarint, pari ratione & terra aquas seiungere ab aquis dici posset, quoniam aquarum parte ad superam regionem euecta, reliquam ipsarum partem terra in proprijs visceribus & gremio complectatur. Aerem deinde locum esse naturalem generationis sublimium aquarū, nullus abnuet, verum hoc non secundo die, sed in ipsius origine aeri insitum fuisse, cùm ex naturæ dote id ipsi congruat, asseuerare possumus. Competit siquidem ei hoc munus sua natura, cùm sit elementum rarum, fusum, ac tenue, ut halitus aqueos à Sole exertos, attractosq;, suo patente sinu accipiat, frigore suo condenset, constipetq;, ac calido laxet, rarefaciatque vt decidant. Quamobrem hoc aeri delatum est, quando à Deo optimo

Eccl. 24.
Iob. 38.

optimo conditus est. Qui nanque indit formam, exhibet, & consequentia formæ. Equidem debile exileq; fuisset hoc secundo die peractum opus, si nil recens, & nouum sapientissimus opifex protulisset, sed tantùm id, quod aërem ex natura consequebatur, aëri tribuisset. Adijcias, quòd aër hic infimus, qui sedes est exhalationũ, hoc secũdo die non adhuc liber vel defęcatus diffundebatur, aquis enim vndiq; obruebatur, sed tãtùm tertio die aquis in voragines terræ coactis liber nitidusq; euasit. Amplius hac die effectam fuisse distinctionem aquarum inter aquas aëreas, & terrestres, non certè est conspicuum, disceptatione enim dignum esset, Num entia meteorologica imperfecta, impressionesq; aëris hac secunda die emanarint; Si ipsemet Pererius eleganter hanc difficultatem non eliminaret. Neque necesse est (ait) hoc die sublatos esse vapores, & nubes in sublime, in media regione aëris generatas fuisse aquas, cùm infra dicat Moses capite secundo, quòd nundum pluerat super terram, sed hoc die designatus est, & destinatus est aër, vt esset locus naturalis aquarum, & diuideret aquas ab aquis. Hæc ille. Ego quoque impressiones in sublimi aëre factas opus insigne, & admirabile censeo, tum ob aëris naturam, qui rarus licet ac tenuis existat, exhalationum tamen, & nubium congeriem admodum amplam ferre queat; tùm ob aquæ conditionẽ, quæ tametsi grauis fluidaq; in sui natura esse cernatur, constringi attamen conglobariq; possit, atq; sustineri ne decidat, quoadusque maturarit, & comminuta in guttas effundatur. Mirandum profecto opus, summopereq; mortalibus beneficum, cùm ex eo fontes omnes, Lacus, & Maria expleantur, virentia cuncta, quæ nimio calore exurerentur, benignè refoueantur, atq; alantur. Verum potius fuisse id tertia die gestum non quidem absolutè & exactè, sed in præseminaria potentia arbitror. Tunc enim detecta terra Sol halitus exerere, attrahereque ex ea & mari potuit, ut aëris regio earum impressionum matrix aquarum colluuie denudata suo excipere vtero posset, vt tandem post aliquos dies gignerentur, iuxta illud; Non enim pluerat, &c.

Cœlestia corpora secunda die creata.

Reiectis nuperorum sententijs, eorumq; argumentationibus propulsatis, reliquum est, vt iuxta sententiam priscorum ac præstantissimorum Patrum, peculiare huius secundæ diei opus congeriem cœlestium orbium constituamus. Porro sententia hæc primò dictorum Patrum authoritate, temporum vetustate, & mirifica Ecclesiæ per tot sæcula consensione fulcitur. Deinde quòd verbo Fiat, nouum opus substantificum, idq; ex Elementis, productum importet, quod certe níl aliud quàm Cęlũ esse potuit. Quod enim tulit Burgensis in additionibus, Cœlum ex nihilo fuisse productum, sicut & cuncta illa, quę verbo Fiat confecta scribũtur, longe à Patrum doctrina declinat, absceditq;, & sicuti authoritate nutat, ita etiam ratione deficit, cùm nulla id graui ratiocinatione comprobarit. Amplius firmamenti nomen ex Septuaginta interpretum, & editionis vulgatæ authoritate, atque ex tantorum eximiorum Patrum nutu receptum, sua ui, & emphasi nil aliud, quàm Cœlum ipsum firmum, inconcussum, ac solidum, præcipue ad vehendas supernas aquas, insinuare potuit: ita siquidem eius etymologiam Philo, Iustinus, Origenes, Tertullianus, Basilius, Ambrosius, Hilarius, Acacius, Seuerianus, Gennadius, Augustinus, Theodoretus, & alij quamplures explicarunt. Præterea cùm firmamenti munus sit aquas ab aquis dispescere, atq; inter eas ad instar parietis seù interstitij impenetrabilis considere, id nulli profectò aptius quàm Cęlo cõuenire potest. Adhæc quomodo aëri vel alteri cuipiam præterquam Cęlo poterit vnquam id, quod Moses adijcit adaptari; Fecit Deus duo luminaria magna, & stellas, & posuit eas in firmamento Cœli, quandoquidem Sol Luna, & Astra, non in aere, neque in quopiã altero, sed in Cœlorum congerie haud dubie collocantur? Effugere syrtim hanc plures sed incassum elaborant. Respondent nonnulli Mosem vocabulo firmamenti, secundo die aerem, quarto verò cęlestia corpora significasse. Sed quis arbitrari poterit, Vatem Mosem eandem vocem, eadem enarratione ambiguè inconstanterq; ad tam diuersa retulisse? obscuram perplexamq; suam historiam reddidisse? Nec illa adiectio vocis Cœli, eius significationem immutat, cùm more hebraico dixerit, in firmamento Cœli, pro eo quod est in Cęlo, seu in eo firmamento, quod secundo die vocatum est Cęlum. Alij interpretati sunt, In firmamento, hoc est, sub firmamento seu octaua sphera; Sed hæc expositio adeò insolens est, vt pari arbitratu, In firmamento, hoc est, super firmamentũ,

Firmamenti nomen uarie à plerisq; sumitur.

expo-

exponere quis posset. Atque hæc explicatio omnino est, ac si diceret, In firmamento, hoc est, Extra firmamentum. Qua expositione quid ineptius insulsiusve? Alij contendunt dixisse Vatem Mosem posita esse astra in firmamento Cœli, idest in aëre, eò quòd per ipsum firmamentum, seu aërem nobis spectabilia reddantur: sed certè pari ratione res cunctæ quæ videntur, in aëre considere prorsus dici possent, vt Vrbes, Aues, Arbores, Animalia, Colores, quoniam vniuersa aëris beneficio nobis innotescunt. Alij fortè maturius firmamenti nomine Mosem ex vulgi rudis captu vniuersum spatium, à terra vsque ad sydera comprehendisse censent, & cùm dixit; Posuit ea in firmamento Cœli, supernam cœlestem regionem intellexisse opinantur. Sed hæc expositio à nostra non discedit, vt supra demonstratum est; nec elabitur, quin cęlestia corpora hoc die effecta prodantur.

Cæterum non omittenda est Echo Scripturarum, qua sæpius, quod primo loco clare non perspicitur, ex bina seu terna eius reiteratione comprehenditur. Dauid igitur in Psalmis sic cecinit; Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Sapiens pariter inquit; Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, species Cęli in visione gloriæ. Horum locorum contextum si quis profundiùs perpendet, in ipsis profecto de Cęlis supernis, in quibus emicant Sol, Luna, & astra, sermonem haberi comperiet, maximè in secundo: in quo cùm Solem præconijs pluribus extulisset Sapiens, in firmamento astra esse contestatus est, dicens; Vas astrorum in excelsis in firmamento Cęli resplendens gloriose, species Cęli gloria stellarum. Amplius Ezechiel, dum mirificam portentosamque illam inter turbinem, nubem, ignem, ac fulgura, animalium, ac rotarum apparitionem in aëre factam describit, Cęli desuper forma qualis fuerit enarrans, ait; Et similitudo super capita Animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorũ desuper, sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum. Cęlum igitur firmamentum dixit, aerem verò, quem quatuor Animalia inter nubes, turbines & fulgura peragrabant, non firmamentũ, sed sub firmamento esse obtestatus est. Sic enim Tertullianus libro de Trinitate (vt supra recitabamus) hũc locũ exposuit dicẽs. Hinc est, quòd & desuper Cherubim sedet, idest, præest super operum suorum varietatem subiectis, Throno eius Animalibus præ cæteris principatum tenentibus, cuncta desuper crystallo contegente, idest Cęlo omnia operiente. Hæc tandẽ Ecclesia idipsum diffinire visa est ille. Hæc siquidẽ in Hymnis suis, cũ singulo die de singulis eo die patratis operibus, quoad potest, immortales Deo gratias rependit: secundo die de secundo collato opere hæc canit.

Psal. 18.
Eccl. 43.
Ibid.
Ezech. 1.

Immense Cęli conditor, Firmans locum cęlestibus,
Qui mixta ne confunderent, Simulque terræ riuulis,
Aquæ fluenta diuidens, Vt unda flammas temperet,
Cęlum dedisti limitem: Terræ solum ne dissipet.

Consentiunt igitur simul literæ planus sensus, Patrum priscorum, tam Grecæ, quàm Latinæ Ecclesiæ luminum, sententia: Scripturæ Echo; Ecclesiæ auctoritas. Non est igitur, vt de hac re ambigere amplius debeamus. Hactenus itaq; firmamenti nomine Cęlos præcipuè capiendos, secundæque diei opus Cęlorum compagem extasse, præclarissimos ac sanctissimos Patres tantũmodo defensandi gratia, copiosè demõstrauimus.

De substantia Cœlorum.

Vt in vastum procellosumque Pelagum conscissa naui, nempe vt in amplissimam, litigiosam, ac difficillimam de Cœlorum substantia disceptationem ingrediar, diuersæ Patrum ea de re (quemadmodum in vberrima copiosissimaque Catena, quam de firmamento proximè deduximus, intueri licet) sententiæ me inuitant & alliciunt, siue, vt verum fatear, inuitum pertrahunt, nolentemque compellunt. Non enim verborum illorum Domini vniuersam prorsus circa huiuscemodi rem humanæ inuestigationis audaciam retundentium obliuiscor; Nunquid nosti ordinem Cęli, & pones rationẽ eius in terra? Atque etiam; Quis enarrabit Cœlorum rationem? & concentum Cęli quis dormire faciet? Obscura profecto est, plurimaque obuoluta caligine hæc de substantia Cœlorum inuestigatio. Tum quòd res, de quibus negotium est, sublimes sint, ac vix

Iob 38.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Fiat firmamentum ex elementis.*

vix prospici queāt, tùm quia dissensio maxima de hac re inter Doctores vtriusq; manus Ecclesiasticos, ac Ethnicos iamdudum per multa sæcula nunquam conciliata perseuerat, eoque etiam difficilior redditur, quoniam plurimi ex nostris, & eximij certè nominis Doctores Neoterici ad Aristotelicam aciem, neglectis priscis Philosophis, ac Patribus confugerunt. Cæterum ex instituto nostro cunctorum sententias primo loco proferamus.

a. *Fiat firmamentum ex elementis.*

Philosophi Cœlū ex elementis constare asserentes.

Philosophi omnes prisci ante Aristotelē, vt Iustinus in Admonitorio, Clemēs Alexandrinus libris Stromatum, Theodoretus libro de Materia, & Mundo, Cyrillus, & alij insinuasse mihi visi sunt, eandem Cęli, & sublunarium esse substantiam, & solū differre Cęlum ab elementatis puritate, & impuritate diiudicarunt. Quapropter senserunt Aegiptij Cęlum esse humorem concretum; Diogenes aërem puriorem; Heraclitus ignem; Stoici ardorem mobilem; Pithagoras flammam; Empedocles, vt refert Aristoteles ex quatuor elementis compactum illud existimauit; ampliusque indissolubile, incorruptibileque, quoniam omni submota lite in ipso perpetua fuerit elementorum amicitia constituta. Platonis quænam fuerit sententia non ita est perspicuum. Ioannes Picus, Diacetius, Maynettus, & præcipuè Simplicius primo & secundo Cęli, Platonem, & Aristotelem sola voce, non in sententia dissentire asseuerant. Primùm quoniā Plato quinque enumerat animarum genera, terrenū scilicet, aqueum, aëreum, æthereum, & igneum, & pariter quinque corpora prima. Insuper in Epimonide asserit quinque esse figuras primas, primis quinque corporibus respondentes. Demum quoniam in Tymæo se declarans, quid intelligat nomine ignis, quādo inquit Cęlū esse igneum, lucem profectò, nō autem comburentem ignem se intelligere fatetur. Ideoq; asserit astrorum orbes esse participes eius ignis, qui non vrit quidem, sed illuminando suauiter diem inuehit Mundo. Non itaque Plato censuit (inquit Simplicius) verè in Cęlo ignē inueniri. Cæterū aduersus Simpliciū, Ioannē Picū, Diacetiū, Maynettū, & alios, qui Platonē nō dissentire ab Aristotele arbitrati sunt, perstant Plotinus, Porphirius, Taurus, Philoponus, Marsilius Ficinus, & plurimi. Hi Platonis sententiam deducunt præfatæ aduersam præcipuè ex his, quæ ab ipso in Tymæo asseruntur. Deus (inquit ipse eo in loco) ignem primò terramque creauit, sed duo solùm absque tertio quodam commode cohærere non possunt, mediumque aliquod vinculum vtraq; desiderant. Et post pauca; Qua ex coniunctione ita constitutus est Mundus, vt aspici, tangique possit. Propterea ex huiusmodi rebus numero quatuor Mundi corpus conflatum est. Et deinceps. Quatuor igitur earum rerum quamlibet integram Mundus accepit, ex omni quippe igne, aëre, aqua, terra, eius faber ita ipsum composuit, vt nullā cuiusquā istorū partem, aut vim extra relinqueret. Ex his manifestissime claret, inquiūt, Platonem sola quatuor prima corpora in Vniuerso posuisse, & essentiam quintam simplicem, genere distinctam ab alijs, nec prorsus excogitasse. Ad fundamenta pro parte aduersa relata non est difficile (aiunt) occurrere. Ad primum, dum dicitur Platonem quinque ponere animantium ordines, & quinque prima corpora, patet solutio ex ipsomet Platone in Tymæo, vbi aërem in partem puriorem, quam nuncupat ætherē, & in minus puram distribuit; & in Epimonide idipsum manifestat. Nam quem Aristoteles incensionis fomitem sub Cœlo positum appellat, Plato nuncupat ætherem. Et sic

Lib. 1. Cœl. tex. 102.

Platonis sententia quæ fuerit.

Cōtra Procl. disp. 13. cap. 15.

Et sic statuit quinque animalium ordines, quamuis prima corpora absolute solum quatuor esse decernat. Ad fundamentum sumptum ex primis quinque figuris respondet PHILOPONVS in Disputatione tertiadecima cõtra Proclũ cap. decimooctauo. Anno Mūdi primo. Die secunda.

Platoni tribuere figuram illam quintam duodecim facierum non quinto corpori, quintæve essentiæ, sed vniuerso ex omnibus conflato, vt patet ex ipsomet Platone in Tymæo. Inquit enim; Est & quædam compositio, qua Deus ad vniuersi compositionem est vsus, eaq; descripsit, & figurauit. Et longe minus aduersatur postrema, dum dicitur, quòd Plato manifestat ex quali igne constet Cœlum, & quòd non constat ex igne qui flamma sit, sed ex luce quatenus est corpus lucidissimum. Ad hoc dicunt Platonem puriori, eminentioriq; igni lucem tribuere, & propterea per lucem eius proprietatem puriorem ignem circumscribit, immo cùm dicat oculos nostros esse participes cœlestis ignis, verè indicat Cęlum non esse diuersæ naturæ à mortalibus, sed posse in mortalibus participari & sola puritate ab eis differre.

Sed quicquid sit de eorum Philosophorum iurgijs, Patres nostri clare tradunt, quòd Plato Pytagoram insecutus stellas censuerit esse non vrentes ignes, Cœlum verò ex eminentijs omnium elementorum constare.

Audiamus igitur oracula nostra, quid de mente Platonis dijudicarint.

PLATO in Tymæo, prout ipsius verba deducunt Philo libro an Mundus sit incorruptibilis, Augustinus libris de Ciuitate Dei, Cyrillus libro secundo aduersus Iulianum, & alij, sicuti à nobis iam sæpius relatum est, Deum opificem ita Cœlos alloquentem effingit.

O' Dij Deorum, quorum opifex ego sum, natura vestra estis dissolubiles, voluntate mea indissolubiles permanentes.

Idq; de Cœlis dixisse Platonem, prædicti Patres existimarunt.

IVSTINVS tamen econtra in Admonitorio hæc ad Deos Gentilitatis his retulit.

Sed fortaße nonnulli, quibus mens non est à multorum Deorum dogmate resipiscere, opificem ipsum, ijs quos produxit Dijs, ita dixisse contendent. Quoniam estis geniti, immortales, aut omnino indissolubiles eße non potestis, non soluemini autem, neque mortali fato, me ita volente, subijcemini, maiorem & fortiorem multo nexum sortiti.

Idipsum tradit Clemens Alexandrinus libro primo Stromatum.

IVSTINVS iterum in Oratione Paranetica, seu in Admonitorio. Platonis sententia de Cœli substantia.

Sed enim Plato ait, ac si cœlitus descendißet, & vniuersa, quæ in Cęlis sunt, diligenter conspexißet, supremum Deum in ignea dicit eße substantia.

CYRILLVS Alexandrinus contra Iulianum libro secundo, Aristotelis, & Platonis placita inter se aduersa recitans, quænam eorum fuerit de Cœlo sententia, ita exponit.

Nam Porphyrius dicit, opinari quidem Platonem de Cęlo, dicereq; quòd corporea eius species constiterit ex quatuor elementis, ab anima inter se consonantiam habentibus. Ideò dicit, interdum coniunctionem, interdum diminutionem dici. Interpretatur item nomen vocatum eße οὐρανὸν Cœlum: ab ὁρᾶσθαι videri, eo quòd visibile quiddam videatur. Aristoteli autem non ita se habere videbatur. Vnde enim inquit, compositum Cœlum? neque enim ex quatuor elementis. Vnde imaginatur quintum quoddam corpus, quòd cum quatuor illis communionem non habet.

GREGORIVS Nyssenus Philosophiæ libro tertio capite quarto.

Aristoteles autem quintum inducit corpus, æthereum inquam, quod in circuitu fertur, nolens Cęlũ ex quatuor elementis generatum eße. In circuitu autem ferri dicit hoc quintum corpus, quòd circulari circumgiratione moueatur, quod Plato ex igne & terra manifestè constare aßerit, ita inquiens; Corporeæ speciei, & visibile & tangibile, quod sit eße oportet. Sine igne autem nihil vnquam visibile fiet, neque sine solido tangibile. At solidum nequaquam absque terra existit; Proinde ex igne & terra huius vniuersi corpus inchoans Deus fecit. Duo autem sine tertio bene consistere nequeunt, vinculo enim vtroque coagmentanti opus est: vinculum verò optimum est, quod & seipsum, & quæ colligantur, quàm maximè vnum efficit. Hoc autem conuenientissimè proportionata est perficere, vinculum dicens media duo elementa ex huiusmodi proportione aßumpta.

Nemesius libro de Natura hominis, capite quinto, hæc eadem habet: nam opus illud idipsum esse cum præallegato Gregorij Nysseni euincitur; quanquam sub vtriusq; nomine inter eorum lucubrationes circumferatur.

Omniũ igitur Ethnicorum, atque etiam vetustorum quorumcunq; Philosophorum ante Peripateticos explorata fuit sententia, Cœlum vel ex quatuor elementis, vel ex duobus, vel ex altero eorum constare.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Idest, compingatur Cęlum ex aquis.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima horum placitum recenset. *Quidam enim quatuor ex elementis ipsum constare dixerunt: quippè cùm tangi possit, atque conspiciatur: & terræ quidem renitentiæ ac soliditatis ratione, ignis autem ob aspectum, & cæterorum, mixtionis caussa, particeps sit.*

STEVCHVS de perenni Philosophia libro septimo, vetustissimos Philosophos cœlestia corpora ex aquis prodita, elementataq; existimasse, his tradit.

Apparet etiam eis non fuisse Cęlum adeò diuinum, quantum Aristoteles postea deificauit, quippe quod ex elementis natum, pureq; selectum cuncti asseruerunt: natura quidem elementare, sed purissime segregatum & compactum. Triaq; clarent ex auctoritate maiorum, contra, quàm Aristoteles postea innouasset, Cęlum ex igne, & aqua esse, aut purissimam ex aqua substantiam, quemadmodum ex aqua fit aër, & ex aëre, æther, ætheriæ verò sũt substantiæ cęlestes. Sicq; claret eos ex eadem elementorum massa, Cęlum ædificasse: Ex eo claret secundum eos corpora cœlestia non deificasse, nec diuinum corpus, nisi quo purissimum est & incorruptibile, appellasse. Tertium, non quintam quandam substantiam orbibus & stellis adiudicasse, sed ex eadem atque nostra hæc terrestria, quibus dominatur corruptio, fecisse; puriorem tamen earum compagem, sicut ex cibo fit sanguis: demumq; ex crassis & feculentis nascitur purissimus spiritus, quo non modo viuunt, sed etiam sentiunt animantes. Qui si in loco esset, vbi nihil labefactaret, & nisi animal deficeret, nunquam & ipse deficeret, vt Cęlum, quod in altissimis regionibus nulla aduersa re labefactatur. Mirabilis igitur est maiorum consensus, Cœlum fuisse creatum & ex igne, aut aqua purissimè selectum. In qua sententia, cum primus fuißet Mercurius Trismegistus, cuius super hac re diuinum est testimonium, fuit deinceps omnis, qui ante Aristotelem, & Platonem floruerunt, Philosophorum caterua.

Patrum placita de Cœli substantia.

Ex nostris vetustissimi Patres Græci ferè omnes, ac Latini vsque ad Scholasticorũ tẽpestatem, priscis Philosophis consensere; ac Cœlum, siue cunctam Cœlorum compagem, ex elementis, seu ex altero eorum, aut ex pluribus, ab opifice Deo compactũ fuisse existimarunt. Verum quæ eius sit substantia, nõ vniformi sententia diffiniunt. Referam eorum dicta, quanquam in Catena mox insita, cùm de firmamento negocium habebamus, iam ferè deducta sint: ea ipsa enim repetere, ne lectorem in euoluẽdis paginis defatigem, non ineptum puto. Quinimo sæpius me id actitaturum polliceor, ratus nõ mediocre studiosis commodum hinc proficisci.

a. *Fiat firmamentum, idest, compingatur Cœlum ex aquis.*

D. PETRVS Epistola secunda, cap. tertio, visus est in Ecclesiam hanc induxisse sententiam, quòd scilicet orbes illi superi ex aquis congesti sint.

Latet enim eos hoc volentes, quòd Cęli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc Mundus aqua inundatus perijt. Cœli autem, qui sunt nunc, & terra, eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

Cæterum Doctores nuperi non de orbibus cœlestibus, sed de aëreis, cùm & aër sæpius in Scriptura Cęlum nuncupetur, prodidisse hæc D. Petrum opinantur. Ex eo autẽ ipsi id suspicãtur, quòd tãtùm aëreos Cęlos aqua perijsse clarissimũ sit; Aquas siquidem diluuij non Cęlos attigisse, sed quindecim solummodo cubitis montium cacumina transcendisse, historia sacra testatur. Ignem quoque eò tantùm peruenturum, quò aqua in Diluuio peruenit, & D. Augustinus de Ciuitate Dei, & Beda edocent. Quapropter si de Cęlis illis, qui vt aqua obruti sunt, & igne erunt conflagrandi, sermo est; certè non de orbibus cęlestibus, sed de aëre asserunt hæc tradidisse Petrum. Verum enimuerò è contra obtestatio est clara his oppositum demonstrans.

CLEMENS Recognitionum libro primo, Petrum ita loquentem inducit. *Iam verò aqua, quæ erat intra Mundum, in medio primi illius Cęli, terræq; spatio, quasi gelu concreta, & cry-*

& crystallo solidata, distenditur: & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media Cæli, ac terræ spatia, idq; firmamentum Cælum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum.

IVNILIVS in Hexæmeron hanc attestationem legitimã haberi voluisse demonstrat, cùm eam excitat, dicens.

De his sanè, quæ hactenus exposita sunt, id etiam de creatione diei primi & secundi, in Historia Sancti Clementis, ita dixisse referunt Apostolum Petrum, &c.

Repetitque mox ea, quæ deduximus, verbis non immutatis. Epiphanius etiam in Panario harum Clementis Recognitionum mentionem egit. De veritate earum, vtilitate, perstabilitateq; Lambertus Gruterius Venradius in Præfatione elegãter disserit.

IOSEPH de Antiquitatibus, libro primo, capite primo.

Post hæc secunda die Cœlum super omnia collocauit, ipsumque ab alijs distinguens in semetipso constitutum esse præcepit, & ei crystallum circumfigens, humidum eum, & pluuialem, ad vtilitatem, quæ sit ex terræ imbribus, congruè fabricatus est.

TERTVLLIANVS libro de Trinitate, capite octauo.

Cuncta desuper crystallo contegebat, idest, Cœlo omnia operiente. Quod in firmamentum, de aquarum fluente materia, fuerat Deo iubente solidatum, vt glacies robusta aquarum terram pridem contegentium diuidens medietatem, dorso quodam pondera aquæ superioris corroboratis de gelu viribus sustineret.

GENNADIVS vt in catena Lippomani.

Firmamentum itaque ex ipsius Dei opificio appellauit, eo quòd cùm prius lenta, fluxa, solubilisque natura esset, solidam, & minimè mobilem constipationem accepit.

HIPPOLYTVS Romæ.

Cùm enim aquarum abundantia super faciem terræ diffunderetur, propter quod terra erat inuisibilis, & incomposita, Deus omnium, cùm voluit inuisibilem visibilem facere, tunc tertiam aquarum partem potentia sua in medio fixit, tertiam verò supra firmamentum eleuauit, tertiam demum infra esse voluit, ad hominum scilicet vsum, atque vtilitatem.

ANASTASIVS Sinayta Commentarijs in Hexæmeron, libro secundo.

Qui enim ex aquis firmauit Cœlum, & super aquas suspendit terram, poterat & sine aqua indissolubile custodire firmamentum, etiam ex igne Solis.

THEODORETVS Quæstionibus in Genesim, quæstione vndecima, clarissimis verbis, clarissimos Cælos, excepto supremo instellari, ex aqua cõpactos edocuit.

Oportebat enim ex temporis ratione & ipso creationis modo, Cælorum diuersitatẽ nosse, & vnum luce prius, alterum verò post lucem: & illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatum esse. Nam inquit, Fiat firmamentum in medio aquæ, quod per medium separet aquas ab aquis. Sic enim ab ipsa re Cæli sortiti sunt appellationem. Siquidem cùm ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida condensata & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est.

Et post in solutione quæstionis quartædecimæ.

Nam, prius Cælum ex nihilo creauit, posterius autem ex aqua fecit.

OECVMENIVS Cõmentarijs in Epistolæ posterioris Petri caput quartũ.

Et quid est, quod nesciunt? quòd quemadmodum in Diluuio erant Cœli ex aqua iuxta Mundi creationem à Mose narratam (ipse enim ait Deum præcepisse, vt fieret firmamentum in medio aquæ, hoc est, firmior aquarum substantia) ita & terra ex aquis apparuit iussu Conditoris, quæ etiam in illis primùm demersa erat. Et quemadmodum Cælo ac terra ex aquis constitutis Diluuium inopinatò superuenit; ita & nunc statutum est, vt per ignem fiat Vniuersi corruptio, cum quo impij quoque peribunt.

SEVERIANVS Gaballorum congelationem crystallinam ex aquis coactam Cœlum dixit.

Hæc aqua triginta, verbi caussa, cubitis terram superabat. Dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, nec mora, compacta est in medijs aquis congelatio quædam crystallina, idipsum Cælum est, quod dimidium aquarum secum suspendens, reliquum infra reliquit. Et Post. *Cælum ergo hoc, non illud supremum, sed quod aspectabile est, ex aquis effecit Deus, & vt crystallum fixit. Vide operum virtutem, vt opificem admireris, mediam aquarum partem supra, mediam infra esse voluit.*

CYRILLVS Hierosolymitanus Catechesi tertia.

Angelorum habitaculum est Cœlum, atqui ex aquis sunt Cœli.

Et Catechesi nona.

Quid enim habent, quod accusent in hoc maximo Dei opificio? Qui stupere potius deberẽt intuentes Cælorũ magnitudinem: qui adorare deberent constituentem tanquam fornicem Cælum, & ex fluxa aquarum natura indeficientem Cœli naturam fabricantem. Dixit enim Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum. Semel dixit Deus, & permansit, nec deinceps cecidit. Aqua est Cœlum, & igneus in eo Sol, & Luna, & sydera. Et quomodo ignea in aqua currunt?

ACACIVS.

Secundum verò & Cęli, & firmamenti nomen accepit. Cœli quidem, quia supra nos est, & prioris Cęli vices atque vsum nobis refert. Firmamenti verò, quia ex fluxa aquarum essentia consistit, & fluxa illa, ac liquida natura, densissima, ac solidissima ab vniuersorum opifice Deo effecta est.

AVGVSTINVS libro Quæstionum ex vtroque Testamento.

Hoc inquam firmamentum factum est ex supradicta aquæ substantia. Et Post. *Firmamentum ergo, idest Cœlum, factum est in medio aquarum, vt diuideret inter aquam, quæ erat super firmamentum, & inter aquam quæ erat sub firmamento: vt Dei virtute in medio aquarum consisteret firmamentum, sub se, & intra se, & supra se, & circa se.*

HIERONYMVS in Epistola ad Oceanum.

Inter Cęlum & Terram, medium extruitur firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis ἐτυμολογίαν, *Cœlum, idest, Samaim, ex aquis sortitur vocabulum: & aquæ quæ super Cęlos sunt in laudes Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Propheta; crystallum super Cherubim videtur extensum, idest, compactæ, & densiores aquæ.*

IVNILIVS Commentarijs in Genesim.

In medio ergo aquarum firmamentum esse constat sydereum Cęlum. Neque aliquid prohibet, vt & de aquis factum esse credatur. Quæ enim crystallini lapidis firmitas, quæ sit perspicuitas, ac puritas, nouimus: quem de aquarum congregatione certum est esse procreatum. Quid obstat credi, quòd idem dispositor naturarum, in firmamentum Cęli substantiam solidaret aquarum?

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo, hanc non reticuit sententiam, quanquam eam approbare non videatur.

Sunt qui perhibent eius naturam nobis parum esse cognitam & compertam, quamuis via peruulgata omnium Theologorum ex aqua compactum esse tradatur. Nec desunt, qui autumant eius materiam esse aquam, & subsistere, Deo id formante, & componente. Alij docent saltem esse partem quandam aquæ. Quidam asfirmant, firmamentum constructum esse ex tertia aquarum parte, alijs duabus partibus, altera in terra, altera supra firmamentum fluente: Vnde Hebræorum lingua nuncupetur Summum, quæ dictio crystallum, vel aquam congelatam denotat.

CLAVDIVS Marius Victor, Commentarijs in Genesim, libro primo, vt etiam referebamus.

Quum se firmissima moles
Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit: ac latè duro solidata rigore
Diuisas suspendit aquas.

GLOSSA Ordinaria.

In medio ergo firmamentum est sydereum Cęlum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallus enim lapis, cuius magna firmitas, magna perspicuitas, de aquis factus est.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari.

Aquarum superior pars in modum crystallini lapidis congelata est, inferior in materiem redacta.

ANSELMVS Cantuariensis, de imagine Mundi, libro primo, capite vigesimoquinto.

Superius Cęlum firmamentum dicitur, eo quòd sit inter medias aquas firmamentum. Hoc est forma sphæricū, natura aquarum aqueum, stellis vndique versim ornatum, ex aquis instar glaciei, immo crystalli solidatum: vnde & firmamentum dicitur.

HVGO Victorinus noster, Adnotationibus in Genesim, cap. sexto, Bedæ sententiam comprobat.

Beda dicit, quòd firmamentum sit de aquis solidatis, quasi crystallinus lapis: quod verisimile videtur, cùm color eius hoc visibus nostris indicet.

Idipsum summę Sententiarum tractatu tertio, capite primo, repetit. Verùm econtrà disertiùs de Sacramentis libro primo, parte prima, capite decimooctauo, eius naturam nobis imperspectam esse tradit, vt supra retulimus.

MAGISTER Bedę consensit secundo Sententiarum, distinctione quartadecima.

In medio ergo firmamentum est, idest sydereum Cœlum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallinus enim lapis, cui magna est firmitas, & perspicuitas, de aquis factus est.

PETRVS Comestor in Scholastica Historia, capite quarto.

Fecit ergo ea die Deus firmamentum in medio aquarum, idest, quandam exteriorem Mundi superficiem ex aquis congelatis, ad instar crystalli consolidatam, & perlucidam, intra se cætera sensibilia continentem, ad imaginem testæ, quæ in ouo est; & in eo fixa sunt sydera.

HVGO Carensis.

Firmamentum est superficies Mundi sensibilis ex aquis congelatis in crystallum, vt dicunt: alia omnia simplicia continens, ad similitudinem testæ oui.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim, articulo decimo, hanc motam difficultatem sic diffinit.

Cùm igitur magis sequi debeamus auctoritatem Scripturæ diuinæ, quàm dictamen rationis humanæ: videtur absolutè dicendum, quòd super Cœlos sunt verè ac propriè aquæ; & quòd Cęlum crystallinum sit de natura aquæ; firmamentum quoque sit elementaris naturæ, videlicet igneæ, vt aliqui dicunt, vel partim igneæ, quantum ad stellas; partimq; aqueæ, vtpote quantum ad reliquas eius partes.

LVSITANVS in Genesim.

Ex hoc loco colliges, quod superius diximus, & ex Beato Petro probauimus, scilicet Cęlum fuisse ex aquis productum. Nam hic habes Deum dixisse; Erit extensio in medio aquarum. Cùm enim aquæ essent fluidæ, & molles, non poterat ex eis fieri Cęlum, nisi firmarentur, & extenderentur admodum laminæ. Indicat hoc, vt diximus, Cœli color, qui videtur aqueus, & colorem seruasse & diaphaneitatem vt vocant.

Dixerat autem ante agens de creatione Cæli.

Postea verò ex aqua, quemadmodum Petrus dicit, Cęlum, seù firmamentum fuisse productum, separando partem aquarum, & firmando illas, vt Cœlum, seù firmamentum esset, vnde & Cœli color, quia aqueus esse apparet, attestari videtur, quòd ex aquis productum sit.

STEVCHVS in Cosmopæia hanc memorat.

Hinc Græcorum, & Latinorum, quin & Hebræorum plures, non dubitarunt totam Cęli compagem dicere, quasi solidissimam crystallum, concretam, firmatamq; ex aquis, vti gemmæ (si parua licet componere magnis) preciosiq; lapilli, & has esse aquas supercœlestes. Nihil certè de aquis illis si sunt, dici poterat probabilius. Nos autem, non quidem hæc inficiantes, quæ à doctissimis hominum iudicijs magno consensu comprobata sunt, à quibus & in Adnotationibus non dissensimus; sed quia videre visi sumus, quiddam aliud sentire Scripturas his de aquis, testimonia, & rationes in aliam sententiam in medium proferemus. Primùm asserentes fieri posse, Cœlum vt crystallinum sit, & aqueum, idq; magis affirmari, quàm negari à Philosophia diuina, eamque nos sequi sententiam: aquas autem istas esse aliud prorsus ab hoc ipso.

LIPPOMANVS in Catena.

Iuxta verò Moysis eloquium (quod est in orbe primum inter homines, & naturæ humanæ quasi congeneum) Samaim plurali numero vocauit, compositum secundum Hebræos à positione loci, & aquis. Vnde & Cœlum crystallinum veteres nominarunt ex aquis compactum, quod vsu vulgi, dum depluunt pluuiæ, crystallum illud ferè liquefieri videtur.

Nec desunt non leues coniectationes, quæ suadere hanc sententiam queant. Deferre quippè argumentum ab etymologia hebreæ vocis non ineptè possumus. Attestatur D. Hieronymus ad Oceanū, cui subscribunt Rabbi Ioseph Kimhi, & Augustinus Steuchus, Sciamaim (quod nobis Cœlum denotat) apud hebræos idem valere, quod apud nos, Illic aquæ. Quòd si Cœlum dicitur, quasi Illic aquæ, aqueum (vt ita dicam) esse, ex aquisq; congestum censendum est. Deinde ratio expostulat, vt medium cum extremis in eadem conueniat natura: Si igitur firmamentum interstitium seù extēsio est inter aquas, & aquas, igitur ipsum quoque aqueum erit. Adijcias insuper tam immensam fuisse aquarum molem omnem terræ ambitum obruentem, vt eam Iunilius inter terram, & Cęlum Empyreum cuncta expleuisse censuerit; Quòd si ex aquis congesti non sunt cęli, quò cessit tanta aquarum colluuies? Neque enim Deus opifex sapientissimus eas produxit, effuditve, vt mox perderet, atque ad nihilum redigeret. Nec vt ex eis efficacissimo Solis ardore aër educeretur, vt arbitratus est Steuchus, cùm simpliciū corporum aliud ex altero prodire, omnis Philosophia asserere vereatur, veraq; Patrum vetustorum Theologia elementa æque ac simul prosilijsse fateatur. Nec æquora, lacus, fontesque omnes eas concludere potuere. Consentaneum igitur est Cœlos ex aquis fuisse congestos existimare.

a. *Fiat Cœlum ex igne.*

Primùm in hanc sententiam properant, & abeunt omnes ij, qui ignem Cęli nomine tunc explicatum fuisse arbitrantur, cùm dixit Moses, In principio creauit Deus Cęlum & terram, vt Platonici, teste D. Thoma & Ruperto.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro secundo, capite tertio, in hanc incidisse sententiam visus est, cùm dixit.

Itaque super aërem purus ignis esse dicitur Cœlum; vnde etiam sydera atque luminaria facta coniectant,

illius

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Fiat firmamentum.

a. *Ideſt, Fiat Cęlum ex igne.*

illius videlicet igneæ lucis in eas formas, quas in Cœlo cernimus, conglobata, diſpoſitaq; natura.

Gloſſa hoc non prætermiſit.

MAGISTER Sententiarum ſecundo, diſtinctione quartadecima mutuat hanc Auguſtini narrationem.

Quidam verò Cœlum, quod excedit aëris ſpatia, igneæ naturæ dicunt, aſſerentes ſuper aërem purum ignem eſſe, quia dicitur eſſe Cęlum: de quo igne ſydera & luminaria facta eſſe coniectant. Quibus Auguſtinus conſentire videtur.

D. BONAVENTVRA libro ſecundo Sententiarum, articulo primo, quæſtione ſecunda, hæc habet de D. Auguſtino.

Hoc videtur auctoritate Auguſtini, qui ſuper Gen. ad literam, & in libro de Ciuitate Dei dicit, tantùm quatuor corpora eſſe Mundi, ſcilicet humor, & humus, aër, & lux: Si ergo firmamentum eſt aliquid de corporibus Mundi, & non eſt terra, nec aqua, nec aër; ergo eſt ignis.

GREGORIVS Nyſſenus expreſsè firmamentum ignem eſſe his nixus eſt declarare.

Sed ad continuationem commentationis & explicationis rurſus progrediamur, quomodo, poſteaquam ignis ſupremum ſenſibilis naturæ terminum ſemel ambiuiſſet, atque luſtraſſet conſequenter firmamentum factum ſit, quod confinium ſuperarum, & inferarum aquarum eſſe dicit. Nam ego corpus quidem denſum, & ſpiſſum, ſolidum, reſiſtens, ac durum, ſiue ex quatuor illis vnum, ſiue etiam aliquod aliud præter hæc, quemadmodum externis Philoſophis viſum eſt, nullum circa firmamentum arbitror ſpectari; ſed extremitatem ſenſibilis naturæ, quam natura ignis irrequieta, ſemperq; ſe mouente villuſtrat, & ambit, eam à Scriptura firmamentum dici, comparatione ſempiternæ, incorporeę, tactumq; effugientis proprietatis. Quis enim ignorat, quòd quicquid ſolidum, & firmum eſt, per quandam duritiem prorſus denſatum & conſolidatum ſit? At quod denſum, & durum eſt, à qualitate ponderis, & grauitatis, vacuum, ac purum non eſt. Quod autem graue eſt, ad ſupera ferri natura non poteſt. Atqui ſupra omnem ſenſibilem creaturam firmamentum eſt. Non igitur aliquid craſſum, & corporeum circa ipſum eſſe putare conſequentia ſermonis dat, ſed vt dictum eſt, comparatione cum eo, quod cogitatione, & mente percipitur, & incorporeum eſt, quicquid ſenſibilis generis eſt, ſolidum dicitur, etiamſi naturali tenuitate effugiat animaduerſionem, & viſum. Quocirca conſequenter quicquid ambitu ignis comprehenſum eſt (comprehenſa eſt autem extrema ora materialis naturæ, quę ſemel proprio quodam termino circumſcripta eſt) firmamentum quidem propter materialem naturam comparatione ſuperorum appellatum eſt: Cęlum autem ei impoſitum eſt nomen, quemadmodum etiam luci nomen diei, item tenebris noctis nomen impoſuit.

ALCVINVS Quæſtione ſuper Geneſim vigeſimatertia, interrogationi poſitæ, cuius naturæ Cęlum eſſe fertur, reſpondet.

Igneæ, rotundæ, atque volubilis.

HVGO Adnotationibus in Geneſim, capite ſexto.

Alij dicunt, quòd Cęlum igneę ſit naturæ.

ANSELMVS Cantuarienſis de Imagine Mundi libro primo, capite vigeſimoquinto.

Eſt autem Cœlum ſubtilis igneæq; naturæ, rotundum, & à centro terræ æquis ſpatijs vndique collectum.

PETRVS Comeſtor in Geneſim, capite quarto.

Hanc tamen circumuolutam concamerationem, Philoſophus ſummitatem ignis intellexit. Cùm enim ignis non habet quò aſcendat, circumuoluitur; vt in clibano patet, ita & circa Mundi exteriora ignis voluitur: & hoc eſt ſydereum, vel æthereum Cęlum.

Dionyſius Carthuſianus Enarratione in Geneſim, articulo decimo, idipſum exiſtimauit, ſeu de toto firmamento, ſeu ſaltem de aſtris, vt ſupra relatum eſt.

Anno Mūdi primo. Die secunda

Fiat Firmamentum.

a. *Fiat Cœlum ex elementis ignoto nobis constitutionis genere.*

a. Fiat Cœlum ex elementis, ignoto nobis constitutionis genere.

PHILO de Somnijs, hanc Cœlorum naturæ incomprehensibilitatem his edisserit.

Cœlum verò naturam habet incomprehensibilem, nec vlla eius notitia certa demanat ad nos. Quid enim possumus de hoc pronuntiare? Esse concretam glaciem, vt quibusdam placuit, an ignem purissimum, an quintum quoddam corpus in orbem mobile, nulli affine ex elementis quatuor? Quid illa extrema sphæra fixorum syderum, habetne soliditatem, an superficiem tantùm sine altitudine, figuris in plano pictis similis?

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima, de supremo Cœlo hoc docuit.

Sed de substantia Cœli satisfaciunt ea nobis, quæ ab Esaia Propheta sunt dicta, qui vulgaribus verbis idoneum de ipsius naturæ sensum nobis aperuit, cùm dixit; Qui firmauit Cęlum, quasi fumum; idest, qui tenuem naturam, non solidam, neque crassam, ad constituendam Cęli substantiam fecit.

De firmamento verò, seu de cæteris orbibus duo prodit. Primum, quòd non ad similitudinem glaciei compactum sit; Homilia tertia hoc ostendit.

Nec tamen ipsum firmamentum, cùm iuxta communem, & vulgatam acceptionem ex aqua videatur ortum habuisse suum, aut aquæ in glaciem concretæ, aut materiæ cuiquam tali, quæ sui principium ortus ex humore percolato sumit simile censendum est esse, qualem crystalli lapidis naturam esse constat, quem ob exuperantem aquæ congelationem in eam essentiam quam obtinet, asseuerant transmutari, aut specularij lapidis, qualis est natura, qui inter metalla concrescit. Est sanè lapis hic transparens, ac pellucidus, & peculiari quadam, ac purissima perspicuitate prænitens, adeò vt si is suæ naturæ numeris omnibus responderit, neque vlla exæsus putredine, sed nec vlla sui parte perruptus, cum aëre contendit, eique ferè perspicuitate similis esse videtur. Ex his igitur nulli simile firmamentum esse censemus. Est enim puerilis, simplicisque profectò mentis, tales de corporibus cęlestibus opiniones habere.

Alterum verò, quòd ex vno, vel ex omnibus conflatum sit elementis, adijciens.

Neque tamen si cuncta in cunctis insunt, ignis in aëre, aër in aqua, cæterorumque similiter aliud inest in alio, & nullum omninò eorum, quæ sub sensum cadunt, elementum syncerum est, mixtioneque caret, vt non sit aut medij, aut oppositi sibi particeps, firmamentum ob id ipsum, aut ex vno simplicium corporum, aut ex omnibus mixtum esse asserere nobis placet, qui iam ab ipsa diuina Scriptura ita instituti sumus, vt nihil vltra ea, quæ sunt concessa, menti nostræ imaginari, cogitareque concedamus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite sexto, de supremo Cœlo idipsum tradidit.

De qualitate igitur & substantia Cęli, satis est ea promere, quæ in Esaiæ scriptis reperimus, qui mediocribus, & vsitatis sermonibus qualitatem naturæ cęlestis expressit, dicens; Quòd firmauerit Cęlum sicut fumum, subtilem eius naturam, non solidam cupiens declarare.

Sed clariùs de Abraham Patriarcha, libro secundo, capite octauo, Cęlos non ex quinta quadam vsia, sed ex elementis conflatos prodit.

Vnde Philosophi superiorem Mundi huius substantiam, quem æthera vocant, non ex cæterorum admixtione elementorum constare volunt; sed splendidam & multo refulgentem lumine, quæ non terræ sordidum, nec aquarum humidum, nec aëris nebulosum, nec ignis ipsius rutilum quicquam recipiat; ex quinta quadam vsia esse asserunt: & velut volucrem Mundi huius mentem velociorem, purioremque esse cæteris partibus. Nam aliæ mixtæ sibi, & concretę sunt. Nos autem nihil materialis compositionis immune, atque alienum putamus, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam, quæ verè pura, & simplex, syncerae, impermixtæque naturæ est: quamuis aliqui putent de illa quinta vsia lucem esse clariorem: de qua dixerit Dauid; Quòd Deus circundatus sit lucem, sicut vestimentum. Et Apostolus scripserit de ipso omnipotente, quòd solus habeat immortalitatem, & lucem habitet inaccessibilem. Psal. 103. 1. Tim. 6.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto, cùm nonnullas retulisset de Cœli substantia sententias, inquit.

Deinde & firmamentum vocauit Deus Cœlum, quod in medio aquarum fieri præcepit, ordinans ipsum dispe-

scere

scere medietatem aquæ, quæ super firmamento est, à medietate, quæ sub firmamento est: cuius naturam Diuinus Basilius tenuem dixit esse veluti fumum, ex diuina doctus Scriptura. Alij verò aqueam, vt quod sit in medio aquarum genitum. Alij ex quatuor elementis. Alij quintum corpus, & aliud ab illis quatuor esse.

Concludit post.

Cœli autem substantiam non opus est, vt indagemus, ignota nobis est.

CHRYSOSTOMVS in Genesim, Homilia quarta, Cœlum coactum ex elementis his tradit.

Quid est, Fiat firmamentum? quasi quis dicat humana lingua; Fiat paries quidam, & interstitium in medio diuidens, & separationem faciens. Et vt discas magnam elementorum obedientiam, excellentemque virtutem Opificis, ait; Et factum est ita.

Si igitur elementorum obedientia congestum esse firmamentum tradit Chrysostomus, ex elementis coactum ipsum asseuerasse conuincitur. Deinde substantiam Cœlorum non profundè inuestigandam esse, his post consulit.

Sed quid tandẽ esse dicemus hoc firmamentum? aquam ne densatam, vel aërem constratum, vel aliam aliquam essentiam? Haud quis prudentum hoc temerè asseuerauerit. Oportet enim magna modestia, & gratitudine, ea quæ dicuntur, à nobis accipi, & non vltra naturam nostram progredi, & scrutari, quæ supra nos sunt; sed hoc solum scire, & tenere apud nos, quòd præcepto Domini productum est firmamentum, separationem aquarum faciens, quòd valeat alias continere sub se, alias verò in dorso suo ferre.

Sed exactiùs Homilia secunda, de Incomprehensibili Dei natura.

Cęlum qua substantia constet, nescimus. Dicat, qui contendit, & se nouisse affirmat, quid substantiæ Cœlum sit. Num humor quidam in gelu concretus? Num obdensata nubes, & in spissiorem obducta substantiam? Num aër crassus, & corpulentior? Nemo certè quid sit, plane docere potest.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, cùm plures de Cœlorum substantia enarrasset opiniones, demum litẽ sub iudice reliquit, nec quid sint, diffinire ausus est, quanquam aliàs ex aqua eos conflatos dixerit, vt placidus Pater, qui sine delectu omnibus ferè assertionibus consentit.

Sunt qui perhibent eius naturã nobis parum esse cognitam, & compertam, quamuis via peruulgata omnium Theologorum ex aqua compactum esse tradatur. Nec desunt, qui autumant eius materiam esse aquam, & subsistere Deo id formante, & componente. Alij docent saltem esse partem quandam aquæ. Quidam affirmant firmamentum constructum esse ex tertia aquarum parte, alijs duabus partibus, altera in terra, altera sub firmamentum fluente; Vnde Hebræorum lingua nuncupatur Samaim, quæ dictio crystallum, vel aquam congelatam denotat.

HVGO de Sacramentis, libro primo, parte prima, capite decimooctauo.

Multa quidem sunt, quæ de firmamenti natura, animum quæstione pulsare possent: si hæc humana inuestigatio reliquenda potius, quàm discutienda non videret. Nam vtrum ex puro igne factum sit, siue ex aëre, aut etiam ex aqua, vel postremo ex duobus, aut tribus horum commixtis: & an substantiam solidam, naturaque palpabilem habeat: quantave credenda sit spissitudo eius: & vtrum ipsum calidum, an frigidum, aut cuius alterius qualitatis existat, meritò quæreretur: si inde aliquid certum sciri potuisset. Nunc autem in quæstionibus harum rerum non mihi multum laborandum videtur, quas nec ratio vlla comprehendit, nec auctoritas (cui fides adhibenda sit) probat. Solum hoc, quod legimus, credere sine dubitatione debemus: quòd factum est firmamentum, vt diuideret aquas ab aquis: hoc est, vt partem aquarum intra ambitum suum concluderet, partemque extrinsecus segregaret.

RICHARDVS Exceptionum libro secundo, capite septimo.

Firmamentum ex stellis supra infixis esse volubile comprobatur: sed de qua materia factum sit, ignoratur.

Tradunt igitur omnes hi Patres Cœlorum substantiam ex elementis constitutam esse, sed an ex altero eorum, vel duobus, seu aëre, seu aqua, vel tribus, vel cunctis constet non produnt. Sed ignotam potius nobis esse, imperspectamq; cœlestem naturam contestantur.

a. Idest, fiant cœlestia corpora ex quinta essentia.

Philosophi Cœlum ex quinta essentia constare asserentes.

Aristoteles (vt prætermittam Ocellum Lucanum, cuius explorata non est adhuc sententia) primus ex Philosophis Ethnicis, Cœlorum substantiam quintam quandam essentiã esse ab elementis semotã, atque à rerum sublunarium natura prorsus alienam excogitauit. Sẽtentiam suam retulit primo de Cęlo præcipue capite tertio, textu quintodecimo, & sextodecimo. Ex nostris qui eius assertiones nobis produnt, præter Clementem

Fiat firmamentum.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

a. Idest, Fiant cęlestia corpora ex quinta essentia.

mentem Alexandrinum libris Stromatum, Iustinum in Admonitorio, Cyrillum contra Iulianum:

IVSTINVS ipse rursus libro de Aristotilis decretorum reprehensione, sic eius sententiam ex primo Cœli, capite secundo, deducit.

Corpus aliquod simplex sit necesse est, quod suaptè natura eo motu cieatur, qui circummedium fertur, & in orbem incitatur. Et Post. *Ex quibus perspicuum est, naturam quandam esse corporis præter concretas, quæ hic sunt, quæ his omnibus & diuinior sit, & antiquior.*

BASILIVS verò Hexæmeron Homilia prima Aristotelicam assertionẽ ita exacte disseruit, ut ab alijs, quàm à nostris, aquas has philosophicas cænosas turbidasq; haurire vesaniam existimem.

Doctores Cęlum ex quinta essentia cõstitui statuentes.

Complures enim & eædem verbis prægrauidæ commentationes à Mundi sapientibus ad nos vsque transmissæ sunt de Cœli natura. Quidam enim quatuor ex elementis ipsum constare dixerunt: quippe cùm tangi possit, atque conspiciatur: & terræ quidem renitentiæ, ac soliditatis ratione, ignis autem ob aspectum, & cæterorum, mixtionis caussa, particeps sit. Quidam hac opinione, velut non probabili posthabita, repulsaque, quintam quandam naturam corporis ad Cęlum constituendum suopte ingenio, atque ex se ipsis commentitiam, & pro tempore excogitatam introduxerunt. Estque apud eos æthereum quoddam corpus, quod nec ignis sit (vt inquiunt) nec aër, nec terra, nec aqua, nec omninò vnum aliquod simplicium corporum.

Aristotelis argumentum dialectico syllogismo compilatum primum illud est. Duo admodum diuersa motuum simplicium genera duabus prorsus discrepantibus simplicibus naturis conuenire operæpretium est: At motus rectus, & circularis complexus diuersa esse motionis genera conuincuntur; Igitur seiunctis ac discrepantibus prorsus naturis simplicibus coaptari debent. Motus autem rectus elementis, motus vero in orbẽ corpori cęlesti conueniunt; maximum itaque inter elementa, corporaq; cęlestia naturæ dissidium comperitur, ita vt quemadmodum motus circularis præstantior est, & nobilior recto, non secus & corpus cęleste præstantius ac perfectius elementis dignoscatur. Hæc Aristoteles textu quintodecimo.

BASILIVS his eamet explicat.

Propterea quòd simplicibus quidem proprius sit motus & rectus, puta, leuibus ad superna, grauibus ad ima tendentibus, & neque motus ille ad superiora ferens, neque is, qui ad inferiora deducit, eiusdem sit rationis cum circulari periodo, & omnino motus rectus ad circularem illam circumlationem plurimam habeat apostasim. Quorum verò secundum naturam diuersæ sunt motiones: eorum diuersam, & euariantem (vt aiunt) essentiam esse necesse est.

Deinde alterum Aristotelis est effatum. Corpus in orbem delatũ non suscipit graue & leue: quoniam ea, quæ leuia & grauia sunt, contrarium habent; & à medio, vel ad medium ferri dicũtur, in circulari autem periodo fit motus nec à medio, seu ad mediũ, sed circa medium. Cęlum igitur motione circulari iactatum constare ex ijs, quæ grauitate & leuitate prædita sunt, non potest; igitur non ex elementis est constitutum. Hæc Aristoteles textu decimoseptimo, decimo octauo, & decimo nono.

BASILIVS hæc enarrans, his retulit.

At neque supponere possumus, ex primis corporibus, quæ & elementa vocamus, Cęlum constare: propterea quòd ea corpora, quæ composita sunt ex diuersis, æquabili motione, viq; violenta carente, moueri non possunt: cùm singulis simplicibus, quæ in ipsis insunt compositis, aliud alij momentum competat suapte natura. Quocirca res compositæ primum quidem cùm continuo cientur motu, non sine labore retinentur: quippe cùm vnus motus omnibus contrarijs accommodatus, atque amicus esse nequeat: sed qui leui rei conuenit, grauissimæ aduersetur. Nam cùm sursum versus nos mouemur, terrea natura tum grauamur: cùm infera petimus, vim non inferimus igneæ, deorsum illam contra naturam trahentes.

Tandem tertium Aristotelis argumentum illud erat; Omne coactum ex elementis, generationibus, corruptionibus, ac alterationibus obnoxium est; Cœlum autem sempiternum cùm sit, omnium horum expers censendum est: quapropter & ab elementorum natura longe distare. Hæc Aristoteles textu vigesimo & infra.

BASILIVS vero argumentationem hanc hisce recenset.

Elementorum autem ad contraria loca distractio, caussa profecto fit dissolutionis & ruinæ. Quod enim coactum est & præter naturam, quum parum resistat vix etiam ac violenter: id omne citò admodum in ea dissolui, ex quibus constitit, solet: dum quicquid aliunde venerat, in locum proprium redit.

Cap. 6.

Ambrosius Hexæmeron libro primo hæc eadem habet. Aristotelem insequuti sunt omnes Peripatetici: de hisq; disceptant præcipuè libro primo de Cœlo, capite secundo. Auerroes, & simplicius, pariterq; ex nostris Albertus Magnus, & D. Thomas, cæteriq; Aristotelis sectatores multum insudarunt, vt quænam sit hæc quinta essentia ab elementari omnino seiuncta explicarent. Auerroës omnem materiei rationem à Cœlo exclusit, Cœlumq; vt consideratur ab intelligentia disiunctum, censuit esse (Scholarũ verbis vti liceat) ens actu quantum, in potentia tantùm ad vbi. Cæteri ferè omnes corpus aliquod sine materia dimensioni substare non posse asseuerantes, Cœlũ ex materia, formaq; (vt aiunt) informante compactum tradunt. Verum ne in Philosophorum placitis recensendis longius, quàm institutum nostrum exigat, vagemur, illis dimissis ad nostros deueniamus.

Lib. 2. Cœl. tex. 14.

Doctores Cęlum ex quinta essentia cõflatũ statuẽtes.

Quemadmodum classis uetusta Patrum priscis Philosophis adhæsit, ita cuncta ferè Scholasticorum acies (excepto Magistro) Aristotelicam sententiam probauit. Albertus Magnus pręcipue prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione quarta, articulo primo. Alexander Halensis secunda parte, quæstione quinquagesima, disertiùs suam declarat sententiam. Sed duos Diuos mihi sufficiat euocare.

D. THOMAS nõ tantùm apprimè commendauit Aristotelis excogitationem, sed D. Dyonisium præcipuum propugnatorem, auctoremque nuncupauit in Scriptis secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, quæstione secunda.

Dicendum, quòd circa hanc quæstionem fuit Philosophorum diuersa positio. Omnes enim ante Aristotelẽ posuerunt Cęlum esse de natura quatuor elementorum. Aristoteles autem primus hanc viam improbauit, & posuit Cęlum esse quintam essentiam, sine grauitate & leuitate, & alijs contrarijs; vt patet in primo Cæli & Mundi: & propter efficaciam rationum eius posteriores Philosophi consenserunt sibi: vnde nunc omnes opinionem eius sequuntur. Similiter etiam expositores sacræ Scripturæ in hoc diuersificati sunt, secundum quòd diuersorum Philosophorum sectatores fuerunt: à quibus in Philosophicis eruditi sunt. Basilius enim, & Augustinus, & plures Sanctorum sequuntur in philosophicis, quæ ad finem non spectant, opiniones Platonis: & ideò ponunt Cęlum de natura quatuor elementorum. Dionysius autem ferè vbiq; sequitur Aristotelem, vt patet diligenter inspicienti libros eius: vnde ipse separat corpora cęlestia ab alijs corporibus: & ideo hanc positionem sequens dico, quòd Cęlum non est de natura quatuor elementorum, sed est quintum corpus.

D. Bonauentura secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, articulo primo, quæstione prima & secunda, nuncupatum esse Cœlum crystallinum ab aquis, & firmamentum ab igne censet, non quidẽ quòd ex ijs conflata sint naturis, cùm Cœlũ elementatum esse nullo modo existimet, sed ex quinta quadam essentia congestum; conciliare attamen Patrum sententias nititur, asserens in prima Cęlum crystallinum dici aqueũ ex cõueniẽtia quã habet cũ aqua in perspicuitate formaliter ut aiũt, & in frigiditate effectiuè, & firmamentum nuncupari igneum ex Analogia ipsius ad ignem in caliditate & lumine. Hoc siquidem est vniuersæ ipsius de hac re doctrinæ compendium, & argumentum. His Patribus Scholastici ferè omnes subscribunt, adeò vt eorum conformia scripta hoc loco inserere superuacaneum diiudicem. De crystallino Cęlo, mox cùm de aquis negocium habebimus, eius assertionem deducemus. Nunc non pigeat de astriferis placitum eius audire.

D. BONAVENTVRA itaque eodẽ loco de his Cœlis hæc habet.

Notandum est, quòd in huius quæstionis determinatione videntur Sancti, & expositores sacræ Scripturæ, contradicere Philosophis. Communiter enim Philosophi, præter quatuor elementa posuerunt essentiam quintam, quam dixerunt esse corpus incorruptibile, & eleuatum à contrarietate; & per hoc esse principium conciliatiuum, & conseruatiuum. Sancti vero non videntur ponere, nisi solummodo quatuor corpora; & sentire videntur naturam firmamenti esse igneam: sed cùm recta ratio satis euidenter persuadeat firmamentum esse alterius

Fiat firmamentum.

a. *Idest, Corpus cœleste ex nihilo.*

Anno Mūdi primo. Die secunda.

terius naturæ, quàm sit aliquod elementum, tùm propter motum, qui non latet sensus nostros, tùm etiam propter effectus varios, tùm etiam propter Vniuersi perfectionem, non absurdè credi potest, Philosophos in hac parte verum sensisse, & Doctores veritatis ab eis in sensu non discrepasse, quamuis voce tenus videantur contraire.

Exinde Patres cum Philosophis conciliare nititur ex eo, quòd Cœlum igneum appellari possit secundum quandam rationem analogiæ, qua Cœlum & ignis naturam lucis participant: quamuis postea Cœlum ab omni caliditatis affectione alienum dignoscatur.

Duces hos Scholasticorum prosequuti sunt cæteri omnes Scholastici, vt Catherinus, Aegidius, Richardus de Mediauilla, & Caietanus; & Postillatores nostri, Lyranus, Tostatus, Hugo Carensis, Burgensis, Vielmius, Pererius, & quotquot ferè post D. Thomam, seu hunc locum commentati sunt, seu Magistrum Sententiarum secundo, distinctione quartadecima sunt interpretati.

a. *Idest, Corpus cœleste ex nihilo.*

BVRGENSIS in Additionibus.

Nec obstat, quod dicitur in prima die: In principio creauit Deus Cęlum, quia ibi summarie includitur totum opus sex dierum, vt supra dictum est. Et quia in prima die mentionem fecerat de primo mobili, & eius motu, vt ibi fuit expositum. Nunc autem in secundo die de firmamento, in quo sydera fuerunt posita, mentionem facit, ostendens quòd hoc firmamentum fuit productum de nihilo in sua propria specie per creationem, quod consonat huic, quod dicitur: Fiat firmamentum, non exprimendo aliquid de quo tale firmamentum fieret. Si enim de abysso, vel de aliqua parte eius firmamentum fuisset formatum, vt quidam dicunt, dixisset vtique: Fiat abyssus, vel fiat de abysso firmamentum, sicut dixit de herbis & plantis, quæ de terra fuerunt producta, exprimendo; Germinet terra herbam &c. consequenter dicit; Protulit terra herbam. Similiter in quinta die dicit: Producant aquæ reptile, & in sexta: Ptoducat terra animam viuentem. Ex quo sequitur, quòd illa, vbi non exprimitur materia, sed solum dicitur, Fiat: non debent intelligi ex maieria præiacente, sed in sua propria specie totaliter ex nihilo per creationem produci; & sic intelligendum est, cum dicitur: Fiat lux, Fiat firmamentum, Fiant luminaria. Si autem contra hoc dicatur, quòd si sic, Scriptura debuisset vti in illis uerbo creationis, vt intelligerentur talia de nihilo fieri, seu produci. Dicendum, quòd hoc non requiritur secundum opinionem Chrysostomi supradictam, quam hic sequimur: nam in hoc, quod dicit: Creauit Deus Cęlum, & Terram, intelliguntur omnia cęlestia, & terrestria in processu sex dierum à Deo immediate creari, præterquàm illa de quibus in litera assignatur ipsorum materia, vt iam dictum est.

Edisserit deinde, de firmamento, de luminaribusque proditum esse: fecit Deus; non autem de luce, neq; enim lux (inquit) sed luminaria omnibus cumulata numeris progenita, & procreata fuerunt. Cæterum non possum non peregrinam hanc assertionem extemplo reprehendere. Peregrinam illam, & singularem appello, cùm grauissimorum Patrum iam adductis sententijs refragetur, quæ firmamentum vel ex aquis, vel ex igne, vel ex defęcatis elementis compactum astruebant. Rata, omnibusque calculis recepta est ea positio, quæ cuncta in primordijs temporum producta rerum genera ex nihilo prognata arbitratur, vniuersa vero, quæ sex diebus effecta traduntur, ex indigesta prima, inconditaque rerum massa, seu materie elicita opinatur; id enim Patres ferè omnes existimarunt, vt ex supra enarratis excerpi potest. Argumentum autem, quod nobis obiecit Burgensis, videlicet non dixisse Vatem; Fiat de abysso firmamentum, imbecille penitus & inane Patres reputarent: consimiliter enim non dixit Moses, Fiant luminaria ex nube lucida, vel ex igne corruscante, vel ex luce primigenia; & nihilominus ex his confecta esse astra, vt certum, & indubitatum edocent. Sed quid? nonne de homine scriptum

Reijcitur sententia Burgensis.

scriptum est: Creauit Deus hominem, masculum, & fœminam creauit eos, nulla facta memoratione, qua ex materia eos plasmarit: & tamen nõ ex nihilo, sed ex limo Adã formasse clarissimum est. Indolescendum certè est his Doctoribus, qui pro arbitratu leuibus suffulti coniecturis à vetusta œcumenicaque Patrum doctrina recedunt.

AVCTOR.

Pauido certè animo ad solutionem, diffinitionemque huius disceptationis accedo. Hinc enim à Patribus declinare non audeo, illinc vereor, ne si sententiæ Patrum subscripsero, Peripatetici, Scholasticiq; omnes in mevt acerrimi hostes cõuertantur. Proferam attamen ingenue quid sentiam: Duabusque diffinitionibus, seu decisionibus absoluendam esse hanc percunctationem duco. Primo loco siquidem diffiniendum est; Num ex elementis, an ex peregrina quinta essentia Cęlum constet. Quòd si ex elementis conflatum est, secundo loco inuestigandum superes erit; Num ex aqua, nũ ex igne, num ex pluribus horum, seu ex quatuor, ignoto nobis constitutionis genere, compactum sit. Primam itaque controuersiam Philosophiæ institutis & decretis non uiolatis diffiniens, censeo Philosophorum priscorum præcipuè Platonis sententiam, ex summitatibus elementorum Cœlum congestum astruentem, contemnendam non esse, sed egregiè in scholis difensari posse. Iure siquidem (inquiunt Platonici) Materia Cęli, & mortalium eadem censeri potest. Natura enim sicuti in necessarijs non deficit, ita superuacaneis non abundat: si pro Mudi constitutione vna materies erat satis, vt quid duæ sunt statuendæ? Insuper Vniuersi opifex vnus est; igitur & materies ex qua congestus est Mundus vna fuit. Siquidem cùm vnus sit effector & sator Mundi, certe id quoque ex quo compingebatur, vnum tantùm esse, vt illi respondeat, ex necessitate consequitur. Amplius si huiusmodi substrata hyles ut cõmune subiectũ nõ esset vna, profecto Vniuersum non esset maximè vnum, maximeque iunctum, conglutinatũ, & complicatum. Præterea cùm Mundi anima, seu ratio sit vna, vnus sit Vniuersi finis, quomodo sola materies, cui minus distinctio congruit, adeò est disiuncta, vt in vnam communem redigi nequeat? Nec arduum est, Aristotelis illationibus satisfacere. Marsilius Ficinus siquidem super Tymæum, quin & omnes Platonici in suis lucubrationibus satis eis occurrunt. Idque duobus iactis, substratisque fundamentis. Alterum est, motionem primã atque simplicem vnam esse, nempe in orbem: rectam verò non esse simplicem; tùm quòd sensim reddatur velocior in fine, tùm quòd elementis non competat degentibus in propria sphæra, sed extra eam violenter collocatis, nec in eorum absoluta natura, sed dum ad ipsam duntaxat progrediuntur. Alterum verò est, ignem condensatum in sua sphæra splendescere, sed non vrere, neque alienam depascere materiam, seu pabulo indigere, cùm ignis ex horum sententia in ligno sit carbo, in vapore flamma, & in sua sphæra lux. Quibus fundamentis iactis facillime obiectiones illatas retundunt, reijciuntq;. Nam si inferunt Aristotelici, quòd cùm elementis motus rectus conueniat, cœlesti autem corpori rapida in orbem latio; & motionis simplicis duo genera, duas etiam simplicium corporum naturas exigant: quapropter cœlestis corporis naturam ab elementorum natura vehementer dissidere; Respondent Platonici unum tantùm simplicẽ motum nempe orbicularem comperiri, ipsumque elemẽto vti simplici corpori in propria sphæra congruere. Quòd si contingit, vt elementa recto ferantur motu, id ipsis violentum esse asserunt, cùm extra suam sphæram, seu sedem degentia ad naturalem locum properare enitantur. Si amplius Peripatetici arguunt, necesse esse, ut corpora grauitate, leuitateque prædita non circunferantur, sed à medio, vel ad medium agantur: Satisfaciunt egregiè Platonici, asserentes ex quatuor primis corporibus aliud esse summè graue, aliud graue equidem, sed quadantenus leue. Rursum aliud leue profecto, & aliquatenus graue, ac demùm aliud summe leue. Cęlumq; vt leuissimũ nõ à medio, seu ad medium, sed circa medium ex naturali sibi insita motione perpetuò circunferri. Tandem si Peripatetici ex elementi passionibus, & natura, alterationes in Cœlo (si Cœlum ex elementis compactum asserimus) corruptionemque & interitum posse contingere concludunt: Econtra arbitrantur Platonici Cęlum omnis corruptionis, & alterationis

An Cœlũ ex quinta essentia cõstet iuxta Philosophos.

Platonis sententia astruitur.

Cap. 25.

Motus rectus secundũ Platonem non est simplex.

Aristotelis rationes à Platonicis soluuntur.

tionis expers eſſe; vel quod ſua conſiſtens puritate nullo unquam admiſſo extraneo, ſeu contrario, ab omni prorſus peregrina impreſſione, ſeù alteratione, tutiſſimè in ſua arce ſe immunem præſeruet; vel quòd opificis voluntate incorruptibile indiſſolubileq; permaneat. Hæc, & conſimilia plura poſſemus hac in diſceptatione ex Platonicis depromere, quę vti à noſtro negotio aliena reſcindimus, atque prætermittimus.

Cæterum ſi Theologice difficultatem hanc diffinire vellem, dicerem profectò, quod ſi quis Mundum æternum cum Ariſtotile autumaret, ipſumq; à Deo ex naturæ neceſſitate (vti à Sole effluit radius) prouenire arbitraretur, Cęlum quintam quandã Vſiã, ſeù naturam, nec ignem, nec aërem, nec aquam, nec terram, nec quid ex iſtis commixtum extare apprimè aſſerere cogeretur; tùm quia ſi Cęlum ſempiternum fuiſſet, nunquam præextaſſet elementum, ex quo congereretur; tùm etiam quoniam dato elementum præextitiſſe, ſi liber omnipotensq; eius opifex non fuit, non potuiſſent elementa affectionibus, & qualitatibus ita depurari, vt Cœlum ex ipſis ad ſummam puritatem redactis compingeretur, cùm natura nullũ aliud prorſus noſcat præter hoc actiuis paſſiuisq; qualitatibus præditum elementum. Verùm cùm Mundum conditum eſſe ego certiſſime ſciam, indubieq; credam, atque vnum ipſius liberum opificem, omnipotentem, omniſcientem fatear: Non vereor conſtanter aſſeuerare Deum potuiſſe elementa temporum exordio in Chaos producere, & ex ipſis ſecunda die Cœlorum compagẽ congerere, ſeù ſubmota omni lite (ut aiebat Empedocles) ſeù auulſa à Cęli materie quauis potentia, vt exiſtimarũt Thomiſtæ, ſeù ea ipſa penitus oppreſſa virtute excellentis formæ contrarietatem non admittentis, & materiæ ingluuiem ſaturantis, vt cenſuit Aegidius; poſſeq; amplius incorruptibille illud præſeruare, vt vel nunquam, vel ſemel in Mundi excidio pereat. Hæc ſiquidem omnia æqua lance erant Deo poſſibilia, hæc etiam Deum effeciſſe clariſſime obteſtatur Moſes, ſi eius enarrationem ſecundum planum, & ingenuum literæ ſenſum, atque ſecundum Patrum Sanctorum placita, neglectis, vt decet, vanis fictitijsq; commentationibus, interpretabimur. Cæterum dogmata Ariſtotelis (cuius id fuit ingenium, Cęlum quintam eſſe eſſentiam aſſerere, vt Mũdum æternum aſtrueret) quantum piam inficiant mentem, quãtisq; Chriſtiana noſtra placita inſidijs petant, ob idq; quantum ſint euitanda, atque execranda, audiamus egregium ac Sanctiſſimum Patrem grauiſſima & dilucida oratione id demonſtrantem.

Cęlum ſecũdum Theologos an cõſtet ex quinta eſſentia.

Cœlũ ex elementis cõſlatum eſt.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite ſexto.

Hæc igitur alij conſiderantes ſtabilia eſſe non poſſe, æthereum corpus Cęli ſtellarumq; eſſe arbitrati ſunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quo diuturnam Cęli putarent manſuram eſſe ſubſtantiam. Sed non iſta opinio Propheticæ potuit obuiare ſententiæ, quam diuina quoque Domini Ieſu Chriſti Maieſtas Dei noſtri in Euangelio comprobauit. Dixit enim Dauid: Principio terram tu fundaſti Domine, & opera manuum tuarum ſunt Cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnia ſicut veſtimentum veteraſcent, & tanquam amictum mutabis ea, & mutabuntur; tu vero ipſe es, & anni tui non deficient. Quod adeo probauit in Euangelio Dominus, vt diceret. Cęlum & terra præteribunt, mea autem verba non præteribunt. Nihil igitur agunt, qui propter Cęli aſſerendam perpetuitatem quintum corpus æthereum introducendum putarunt; cum æquè videant diſſimilem cæteris adiunctam membri vnius portionem labem corpori magis afferre conſueuiſſe.

Pſal.101.

Matth.24.

Perpẽdant, obſecro, ex hac Ambroſij doctrina Scholaſtici nuperi Doctores, qui neglecta authoritate cunctorum priſcorum Patrum, nec vno excepto (nam & Dionyſiũ, pace D. Thomæ, cum cæteris incedere congruentiori loco demonſtrabo) Cęlum quintam eſſe eſſentiam paſſim, mordicusq; defenſant, maluntq; Scripturas ad peregrinas, & nouas detorquere interpretationes, quàm Ariſtotelicum hoc de quinta Cœli eſſentia inuentum non probare. Perpendant inquam, num Ariſtotelis verſutiam penetrarint; Ariſtotelis inquam, Eccleſiaſticis dogmatibus inſenſiſſimi hoſtis; qui vt Mundum æternum in Fidei noſtræ ludibrium, & opprobrium aſtruat, quintam inducit eſſentiam: perpendantque & caueant, ne nos, qui Mundum creatum, Cœloſq; ſi non diſſolubiles, ſaltem reſtaurandos, uel à motione ſua arcendos fore credimus, dum Cęlos quinta eſſentia cõpactos cũ Ariſtotele profiteri nitimur, in noſmetipſos arma cõuertamus.

Ariſtoteles fidei noſtræ acerrimus hoſtis.

Vt ad ſecundam propoſitam diſceptationem deueniamus; Num ſcilicet Cœlum (dato ipſum ex elementis compingi) igneum ſit, Num ad cryſtalli ſimilitudinẽ ex aqua concretum, Num ex ſummitate elementorum, incomperto nobis modo, conflatum; Item

Cęlũ an ex vno tantùm, vel ex pluribus elementis conſtet.

litem hanc diffinire certè non audeo, quoniam de præstantissimorum Patrum opinionibus sententiam ferre pertimesco; dicam attamen disceptandi libertate, quid sentiā. Principiò Nysseni sentētia, qui Cęlum ex igne conflatū, seu ex prædominio esse igneū, videtur asserere, à philosophia placitisq; Platonicis non recedere euincitur, atque cum Platonicis, & ijs qui Mundi machinā ex quatuor tantùm simplicibus corporibus coagmentari decernunt, defensari posse non dubito. Veruntamen in litera Mosis duo certe offendit incommoda. Primum quòd Moses ipse firmamentum in medio aquarum effectum tradit, vt diuideret aquas ab aquis: verum ignem in medio aquæ sibi admodū repugnantis elementi constitisse, ægre ac difficulter admodum credi potest. Quapropter necessarium fuit ipsi Nysseno vocis aquarum significationem ad inopinatū sensum distrahere, & per aquas superas ipsos Angelos intelligere, per inferas materiē crassam capere, quæ num recte dicta sint, animaduertat ipse eruditus lector. Alterū, quod experitur incommodum, est, quoniam Scriptura vocat Cęlum firmamētum, hoc est solidū, & firmum, quasi corpus spissum, & densum, quod certe de igne elemento labili, & pertenui asseuerari nequit. Cogitur forte & amplius Nyssenus ipse contra communē, tùm Philosophorum, tùm Theologorum, sed præcipue Mathematicorum opinionē orbes astra deferentes negare, Cœlumque vnum permeabile & immotum, seu consimul circumlatum astruere, quod ægre nimis à plerisq; percipitur: ex quibus profecto Nysseni sententiam Platonicis arridere, sed parum ad literam Mosis, & ad communem sapientum opinionem accedere comprobatur. Patrum verò eorum assertioni, qui ex aquis, & in medio aquarum in perlucidi crystalli similitudinem Cęlos concretos autumant, sacræ literæ mirum in modum fauere cernuntur. Scriptum est enim; Fiat firmamentū in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Nam si Cœlum compactū est in medio aquarum, & inter aquas cuncta obruentes, verisimile profecto videtur ex ipsis aquis fuisse conglutinatum: ut quid enim Deus aliam materiem euocare, si poterat ex ipsis aquis Cęlum coagmentare? Sed in Philosophia tùm Platonica tùm Peripatetica repugnantiam maximam offendit, & experitur. Primùm cùm omnis soliditas, & firmitudo ex mixtione elementorum, & præcipue ex terra proueniat (nil siquidem absq; terra solidum est, vt testatur Plato in Tymæo) quomodo potuit Cœlum ex aqua sola firmū effici, solidumq; ac stabile reddi ipsum firmamentum? maxime si adeo solidi sunt Cęli, vt immensam aquarum molem sustineant. Deinde astra die quarta in firmamento sita dicuntur: fecit Deus luminaria magna & stellas, & posuit eas in firmamento: Astra autem cùm ignea sint, vt ferè omnes Patres decernunt, quo pacto in corpore glaciali figi, & illæsa permanere queunt, cùm horum elementorum scilicet ignis, & aquæ naturæ repugnantes adeo sint, ut inuicem semper se deuorent & deglutiant? Quòd si dixerimus hæc duo Diuinæ maiestatis omnipotentia contingere, solidum scilicet corpus ex vno tantum elemento conflatum comperiri, atque astra in medio aquarum minime extingui, quemadmodum plures Patrum asseruerunt: certè id erit miraculum non necessarium, & intempestiuum in rerum natura astruere? Quantum autem ad authoritatem ex D. Petro, & rationes pro hac sententia deductas, spectat, eas subterfugere nō admodum difficilè arbitror. Primùm, cur magis de orbibus cęlestibus, quàm de aëreis regionibus interpretanda veniant D. Petri verba non video, cùm uiri grauissimi ac celeberrimi ad aëris interstitia ea retulerint. Et euentus rei eis astipulatur; Cœli siquidem aquis in diluuij colluuie iactati ac obruti, non cęlestes orbes fuere, sed aërei Cœli, cùm quindecim cubitis montium cacumina vix aquæ supergressæ fuerint, nec Cœlos illos æthereos, sed tantùm aëreos in nouissima, Orbis conflagratione permulti depurandos censeant: Aëris verò interstitia Cœlos vocari D. Augustinus vigesimo de Ciuitate Dei capite vigesimoquarto; Beda de Natura rerū, capite vigesimoquinto; & Rabbanus constanter perhibent. Iam verò & argumenta, quibus firmamentū constare ex aqua contendebatur, leuia sunt. Argumentum deductū ex vocis etymologia, non admodum exploratam, passimq; accep tam etymologiam defert. Nam si Rabbinus ille, ac Steuchus, Samaim Hebræis idem valere, quod Latinę, Illic aquæ, censent; Lusitanus Samaim potius à verbo Samam, quā à Sem, deduci censuit, quod Samā admirari, & obstupescere significat; quasi ex hac voce innuatur, quòd Deus omniū opifex Cęlos,

Nysseni sententia quæ subeat incommoda.

Cœlos ex aquis cōcretos asserentes quas difficultates incurrant.

Cœlos, id est corpora admiratione ac stupore digna condiderit. Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis illam ipsam vocem Samaim indicare voluit, Cœlos ex aqua, & aëre simul constare. Rursus quando argumentabantur debere medium, & extrema in eadem conuenire substantia, certissimum ac verissimum est, si homogenea sunt illa corpora; at si interstitia, seu corpora dirimentia, & separantia sint, sufficit vt non contrarijs affectionibus prædita interponantur. Sciscitantibus quid actum sit de immenso illo aquarum cumulo, respondere possumus, nec eam colluuiem aquarum adeo immensam fuisse (sicuti censuit Beda) vt ad Empyreum se extolleret, sed longè exiliorẽ tenuioremque fuisse, cùm vix aquas diluuij superexcederet; nec parum Vniuerso videtur illa aquarum vastitas contulisse, cum ex ea & supercœlestes, & vaporeas, & labentes has nostras aquas, tam immensos Pelagi sinus & lacuum fluminumque alueos explentes, defluxisse ac deriuasse perhibeamus. Cæterum fortè huius sententiæ assertores, eximij certè nominis Patres, Cœlos non ex pura tantùm aqua conflatos, sed ex elementis coactos, & consolidatos existimarunt: ita vt aquei ex prædominio non incongrue dicerentur.

His igitur bene perpensis ingenuam reputo D. Basilij & Ambrosij sententiam, Cœlorumque substantiam nobis prorsus esse ignotam, & imperceptibilem, asseuerare tutius esse existimo. Cerno etenim sententiam hanc posse facilius & Mosis literæ, & Philosophicis placitis accommodari. Hancque verisimiliorem esse mihi persuadet vetustum perpetuumque Philosophorum dissidium, præfatarum assertionum multiplex discrepantia, Cœlorum ipsorum imperceptibilitas, cùm sensu percipi non queant. Et quod potissimum est, oracula diuinæ Scripturæ, quæ nil clarum, exploratumque de eorum substantia produnt, sed diuersis metaphoris, ac symbolis, vix quasdam præstantes eorum conditiones innuunt. Hoc siquidem tropo sacra Scriptura Fumum dixit Cœlos, vt naturæ eorum tenuitatem demonstraret: æs fusum, vt infractam soliditatem, pellem, vt mirificam dilatationem indicaret. *Cœlorum substantia nobis ignota.*

D. BASILIO itaque adhærentes concludamus: ita enim habet in Hexæmeron, Homilia prima.

Eorum etenim, quæ facta sunt, etsi ignoremus naturam, at certè omni ex parte quicquid sub sensum hunc nostrum cadit, seque exponit visendum, tantum in se obtinet miraculi, nosque adeò totos rapit in sui admirationem, vt quodcunque tandem ingenium, quantolibet polleat acumine, quantauis contentione ac studio se excitet, longè tamen deprehendetur inferius, nec satis idoneum, pro rei dignitate exequatur & explicet quiduis eorum, quę in Mundo sunt, minutissimum, aut certè huius gratia meritam laudem exoluat, ac debitam Creatori, quem omnis addecet gloria & imperium in sæcula sæculorum.

De figura Cœlorum: num sit sphærica.

Disceptatio hæc, an Cœlum sit sphæricum, an semisphæricum, seu qua figura sit compactum, vti curiosa admodum est, ita inutilis, & rudis fortè ingenuo lectori prima sui fronte apparebit. Rudis puerilisq; suo apparatu obijcitur, quandoquidem qui prima vix Mathematicarum elementa hauserint, Cœlum sphæricum esse certissimis demonstrationibus didicerunt. Verum cùm oppositum prisci Patres ex oraculis Scripturarũ sedulo docuisse visi sint, non superfluũ erit negotiũ, quid sibi voluerint inuestigare.

ISIDORVS Pelusiota libro secũdo Epistolarum Epistola ad Ophelium Grammaticum, quæ est ducentesima septuagesimatertia.

Cœlum aut sphære, aut dimidiæ sphæræ speciẽ imitari affirmare, atque item celerrimum Solis cursum, ac Lunæ incrementa, & decrementa, syderumque situm curiose indagare, ac præterea de terra quærere, cylindri an coni speciem teneat, mundique centrum sit, ac denique & Solis, & Lunæ interualla cognita & explorata habere, quid ad bene beatæque viuendum vtilitatis afferat, equidem non video.

AVGVSTINVS certè quæsitum istud inutile, etiam declarasse non me latet, quando de Genesi ad literam, libro secundo, capite nono, sic testatus est.

Quæri etiam solet, quæ forma, & figura Cœli esse credenda sit secundum Scripturas nostras. Multi enim multum disputant de his rebus, quas maiore prudentia nostri Auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, & occupantes, quod peius est, multum preciosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet, vtrum Cœlum sicut sphæra vndique concludat terram in media Mundi mole libratam, ac eam ex vna parte desuper velut discus operiat?

Verùm

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Figura Semisphæricum.*

Verùm & munus esse Christianorum Gentilibus nos irridendi occasiones rescindere, eo loco admonet.

Sed quia de fide agitur Scripturarum propter illam caussam, quā nō semel cōmemoraui: ne quisquam eloquia diuina non intelligens, cùm de hisce rebus tale aliquid vel inuenerit in libris nostris, vel ex illis audierit, quod perceptis assertionibus aduersari videatur, nullo modo eis cætera vtilia monentibus, vel narrantibus, vel prænunciantibus credat: breuiter dicendum est de figura Cęli hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet; sed spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli saluti profutura.

Non igitur prætermittendam esse hanc percunctationē deductis de caussis arbitror.

Sententia Philosophorum priscorum de Cœli figura.

CLEMENS Papa Recognitionum libro octauo, apud priscos Mundi sapientes neutram viguisse sententiam, quòd alij sphæricum, alij semisphæricum existimarint Mundum, his demonstrat.

Quod et si secundum alios Græcorum Philosophos audire vis, & mechanicis imbutus es disciplinis: de excelsis quæ traduntur, non te sine dubio latent. Ponunt enim sphæram, æqualiter ex omni parte collectam: & ad omnia similiter respicientem, atque à centro terræ æquis spatijs distinctam: ipsaque sui æqualitate, ita stabilem; vt eam in nullam partem declinare vndique æqualitas collecta permittat: & ita à nullo fulcimento subuecta, sustentatur sphæra. Quòd si verè hanc habeat similitudinem Mundi machina: euidens est opus in ea diuinum. Si verò, vt alijs visum est, super aquas posita sphęra; vel super ipsas fertur, vel in ipsis voluitur: etiam sic magni in ea artificis opus declaratur.

THEODORETVS vetustissimam fuisse apud Gentilitatis sapientes hanc difficultatem manifestat, cùm libro quarto contra Infideles, & de Materia, & Mundo hæc scribat.

Alij Philosophorum forma sphærica esse Mundum dixerunt. Alij varia & diuersa. Alij pistrillariæ molis rotatu in gyrum verti, alij rotæ modo circumuolui dixerunt. Alij animatum, spirantemque. Alij voluere prorsus inanimem.

CYRILLVS contra Iulianum libro secundo, Plutarchi attestatione, diuersa de figura Mundi Philosophos sensisse scribit.

Deinde de figura Mundi iterum sic dicit; Stoici quidem Mundum dicunt esse figuræ sphæricæ: Alij autem similem galeæ: Alij verò, vt Epicurus, Mundos quidem esse sphæricę figuræ posse; posse autem & alias habere figuras.

a. *Fiat firmamentum semisphæricum:*

Patrēs Cœlū semisphæricum asserentes.

Abeunt in hanc sententiam Patres ij omnes, qui Mundi figuram adeo effingunt, vt Cœlum fixum, immotum desuper ad Fornicis, & Tabernaculi similitudinem super aquas hinc inde vastissimas considere dicunt.

IVSTINVS Quæstione quinquagesima nona.

Si noctu Sol delitescit; qui fit, vt Cęlum spæra esse demonstretur?

Et Quæstione centesima trigesima.

Si Cęlum, quod Gentium ratione, & sententia sphæra est, siue globosum, & rotundum, in loco etiam mouetur; cur quod vt camera fixum est, aut instar pellis extentum, quemadmodum literarum diuinarum monumentis proditum est, Cœlum in loco non est?

Hanc dum soluit, inquit.

Nunc verò cùm fieri non possit, vt Cœlum sphæra sit, & sphærę ritu moueatur, & instar cameræ, ac fornicis compactum esse doceri possit: Christiani ignorationis crimine condemnari iure non possint. Quod autem ad eius locum attinet, de illo ex ijs quæ hic obseruamus coniecturam capimus. Vt enim hic, cùm est corpus aliquod

aliquod rotundum, quod sit & æquabile, & concauum, & vndiq; pari mensura teneatur, sicubi in aqua collocetur, ab aqua sustinetur : sic etiam Cœlum ab aquis sustinetur . Qui extendit Cęlum inquit , vt cameram: cameræ nomine, rotundum Cœli corpus declarauit . Sustinent igitur Cœlum aquæ; aquas terra, terram diuinus nutus . Qui terram, inquit, in re nulla suspendit.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima, fornici Cęlum comparauit. *De figura quoq; satis sunt ea, quæ idem ille dixit Dei gloriam enarrando . Qui constituit , inquit, Cęlum , vt fornicem.*

Adnotes, quòd ex translatione Septuaginta interpretum dixit, vt fornicem.

AMBROSIVS ex eiusdem Esaiæ auctoritate, cameræ; ex Dauidis obtestatione, tabernaculo simile esse dixit, Hexæmeron libro primo, capite sexto.

Ad speciem quoque eius abundat, quod ipse de Cęli firmamento locutus est , quia fecit Deus Cœlum sicut cameram, quòd intra Cęli ambitum vniuersa claudantur, quæ vel in mari geruntur , & terris . Quod similiter significatur , cùm legitur ; Quia Cœlum Dominus extendit . Extenditur enim vel quasi pellis ad tabernacula, habitationesq; Sanctorum, vel quasi liber, vt plurimorum scribantur nomina, qui Christi gratiam, fide, & deuotione meruerunt : quibus dicitur ; Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cęlis .

Sed quod hi Patres ex hac Esaiæ attestatione dilucide non deduxerunt, ex eadem alij disertius Cælum semisphæricum esse prodiderunt.

Seuerianus, Acaciusq; in Catena, negarunt Cęlum esse rotundum & sphæricum; citantq; locum Esaiæ quadragesimo iuxta Septuaginta hunc in modum. Qui statuit quasi cameram Cęlum, & extendit quasi Tabernaculum ad habitandum. Rursum & hoc inde quoque probant : quia sic Scripturæ interdum de Cęlo loquuntur, tanquam quòd summum, & extrema habeat, quæ profectò figuræ sphæricæ, corporique globoso non conueniunt. Hæc Vielmius Lectione tertiadecima.

CHRYSOSTOMVS de incomprehensibili Dei natura, Homilia secunda.

Cęlum hoc formam quidem concamerati gerere nouimus , idque non ingenio nostro & ratione , sed diuinæ Scripturæ sententia . Complectique idem vniuersam Terram non ignoramus , quod & ipsum ab eodem diuino fonte hausimus.

Et in Epistolam ad Hebræos Homilia quartadecima , ponderans illud Pauli oraculum ; Tabernaculi veri quod fixit Deus, & non homo ; in hæc incidit verba.

Vbi sunt qui dicunt moueri Cœlum ? Vbi sunt qui pronunciant id esse sphæricum ? Vtraque enim hic sunt sublata.

THEOPHYLACTVS D.Pauli locum illum ad Hebræos; Talem habemus pontificẽ, qui cõsedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum minister, & Tabernaculi veri quod fixit Deus, & non homo , interpretans, Tabernaculum illud à Deo non ab homine factum, Cœlum his esse dixit.

Attollit his dictis horum nunc animos. Nam cùm par esset illis non satis constare nos esse tabernaculum id assequutos : Ecce, inquit, maius quoddam, & certius tabernaculum Cęlum habemus . Nam uetus illud nostrum hoc nouum præfigurabat . Ac primum illud manibus hominum fuerat fixum (vt de Moyse fertur, & alijs)id uerò nouum Deus præfixit . Hinc autem intelligi potest, quemadmodum Basilius sentit , nec mobile esse Cœlum, nec circulare : Fixit enim cùm inquit, vtrunque tollit.

PRIMASIVS Commentarijs in Epistolam ad Hebræos.

Tabernaculi quoque veri minister est, quod constituit, siue composuit Deus, & non homo : Idest Cęli, quod nobis ipse administrat, vt claritate sydrum illius illustremur. Tabernaculum enim, quod Beselehel composuit in deserto, siue quod templum Salomon fecit in terra repromissionis, non fuit verum : quia & vetustate consumptum est, nec semper durare potuit : ideoq; tabernaculum verum Cœlum vocat, quoniam in æternum stabit, nullaq; vetustate consumetur.

Haymo in huiusce pariter loci interpretatione hæc ipsa prodidit , nullo prorsus mutato verbo.

THEODORETVS loco asserto inquit.

Tabernaculum vocauit Cęlum, cuius ipse est opifex.

EVTHYMIVS in Psalmum centesimum tertium.

Esaias autem alia quadam, atque eleganti translatione vsus, illius etiam immobilitatem , ac figuram demonstrauit, dicens ; Qui statuit Cœlum, quasi cameram . Quòd si Pellem pro Tabernaculo intellexeris, dicemus figuram Cęli hoc sermone significari . Erat quippe Tabernaculum instar fornicis.

Ex quibus elici potest, quòd si Cęlum Tabernaculum illud, quod fixit Deus, hi Patres esse dixere ; certè & fixum, & immobile, & ad instar Tabernaculi semisphæricum ipsum existimasse visi sunt.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto, hanc sententiam recitat, nec reijcit; dicens.

Nonnulli autem arbitrantur Cęlum circulari motu Vniuerso circumferri sphæricæq; esse formæ, & vndique summam Vniuersi partem esse: mediastimam verò eius spatij, quod ab ipso continetur, esse partem infimam. Et post. *Quotquot autem dixerunt Cęlum sphæricæ esse figuræ, aiunt illud æquidistare, & semotum esse à terra, suprà & infrà, & altrinsecus, ac ad latera. Infrà dico, quo ad nostrum sensum; quia secundum sermonis consequentiam, vndique supernum locum Cęlum obtinet, & Terra imum. Et dicunt Cœlum sphæricũ circundare Terram; & ipsum secum suo rapidissimo motu circumferre Solem, & Lunam, & Stellas. Et Sole super Terram existente, hic diem fieri; & sub terra noctem: existente autem Sole sub Terra, hic noctem, illic verò diem. Alij autem Cęlum hemisphærium esse imaginati sunt, quia diuinorum enarrator Dauid dicat;* Psal. 103. *Qui extendis Cœlum velut pellem, quod ostendit tabernaculum. Et beatus Esaias;* Esa.40. *Qui statuit Cœlum velut cameram. Et quia occidens Sol, & Luna, & Astra, circumeunt Terram ab Occidente in Boream; & ita rursus in Oriente restituuntur: attamen siue hoc, siue illo modo; sic vniuersa diuina iussione facta sunt, &* Psal. 148. *firmata; & diuinam voluntatem, & consilium, fundamentum inconcussibile habent. Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Statuit hæc in sæculum sæculi: præceptum posuit, quod non præteribit.*

LACTANTIVS Firmianus libro tertio, cap. vigesimoquarto, Gentilium sententiam de Antipodis inficians, Cęli, Terræq; rotunditatem, ut erroneè introductam irridet & his verbis.

Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant syderum cursus in Occasum meantium, Solẽ, atque Lunam in eandem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Cùm autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorum temperaret; nec quomodo ab occasu ad Orientem remeant: Cęlum autem ipsum in omnes partes putarent esse deuexum, quod sic videri propter immensam latitudinem necesse est: existimauerunt rotundum esse Mundum, sicut pilam: & ex motu syderum opinati sunt Cœlum volui: sic Astra, Solemq; cùm occiderint, volubilitate ipsa Mundi ad ortum referri. Itaque ætherios orbes fabricati sunt, quasi ad figuram Mundi, eosq; cęlarunt portentosis quibusdam simulachris, quæ astra esse dicerent. Hanc igitur Cęli rotunditatem illud sequebatur, vt Terra in medio sinu eius esset inclusa. Quod si ita esset, etiam terram ipsam globo similem; neque enim fieri posset, ut non esset rotundum, quod rotundo inclusum teneretur. Si autem rotunda etiam terra esset, necesse est, vt in omnes Cęli partes eandem faciem gerat, idest montes erigat, campos tendat, maria consternat. Quod si esset, sequebatur illud extremum, vt nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus, cæterisq; animalibus incolatur. Sic pendulos istos Antipodas Cœli rotunditas adinuenit. Quòd si quæras ab ijs, qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam Cęli partem? hanc respondent rerum esse naturam, vt pondera in medium ferantur, & ad medium connexa sint omnia, sicut radios videmus in rota. Quę autem leuia sunt, vt nebula, fumus, ignis, à medio deferantur, vt Cœlũ petant.

PROCOPIVS Gazæus Commentarijs in Genesim libro primo, assertum Isaiæ locum; Qui statuit Cœlum, ut fornicem, & id extendit sicut tabernaculum super terram, vberiori oratione his commentatus est.

Plurimi modò relatum Prophetæ testimonium imitati, asseruerunt Cęli formam esse hemisphæricam, cùm cæteri confirment eius formam esse sphæricam. Verùm de eius statu & forma quid Apostolus prędicet, audiamus; Heb. 8. *Ac veri Tabernaculi, quod fixit Deus & non homo. Vbi igitur sunt, qui Cęlum quasi perpetua vertigine rapi, & sphæricum pronunciare audent? Vtrunque enim Paulus suo eloquio è medio tollit, & vtrunque firmissimè refellit. Quòd verò Cœlum initium & finem habeat, Prophetarum testimonijs patefit, sacra Scriptura dicente;* Gen. 19. *Sol egressus est super Terram. Non inquit; Ascendit, quod meritò diceretur, si Cęli forma es-* Psal. 18. *set sphærica, sed ait; Egressus est. Et iterum; A summo Cęlo egreßus eius. Ecce magna claritate Scriptura sacra inquit; Egressus eius; nempe Solis: nec dicit ascensus eius. Quòd ait, A summo Cœlo, &c. vide vt confutet eorum opinionem, qui Cœli figuram docent esse sphæricam. Sphæra nullam habet summitatem, at Sol à summo egreditur Cęlo: Quomodo igitur illorum aßertio coheret Scripturę Orthodoxæ? Horum opinioni etiam* Matth. 24. *Saluator noster in Euangelio contradicit, inquiens; Cùm venerit filius hominis in gloria sua, mittet Angelos suos cum tubæ voce magna; & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum. Huc aptetur testimonium Mosis; Ab eo die, quo condidit Deus hominem super terra, vsque ad summitatem Cœli. Huc pertinet iste Esaiæ locus; Dominus Zebaoth, præcepit genti bellicosæ, vt adueniat à longinqua terra, ab extremo fundamento Cęli.*

Et post, adhuc magis suam explicat sententiam, Mundi basim in terra considere asserens, irrisa de Antipodis sententia.

Quòd autem vniuersa terra in aquis subsistat, nec vlla sit pars eius, quæ infra nos sita est, aquis vacua & denudata, omnibus notum reor. Nam sic docet Scriptura; Psal. 135. *Qui expandit terram super aquas. Et iterum;* Psal. 23. *Quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eąm. Sola itaque terræ superficies, quæ penes nos est, intelligitur, dum ait; Congregentur aquæ sub Cœlis in locum vnum. Similiter Cœlum hic accipiendum est pro firmamento, quod nobis apparet, & Terræ impendet. Nec decet, vt credamus, aliquam terram infra nos coli nostro*

nostro Orbi oppositam. Nam si Antipodes forent, certè Christus eò quoque profectus esset, & cętera, quæ pertinent ad salutem humani generis, ibi perfecisset. Adam generis nostri prima origo, serpens, qui humanum genus dolo circumuenit, nimirum & diluuium penès oppositam regionem extitissent. Cæterum aqua, quæ infra nos fertur, an sublimis pendeat id procurante diuina virtute, vel vento vehatur, incertum est.

Ex his Patribus, Basilius, Ambrosius, Theodoretus, Theophilactus, non adeo expressam hoc loco suam retulisse sententiam visi sunt, quin cum Philosophis, cæterisque Patribus conciliari ex his, quæ aliàs dixere, non possint, prout infra tentabimus, ac periclitabimur demonstrare. Verùm Seuerianus, Acacius, Ioannes Chrysostomus, Iustinus, Lactantius, Procopius, Cœlum non esse sphæricum dilucide asseuerarunt. Iustinus, Lactantius, ac Procopius semisphæricum immobile ipsum esse existimarunt. Effingunt autem ita Mundum, quasi quòd hemisphærium nostrum tantùm in Mundi machina absque supposito Antipodum Hemisphærio comperiatur; meridianumque eius Cœli summitas nostra, Orizontes verò extrema dicantur, super aquasque seu maria in Ortum, & Occasum latissime se effundentia basim suam iaciat: sitque Cęlum, vt Augustinus dixit, velut discus, Solque, Luna, sydera sine orbibus ab ortu properent in occasum, vt inde ignoto nobis calle per Boream in ortum remeantes, ex Oceano emergant. Et fortè ea est sententia, quam Ioannes Damascenus libro secundo Orthodoxæ Fidei, capite sexto, enarrasse retulimus. Munitur autem hæc sententia tribus pręcipuè allegatis auctoritatibus. Prima est Esaiæ; Qui extendit Cœlum velut nihilum, & expandit eos velut tabernaculum ad inhabitandum. Editio Septuaginta habet. Qui statuit quasi cameram Cœlum, & extendit velut tabernaculum ad inhabitandum. Altera ex Dauidis Psalmo desumitur; Extendens Cœlum sicut pellem; Postrema ex D. Paulo. Verum tabernaculum, quod fixit Deus, & non homo. Astruunt siquidem omnes hæ auctoritates Cœlũ fuisse in prima sui constitutione extensum, & expansum, vt pellem Tabernaculi, quæ cùm complicata, ac conuoluta est, facillime dissolui, ac expandi potest; atque quòd fixum adeò sit & permaneat, vt quasi tabernaculum, vel Camera, seu, fornix cõsistere perẽniter videatur. His adijcere possumus, & duas inductas à Procopio rationes. Primò, Sol dicitur egredi ex amplissimo Oceano, seu ex alio loco, prout in Genesi legitur, Sol egressus est super terram, & Dauid, à summo Cœlo egressio eius: quod autem sphæricè circumfertur, egredi non perhibetur. Deinde quoniam summitatem & extrema habere asseritur, sicuti in Euangelio scriptum est; Congregabit electos à quatuor ventis à summis Cœlorum, vsque ad terminos eorum; Esaias verò disertius. Dominus Sabaoth præcipit genti bellicosæ, vt adueniat ab longinquo terræ, ab extremo fundamento Cœli. Quòd si Cœlum ex his obtestationibus, & summitatem habere, & extrema conuincitur, semisphæricum etiam esse asseueratur. Ratio autem potissima, quæ tantos Patres, vt Cœlum non esse rotundum arbitrarentur, compulit, ea est, quæ ex Iustino, Seueriano, & Acacio deducta est, nempe quoniam si sphæricum, seu orbiculare esset Cęlum, aqua super globosum corpus considere non posset. Aqua siquidem præceps semper ad ima delabitur, atque decurrit. Igitur operæ pretium est, vt Cœlum alterius sit figuræ, quò eas aptè sustinere superferreque valeat. D. Bonauentura secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, quæstione prima, articulo secundo, duas excitat pro his Patribus non prætermittendas probationes. Alteram, quòd Cęlo vt solidissimo firmamento competat solidissima figura, quæ est semicircularis; alteram verò, quòd pars vna empyrei à coruscantissimo corpore Christi magis, quàm Cęlum à terra distaret, vnde vel Beatis vacua ea pars esset; vel Beati in ea degentes nimis à Christo gloriæ fonte longinqui cernerentur.

De Gene. ad lit. lib. 2.

Sententiæ huius fundamenta. Isa. 40.

Psal. 103. Heb. 8.

Gen. 19. Psal. 18.

Matth. 24.

a. Fiat firmamentum sphæricum.

Cæteri cuncti Patres, ac Doctores præcipuè Nuperi cum Mathematicis Cęlum esse orbiculare fatentur. Horum Catenam si luberet prolixam haberem. Verum mihi sufficiat nonnullorum sententiam tantùm referre, ne de re tam vulgari catenam contexendo, tempus operamque conterere videar, legentemque fatigare. Seligam igitur saltem tres Patres, ne rursus omnino ieiuna in hac re oratio nostra censeatur

Patres Cœli sphęricũ esse arbitrantes.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Fiat Firmamentum.

a. *Figura Sphæricum.*

GREGORIVS Nazianzenus Oratione aduersus Iulianum quarta.

Verbo Deus tenebras depulit, verbo lucem produxit, Terram firmauit, Cælum tornauit, Stellas constituit, aërem sparsit, mari limites imposuit, &c.

ELIAS in præfatam sententiam.

De Gene. ad literam.

Aptè autem illud etiam, Cælum tornauit, quòd orbiculari figura sit. Hoc enim interdum non improbat vir sanctus, quia rectam doctrinam haudquaquam labefactat: idque in Oratione de Theologia adnotauimus, vbi etiam tùm eorum, qui rotundum ipsum, tùm eorum qui fornicis speciem habere contendunt, sententias latiùs protulimus.

Sententia huius fundamento. Isa 40.

Cæterum Commentarius iste desideratur: attamen locum Gregorij arbitror esse in oratione de Theologia secunda vbi ait.

Psal sup. Heb 2.

Quis Cęlum circumegit, ac tornauit? Et post. *Tibi concedam te Orbes, ac conuersiones: Accessiones autem, & recessiones perceptas habere, &c.*

Verum adest alter locus in Oratione eiusdem Gregorij Nazianzeni in Sanctum Baptisma.

Aliud quoque lumen agnosco, nempe illud, quo primigenæ tenebræ depulsæ, aut certè intercisæ sunt, quod ante res eas omnes creatas, quæ aspectu sentiuntur, productum est: circularemque item illam syderum conuersionem, & supernum splendorem vniuersum Orbem illustrantem.

NICETAS eodem loco.

Gen 10. Psal 1.

Quoniam autem orbiculari figura Cęlum est, ac circulari motu fertur, non absurdè ac dissentaneè asśero sydera quoque circulariter ferri, vniuerso Orbi lucem, & splendorem afferentia.

Matth 24.

Et Oratione de Moderatione in disputationibus seruanda.

Ordo Cęlum in Orbem duxit, &c.

AMBROSIVS in Psalmum centesimum decimum octauum, Sermone duodecimo.

Prou.3.

Quomodo fundauerit Deus Terram, Scriptura nos docuit, dicente Propheta; Deus sapientia fundauit Terram: parauit autem Cælos in intellectu. Terra autem tanquam fundamentum est, in qua consistimus, licet ipsam in meditullio Cæli esse, & is qui foris est, sermo concelebret; & Scriptura significare videatur, dicente Iob; Suspendens Terram in nihilo. Includitur ergo Orbe cælesti: & ideò Sol noctibus non videtur, quia gyrando in inferiore inuenitur Orbis parte cælestis.

Iob 26.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro primo, capite decimo, non tantùm sphæricum censendum Cęlum, sed irrisione dignos eos credit, qui non circumferri Solem, sed in mare immergi excogitant.

Sed si hoc dixero, vereor ne deridear, & ab ijs qui certissimè cognouerunt, & ab ijs qui possunt facillimè aduertere, quòd eo tempore quo nox apud nos est eas Mundi partes præsentia lucis illustrat, per quas Sol ab Occasu in Ortum redit, ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius, alibi diem, alibi noctem. Nunquidnam ergo in parte aliqua posituri sumus Deum, vbi ei vespera fieret, cùm ab ea parte in aliam partem lux abscederet? Nam & in libro, qui appellatur Ecclesiastes, ita scriptum est; Et oritur Sol, & occidit, & in locum suum ducitur: hoc est, in eum locum vnde ortus est. Sequitur enim, & dicit ipse; Oriens illuc vadit ad Austrum, & circuit ad Aquilonem. Australis ergo pars, cùm habet Solem, nobis dies est: cùm autē ad Aquilonis partes circumiens prouehitur, nobis nox est: non tamen in alia parte non est dies, vbi præsentia Solis est: nisi fortè poëticis figmentis cor inclinandum est, vt credamus Solem mari se immergere, atque inde lotum ex alia parte mane surgere. Quanquam si ita esset, Abyssus ipsa præsentia Solis illustraretur, atque ibi esset dies. Posset enim & aquas illuminare, quando ab eis non posset extingui. Sed hoc monstruosum est suspicari.

Eccle.1.

Pater Cœli sphæricam abnuit

Sed clarius libro secundo, capite nono.

Quæri etiam solet, quæ forma, & figura Cęli esse credenda sit secundum Scripturas nostras. Multi enim multum disputant de ijs rebus, quas maiore prudentia nostri Auctores omiserunt, ad beatam vitam non pro-

profuturas discentibus, & occupantes, quod peius est, multum preciosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet, vtrum Cœlum sicut sphæra vndiq; concludat Terram in media Mũdi mole libratam, an eam ex vna parte desuper velut discus operiat? Sed quia de fide agitur Scripturarum, propter illam caussam, quam non semel commemoraui: ne quisquam eloquia diuina non intelligens, cùm de his rebus tale aliquid vel inuenerit in libris nostris, vel ex illis audierit, quod perceptis assertionibus aduersari videatur, nullo modo eis cætera vtilia monentibus, vel narrantibus, vel pronunciantibus credat: breuiter dicendum est, de figura Cœli hoc scisse Auctores nostros, quod veritas habet; Sed spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli saluti profutura. Sed ait aliquis, quomodo non est contrariũ ijs, qui figuram Sphæræ Cœlo tribuunt; quod scriptum est in literis nostris; Qui extendit Cœlum sicut pellem? Sit sanè contrarium, si falsum est quod illi dicunt: hoc enim verum est, quod diuina dicit auctoritas, potius quàm illud, quod humana infirmitas conijcit. Sed si fortè illud talibus illi documentis probare potuerint, vt dubitari inde non debeat, demonstrandum est hoc, quod apud nos est de pelle dictum, veris illis rationibus non esse contrarium: alioquin contrarium erit etiam ipsis in alio loco Scripturis nostris, vbi Cœlum dicitur velut camera esse suspensum. Quid enim tam diuersum, & sibimet aduersum, quàm plana pellis extensio, & cameræ curua connexio? Quòd si oportet, sicut oportet, hæc duo sic intelligere, vt concordare vtrunque, nec sibimet repugnare inueniatur: ita oportet etiam vtrumlibet horum illis non aduersari disputationibus, si eas fortè veras certa ratio declarauerit, quibus docetur Cœlum sphæræ figura vndique esse conuexum, si tamen probatur. Et illa quidem apud nos cameræ similitudo, etiam secundum literam accepta, non impedit eos, qui sphæram dicũt. Bene quippe creditur, secundum eam partem, quæ super nos est, de Cœli figura Scripturam loqui voluisse. Si ergo sphæra non est, ex vna parte camera est, ex qua parte Cœlum Terram contegit: si autem sphæra est, vndiq; camera est. Sed illud quod de pelle dictum est, magis vrget, ne non sphæræ, quod humanum est fortè commentum, sed ipsi nostræ cameræ aduersum sit. Quid autem hic allegoricè senserim, Confessionum nostrarum liber tertiusdecimus habet. Siue igitur ita vt ibi posui, siue aliquo alio modo intelligendum sit Cœlum sicut pellis extensum, propter molestos & nimios exactores expositionis ad literam, hoc dico, quod sicut arbitror, omnium sensibus patet: vtrunq; enim fortasse, idest & pellis, & camera figuratè intelligi potest, vtrunq; autem ad literam, quomodo possit, videndum est. Si enim camera non solum curua, sed etiam plana rectè dicitur; profectò & pellis non solum in planum, verumetiam in rotundum sinum extenditur. Nam & vter, sicut & vesica, pellis est.

Psal. 103.

GLOSSA Ordinaria ex his Augustini locis.

Quæri solet, cuius figuræ sit Cœlum? Sed Spiritus Sanctus, quamuis auctores nostri scierint, per eos docere noluit, nisi quòd prosit saluti.

Magister Sententiarum secundo, distinctione quartadecima, hæc eadem ijsmet verbis habet.

BEDA libro de sex dierum Creatione.

De figura autem Cœli breuiter dicendum est, hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet: sed spiritum Dei, qui super eos loquebatur, noluisse ostendere, nullius saluti profutura vtilia. De ea autem contentione, quæ inter plures de figura Cœli fieri solet, vtrum in modum extensæ pellis, an sphæræ, vel cameræ consistat: non videmus quod prohibeat pellem extensam in modum cameræ curuari, vel quasi sphæræ in rotundũ sinũ extendi.

Et Quæstionibus in Genesim.

Quæri etiam solet, quæ forma, & figura Cœli esse credenda sit. Vtrum Cœlum sicut sphæra vndique concludat terram in media mole Mundi libratam, an eam eximia parte desuper, velut Discus cooperiat. Sed ait aliquis: Quomodo non est contrarium his, qui figuram sphære Cœlo tribuunt, quod scriptum est in literis nostris; Qui extendit Cœlum sicut pellem, Cui responderi potest, quòd pellis non solum in planum, verum etiam in rotundum sinum extenditur. Nam & uter, & uesica pellis est.

Damascenus Orthodoxæ fidei libro secundo, capite sexto, Patrum sententiam de Cœlo sphærico diffusè prosequutus est, Alexander Alensis parte secunda, quæstione quinquagesima, D. Bonauentura articulo secũdo, quæstione prima, vt supra retulimus. Doctores Scholastici quæstionem hanc edisserunt secundo Sententiarum, distinctione quartadecima; sed parum sententias Patrum rimantur. Mathematici pluribus demõstrationibus hoc idem euincunt. Ex Alfagrano hanc vnam deducere possumus. Si Cœlum planum esset, nec orbiculare, ea Cœli pars, quæ nostri est summitas hemisphærij, propinquior nobis esset, Solq; & stellæ in ea peragrantes viciniores fierent; quòd si viciniores, cùm ea quæ nobis propinquiora sunt, maiora semper conspiciantur, & maiora appareant, Sol, Luna, Astraq; non æqua amplitudine se nobis semper obiectarent, sed maiori profectò mole in Cœli summitate, quàm in ortũ, seù occasũ ditata spectarentur. Quod attamen experimento maximè aduersatur.

Rationes Cœlũ esse sphæricũ ostendentes.

Cæterum machina hæc, quæ ob summam admirabilemq; sui elegantiam, & ornatũ Mundi nomen promeruit, atque à Græcis Cosmos, quod apud nos ornatum significat, nun-

nuncupatur, à Deo opifice pluribus de caussis sphæricam obtinuit figuram. Primùm, vt quoquo modo Dei satoris similitudinem referret: cùm siquidem secundum exemplar Mundi Archetypi orbis hic fuerit procreatus, vti Deus principio & fine caret, Mūdus quoque sphærica figura, nullum exordium seù finem nisi per concessionem admittente, ornari ac decorari debuit. Adijcias quòd inter corpora Hysoperimetra sphæricū maxime simplicissimum existat, vnde simplicissimo corpori cęlesti summopere cōgruebat; Deinde & capacissimum est corpus illud, Cœlum pariter complexu suo coercet ac continet vniuersa; amplius perfectissimum est, quia senaria perfectione insignitum, circumcurrens enim, linea, orbemque efficiens, sexies lineam à centro ad complexū deductam exuperat. Vnde non ab re cęlesti corpori, quoniam perfectissimum est, orbicularis figura fuit condonata. Ac tandem rotundum seu sphæricum Cœlum formari decebat, quoniam huius generis corpus aptissimum est ad motum, qui velocissimus ac rapidissimus in Cœlo perspicitur. Hæc siquidem coaceruauit etiam D. Bonauentura secundo Sententiarum. Superadijcias tandem, quòd si Cęlum alia quacunque congestum esset figura, seu trilatera, seu quadrilatera, non aptum ad motum fuisset; siquidem angulos in circumlatione ita detulisset, ut vel vacuum admisisset, vel corporum penetrationem tulisset, quod natura prorsus abhorret. Sed super hæc omnia Cœlum esse globosum Scripturæ dilucidè tradunt, cùm Solem, astraq; in gyrum cieri prodāt dicētes: Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibiq; renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem. Lustrans uniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Et rursus. Gyrum Cęli, inquit Sapientia, circuiui sola; quod Græcè exprimitur, Circumduxi, seu rotundaui. Alibi quoque. Quando præparabat Cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos. Porrò pergere Solem in circuitu, circulos suos conficere, gyrum Cœli circumire, gyro vallare abyssos, attestationes sunt sphæricum esse Cęlum euincentes. Sed quid argumentor? Nonne annua nostræ ætatis nauigatio, qua Mundum superato freto Megallanico mirifico animi ausu mortales, circumcirca iam perlustrarunt, bene animaduersa vndique Polorū altitudine, & diuersitate, adeo certū exploratumque id reddidit, vt nullus omnino locus hæsitandi amplius, ambigendique supersit? Quamobrem Cœlum à summo opifice globosum fuisse fabricatum, omnemq; eius extremitatem paribus à medio radijs attingi statuamus. Atque sententiam hanc non Philosophis tātùm, sed, & Patribus, ac Scripturis esse concordem arbitrarer. Seuerianumq;, Acacium, Iustinum (si tamen fœtus Iustini sunt Quæstiones illæ) Lactantium, & Procopium, uulgarem sententiam ea tempestate florentem sequutos fuisse, delusos potissimum à Scripturæ auctoritatibus, quæ eam approbare ac innuere videbantur, existimarem. Cæterum nec Scripturæ delatæ arduum nobis facessunt negocium; cùm Cœlum ex similitudine Tabernaculum Camera, Fornix dici queat, vnde nec valde elaborandum est, vt eas ad saniores trahamus sensus, siquidem Patres id muneris pro nobis obierunt.

Dist. 24.

Ecclef. 1.

Ecclef. 24. Prou. 8.

Cœlum qua ratione camera vel fornix seu tabernaculū dicatur.

Isa. 40.

D. HIERONYMVS Commentarijs in Esaiam libro vndecimo; locum illum interpretans; Qui statuit quasi cameram Cęlum, & extendit quasi tabernaculum ad habitandū, aliter ex Hæbraicæ vocis significatione legendū esse his edocet. *Quid igitur superbit terra, & cinis? quia Cęlum, immo, vt Scripturarum vtar auctoritate, Cęli extenduntur quasi camera, siue, vt in Hebraico continetur, quasi tenuissimum puluerem; de quo supra diximus: pro quo Septuaginta ibi Saliuam interpretati sunt: & vnum verbum, nunc sputum, nunc cameram, idest fornicem transtulerunt: & tantam eorum latitudinem, quasi Tabernaculum, & papilionem extendit desuper, vt similitudine tecti operiret homines, & quasi in domo latissima habitare faceret: quid miremur si parua hominum corpora, quasi locustæ & minuta reputentur animantia? Rursum & in hoc loco, qui ἡμικύκλιον terris imminere Cęlum, & in similitudinē sphære Cęlū eße contendunt, abutūtur nomine fornicis, quòd scilicet media pars sphæræ terras operiat, cùm in Hebraico non fornicem, sed tenuissimum puluerem legerimus: Pro quo saliua, quæ proijcitur in terram, & pulueri commiscetur & deperit, ostendit vniuersam corporis magnitudinem pro nihili reputandam. Qui autem extendit Cœlos, & expandit eos, ut uel supra habitarent Angelorum multitudines, vel subter homines morarentur: & quasi magnam rationabilibus creaturis fecit domum: & Indices ipse pro qualitate temporum principes constituit, siue secretorum scrutatores, vt sint quasi non sint, & Terræ velut inane fecit.*

IO. CHRYSOSTOMVS Homilia in Psalmum centesimum tertium,

tertium, locum illum, Extendens Cœlum sicut pellem, commentatus, effectionis Cęli facilitatem ibi significari, his edocuit.

Vt enim homini facilè est pellem extendere, ac tabernaculum efficere: sic rerum omnium Deus ingentes Cęlorum orbes adhibito sermone solo extendit.

Augustinus in eundem locum, egregiè demonstrat nil prorsus obstare illud Esaiæ, Cœlum esse extentum sicut cameram, seu fornicem, vel sicuti dixit D. Paulus, vt tabernaculum, quin non sit expansum vndique in orbem: cùm & cameram, & fornicem, & tabernaculum laxari etiam in orbem conspiciamus. Quid enim impedit, quòd Cœlum quamuis sphæricum, vnius tamen dimidij sui ratione in hemisphærio nostro ceu semisphæricum, atque vt camera distendatur; in hemisphærio quoque Antipodum pariter vt camera, vel fornix, aut tabernaculum alterius dimidij ratione porrigatur & dilatetur, vniuersum tamen rotundum existat, orbicularemque figuram obtineat,

AVGVSTINVS siquidem post plura sic inquit.

Et illa quidem apud nos cameræ similitudo, etiam secundum literam accepta, non impedit eos, qui sphæram dicunt. Bene quippe creditur secundum eam partem, quæ super nos est, de Cęli figura Scriptura loqui voluisse. Si ergo sphæra non est, ex vna parte camera est, ex qua parte Cęlum Terram contegit: si autem sphęra est, vndique camera est.

Quod autem de camera dictum est, id de pelle dici debere ipse Augustinus edocet: vt Dauidis proposicæ auctoritati satisfaciamus. Si enim camera, inquit, non solum curua, sed etiam plana rectè dicitur; profectò & pellis non solum in planum, verumetiam in rotundum sinum extenditur. Nam & uter, sicut & vesica pellis est. Hæc ille.

Auctoritatibus à Procopio deductis, Cœlo summitatem, & extrema ascribi astruentibus, satisfacere non est difficile, asserendo quòd Scripturæ vti simplicibus Hebræis oblatæ, non quidem quod est, sed quod passim rudibus apparet, exprimant, vt eorum captui indulgeant. Præterea quòd Cœlo ex natura dextrum, & sinistrum, sursum, & deorsum Philosophi etiam ascribant, cùm dextrũ, eius oriens, sinistrum occidens, Arcticum supra, infra Antarcticum esse effingant; quin ei & summum ex Climatum ratione atribuunt. Firmamentum verò dici solidissimum, non propter stationem, sed quia intransgressibile est, Augustinus edocuit. Corpora glorifica in Cœlo, vt hic locari, puerile admodum est existimare: Deo siquidem, & splendidissimæ Christi humanitati esse proximum in Cœlo, nil aliud est, nisi ex meritorum copia ad ampliorem, seu præcelsiorem, augustioremq; gloriam assumi. *Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.*

De quadruplici mundanæ machinæ dispositione, ac situ Cœlorum.


Grata, & iucunda admodum mihi sese offert disceptatio, dum situm Cęlorum, machinæque huius nostræ, aulæ Mundi dispositionem, atque symmetricam membrorum, seu partium integrantium congestionem, narratione & typis excusis proferre cogor. Suadet siquidem id mihi methodus à Ioanne Damasceno obseruata. Qui Orthodoxæ Fidei libro secundo, Cęlorum genera exploraturus, duplicem de Mundi figura sententiam inseruit. *Cap. 6.* Peragamque id libentius, vt fatigatum, lassatumque fortè lectorem hac dispositionis Mundi præ oculis exarata varietate, delectatione afficiam. Cæterum repugnantes de Mundi ordine sententiæ ex catenis iam in his disceptationibus deductis facillimè elici, exacteq; depromi queunt.

Machinæ Mundi figura prima.

Effingunt primùm Mundum semiphæricum prætervetustos Philosophos, Iustinus, Chrysostomus, Seuerianus, Acacius, Procopius, Lactantius, hac congestionis forma, vt in substrata vasta colluuie aquarum, Terram pluribus partibus sese exerentem insidere perhibeant, iuxta illud, Qui fundauit terram super aquas. *Psal. 135.* Desuper uerò post regiam Dei, ac Beatorum, flãmatã cœlestẽ substãtiã collocent, quod quidẽ ad instar tabernaculi consistat, seu cameræ, vt exposuere Acacius, & Seuerianus; seu fornicis, vt aiebat D. Basilius; seu Disci, vt dixit Augustinus, & alij, in imaque & concaua sui parte

ipsum

ipſum ſemiphæricum eſſe prodant in ſuprema verò, & conuexa quadratum, ſinibus, atque voraginibus conſciſſum, vt ſupercęleſtes aquas concludat. Ac tandem in medio Mundi pari nimirum intercapedine à ſupremo Cęlo, atque à terra diſtantem conſtituant. Aſtra verò ab ortu in occaſum peruagari, exinde per Boream ſub aquarum mole remeare cenſeant. Demum ſub Cęlo ignem, & ſub igne aërem, vſque ad terram diffuſum effingunt.




A. Sit igitur A. Empyreum deſuper coruſcans vndequaque non orbiculare.
B. Sit B. Aquarum ſuper Cęlum locatarum exundantia.
C. Sit C. Cęlum, vt cryſtallum concretum, deſuper æquale voraginibus cõſciſſum, ſubtus verò ſemiſphæricum ſine circulis.
D. Sit D Ignis excelſam ſub Cęlo ſedem vendicans.
E. Sit E Aër vndique ſub Diſco interclusus.
F. Sit F Terra ex aquis exacta, Dei imperio immota.
G. Sit G. immenſa vaſtitas aquarum, atque Oceani, nullo nobis comperto fine ſe diſtendentiũ; adeo vt ſuper illas & alij poſſint Mundi conſidere, iuxta illud D. Clementis Papæ aſſertum, Et qui vltra Oceanum ſunt Mundi.

Machina Mundi Imago ſecunda:

Mundum putarunt alij ſphæricum, & hac orbium poſitura digeſtum. Primum ſupremum orbem omnia contegentẽ, ambientemq; ſuper extare autumarunt; Quẽ alij Dei Beatorumq; regiam, ſeu Empyreum exiſtimarunt, in exordio temporum congeſtum. Vt

ut D. Petrus, Clemens, Origenes, Diodorus, Iunilius, Hilarius, Procopius, & fortè Damascenus, & alij. Nonnulli supremum sensilis Mundi orbem illum esse dixerunt, coruscantissimam regiæ beatorum lucem secludentem, Mundumq; opacantem, vt D. Basilius, Ambrosius, Theodoretus; & alij: Inde sub supremo illo orbe aquas effundi putarunt supercęlestes; vel in glaciei similitudinem congelatas, vt D. Petrus, Iunilius Magister Sententiarum; seu in vaporem tenuissimum redactas, vt censuit Augustinus, Eucherius, Anselmus, Hugo, Magister sacræ historiæ; vel etiã fluxiles, vt arbitrati sunt Basilius, Ambrosius, Procopius, & alij; seù in æthercam regionem cõuersas, vt ingeniose opinatur Guilielmus Parisiensis. Inde amplius firmamentum Astrorum domiciliũ figi dixere, tanto interuallo à Cœlo supremo nobis inuisibili, quantum à terra distans, ex aquis ad crystalli instar concretum, vt edocuerunt D. Petrus, Ioseph, Tertullianus, Gennadius, Hippolitus, Theodoretus, Hieronymus, Iunilius, Procopius, Strabus, Anselmus, Hugones duo, Victorinus, & Carensis, Magistri duo, Sententiarum, & Scholasticæ historiæ, Guilielmus Antisiodorensis, & quamplures; seù ex elementorũ ignota nobis natura conflatum, vt tradidere Philo, Basilius, Ambrosius, Damascenus, Hugo, & Richardus nostri: admiseruntq; alij hoc in septem vel octo orbes, seù circulos, seù Zonas secari posse, alijs id negantibus. Subinde ignis sphærã Cœlo astris venustato supposuere, quam etiam Aethera appellarunt, sub igne aërem vndiq; diffusum, atq; consertum, in duplicemq; disiũctum regionem, alteram puram, alteram terræ flatibus, seù impressionibus obnoxiam expandi asseruere. Tandẽ, aquam, & terram in centro vna sphæra conclusas, collocarunt; dissidentibus tamen in hoc eorum sententijs, quòd alij Mare terra altius præminentiusq; efferri dijudicarint, vt Basilius, Ambrosius, & sectatores: nõnulli vero secus cẽsuerint. Secundũ igitur horũ placita Mũdi imago ita effingatur.



A. Sit A. Supremum Cœlum Mundum ambiens, atque contegens, seù sit Empyreum, seù primum mobile cuncta suo motu rapiens.

B. Sit B. Locus aquarum supercęlestium, & B., j. fluentes indicet, B.ij. vaporeas, B. iij. glacie concretas.

C. Sit C. Firmamentum, hoc est Cœlum astrigerum in octo orbes secatum, seù circulos, seù Zonas iuxta antiquorum placita, stellas inerrantes, & astra errantia vehentes.

D. Sit D. Aether, seù ignis sphæra.


E. Sit E. Aër, cuius prima regio nullis halitibus, seù impressionibus vnquam obruta; altera vero, idest nostra hæc infima perpetuis nubibus flatibusq; iactata denotetur.

F. Sit F. Terra circa centrum suo pondere librata.

G. Sit G. Mare Terra ipsa eminentius & excelsius, Dei præcepto in seipso aggregatum, ne super terram defluat.

Machinæ Mundi Imago tertia.

Gregorius Nyssenus libro de Historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est, maxime ad finem, aliam Mundi dispositionem excogitauit. Post Empyreum, quod Cœlum cogitatione tantùm perceptibile nuncupat, aliud Cœlum constituit, Cœlum nempe igneum vndique expansum, natura leuissimum, adeo vt corpus densum, atque firmum, nisi ex comparatione ad Empyreum appellari nequeat. In duas autem id secernit regiones; alteram, quam extremitatem sensibilis Mundi, & confinium eius, quæ cogitatione percipitur creaturæ, hoc est Angeli, nominauit, quam & inerrantium stellarum fortè sphæram esse iudicauit. Alteram inferiorem locum obtinentem, in qua errantes stellæ versentur; ambasque & firmamenti nomine gaudere, & simul in secundo die effectas, quanquam in exordio temporum præseminatas edocet. Arbitratur amplius, quòd in congestione, ac fabricatione Mundi, igneæ naturæ partes, quæ maiori puritate ac leuitate præditæ erant, simul coactæ in superiora Astra coaluerint, quæ vero magis crassæ extabant, in sydera inferiora & Lunam redactæ sint: superioremque aut inferiorem locum, iuxta maiorem vel minorem puritatis rationem per hoc spatium igneum vendicarint, rotationeque ferantur astra sua natura per igneum hoc firmamenti spatium, ex eo quòd cùm ascendere, uel descendere ex insita ignea leuitate sibi connata nequeant, non nisi in orbem moueri possint: ratus fortè cum Platonicis, motum in orbem simplicibus corporibus esse connaturalem; sub igne autem, in aëris, atq; aquæ, & terræ situatione, à cæteris non discrepat.



A. Sit igitur A. firmamenti suprema regio Mundi sensilis extremitatem concludens; desuper Beatos secludens. In medio inerrantia sydera, quæ ut eiusdem naturæ, & leuitatis, consimili motu pererrant, quasi in utero excipiens.

B. Sit B. firmamenti altera pars, septem errones, seu septem errãtes stellas, ex maiori, seu minori leuitate, puritateque, excelsiorem, seu depressiorem sedem sortitas, ad inæquales motiones ex insita leuitatis natura ascitas; complectens.


C. Sit C. Aëris suprema regio.

D. Sit D. Inferna.

E. Sit E. Terræ aquæque rotunda in medio Mundi librata sphæra. Aquas supercœlestes prorsus negauit Nyssenus, aquarumque super firmamentum euectarum nomine, Angelos ad beatitudinem ascitos intellexit. Suboscurus tamen, corruptus, & mutilus, vt in pluribus, est tractatus Nysseni de sex dierum historia, quibus Mundus à Deo creatus est, sed eleganti, graui, peregrinaque Philosophia refertus, ac diuturna lucubratione condignus.

Machinæ Mundi forma quarta.

Tandem quarto loco à Peripateticis, Mathematicis, atque Scholasticis ferè omnibus sphæra mundana effecta, vt nota, atque omnibus familiaris sic tantùm describatur.



A. Sit A. Empireum supra sensilem Mundum euectum.

B. Sit B. Cœlũ ex quinta essentia conflatum, sphæricum, in octo orbes, sydereum scilicet Cœlum, & septem Planetares orbes antiquitus discretum: nunc autem in decem ex denario motu diuisum. Nuperi siquidem motu trepidationis sydereo Cœlo ascripto, nonum tardissima triginta nouem millium annorum conuersione circumlatum, & decimum vt mobile primum ab ortu in occasum cunctos rapientem superaddiderunt. Aquas nullas super Cœlos elatas admiserunt, metaphoricè aquarum cœlestium nomine, alij Cœlum crystallinum, alij Angelos intelligi censentes.

C. Sit C. Ignis in sua sphæra non splendens, quem tamen Telesius, & Cardanus, cum nonnullis alijs, ibi extare, eo quòd pabulo indigeat, negarunt.

D. Sit D. Aër in triplicem regionem segregatus. Harum suprema ex Astrorũ propinquitate calida est, ac ignitarum impressionum matrix: regio media frigiditate sua natura referta, niuium, grandinum, pluuiarum, maiorumque impressionum sedes, fulgurum, fulminumque fucina: infima verò hæc nostra regio leuium impressionum domicilium, vt roris, pruinæ, &c.

E. Sit E. Sphæra terræ, & aquæ in Cẽtro grauitate sua librata, atq; in Zonas quinque torridam nempe, temperatas duas, & gelidas duas diuisa, atque seiuncta.

Ego quam harum Mundi machinarum formam, seu imaginem verisimilẽ arbitrer, diffinire non præsumo. Veruntamen cùm mei sit instituti, doctrinam Patrum, maximè communiorem, totis viribus consectari, secundam reliquis omnibus præferam; hanc etenim præstantissimorum Patrum priscorum numerosior classis approbauit.

De

De numero Cœlorum.

Quæ fuerint præstantissimorum atque insignium Patrum de numero Cœlorum sententiæ, tùm ex ijs, quæ hactenus de Coelis à nobis enarrata sunt, tùm etiam ex Catenis quas in quæstionibus, Num Moses duorum Cœlorum genesim tradat; &, Num firmamenti nomine cœlestia corpora significētur; atque etiam, Num Cœlum sit sphæricum; coaceruauimus, nullo negocio colligi posse existimo. Has attamen sententias iterum epilogo recensere non grauabor, vt recenti repetitione, magis legentium memoriæ commendentur. De supernis coelis primo has habes sententias.

Chrysostomus vnum solummodo Cœlum, & illud immotum fixumque esse, adeo tuta sententia arbitratus est, vt oppositum existimantes diuinæ Scripturæ, & Ecclesiasticis doctrinis putarit aduersari, atque hoc in secundo die conditum censuit. Nec obstare credidit, quòd Moses dixerit: In principio creauit Deus Cęlum, & terram, quasi alterius Cęli Moses geniturā tradiderit; nam verbis illis; In principio fecit Deus Coelū & terram, Mosem summatim totum opificium proposuisse edocet. Nec etiam quia sæpius Scripturæ maiori numero Coelos nuncupent, vt Coeli cœlorum, & aquæ quæ super Cęlos sunt; quoniam tropo hebraico dictum esse asserit, cùm Coelū apud Hebræos numero singulari careat, quemadmodum apud nos Athenæ ac Venetiæ. Disceptat hoc Homilia quarta in Genesim prolixius, sed eius retulimus disceptationem in quæstione; Num Moses duorum Coelorum genesim tradat.

Gregorius quoque Nyssenus vnius Coeli secundo die emolitionem tradi, vnumque esse Cœlum igneum autumat, quanquam in duas partes secatum, in supremam scilicet, quę extremitatem Mundi sensilis concludit, & stellis inerrantibus insignita est, & in postremam, in qua Astra sua leui natura delata peruagantur. Hæc in Hexæmeron præcipuè ad finem.

Numerosa Patrum Classis duo Cęlorum genera comperiri existimat: alterū in exordio temporum, alterum in secunda die constructum; sed quid sint non omnes in eandē sententiā loquuntur. Supremum Coelum cum terra congestum domicilium esse Dei, Beatorumque existimarunt Clemens Papa, Iustinus, Origenes, Diodorus, Hilarius, Iunilius, & fortè Acacius, Seuerianus, Claudianus, Procopius, Lactantius: Ex Patribus quoque non adeo vetustis Strabus, Beda, Magister, Lyranus, Tostatus, & alij. Verum idem ipsum Cęlum supremum orbem esse Mundi sensilis, lucem Empyrei retundentē, arbitrati sunt Basilius, Ambrosius. Sed Theodoretus, & Damascenus, in vtranque sententiam rapti fuisse visi sunt. Cæterum firmamentum secundo die compactum. alij vnum esse immotum cum Chrysostomo diffinierunt, vt Acacius, Seuerianus, Procopius, Lactantius, sicuti aliàs luculenter referemus: Cæteri ipsum in plura secari non negarunt.

IVSTINVS Quæstione sexagesimaseptima Orthodoxorum, ait.

Reuera duos esse Cœlos, sed hos disiungi in varia spatia, quæ interna Scriptura Cœlos appellat.

BASILIVS Hexæmeron, Homilia tertia.

Neque hæc aliquando minore fide credi par est, quàm qua credimus septem esse orbes, in quibus stellæ septem ferè omnium consono ore prædicantur suum peragere cursum; quos quidem Cœlos ita asserunt concinnè inseri vnum alteri; quemadmodum si cadi, aut vascula in sese inserta sint.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite secundo.

Itaque nos non solum secundum, sed etiam tertium Cœlum esse negare non possumus, cùm Apostolus raptum se ad tertium Cęlum, scriptorum suorum testificatione confirmet. Dauid etiam Cœlos Cęlorum, in illo laudantium Dominum constituit Choro. Quem imitantes Philosophi, septem stellarum, Solis, & Lunæ globorum, consonum motū introduxerunt, quorum orbibus, vel potius globis connexa memorant omnia, quos sibi innexos, & velut insertos versari retro, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur.

Progrediuntur hi Patres, hoc loco eorū commentitiam fabulosamq; sententiam irridere, quæ ex orbium motu dulcem & suauē melodiam perhibebat reddi, nec à nobis audiri, quòd ex consuetudine aures nostræ obsurduerint. Sed ea vt parum ad nos spectantia inserere neglexi.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto.

Est igitur Cęlum Cęli, primum Cœlum supra firmamentum collocatum. Ecce duo Cœli; nam & firmamentum

Dan.3. *tum vocauit Deus Cęlum. Consuetudo etiam diuinæ Scripturæ est, aërem Cęlum vocare, ab eo quod est sursum videri. Benedicite (enim inquit) omnes volucres Cœli, aërem intelligens: nam aër volatilium iter est, & non Cœlum. Ecce tres Cęli; quos diuinus dixit Apostolus. Si autem septem circulos, septem Cęlos suscipere volueris, nihil in ratione veritatis offenditur. Consuetum etiam & in voce Hebraica Cęlum pluratiuè vocare Cęlos. Cęlum igitur Cœli volens intelligere, Cęlos Cęlorum dixit: quod perinde significat; atque Cœlum Cęli, quod est supra firmamentum: sed & aquas, quæ sunt supra Cęlum, idest aërem, firmamentum, septemve circulos firmamenti, consuetudine Hebraicæ linguæ pluraliter Cęlos nominat.*

CASSIODORVS in Psalmum centesimũ quadragesimũ octauũ. *Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ quæ super Cœlos sunt. Quamuis in Genesi vnum Cęlum fabricatum esse legerimus, tamen eos plurali numero & Paulus Apostolus appellauit; qui refert in tertium se Cęlum raptum, ibique talia cognouisse, quæ homini non licebat effari: & hic plurali numero nuncupantur, quod tali forsitan ratione concordat. Dicimus vnum esse Palatium, quod multis membris, multis spatijs ambiatur; ita forsitan & Cęli partes dicimus Cœlos, dum complexio atque sinus eius vnus esse monstretur.*

REMIGIVS Antisiodorensis Enarratione in Psalmum centesimũ quadragesimum octauum, exponens illud; Laudate eum Cœli Cęlorum, ait.

Hæres.46. *Cęli, idest firmamentum, & æther, scilicet complexi vis; Cœlorum, idest septem circulorum, vbi aplanes, & Planetæ fixæ sunt, sint vobis materia laudandi Dominum.*

PHILASTRIVS libro de Hæresibus, ex Scriptura duos Cęlos, ex D. Paulo tres, ex Dauid sex, vel septem elici posse docuit; sed quæ Cœlorum genera sint ea, quæ à Dauide & Paulo narrantur, non explicauit.

Psal. 148. *De Cęlorum diuersitate est hæresis quæ ambigat: Scriptura enim in primo die Cœlum & Terram facta declarat duo hæc elementa. Secundo firmamentum æquefactum; & nihilominus ipsum firmamentum Cęlum appellatum fuisse testatur. Dauid autem dicit de Cœlis ita: Laudate Dominum Cœli Cœlorum, & aquæ quæ super Cęlos sunt. Siue ergo sex Cęlos, secundum Dauid, & septimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat: Nam Salomon tres Cœlos dicit, ita: Cęlum, & Cęlum Cęli. Paulus æquè Apostolus, vsque ad tertium Cęlum se raptum fatetur. Siue ergo septem quis acceperit, vt Dauid: siue tres, siue duos, non errat: quia & Dominus ait; Pater qui in Cęlis es. Nam & Pagani vnum Cęlum, & Cœlos profitentur interdum. Dauid ergo quod plenum est, docuit. Salomon autem quod ex parte est, & beatus Paulus æquè. Liber autem Geneseos duos Cœlos nobis nunciauit.*

2. Paralip. 6. Matth. 6.

Cæterum de triplici Cœlo Pauli vberem habeo Catenam suo loco deducendam: nã Patres non vniformi sententia decernunt, quinam sint tres illi Cęli. Dauidis autem Cęli sex vel septem, circuli in firmamento fortè sunt, de quibus Patres supra.

Peripatetici, Mathematici, & ferè omnes nuperi Doctores plures Cœlos agnoscunt. Veteres octo tantùm eos fuisse opinati sunt, Octauam scilicet sphæram fixarum stellarum copia cohonestatam, & septem planetares. Recentiores ex denis motibus, decem esse asseuerarunt, additis nono, & supremo mobili nullis Astris insignitis. Nonnulli quatuordecim eos esse astruunt. Rursum vnicuique Astro, & tres orbes, & quatuor concentricos, & eccentricos ascribentes Mathematici ad numerum amplissimum eos euehunt.

Aegidius vnum tantùm Cęlum extare posse, quod eccentricos quamplures complectatur, & contineat cum epyciclis, longa enarratione disseruit. De ipso post.

Basilidis & cæterorum Hæreticorum delirantissimam sententiam, Cœlos trecentos & sexaginta sex enumerantem, prætermitto, de qua Irenæus aduersus hæreses libro secundo, capite vigesimoprimo; & Epiphanius libro primo, tomo secundo, hæresi vigesimaquarta, & vigesimasexta; Augustinus libro de Hæresibus; Tertullianus, & alij.

Non defuere Patres, qui Cœli nomen ad methaphoricos Cęlos trahentes, ampliorẽ tradiderint Cęlorum enumerationem.

BEDA Expositione in Genesim, capite primo, sic eos enumerat.

Scinditur auricolor Cęli septemplicis æther: quorum hæc sunt nomina, Aër, Aether, Olympus, Spatium igneum, Firmamentum, Cœlum Angelorum, & Cęlum Trinitatis.

Rabanus, vt etiam D. Thomas refert in Scriptis, secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, quæstione quarta, & parte prima, quæstione sexagesima octaua, articulo quarto, septem enumerat Cœlos, Empyreum, Crystallinum, Sydereum, Igneum, Olympium AEthereum, & Aërem.

Ego seclusis illis sententijs, quæ vnum tantùm Cœlum, seu sphæricum immotum, seu semisphæricum, pariter fixum, & permeabile astruunt, cæteras in vnum conciliatis diuersis

In medio aquarum.

Bedoch Amaiȷm.

a. In medio, hoc est intra.

Anno Mũdi primo. Die secunda

diuersis memorationibus redigi posse arbitror. Primò siquidem, si Cęli nomen ad propriam significationem trahamus, duo esse Cęlorum genera existimo; aliud coruscantissimum Beatorum Domicilium, & aliud astriferum circumlatione ductum; atque hoc secundum unum esse, & unius prorsus naturæ; in plures tamen orbes iuxta motionum diuersitatem secari. De quorum attamen orbium numero non adeo certam, ac exploratam scientiam haberi censeo, quin sicuti nostra ætas trãsactarum ante ætatum de cœlestium sphærarum numero errores emendauit, ita etiam succedens ætas certiori fortasse experimento de ipsorum orbium certa multitudine peritior effecta, sæculum nostrum non sit meritò reprehensura, ac iure omnino redargutura. Hæc de supernis Cęlis. Deinde si Cęli nomen ad ampliorem metaphoricamque significationem surripiemus, ut non tantùm rapidam substantiam cęlestẽ, sed elementorum ignis & aëris sphæras complectatur, & spiritualia comprehendat, Bedæ, & Rabani enumerationem, secundum D. Thomæ loco asserto doctrinam, non indecens erit sic recensere. Cęlorum nomen alia propriè, alia ex similitudine, alia verò metaphoricè sibi vendicant. Ex primo genere, aliud Cęlum est splendidum, & est Empyreum; Aliud perspicuum, & est primum mobile & nonum, quòd aqueum, vel crystallinum appellant; aliud demum collucidum & astris insignitum, quod quidem in octo sphæras, nempe in sphęram stellarum fixarum, & sphæras septem planetarum secatur. Ex secundo genere, Rabanus supernam regionem ignis appellauit Cęlum igneum, infernam Olympum, aëris supremã partẽ, æthereũ, infimã aëreũ. Quãuis ætheris nomine prisci uel tractũ ipsum cęlestis flãmatæ substantiæ, vel ignis sedẽ & ambitũ ceperint. Ex tertio genere, sanctissima Trinitas Cęlũ illud est, de quo creditur dixisse Diabolũ; Ascendam in Cęlum: Spiritalia æternaq; dona, Cęli sunt, de quibus secũdũ mẽtẽ Augustini sectatoribus suis Dominus spopondit: Merces vestra multa in Cęlis est; Genera tria supernaturalium visionum, scilicet Corporeæ, Imaginariæ, & Intellectualis Cęli pariter nominantur, de quibus eodem Augustino interpretante, Paulus loquitur, dum se ad tertium vsque Cęlum raptum testatur. Et hæc secundum communem de Cęlorum numero sententiam dicta sint: Cùm infra, Num vnum sit Cęlum igneum & permeabile, vt asserit Nyssenus, vel vt aër constratum, permeabile, & immotum, quemadmodum existimauit Chrysostomus, uel unum solidum eccentricos complectens, vt maluit Aegidius, Num deniq; plures Cęli, vt plerique putant, cumulate simus disceptaturi.

Cęli propriẽ sũpti duplex est genus.

Cœli nomẽ vario modo diuersis competit.

Isa. 14.

Matth. 5.

In medio aquarum.

De Editione tantùm duo comperij animaduertenda ex Lusitano.

a. In medio, hoc est intra.

LVSITANVS Adnotationibus in caput primum Genesis.

Et quod sequitur, In medio aquarum, non intelligas omninò medium: vt scilicet tanta aqua sit super firmamentum, seu extensionem, quanta sub ea; sed idem est, in medio aquarum, quod inter aquas. Nam Thoch; idest medium, aliquando pro verè medio, nonnunquam pro Inter, in sacris literis accipitur.

Maȷm

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Maijm nomen Hebraicum non singulari numero, sed plurali in sacris literis inueniri.*
b. *Aquæ superæ Angeli inferæque Dæmones.*

a. *Maijm nomen Hebraicum non singulari numero, sed plurali in sacris literis inueniri.*

LVSITANVS vbi supra.

Aduerte etiam nomen Hebraicum, Maijm, idest aquæ, non inueniri in sacris literis numero singulari, sed plurali, more nominum dualium, quod, vt Hebræi dicunt, ideò fit, vt ostendatur duplicem esse aquam, scilicet super firmamentum, & infra firmamentum.

Quantum ad primam animaduersionem spectat, cùm contra Patrum doctrinā præcipuè Hippolyti incedat, & aliorum qui firmamentum in medio aquarum compactū existimarunt eo euentu, vt medietatem alteram sub se contegeret: in horum Patrum gratiam hoc prætermittere non possum; quòd si vocula Thoch, quandoque In medio, quādoque Intra significat, hoc loco In medio significare arbitrarer. Primùm quoniam editiones Septuaginta, & Vulgata nostra, & cæteræ ferè omnes, In medio transtulerūt. Deinde quia Patrum numerosa classis in medio aquarum consistere firmamentum, ex hoc existimarit. Nec adsit vehemens vlla coniectura, quæ legendum esse Intra euincat. Quantum verò ad alteram adnotationem attinet, cùm Patrum placita non insidijs petat, non est, quòd de ea disceptemus.

Quid nomine aquarum tam superarum, quàm inferarum interpretandum sit, hoc loco sese offert inuestigandum. In vastissimum siquidem Pelagum, debilitato confractoque nauigio ferri non ignoro, cùm de aquis supra firmamentum locatis, quæstionē arduam tot sententijs perplexam aggredi cogor. Faxit Spiritus Sancti aura, vt salua naui in portum perueniam, nempe vt difficillimam scitu rem, scitè ac breuissimè colligam. Singulas autem, vt mei instituti ratio efflagitat, quas ego de hac re ex fontibus præclarissimorum Patrum hausi sententias, minimè reticebo.

b. *Aquæ superæ Angeli, inferæq; Dæmones.*

Primò itaque in loco eorum sese ostentat sententia, qui fortè aquas elementares super Cœlos euchi nequire opinantes, supernas aquas, Angelos super Cœlos ad gloriam ascitos, infernas verò Dæmones in hanc caliginosam, iactatamque aëris nostri regionē depulsos, atque detrusos, esse censuerunt. Ascribitur hæc sententia præcipuè Origeni, & alijs. Sed Origenis locum fateor me non comperijsse. Recensebo Patrum sententias, qui hoc placitum memorant, & reijciunt.

BASILIVS Hexæmeron Homilia tertia.

Nobis verò & aduersus quosdam, qui stetisse ab Ecclesia videntur, sermo habendus interim est de aquis à se disparatis. Et quidem isti prætextu anagogici sensus, & sublimioris intelligentiæ, ad allegorias se transferunt, ac suffugiunt, asserentes potentias quasdam spirituales, expertesque corporis, tropicè significari per aquas: & supernè quidem supra firmamentum præstabiliores mansisse, infernè verò in terrenis ac materialibus locis subsedisse, quæ erant maligniores. Idcircò dicunt, & eas aquas, quæ super Cœlum sunt collocatæ, Deum laudare, idest probas illas essentias, quæ dignæ sunt ob mentis puritatem, decentem, accommodatamque reddere laudem Creatori. Aquas autem eas, quæ sub Cœlis desederunt, ea esse spiritualia nequitiæ, & improbitatis: à naturali sublimitate, in imam totius vitiositatis voraginem delapsas. Has improbas mentes, vt turbulentas, vt seditiosas, vt affectuum, perturbationumque procellis, ac turbine fluctuantes, exæstuantesque, maria nuncupatas fuisse asserunt, propter mutationis facilitatem, & voluntatis, electionisque motuum instabilitatem.

Verùm

Verùm quàm vehementi oratione hæc reijciat, audiamus.

His igitur & eius generis sententijs, vt quæ somnijs & anilibus fabellis conferendæ veniunt, relegatis, aquā nos vt aquam intelligamus, & segregationem factam humorum à firmamento ea caussa, quam assignauimus, accipiamus. Atque etiam si quando aquarum illæ, quæ super Cœlos sunt collocatæ, communem omnium Dominum laudare tradantur, non naturas ratione præditas ob id illas esse decernimus. Neque enim Cœli anima vlla informantur, quia gloriam narrant Dei: neque firmamentum animans sensu præditum esse censemus, quòd effectionem manuum ipsius itidem annunciat, vt astruat aliquis & interpretetur hosce Cœlos virtutes esse quasdam contemplationi concreatas, firmamentum verò facultates, quæ operosè admodum & efficaciter fungantur officio, nempè operatrices: nos sanè eiusmodi definitionem, vt arguta quadam, scitaque acrimonia adornatam non negamus, at eandem non continuò veram esse concedemus. Secundum enim hanc interpretandi formulam, ros, pruina, frigus, & æstus, quòd apud Danielem iussa sint concelebrare hymnis vniuersorum opificem, mentes quædam erunt, nimirum intellectu præditæ, simul & inuisibiles naturæ. Veriùs quæ istis dictionibus inest significandi ratio spiritualiter & contemplatiuè ab his accepta, quos illustrat intelligentiæ donum, ad hoc mirè conducit, plenam vt conditori exoluere queas glorificationem. Neque enim super Cœlos consistens aqua, ob hoc quòd inferiores antegreditur honoris præcipui dignitate, ipsa solùm ob eximiam & insignem suæ virtutis prærogatiuam, diuinam adimplet laudem. At enim laudate eum, ait, & quæ ex Terra sunt, dracones, & omnes abyssi. Quare ipsa etiam abyssus, quam isti in peiorem reiecerunt partem, qui nihil non ad allegorias trahunt, adeò Psalmorum cantori visa non est aspernabilis & reiectitia, vt eam quoque adsciuerit in communem creaturæ omnis Chorum: quando iuxta sibi insitas rationes, canticum diuinæ laudis concordi, & melico concentu exoluit Creatori. Psal. 148.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quarto, concisiùs eam reijcit.

Alij quoque purificatorias virtutes interpretati sunt aquas, quæ super Cœlos sunt; Accipimus hæc quasi ad tractatus decorem, nobis tamen non alienum videtur, atque absurdum, si aquas veras propter illam caussam quam diximus, intelligamus. Nam & ros, & gelu, & frigus, & æstas, secundum hymnum Propheticum, benedicunt Dominum, benedicit & terra; & illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad veritatem. Laudant etiam Dracones Dominum, quia natura eorum, & species cùm videtur, non minimum vel decoris offundit, vel in esse rationis ostendit.

EPIPHANIVS in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum.

Illas verò præstigias quis non statim abijciat, atque contemnat, dicente Origene de aquis, quæ super firmamentum sunt, non esse aquas; sed fortitudines quasdam Angelicæ potestatis: & rursum aquas, quæ super Terram sunt, hoc est, sub firmamento, esse virtutes contrarias, idest, Dæmones? Et quomodo legimus, in Diluuio apertas cataractas Cœli, & aquas inundasse Diluuij? Vnde aperti sunt fontes abyssi, & totus Mundus opertus est aquis? Gen. 7.

AVGVSTINVS de Ciuitate Dei, libro vndecimo, capite trigesimo-quarto, hanc memorat opinionem, dicens.

Quanquam nonnulli putauerint aquarum nomine significatos quodammodo populos Angelorum; & hoc esse, quod dictum est; Fiat firmamentum inter aquam & aquam; vt supra firmamentum, Angeli intelligantur; infra verò, vel aquæ istæ visibiles, vel malorum Angelorum multitudo, vel omnium hominum gentes. Quod si ita est, non illic apparet, vbi facti sunt Angeli, sed vbi discreti.

Sed egregiè quoque eam reijcit: nam cùm aquas super Cœlos collocatas naturales esse posse demonstrasset, his concludit.

Et si auctoritati eiusdem Scripturæ subditi essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse censerent.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim capite primo.

Quidam altioris cupidi scientiæ, ad allegorias confugiunt, dicentes, sub dictione Aquas, intelligendas esse spirituales virtutes. Quasdam esse potiores, præstantioresque, & versari in supremis locis. Et ob id dici à Psalte regio; Laudate Deum aquæ, quæ sunt supra Cœlum. Alias aquas esse deteriores & terrestres, quæ salo & arenis æstuantes, & furentes, dicantur Maria. At nos ista ceu nugas, & aniles fabulas, deliramentaque explodimus. Quamuis aquæ, quæ sunt supra Cœlum, laudibus ferre Deum prædicentur: non tamen nos credere oportet aquas esse creaturam ratione præditam: siquidem nec Cœli animati sunt, licet Scriptura testetur eos enarrare gloriam Dei. Nec firmamentum animal esse credendum est, etsi (vt docet Scriptura) opus manuum eius annunciet. Scimus, vt indicat Scriptura, rorem, pruinam, frigus, & æstum, laudare opificem. Verùm alia ratione, quàm nos præsumimus, Creatorem laudibus vehunt. Ratio mirabilis, quæ in his animaduertitur à Sapientibus viris, si probè fuerit intellecta, & percepta, homines eò impellit, vt Creatorem laudibus cohonestent. Quid? An non aquæ, quæ ex terra scaturiunt, Serpentes, & omnes abyssi laudibus illum condecorant? Quare igitur abyssus deteriorum aquarum à vobis recepta est, eamque dicitis commendare Deum? Nullam igitur prærogatiuam aquæ spirituales (vt dicitis) præ sensilibus habent, cùm & hæ, non secus vt spirituales, laudibus Deum concelebrent. Et illud insigne mendatium est, quòd interpretantur Cœlos esse intelligibiles virtutes & potentias, & firmamentum significare tradunt practicas virtutes. Psal. 18.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Aquę supernę, Angeli; Infernæ verò, corporearum rerum materies.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite vigesimotertio, eleganter hanc eandem sententiam elidit Scripturæ locis interpretatis.

Psal. 103. *Alij nanque quod dictum est. Qui tegis aquis superiora eius, sic accipiunt, ut dicant; Superiora Cæli iuxta Genesim ab aquis teguntur, aquas super firmamentum positas esse dicit, quas Angelorum multitudines in-*
Psal. 148. *telligimus, iuxta illud; Et aquæ quæ super Cęlos sunt, laudent nomen Domini. Verùm si hoc voluit Citharædus, præcentor ille laudum, Deum laudans de Cœlis, laudans eum in excelsis, cur dicturus, & aquæ quæ su-*
Dan. 3. *per Cœlos sunt, laudent nomen Domini præmisit; Laudate eum omnes: Angeli eius? Vniuersaliter nanque dicendo, laudate eum omnes, neminem Angelorum eius excepit: & proinde superfluè repetisset, dicendo; Et aquę quæ super Cœlos sunt, laudent nomen domini: si aquarum nomine, multitudines Angelorum voluit intelligi. Item & in Hymno trium puerorum, cùm dicitur primò; Benedicite Angeli Domini Domino: & deinde; Benedicite Cęli Domino, benedicite aquæ omnes, quæ super Cęlos sunt, Domino: profectò nomine aquarum aliud quàm Angelos Scriptura cogit intelligi. Præterea si aquarum nomine, quę sunt super firmamentū, intelligi oportet Angelos, quomodo, vel in quo huiusmodi aquæ, diuisæ sunt ab his, quæ sunt sub firmamento? Nempe istæ sunt, de quibus postmodum dicit Deus; congregentur aquæ, quæ sunt sub firmamento, inlocum vnum; & appareat arida &c. Quomodo ergo ab istis aquis Angeli diuisi sunt? Denique ab illis potius, qui reprobi facti sunt, spiritibus diuisi sunt, vtpote Angeli lucis ab Angelis tenebrarum.*

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesimaoctaua, articulo secūdo. *Origenes enim dicit, quòd aquæ illæ quæ super Cęlos sunt, sunt spirituales substantiæ. Vnde in Psalmo centesimo quadragesimo octauo dicitur; Aquæ quę super Cœlos sunt, laudent nomen Domini. Et Daniel tertio; Benedicite aquæ omnes, quæ super Cęlos sunt &c. Sed ad hoc respondet Basilius in tertio examine, quòd hoc non dicitur, eo quòd aquæ sint rationales creaturę, sed quia consideratio earum prudenter à sensu habentibus contemplata, glorificationem perficit Creatoris: vnde ibidem dicitur idem de igne, & grandine, & huiusmodi; de quibus constat, quòd non sunt rationales creaturę.*

Vielmius Lectione decimaquarta, eam ipsam memorauit sententiam.

Hos adduxi Patres, non tantùm vt hanc referrem Origenis, & Apollinarij opinationem, sed vt simul præfatorum Patrum præstantissimorum doctrina eam reijcerem, prout satis reiectam esse arbitror.

a. *Aquæ supernæ Angeli; Infernæ verò corporearum rerum materies.*

NYSSENVS qui Cęlum igneum esse astruit, molle, & permeabile, adeò vt aquas superferri possibile non esset, aquarum superarum nomine, ipse quoque Angelos interpretatus est, inferarum verò Materies ea, seu massa incongesta, ex qua elicienda essent tria reliqua elementa, & rerum genera corporearum. Habet igitur libro de Historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est. Hoc primum argumentum Cùm Moses æquiuocis verbis non utatur, sicut per aquas illas, super quas ferebatur Spiritus, Angelica natura est intelligenda; ita & nunc aquarum nomine ipsamet est capienda. Audiamus ipsum.

Enimuerò, vt plenius à nobis quod sentimus, atque censemus, exponatur, breuiter sententiam eorum, quæ dicta sunt, repetamus; nempe firmamentum, quod Cęlum cognominatur, confinium sensibilis esse creaturæ: nam illud deinceps excipit ea, quę cogitatione percipitur, creatura: in qua non species, non magnitudo, non in loco positio, non interuallorum, & spatiorum mensura, non calor, non figura, non quantitas, non aliud quicquam eorum, quę sub Cęlo conspiciuntur.

Et post, cùm abyssi nomine Potestates, quæ à Deo desciuerant, intelligendas non esse, sed aquarum multitudinem contendisset; adiecit.

Quum autem de separatione aquarum, quæ per firmamentum facta sit, à Scriptura doceor, non præter rationem

rationem probabilem,& nominis significationem mihi facturus esse videor, si de aqua separationem intelligam, vt diuersam vtriusque esse naturam putem; atque persuasum habeam, vnam quidem,quæ in sublime feratur, leuisque,atque adeo leuitate ignis leuior,& agilior sit,vt supra calidam naturam manens,neque cum motu infra se positi vnà transferatur,neque calore ad contrarium ordinem traducatur: sed & ipsa maneat expers diminutionis, neque subtercurrenti igni vllum per se transitum det:(qui enim fieri possit, vti id quod materiæ est expers, materiali locus sit?) alteram autem aquam hanc esse,cuius naturam, & oculis, & tactu, & gustatu cognoscimus: nam quę & deorsum fertur, & clara, perlucidaque esse conspicitur, & gustatu per insitam qualitatem cognoscitur, eam ad aliquem alium intellectum transferre natura eius,quod cognoscitur, non cogit. Illam verò, quæ dicitur aqua,quæ neque videtur,neque fluitat,neque aliquibus terminis omninò continetur, quibus humida natura coërceri solet, sed quum extra locũ est,tum cùm nulla, quæ sensu iudicatur, qualitate commixta,atque concreta est,non opinor aliquem fore ex ijs,qui ad iudicandum meditati accesserint,propterea quod, & spiritum Dei super eam ferri, & super Cęlos eam esse,& extra omnia,quæ per sensus cognoscuntur, manere eam credat, qui non ad eam,quæ cogitatione percipitur,naturam opinione propendens, aliquid alius atque communem hanc aquam esse intelligat. Hoc enim ex ijs, quæ excussimus animo ac mente concepimus,quòd quicquid mouetur,intra eam,quæ cogitatione percipitur,naturam coërceatur,& circa sese conuersionem habeat:Terminus item ijs,quę mouentur, extremitas eius naturæ sit, quæ spatijs & interuallis subiacet. Vltra quam extremitatem,ea quæ cogitatione percipitur,& dimensionis est expers, ab omnibus localibus, & interuallaribus proprietatibus vacua ac pura reperitur natura. Extremam igitur oram sensibilis naturæ, vltra quam nihil tale est,quale inter ea,quæ apparent,agnoscitur, eam dicimus nomine firmamenti significari, confirmante nobis opinionem Scriptura, quæ dicit; Diuisit Deus aquam,quæ erat sub firmamento. Ostenditur enim per hæc,quòd nec ab initio quidem hæc cum illa aqua commixta esset: sed in communione nominum insociabilis esset natura: quum non dicat,quæ facta est subter, aut supra firmamentum, sed quæ erat subter firmamentum, & quæ erat supra firmamentum. Quòd si vna quidem statim in caligine ad inferum situm repulsa erat: altera verò non in caligine,(in lumine enim prorsus est,quod in spiritu Dei est,& à caligine remotum, ac separatum est:) simul autem etiam supra id, quod interim creatum est, firmamentum erat: iudicet intelligens, & doctus auditor, nunquid oratio nostra in ijs, quæ dicta sunt, à conuenienti, atque consentanea opinione, atque coniectura aberrauerit.

Et post plura aquas naturales super Cœlum considere non posse, his demonstrare enititur.

Enimuerò non intempestiuum esse mihi videtur, rursus mentionem facere super cęlestium aquarum. Nam si hic necessariò terra ad recipiendas aquas figuratur veluti sinibus quibusdam fluitationem earum coërcens, & sua firmitudine,atque stabilitate,instabili aquarum naturæ, stabilitatem,& locum consistendi præbens: qui fit,vt aqua,quæ supra est (siquidem re vera aqua est) consistit quidem in eo, quod instabile,& vagum est: diffusionis autem, ac dissipationis expers in curuo, atque conuexo permanet? Nam si vnam ponimus, & eandem ambarum aquarum esse naturam: omninò necesse est,vt ea, quæ de hac dicimus, in illa quoque ita se habere putemus. Ergo dorsa Cæli ad similitudinem eorum, quæ in terra fiunt, finduntur in alueos,& fossas, & ad distantias rupium,ac pręcipitiorum in conualles,& voragines excauantur,vt in concauitatibus aqua contineatur. Quid igitur dicemus,cùm Poli conuersio, quæ in orbem, circumque fertur,ad inferam partem detulerit id,quod nunc supra est; nunquid opercula quædam circulis excogitabimus, ne aqua dependens è suis concauitatibus effluat? Verùm ignis,inquit,vi consumptrice pręditus est: itaque opus habet materia quadam,quæ flammam perpetuò alat, ne penuria, atque inopia succedentis, & fouentis, ipse circa se consumptus deficiat, & extinguatur.

Amplius vt rationem eã,qua alij aquas super astra locatas contendebant, ex eo quod ignis maxima vi consumptrice præditus sit, ob idque opus habeat materia, quæ flammam perpetuò alat, ne penuria ipse consumptus deficiat, vt eam (inquam) rationem confutet,longiori oratione prosequitur plura de absumptione, atque transmutatione elementorum, quæ inuicem naturaliter fit, edisserere, ex naturaque elementi aquam supra ignem consistere non posse, nititur omni conatu demonstrare.

HIERONYMVS Commentarijs in Psalmum centesimum tertium, in ea verba; Qui tegis aquis superiora eius, hæc effatur.

Superiora Cœli iuxta Genesim ab aquis teguntur: quia aquas super firmamentum positas dicit, multitudinem Angelorum intelligimus: iuxta illud; Aquæ, quæ super Cœlos sunt,laudent nomen Domini. Psal. 148.

AVGVSTINVS Confessionum libro decimotertio, capite trigesimo secundo, hanc amplecti visus est, dicens.

Videmus firmamentum Cęli, siue inter spiritales aquas superiores,& corporales inferiores, primarium corpus Mundi: siue hoc spatium aëris, quia & hoc vocatur Cęlum, per quod vagantur volatilia Cæli inter aquas,quæ vaporaliter ei superferuntur,& serenis etiam noctibus rorant,& has quæ in terris graues fluitant.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Aquæ superæ inuisibilium; Inferæ visibilium materies.*

GLOSSA Interlinearis.

Aquas, idest populos Angelorum, qui non indigent firmamento Scripturæ.

Sed hæc moralem expositionem redolere conuincuntur.

Vt de Patrum horum sententijs sententiam feram, Hieronymus mysticum sensum, & non literalem eo loco detulit, quemadmodum ex ijs, quæ post habebimus, manifestabitur. D. Augustinus, quod libro tertiodecimo Confessionum dixerat, Retractationum libro secundo, vt in ardua re non bene diffinitum correxit, & retractauit. Nyssenus verò certè aliud asserere non potuit, si dispositionem mundanæ machinæ quam protulit, prosequi eum non pœnituit. Nam si igneum est Cœlum, vt ipse arbitratur, labile ac tenue certè est, & aquas sua natura ferre nequit. Præterea si firmamentum ora illa, seu terminus Mundi sensilis existit, quo omnia corporea, vt ipse autumat, concluduntur, profectò extra Mundum aquæ elabi, atque effluere non possunt. Cogitur itaque Nyssenus ex sua Mundi structura per aquas superas Angelos interpretari. Quæ certè eius Mundi dispositio, quamuis iuxta naturalia, ac præcipuè Platonica placita, præstantissima sit, à Mosis tamen litera longe abscedit, atque cum his, quæ Moses tradit, minimè conuenire perspicitur.

Cap. 6.

a. *Aquæ superæ inuisibilium; Inferæ visibilium materies.*

A præfata sententia hæc altera interpretatio parum dissona est, quę aquarum seiunctione, Inuisibilium, atque Visibilium materiei disgregationem venire, arbitratur.

AVGVSTINVS hanc insinuasse visus est de Genesi imperfecto, capite octauo.

Et dixit Deus; Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit diuidens inter aquam & aquam. Et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, & diuisit inter aquam, quæ erat sub firmamento, & inter aquam, quæ erat supra firmamentum. Vtrum aquæ tales sint supra firmamentum, quales sub firmamento istæ visibiles: an quia illam aquam videtur significare, supra quam spiritus ferebatur, & eam intelligebamus esse ipsam Mundi materiam, hæc etiam hoc loco firmamento interposito discreta credenda est, vt inferior sit materia corporalis, superior animalis? hoc enim firmamentum dicit, quod Cœlum postea vocauit. Cœlesti autem corpore nihil est in corporibus melius. Alia quippe corpora cœlestia, alia terrestria. Et vtique cęlestia meliora, quorum naturam quicquid transit, nescio quemadmodum iam corpus possit vocari. Sed est fortasse vis quædam subiecta rationi, qua ratione Deus, veritasque cognoscitur: quę natura, quia formabilis est virtute, atque prudentia, cuius vigore cohibetur eius fluctuatio, atque constringitur, & obiectio quasi materialis apparet, rectè aqua diuinitus appellata est, non locorum spatio, sed meritò naturæ in corpore Cęli incorporei ambitum excedens. Et quoniam Cęlum firmamentum vocauit, non absurdè intelligitur, quicquid infra æthereum Cęlum est, in quo pacata, atque firmata sunt omnia, mutabilius esse, & dissolubilius. Quod genus corporalis materiæ ante acceptam speciem, distinctionemque formarum, à qua firmamentum nominatum est.

Et de Genesi contra Manichæos libro primo, capite vndecimo.

Et dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit diuisio inter aquam & aquam: & sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, & diuisit Deus inter aquam, quæ est super firmamentum, & inter aquam, quæ est sub firmamento: & vocauit Deus firmamentum Cęlum: & vidit Deus, quia bonum est. Hæc non memini Manichæos reprehendere solere: tamen quòd diuersæ sunt aquæ, vt aliæ essent super firmamentum, & aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo sub firmamento Cęli materiam corporalem rerum visibilium, ab illa incorporali rerum inuisibilium fuisse discretam. Cùm enim Cælum sit corpus pulcherrimum, omnis inuisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem Cęli: & ideo fortasse super Cęlum esse dicuntur aquæ inuisibiles, quæ à paucis intelliguntur, non locorum sedibus, sed dignitate naturæ

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Aquæ supernæ, beatorum Regia inter Empyreum, & Cœlum astrigerum posita: Aquæ infernæ, res sensibiles.*

turæ superare Cœlum: quanquam de hac re nihil temerè assirmandum est. Obscura est enim, & remota à sensibus hominum. Sed quoquo modo se habeant, antequam intelligatur, credenda est.

D. THOMAS hanc Augustini sententiam memorat prima parte, quæstione sexagesima octaua, articulo secundo.

Posito etiam, quòd firmamentum sit alterius naturę præter quatuor elementa, adhuc potest dici, quòd aquas diuidit, si per aquam non elementum aquæ, sed materiam informem corporum intelligamus, vt Augustinus dicit supra Genesim ad literam contra Manichæos; quia secundum hoc, quicquid est inter corpora, diuidit aquas ab aquis.

Num autē D. Thomas sit D. Augustini mentē apprimè consecutus, ambigi potest. D. Augustinus siquidē discretionem effectam esse inter materiem visibilium, & inuisibilium, seu intelligibilium, & sensilium, siue Angeli, & corpore deuinctarum rerum testatur. D. autem Thomas eam tantū inter corpori addictarum rerum informem materiem effectam autumat: sed de hoc tuum ingenue lector esto iudicium. Cæterum hanc Augustinianam interpretationem, ut arduam & difficilem dimittamus.

a. *Aquæ supernæ, beatorum Regia inter Empyreum, et Cœlum astrigerum sita: Aquæ infernæ, res sensibiles.*

GVILIELMVS Parisiēsis primæ partis de Vniuerso prima parte, peregrinam nobis detulit interpretationem. Primùm enim capite trigesimo quarto cùm aquarum nomine totam massam seu molē aqueam à terra ad Empyreum se extendentem interpretatus esset, & post trigesimo octauo capite ex illis aquis effectū firmamētū, hoc est Cœlum, non in naturam crystalli conflatum, sed in quintam quandam essentiā redactum tradidisset: in capite trigesimo nono disertissimè probat, aquas illas supercęlestes ibi non reseruatas fuisse naturales, nec propter Diluuium, nec propter irrorationes pluuiarum, sed ex illis aquis congestam fuisse regionem quandam æthereā perlucidam pro sede Beatorum: hisque hanc suam explicat sententiam.

Reuertar igitur ad id in quo eram, & dicam, quoniam aquæ, quę super Cœlos nouem sunt, non sunt ibi in forma aquarum, quæ apud nos sunt; sed ex eis regio illa, quæ Cęlo Empyreo circumtegitur, sic facta est; vt sit amæna & salubris, & per omnem modum apta habitatio glorificandis hominibus, conueniensq; vitę, immortalitati, & impassibilitati eorundem; sic quibusdam fortè videatur. Tu enim non ignoras, quòd pisces in aquis viuunt, & in aëre viuere non possunt, sed in aqua est vita eorum, atque salutio. Econtrariò autem se habet in hominibus, qui non possunt viuere in aquis, sed in aëre solummodò. Sic nempe est regionem superiorum aquarum sic præparatam esse, & aptatam, prout requirit salubritas immortalitatis, & incorruptionis futuræ post resurrectionem mortuorum. Conuenientius enim videtur, vt sit regio illa siue habitatio hominum beatitudine illa futura glorificandorum, quàm ipsa substantia Cœli Empyrei, vt quidam forsitan opinantur: eius enim soliditatis est Cœlum Empyreum, vt spirationi, & respirationi deseruire non possit. Quare si spirabitur, & respirabitur in illa vita beatitudinis ab hominibus, habitatio illa inter Cęlum nonum, & Empyreū, sola conueniens videtur statui beatitudinis illius. Amplius. Pulchritudo illa, & splendor Empyrei Cœli, magis digna est conspici, quàm calcari. Super Empyreum autem Cœlum non est locus, & propter hoc neque habitatio. Amplius. Cùm Cęlum illud tectum sit totius Mundi; non conuenit, vt subsit pellibus habitantium; immo potius debet patere aspectibus eorum, & supereminere capitibus. Quare manifestum est aquas illas vel iam versas esse in corpus, quale dixi; vel saltem eo tempore vertendas, quo homines beatificandi in sublime beatitudinis transferendi sunt. Tantò autem maioris puritatis corpus est, quod ex illis factum est vel prædicto tempore faciendum, quàm alia elementa, quantò aquæ illæ puriores fuisse alijs aquis æstimandæ sunt. Quapropter longè purius isto aëre quem inhabitamus, & insuper quanto corpora nostra in statu glorię illius nobiliori habitatione digna erunt: quàm sunt in statu mortalitatis, & miseriæ præsentis. Siquis autem quærat,

Anno Mũdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. Aquæ superæ, crystallinum Cælum; Inferæ vero, Saturni orbis.
b. Vel, Aquæ superiores, Cœlum crystallinum, inferiores verò Elementa, seù materies ea incongesta, ex qua educenda erant cuncta corporea, seù aqua.

rat: propter quid tacuit de vtilitate aquarum illarum, vel de generatione, quæ de eis, vel facta est iam, vel facienda? Respondeo tibi, quia genti Hebræorum sic loqui debuit lex, & legislator, vt & intelligere possent, & crederent narrationibus illius. Non enim solummodo breuis erant intelligentiæ: immo innutriti idolatrijs, & imbuti erroribus: propter quod nec de creatione Angelorum, nec de resurrectione mortuorum, nec de multis alijs secretis mentionem eis expressam facere voluit: facillimi enim erant ea repellere, quæ non intelligerent, aut caperent: propter quod insonuit illud antiquum Prouerbium apud eos; Locuta est lex lingua hominum.

Nemo (quod viderim) hanc prosequutus est inexcogitatam sententiã, de qua quid proferam nescio, adeo siquidem peregrina est, vt potius oblectationis gratia audienda sit, quàm sedata mente lubenter consectanda.

a. *Aquæ superæ, crystallinum Cœlum; Inferæ vero, Saturni orbis.*

Placuit nonnullis ea sententia, quæ per firmamẽtum in medio aquarũ octauã sphæram astris innumeris venustatam interpretatur, atque in medio crystallini superioris Cœli, & Saturni inferioris extare peribet.

HAMERVS inter cæteros Commentatione in Genesim hanc sententiam recte explicat dicens.

Sunt etiam qui ab Astronomia intellectum mutuentur. Interpretantur enim firmamentum hoc octauam sphæram, innumeris stellarum facibus aptam. Hæc à Græcis vocatur aplanes, à Latinis inerratica. Media hæc est inter duas aquas, inter nonum orbem, & septimum. Nonam sphæram appellant Cœlum crystallinum, quòd in modum glaciei clarum sit, & pellucidum. Saturni sydus imprimis aquarum nomine censetur: Vnde & Lucanus libro decimo Pharsaliæ inquit.

Frigida Saturno glacies, & Zona niualis
Cessit.

Positum est ergo firmamentum hoc, quod diuidit inter Cælum crystallinum & Saturnum, tanquam inter aquas & aquas. Et hæc interpretatio recentiorum est, qui magis Astrologicè locum hunc, quàm Theologicè interpretantur.

Interpretatio hæc coincidit ferè cũ altera sequẽti, adeò vt ferè sub eius iudicio cadat.

b. *Aquæ superiores, Cœlum crystallinum, inferiores Elementa, seù materies ex qua depromenda erant cuncta corporea, seù aqua.*

In hanc sententiam abeunt ferè omnes Scholastici; Aquarum enim superiorum nomine hi omnes nonum Cœlum, metaphorice quod instellare seù crystallinum, seù aqueum, seù primum mobile appellant, conformiter interpretantur: inferiorum verò, alij elementa ipsa in eo Chaos commista, alij rudem eam massam, ex qua eliciendæ erant res omnes corporeæ, alij aquas ipsas intelligunt.

D. THOMAS qui sæpe inter diuersas interpretationes ita ludit, vt fere, quæ illi sit probatior, & acceptior conspicere nõ possimus, adeò attamen quintam Aristotelicam essentiam celebrat, vt in hanc cadat expositionem. Nam primò in Quæstionibus disputatis, quæstione quarta, ad quintum, cùm prolixiùs per aquas eas supercęlestes non Angelos, nec aëreas impressiones, nec naturales aquas capiendas esse demonstrasset, adiecit.

Videtur dicendum, quòd Scripturæ veritas ab omni calumnia defendatur, vt dicamus, quòd aquæ illæ non sint de natura harum aquarum elementarium, sed sunt de natura quintæ essentiæ, habentes communem cum nostris aquis diaphaneitatem, sicut & Cęlum Empyreum cum nostro igne communem splendorem. Et has aquas quidam vocant Cęlum crystallinum, non quia sit de aqua congelata in modum crystalli, quia vt dicit Basilius in Hexæmeron, puerilis dementię, & insipientis mentis est, talem de cęlestibus capere opinionem, sed propter illius

illius Cœli soliditatem, sicut & de omnibus Cęlis dicitur Iob trigesimo septimo, quòd solidissimi quasi ære fusi sint: & hoc Cœlum etiam ab Astrologis ponitur nona sphæra; Vnde nec Augustinus aliquam de præmissis expositionibus asserit, sed sub dubitatione dimittit dicens in eodem libro, Quomodo, & quales aquæ ibi sint, esse ibi eas minimè dubitemus: maior est quippè Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Et in Scriptis secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, quæstione prima, post nonnullas refutatas sententias adiungit.

Sed tamen melius possumus dicere, quòd intelligatur de firmamento, quod est Cœlum sydereum, supra quod sunt aquæ, non quidem de natura huius aquæ, quæ apud nos est, sed de natura quintæ essentiæ, habentes similitudinem cum hac aqua, ratione cuius nomen aquæ Scriptura eis attribuit, occulta per sensibilia nota manifestans. Hæc autem similitudo non potest attendi in se secundum lucidum, & diaphanum, in quibus inferiora corpora conueniunt cum cœlestibus, ut in secundo de Anima dicitur. Et ideo sicut Cœlum Empyreum dicitur, quod est simile igni in hoc, quod est lucidũ totum, ita etiam Cęlum crystallinum, vel aqueum dicitur, inquantum conuenit cum aqua in hoc, quòd est diaphanum, siue quòd sit aliqua pars eius lucens sicut est in Cęlo sydereo, cuius quædam partes lucent scilicet stellæ, & aliqua pars est diaphana. Huic etiam videtur consonare, quod supra dixerat Magister, quòd per aquas intelligitur prima materia: de cuius subtiliori parte factæ sunt aquæ, quæ super Cœlos sunt: vt sic non cogamur ponere aquas elementum supra Cœlos esse. Hoc autem Cœlum aqueum est nona sphæra, ad quam primò reducunt Astrologi motum orbis signorum communem omnibus stellis, qui est de Occidente in Orientem: & iterum sphæram decimam, ad quam reducunt motum diurnum: qui est de Oriente in Occidente.

Cæterum in Summa (quæ postremum est, vt Thomistæ referunt, eius testamentũ) non adeò facilè permotus est, vt rapido pede in hanc sententiã iret. Verùm plures enumerans expositiones hanc non reticuit.

Si autem per firmamentum intelligatur Cęlum sydereum, quod non sit de natura quatuor elementorum, tunc & aquæ illæ, quæ sunt supra firmamentum, non erant de natura elementarium aquarum. Sed sicut secundum Strabũ, dicitur Cęlum Empyreum, idest igneũ, propter Solis splendorem, ita dicitur aliud Cœlum aqueum, propter solam diaphaneitatem, quod est supra Cœlum sydereum.

ALEXANDER Halensis parte secunda, quæstione quinquagesima, membro primo, disceptans, an supra firmamentum sint aquæ, hanc ferè resolutionem tradit. His nanque prolixa eius sententia colligitur.

Aquas supra firmamentum esse opinio tantùm est: nec certi, determinatiue quidquam habetur. Quare & ibidem nos eas affirmabimus; non tamen sub quacunque proprietate, sed sub ratione perspicui, & lucidi: adeò vt Cęlum aqueum, vel crystallinum, dicamus esse ex luce, & perspicuitate naturali, sicut ex complemento sui.

D. BONAVENTVRA Sententiarum secundo, distinctione quartadecima, articulo primo, quæstione prima, cùm eam reiecisset sententiam, quæ firmamentũ aërem esse, & supernas aquas pluuiales, inferas verò aquas labẽtes exponebat, eo quòd à litera recedat, quæ stellas in firmamento positas clarè attestatur: Alteram quin etiam confutasset assertionem, quæ firmamentum Cœlum astriferum, aquas naturales tùm supra deferens, tùm subtus concludens, extare tradebat, eo quia impossibilitatem inducat, interrupto perfectionis, dignitatisque ordine, qui elementum aquarum minus nobile super corpora cœlestia præstantissima efferri minimè patitur, adiecit.

Et ideò est tertius modus dicendi, quòd supra firmamentum (sicut dicit Scriptura) sunt aquæ, quæ tamen non habent naturam, & speciem aquæ elementi: censentur tamen aquæ nomine propter conuenientiam in aliqua proprietate. Vnde notandum est, quòd aqua ista tres habet proprietates: habet enim perspicuitatem, habet frigiditatem, habet nihilominus grauitatem. Quantum ad naturam perspicuitatis, hæ aquæ, & illæ conueniunt; eo quòd habent naturam receptiuam luminis, & quodammodo retentiuam, sicut experimento patet in aliquibus lapidibus, qui de nocte non videntur per se, nisi ponantur in aqua. Quantum autem ad naturam grauitatis simpliciter differunt. Illæ enim aquæ nullo modo sunt graues, nec appetunt deorsum. Quantum verò ad naturam frigiditatis, partim conueniunt, partim differunt. Conueniunt enim in hoc, quòd vtræque sunt frigidæ effectiuè: differunt autem in hoc, quòd istæ sunt frigidæ formaliter, illæ verò minimè. Et secundum hoc patet, quòd nomen aquæ tripliciter accipitur in primaria rerum distinctione. Aliquando pro informi materia, vt ibi; Spiritus Domini, &c. Aliquando pro natura transparenti, & luminis retentiua, vt ibi; Fiat firmamentum in medio aquarum. Aliquando pro ipso elemento aqueo, vt ibi; Congregentur aquæ in locum vnum. Et sic patet, quòd supra firmamentum verè sunt aquæ, sicut dicit Scriptura, & auctoritates Sanctorũ: quia illud intendunt persuadere. Patet etiam, quòd non sunt ibi aquæ elementares, siue eiusdem naturæ, cuius sunt aquę istæ, nec quantum ad corruptibilitatem, nec quantum ad grauitatem, nec quantum ad ignobilitatem, nec quantum ad grossitiem, nec quantum ad transfundendi possibilitatem, sicut ostendunt rationes ad oppositum

situm adductæ. Hanc autem viam tertiam satis sustinere possumus probabiliter, cùm nihil videatur sibi obuiare. Hoc autem præcipuè attendendum est; ne incerta materia aliquid certitudinaliter asseratur: melius est enim piè dubitare, quàm aliquid temerariè diffinire.

IVDOCVS Clichtouæus Commẽtarijs in caput sextum secundi libri de Fide Ioan. Damasceni: cùm eam exposuisset sentẽtiã, quæ per aquas supercœlestes impressiones aëreas intelligit, & alterã, quæ aquas perspicuas supra sydera collocat, & tertiam, quæ aquarum cœlestium nomine Cęlum crystallinum ob perspicuitatem, & claritatem nuncupatum aquam, capit, de his iudicium hoc tulit.

Enimuerò horum trium propositorum, primum rectè dici non posse videtur. Nam Genesis primum caput refert stellas positas esse in firmamento. Nullæ autem sunt stellæ in ima parte aëris, in qua diuersamur: Quare nomine firmamenti videtur Cœlum sydereum intelligendum. Neque secundum itidem vsquequaque verum censetur. Nam aquis natura competit grauitas, densitas, frigiditas, fluxibilitas, & motus deorsum: quæ omnia si aquis illis conueniũt, deberent deorsum tendere, aut ibi perpetuò detineri violentè, quod rectæ Mũdi ordinationi prorsus repugnat. Quare tertiæ potius accedendum est sententiæ, asserenti scilicet aquarum nomine super Cœlos existentium, ipsum Cęlum firmamento supereminens, ac illud ambiens intelligi debere.

Postillatores, & ipsi abeunt in eandem interpretationem.

LYRANVS tùm in prima, tum in secunda expositione: nam in prima hæc habet.

Ex quibus patet, quòd firmamentum, prout includit sphæram septem Planetarum, medium est inter Cœlum crystallinum, & elementa, quæ nomine aquarum designantur, vt prędictum est. Et hoc est, quod dicitur; Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis, idest Cœlum crystallinum ab elementis.

Et post. *Diuisitque aquas &c. Hic aquę dicuntur æquiuocè, vt patet ex prædictis, quia istæ, quæ sunt super firmamentum, sunt de natura cœlesti: illæ autem, quæ sunt sub firmamento, de natura elementari.*

In altera. *Fiat firmamentum in medio aquarum. Istud fieri hic accipitur quantum ad formam substantialem, quia de vna parte materiæ prius productæ sub forma communi, factum est firmamentum secundum formam specificam Cœli syderei. In qua productione intelliguntur etiam producti Orbes septem Plantarum, qui sub nomine firmamenti comprehenduntur. De parte autem superiori illius materiæ communis, factum est Cęlum crystallinum, quantum ad formam substantialem secunda die, sicut de firmamento dictum est. Et significatur per aquas quæ sunt super firmamentum propter conuenientiam cum aqua, vt prædictum est. Sub firmamento autem, prout comprehendit Orbes septem Planetarum, remansit materia communis, ex qua facta sunt elementa tertia die: quę materia designatur nomine aquæ, vt prædictum est. Et sic patet quomodo secunda die factum est firmamentum in medio aquarum; idest, inter Cęlum crystallinum, & materiam elementorum: & sic patet litera.*

TOSTATVS pariter in prima.

Diuisit Deus aquas, quæ sunt super firmamentum; Idest, Cœlum crystallinum, quod vocatur æquiuocè aqua: Ab his, quæ sub firmamento: quæ sunt aquæ elementales.

Et post in postrema.

In medio aquarum. Idest inter Cœlum crystallinum, quod vocatur nomine aquarum: & aquas inferiores, quæ sunt aquæ elementales: vel omnia elementa, quæ tunc vocabantur aquæ propter habilitatem ad faciendum ex illa materia aliquid; sicut aqua magnæ passibilitatis est apta, vt ex ea aliquid fiat per aliquam condensationem: & manserunt istæ aquæ informes vsque ad tertiam diem, in quo omnibus elementis formæ datæ fuerunt. Cœlum autem crystallinum dicitur à similitudine crystalli; quia crystallus de riuibus facta est; & lucida est. Sic Cęlum crystallinum de aquis gelidis & densis factum est. Sed non est intelligendum, quòd illæ aquæ sint similes istis elementalibus in specie, quia incorruptibiles sunt, & de materia subtili; sed quia illa materia sic lucida est, & transparens, assimilata crystallo transparenti, vel aquis gelidis.

Prosequiturque Tostatus duo declarare, primũ aquas illas, vt non elementares congelari, & rarefieri nequire. Deinde illas esse Cœlum illud primum, quod vigintiquatuor horis rapitur, nec ex impetuosissima illa motione calefieri posse, & consumi, densiorisque & clarioris esse substantiæ super omnia corpora, atque ob eius vniformitatem cærulei esse coloris, & vix ad Ptolomæi tempora fuisse compertum.

CAIETANVS in Genesim, capite primo.

Appellatur autem primum mobile aqua, eo quòd est naturæ puræ ac perspicuæ sicut aqua. Et appellantur aquæ in numero plurali, quia dictio Hebraica significans aquam, caret singulari.

CATHERINVS Cõmentarijs in Genesim, cùm nomine firmamenti, Cœlum astris inerrantibus decoratum significari explicasset subijcit.

Et diuisit aquas ab aquis. Nemo autem miretur nonam sphæram per aquas significari; quoniam iuxta Hebraicam dialectõ, cùm Cœli dicantur Schamaim, aquas significant. Sic enim exponunt eruditi Rabbinorum, Schamaim, idest, Ibi aquæ. Quod ergo dicitur; Et diuisit aquas ab aquis, interpretor per aquas citra vllam hæsitatio-

hæsitationem hoc in loco creaturas omnes Vniuersi ex illa materia conditas significari, quam & aquarum nomine superius appellauit Propheta, quæ quodammodo hoc firmamento, quod est ultimum nobis visibile, diuiditur. Diuidit enim quasi supramundanas creaturas, videlicet Cęlum ipsum aqueum, ab inferioribus quæ suis, idest, ipsius Cœli terminis concluduntur: & hunc nobis visibilem Mundum finiunt. Non sit autem cuiquam mirum, omnes creaturas vocari aquas, cùm & in Scripturis habeamus populos hoc verbo significari, & vocari, sicut declarauit Dilectus, dicens; Aquæ multæ populi multi. Et verè omnis creatura suæ conditione naturæ est veluti fluens aqua, instabilis, tumultuosa, insipida, quæ in malum, atque in nihilum tenderet, nisi contineretur, atque regeretur verbo virtutis Dei, & eius sapientia gubernaretur. Apoc. 17.

AEGIDIVS Hexæmeron secunda parte, capite quartodecimo, cùm pluribus de supra cœlestium aquarum natura disceptasset, ait.

Concludamus ergo, & dicamus, quòd cùm quæritur; quales, & cuius naturæ sunt illæ aquæ: possumus dicere, quòd sunt quinta essentia, & sunt naturæ cœlestis. Possunt tamen dici, propter aliquam similitudinem, glaciales, ratione soliditatis, quia aqua in glaciem conuersa, soliditatem acquirit. Vel possunt dici glaciales propter frigiditatem, quam habent, non formaliter, sed effectiuè: nam à quibusdam corporibus cœlestibus generatur hic calor, à quibusdam frigus: nam sic fecit Deus omnia in numero pondere, & mensura, vt esset in rebus ex diuersis proprietatibus, vel ex diuersis effectibus, quasi quidam proportionatus numerus, & quædam symphonia, vt sicut ex delito numero colorum, & ex delita proportione ipsorum fit pulchritudo: & sicut ex debita caliditate & frigiditate, & alijs proprietatibus debito numero & proportione coniunctis, resultat quoddam ligamentum, & quædam pulchritudo in ipsis elementis: iuxta illud Boetij;

Tu numeris elementa ligas, vt frigora flammis,
Arida conueniunt liquidis:

Sic in corporibus cœlestibus resultat effectiuè, vt illæ supercęlestes aquæ possint dici glaciales, quia fortè frigiditatem generant in istis inferioribus: & sicut illæ aquæ possunt dici glaciales ratione frigiditatis; sic possunt dici ponderosæ fluctuantes ratione humiditatis: nam humidum, & specialiter humidum ponderosum, cuius est humidum aqueum, non bene terminatur termino proprio; & ideò fluit, & fluctuat. Illæ ergo aquæ cęlestes possunt dici ponderosæ, & fluctuantes, non formaliter, sed effectiuè, quia forte habent humectare ista inferiora, quod humectare conuenit aquis fluentibus & ponderosis: nam sicut quædam corpora supercœlestia sunt effectiuè calida, quædam frigida; ita quædam sunt sicca, quædam humida. Tertio illæ aquæ cęlestes possunt dici vaporabiles, idest, raræ & tenues, ratione diaphanitatis: nam si sunt frigidæ & humidæ effectiuè, diaphanæ tamen sunt formaliter.

Burgensis in Additionibus Scholasticis assentit, aquasque superiores & inferiores nō æquiuocè, sed analogicè dici autumat; prosequiturq; D. Bonauenturæ doctrinam. Superioris sẽtentiæ fundamenta.

Comprobant pluribus hanc suam sententiā hi Doctores. Primùm sicut Cœlum, inquiunt, supernum Empyreum Beatorum sedes igneum nuncupatur, nō quia efferueat; sed quoniam emicet; pariter & Cœlum crystallinum aqueum appellatur, eò quòd perspicuitate simile aquis conspiciatur. Deinde aquæ, quas contestatur Scriptura super Cœlos considere, elementares esse nequeunt, tùm ex elementorum naturæ ratione, quandoquidẽ vt grauissime suo pondere ad terræ ambitum traherentur, nec super aërẽ, ignem, cęlestiaq; corpora consistere valerent, nisi perpetuum admitteremus, portentosum, superuacaneumque miraculum: tùm quia vt D. Thomas, & Durandus secundo Sententiarum, distinctione quartadecima produnt si aquæ elementares inter duos cœlestes globos collocarentur, possent vtique ex motu calefieri, laxari, ac rarefieri, atq; ita corrumpi, & exinde in aliud elementum transmutari. Quæ omnia cunctorum Philosophorum consensione supra Cœlos contingere non posse, euidentissimum, & exploratissimum est. Quid igitur aliud, aiunt hi, erunt aquæ supercęlestes præter ipsummet Cęlum primum, firmamentum, hoc est octauam sphæram ambiens, & includens? Metaphorice igitur locutus est Vates Moses, & egregie: Cęlum siquidem, vt perspicuum, ac vt glacies concretum, cum aquis ingenuam similitudinem ac proportionem gestat.

Cæterum hanc interpretationem Vielmius Lectione decimatertia, & decimaquarta, & Pererius Commentarijs in Genesim libro primo, omnesque nuperrimi Doctores vsque adeò validis rationibus, & probatis argumentationibus, reijciunt ac confutant, vt mihi compendiariam earum narrationem facere satis esse videatur. Primùm igitur inquiunt: Historiam texens Vates Moses voces in populari ac plana sua significatione capere debuit. Deinde Mosẽ in breuissima narratione tripliciter vocis Aquæ significationem variasse non est consentaneũ. Nam si per aquā materiẽ primò intelligi voluit, cùm dixit; Et Spiritus Domini ferebatur super aquas (vt ipsi interpretantur) Et post, crystal- Refellitur dicta sententia ex nuperis Doctoribus.

linum illud Cęlum, dum adiecit, Diuidat aquas; & subinde elementa, seù massam inconditam, ex qua elicienda ea essent, cùm subiungit; Ab aquis: & postremo aquas has diffluentes, cùm scripsit; Congregentur aquæ &c. Nonne auditores siue lectores illusit? quando non bis, sed ter, & quater eam ipsam vocem (nulla addita declaratione, qua sensũ mutare cognosceretur) ad diuersa intulit, & repetijt? Amplius, & amphibologia vsus est Vates, cùm in eodem contextu eandem vocem aquarũ (dicens, Diuidat aquas ab aquis) ad aquas metaphoricas, atque ad aquas naturales exprimendas adhibuit. Quo quid absurdius? Rursum nonne hæc est homogenei corporis dissecatio? Igitur, quales sunt aquæ terrestres, tales erant & cęlestes. Et quomodo diuisio illa secundo die fieri potuit, si iam ante omnem diem (vt ipsi autumant) corpora cęlestia condita erant super omne elementum? Adijcias, si aquæ nomen sumi metaphorice hoc loco his Doctoribus est admittendum, cur non cæteris etiam dandum erit, vt ipsi quoque voces eas, lux, nox, dies, vespere, mane, firmamentum, & quascunque alias, ad metaphoricos, & allegoricos sensus pro cuiusque arbitratu deflectant? Si Epiphanius, Hieronymus, Basilius, Ambrosius, Rupertus, erroneam Origenis interpretationẽ reputarũt, eò quod, vt inquit D. Hieronymus, allegorizet (quamuis allegoria ea non inuenusta esset, nec allegorizando historiæ veritatem conturbaret) cur hæc non importuna, indecens, incõgrua existimanda est, cùm metaphorizet, ac parabolizet? & non tantùm nitorem, sed veritatem historiæ perturbet, ac vehementer obscuret? Qua ratione euitabunt, ne vniuersa hæc Mosis de Mundi molimine Historia, perplexa, ambigua, obscura, dubiaq; à sapientibus existimetur? Sed vrgeamus fortius; Cùm aër sit magis rarus, & magis quàm aqua perspicuus, cur aquam potius quàm aërem Moses Cęlum illud supra firmamentum situm nuncupauit, cùm tamen propinquiorem cum aëre, quã cum aqua gerat cognationem? Deinde historiam contexuit Moses rudibus, ac ineruditis prorsus Hebræis, quare vt eorum imbecilli admodum captui eam aptaret, de his quæ sensu passim nõ patent, nil prodere ausus est. Quomodo igitur potuit hac inusitata metaphora, ac translatione nonum crystallinum Cęlum, eruditissimis vix cognitum, eis penitus inaspectabile, atque abditum significare, ac notificare? Eo magis hæc vrget ratio, quòd ea tempestate nonum Cęlum nulli erat, nec ipsi Mosi forte, compertum, cùm tantùm octo orbes omnis prisca ętas per plura secula post Mosem agnosceret, & uix Hipparcus & Ptolomæus post tot sæcula ipsum compererint, ac manifestarint. Verum quid asserent isti eximij nominis Doctores, quando supra octauam astrigeram sphæram non tantùm nonum, sed etiam decimum Cęlum, & vsque ad quartumdecimum ex nuperrimorum Astronomorum doctrina considere euincatur? Nunquid hæc orbium instellarium congeries aquarum supercęlestium nomine significari contendent? Nondum igitur determinata, ac diffinita erit huius vocis significatio? sed quis illis, vt ratum ac certum prodidit, nonum Cęlum conspicuum, perlucidumque esse, ac frigiditatem influere? Nam quòd Diaphanum, hoc est, perspicuum sit, ac crystallo simile, nec sensus percipit, quoniam supra ipsum nullum emicat lumen, nec ingenij vis eò pertingit, nec authoritas Philosophorum, seù Theologorum comprobat. Quòd etiam refrigerandi facultate polleat, haud compertum exploratumve esse duco.

PERERIVS siquidem eleganter hoc redarguit scribens.

Sed primò exponi debet, per quam vim & qualitatem Cęlum refrigeret, cùm non sit actu frigidum. Etenim Aristoteli, & Peripateticis stat, non aliter Cœlum agere in res sublunares, quàm per motum, & lumen: illa porrò uis refrigerandi, cùm transire debeat elementum ignis, aut eam omnem corrumperet ignis, aut ab ea ipse corrumperetur. Oporteret etiam sublimiora loca esse omnia frigidiora, quò propius vim illam refrigerandi acciperent. Et cùm Cęlum illud sit vniforme, & simili modo totum moueatur, simili etiam pariq; modo refrigeraret omnia; quod valdè noxium esset: certè falsum esse demonstrat experientia.

Verum esto Cęlum illud nonum perspicuum sit, & refrigerandi natura polleat, attamen si ex his aqua dici potuit, pari arbitratu & Saturni orbis, cùm totus præter astrum sit perlucidus, ac frigidissimum sydus censeatur, poterit aqua nuncupari: atq; id quod scribitur, firmamentum aquas ab aquis diremisse, poterimus profecto ita interpretari, nempe octauam sphæram Cęlum nonum à septimo dissecasse. Sed qua ratione potuit secundo die segregatio ista contingere, si iam ante omnem diem separatim prosiliere?

Rursum

In medio aquarum.

a. *Aquæ supernæ, impressiones aëreæ; Infernæ verò, aquæ labentes super terram.*

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Rursum omnium tùm Græcorum, tùm Latinorum Patrum sententia, quæ aquas veras, ac naturales super Cœlos locatas putant, huic refragatur. Tandem & Christianorum apprimè lectionibus sacris edoctorum communis assertio idipsum cum Patribus sentit, ac intelligit.

a. *Aquæ supernæ, impressiones aëreæ; Infernæ verò, aquæ labentes super terram.*

Qui firmamentum non aliud significare opinabantur, nisi aërem hunc à Cœlo ad terræ oram diffusum, seu aëris interstitium, facilè quæ aquæ sint supra, & quæ sub, interpretātur. Nam per aquas superiores, impressiones in aëre quascunque; per inferiores verò, aquas in Pelago, lacubus, fluminibus, fontibusq; collectas, intelligunt. Patres & Doctores hanc amantes sententiam iam supra deducti sunt. Superest, vt narrationum ipsorum partem eam, qua id explicarunt, in gratiam lectorum repetamus.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro secundo, capite quarto, dicebat.

Cùm ergo probasset & hunc aërem Cęlum dici, nulla alia caussa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia interuallum eius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas, quæ corpulentius in terris fluitant. Et nubes quippe, sicut experti sunt, qui inter eas in montibus ambulauerunt, congregatione, & conglobatione minutissimarum guttarum talem speciem reddunt: quæ si spissantur amplius, vt coniungantur in vnam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aër apud se teneri, sed eius ponderi ad ima dat locum, & hæc est pluuia. Ergo ex aëre, qui est inter vapores humidos, vnde superius nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse Cęlum inter aquam. Hanc ergo diligentiam considerationemque laude dignissimam iudico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.

GLOSSA interlinearis.

In medio aquarum, hoc est, vaporaliter suspensarum, & per terram labentium.

BEDA Expositione in Genesim hanc non reticuit, sed non approbauit.

Quidam his consentiens ostendit hunc aërem Cœlum appellari; sicut communi sermone dicimus, serenum Cęlum, nebulosum Cœlum, & Scriptura aues Cœli vocat, cùm aues in aëre manifestum sit volare. Firmamentum verò appellari, quia interuallum illius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & istas aquas visibiles, quæ in terra fluitant.

Sed de elementis Philosophiæ, libro secundo, clarè non tantùm eam approbauit, sed accerrimè oppositum confutauit.

Sed quæret aliquis. Est ne super Lunam nisi æther, & stellæ, & prætaxati spiritus, an ibi sunt aquæ congelatæ, supra quas sunt aliæ? Dicunt inde quidam super æthera esse aquas congelatas, quæ in modum pellis extensæ oculis nostris occurrunt, super quas sunt aquæ, auctoritate diuinæ paginæ hoc confirmantes, quæ ait; Posuit Deus firmamentum in medio aquarum. Et iterum; Diuisit aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ sunt super firmamentum. Sed quoniam istud contra rationem est, quare sic esse non possit ostendamus, & qualiter diuina pagina in prædictis intelligenda sit. Si ibi sunt aquæ congelatæ, ergo aliquid ponderosum & graue. Sed proprius locus ponderosorum & grauium, terra est. Si iterum sunt ibi aquæ congelatæ, coniunctę sunt igni, vel non. Si igni coniunctæ sunt, cùm ignis calidus sit & siccus, aqua verò congelata, frigida, & humida, contrarium suo contrario sub medio est coniunctum: nunquam ergo ibi concordia, sed contrariorum est repugnantia. Amplius, si aqua congelata coniuncta est igni, vel dissoluitur igne, vel extinguit ignem. Cùm ergo ignis & firmamentum maneant, non sunt aquæ congelatæ igni. Si non sunt igni coniunctæ, est aliquid inter eas, & ignem. Sed quid erit? Elementum. Sed nullum est superius igne, factum ex elementis. Visibile ergo. Vnde igitur non videntur? Restat igitur, ibi non esse aquas congelatas. Sed scio quid dicent; Nos nescimus

nescimus qualiter hoc sit; sed scimus Deum hoc posse facere. Miseri, quid miseriùs, quàm dicere istud est, quia Deus illud facere potest, nec ostendere rationem, quare hoc sit; nec vtilitatem, ad quam hoc sit. Non enim quicquid Deus facere potest, facit. Vt enim verbis rustici vtar; Potens est Deus de trunco facere vitulum. Fecitne vnquam? Vel igitur ostendat rationem, quare hoc sit, vel vtilitatem, ad quam hoc sit, vel desinat iudicare sic esse. Si ergo nec aquæ congelatæ ibi sunt, nec super eas sunt aliæ. Cùm autem diuina pagina dicit; Diuisit aquas quæ sunt sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum: Aëra firmamentum vocauit, quia firmat & temperat terrena. Super hunc sunt aquæ vaporaliter, in nubibus suspensæ, quemadmodum in sequentibus ostendetur, quæ diuersæ sunt ab his, quæ sunt sub aëre. Similiter exponatur; Posuit firmamentum in medio aquarum.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Asserunt enim aquas super Cælum sydereum esse non posse, cùm earum pondus exigat hoc, vt super terrã fluant, vel ferantur vaporaliter in aëre. Nec quisquam dicat fieri hoc omnipotentia Dei. Quomodo enim Deus naturas rerum fecerit, quæritur, non quod ex eis ad miraculum potentiæ operetur. Qui verò negant aquas super Cælum esse posse, non tantùm locis, sed & qualitatibus distinguunt elementa, pro quibus sortiantur propria loca, vt sit aqua super terram, aër super aquam, Cælum super aërem. Vnde colligitur, quòd si Cælum super aërem maneret, ex pondere suo caderet: & sic aqua super Cælum esse non posset. Vnde quidam conantur demonstrare, aquas esse super Cælos, aërem hic, Cælum & firmamentum accipientes propter hoc tantùm, quia interuallum eius diuidit inter quosdam vapores aquarum, & aquas, quæ sunt in terris.

Sed ueniamus ad recentiores Doctores mordicus hanc sententiam amplexantes, ac defensantes.

STEVCHVS in Cosmopœia; cùm pluribus firmamenti nomine aërem intelligendum demonstrare enixus fuisset, ipsumque secundo die fuisse diffusum, nullasque supercælestes aquas posse comperiri, nec in sacris literis commemorari, ex hisq; euinci aquarũ supernatũ nomine nil aliud capiendũ, quàm impressiones in sublimi, seu, vt ipse inquit, mare supernum, aquarum vero infernarum, labentes aquæ, hoc est mare infernum: vt illi obiectioni satisfaceret, qua impressiones aëris secundo die non extasse quispiam argumentari potuisset, hæc habet.

In medio aquarum. Aquas non quæ tunc essent, sed in omne tempus, vniuersalemque naturæ consuetudinem respicit. Erant quidem aquæ infernæ, supernæ autem non quidem tunc, sed ad sua, omniaque alia sæcula respectat Theologus, quoniam desuper creantur, gentis suæ more locutus, quę solet vbique quasdam supernas, & cęlestes aquas vsurpare, non illas quidem semper in sublimi pendentes, sed aquas supernas semper appellatas, propter tempora, quibus delabi videntur. Nam & cęlestes sunt appellatæ, non quòd semper morentur in Cælo, sed quòd sæpenumero inde cadant, priuataque est Hebraicæ gentis loquendi consuetudo. Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento. Hebraicè non est verbum Erat, sed habet ad hunc modum. Diuisitque aquas, quæ sub firmamento, siue diffusione, temporis diffinitione sublata. Itaque non tunc quidem aquas desuper innuit fuisse, quanquam vaporibus exhalatis, nubes tunc cogi poterant; sed vt dixi, ad omnem naturæ consuetudinem pertinet.

PERERIVS Commentarijs in Genesim, libro primo.

Nos igitur existimamus aquas, quæ sunt super firmamentum, non esse alias quam quæ in sublimi aëre, quam mediam regionem aëris vocant Philosophi, generantur. Si enim firmamentum, hoc loco est spatium aëreum, quod interpatet inter terram & sydera, proculdubio aquas, quæ supra firmamentum sunt, non alias interpretari conuenit, quàm quæ in superiori parte aëris gignuntur: illuc enim vapores ex terra & aquis, potentia Solis elati, densantur, & coguntur in nubes; ex quibus imbres generati, tam largè & commodè ad irrigandam, & fœcundandam terram defluunt, tanta nonnunquam copia, & impetu, vt videantur illic esse ingentes lacus, & flumina, quinetiam maria. Quocirca, vt fieret Diluuium, Scriptura narrat reseratas esse Cęlo cataractas, quo significantur densissimi imbres maximo impetu, & fragore deorsum præcipitati.

Lib. 1. sum. 3. cap. 1. Prou. 8.

Memorat hoc loco ad suam roborandam opinionem flumen illud ingens per aëra sursum, & deorsum delatum: de quo Aristoteles in Metheororum libris mentionem habet. Memorat & illud Prouerbiorum. Quando æthera firmabat sursum, contestans pro illo vocabulo AEthera, Hebraicè scribi SEKAKIM; quod propriè significat nubes. Vnde Septuaginta Græcè τὰ αἰθέρια, hoc est, supernas nebulas, seu nubes verterũt. Et illud aliud. Librabat fontes aquarum; hocq; asserit non de fontibus, qui è terra scaturiunt, sed de fontibus cœlestibus, hoc est nubibus esse accipiendum.

Præfata sententia improbatur.

Cæterum hæc sententia duabus præcipuè caussis ruit; Primò, quia firmamenti nomine aërem tantùm interpretari non licet, vt supra euidentissimis probatũ est rationibus. Deinde quoniam absurda fieret locutio Mosis, si interpretaremur, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, idest, Fiat aër, vt postea persistat in medio aquarum,

In medio aquarum.

a. *Aquę superiores, elementa pura super mediam aëris regionem, inferiores, mixta hęc impura infra eandem regionem.*
b. *Aquæ sub, & supra, Aquæ naturales.*

Anno Mūdi primo. Die secunda.

aquarum, & discriminet aquas sublimes à fluentibus. Enarrat siquidem Moses, quòd tunc productum est; clarissimisque verbis, firmamentum effectum in medio aquarū, in ipsaque effectione seiunxisse aquas ab aquis, tradit. Nam subijcit. Fecit Deus firmamentum, & diuisit aquas, quæ erant sub firmamento, ab iis quæ erant super firmamentum. Sciscitor nanque, si nondum productę erant impressiones in sublimi, quomodo dicit, Diuisit aquas? &c. Quòd si exponemus Diuisit, hoc est, Diuisit post: pari ratione exponere possumus, Fecit, hoc est, Fecit post. Conturbaturque tota oratio, nec quid ipse velit Moses, percipere possumus. Consimiles enim literæ distractiones arbitrariæ sunt, nec ita crebris calculis recipiendæ.

a. *Aquæ superiores, elementa pura super mediam aëris, regionem inferiores, impura hæc infra eandem regionem.*

HAMERVS hanc nobis patefecit sententiam, dum Commentatione in Genesim ait.

In hac ergo opinione complures sunt, qui firmamentum hoc mediam aëris regionem vocent: quæ superiora elementa ab inferioribus, quasi aquas ab aquis discriminat, ac distinguit. Triplicem enim partitionem corporum sublunarium ponunt. Alia supra mediam regionem aëris sunt, suprema scilicet pars eiusdem elementi, & purissimus ignis, quod totum ætheris nomine designatur. Ibi pura, immixta, & legitima elementa. Alia infra ipsum aëris meditullium, quæ apud nos sunt, vbi elementum nullum purum: (Neque enim purum elementum sensibile) sed mixta omnia ex fæculenta, crassioreque parte mundani corporis constant. Intercedens ergo regio aëris, hic vocatur firmamentum, in hac sublimes illę impressiones apparent, pluuiæ, niues, fulgura, fulmina, tonitrua, cometæ, & cætera id genus.

Hameri sententia reprobatur.

Verùm si superiorem interpretationem reiecimus, ex eo quòd firmamenti nomine aërem capi censuerat, multo magis iisdem rationibus hæc repudianda est, quæ firmamentum mediam aëris tantùm regionem esse autumat. Rursum cùm aquarum supra positarum nomine ignem, aërisque regionem primam purissimam, nec vnquam impressionibus exhalationibusque obrutam significari contendit, nonne ipsum nomen aquæ ad nouam, inopinatam, longeq; ab vsu semotam significationem rapit?

b. *Aquæ sub, & supra; Aquæ naturales.*

Naturales ac veras aquas super Cœlos consistere, sententia est omnium ferè Patrum vetustorum, Doctrinæ, & sanctitatis nomine præstantissimorum; quorum numerosam vberrimamque Catenam, etsi non prolixa oratione, contexere enitar: vt quàm conspicua, rata, exploratàque apud summa Ecclesiæ lumina hæc veritas effulserit, in eorum gratiam, qui nostra tempestate ab ea descire ausi sunt, patefaciam.

Apud Hebræos antiquitus hæc sententia adeo viguit, vt maiorum traditione quasi irreuocabilis haberetur. Quare vt certam, indubitatamque, illustres Sinagogæ Proceres eam prosequuti sunt.

IOSEPH de Antiquitatibus libro primo, capite primo, breuissimo compendio non tantùm aquas in Cœlo collocatas, sed & naturam earum, caussamque quare super Cœlos sint constitutæ, patefecit, dicens.

Post hęc secunda die Cælum super omnia collocauit, ipsumque ab alijs distinguens in semetipso constitutum esse præcepit, & ei crystallum circumfigens, humidum eum, & pluuialem ad vtilitatem, quę sit ex terrę imbribus, congruè fabricatus est.

Adno-

Adnotes vocem, Crystallum, qua naturam aquarum superçęlestium in glaciem concretam edocet. Adnotes verbum, Circunfigens, quo Cœlum esse aquis supra, & forte sub circumseptum, tradit. Adnotes, Humidum eum, & pluuialem, &c. Quibus caussa demonstratur, qua aquas super Cœlos Deus collocarit: hoc est, vt rori, & imbribus deseruirent.

Amplius Libro inscripto, Testamentum duodecim Patriarcharum, cuius authoritas non tantùm apud omnes hebræos maximæ fuit existimationis, sed etiam eo vsque accessit, vt Robertus Linconiensis Episcopus eum è Greco in Latinum verterit, hæc habentur in tertia benedictione.

Tunc cecidit super me somnus, & contemplatus sum montem excelsum. Hic est mons Aspidis in Abelmaul, & ecce aperti sunt Cęli, & Angelus Dei dixit ad me; Leui ingredere: Et ingrediebar de primo Cęlo in secundum. Et vidi illic aquam suspensam in medio huius, & illius. Et vidi tertium Cęlum multò lucidius quàm duos. Etenim altitudo erat in ipso infinita.

D. PETRVS, vt recitat Clemens Papa Recognitionum lib. primo, ait.

Iam vero aqua, quę erat intra Mundum, in medio primi illius Cęli, Terręq; spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata, distenditur: & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media Cœli, ac Terræ spatia, idque firmamentum Cęlum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum. Et Post. *Post hęc quòd reliquum fuit, in inferioribus aquarum, iussu voluntatis æternę, locus maris & Chaos effectum recepit; eisque ad demersa, & concaua defluentibus, arida quidem apparuit terra.*

Distinguit igitur Petrus inter duo genera aquarum, aliud gelu concretum, & aliud defluens, Quanquam magis aquas illas ita solidatas, firmamentum esse, quàm super ipsum considere Apostolus statuere videatur.

IVSTINVS Quæstione nonagesimatertia, cùm disceptet, caussasque inuestiget, propter quas Deus aquas super Cœlos sustulerit, certè eas ibi considere fatetur.

Si auersæ Cœli partes aquis vrgentur, quemadmodum diuinarum literarum monumentis proditum est, id quod nonnulli factum esse censent propter igneam astrorum essentiam, sic vt Cœlum vrgentibus aquis depressum subiecta astrorum flamma inuictum maneat: qui fit, vt ij, qui hęc dicunt, verè dicant, cùm astra non in Cœlo, sed infra Cœlum ferantur?

Huic propositæ disceptationi satisfaciens triplicem causam retulit, quare eas super Cœlos Deus locarit. Sed de ijs infra.

TERTVLLIANVS libro de Trinitate capite octauo.

Quod in firmamentum de aquarum fluente materia fuerat Deo iubente solidatum, vt glacies robusta aquarum terram pridem contegentium, diuidens medietatem, dorso quodam pondera aquę superioris, corroboratis de gelu viribus sustineret.

Librum hunc Pamelius Nouatiano ascribit, sed stylus certè magis Tertullianicus mihi videtur.

HILARIVS Enarratione in Psalmum centesimum trigesimumquintum, & aquas super Cœlum eleuatas, simulque & caussam quare ibi collocatæ sint, reddit, dicens.

Aquis etenim eleuatis illam ipsam primi Cœli naturam temperauit, quę superni Dei accensa virtute nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cęlum verò inferius non vniforme, sed multiplex tetendit: quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemque aëris nostri firmitate solidauit.

Verùm caussa ea, quam adduxit Hilarius, Deum scilicet aquas super Cœlos euehisse, vt Cœli primi, hoc est, fortè Empyrei accensam virtutem temperaret, num probanda veniat, infra disceptabimus.

BASILIVS Hexæmeron Homilia tertia, non tantùm aquas fatetur super Cœlos sitas, sed etiam cur, cùm labiles sint, à corpore globoso non defluant, requirit, cùm dixit.

Sed antea quàm Scripturę sententiam attingamus, id quod ab alijs obijcitur, dissoluere enitamur. Percunctantur enim nos; Si firmamenti corpus globosum est, vt aspectus ipse declarat, aqua autem suapte natura fluxa quum sit, & è sublimi fluere soleat, ac delabi; quinam potuit in curua & superiore circumferentia firmamenti solidè ac stabiliter persistere?

Satisfacitque, cùm prosequitur.

Quid ad hanc obsecro respondendum est obiectionem? In primis quidem dicendum: vt donem aliquid esse, quod

quod qua parte nobis cernitur, speciem præfert circuli per flexuram, fornicemve internæ concauitatis, non continuò necesse sit illius quoque externam superficiem quaquauersum ad imaginem sphæræ esse perfectam, totumque id, perinde ac opus tornatile, exactè esse circunductum, leuigatum, ac perpolitum. Quando videmus ipsi tùm tecta balneorum lapidea, tùm ædium extructiones antri in speciem cauernosas, ipso quidem internæ partis aspectu circunductas esse in speciem, figuramve semicirculi, cùm interim pars tecti superior æquabilem plerunque obtineat, & planam superficiem. Quapropter hac de re neque sibi molestias ipsi sumere, neque nobis præstare velint, quasi superis aquam in locis detinere, coërcereque non valeamus.

Et post de immensa aquarum copia prolixam habet disputationem, ad exæstuantis ignis vim reprimendam non tantùm infernarum aquarum abundantiam, sed & supernarum demonstrans fuisse necessariam. Rursum Origenis, Apollinarijque expositionem, qui aquas cœlestes nil aliud quàm Angelos esse contendebant, refellens adijcit.

His igitur & eius generis sententijs, vt quæ somnijs, & anilibus fabellis conferendæ veniunt, relegatis, aquam nos, vt aquam intelligamus, & segregationem factam humorum à firmamento, ea caussa quam assignauimus, accipiamus. Atque etiam si quando aquarum illæ, quæ super Cęlos sunt collocatæ, communem omnium Dominum laudare tradantur, non naturas ratione præditas ob id illas esse decernimus. Et Post. *Neque enim super Cęlos consistens aqua ob hoc, quòd inferiores antegreditur honoris præcipui dignitate, ipsa solum ob eximiam, & insignem suæ virtutis prærogatiuam, diuinam adimplet laudem. At enim laudate eum, ait, & quæ ex terra sunt, Dracones, & omnes abyssi.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite tertio (libentius Basilio, Ambrosium connecto, quòd eius interpretem, seu Commentatorem ferè existimem) aquas super Cœlos considere posse, eleganti disceptatione nititur demonstrare. Primumque posse aquas super orbem rotundum stare, nec defluere, vel delabi, his ostendit.

Et discreuit Deus inter medium aquæ, quæ erat sub firmamento; & inter medium aquę, quæ erat super firmamentum. Et primò volunt id destruere, quod frequenti Scripturarum lectione inolitum nostris, & impressum est mentibus, quia aquæ super Cęlos esse non possint: dicentes rotundum esse orbem illum Cęli, cuius in medio Terra sit; & in illius circuitu aquam stare non posse, quòd necesse est defluat, & labatur, cùm de superioribus ad inferiora decursus est. Quomodo enim aqua super orbem, vt aiunt, stare potest, cùm orbis ipse voluatur? Hæc est illa versutia dialecticæ: Da mihi vnde tibi respondeam. Quod si non detur, nullum verbum refertur. Petunt sibi concedi, axem Cœli torqueri motu concito: orbem autem Terræ esse immobilem, vt astruant aquas super Cęlos esse non posse, quòd omnes eas voluendo se axis effunderet: quasi verò vt concedam illis, quod postulant; & secundum eorum opiniones illis respondeam, negare possint in illa altitudine & profundo, & longitudinem esse, & latitudinem, quam nemo potest comprehendere, nisi is qui impletur in omnem plenitudinem Dei: vt Apostolus ait; Quis enim potest facilè esse diuini operis æstimator? Est ergo latitudo in ipsa Cęli altitudine. Ephes. 3. *Sunt etiam, vt de his dicamus, quæ scire possumus, pleraque ædificia foris rotunda, intus quadrata: & foris quadrata, intus rotunda; quibus superiora sunt plana, in quibus aqua hærere soleat. Quæ tamen ideò dicimus, vt aduertant opiniones suas opinionibus verisimilioribus reuinci posse, & desinant tantùm opus Dei humanæ operationis, & nostræ possibilitatis contemplatione metiri.*

Et post, aquas super Cœlos coërceri posse comprobat ex Dei opificis potentia.

Nos autem Scripturarum seriem, atque ordinem, quærimus sequimur, & opus contemplatione æstimamus auctoris, quid dictum sit, & quis dixerit, & cui dixerit; Fiat, inquit, firmamentum in medio aquæ, & sit discernens inter aquas. Audio firmamentum fieri per præceptum, quo diuideretur aqua, & ab inferiore superior discerneretur. Quid hoc manifestius? Qui iussit discerni aquam interiecto, & medio firmamento, prouidit quemadmodum diuisa, atque discreta manere possit. Sermo Dei virtus naturæ est, & diuturnitatis substantia quoadusque velit eam manere qui statuit, sicut scriptum est; Statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit. Psal. 148. *Et vt scias, quia de istis aquis hoc dixit, quas tu negas posse in superioribus Cęli esse, audi superiora; Laudate eum Cęli Cęlorum, & aquæ, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Ibidem. *Nonne quasi aduersanti tibi dixit; Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit? An non videtur tibi auctor idoneus, qui legem suo operi daret? Deus est qui dicit, venerabilis naturæ, inęstimabilis magnitudine, immensus in remunerationibus, incomprehensibilis in operibus; cuius altitudinem sapientiæ quis inuestigare facilis? Iste dicit Filio, idest dicit Brachio suo, dicit Virtuti suæ, dicit Sapientiæ suæ, dicit Iustitiæ. Et fecit Filius quasi potens, fecit quasi Virtus Dei, fecit quasi Sapientia Dei, fecit quasi Iustitia diuina. Cùm hæc audis, quid miraris, si supra firmamentum Cęli potuit tantę maiestatis operatione vnda suspendi?*

Deum verò potuisse id efficere; ex duobus euentibus in sacra Scriptura enarratis, in Mari rubro, videlicet, & Iordane amne, pariter comprobat.

De alijs hæc collige, de ijs quæ viderunt oculi hominum; quomodo ad Iudæorum transitum, si rationem quæris, se vnda diuiserit. Non solet hoc esse naturæ, vt aqua se discernat ab aqua, & in profundo interfusiones

aquarum

aquarum sine medio separentur. Gelauerunt, inquit, fluctus, & firmamenti specie cursum suum insolito fine frenarunt. Nonne potuit etiam aliter Hebræum populum liberare? Sed tibi voluit ostendere, vt eo spectaculo etiam illa, quæ non vidisti, æstimares esse credenda. Iordanis quoque reflexo amne in suum fontem reuertitur. Hærere aquam cùm labitur; & ita sursum redire in superiora sine vllo repagulo, impossibile habetur. Sed quid impossibile ei, qui dedit posse quibus voluit? Dedit posse infirmitatibus, vt infirmus dicat; Omnia possum in eo, qui me confortat. Philip. 4.

Hæc Glossa locupletata tantùm ex Ambrosio excerpsit. Inde similitudine rerum naturalium, aquarum scilicet in aëre per nubes suspensarum, & Terræ in centro Mundi libratæ, aquas etiam supra Cœlos consistere posse, demonstrat adhuc Ambrosius, cùm ait.

Dicant certè quemadmodum aër cogatur in nubem, vtrum pluuia nubibus generetur, an sinu nubium colligatur. Videmus plerunque exire nubes de montibus. Quæro vtrum de Terra ascendat aqua, an ea, quæ super Cœlos est, largo imbre descendat. Si ascendit, vtique contra naturam est, vt ascendat in superiora, quæ grauior est, & portetur aëre, cum aër subtilior sit. Aut si conciti orbis totius motu rapitur aqua, sicut imo orbe rapitur; ita summo orbe diffunditur. Si fundi, vt volunt, non desinit: rapi vtique non desinit: quia sicut axis Cœli semper mouetur, & aqua mouetur, & aqua semper hauritur. Si descendit, manet ergo iugiter super Cœlos, quæ habet vnde descendat. Deinde quid obstat, si confiteantur, quia aqua supra Celos suspensa sit? Nam quo verbo dicunt Terram in medio esse suspensam, & immobilem manere, cùm vtique grauior sit quàm aqua, ea ratione possunt dicere non præcipitari aquam orbis illius cęlestis conuersione, quæ super Cœlos est. Sicut enim terra inani suspenditur, vel pondere librato vndique immobilis perseuerat, ita & aqua, aut grauioribus, aut æquis cum terra ponderibus examinatur. Ideoque non facilè superfunditur mare terris, nisi cùm iubetur exire.

Argumentatur idipsum Ambrosius ex multitudinis aquarũ necessitate, quæ ad Mundi huius durationẽ protrahendã exigebãtur. De quo postea, cùm caussas cęlestiũ aquarum inuestigabimus. Amplius capite quarto, cùm Origenis sententiam recitasset, eamq; quasi ad tractatus decorem delatam acceptasset, adijcit.

Nobis tamen non alienum videtur, atque absurdum, si aquas veras, propter illam caussam quam diximus, intelligamus. Nam & ros, & gelu, & frigus, & æstus, secundum hymnum Propheticum benedicunt Dominum, benedicit & terra: & illa non ad intelligibiles naturas referimus, sed ad veritatem. Laudant etiam Dracones dominum, quia natura eorum & species, cùm videtur, non minimum, vel decoris offundit, vel inesse rationis ostendit.

Animaduertas precor, quantum Ambrosius pugnarit pro hac sententia.

HIERONYMVS in Epistola ad Oceanum, quæ est octuagesimatertia, hæc ait.

Inter Cęlum & Terram medium extruitur firmamentum: & iuxta Hebraici sermonis Etymologiam, Cælum, idest, Samaim, ex aquis sortitur vocabulum: & aquæ, quæ super Cęlos sunt, in laudem Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Propheta, crystallum super Cherubim videtur extensum, idest, compactæ & densiores aquæ.

His videtur fateri Hieronymus Cœlum ipsum, vt crystallum esse cõpactum, & aquas Angelos super Cœlos considere, & in laudem Dei separari. Et quanquam aliàs aquas Angelos esse dixerit Commẽtarijs in Psalmum centesimum tertium, attamen vti Celos ex aquis compactos non abnuit, ita & aquas cœlestes naturales esse fateretur, si sensum literalem declararet.

EPIPHANIVS, vt deducebamus supra, in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum à Hieronymo translata.

Dicente Origene, aquas, quæ super firmamentum sunt, non esse aquas, sed fortitudines quasdam Angelicæ potestatis. Et rursum, aquas, quæ super terram sunt, hoc est, sub firmamento, esse virtutes contrarias, idest Dæmones. Et quomodo legimus, in Diluuio apertas cataractas Cęli, & aquas inundasse Diluuij? Vnde aperti sunt fontes abyssi, & totus Mundus opertus est aquis?

Ecce habes Epiphanium non tantùm aquas super Cęlos admittentem, sed eas etiam in Diluuio decidisse testantem.

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Genesim.

Dixitque, ait, Deus: Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit distinguens inter aquam. Quid est, fiat firmamentum? Quasi quis dicat humana lingua; Fiat paries quidam, & interstitium in medio diuidens, & separationem faciens. Et vt discas magnam elementorum obedientiam, excellentemque virtutem opificis, ait; Et factum est ita. Dixit solùm, & opus secutum est. Et fecit, ait, Deus firmamentum, & diuisit Deus inter aquam, quæ erat sub firmamento, & inter aquam, quæ erat super firmamentum. Dicit; Facto firmamento

mento, iussit aquas alias sub firmamentum ferri, alias autem supra dorsum esse firmamenti.

Sed clarius Homilia in Psalmum centesimum quadragesimū octauum, in eam Psalmi clausulam: Laudate eum Cęli Cęlorum & aquæ omnes, &c.

Cœlos autem Cœlorum hic dicens, non ostendit multitudinem, sed idem etiam dicit Cœlum Cœli. Hebræorum enim lingua Cęli dici consueuit, sicut etiam alibi dicit; Cęlum Cœli Domino, Terram autem dedit filijs hominum. Et aquæ, quæ super Cęlos sunt. Audiuisti Mosen quoque dicentem, ex aquis quidem eum has reliquisse inferius: illas verò effecisse stare sublimes super terga cęlestia, cùm in medio abyssi firmamentum stabilisset, & aquas manere super terga fuisset. Psal. 113.

HIPPOLYTVS Portuensis Episcopus, vt supra retulimus, inquit.

Deus omnium Dominus, cùm voluit terram inuisibilem visibilem facere, tunc tertiam aquarum partem potentia sua in medio fixit; tertiam verò supra firmamentum eleuauit; tertiam demum infra esse voluit, ad hominum scilicet vsum, atque vtilitatem.

CYRILLVS Hierosolymitanus Cathechesi nona, vt supra referebamus, cùm firmamentum ex aquis coactum prodidisset, adijcit.

Cùm enim futurum erat, vt propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra Cœlos, vt cùm terra pluuiarum irrigatione indigeret, paratum sit à natura ad hoc Cęlum.

AVGVSTINVS quanquam (vt sui moris est) in plures rapiatur sententias, aquas tamen super Cœlos esse vectas docuit, vt ex pluribus ipsius lucubrationū locis elici potest. Seligam ex illis tres saltem insigniores. De Genesi ad literam libro secundo, capite primo hanc excitat difficultatem; Num aquæ super Cœlos stare possint.

Multi enim asserunt, istarum aquarum naturam super sydereum Cęlum esse non posse, quòd sic hic habeat ordinatum pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporaliter ferantur. Nec quisquam istos debet ita refellere, vt dicat secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt, oportere nos credere, aquas etiam tam graues, quàm nouimus, atque sentimus, cœlesti corpori in quo sunt sydera superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas eius nos conuenit quærere, non quid in eis, vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari. Neque enim si vellet Deus sub aqua oleum aliquando manere, non fieret: non ex eo tamen olei natura nobis esset incognita, quòd ita facta sit, vt appetendo suum locum, etiam si subterfusa fuerit, perrumpat aquas, eisque se superpositam collocet. Nunc ergo quærimus, vtrum conditor rerum, qui omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit, non vnum locum proprium ponderi aquarum circa terram tribuerit, sed & super Cęlum, quod vltra limitem aëris circunfusum, atque solidum est.

Deinde recenset Augustinus argumenta eorum, qui aquas supercęlestes inficiantur, primùmque illud, quod à loci natura sumitur, dicens.

Quod qui negant esse credendum, de ponderibus elementorum argumentantur, negantes vllo modo ita desuper quasi quodam pauimento solidatum esse Cœlum, vt possit aquarum pondera sustinere, quia talis soliditas nisi terris esse non possit; & quicquid tale est, non Cęlum, sed Terra sit.

Ampliusque argumentum aliud desumptum à qualitatibus natiuis elementorum, quibus locum sub, & supra sortiuntur, prolixa oratione subnectit toto capite primo, secundo, & tertio, euincens aquam super terram suam sedem nancisci, aërem verò aquis supereminere, ignem vero, ex quo sydera, luminariaque facta alij coniectant, aëre esse sublimiorem demonstrans. Ex quibus concludit aquas super Cœlum igneū considere non posse, cùm illic aër multo aquis leuior manere nequeat. Inducit perinde eorum sententiam, qui vt has syrtes euitent, firmamenti nomine aërem esse intelligēdum malunt, & per aquas vapores humidos interpretantur, eamque commendat, vt supra referebamus. Verum adijcit capite quarto.

Quanquam possit videri non impedire propria pondera elementorum, quomodo etiam super illud sublime Cœlum possint esse aquæ per illas minutias, per quas etiam super hoc spatium aëris esse potuerunt: qui quamuis grauior, & inferior summo Cęlo subiaceat, proculdubio leuior est aquis, & tamen vt super eum sint vapores illi, nullo pondere probibentur. Sic ergo & super illud Cęlum potest minutioribus guttis leuior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur. Ipsi quippè subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum, in quo diuisio finiatur, sed infinitè omnia diuidi: quia omnis pars corporis corpus est; & omne corpus habeat necesse est dimidium quantitatis suæ: ac per hoc, si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias peruenire, vt super istum aërem vaporaliter feratur, qui natura leuior est aquis; cur non possit & super illud leuius Cœlum minutioribus guttis, & leuioribus immanare vaporibus?

Rursum & quorundam Augustinus argumentationem deducit, qui aquas super Cęlum sydereum consistere ea ratione probari arbitrantur, quòd Saturni stella frigidissima sit, concludens capite quinto.

His quidam nostri coniecturis agunt aduersus eos, qui nolunt aquas super Cœlos credere, & volunt eam

stellam esse frigidam, quæ iuxta summum Cęlum circuit; vt ex hoc cogantur aquarum naturam credere, non iam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere.

Quibus disceptationibus quasi non acquiescens, ait.

Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus: maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Qua ex doctrina Augustiniana duo excipiuntur. Alterum aquas, vel in vapores tenuissimos redactas corporibus cœlestibus superferri, vel glaciali soliditate pendere (hi sunt duo modi, quibus aquas consistere censuit Augustinus) Alterum, quòd quoquo modo ibi sint, eas ibi esse minimè sit dubitandū. Beda Quæstionibus in Genesim, hæc cuncta mutuauit vt infra.

GLOSSA Ordinaria pariter hæc eadem compilauit.

Si verò potest aqua, sicut videmus ad tantas minutias peruenire, vt feratur vaporaliter super aërē aquis naturaliter leuiorem; cur non credamus & super illud leuius Cælum, minutioribus guttis, & leuioribus immanare vaporibus? sed quoquomodo ibi sint, ibi esse non dubitamus.

Verùm adeamus nos secundum locum forte clariorem.

AVGVSTINVS itaq; de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite postremo.

Sed hi, qui in nomine aquarum, quæ super Cœlos sunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum mouentur, & ideò non putant aquarum fluidam, grauemque naturam in superioribus Mundi locis potuisse constitui: qui secundum rationes suas, si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod Græcè φλέγμα dicitur, & tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est phlegmatis, secundum Dei opus vtique aptissimè: secundum istorum autem coniecturam tam absurdè, vt si hoc nesciremus, & in hoc libro similiter scriptum esset, quòd Deus humorem fluidum & frigidum, ac per hoc grauem, in superiore omnibus cæteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent. Et si auctoritati eiusdem Scripturæ subditi essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse censerent.

Animaduertas igitur ex D. Augustino elegantem similitudinem inter Microcosmū, & Mundum, ex qua humidā naturam in vtroque supernas sedes obtinere agnoscitur; de qua cumulatius postea. Desumamus & tertium locum ex Enarratione in Psalmum centesimum tertium.

Qui protegis in aquis superiora eius. Et hoc legimus, & ad literam bene intelligitur: quando enim iussit, vt fieret firmamentum inter aquas & aquas, factum est vt sint aquæ inferiores quæ perfundunt terras, & sint aquę superiores remotæ ab aspectibus, tamen fidei commendatæ. Et aquæ, inquit, quæ super Cælos sunt, laudent nomen Domini; Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Ergo explicatus est sensus ad literam: protegit enim in aquis superiora eius.

Si igitur aquæ cęlestes remotæ sunt ab aspectibus nostris, fideique commendatæ, frustra conquiruntur naturales rationes, quibus aquas super Cœlos locari probetur. Fide igitur eas ibi à Deo sitas esse nobis est credendum.

SEVERIANVS.

Cęlum ergo hoc, non illud supremum, sed quod aspectabile est, ex aquis effecit Deus, & vt crystallum fixit. Vide operum virtutem, & opificem admireris. Mediam aquarum partem supra, media infra esse voluit.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite tertio.

Vnde quæri potest; quomodo elementum aquę possit esse supra Cęlos. Aqua enim cedit terræ, & aër cedit aquæ, & ignis cedit aëri. Vnde impossibile videtur, vt secundum elementum, quod est aqua, sit supra quartum, quod est ignis. Quomodo, & quales sint aquæ illæ, quas Scriptura dicit supra Cęlos, esse eas ibidem minimè dubitamus: quę non locorum sedibus, sed dignitate naturæ, videntur supra Cælos. Sicut enim nubes istæ, quę vbique sunt, feruntur super aërem, quod est tertium elementum; ita fieri posse arbitror, vt aquę tenues, aquæ subtiles ferantur super Cęlum. Nam ex hoc pondere elementorum, multi Philosophorum resurrectionem carnis illudentes, non posse fieri inquiunt, vt homo, qui vtique ex terra factus est, sit in Cælo. Sed hos veritas conuincit, qui facit multa animalia terrena volitare in aëre, & aquā esse supra aërem, & ignē, quod est vtiq; quartū elementū, esse in terra. Ergo Dei potentia, quę hæc facere approbatur, facit vt & homo, & aqua sit supra Cęlū.

THEODORETVS Quæstione vndecima in Genesim.

Bifariam autem Deus omnium diuisit aquarum naturam, & quasdam sursum collocauit, quæ suo liquore, atq; frigiditate non sinerent corrumpi firmamentum ab igne luminarium. Reliquę verò aquę deorsum remanserunt, quæ suis vaporibus aërem foucant exustum, & exiccatum ab igne superiore.

Adnotes, precor, ex Theodoreti doctrina, vapores aërem fouentes in classem aquarum firmamento suppositarum, redigi & collocari.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite sexto.

Præterea firmamentum Deus Cælum nuncupauit, quod in medio aquarum esse iussit, atque ita collocauit, vt aquas, quæ supra firmamentum sunt, ab ijs quę firmamento inferiores sunt, distingueret.

Et post capite nono.

Ac Deus primò firmamentum cõdidit, aquas, quæ supra firmamentum erant, ab ijs, quæ infra firmamentum, æquo interuallo distinguens. Etenim in abyssi medio Dei iussu firmatum, atque constitutum est. Vnde etiam dixit Deus; Fiat firmamentum: & protinus extitit.

IVDOCVS Chlichtouæus Neoportuensis Commentatione ineundem quanquam illi accedat sententiæ, quæ aquarum nomine super Cœlos existentium, Cœlum nonum firmamento supereminens, & illud ambiens intelligit, Damascenum attamen aliter sensisse his fatetur.

Vel sint re vera aquæ tenues, & perspicuæ, super firmamentum tanta stellarum frequentia adornatum consistentes præcepto conditoris, & eam ob caussam, quam conditor ipse nouit, tametsi nos lateat; quemadmodum sacræ literæ plerisque in locis, & hic Damascenus sentire videtur.

PROSPER Aquitanicus Expositione in Psalmum centesimum tertium, ex Augustini sui præceptoris doctrina habet.

Qui protegis in aquis superiora eius. Et hoc secundum literam bene intelligitur: quia iussit Deus, vt fieret firmamentum inter aquas, & aquas. Factumque est sic: & pars aquarum resedit in terram, pars autem est Cœlo superposita, remota ab aspectu nostro, & fidei commendata.

ANASTASIVS Antiochiæ Episcopus Sinayta exinde appellatus, quòd in Synai monte sit philosophatus, Commentarijs in Hexæmeron libro secundo, & septimo: quanquam mysticas interpretationes prosequatur, aquas & ipse cœlestes agnouisse conuincitur libro secundo, cùm dicit.

Firmamentum autem, quod ab imo ascendit, habet figuram Christi humanitatis, seu carnis. Aqua autem, quæ cum eo ab imo ascendit, & intercepta fuit in medio primi, & quod propriè est Cœli, & huius firmamenti, quod ascẽdit ab imo; describit imaginẽ impollutæ eius animæ, quæ est media inter diuinitatẽ, & carnis crassitudinẽ, vtpotè quòd sint hi duo Cœli, ex quibus alterũ quidem est aspectabile, alterum verò non cadit sub aspectũ.

Et libro septimo, cùm ait.

Propterea ergo duos fecit Cœlos, alterum quidem superius, quod habet essentiam apud homines non aspectabilem, planeque inenarrabilem, & inexplicabilem, in typum & imaginem inaspectabilis, & inexplicabilis essentiæ eius diuinitatis: secundum autem Cœlum è Terra sustulit, & ipsum posuit aspectabile, & ipsum appellauit firmamentum, in figuram, ac typum carnis eius immaculatę, quam quidem à terra acceptam sursum sustulit. Est autẽ horum quoq; duorũ Cęlorum intermedia aqua viua, ad imaginẽ, & typum sanctæ viuificæ Christi animæ, quæ est media, vt rursus dicit Theologus Gregorius, inter Diuinitatem, & carnis crassitudinem. Quamobrẽ superiori quidẽ Cœlo inferior est hæc aqua; hoc est, minorẽ Dei Verbi essentiam fert intelligens anima, & ratione prædita: crasso autem, & quod spectatur firmamento est superior, & præstantior, sicut etiam alias hæc dixi.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Hic nostri Cęli, in quo fixa sunt sydera, creatio describitur: quòd in medio constat, firmamentum esse aquarum. Nam suppositas ei esse aquas, & ipsi in aëre, terrisque videmus; superpositas, non solum huius Scripturæ auctoritate, sed & Prophetæ verbis edocemur, qui ait; Extendens Cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. Psal. 103. *In medio ergo aquarum firmamentum esse constat sydereum Cęlum. Et Post. Si quem verò mouet, quomodo aquæ, quarum natura est fluitare semper, atque ad ima delabi, super Cęlum consistere possint, cuius rotunda videtur esse figura, meminerit Scripturæ dicentis de Deo; Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum; & intelligat, quia qui infra Cęlum ligat aquas ad tempus cùm vult, vt non pariter decidant, nullo firmioris substantiæ crepidine subentatas, sed vaporibus solummodo nubium retentas: ipse potuit aquas super rotundam Cęli sphæram, ne vnquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciali. Sed & si liquentes ibi aquas sistere voluit, nunquid maioris hoc miraculi est, quàm quòd ipsam Terræ molem (vt Scriptura dicit) appendit in nihilo? Nam & vndæ, siue rubri maris, seu fluuij Iordanis, cùm ad transitum Israëliticæ plebis in altum rectæ, murorum instar figuntur: Nonne euidens dant indicium, quòd & supra rotunditatem Cœli volubilem fixa possint ratione manere? Sanè quales quales ibi aquæ sint, esse tamen eas ibi, quod Scriptura sancta dixit, nulli dubitandum reliquit.*

GLOSSA Ordinaria ex Beda hæc ita obstrinxit.

Cęli, in quo fixa sunt sydera, creatio describitur, quod constat esse in medio aquarum. Nam suppositæ sunt ei aquæ in aëre, & in terra, superpositæque, de quibus dicitur in Psalmo. Qui tegis aquis superiora eius. Et Post. Psal. 103. *Si quem mouet, quomodo aquæ natura fluidæ, & in ima labiles super Cęlum possunt consistere, cuius figura rotunda videtur esse: de quo scriptũ est, meminerit Iob; Qui ligat aquas in nubibus suis &c.* Iob 26. *Qui enim infra Cęlũ ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, potest super Cęli sphæram ne labantur, non corporali tenuitate, sed glaciali soliditate aquas suspendere, qui etiam terræ molem appendit in nihilo. Quales autem, & ad quid vtiles, nouit qui condidit.*

GLOSSA Interlinearis.

In medio aquarũ, quarum superior pars in modũ crystallini lapidis congelata est, inferior in matricẽ redacta.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Cùm ea pars firmamenti, quæ nos respicit, sit concaua, quidam colligunt extremam, vel summam eius partem esse conuexam. Itaque impossibile esse, vt aqua ibi commorari possit. Nam eam semper ex editioribus locis solere in valles, & cauernas collabi. His alij se opponunt dicentes: nihil posse obstare, quin, licet interior pars sit concaua, exterior sit planicie conspicua. Exempla producunt, quæ petuntur ab mactris pistorum, & ab cauernis terræ, quę quidem intra habent concauitatem, sed extra plerunque sunt plana superficie contentæ. Si autem Cœli figura non sphærica est, destruitur motu & imprimis circulari. Cęterum in medio aquarum constitit, sicuti & Terra, sustinens supra se aquas immobili statione. Et Post. *Firmamentum autem dicunt nuncupari Cœlum, seu quòd concretum, & compactum sit ex simplicissima aquæ natura: seu, vt distinguat & secernat ab inferioribus tenuissimam, & leuissimam naturam, nulloque sensu comprehensibilem. Quod ait; In medio aquarum: satis euidenter docet, æqualem vtrinque fuisse aquarum diuisionem. Sic enim habet textus; Distinguat inter aquas, & aquas, siue in medio aquarum.*

BEDA Expositione in Genesim.

Vtrum nunc illud Cęlum fiat, quod excedit omnia aëris spatia, & in quo constituantur quarto die luminaria, an ipse aër vocetur firmamentum, meritò quæri potest. Multi enim asserunt, aquarum naturam super sydereum Cœlum esse non posse: eo quòd sic habeant ordinatum pondus suum, vt vel super terram fluitent, vel in aëre terris proximo vaporaliter circunferantur. Nos verò quomodo, vel quæ aquæ ibi sint, esse has super summum Cęlum minimè dubitemus. Maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Et Quæstionibus in Genesim.

Ordo elementorum, & pondus non sinit, vt sit aquarum substantia super Cœlos: aqua enim cedit terræ, & aër cedit aquæ, & ignis cedit aëri. Nullo modo enim potest esse, vt secundum elementum, quod est aqua, sit super quartum, quod est ignis: & quomodo dictum est: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. M. Quomodo, aut quales ibi sint aquæ illæ, quas Scriptura dicit super Cœlos esse, esse eas ibidem minimè dubitemus. Sicut enim istæ nubes, quæ vtique sunt, feruntur super aërem: ita fieri posse arbitror, vt aquæ tenues, atque subtiles ferantur super Cęlum. Nam ex hoc pondere elementorum multi Philosophorum resurrectionem carnis illudentes, non posse fieri inquiunt, vt homo, qui vtique ex terra factus est, sit in Cęlo. Sed hos veritas conuincit, qui facit multa animalia terrena volitare in aërem, & ignem, quod est vtique quartum elementum, esse in terra. Ergo Dei potentia, quæ hæc facere approbatur, facit vt homo, & aqua sint super Cęlum. Et post. *Tandem insanire desinant Hæretici, atque confusi agnoscant, quia qui cuncta potuit creare ex nihilo, potuit & illam aquarum naturam glaciali soliditate stabilire in Cęlo. Nam cùm & ipsi dicant, volui orbem stellis ardentibus refulgentem, nonne diuina prouidentia necessariò prospexit, vt intra orbem Cœli, & supra orbem redundaret aqua, quæ illa feruentia axis incendia separaret.*

Et libro de Natura rerum, capite octauo.

Aquas super firmamentum positas, Cęlis quidem spiritalibus humiliores, sed tamen omni creatura corporali superiores, quidam ad inundationem Diluuij seruatas, alij verò rectius ad ignem syderum temperandum suspensas affirmant.

Psal. 103. Glossa Locupletata hæc habet.

BRIDEFERTVS Ramesiensis, vt habetur apud eundem Bedam.

Sicut terrarum ponderibus, & aër, & aqua cedunt, vt ad terram perueniant; sic aquarum ponderibus & ipse aër cedit, vt vel ad terram, vel ad aquam perueniat. Aëris quoque particulam, si quis in spatijs illis sublimibus Cęli posset dimittere, pondere suo caderet, donec ad aëria subter spatia perueniret. Huiusmodi argumentis colligunt Philosophi aquas super æthereum Cœlum esse non posse. Quibus ita respondetur. Si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias peruenire, vt super istum aërem vaporaliter feratur, qui natura leuior est aquis: cur non potest & super illud leuius Cęlum minutioribus guttis, & leuioribus ferri vaporibus? Quomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitamus. Maior est quippe Scripturæ sanctæ auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Et Glossa incerti Auctoris in eodem loco.

De aquis, quæ super Cœlos sunt, hæc est beati Ambrosii sententia: Aquas super Cœlos Sapientes Mundi aiunt esse non posse, dicentes igneum esse Cęlum, nec posse concordari cum eo naturam aquarum: addunt quoque dicentes, rotundum, ac volubilem, atque ardentem esse orbem Cœli, & in illo volubili circuitu aquas stare nequaquam posse. Nam necesse est, vt defluant, & labantur, cùm de superioribus ad inferiora orbis ille detorquetur: ac per hoc nequaquam eas stare posse aiunt; cùm axis Cœli concito se motu torquens eas voluendo effunderet. Sed hi tandem insanire desinant, atque confusi cognoscant: quia qui cuncta potuit creare ex nihilo, potuit & illam aquarum naturam glaciali soliditate stabilire in Cęlo. Nam cùm & ipsi dicant volui Cœli orbem, stellis ardentibus refulgentem; nonne diuina prouidentia prospexit, vt intra orbem Cęli, & supra orbem redundaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret?

Psal. 103.
Iob 26.

Bridefertus certe benè hausit Augustinianam doctrinam, sed Glossa incerti nominis id tribuit Ambrosio, quod me non legisse fateor, & quod si ad ea, quæ Ambrosius prodi-

prodidit in Hexæmeron, comparemus, multum distare, repugnareque perspectũ est. Tradit præterea Beda libro de Mundi constitutione quinque modos, quibus aquæ supra Cęlos consistere possint. Sed de ipsis infra.

CASSIODORVS in Psalmum centesimum tertium.

Qui tegis aquis superiora eius. Quamuis ordinem conditionis exponere sentiatur; quia & super Cęlos aquæ sunt positæ; sicut & in Genesi legitur: Et ipse alibi dicit; Et aquæ, quæ super Cęlos sunt, laudent nomen Domini: tamen & sacri baptismatis nobis reseratur indicium. Psal. 148.

Et in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Aquas verò super Cęlos esse Genesis refert, ait enim; Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab ijs quæ erant super firmamentum. Quod vtrunque nimiæ laudis designat arcanum, vt & Cœlorum tenuitas firma consistat, & aquæ supra ipsum positæ, cùm sint grauiores, nisi quando fuerint iussæ, non defluant.

HAYMO in Psalmum centesimum tertium.

Qui tegis aquis superiora eius, Cęli materialibus aquis. Vnde alibi; aquæ super firmamentum.

Et in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Et aquæ omnes, quæ super Cęlos sunt. Aquæ, quæ in rei veritate sunt super Cęlos (vnde nobis pluuiæ descendunt per cataractas Cœli) laudent nomen Domini: idest, materia nobis sint laudandi Deum, attendentes inter cætera, quod cùm illæ aquæ, quæ spissi corporis sunt, teneantur subtilissimo corpore Cęli, valdè mirari possumus, & à laude Dei cessare non debemus.

REMIGIVS Antisiodorensis Enarratione in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Esse aquas super firmamento, ex Genesi patet, vbi dictum est; Diuisit aquas quæ erant sub firmamento, ab ijs quæ erant super firmamentum.

EVTHYMIVS Zigabonus Comm. in Psalmũ centesimum tertium.

Qui tegis aquis superiora eius. Qui tegis, inquit, & cooperis eius Cœli excelsa, ipsum scilicet secundũ Cęlum; Et diuisit, inquit, Deus inter mediũ aquæ, quæ erat infra firmamentũ, & inter mediũ aquæ, quę erat supra firmamẽtũ. Admirandum est igitur, quòd fluida aquæ natura contineri potuerit supra firmamentũ, quod curuum est, & non effluxerit. Nam & ipsum firmamentum fornicis figuram habet, quemadmodum aspectus docet.

RICHARDVS Pampolitanus Enarratione in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Et aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, ad complendam elementorum consonantiam, laudent nomen Domini. Magna laus, quòd & tenuitas Cęlorum firma consistit, & aquas, quæ graues sunt, sustinet; quæ aquæ non nisi missæ defluunt per pluuias.

BRVNO in Psalmum pariter centesimum quadragesimum octauum.

Et non solummodo Cęli Dominum laudent, sed & aquæ, quæ super Cęlos sunt, laudent nomen Domini: idest, caussæ sint, quare à fidelibus laudetur nomen Domini: idest, quare Dominus laudetur, ex consideratione magni nominis eius, quod est Dominus, & creator, qui in hoc valde potens, & mirabilis apparet; quòd non solum sub firmamento, sed etiam super firmamentum aquas creauit. Iuxta quod in Genesi legitur; Diuisit Deus aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Quare autem ibi creatæ sunt, etsi nos lateat, non tamen absque ratione & vtilitate maxima factum esse putandum est.

RVPERTVS in Genesim libro primo, capite vigesimo tertio.

Porrò alij Doctorum, nomine aquarum, quæ sunt super firmamentum, nihil aliud quàm aquas simpliciter intelligi volunt. Eorum proculdubio sententia iustius, atque tutius placet, videlicet, vt à sacræ Historię litera sensus non discrepet. Veruntamen non vsque adeò consentimus aquas esse super firmamentum, vt concedamus etiam congelatas esse, quod aliqui magis coniecturaliter, quàm rationabiliter opinati sunt.

Et post, capite vigesimoquarto.

Vnum hoc vt certum teneamus, cameram huius Mundi positam esse in medio aquarum, quia videlicet firmamentum, quod quasi tectum eiusdem cameræ est vndique ambiens, auctoritate sacræ Scripturæ factum est in medio aquarum. Ad quid? Et diuidat, inquit, aquas ab aquis. Quod ne parum firmitatis haberet semel dictum, iterum Scriptura hoc ipsum repetiuit, dicens; Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his qua erant super firmamentum. Itemque, quia in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum, addidit; Et factum est ita.

Et post, capite vigesimo quinto.

Ita vehementer (vt supra dictum est) magnificatus est Dominus Deus noster, primùm amictus lumine sicut vestimento, deinde extendens Cęlum sicut pellem, & tegens aquis superiora eius. Et mirum quidem opus magnifici Dei, quòd aquarum molem subterfusi sustinet firmamenti natura subtilis: Veruntamen hæc ipsa admiratio ex præsenti exemplo tolerabilior fit, ne illud cuiquam incredibile sit. Quid enim terram grauissimam, de qua postmodum dicendum est, aliud sustinet, nisi vndique circumfusus aër idem, licet crassior, &

Psal. 135. *aquæ partim circumfluentes. Hoc enim admirans Psalmista: Confitemini, inquit, Domino, qui facit mirabilia magna solus, qui fecit Cœlos in intellectu, qui firmauit terram super aquas.*

Et capite trigesimoprimo.

Aquæ profectò, quæ sub firmamento sunt, reliquiæ vel pars aquarum sunt, quæ sunt super firmamentum. Sic enim dictum est, Fiat firmamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis, &c. Ergo diuisio aquarum, de qua supra dictum est, simpliciter, siue literaliter accipi debet, idest, non ea quam dicunt Philosophi diuisionem vocis, in plures significationes, sed ea quam dicunt totius in partes diuisionem.

ANSELMVS Cantuariensis de Imagine Mundi libro primo, capite vigesimoquinto.

Superius Cœlum firmamentum dicitur, eo quòd sit inter medias aquas firmamentum. Hoc est formā sphæricum, natura aquarū aqueū, stellis vndiq; versim ornatū, ex aquis instar glaciei, immò crystalli solidatū: vnde & firmamentum dicitur. In hoc sunt duo poli, à poliendo dicti.

Et post capite vigesimooctauo.

Supra firmamentum sunt aquę instar nebulæ suspensæ, quæ Cęlum in circuitu ambire traduntur; vnde & aqueum Cęlum dicitur. Supra quod est spirituale Cęlum hominibus incognitum, vbi est habitatio Angelorum, per nouem ordines dispositorum. In hoc est Paradisus Paradisorum, in quo recipiuntur animæ Sanctorū. Hoc est Cœlum, quòd in principio legitur cum terra creatum. Huic longè supereminere dicitur Cęlum Cęlorum, in quo habitat Rex Angelorum.

Psal. 148. HVGO de Sancto Victore Adnotationibus in Genesim, capite exto.

Quòd autem aquæ super firmamentum sint, & in Genesi & in Propheta etiam habetur: vbi dicitur; Aquæ quæ super Cęlos sunt, laudent nomen Domini. Quales autem sint aquæ illæ, non est nobis certum. Dicunt tamen quidam expositores, quòd glacialiter ibi solidatę sunt: mihi autem verisimilius visum est, quòd vaporaliter suspensæ ad similitudinem vaporis, scilicet fumi, vel nebulæ ibi consistant.

Summæ Sententiarum Tractatu secundo hæc ferè repetitis verbis edocet. Et de Sacramentis libro primo, parte prima, capite decimoseptimo.

Factum est firmamentum die secunda, prius quidem in illa vniuersitatis materia de nihilo creatum: & nūc ex illa ipsa ad talem formam erutum, & factum firmamentum: vt ambitu suo medium quodammodo interueniens magnam illam aquarum, immensamque congeriem abinuicem separaret, atque diuideret: & de aquis faceret aquas & aquas: hoc est aquas, quas ambitu suo intrinsecus complecteretur, & subtus se contineret: & aquas, quas extrinsecus, & supra gyrum limitis sui relinqueret.

RICHARDVS de Sancto Victore, Exceptionum libro secundo, cap. septimo.

Secunda die firmamentum factum est in medio aquarum, idest in medio confusionis illius trium elementorū, quæ in principio Cœlum, deinde aqua, deinde tenebræ vocata dicitur, & hic in opere secundæ diei aquarum vocabulo nominatur. Factum est autem firmamentum in medio aquarum, ita vt partem earum concluderet intra se, & haberet sub se; partem verò excluderet à se, & haberet super se. In massa enim vniuersitatis, id quod est intimum, est infimum, quod est extremum, est supremum. Verbi gratia, terra in rebus corporalibus omnium est intimum, & ipsum est omnium infimum. Aquæ quæ supra firmamentum sunt, sunt extrema, & ipsa omnium sunt suprema. In rebus verò medijs, quæcunque sunt exteriora, ipsa sunt inferiora, & quæcunque exteriora, & ipsa sunt superiora. Firmamentum verò ex stellis supra infixis esse volubile comprobatur, sed de qua materia factum sit ignoratur.

ABSALON Canonicus Regularis Abbas SincKirsbacensis Sermone decimooctauo, cùm diuersi generis aquarum allegorias scrutatur, aquarumque aliàs aëreas, alias Cœlestes fateatur, profectò & supra substantiam Cœlestem illam rapidam & volubilem, aquas superlocatas intellexit.

Sed videmus alias aquas salubres, vtpote quæ à venis terræ ab imo sursum scaturiunt. Item alias, quæ desursum, idest à nubibus Cœli ad terram vsque descendunt. Tertias, quæ super Cęlos suis sedibus constitutæ vsque ad nos non perueniunt.

Non est quòd prætermittamus duos Magistros.

MAGISTER Sententiarum in Psalmum centesimumtertium.

Qui tegis, vel protegis aquis superiora eius, Cœli. Hoc quoque ad literam benè intelligitur. Sunt enim aquæ super firmamentum diuisæ ab aquis, quæ sub eo sunt, quæ perfundunt terram.

Sed clariùs in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Et aquæ quæ super Cœlos sunt, diuisæ ab his, quæ sub firmamento sunt, laudent nomen Domini: & ita faciunt, & Cęli, & aquæ. Nimia enim laus est, quòd & tenuitas Cęlorum firma consistit, & aquas, quæ grauiores sunt, sustinet: quæ nisi iussæ defluunt per pluuias, quæ, sicut dicitur, apertis Cœli cataractis per pluuiam mittuntur.

Sed & prolixiùs secundo Sententiarum distinctione quartadecima.

Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento,

mamento, ab his quæ erant super firmamentum. Sciendum est, quod illius Cœli describitur hic creatio, sicut ait Beda super Genesim, in quo fixa sunt sydera: cui superpositæ sunt aquæ in aëre, & in terra, & suppositæ aliæ, de quibus dicitur; Qui tegis aquis superiora eius. In medio ergo firmamentum est, idest sydereum Cœlum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallinus enim lapis, cui magna est firmitas, & perspicuitas, de aquis factus est. Si quem verò mouet, quomodo aquæ naturæ fluidæ & in ima labiles super Cœlum possint consistere, de Deo scriptum esse meminerit; Qui ligat aquas in nubibus suis. Qui enim infra Cœlum ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, potest etiam super Cœli sphæram non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate aquas suspendere ne labantur. Quales autem, & ad quid conditæ sint, ipse nouit, qui condidit. Ecce ostensum est his verbis, quod Cœlum factum sit, scilicet illud, in quo sunt fixa sydera, idest, quod excedit aërem, & de qua materia, scilicet de aquis, & quales sint aquæ, quæ super illud Cœlum sunt, scilicet vt glacies solidatæ. Psal. 103. Iob. 26.

MAGISTER Historiæ Scholasticæ, capite quarto.

Sanè firmamentum diuidit aquas, quæ sub ipso sunt, ab aquis quæ super ipsum sunt: de quibus dicitur in Psalmis. Qui tegis aquis superiora eius: & sunt sicut & ipsum congelatæ, vt crystallus, ne igne solui possint; vel in modum nebulæ vaporabiles. Cur verò ibi sint, Deus nouit; nisi quòd quidam autumant inde rorem descendere in æstate.

CLAVDIVS Marius (vt Poëtas celebres non omittam) non tantùm aquas supra Cœlos quasi magnum pelagus ferri canit, sed & caussas, modumque cumulatè insinuat.

Rursus mane nouum primo iam vespere pulso
Reddita lux feat: quum se firmissima moles
Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit; ac latè duro solidata rigore
Diuisas suspendit aquas, gelidumque profundum
Axibus obiecit calidis; seque æquore septo
Nixa superfudit rebus, quas circite vasto
Contegit æthereum, deducto hinc nomine, Cœlum.
Forsitan hic aliquis sic secum errore petito
Disserat, æthereis ne desint pabula flammis,
Et nimius calor ima petens, alimenta sequendo
Exurat mortale genus, Cœlumque coruscum
Non possint terrena pati, subiecta deorsum est
Machina firma Poli: quæ dum nos protegit vmbra,
Interea super impositis frigescit ab vndis.
Numinis at verò diuini quærere caussas
Mens fuge nostra procul: plus sit tibi credere semper
Posse Deum, quicquid fieri non posse putatur;
Et magnum pelagus super astra, & sydera ferri,
Ipsorum ratione proba, qui credere nolunt,
Et Mundum pendere volunt, quem conditor ipse
Gestet, & immenso constantem pondere voluat.

DRACONTIVS Hexæmeron, seu de Opere sex dierum, libro primo.

Altera quippe dies Cœli conuexa meretur,
Ac supra Cœlos ingentia flumina dantur,
Ac dominantur aquæ glomeratis fontibus almæ,
Ignibus æthereis cœlesti sede locatis,
Vnde beata nimis meruit quæ tecta polorum
Celsa Dei fabor iussu suspensa Tonantis,
Limitibus contenta suis elementa morantur,
Nec flammas restinguit aqua, glaciemvè teporat
Flammeus ignis: aquæ seruant sub lege timorem
Incorrupta suum, non impugnata vicissim,
Non discreta quidem, sed nec permixta morantur.

DREPANIVS Florus in Hymno trium puerorum.

Hunc modulentur aquæ, quas sustinet arduus æther.

HVGO Carensis, vt saltem vnum postillatorem non reticeam.

Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, &c. De quibus; Qui tegit aquis superiora eius. Et item; Benedicite aquæ, quæ super Cœlos sunt. Et sunt aquæ istæ congelatæ ad modum crystalli: vnde à quibusdam dicuntur Cœli crystallini: vel sunt vaporabiles ad modum nebulæ. Et cur ibi sint, nouit Deus. Dan. 3.

Postilla

Postilla illa D. Thomæ ascripta.

Scriptura hæc dicit, quòd fecit firmamentum, quod aquas superiores ab inferioribus diuisit. Dicuntur autem aquæ superiores, non aquæ lubricæ, vel fluidæ, sicut sunt istæ inferiores aquæ. Quare autem ibi ponantur aquæ istæ, credo hoc esse ad contemperandum calorem, à calore cęlesti, & à stellis, & Planetis influentiæ calidæ generatum. Vnde sicut in minori Mundo, hoc est in homine, in parte superiori, hoc est in cerebro, sunt aquæ, inquantum cerebrum est naturæ frigidæ humidæ. (Quod quidem celebrum calorem naturalem hominis, & eius excessum contemperat) ita & in Mundo maiori. Vnde licet hoc subticeret Scriptura, hoc docet ratio recta. Firmamentum autem illud, quod istas aquas diuidit, est Cęlum ipsum, in quo sunt stellæ fixæ, sub quo sunt septem Planetæ, & eorum orbes.

Non defuerunt ex nuperrimis Doctoribus, qui Patres audenter contẽpta omni Philosophia sint prosequuti.

HIERONYMVS ab Oleastro, Adnotationibus in primum caput Genesis.

Psal. 148. *Controuertunt hic aliqui, an verè sint aquæ super firmamentum, seu extensionem, & cùm Scriptura vbique clamet eas ibidem esse, malunt multi Theologi cæcos Philosophos sequi, quàm Scripturę auctoritatem. In Psalmo enim legimus; Aquæ, quæ super Cœlos sunt, &c. Infra etiam capite septimo est. Die illa rupti sunt fontes voraginis. Et Daniel tertio; Benedicite aquæ &c. Malim ergo cum Scriptura errare (si illa errare posset) quàm cum Philosophis vera dicere. Quare autem sint aquæ, quæ ibi super extensione sunt, nolo definire. Puto tamen eas esse elementares, & eiusdem naturæ cum inferioribus. Nam antea (vt ex textu constat) continuæ cum inferioribus erant: facto verò firmamento, seu diuisione, non videntur mutasse naturam. Præterea tempore Diluuij descenderunt; vt citatum est.*

VIELMIVS Episcopus Argolicensis, & postea Aemoniensis, Lectione decimaquarta.

Hæc in eam gratiam latius quàm soleo persequor, vt inde tanquam à certissimis rationibus demonstrem, caligare, & falli eos magnopere, qui ita ratiocinantur. Non apparet in quem vsum aquæ elementares super Cœlos positæ fuerint; Amplius, & rerum naturæ hoc non patiuntur: figmentum igitur hæc positio est. Rectè quidem hæc omnia dicerentur, & consequentia (vt ille ait) plausibilis esset, nisi verbum Dei obstaret, præsertim iuxta veteres Sanctos fermè interpretatum, qui aquas (vt cogor sæpe repetere) vnius cognationis & naturæ cum nostris locari, ac existere super Cœlos in his verbis intellexerunt; Et fecit Deus firmamentum in medio aquarum; & diuisit aquas ab aquis. Sed in ea sumus Christiani calamitate hoc tempore, vt ex nostris plures (si tamen ex nostris dici merentur) à primo iuuentutis flore assuescant sanctam antiquitatem non reformidare, tanquam videlicet ad eos pertineat, quod oratori Quintilianus ita consulit; Ante omnia futurus Orator, cui in magna celebritate, & in media Republica viuendum est, assuescat à puero non reformidare homines. Sed iam ad eum Scripturæ locum me conuerto, qui in hanc me traxit sententiam, & doctissimis quoque viris visus est potentissimus, quem & proinde accuratiùs aliquanto examinabo.

Lib. 1. c. 2. & 13.

Exinde cumulatissimè interpretatur locum illum Psalmi centesimi quadragesimi octaui; Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, &c. De quibus infra.

AVCTOR.

Hactenus igitur plurimas celebres, ac præcipuas loci huius, In medio aquarum, interpretationes deduximus, ex quibus iam præfatas omnes præter hanc postremam suis locis reiecimus, & non est cur acta agamus. Superest igitur, vt postremam hanc Patrum sententiam pro viribus corroboremus. Principiò itaque præstantissima, & singularis ratio, quæ hanc Patrum assertionem adeo vetustam, mihi acceptam, probatam, atque inconcussam reddit, est sacræ Scripturæ auctoritas inuiolabilis. Contestatur siquidem Moses, effecisse Deum firmamentum in medio aquarum, & diuisisse aquas ab aquis. Perpendas quæso, Quid firmamentum hoc extarit; Quod seiunctionis genus, & aquarum naturam percipies. Firmamentũ hoc profectò fuit seu compages Cœlorum ex elementis conflata, seu corpora omnia quæ vsque ad aërem hunc aëreis halitibus obnoxium pertingunt, prout supra luculenter satis & exactè interpretati sumus. Quantũ verò ad seiunctionem illam spectat; cùm Boetius sex diuisionum genera enumeret, certè segregatio illa aquarũ non fuit habitus à priuatione diremptio, quemadmodum extitit primo die lucis à tenebris separatio, sed potius homogenei & consistentis corporis in eiusdem generis partes secatio, quæ à Boetio diuisio totius in partes nuncupatur, & quam Ammonius diffiniens ait; Est integræ rei incisio. Itaque si homogenei

In lib. de diuisionibus.

In lib. Prædicab.

mogenei corporis partitio fuit, ea scilicet ratione, vt firmamentum & supra & subtus aquas coërceret: igitur qualis est natura infernarū aquarū, talis profectò & supernarū. STEVCHVS in Cosmopęia cōtra prædicta nullas supercęlestes aquas in sacris literis commemorari, & omnem locum, qui porrigat hanc suspitionem, aut non probè intellectum, aut non rectè ex Hebraico fuisse translatum asseruit. Negat autem primùm, quòd ex hoc loco, vbi ait Moses; Fiat firmamentū, & diuidat aquas, ab aquis, elici possit aquas super Cęlos coactas consistere. Huncque Mosis locum, Fiat firmamentum in medio aquarum, ita explicat.

Ergo cùm dixit; Fiat firmamentum in medio aquarum: intelligitur omnis superna aëris regio, quam primùm fusionem, & spatium extensum vocauit, postea Shamaim, quasi sedem, regionemque aquarum. Eaque disclusit aquas inferiores, ac superiores. Inferiores autem, quia nondum fuerant à terris separatę, dixit hac regione separatas à supernis aquis fuisse, nullas supernas aquas innuens, nisi quæ desuper concrescunt, & delabuntur semper, quas loquens populo, qui nondum philosophari poterat, quasi ex altissimis Cœli regionibus delabi monstrabat. Et post. *Fecit Deus firmamentum in medio aquarum: idest, diffudit ex altissimis aquis illis terrestribus, quæ omnium cacumina montium, teste sacro vate Dauid, excellerent, inter eas quas vident omnibus sæculis delabi mortales, aëriem regionem, eam vsquequaque velut velum tenuissimum pandens (sic enim nobis suspicientibus apparet porrectum quiddam, & effusum) eoq; vestiens terras.*

Verùm placitum hoc, aërem solum firmamenti nomine gaudere, adeò supra est reiectum, ut non amplius recenti reprobatione indigeat: Neque etenim ex cunctorum Patrum attestatione aër secundo die fuit conditus, sed cum elementis reliquis ante omnem diem; neque ex aquis eductus, sed cum eis prosilijt; nec ardentissima Solis vi, sed Dei virtute manauit, nec in ipso aëre Deus Solem, Lunam, & sydera, sed in firmamento astrigero collocauit; firmamenti etiam nomine minime vnquam aër honestatus est, quandoquidem ipse tenue prorsus est ac labile elementum, solidum autem & firmum corpus firmamentum. Interstitium quoque aquarum ipse aër esse non potuit, cùm illa sit earum interstitij ratio, vt non in se concludat, sed desuper aquas coërceat: Aër verò cùm in infima, tùm in media regione ipsis obruitur aquis. Nec seiunctio ista impressionum & aquarum effecta est secunda die, nam discriminatio inter ea, quę adsunt, efficitur, impressiones verò in aëre post multos tantummodo dies emanarunt. Tandem infima hæc aëris regio secunda die nequaquam adfuit, vastissima enim aquarum exundantia, ac maiori prorsus quàm in Diluuio earum colluuie, Mundus illa die obtegebatur. Quamobrem commentitia, & futilis conuincitur Steuci assertio, cùm tot imperspectis ac falsis assumptis innitatur, adeò vt cumulatiori repulsione haud quaquam indigere censeatur.

Aer solus nō potest dici firmamentum contra Steuchum.

Locus Psalmi centesimi quadragesimi octaui; Et aquæ omnes &c. examinatur.

Hanc Mosis de aquarum supercęlestium asseuerationem comprobat Echo Scripturarum; Echo inquam non semel, aut bis, seù ter, sed pluries repercussa reiteratáq;. Ternam attamen repetitionem explicabo. Resonat ergo ac reboat primo in loco Regij Prophetę vox in Psalmo centesimo quadragesimo octauo: Laudate eum Cęli Cœlorum, & aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini. Verbaque ista clarissima videntur esse Echo verborum istorum Mosis: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, &c. Dauid siquidem accurate cunctas creaturas ad rependendas Deo opifici gratiarum actionem de præclaro creationis munere excitat. Duosque choros, seù classes rerum tùm cęlestium, tùm subcęlestium seiunctim euocat. Inprimisque cęlestia inuitat dicens; Laudate Dominum de cęlis. Atque in hac classe connectit Angelos, Virtutes, Solem, Lunam, Stellas, Lumen, Cęlos Cęlorū, & Aquas super Cęlum consìdentes. In altera vero subcęlestia nominatim compellat, cùm ait; Laudate Dominum de Terra &c. In hac autem complicat Dracones, abyssos, ignem, & grandinem, niuem, glaciem, spiritus procellarum, montes, colles, ligna, cedros, bestias, pecora, serpentes, volucres, Reges, populos, Principes, Iudices, virgines, iuuenes, senes. Quis igitur Psalmographi nostri mirificū ordinem non admiretur? Quis non ex his aliquas esse supercęlestes aquas, ab impressionibus in aëre, atq; ab halitibus longè diuersas in-

intelligat? Ex tribus certe conuincitur, Dauidẽ hoc loco testificari, quòd aquæ illæ super stelliferos orbes consideant: Primùm ex eo quòd in classe cęlestium, non subcęlestium eas locarit: Deinde quia cùm prius aquas, quæ super Cœlos sunt, vnà cum cœlestibus rebus euocasset, postea cum subcęlestibus, grandinem, glaciem, niuem, quæ impressiones sunt in sublimi factæ, inuitat. Diuersa igitur omnino hæc sunt, nempe supercęlestes aquæ, aëreæque impressiones. Quomodo enim hæc in diuersa classe, si idem esse sanxisset, Propheta intexuisset? Tandem quoniã clare atque dilucide protulit; Laudate eum Cœli Cœlorum; & post subiecit; Et aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt. Porrò Cœli cęlorum nomine supremum Cœlum capit; Phrasi enim Hebraica, quæ in aliquo genere præstantissima sunt, huiusmodi verborum congeminatione significãtur; Vt cùm aiunt Cantica Canticorum, præstantissima inter cantica intelligunt, & Sancta sanctorum, abditissima ac sanctissima inter sancta. Quamobrem & Propheta horũ verborum, nempe Cęli cęlorũ, conduplicatione, præstãtissimos Cœlorum supremosq; super astriferos dubio procul accepit; & cùm post hæc statim subiecerit; Et aquæ omnes quæ super Cęlos sunt, profecto per hos Cęlos (ordine id exigente) non aëreos infimos, sed astriferos, qui medij sunt, intellexit.

Hebræi vocis geminatione rei de qua loquuntur, excellẽtiam demonstrant.

STEVCHVS loco asserto, hoc Dauidis oraculum extorquere ausus est. Ait enim.

Aer solũ nõ potest dici firmamentum contra Steuchum.

His etiam quæ diximus, patet illud oraculum; Et aquæ quę super Cœlos sunt, laudent nomen Domini. Dicendum enim, Cœlum, propter morem linguæ Hebraicæ & Super, intelligendum respectu nostrorum oculorum, non cęlestium globorum, ac sphærarum, quasi vltra ac supra illas. Cęlum quoque aërem, totamque regionem sublimem exponendum: Aquas ergo, quæ super Cęlos, nubes, ac pluuias voluit significare.

Comprobat hanc interpretationem, eo quòd Vates sanctus in enumeratione impressionum post acta, pluuiam, vti supra narratam, prætermiserit. Alij alia serie hunc locũ interpretantur. Contendũtq; Dauid Cęli cœlorum nomine beatorum omnium, tam Angelorum, quàm hominum (vti nos dicebamus) domicilium intellexisse. Et cùm adiungit; Et aquę omnes, quæ super Cœlos sunt &c. ipsum non orbes cęlestes, sed aërem, ex eo indicare præsumunt, quia non dixerit præcise; Quæ super Cęlos cęlorum sunt. Ingeniosæ certe forent hæ interpretationes, nisi arbitrariæ prorsus essent, elegantemque ordinem, ac sacrum Prophetici oraculi sensum non perturbarent. Cùm siquidem duas classes egregie constituat Dauid, cęlestium, ac sublunarium rerum, in cœlestiumque acie aquas enumeret; censent isti, quòd interrupta pulcherrimi ordinis serie, ex sublunaribus solas aquas cum cœlestibus connectat, & incongruè à Cœlis Cœlorũ, qui certè aërem non explicant, sed potius altissimos ac supernos Cœlos, ad aquas descendat. Rectius igitur asserendum venit, quòd Propheta, dum post Cœlos cœlorum, excelsissimos videlicet Cœlos, aquam euocat, & super Cœlos considere testatur, stelligeris orbibus vere aquas incumbere ac supereminere asserat, ac fateatur. Redditurque planior, promptior, ac probatior oraculi expositio. Deinde si aquas supercœlestes nil aliud sunt ex horum Doctorum placito, quàm impressiones in sublimi, vt quid Dauid ipsas inter cœlestes res collocat, cùm easmet inter subcęlestes memoret dicens; Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum? &c. Intellexit igitur aliud præter aëreas impressiones per aquas, de quibus ait; Et aquę omnes quæ supercęlos sunt &c.

Locus Cantici trium Puerorum: Benedicite Cœli Domino, benedicite aquæ omnes &c. perpenditur.

Canticum trium Puerorum eadem consona Echo hoc ipsum contestatur. Tres siquidem Pueri in flammarum voragine, ad Deum benedicẽdum ob singulare in eos beneficium, nempe, quòd inter voraces, exurentesque flammas eos illæsos præseruaret, cunctas pariter creaturas, recto, ac mirifico ordine, à supremis auspicati ad inferiores descẽdentes inuitant, atque deposcunt. Inuitant primùm Angelos, deinde Cœlos, tertiò aquas quæ super Cœlos sunt, postea virtutes, exinde Solem, Lunam & stellas; Tandẽ aëreas impressiones, imbres, rores, ignem, æstum, pruinas, glacies, niues, lucem, tenebras, fulgura, nubes. Quis certe hanc seriem adeò perspicuam conturbare poterit? Si

sancti

Sancti isti primò Angelos, deinde Cœlos, & post Cœlos ante Solem, Lunam, & stellas aquas memorant, quis nomine Cœli, Cœlos supernos non capiet? Quis aquas illas super Cœlos considere abnuet, si ante Solem, & Astra eas vocant à cœlestibus ad subcœlestia descendentes, impressionesque aëreas singulatim postea recensentes? Clarissima certè, ac conspicua est hæc testificatio. Sed videamus, quid aduersarij prodant.

STEVCHVS locum istum sic illudit.

Quòd autem in hymno trium puerorum statim post Angelos, ante Solem, & Lunam aquæ nominantur, dicendum, auctorem eius carminis in ea sententia fuiße, sicut & Hebræi postea, vetustiores autem secus credidisse.

Rapida fuga certè hæc est; Ego equidem lubenter ab ipso auscultarem, quinam ex vetustioribus hebræis aliter arbitrati sint; non enim id prodit, quia nec potuit prodere, cùm Moses, ac Dauid ex vetustioribus contrariam sententiam docuerint. Quòd si etiã captiuitatis Babilonicæ tempestate hæc adoleuerat opinio, certè ex uetustioribus prodierat, nec adeò vlla vnquam de hoc fuerat apud Hebræos controuersia, ut ipse excogitat: cum & Rabbinorum copiosior acies nouissimè idipsum ex omnium consensione decernat. Contendunt alij (vt Pererius) in Cantico rectum non fuisse ordinem à supernis creaturis ad inferas deductum, eo maximè, quia post glaciem, & gelu, statim dies, ac nox, lux, & tenebræ, quæ ante proponi debuerant, memorantur. Sed eluditur statim hæc illatio. Nam etsi res ipsæ, quæ singulis in Classibus contexuntur, non ad amussim suo in loco fuerint collocatæ, attamen non prætermissus est is ordo, & ea series, ut in cœlestium Classe nulla creatura sublunaris insereretur; Lux siquidem, tenebræ, dies, & nox, quamuis prodeant à Sole, quem supra ut rem cœlestem enumerarat, at tamen in aëre, & aquis, ac rebus collucidis diffuso, conspiciuntur. Quare non seruato inter eos ordine recensentur. In cantico trium puerorum quo res ordine recenseantur.

Dictum Psalmi centesimi tertij; Qui tegis aquis superiora eius, interpretatur.

Repetit adhuc tertia Echo Scripturarum in Psalmo centesimo tertio. Dei nanque magnificentiam extollens Dauid his exorsus est; Benedic anima mea Domino; Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Plura magnificentiæ Dei monumenta (quæ ex D. Hieronymi sententia cuncta legenda sunt in secunda persona, nõ in tertia) hic recenset. Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento, extendens Cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. Qui ponis nubem ascensum tuum, & ambulas super pennas ventorum. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem. Qui fundasti terram super stabilitatem suam &c. Non capio certè, quomodo Cytharædus, ac diuinarum laudũ præcentor Dauid, dum ait; Extendens Cœlum sicut pellem, Cœli nomine aërem, & non supernos flammatos orbes intelligat, cùm de altissimo prorsus Dei solio, ac loco, sermonem habeat, in quo lumine immenso circumquaque amictus, Angelis imperans, super omnes nubes, ac ventos excelsos elatus, vniuersa moderatur, ac regit, cunctaque in viuentium suffragium fouet. Quòd si Cœli nomine supernos astriteros capit, igitur aquas tegere eorum superiora clare pronuntiat, ac obtestatur.

STEVCHVS hunc clarissimum locum talibus refellit. Psal. 103.

Declaranda nunc, vel soluenda sunt alia, quæ supercœlestes aquas credere nos cogerent. Quod enim dicitur; Qui tegis aquis superiora eius: quem sensum habeat, ex alio Scripturæ loco declaro; Qui operit Cœlum nubibus, eadem cùm sit vtrobique oratio, idem debet esse orationis sensus. Cùm Cęlum dicit nubibus à Deo cooperiri, quid percipis? quo te vocari, & impelli animo sentis? Nempe Cęli, hoc est, aëris regiones supernas nubibus offundi, per latas Cęli regiones Deum nubila spargentem auferre ex oculis serenitatem: possumque audacter asseuerare, Cęlum à Vate hoc loco non supernos illos orbes, qui non videntur, non veniunt sub aspectum nostrum. (Nam cęruleum illud aëris immensi est decoloratio) nominari, sed viride istud, ac serenum, quod tegi, vel operiri, atque abscondi nubibus potest, non possunt orbes, qui non videntur. Sicut ergo Cœlum operit nubibus Deus, sic contegit aquis. Psal. 146.

Verùm Steuchus locum minimè consimilem detulit, & qualiscunque is sit, meo iudicio ei refragatur. In hoc etenim, quem nos perpendendum suscepimus, Propheta

de amplissima Dei maiestate, ac eius augustissima sede præcipuè, quæ in supernis Cœlis est, verba facit. In eo verò quem Steuchus protulit, mirifica aërea beneficia pertractat. Verum dato de eodem Cœlo vtrobique sermonem haberi, quid prohibet locum ipsum; Qui operit Cęlum nubibus: de superno pariter & astrigero Cęlo interpretari? Aërem certè nubibus obuolui ac obrui conspicimus, sed & supernos Cęlos operiri, id est lucem, serenitatemque ab ipsis prosilientem tegi, & Scripturæ sæpius produnt, & communis loquendi consuetudo vsu comprobauit. Consistunt igitur claræ, ac inconcussæ hæ authoritates, si ingenuum literæ sensum, importunis, atque violentis interpretationibus semotis, studuerimus amplecti.

Ecclesiæ tacitus nutus, quinimmo aperta consensio hanc Patrum de aquis supercęlestibus diffinitionem approbare uisa est. Ipsa nanque Dei summi opificis vnoquoque die elaboratum opus sigillatim memorans, hymnosque ante populos decantans, ut simul eis sint & Dei præconia, & morum instructiones, aquas super Cęlos à Deo suspensas hac die celebrat; quod Dei opus minimè profectò recenseret, si id anceps, vel inexploratum, multoque minus si id falsum & à ueritate alienum existimaret. Verum quid clarius, quid ponderosius, hac de re prodere potuit, quàm ea, quæ supra retulimus?

Immense Cęli conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquæ fluenta diuidens,
Cęlum dedisti limitem:
Firmans locum cęlestibus,
Simulque terræ riuulis,
Vt vnda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipet.

Infestant alij hanc Ecclesiæ consensionem, interpretanturque hymnũ hunc de aquis, quæ in Cęlo aëreo fiunt, quibus temperatur calor, & ardor, non syderum, sed qui ex syderibus accidit terræ. Animaduertant obsecro primùm, quid importet illud; Aquæ fluenta diuidens, Cęlum dedisti limitem: siquidem si immensus Cęli conditor diuidens fluenta amplissima aquarum, dedit Cęlum, ut limitem, infra quem aquæ illæ supernæ descendere nequeunt, quo pacto aër Cęlum erit, qui aquas in sublimi genitas ad nos defundit? Deinde quænam flamma illa est, de qua inquit; Vt vnda flammas temperet, nisi ea ipsa, de qua post quarta die canit; Qui flammeam Solis rotam constituẽs? Flamma igitur est ab ipsis Astris, à quibus est splendor, & flagrantia. Deinde aduertant, quòd hi aërei Cęli non fuerint hoc secundo die producti, quamobrem nec Ecclesia iuxta ipsius institutum pro eis gratias Deo rependere potuisset.

Accedit santorum Patrum authoritas, qui mihi certè œcumenici fere cuiusdã Concilij speciem ac maiestatem præseferre videntur. Et quidem si Ecclesia ea Patrum tempestate ad hanc decidendam litem concilium iussu Papæ coegisset, nec aliud profectò ipsi diffinissent. Nec possum non uehementer mirari, quòd sententia ista per mille ducentos, & amplius annos frequentioribus calculis recepta, & sancita, nunc ita facilè contemptui habeatur. Commisereorque summopere tempestati nostræ, quòd plures ex nostris (si tamen ex nostris dici merentur) qui necdum summis labijs disciplinas degustarunt, assuescant statim sanctam venerandamque antiquitatem non uereri, sed paruifacere, atque quascunque pro suo arbitratu sententias astruere: adeò vt non sit erronea prorsus opinio, quæ suos assertores, & propugnatores non cõperiat. Ediscant à D. Thoma, qui vt erat in Patres religiosissimus, aut nihil ferme contra eos diffinit, sed utrinque Academicorum more argumentis satisfacit, aut certè eos conciliare nititur, ut etiam adnotauit Vielmius. Adhuc præter euidentissimas sacrarum Scripturarum auctoritates, & Patrum attestationes, aquas naturales super Cœlos consistere, ipsa Mundi compages mirificè demonstrat. Mundum duplicem suscipere potuisse structuram non ignoramus. Alteram secundum connatam elementis naturam. Alteram in viuentium gratiam generationibus rerum propensam, atque adaptatam: Opificem summum non eam, sed hanc in Orbis effectione exhibuisse nullus respuet. Patent siquidem huius dispositionis plura monumenta. Ignis qui leuissimus ocyssimusque supernam sphærã anhelat, ac exposcit, quasi in carcerẽ detrusus intimis terræ visceribus concluditur; & quasi inops pabulo indigus ob mixtorum generationem his nostris Sibi peregrinis regionibus comprimitur. Aquæ, quæ immensa mole omnem terræ ambitum circumuallare, ac obruere sua natura poscebant, in vnum locum sunt coarctatæ, vt telluris

Quam dispositionem Deus Mundo indiderit.

telluris planicie detecta, iucundum nobis solum pararetur, terraque ipsa ad germina proferenda apta rederetur: Aëris quoq; infimam regionem subducta aquarum colluuie Mundi fabricator denudatam reliquit, vt terrestres animantes & præcipue homo in ipsa halitantes incolumem vitam traducerent. Approbauit hæc omnia D. Thomas Quæstionibus disputatis, quæstione quarta. Quis igitur non philosophari poterit, Deũ super Cœlos aquas euehisse ad Vniuersi commodum secundum rationem caussarũ earum, de quibus infra disceptabimus, seu caussa nobis imperspecta? Quin & dispositio huiusce Microcosmi à summo opifice summa arte ac sapientia elaborati, cuius maxima cum Mundo magno fulget similitudo, id ipsum annuit. Articu. 1. ad quartum.

AVGVSTINVS siquidem de Ciuitate Dei libro vndecimo, capite trigesimoquarto, ingeniosa, ac eleganti inter vtrunque Mundum assimilatione, id fieri posse egregiè demonstrat. Nec pigeat locum iterum audire, vt grauiori consideratione perpendatur: septies enim opportune repetita placebunt.

Sed hi qui in nomine aquarum, quæ super Cœlos sunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum mouentur; & ideò non putant aquarum fluidam, grauemque naturam in superioribus Mundi locis potuisse constitui: qui secundum rationes suas si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod Græcè dicitur φλέγμα, *& tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est phlegmatis, secundum Dei opus vtique aptissimè: secundum istorum autem coniecturam tam absurdè, vt si hoc nesciremus, & in hoc libro similiter scriptum esset, quòd Deus humorem fluidum & frigidum, ac per hoc grauem, in superiore omnibus cæteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent. Et si auctoritati eiusdem Scripturæ subditi essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse censerent.*

D. THOMAS in Postilla hæc ita reassumit.

Vnde sicut in minori Mundo, hoc est in homine, in parte superiori, hoc est in cerebro, sunt aquæ, inquantum cerebrum est naturæ frigidæ humidæ: (Quod quidem cerebrum calorem naturalem hominis, & eius excessum contemperat) ita & in Mundo maiori. Vnde licet hoc subticeret Scriptura, hoc docet ratio recta.

Si Medicos consuleremus, vnde cor, quod sedes est caliditatis, in medio corporis; Caput verò humiditatis domicilium in eminentiori loco sit collocatum; nullam aliam certè huiusce rei rationem redderent, præter opificis prouidentiam, qui ita corporis temperamento consulere disposuit.

Verùm & experimentum mirificam hanc Orbis dispositionem arguit & suadet, idq; ingenio & industria cuiusdam ex concanonicis nostris mihi planum effectum est. Vitreo enim vasi, in quo ouum vt stillaret conclusum fuerat, subiecto sensim igne, seiuncta mox apparuere in eo hac serie elementa, quòd terrea crassities infimum locum obtinuerit, ignea secundum, aërea tertium, tandem aquea supremum nescio qua ui ac ratione sibi vendicarit. Mundi certè opificium, ac dispositio mirabilis est, nec nobis perspecta ac nota, cùm forte solum ab Angelis intelligatur; vt non mihi obijciat Auerroista, non dari intelligibile quod percipi non queat.

Vt supremam huic disceptationi manum imponamus, reliquum est diffinire; Num aquæ iuxta naturæ ordinem, an potius portentosè supra firmamentum dicantur euectę. Præcipuum enim illud est contra sententiam nostram argumentum, ex naturali elementorum dispositione, aquas, quæ natura sua igne & aëre sunt grauiores, super Cęlos non posse vlla ratione considere. Assero itaque primùm ex Patrum mente, aquas super cęlestes orbes non ex miraculo, neque contra naturam, neque ex natura, sed præter naturam ad Vniuersi dispositionem consistere, quemadmodum & Theologorum quamplurimi corpori cęlesti non ex natura, neque contra, sed præter naturam motũ in orbem conuenire arbitrantur. Pro quibus duo animaduertenda censeo. Alterum cęlestia corpora iuxta Patrum effata ex elementis conflata esse: Alterum, Vniuersi structuram, quantum ad elementorum situm spectat, duplicem, vt paulo ante tradebamus, attendi posse. Alia est, quæ elementorum ponderibus atque naturis constituitur, qua aqua terram, aër aquam, ignis aërem ambit. Alia vero, quæ in gratiam viuentium fieri ab opifice debuit: qua aqua terræ specubus concluditur, & ignis vbiq; diffunditur, & aqua super cęlestes globos elata considet. Prima structura in Chaos extabat. Tunc siquidem terram aqua vndique, & aquam aër, & aërem ignis, ex Basilij, Ambrosij, cæterorumque mente vallabat. Altera vero tribus his primis diebus emolitionis Mundi à

Num aquæ super Cęlos resideant naturaliter, an ex miraculo.

Deo

Deo opifice elementis indita fuit. Quibus rite perspectis à Patribus non abscedentes, aquas super Cęlos, non contra ipsarum naturam, neque secundum naturam, sed præter naturam suspendi, ac ferri statuamus, nimirum iuxta eam, quam secundo loco detulimus, Orbis dispositionem, qua Deus non elementorũ pondera, sed viuentium necessitatem respexit. At quomodo sæpius Patres id miraculum vocitant, atque vt miraculũ suspiciunt, ac celebrant? Respõdeo, Patres id omne, quod præter ordinem naturæ quãquam non contra ipsorum elementorum naturã factum fuerit, Dei omnipotentiæ ascribere, & miraculum nuncupare. Hac siquidem ratione ex potentia opificis effectũ fuit, veluti miraculum & præter naturam, quòd terra aquis sese exeruerit, cùm eis subsidere sibi ex natura datum esset; quòd aqua terræ hiatibus, atque antris se coarctarit, quæ vndique terram quaquauersum alluere, ac circumuallare natura tenebatur: quòd ignis terræ visceribus cõprimatur, cùm super euolare affectet, quòd aquæ in vaporem attractæ, per aërem diffundantur, cùm longe aëre ipso sint ponderosiores, & aër tenuis ac labilis existat. Quæ tamen omnia nunc, etsi præter naturam, non tamen contra naturam elementorum perhibẽtur. Secundum hunc dicendi modum sæpe Patres multa ad miraculum referunt, ceu inconcussam terræ firmitatem, maris inter vectes, & ostia, hoc est, inter rupes & arenosa littora coarctationem, nubium, vt non erumpant deorsum nisi ad Dei iussum, subleuationem. Quæ tamen contra naturam esse, vereque miracula, si structura Mundi, vt nunc est, perpendatur, censeri non possunt; Miracula autem portentaque vocabuntur, si prima ex elementorum pondere structura consideretur. Pari profecto speculatione, & aquæ supercęlestes, vt miraculum à Patribus magnificantur, quas tamen non ex miraculo, sed præter naturam ad Vniuersi cõstructionem viuentibus cõmodam desuper consistere arbitrati sunt, idque vno non parum illis perspecto axiomate constituto, nempe Cœli naturam ex elementis esse compactam, sanxerunt.

Aquas super Cœlos esse, quomodo dicatur miraculum.

Verum esto, Patres id miraculum verum esse fateantur, esto, miraculum illud esse perenne, quid inde? En, inquiunt, Augustinus, libro secundo super Genesim ait; In operibus sex dierum quibus natura instituta est, non quæritur quid Deus facere possit sua virtute, sed quid rerum patiatur natura, & quid eis conueniat. Hunc Augustini tritum, ac peruulgatum locum, ita eluderem; diffiniremque omnino, quòd etsi consentaneum non sit naturæ, ut aquę tanquam graues super Cęlos veherentur: attamen nec ob id à Scripturæ authoritate, quæ aquas super firmamentum elatas tradit, recedẽdum esse, quod & ipse Augustinus eodẽ libro prodit, dicens. Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, eas esse ibi minime dubitamus; maior est quippè Scripturæ huius authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas. Hæc ille. Interpretor igitur dictum Augustini, quòd in his, in quibus Scripturæ sensus secũdum naturæ instituta explanare, ac elucidare possumus, ineptum est naturæ legibus spretis, ac contemptis, ad Dei potentiam tanquam ad tutum Asylum, vt singularem fulciamus sententiam, passim confugere, nihilque amplius inuestigare. Verum in his in quibus sacra Scriptura apertè ac dilucide aliquid Deum opificem fecisse prodit, quod natura non patitur, nec ingenium humanum natura fieri posse capit; vt quòd Deus diluuio Mundum demerserit, Arabici sinus vndas siccarit, Iordanem retrorsum conuerterit, aquas è petra excusserit, Solẽ firmarit, & similia, nunquam recedendum est à Scripturæ auctoritate; cùm maior sit sacræ Scripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas, vt dixit Augustinus: Atque vt alibi adiecit; In rebus mirabilibus tota ratio facti, est potentia facientis. Cùm igitur Scriptura attestetur ac dicat, Fecit Deus firmamentum, & diuisit aquas, quæ erant super firmamentum, ab aquis quæ erant sub firmamento; & cùm ex præfatis (si rectè perpendantur) firmamentum fuisse Cœlorum congeriem, in qua astra sita sunt, demonstrauerimus, superest vt aquas supernas vere naturales, nostrisque vnigeneas, si non ex sui natura, saltem non contra naturam super Cœlos euectas fuisse censeamus & fateamur. Num autem vllus adsit modus, quo desuper consistant, & Num vlla huius rei subsit caussa, infra disceptabimus.

Cap. 2.

Cap. 5.

Num

In medio aquarum.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

a. *Idest, cœlestium in glaciem concretarum, & terrestrium fluxilium.*

Num Aquæ supercœlestes sint glacie concretæ, Num vaporibus extenuatæ; Num liquentes; Num ignoto genere et modo constitutæ.

Quanquam prisci Patres ferè cuncti, ut ex supradictis elici potest, naturales aquas Cœlis supereminere perhibeāt, modum attamen, quo ibi insideant, non pari diffiniunt sententia. Quamplures suum non explicarunt placitū, vt Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, Hippolytus, Prosper. Alij in plures proficiscuntur assertiones, qui tamen ad quatuor redigi possunt Classes. Quatuor quippè de hac re detulere assertiones.

a. Idest, cœlestium in glaciem concretarum, & terrestrium fluxilium.

Aquas supercœlestes in glaciem concretas considere plures arbitrati sunt, vt ex Catena ante deducta colligi potest. Conclusiones attamen eorum iterum breuissimè recitabo.

IOSEPH de Antiquitatibus libro primo, capite primo.

Post hæc Cœlum secunda die super omnia collocauit, ipsumque ab alijs distinguens in semetipso constitutum esse præcepit. Et ei hoc est Cœlo crystallum circunfigens &c.

Si crystallo circunseptum est Cœlum, igitur & aquæ supernæ in crystalli speciē consolidatæ Cœlum ambiunt ex Iosephi sententia.

CLEMENS Recognitionum libro primo.

Iam verò aqua, quæ erat intra Mundum, in medio primi illius Cœli, Terræque spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata, distenditur. Et post. *Post hæc, quod reliquum fuit, in inferioribus aquarum, iussu voluntatis æternæ, locus maris, & Chaos effectum recipit, eisque ad demersa, & concaua desfluentibus, arida quidem apparuit terra.*

Si igitur aquæ media Cœli terræque spatia gelu concretæ explebant, supernæ igitur aquæ glaciales erant.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro secundo, capite quinto, ex eorum sententia, qui à frigiditate Saturni aquas super Cœlos consistere argumentabantur, concludit.

His quidam nostri coniecturis agunt aduersus eos, qui nolunt aquas super Cœlos credere, & volunt eam Stellam esse frigidam, quæ iuxta summum Cœlum circuit: vt ex hoc cogantur aquarum naturam credere, non iam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere.

Sed hæc ex propria sententia non prodidisse post demonstrabimus.

IVNILIVS in Hexæmeron, eas & glacie concretas, & liquentes esse posse contendit. Quòd autem è Cœlo non delaberentur, ex glaciali soliditate prouenire hus tradit.

Si quem verò mouet, quomodo aquæ, quarum natura est fluitare semper, atque ad ima delabi, super Cœlum consistere possint, cuius rotunda videtur esse figura: meminerit Scripturæ dicentis de Deo; Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum; & intelligat, quia qui infra Cęlum ligat aquas ad tempus cùm vult, vt non pariter decidant, nullo firmioris substantiæ crepidine sustentatas, sed vaporibus solummodo nubium retentas: ipse potuit aquas super rotundam Cœli sphæram, ne vnquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciali. Iob. 26.

Glossa Ordinaria idipsum repetit.

MAGISTER secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, non tantùm

Anno Mũdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. Idest, cœlestium in vaporem redactarum, & terrestrium labentium.

tantùm sententiam, sed & voces Iunilij suffuratus est; postque concludit.

Ecce ostensum est his verbis, quòd Cœlum factum sit, scilicet illud, in quo sunt fixa sydera, idest, quod excedit aërem; & de qua materia, scilicet de aquis; & quales sint aquæ, quæ super illud Cœlum sunt, scilicet, vt glacies solidatæ.

Non inficiatur attamen eas postea esse in vaporis specie attractas:

BEDA libro de Natura rerum, capite septimo.

Hac Cœlum Deus aquis desuper glacialibus temperauit.

Et libro de sex dierum Creatione.

Naturam tamen aquarum illic iam non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere existimamus, propter syderum naturas mitigandas, ne creaturas Dei subterpositas, nimio ardore concrement.

Hæc ipsa edocet Quæstionibus in Genesim, & post diuersa ab his detulisse habebis.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari.

In medio aquarum, quarum superior pars per modum crystallini lapidis congelata est, inferior in matricem redacta.

MAGISTER Historiæ Scholasticæ, capite quarto.

Qui tegis aquis superiora eius: & sunt, sicut & ipsum, congelatæ vt crystallus, ne igne solui possint, vel in modum nebulæ vaporabiles.

HVGO Carensis in Postillis.

Et sunt aquæ istæ congelatæ ad modum crystalli. Vnde à quibusdam dicuntur Cœli crystallini, vel sunt vaporabiles ad modum nebulæ.

Patrum igitur horum alij clarè aquas supercœlestes glacie concretas esse tradunt: alij in diuersas abeunt sententias, nec quæ sibi probatior videatur, explicant, atque diffiniunt; alij prædictam sententiam, nempe quòd glaciales sint aquæ illæ supernæ, non renuunt, quanquam non ita approbent. Sententia hæc arduam enititur effugere difficultatem: qua ratione scilicet aquæ illæ, si sint fluxiles, super sphæricum corpus consistere possint, quin labantur, & decidant. Quare glaciali soliditate concretas, vel supposito orbi hærere, vel immobiles ibi, & fixas permanere contendit.

a. Idest, cœlestium in vaporem redactarum, & terrestrium labentium.

D. AVGVSTINVS auctor est huius assertionis, quæ aquas vaporeas super Cœlos astruit. Nam cùm pluribus aquas, ex ponderis, ac naturæ elementatæ ratione, super Cœlorũ Orbes considere non posse disputasset, ac eorum sententiam, qui firmamenti nomine aërem excipiunt, non reprobasset, hanc de Genesi ad literam libro secundo, capite quarto, subnectit.

Quanquam possit videri, non impedire propria pondera elementorum, quomodo etiam super illud sublime Cœlum possint esse aquæ per illas minutias, per quas etiam super hoc spatium aëris esse potuerunt: Qui quamuis grauior, & inferior summo Cœlo subiaceat, proculdubio leuior est aquis, & tamen vt super eum sint vapores illi, nullo pondere prohibentur [. Sic ergo & super Cęlum illud potest minutioribus guttis leuior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur. Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum, in quo diuisio finiatur, sed infinitè omnia diuidi, quia omnis pars corporis corpus est; & omne corpus habeat necesse est dimidium quantitatis suæ: ac per hoc si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias peruenire, vt super istum aërem vaporaliter feratur, qui natura leuior est aquis; cur non possit & super illud leuius Cęlum minutioribus guttis, & leuioribus immanere vaporibus?

Beda hæc ipsa Quæstionibus in Genesim.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite tertio, Augustino consensit.

Vnde quæri potest quomodo elementũ aquæ possit esse supra Cœlos. Aqua enim cedit terrę, & aër cedit aquę, ignis cedit aëri. Vnde impossibile videtur, vt secundum elementum, quod est aqua, sit supra quartum, quòd est ignis. Quomodo, & quales sint aquæ illæ, quas Scriptura dicit supra Cęlos, esse eas ibidem minimè dubitamus: quæ non locorum sedibus, sed dignitate naturæ videntur supra Cœlos. Sicut enim nubes istę, quæ vbique sunt, feruntur super aërem, quod est tertium elementum, ita fieri posse arbitror, vt aquæ tenues, atque subtiles, ferantur super Cęlum.

ANSELMVS Cantuariensis de Imagine Mundi libro primo.

Supra firmamentum sunt aquæ instar nebulę suspensæ, quæ Cęlum in circuitu ambire traduntur: vnde & aqueum Cęlum dicitur.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari hanc non reticuit, cùm dixit.

In medio aquarum vaporaliter suspensarum, & per terram labentium.

HVGO noster, D. Augustino assentire visus est, Adnotationibus in Genesim, capite sexto.

Quales autem sunt aquæ illæ, non est nobis certum. Dicunt tamen quidam expositores, quòd glacialiter ibi solidatæ sunt: mihi autem verisimilius visum est, quòd vaporaliter suspensæ ad similitudinem vaporis, scilicet fumi, vel nebulæ, ibi consistant.

Et Summæ sententiarum tractatu tertio, capite primo, idipsum repetit.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima.

Aquas autem, quę super illud Cęlum sunt, dicit vaporaliter trahi, & leuissimis suspendi guttis. Sicut aër iste nubilosus exhalatione terræ aquas vaporaliter trahit, & per subtiles minutias suspendit, & post corpulentius conglobatas pluuialiter refundit. Si ergo potest aqua, sicut videmus, ad tantas minutias peruenire, vt feratur vaporaliter super aërem aquis naturaliter leuiorem; cur non credamus etiam super illud leuius Cœlũ, minoribus guttis, & leuioribus, emanare vaporibus? Sed quoquo modo ibi sint, ibi esse non dubitamus.

HVGO Carensis in vtranque sententiam rapi visus est, cùm dixit.

Sunt aquæ illæ congelatæ ad modum crystalli; vel sunt vaporabiles ad modum nebulæ: & cur ibi sint, nouit Deus.

MAGISTER Scholasticę Historiæ & ipse anceps, nec hanc prætermisit sententiam, cùm dixit.

Vel in modum nebulę vaporabiles.

D. THOMAS Quæstionibus disputatis, quæstione quarta, articulo primo, ad quintum, redarguit D. Augustini atque horum Doctorum placitum, scribens.

Ratio enim de rarefactione, vel diuisione aquarum, videtur omnino vana: etsi enim corpora mathematica possint in infinitum diuidi, corpora tamen naturalia ad certum terminum diuiduntur; cùm vnicuique formę determinetur quantitas secundum naturam, sicut & alia accidentalia. Vnde nec rarefactio in infinitum esse potest, sed vsque ad terminum certum, qui est in raritate ignis. Et præterea aqua tantum rarefieri posset, quòd iam non esset aqua, sed aër, vel ignis, si transcenderet modum raritatis aquæ. Nec posset naturaliter excedere ignis, & aëris spatia, nisi natura aquę amissa eorum vinceret raritatem.

Amplius contra Augustinum contendunt alij aquarum super Cœlos elationem fieri non posse, tùm primùm propter soliditatem Cœli, ac eius naturam, transitum non præbentem, nullasque peregrinas impressiones admittentem; Tùm propter ignis sphæram aëri superfusam, quæ omnem vaporum vim hostilem vti humidam ac frigidã vel retunderet, vel prorsus absumeret: Tandem quia qui à Sole attrahuntur halitus, non supra lunam euehi possint, sed concaua orbis lunæ extremitas terminus diffiniatur à Philosophis, supra quem vapores attracti scandere nequeunt.

Verum D. Augustini placitum immeritò redargui existimo. Non enim asserit D. Augustinus eo loco, passim nũc vapores ex terra super omnem aërem efferri, igneamq; sphærã permeare, Cœlos penetrare, & super ipsos conscẽdere: id siquidem arduũ esset astruere, non tantũ propter obiectas rationes, cùm illæ retũdi facilè possent, si tenuitatẽ illam, naturam non prætergredi diceremus, & si ignis sphæram cum neotericioribus, (ex eo quòd ignis pabulo indigeat) non dari asseueraremus, & Cęlum, vti ex elementis cõpactum, suscipere etiã impressiones peregrinas assereremus; sed ob id meo iudicio, quoniam attractio omnis halituum à Sole fiat, quare supra Solem nec etiam minutissimus omnino vapor attolli queat. Sed D. Augustini mens est astruere, nil plane elemento- Defensatur D. Augustinus.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Ideſt, Cęleſtium fluxilium, & terreſtrium pariter labentium.*

rum pondus obſiſtere, quin Deus, cùm firmamentum compegit, ſuper ipſum minutiſſimas illas aquarum partes, quæ tenuiores in aqua fieri queunt, potuerit collocare, ſegregans eas ab his, quæ ſupremam Chaos partem ad caliginis tenuiſsimæ inſtar obruebant. Quæ profectò non vapores cenſeri debent his ſublunaribus ſimiles, cùm terreſtris exhalatio indigeat Sole attrahente, & aëre vti vehiculo deferente: ſed verę aquæ exiſtimandæ ſunt ad tenuiſsimorum ſimilitudinem vaporum albeſcentes. Aquam autem vnam eſſe altera aqua magis exilem, adeò vt alia craſsiſsima, alia tenuiſsima eſſe poſsit, comparatio aquarum Pelagi, & fontium manifeſtat. Perpendas precor Auguſtini ſententiam præcitatam.

Quanquam poſſit videri non impedire propria pondera elementorum, &c.

a. *Ideſt cœleſtium fluxilium, et terreſtrium pariter labentium.*

Verùm plures ex vetuſtis Patribus, non tantùm aquas ſuper Cęlos ſitas eſſe arbitrati ſunt, ſed non parum etiam elaborarunt, quò eas vt fluidas ſuper Cœlos conſidere poſſe demonſtrarent.

BASILIVS Hexæmeron Homilia tertia & eas fluentes eſſe edocet, & ibi conſidere poſſe, quia ſuperficies conuexa Cœlorum ſphærica exiſtimari non debet. Ait enim.

Si firmamenti corpus globoſum eſt, vt aſpectus ipſe declarat, aqua autem ſuapte natura fluxa cùm ſit, & è ſublimi fluere ſoleat ac delabi, quinam potuit in curua, & ſuperiore circunferentia firmamenti ſolidè, ac ſtabiliter perſiſtere? Quid ad hanc obſecro reſpondendum eſt obiectionem? Inprimis quidem dicendum, vt donem aliquid eſſe, quod qua parte nobis cernitur, ſpeciem præfert circuli per flexuram, fornicemve internæ concauitatis, non continuo neceſſe ſit illius quoque externam ſuperficiem quaquauerſum ad imaginem ſphæræ eſſe perfectam, totumque id, perinde ac opus tornatile, exactè eſſe circunductum, leuigatum, ac perpolitum: quando videmus ipſi tùm tecta balneorum lapidea, tùm ædium extructiones antri in ſpeciem cauernoſas, ipſo quidem internæ partis aſpectu circunductas eſſe in ſpeciem figuramve ſemicirculi, cùm interim pars tecti ſuperior æquabilem plerunque obtineat, & planam ſuperficiem. Quapropter hac de re neque ſibi moleſtias ipſi ſumere, neque nobis præſtare velint, quaſi ſuperis aquam in locis detinere, coërcereq; non valeamus.

AMBROSIVS idipſum pluribus diſceptat Hexæmeron libro ſecundo, capite tertio.

Et primò volunt id deſtruere, quod frequenti Scripturarū lectione inolitum noſtris & impreſſum eſt mentibus, quia aquæ ſuper Cęlos eſſe non poſſint: dicentes rotundum eſſe orbem illum Cęli, cuius in medio terra ſit, & in illo circuitu aquam ſtare non poſſe, quòd neceſſe eſt defluat, & labatur, cùm de ſuperioribus ad inferiora decurſus eſt. Quomodo enim aqua ſuper orbem, vt aiunt, ſtare poteſt, cùm orbis ipſe voluatur?

Cui perualidę obiectioni Ambroſius occurrit, ediſſerens primùm, quòd in altitudine, & profundo cęlici corporis non deſit longitudo, & latitudo, vnde quaſi in quadrato corpore diſtendatur planities, in qua aqua hæret.

Hæc eſt illa verſutia Dialecticæ, da mihi vnde tibi reſpondeam. Quod ſi non detur, nullum verbum refertur. Petunt ſibi concedi, axem Cęli torqueri motu concito; orbem autem Terræ eſſe immobilem, vt aſtruant illis aquas ſuper Cęlos eſſe non poſſe, quòd omnes eas voluendo ſe axis effunderet: quaſi verò vt concedam illis quod poſtulant; & ſecundum eorum opiniones illis reſpondeam, negare poſſint in illa altitudine & profundo, & longitudinem eſſe, & altitudinem, quam nemo poteſt comprehendere, niſi is qui impletur in omnem plenitudinem Dei, vt Apoſtolus ait; Quis enim poteſt facilè eſſe diuini operis æſtimator? Eſt ergo latitudo in ipſa Cœli altitudine. Sunt etiam, vt de his dicamus quæ ſcire poſſumus, pleraque ædificia foris rotunda, intus quadrata: & foris quadrata, intus rotunda; quibus ſuperiora ſunt plana, in quibus aqua hærere ſoleat.

Epheſ. 3.

Deinde

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Cœlestium ignoti generis, & terrestrium desluentium.*

Deinde astruit, quòd Dei iussu, & imperio, ibi consistere possint, iuxta illud; Statuit ea in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit; sicut in mari rubro gelauerunt fluctus & firmamenti specie cursum suum frenarunt; & Iordanis aquæ consistere, nec labi iussæ sunt; ac tandem idem patefacit ex similitudine nubium, in quibus aqua in sublimi suspensa considet. Hæc luculentiùs supra relata sunt.

IVNILIVS seu Beda in Hexæmeron eadem sentit.

Sed etsi liquentes ibi aquas sistere voluit, nunquid maioris hoc miraculi est, quàm quòd ipsam Terræ molem (vt Scriptura dicit) appendit in nihilo? Nam & vndæ, siue rubri maris, seu fluuij Iordanis, cùm ad transitum Israëliticæ plebis in altum erectæ, murorum instar figuntur: nonne euidens dant indicium, quòd & supra rotunditatem Cœli volubilem, fixa possint ratione manere? Sanè qualesquales ibi aquæ sint, esse tamen eas ibi, quod Scriptura sancta dixit, nulli dubitandum reliquit.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo, his Patribus similia retulit.

Cùm ea pars firmamenti, quæ nos respicit, sit concaua, quidam colligunt extremam, vel summam eius partem esse conuexam. Itaque impossibile esse, vt aqua ibi commorari possit. Nam eam semper ex editioribus locis solere in valles, & cauernas collabi. His alij se opponunt dicentes: nihil posse obstare, quin, licet interior pars sit concaua, exterior sit planitie conspicua. Exempla producunt, quæ petuntur à mactris pistorum, & à cauernis terræ, quæ quidem intrà habent concauitatem, sed extrà plerunque sunt plana superficie contentæ. Si autem Cœli figura non sphærica est, destruitur motu, & inprimis circulari. Cæterum in medio aquarum constitit, sicuti & terra, sustinens supra se aquas immobili statione.

EVTHYMIVS Commentarijs in Psalmum centesimumtertium.

Admirandum est igitur, quòd fluida aquæ natura contineri potuerit supra firmamentum, quod curuum est, & non effluxerit. Nam & ipsum firmamentum fornicis figuram habet, quemadmodum aspectus docet.

LVSITANVS pariter.

Puto tamen eas esse elementares, & eiusdem naturæ cum inferioribus erant: facto verò firmamento, seu diuisione, non videntur mutasse naturam. Præterea tempore Diluuij descenderunt, vt citatum est.

a. *Cœlestium ignoti generis, et terrestrium desluentium.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite vigesimotertio.

Veruntamen non vsqueadeo consentimus, aquas esse super firmamentū, vt concedamus etiam congelatas esse, quod aliqui magis coniecturaliter quàm rationabiliter opinati sunt.

Et post capite vigesimoquarto.

Quòd si à nobis quæritur, in qua ergo specie aquæ illæ super firmamentum sunt, si congelatæ non sunt? Interrogemus eos; in qua specie fuerunt antequam fieret firmamentum? Verùm hoc respondere nequeunt, quia Chaos erat, & confusa moles, qualis ab humanis sensibus diiudicari non potest. Igitur criptam Mundi huius exiguam, quam in medio abyssi magnæ mirabilis artifex Deus excauando fecit, in qua nati sumus, cùm vix attendere possumus philosophando, quantum volumus, de circummanentium aquarum natura, vel specie taceamus, quia videlicet, nec istis aquarum reliquijs, quæ postea speciem, vel formam suam acceperunt, omninò similes probabiliter definire valemus, nec aliquid fingere dignum arbitramur, vt verbi gratia, congelatas esse (sicut iam dictum est) opinemur.

BEDA libro de Mundi constitutione, quinque proponit vias, quibus aquas super Cœlos elatas esse existimare possimus. Concluditque modum nos latere, imperspectumque esse. Audiamus ipsum.

Prima coniectura est, quòd sint in exteriori superficie Cœli extantia, & subsidentia loca; vt etiam in superficie terræ, in quibus aquas contineri dicunt, cum tanta verò celeritate voluuntur, vt non labantur: qui de pleno vase

vase quolibet probari potest. Nam quò maiori impetu manu circumuoluitur, eò minus effunditur. Secunda est, quòd ibi vaporaliter, quemadmodum hic nubes pendent, contineantur. Tertia est, quòd propter Solis remotionem, à quo præcipuus calor exhibetur, indurato glacialiter Cœlo cohæreatur. Vnde dicunt Saturnum frigidissimum Planetarum, quia illis aquis vicinissimum. Est etiam quarta: firmamentum vt fixum non volui, sed stellas illi appositas, nec fixas moueri: & hi an quadratum, an rotundum sit, dubitant. Nouissimè quæstio diuina virtute soluitur, quia ibi teneantur secundum Dei voluntatem: licet hic modus homines lateat, quas ibi in vsum diuinorum seruauit Deus, vel vt ignem Cœli temperent: super has spirituales Cœli sunt, in quibus Angelicæ virtutes continentur. Secundum alios nihil, nisi inane.

AVCTOR.

Conticesco iterum, calamoque suspenso, ac mente perplexa consisto, cùm repugnãtes Patrum insigniorum sententias offendo. Dicam attamen petita venia ab his, qui sedulo antiquitatem sanctam suspiciunt, & venerantur: Primùm non perspectum nobis esse, nec esse posse, qua prædìtæ sint natura aquæ illæ; Num scilicet fluentes sint, Num in vapores extensæ, Num glacie concretæ. Quare cum ipso Augustino dijudicandũ; Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas minimè dubitamus: Cũ Euchério; Quomodo & quales sint aquæ illæ, quas Scriptura dicit supra Cœlos esse, eas ibidem esse minimè dubitamus, quæ non locorum sedibus, sed dignitate naturæ videntur supra Cœlos. Et cũ Iunilio; Sanè quales, quales ibi aquæ sint esse tamen eas ibi, qđ Scriptura sancta dixit, nulli dubitandum reliquit. Cum Beda in Expositione in Genesim, & Strabo; Nos verò, quomodo, vel quæ aquæ ibi sint, esse eas super summum Cœlum minimè dubitemus, maior est quippè Scripturæ authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas. Verum si alicui ex prænarratis assertionibus inhærendum est, ea profectò præ cæteris erit seligenda, quæ paucioribus, ac minoribus molestijs irretiri conspicitur. Quapropter maximopere perpendendum arbitrarer; quòd cùm tria maximè, aquas naturales super cœlorum compagem locari posse, arduum reddant, Aquarũ nimirum pondus, quod ima loca exposcit; Natura aquæ fluxilis, quæ super sphæricam gibbosam apsidem consistere nequit; & Motus, cùm aquæ rapida primi Cœli raptatione ibi cieri posse vix credantur, nec immotę manere nisi ægrè admodum reputentur: Ea certè erit verisimilior, acceptiorq; sententia, quæ has syrtes magis elabetur, effugietque. At sententia illa, quæ supercœlestes aquas fluidas cum Basilio, ac Ambrosio autumat, grauiora vtique suscipit incommoda. Nam aqua fluxilis grauior est, quàm ea, quæ ad instar tenuissimæ nebulæ redacta est. Deinde & fluxa, & labilis minus corpori sphærico incũbere potest. Modi quippè, quibus hi Patres aquarum illarum consistentiam astruere enixi sunt, difficiles admodum euadunt. Dari in Cœlo latitudinem, ac longitudinem, profunditatemque, nemo equidem abnuet. Verùm conuexam superficiem cęlorum quadratam esse, Astronomica ratio refutat, quòd rapidissimæ, concitatissimæque Cęli supremi conuersioni, aut impedimentum afferret, aut alterũ ex duobus, quæ Natura maximè horret, nempe vel corporis penetratio, vel vacui admissio, necessario foret admittendum. Deinde cęlestes orbes intus in sinus atque hiatus scindi, qui aquas concludant, arduum est existimare; tùm quia corpus cęleste solidum vndiq; esse, vt æs fusum, tradit Scriptura; tùm quia à summitate ad occasum versa ea pars Cęli, quę aquas in sinu ueheret, eas profunderet, perpetuaque fieret aquarum collisio, fragor, & circumuolutatio; nisi adeo rapido cursu ueherentur, ut labi non permitterentur; quẽadmodum in vase aqua quanto maiori impetu circumuoluitur, tãto minus effunditur, vt Beda asserit. Quòd miraculosè eas Deus immotas suspendat, vti terram suspensam suo pondere spectamus: quanquã non à Dei omnipotentia sit alienum; alienum attamen est à dispositione Vniuersi, qua cuncta sub supremo orbe constituta ab eo rapi, & circumuolui non immeritò arbitramur. Quare maiori confractione, fragoreq; circumueherentur, si fluitantes, quàm si in subtilissimos halitus adactæ essent, seu in glaciem concretę. Conuincitur itaque ea sententia grauiora subire discrimina. Altera verò sententia, quæ in glaciẽ cõgelatas aquas supernas opinatur, etsi hoc pacto corpori sphærico eas cohærere, accommodatius dici posset: attamen quoniã aquas grauiores astruit, & quia immotas persistere eas reputat, nõ ita passim, ac sine controuersia accipiẽda est.

Aquas cœlestes admittere ex tribus potissimum difficilè existimatur.

Aquas fluidas super Cęlos collocare maximas offendit difficultates.

Quapro-

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

A Deo euectarum super Cœlos.

a. *Vt Cęlum ab ardore Astrorum præseruarent.*

b. *Seu, Vt inconcussum Cœlum à ventorum Procellis firmarent.*

Aquas in nebulæ speciem super Cœlos astruere probabilius est.

Quapropter D. Augustini sententiam, quæ aquas leuiores, atque vt circumraptentur agiliores proponit, tanquam minores offendentem difficultates, & paucioribus patentem obiectionibus, seligerem. Non tamen adeò mordicus huic insisto, vt prorsus alias refutare audeam.

Quanam caussa Deus aquas super Cœlos collocarit.

Accedo nunc ad proferendas causas à Patribus delatas, cur opifex Deus aquas super Cœlos locarit, cùm illæ plures sint, ac certe sublimes, ac cognitu dignissimæ.

a. Vt Cœlum ab ardore Astrorum præseruaret.

IVSTINVS Quæstione nonagesima tertia Orthodoxorum.

Etsi astra infra Cœlum sunt, tamen motus actionis eorum, quæ ignis naturam imitantur essentiæ, natura fit ad superiora. Itaque veram caussam attulerunt ij, qui ad stabilitatem, constantiamque firmamenti, Cęli superiores partes aquis deprimi dixerunt.

THEODORETVS Quæstione in Genesim vndecima.

Bifariam autem Deus omnium diuisit aquarum naturam: & quandam sursum collocauit, quæ suo liquore, atque frigiditate, non sinerent corrumpi firmamentum ab igne luminarium. Reliquæ verò aquæ deorsum remanserunt, quæ suis vaporibus aërem foueant exustum, & exiccatum ab igne superiore.

PROCOPIVS idipsum sensit, & explicatius tradidit Commentarijs in Genesim.

Cæterum quam ob caussam à Deo admissa sit tanta aquarum copia, satis modò declarauimus. Nascitur tamen quæstio, quare aquarum medietas supra firmamentum conuecta sit. Verùm hæc dabitur caussa. Deus lucem, Solem, Lunam, astraque, quorum omnium substantia ignita est, disposuit ad eum modum, vt motum suū in firmamento peragerent. At ignis ea natura est, vt congelata, & ex aquis concreta potenter dissipet, & dissoluat. Ne id igitur eueniret fortè Cęlo, necessariò tantam aquarum affluentiam in superiore regione collocauit, quæ Cœlum illęsum, & inuiolatum ab ignis ardore conseruaret. Verum in hunc modum placuit Deo tueri Cœlum supremum, licet sola eius voluntas ei salutem & incolumitatem præstare potuisset. Siquidem & nostra corpora integra seruare valuisset absque alimentis: & ita ea ordinare, vt citra necessitatem alimentorum in sua integritate permanerent. Idque euenisset, si modo voluntas eius rei efficiendæ affuisset. Verùm in futuro sæculo id continget.

DAMASCENVS secundo Orthodoxæ Fidei, capite nono.

Cuius autem gratia locauit supra firmamentum aquam Deus? propter Solis, & ætheris calorem feruentissimum. Nam mox post firmamentum subducitur æther, Sol autem cum Luna & astris in firmamento sunt. Et nisi superlocata esset aqua, existimandum est, & ab illo ingenti feruore iam conflagrasse firmamentum, abijsseque in flammas.

BEDA de Natura rerum, capite octauo.

Aquas super firmamentum positas, Cœlis quidem spiritualibus humiliores, sed tamen omni creatura corporali superiores, quidam ad inundationem Diluuij seruatas, alij verò rectiùs ad ignem syderum temperandum suspensas affirmant.

b. Vt inconcussum Cœlum à ventorum procellis firmaret?

IVSTINVS Quæstione asserta.

Nec verò hæc vna caussa est, cur aquæ sint in auersis Cœli partibus, quòd sit inuictum subiecta astrorum flamma, sed etiam, quòd deorsum aquarum, quæ in eo auerso insunt, vi & copia vergat, nec moueatur ventorum impetu, quòdque summum frigus ex eis deorsum mittatur, à quò dum mixtus est cum summo Solis calore, commoda aëris temperatio, ad animalium, eorumque, quæ terra ex se edit, perpetuitatem efficitur.

Vt

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Vt radios astrorum, qui sua natura ad superna feruntur, deorsum in Vniuersi gratiam impellerent.*

b. *Vel, Vt Empyrei ardorem retunderent.*

c. *Seu, Vt ignitæ virtuti in astra, & sphæram, & mixta, diffusæ essent temperamentum vsque ad Mundi excidium.*

a. *Vt radios astrorum, qui sua natura ad superna feruntur, deorsum in Vniuersi gratiam impellerent.*

PROCOPIVS loco asserto.

Aquæ supra firmamentum collatæ, non solum primi Cęli incolumitatem tutantur, sed & aliam habent commoditatem, scilicet quòd Solis, Lunæque radios deorsum impellunt, vt terrarum orbi lucem suppeditent. Si enim Cęlum esset perlucidum, vniuersus splendor insuprema contenderet. Nam ignis sua natura sursum tendit. Itaque supremo Cęlo coniuncta est aqua, vt splendorem ad ima detrudat, & impellat.

b. *Vt Empyrei ardorem retunderent.*

HILARIVS Enarratione in Psalmum centesimum trigesimum quintū.

Aquis etenim eleuatis, illam ipsam primi Cęli naturam temperauit, quæ superna Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis.

BEDA libro de Natura rerum, capite septimo.

Cęlum superioris circuli proprio discretum termino, & æqualibus vndique spatijs collocatum, virtutes continet Angelicas: quæ ad nos exeuntes, ætherea sibi corpora sumunt, vt possint hominibus etiam in edendo similari, eademque ibi reuersæ deponunt. Hoc Deus aquis glacialibus temperauit, ne inferiora succenderet elementa. Dehinc inferius Cęlum non vniformi, sed multiplici motu solidauit, nuncupans illud firmamentum, propter sustentationem superiorum aquarum.

Cabalistæ, teste Vielmio Lectione decimaquarta, hanc sententiā, nempe aquas positas fuisse super Cœlos ad mitigandum Cœli Empyrei ardorem, non repudiant.

c. *Vt ignitæ virtuti in astra, & sphæram, et mixta, diffusæ, essent temperamentum vsque ad Mundi excidium.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia tertia, facunda, accurataq; oratione, immensam fuisse aquarum amplitudinem edisserit, tantæque aquarum copiæ necessitatem deducit eleganter, ex ignis omnia absumentis, quem in astra, in sphærā, in sublunaria diffusum existimat, proportione.

Infinita quidem, vt videtur, aquarum erat diffusio, vndequaque inundantium terræ, superficiemque illius in sublimi ita occupantium, vt ad cætera elementa collatæ, sua proportione transcendere viderentur. Quapropter & antea dicebatur, Abyssum vndique circundare terram. Caussa autem humorum copiæ tantæ, in ijs quæ deinceps dicentur, nos assignare oportet. Et Post. *Quænam igitur necessitas fuit, vt aquæ natura tanta exuperaret nec explicabili copia? Quandoquidem essentia ignis necessaria est Vniuerso, non solum ad terrestrium rerum administrationem, sed ad ipsius etiam Vniuersi totius complendam integritatem: (mutilum enim esset, si hoc vno elementorum omnium maximè opportuno destitueretur) aduersantur autem sibi mutuò, alterumque alterius corruptiuum est. Ignis quidem aquam cùm excedit, vincit viribus; ignem autem aqua, cùm exuperat copia, nec aut seditionem inter hæc esse, aut alterius defectione caussam oportebat emergere, qua dissolueretur Vniuersum, & deperiret. Tantam humoris naturam, qui omnia disposuit Deus, parauit, atque recondidit, vt ad definitos vsque fines ipsius Mundi constitutionis, cùm paulatim ab ignis viribus absumatur, ipsi resistere valeret. Enimuerò qui pondere cuncta, mensuraque disposuit (in numerato nanque ipsi, secundum Iob, & pluuiæ guttæ sunt) is planè cognorat, quantum præscripsisset temporis Mundo ad durationem: & quantum etiam igni sumptus, pabulique recondere oporteret, non ignorauit. Hæc est aquæ redundantis & copiosæ ratio circa creationem.*

Præterea Basilius de ignis necessitate multa disceptat, quem non tantùm pro earum rerum structura, quę arte fabrefiunt, sed ad gignendam quoque, alendam, ac fouendam

rerum omnium vitam, opportunum ac necessarium demonstrat. Amplius etiam de ingenti ipsius tùm absumendi, tùm etiam attrahendi vi ac facultate plura exponit, producto etiam cucurbitularum, quibus Medici vtuntur, exemplo, quæ profecto ex igne summam attrahendi vim obtinent; Solis quoque, qui radijs suis igneis, fluuios, fontes, lacus, paludes, & maria, atque cęnosa cuncta exiccandi possidet facultatem. Quare ex aduerso necessarium fuisse tantarum aquarum exundantiā concludit. Memoranturq; ab eo flumina insigniora in Asia, Indus, Bactrus, Choaspes, Araxes, Tanais in Meotim paludem delabens, & Asiam ab Europa seiungens; inde in Europæ plaga, in Germania Tartesus, & Ister in Hispania, Eridanus in Italia; in Aphrica Aegon, & Nyses, & Nilus. Adeas præstantissimum Patrem luculentissimè hæc prodentem.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite tertio, hæc omnia ferè à Basilio examinata (vt eius mos est) quasi interpres replicat.

Deinde cùm ipsi dicant volui orbem Cęli stellis ardentibus refulgentem, nonne diuina prouidentia necessariò prospexit, vt intra orbem Cęli, & supra orbem redundaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret? Propterea, quia exundat ignis, & feruet, etiam aqua exundauit in terris, ne eas surgentis Solis, & stellarum micantium ardor exureret, & tenera rerum exordia insolitus vapor læderet. Quanti fontes, fluuij, lacus irrigant terras, quia eas internus quidam ignis vaporat, Vnde enim aut arbores germinarent, aut frumenta, vel sata prorumperent, vel orta coquerentur, nisi ea interior quoque ignis animaret? Qui etiam de saxis frequenter excutitur, & de ipso sæpe, dum cæditur, ligno exilit. Ergo sicut necessaria ignis creatura, vt ordinata, & disposita permaneat, Cęlique clementia temperet aquarum rigorem: ita etiam aquarum redundantia non superflua, ne alterum altero consumeretur: quia nisi conueniens vtriusque mensura sit, sicut ignis aquam exiccat, ita & aqua extinguit ignem.

Adiungit quoq; Ambrosius, aquarum ingentem copiam procreasse Deum, vt ignitæ virtuti, tùm in astris, tùm in æthere, tùm in his inferis Mundi partibus ęstuanti, reluctari possent; meminitque præter illustres à Basilio memoratos amnes, & Rhenum Galliam à Germania ex Ptolomei Geographia secantem, & Rhodanum per Galliā fluentē.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Cùm huic Vniuerso opus esset elemento ignito, quod resisteret aquæ, alterumque elementum in alterum resolueretur, ne elementum ignis efficacius & potentius reliquis, aquatile elementum consumeret, & Vniuersi destructioni occasionem præberet; prouidus Deus tantam aquæ vim substituit, quæ posset, manens intra præscriptos huius operosæ machinæ limites, reniti elemento ignis, ne penitus ab ipso absumeretur.

BEDA libro de Natura rerum, capite octauo.

Aquas super firmamentum positas, Cęlis quidem spiritalibus humiliores, sed tamen omni creatura corporali superiores, quidam ad inundationem Diluuij seruatas, alij verò rectiùs ad ignem syderum temperandum suspensas affirmant.

Et libro de sex dierum Creatione.

Naturam tamen aquarum illic iam non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere æstimamus, propter syderum naturas mitigandas, ne creaturas Dei subterpositas nimio ardore concrement.

D. THOMAS Postilla in Genesim ei ascripta.

Quare autem ibi ponantur aquæ istæ, credo hoc esse ad contemperandum calorem à calore cœlesti, & à stellis, & planetis influentiæ calidæ generatum.

CLAVDIVS Marius Victor Commentarijs in Genesim.

Forsitan hic aliquis sic secum errore petito
Disserat, æthereis ne desint pabula flammis,
Et nimis calor ima petens, alimenta sequendo
Exurat mortale genus, Cęlumque coruscum
Non possit terrena pati, subiecta deorsum est
Machina firma poli: quæ dum nos protegit vmbra,
Interea super impositis frigescit ab vndis.

a. *Ut Saturni stellam frigidissimam reddentes, influxus frigidos in Mundo fouerent.*

IVSTINVS Quæstione asserta, in responsione hanc non prætermittit caussam, cùm ait.

Nec verò hæc vna caussa est, cur aquæ sint in auersis Cœli partibus, quòd sit inuictum subiecta astrorum flamma, sed etiam quòd deorsum aquarum, quæ in eo auerso insunt, vi, & copia vergat, nec moueatur ventorum impetu,

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. Vt Saturni stellam frigidissimam reddentes influxus frigidos in Mundo fouerent.

impetu, quódque summum frigus ex eis deorsum mittatur, à quo dum mixtus est cum summo Solis calore, commoda aëris temperatio, ad animalium, eorumque, quæ terra ex se edit, perpetuitatem efficitur.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro secundo, capite quinto, sua tempestate hanc expergefactam fuisse caussam his declarat.

Quidam etiam nostri, istos negantes propter pondera elementorum aquas esse posse super Cęlum sydereum, de ipsorum sydерum qualitatibus, & meatibus conuincere moliuntur. Iidem nanque asserunt stellam quam Saturni appellant esse frigidissimam, eamque per annos triginta signiferum peragere circulum, eo quòd superiore, ac per hoc ampliore ambitu graditur. Nam Sol eundem circulum per annum complet, & Luna per mensem, tantò, vt dicunt, breuius, quantò inferius, vt spatio loci spatium temporis congruat. Quæritur itaque ab eis, vnde illa stella sit frigida, quæ ardentior esse deberet, quanto sublimiore Cœlo rapitur. Nam proculdubio, cùm rotunda moles circulari motu agitur, interiora eius tardius eunt, exteriora celerius, vt maiora spatia cum breuioribus ad eosdem gyros pariter occurrant; quæ autem celeriùs, vtique feruentius. Proinde memorata stella magis debuit calida esse, quàm frigida: quamuis enim suo motu, quoniam grande spatium est, triginta annis totum ambitum permeet, tamen Cęli motu in contrarium rotata velocius, quod quotidie necesse est patiatur, quoniam sicut dicunt, Cęli singulæ conuersiones, dies singulos explicant, calorem maiorem debuit Cœlo concitatiore concipere. Nimirum ergo eam frigidam facit aquarum super Cęlum constitutarum illa vicinitas, quam nolunt credere, qui hæc, quę breuiter dixi, de motu Cęli, & syderum disputant. His quidam nostri coniecturis agunt aduersus eos, qui nolunt aquas super Cœlos credere, & volunt eam stellam esse frigidam, quæ iuxta summum Cęlum circuit: vt ex hoc cogantur aquarum naturam credere, non iam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere.

Et de Genesi imperfecto, capite octauo, ipsam inducit, nec repudiat, cùm ait.

Fuerunt qui crederent has visibiles aquas, & frigidas, superficiem Cœli superamplecti. Et documentum habere conati sunt de tarditate stellæ vnius de septem vagantibus, quæ superior cæteris, & à Græcis φαίνων dicitur, & triginta annis peragit signiferum circulum, vt ob hoc tarda sit, qua est frigidis aquis vicinior, quæ supra Cœlum sunt. Quæ opinio, nescio quemadmodum possit apud eos defendi, qui subtilissimè ista quæsierunt. Nihil autem horum temerè affirmandum, sed cautè omnia, modesteque sunt tractanda.

BEDA Quæstionibus in Genesim.

Quidam etiam nostri istos de ipsorum syderum qualitatibus, & meatibus conuincere moliuntur. Idem nanque asserunt stellam, quam Saturni appellant, esse frigidissimam, eamque per annos triginta signiferum peragere circulum. Quæritur igitur ab eis, vnde ista stella sit frigida, quæ tanto ardentior esse deberet, quanto sublimiore Cęlo rapitur. Nam proculdubio, cùm rotunda moles circulari motu agitur, interiora eius tardius eunt, exteriora celerius: quę autem celerius, vtique feruentius. Proinde memorata stella magis debuit calida esse, quàm frigida. Nimirum ergò eam frigidam facit aquarum super Cęlum constitutarum illi vicinitas.

Glossa, Ordinaria ab Augustino dicta in libro de Genesi ad literam secundo, capite quinto, non mutatis verbis colligit. Ratiocinationē hanc D. Augustini, Nuperi, qui in peripatetica iurarunt placita, certè ludificarent, quasi in eximij nominis Patris mentem perspicacissimam irrepserit error, nec ipsi hallucinari caligareq; possint. Astruunt siquidem qualitates in elementis, & rebus ex elementis coactis insidentes, ipsis corporibus cęlestibus non inesse formaliter, vt aiunt, sed tantùm secundum virtutem, aut secūdū eminentiā. Rursum astra calorem non efficere nisi motu & lumine, algorem verò nō nisi horum absentia. Sed constituto Patrū dogmate, astra videlicet, & superna corpora ex elementis conflata esse, mox omnis eorū reprehensio & redargutio ruit, ut post enucleatius ediss eremus. Nam si astra ignea sunt, & flammata, Saturni vero orbis ampliori ambitu circumuehitur; eius profectò pallens stella magis cęteris ignescere censendū esset, vt scite Augustini ratiocinatio astruebat, propterea alia eius frigiditatis immensę erat indaganda caussa.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

In medio aquarum.

a. *Vt aquę istæ amplissimæ in Diluuio cataractis Cęli ruptis profundi possent.*
b. *Seu, Vt pluuias nobis funderent.*

a. *Vt aquæ istæ amplissimæ in Diluuio cataractis Cœli apertis profundi possent.*

EPIPHANIVS in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum contra Origenis erronea placita, hac supposita caussa redarguisse Origenem visus est, quòd aquas eas supernas Angelicas virtutes interpretabatur, vt supra retulimus. Sed ne lectori onus imponamus locum illum versis paginis inquirendi, iterum eum repetamus.

Dicente Origene de aquis, quę super firmamentum sunt, non esse aquas, sed fortitudines quasdam Angelicæ potestatis: Et rursum, aquas, quæ super terram sunt, hoc est, sub firmamento, esse virtutes contrarias, idest Dæmones; Et quomodo legimus, in Diluuio apertas cataractas Cęli, & aquas inundasse Diluuij? Vnde aperti sunt fontes abyssi, & totus Mundus opertus est aquis?

BEDA loco asserto hanc non reticuit, cùm ait.

Quidam aquas supra firmamentum positas, ad inundationem Diluuij seruatas affirmant.

LVSITANVS Commentarijs in septimum caput Genesis, exponens illud; Ruptæ sunt cataractæ Cęli.

Non possum aliter, quàm vt litera habet, intelligere: supponit enim veras & elementares aquas super firmamentum esse, vt tam Basilius, quàm Chrysostomus sentiunt: nihil mirum, si Dominus fenestras in firmamento ruperit, vt aquæ illæ descenderent, neque hic locum esse methaphoris puto. Sanctus verò Thomas dicit fatendum omnino esse, ibidem aquas fore, sub dubio verò verti quales sint; an videlicet elementares, an crassæ potius ad modum crystalli. Quare taxandi sunt, qui potius volunt sacram Scripturam Philosophiæ regulis subdere, quàm, vt magis decet, Philosophiam, tanquam ancillam, illi deseruire.

b. *Vt pluuias nobis funderent.*

Hanc caussam detulere nobis Patres etiam pręstantissimi.

IOSEPH de Antiquitatibus libro primo, capite primo.

Et ei, hoc est Cœlo, crystallum circumfigens, humidum eum, & pluuialem, ad vtilitatem, quæ sit ex terræ imbribus, congruè fabricatus est.

CYRILLVS Hierosolymitanus Catechesi nona, vt dicebamus.

Cùm enim futurum erat, vt propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra Cœlos, vt cùm terra pluuiarum irrigatione indigeret, paratum sit à natura ad hoc Cęlum.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum, libro primo.

Secundum visibile Cœlum hoc firmamentum nuncupatum est, quod quidem aquæ dimidium sursum rapuit, vt in hominum vsum, pluuiam, imbres, & rorem funderet.

RICHARDVS Pampolitanus Enarratione in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Magna laus, quòd & tenuitas Cęlorum firma consistit, & aquas, quæ graues sunt, sustinet. Quæ aquæ non nisi missæ defluunt per pluuias.

HAYMO in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Aquæ in rei veritate super Cœlos sunt. Vnde nobis pluuiæ descendunt per cataractas Cęli.

CASSIODORVS in eundem Psalmum.

Aquæ verò, quæ super Cœlos sunt, vt arbitror, istas, quæ depluunt, esse non dubium est: testante Genesi; Cataractæ Cęli apertæ sunt: & facta est pluuia super Terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & cætera, quod non adeò quærere necessarium est. Gen. 7.

MAGISTER Commentarijs in Psalmum centesimum quadragesimum octauum consimilia scripsit.

Nimia enim laus est, quòd & tenuitas Cęlorum firma consistit, & aquas, quæ grauiores sunt, sustinet. Quæ nisi

nisi iussæ desfluunt per pluuias, quæ, sicut dicitur, apertis Cęli cataractis per pluuiam mittuntur. Et quasi quis quæreret; Quid eis contulit vnde laudent? subdit multum; Quia ipse dixit &c.

MAGISTER historiæ Scholasticæ capite quarto.

Cur autem ibi sint, Deus nouit, nisi quòd quidam autumant, inde rorem descendere in æstate.

AVCTOR.

Caussę cęlestium aquarum à Patribus delatæ à Peripateticis deridentur.

Si caussas istas iuxta Peripateticorum ac recentiorum Theologorum dogmata, qui Cœlos ex quinta essentia constratos mira consensione decernunt, eosque incorruptibiles, & cunctarum affectionū, nempe caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis prorsus incapaces effingunt, perpendere vellem: vniuersæ profecto caussæ istæ a Patribus allatæ mihi irridendæ ac despiciendæ forent. Prima certe, quę aquas positas diffinit, vt syderum calorem, atque æstum mitigent, nulla esset, cùm nec sydera calida sint, & ignita, nec in cęlestes orbes cuiuslibet peregrinæ impressionis omnino expertes agere quicquam possint, multoque minus ipsi calore exiccari queant. Altera, quæ vt inconcussum Cœlum à ventorum procellis redderent, aquas amplissimas super eius terga conglutinatas opinata est, fictitia comperiretur, cùm Cœlum sua natura solidissimū sit, nec ventorum procellæ ad ipsum vsque pertingant, vel exufflent, atque si exufflarēt, nil prorsus ei officere possent. Tertia quæ radios astrorum ab aqua deorsum flecti autumabat, vana etiam prorsus dijudicaretur, quòd lux non sit corporis defluxus, sed qualitas, & tantùm in diaphana seu collucida corpora tā supera quàm infera, tam ad celsam Cœli quàm ad infimam Mundi regionem spectantia, ocijssime diffusa. Illa quoq;, quę aquas ad Empyrei ardorem retundendum ibi constitutas putabat, anili fabulæ par ipsis videretur, qui vel Empyreum omninò inficiantur, vel Empyreum ab splendore non ab ardore nuncupari tradunt. Insuper, & ea quæ miram aquarum copiam sub & supra cœlestes globos locatas credit, vt igni pabulum sint, & temperamentum, à veritate remotior censeretur; quia Cœli in materia, & qualitatibus, cum aqua, & igne non communicant; & cùm inter aquas illas, & ignem, Cœli intercedant, profecto neque sub, nec supra possent qualitates vllas transmittere. Amplius, si transmitterēt, ingens vtique alteratio in Cęlis vigeret, quod naturæ ipsorum repugnare exploratissimum est. Stellam Saturni per eas aquas reddi frigidissimam, & frigiditatis influxum foueri, prorsus commentitium esset, cùm Saturnus effectiuè (vt inquiunt) & non formaliter frigidissimū astrum existat; & lis adhuc sub iudice sit, num frigiditas syderum absentia, an potius ex quibusdam exhalationibus gignatur. Postrema tandem caussa à Patribus delata, quæ aquas ad Mundum in Diluuio submergendum, vel ad pluuias demittendas superlocatas asseuerat, deridenda equidem esset, cùm Cœli secundum Peripateticos nec frangi, nec scindi possint, vt aditum amplissimis aquarum fluentis seù pluuijs aperirent, & reserarent. Nulla igitur harum caussarum à Patribus prolatarum, à Philosophis, Theologisque ætatis nostræ scopum attingere existimatur. Verum si in via Patrum, qui Cęlos ex elementis congestos, alterationique saltem, si non corruptioni addictos, & astra, vti ex igne compacta, calescere, cum Platonicis ac pluribus vetustioribus Philosophis dijudicant, caussas præfatas examinare, perpendere, atque iudicare maluerimus: si nō cunctas, plures saltem ex eis, & graues, & tantis Patribus dignas comperiemus. De singulis igitur in via Patrum, hoc est, principijs secundum Patrum doctrinam suppositis, atque extructis, debita reuerentia iudicium feram.

Caussæ præfatæ iuxta Patrum doctrinam examinantur.

Aquæ nō super Cœlos sitæ, vt syderum æstum temperarent.

Caussa à Iustino, Theodoreto, Damasceno, Procopio, & Beda allata, qui censuerūt aquas eas super Cœlos positas, vt syderum æstum temperarent, ne firmamentum torrerent, atque dissoluerent; non valde accepta, tutaque mihi visa est. Primùm Cœlos ex gelu compactos esse, adeò vt ab ardore dissolui possint, plures ex Patribus renuerunt. Et quamuis priscis temporibus floruisse ea sententia tradatur, probabiliorem attamen sanioremque eam esse, quæ Cœlum ignoto nobis constitutionis genere constare edocet, supra demonstrauimus. Deinde nec verisimilitudinem gerit, vt corpus ex glacie concretum, sedes ignitorum astrorum perhibeatur. Summi nanque opificis sapientia, quæ omnia disposuit suauiter, duo summè aduersa, atq; sibi inuicem acerrimè reluctantia, nunquam perenni uinculo simul perstrinxisset, ac colligasset. Verisimilius potius est, &

est, & ipsum Cœlum ex elementorum summitatibus coagmentatum ex prędominio igneum esse, ut symetriam ad inuicem gererent magna hæc magni corporis membra. Verum concesso quoque ex aquis Cœlorũ globos fuisse congestos, certè adeò grandis & uasta est errantium orbium magnitudo, si ad syderum amplitudinem non ineptè referatur, & astra ipsa adeo exigua, ut ea parum admodum tantæ moli officere, uel aduersari posse sit censendum.

Alteram à Iustino productam rationem, qua firmamentum aquarum copia comprimi existimauit, vt inconcussum à ventorum procellis redderetur, minus exploratam verisimilemque duco. Scriptura siquidem Cœlum illud aptè firmamentum nuncupauit, atque hac voce Cœlos sua natura inconcussos, & tanquam æs fusum solidos consistere præmonstrauit. Deinde ventos, seu aliud impressionum genus, illuc vsque conscendere, ac perflare adeo valido & uehemẽte halitu, ut cęlestes orbes quassare, ac perturbare possint, quis unquam nisi mentis inops asserere, aut etiam opinari præsumet?

Tertia à Procopio inuenta caussa delirans, & ridicula penè, sua fronte apparet. Quis enim asseret unquam aquas Cœlis superstitas, ut astrorum radios sua natura ad superas partes euolantes in Mundũ reflecterent? Quis enim adeò ignarus doctrinæ Patrum comperitur, qui Solem radios suos in omnia perspicua corpora, tam superna, quàm inferna, æquè diffundere non didicerit? Veruntamen demus etiam lucem esse ignis defluxum, attamen non esset lux flammæ pabulo indigentis cęlesti illi consimilis, cùm hæc superas sedes, quia extra sphæram est, affectet: ibi verò ignis, cùm sua in sphæra iuxta Platonicorum, ac Patrum sententias consideat, circumcirca diffundatur, ac clarescat.

Hilarij caussa quarto loco recensita, non tantùm Philosophis, sed & Theologis priscis inuenusta uisa fuisset, atque commentitia. Omnes siquidem Patres uno consensu supremum illud Cœlum, Dei, Angelorumque domicilium, regiamque perennem, incorruptibile prorsus, ab omnique affectione & qualitate elementari immune, & coruscantissimum esse, sed lumine longè à lucis huius nostræ natura semoto, & absque flagrantia diiudicarunt. D. Petrus illud perpetuum, & æternum dixit: Basilius, Ambrosius, Theodoretus, fulgidum ipsum etiam ante Mundum, & ante elementata coruscasse sine ardore autumarunt: Acacius longè tenuius, & magis integrum esse asseruit: Claudianus Cœlum inuisibile appellauit: Diodorus inaspectabile. Quapropter diffinitio est cunctorum Patrum, Cęlum supremum affectionem nullam peregrinam aduenamque (quemadmodum etiam Scholasticorum acies uniuersa decernit) nactum esse. Immune igitur, atque expers ardoris cùm Cœlum ipsum statuatur, nec aquas ad eius retundendum flagorem super Cęlos euectas fuisse existimandum est.

Caussa ea postremo loco deducta ex Epiphanio, quam Lusitanus ex nuperis approbasse diximus; prolixiorem desceptationem exposceret. Dubium profectò est, num aquæ illæ supernæ tanta prorsus copia præcipitatæ fuerint, ut orbem Diluuio absorberent, iuxta illud; Rupti sunt fontes omnes abyssi magnæ, & cataractæ Cęli apertæ sunt. Gen. 7.
Sed quoniam disputatio hæc ad eum locum est reseruanda, sufficiat mihi Vielmij præceptoris mei doctissimi redargutiones hoc loco intexere, sed breui epilogo. Ea igitur sentẽtia, quæ aquas cœlestes in diluuio descendisse arbitratur, impugnari cumulate potest. Primùm quoniã Patres caussas aquarũ cęlestiũ scire cupiunt, quæ Mũdo fuerint beneficio in eius creatione, & non quæ illi futura essent exitio. Deinde si tota aqua illa delapsa est, quando conscisso Cœlo rupti sunt fontes abyssi, & cataractæ apertæ sunt, adeò vt nullæ omnino super Cęlos aquæ manserint. Frustra igitur postea, & cum mendacio excitasset Dauid aquas ipsas ad laudandum Deum, cùm dixit; Et aquæ omnes, quæ super Cęlos sunt laudent nomen Domini. Trium quoque puerorum hymnus maximo esset mendacio conspersus, cùm ipsi dixere post tot sæcula; Benedicite aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt. Si pars tantùm, ut quid desuper altera pars seruata est; cùm nullum amplius ex Dei cum Noe inito fœdere diluuium timeatur? Rursum quidnam loco earum, quæ deciderunt substitutum fuit? An fortè uacuum (quod tantùm horrescit Natura) ibi diffusum est? Insuper cùm Cęlum sit vt æs fusum, firmamentumque nuncupatum fuerit, eò quòd solidum sit, & infractum, quomodo potuit scindi, disrumpi, aut aliquo pacto perforari? Dei fortasis potentia? Sed ad Dei potentiam

Aquæ Cœlestes non deciderunt in Diluuio.

Psal. 148.

Dan. 3.

in hoc rerum genere confugiendum nõ eſt, quandoquidem potuiſſet æque Deus aquarum infinitam exundantiam ex aëre,& terra,ſeu ex nihilo procreare. Porrò ſi nonnullos ſpectaſſe Cęlos apertos legimus,ut Ezechielem, Stephanũ, Ioannem, iuxta ſacrarũ Scripturarum tropum hoc dictum eſſe non eſt ambigendum, ut aliàs poſt diſceptaturi ſumus. Cauſſa altera,quæ aquas ſuper Cęlos locatas fuiſſe maluit,ut nobis rores,ac pluuias ſubminiſtrarent: iuxta Chryſoſtomi doctrinam, qui Cęlum vnum immotum permeabile,fuſum, atque vt aërem conſtratum aſſerit,admitti certe poſſet; at ſi Cęlos, ut æs fuſos,ſolidos,inſciſſibiles,cum cæteris Patribus exiſtimemus,commentitia ſtatim euincitur; Orbes enim illi ampliſſimi, & ſolidiſſimi,aquis ipſis aditum minimè præſtarent,nec ſphæra ignis eis tranſitum præberet. Duæ igitur cauſſæ,meo iudicio, graues, ponderoſæ,atque explicatu dignæ ſuperſunt. Altera à Baſilio, Ambroſio, & alijs nobis ſuggeſta. Hi egregia contemplatione,ignem tùm in Aſtris, tùm in ſphæra ſua pręfulgentem,tùm in has infimas regiones detruſum perhibent, aquarumque molem tam ſupernam,quàm infernam à ſummo opifice libratam eſſe,ut aqua atque humor,pabulum temperamentumque ignitę & abſumptrici uirtuti porrigerent,ipſique iugiter obſiſterẽt, repugnarent,ac reluctarentur vſque ad iudicij diem, in quo tandem (diuina id nos edocente Scriptura) vniuerſa uoracibus flammis conflagrabunt, atque horrendo incendio uaſtabuntur. Libratã inquam, ſed ea diuerſa ratione, vt aquæ ſupercęleſtes in æſtum ſyderum retundant,ſublunares autem pabulum ſint,cùm abſumuntur calore,in uaporemque rediguntur,ut poſt in imbres ſolutæ ardorem temperent,atque hac perenni uiciſſitudine ignis uiribus obnitantur,quoaduſque paulatim humida natura deficiente,Mundus excidio ignis pereat, quemadmodum humidum radicale in corporibus animantium à calore naturali ſenſim abſumi conſpicimus, donec tandem eo ſublato mors ex diſſolutione ſuccedat,cibo quidem ſuppetias humido radicali in dies ferẽte, ſed non ad amuſſim,cùm mixtione extranei ſenſim gradatimque debilitetur. Nonnulla autem probatam mihi hanc ſententiã reddunt. Primò ſententiã hanc iam prius apud Ethnicos uiguiſſe perſpectum eſt. Manilius (ut Picus obteſtatur) cęleſtes imagines fingit, paucis ſtellis refertas,& potius inchoatas,quàm abſolutas, ne pluribus ignibus accenſis Mundus flagraret. Ex Platonicis etiam quamplures aſtra exurere crediderunt. Non defuere & viri celebres,qui aquas pabulum eſſe ignis ſyderumque exiſtimarint, aliique ex æquoribus & aquarum uaporibus metaphorice pronuntiarint, inter quos Plinius libro ſeptimo,inſignis cenſetur.

Lib. 1. contra Aſtronomos.

Cap 70.

AMBROSIVS quoque illis accedens, & ſubſcribens in ſuo Hexæmeron libro ſecundo,capite tertio,dixit.

Et ideò deſuper aqua impetu quodam deſcendens,in tantos plerunque imbres rumpitur,vt flumina,lacus repente repleantur,ipſa maria exundent. Vnde frequenter & Solem videmus madidum,atque rorantem.In quo euidens dat indicium, quòd alimentum ſibi aquarum ad temperiem ſui ſumpſerit.

Præterea & exemplo diſpoſitionis Microcoſmi non parua fides huic ſententiæ affertur & comparatur. Sicut enim in homine cor adeſt ſedes vitę, quod primum omnium viuit,& ultimum moritur; caput autem ei ſuperfertur, in quo cerebrũ eſt pituitæ ſedes iuxta Hippocratis ſententiã,aut ſi pituita in uenis locatur, vt Galenus ſenſit libro ſecundo Naturalium facultatum,ſaltem eſt humoris cuiuſdam pituitæ ſimilis(quem alij muconem uocant) domicilium,non tantùm ad uiuificandos ſenſus,ſed ut cordis ęſtum mitiget, atque refocillet. Quid igitur mirum eſt, ſi in magni Mundi medio, nempe in ignita ſubſtantia,calore inſito,cęleſtes aquæ ipſi Mundo ſuperlocantur, vt Aſtrorum æſtum temperent,atque remittant? Amplius cùm ex Scripturæ teſtificatione, aquas ſuper Cœlos elatas eſſe,vt perſpectum habeamus, opificemque Deum non ſine vrgenti cauſſa eas euehiſſe noſcamus; quæ cauſſa certè probatior, atque veriſimilior afferri poterit, quàm hæc à præſtantiſsimis Patribus,oraculiſque noſtris delata?

Cap. vlt.

Verum quæ huic ſententiæ aduerſantur refellere, meas modo partes eſſe cenſeo. Gregorius Nyſſenus in Hiſtoria ſex dierum,pluribus,& prolixius, nequire inuicem elementa abſumi contra D. Baſilium demonſtrare contendit,quò aquas ſupercęleſtes nullas eſſe euincat: diſceptatque quòd natura æqua virtute prædita ea protulerit, & æquipollere omnia dicantur, quòdque par inuicem fiat tranſmutatio,atque abſumptio. Sed ea cun-

ea cuncta, quæ Basilio obijcit Nyssenus, ex vera ingenuaque Philosophia desumpta cōuincunt id vnum, quòd omnimoda, ac totalis elementorum deuastatio secundum Naturæ instituta fieri non possit; quodque elementorum perpetua colluctatio secundum partes efficiatur, elementis sua in quantitate, atque ad reluctandum vi, semper permanentibus. Sed hæc D. Basilio nullatenus aduersa sunt, cùm Basilius nec ignem vorare cunctum aquæ elementum tradat, sed tamen in reluctatione sensim natura humida viribus, & forte copia quoquo modo destitui, quoadusque Dei iussu, Mūdo quasi senio confecto, ignis cuncta exuret. Adeas tantum Doctorem Nyssenum, legasque à clausula (Verum ignis, inquit, vi consumptrici præditus est) vsque ad eam, (sed iam tempus est ad alteram quæstionis partis commentationem conuertendi) & ex hac nostra animaduersione attendes, omnes Nysseni rationes, omnesque conatus elidi, atq; rescindi. D. Basilius defensatur.

Inuehuntur amplius in tantos Patres Theologi Scholastici, & astruunt sydera non esse calida, & ignea, ex placitis Aristotelis secundo de Cœlo, & libro primo Metheororum. Verum ego grauissimos hos Patres, has Aristotelis librasse inuectiones, easque contemptui ac ludibrio habuisse conspicio.

BASILIVS siquidem Homilia tertia.

Quanquā ne illi quidem, inquit, concedunt ignem esse calidum: tanta istis superfluit ad deliras, & aniles nugas copia temporis.

AMBROSIVS quoque libro secundo, capite tertio, inquit.

Tantum autem inest illis impugnandæ veritatis studium, vt Solem ipsum negent calidæ naturæ esse, eo quòd albus sit, non rubicundus, aut rutilus in spetiem ignis. Et ideò aiunt, quòd nec ignitus natura sit, & si quid habet caloris, ferunt ex nimio motu conuersionis accidere.

Ex quibus perspicuum est, Patres Aristotelicam non ignorasse doctrinam, sed eam paruipendisse, & cum Platonicis Cœlum non ex quinta essentia compactum, sed elementatum, astraque ignea dijudicasse. Quæ doctrina cùm à Mose non recedat, & ipsā à præstantissimis Patribus commendatam, à Philosophis perspicacissimi ingenij nō tantùm amplexatam, sed & in scholis defensatam perspiciamus: nescio quare à nostris tā facile reijciatur, repudietur, atque omnino floccipendatur. Sed de his suo loco vberius. Præterea posito etiam, Solem non esse calidum, Patres suum placitum adhuc astrui posse dijudicant. Vnde Basilius; At nihil, ait, interesse videtur, natura ne Sol, an affectione calore præditus sit: quia Sol consumptor semper est humoris. Idipsum Ambrosius. Si Deus, inquiunt alij, & Natura, vt sæpe vsurpat Aristoteles, nihil frustra faciunt, cur nō potius in principio minus caloris vnicuique syderum tribuit, quàm tantam aquarum affluentiam gignere, vt eorum æstum postea corrigeret, & castigaret? Sed nulla his Patribus putaretur hæc sciscitatio: Deum siquidem omnia in pondere & mensura fecisse, vt sapientissimum opificem fatentur. Præterea librasse in Mundo calorem, quem Vniuerso necessarium prenouerat, & ex aduerso copiosam aquarum redundantiam effudisse, quam Mundi dispositio exigebat. Si aqua illa ardorem syderum (inquiunt adhuc) refrangit, id certè non absque alteratione contingit. Perpetuò igitur sydera alterarentur, & mutua pugna aquæ quaterentur, & contrarij mixtione corrumperentur, quoniam (vt Philosophi loquuntur) actio in eis fieret, & reactio, quare & aquæ supercœlestes ardore syderum calescerent, tabescerent, & absumerentur, diminutaque vacuum relinquerent. Sed hæc Patrum doctrinam parum labefactant, qui & in astris alterationem quandam, corruptionemque vnam ad finem Mundi futuram non tātùm admittunt, sed pro viribus comprobare eniuntur. Verum & arbitrari possumus secundum horum Patrum placita, & Cœlū, & aquas supercęlestes ab alteratione liberas cōsidere posse; non consequi autem, quòd ex afflatibus aquæ illæ syderum æstum non mitigent, atque temperent frigiditatis influxu, vt mox ex eorum sententia demonstrabimus: Reluctationem autem, & alterationem inter astrorum calorem, sphæramq; igneā, & aquas has terrestres seu aëreas, perenniter vigere opinantur.

BASILIVS Homilia tertia id demonstrat.

Iam verò ætherem ipsum quis ambigat igneum esse, ac æstiuum? Quem nisi fine sibi ab opifice præscripto perutili ac necessario coërceretur, quid, quæso, prohibuisset omnia sibi propinqua cremantem, atque vrentem, vniuersum omnium rerum humorem iam absumpsiße? His aërius iste constat humor, dum superior locus

cogitur

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Et diuidat aquas ab aquis.

a. *Quòd dimidiam partem aquarum supra firmamentum extulerit.*

cogitur in nubes per subiectionem vaporum, quos fluuij, fontes, lacus, paludes, ac maria omnia emittunt: vt cuncta occupet æther, & corripiat incendio.

Altera vero causa huic connexa à D. Augustino excitata, necessarias ideo fuisse Mundo supercœlestes aquas, vt frigiditatem in his frigidis elementis sub Cęlo subsidentibus, sartam & tectam seruarent, atque vt eam in vniuersum influerent, plures recipit disceptationes. Primùm nanque disputandum esset; Num qualitates, quæ à Cęlis in corpora sublunaria diffluunt, insint in eis formaliter, vt aiunt, aut secundum virtutem, & eminentiam. Deinde; Num Cœli motu suo & lumine calorem sponte sua & per se efficiant, an contingēter; Num inquam ex propria distantia frigiditatem illis in locis, & rebus, quæ suos viuificos motus minus sentiunt, vigescere sinant; Num etiam afflatibus, & influxu id efficiant. Non ignoro siquidē Peripateticos Scholasticosq́; nō formaliter, sed effectiue (vt aiūt) Cœlos in sublunaria agere, agminatim diffinire. Rursū alios ab sentia tantùm sydera frigiditatem influere, vt sensit Auerroës; alios syderibus organa, proprietates, & vires ascribere, quibus afflatus nonnullos in sublunaria infundant, vt D. Thomas assertor est: Quanquam in ascribendis deinde ipsis astris influxuum generibus longe dissentiant. Saturni Astrum frigidissimum à quibusdam profecto censetur, senexque & cæcus Saturnus ipse à Poëtis fingitur, Martis, & Solis radios calefacere annuunt omnes. De lunæ fulgore litē sub iudice remanere non me præterit. Sed quicquid sit de Philosophorum iurgijs, ex placitis Patrum hoc esse exploratum arbitror, Cœlos, & Astra indita sibi natura calorem in se concludere ac continere, cùm calida sint, & ignea, neque effectu tantummodo calefacere. Amplius & frigiditatem demittere Cœlos ex aflatibus, non astrorum vi, sed aquarum supercœlestium virtute & influxu: adeo vt cùm duæ sint in sublunari Mundo præcipuę vires, Calor, & Frigus; has & in Cęlis caussas habere effectrices, & conseruatrices censendū sit. Caloremq́; astra ipsa natura calida & effectu exurentia; frigus vero aquas superceęlestes natura frigidas & effectu refrigerantes, deuoluere. Cùm igitur dissona sint principia Patrum, & Peripateticorum Scholasticorū, contra nostra inficiantes principia non est cur amplius disputemus; sufficit vt eorum inuectiones diruere studeamus. Cœlum igitur per tot orbes intermedios frigiditatem influere non posse, tùm ex distantia, tùm ex natura Cœlorum, quæ has non recipit impressiones, secundum principia Peripateticorum admitterem, sed iuxta Patrum doctrinam eliderem, si aquas eas ingenti amplitudine desuper coacernatas summa naturali frigiditate pollere, & Cœlos elementatos tales afflatus, & influxus transmittere posse, secundum sanam ingenuamque eorundem Patrum Philosophiam, asserere atque affirmare non dubitarem. Quòd si prædictarum caussarum nulla ingenium demulcet, hoc vnum superest, vt cum Magistro, & Patribus alijs pronuntiemus: Ad quid conditæ illæ aquæ sint, ipse qui condidit, tantùm nouit.

a. *Quòd dimidiam partem aquarum supra firmamentum extulerit.*

Patres non ex proposito, quænam sit supercęlestium aquarum amplitudo, indagarūt; sed qui aquas adeo affluentes, vt ferè totius Chaos spatium obruerent, dixere, eā aquarum exundantiam ita secarunt, vt in firmamenti concretione tertiam partē absumptā, tertiam desuper euectam, ac tertiam subtus relictam arbitrati sint, vel saltem quòd firmamento

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Diuidat aquas ab aquis.

a. *Non tantùm situ, sed & motu.*

mamento interiecto media pars supra, & media sub fuerit collocata. Præcipui ex his fuere Patres qui sequuntur.

D. PETRVS ex Clementis attestatione Recognitionum libro primo.
Et huiusmodi, inquit, firmamento aquæ intercluduntur in medio Cęlo, ac terræ spatio.

TERTVLLIANVS libro de Trinitate, capite octauo.
Aquarum terram contegentium diuidens Deus medietatem dorso Cęli sustinendam dedit.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum, libro secundo.
Visibile hoc firmamentum aquæ dimidium sursum rapuit, vt in hominum vsum, pluuiam, imbres, & rorem funderet. Reliqua aquarum dimidietas relicta est terræ, vt sint flumina, fontes, atque stagna, mariaque.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.
Quòd ait, in medio aquarum, satis euidenter docet æqualem vtrinque fuisse aquarum diuisionem. Sic enim habet textus: Distinguat inter aquas & aquas, siue in medio aquarum.

IVNILIVS in Hexæmeron.
Hic nostri Cœli in quo fixa sunt sydera, creatio describitur, quod in medio constat esse aquarum.

Glossa Ordinaria hæc ipsa.

HIPPOLYTVS Romæ vt in Catena Lippomani.
Tertiam aquarum partem potentia sua in medio fixit: tertiam supra firmamentum eleuauit: tertiam infra esse voluit ad hominum scilicet vsum, atque vtilitatem.

DAMASCENVS libro de Fide Orthodoxa secundo, capite sexto.
In medio abyssi imperio Domini factum est firmamentum.

THEODORETVS Quæstione in Genesim vndecima.
Bifariam Deus omnium diuisit aquarum naturam, & quasdam sursum collocauit: reliquæ deorsum remanserunt.

SEVERIANVS vt in Catena pariter Lippomani.
Mediam aquarum partem supra, mediam infra esse voluit

AVGVSTINVS Sermone de tempore cẽtesimo trigesimo quarto.
Deus quippe fundauit terram super aquas, & medietatem aquarum super Cęlos imposuit, & medietatem abyssis demersit, & in maria congregauit; & sic terra apparuit. Et dixit Deus; Fiat firmamentum inter aquam & aquam. Et vocauit Deus firmamentum, Cœlum. Videtis quia aquam super firmamentum Cęli imposuit, & per separationem aquarum arida terra apparuit; & recedentibus aquis, visibilem significauit.

Aquarũ cœlestiũ copia maxima.

Nec leuis profecto cõiectatio videtur hanc Patrum sententiam cohonestare. Tradit siquidem Moses; Fiat firmamentum in medio aquarum; si in medio, igitur in æquas partes Deum aquas seiunxisse manifestat. Diffinirem ergo ac decernerem, imperfectam nobis prorsus esse, certam, ac veram aquarum supercęlestium copiam, attamen amplissimam eam esse existimandam. Cùm siquidem aquæ illæ octauum syderum orbẽ circumsepiant, cuius comparatione aquarum omnium nostrarum terræstrium terræque ambitus, vel sphæra, punctus est, & centrum, non adeò exiguam in altitudine sphæram ibi conficere posse aquas illas censendum est, quin harum assimilatione, amplissimæ, ac vastissimæ non comperiantur.

a. Non tantùm situ, sed & motu.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.
Alterum quoque officium textus adiungit. Nam non tantùm dicit; Erit extensio inter aquas supernas & infimas (qua exercetur dictum officium continuandi infima supremo, & econuerso) sed adiungit, Et erit diuidens inter aquas infimas ab aquis supremis, significando alterum officium. Ista nanque corpora media, vere-

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Et fecit Deus firmamentum.

a. *Vt denotentur Pater, & Filius. Nam iussit Pater, fecit Filius.*

re media describuntur non solum situ, quo terminos sortiuntur penes aquas supremas, & aquas infimas, vt suis terminis situaliter diuidant inter vtrasque aquas; sed conditionibus: quatenus enim mouentur solo motu raptus, sequendo primum mobile, diuidunt ab aquis infimis, quę nō mouentur circulariter ad motum primi mobilis: elementorum enim solę sphæræ ignis & aëris mouentur circulariter ad motum primi mobilis. Et propterea Moses has duas sphæras ex parte Cęlorum supputat, & sub extensionis nomine comprehendit, & Cœlos appellat, quatenus verò mouentur motibus proprijs diuersis, diuidunt ab aquis supremis.

Et fecit Deus firmamentum.

Hebraicam lectionem diuersè transtulerunt Interpretes;

Chaldaica Paraphrasis habet, Et fecit Deus firmamentum: Et diuisit inter aquas, quæ erant subter firmamentum, & inter aquas, quæ erant super firmamentum.

Græca Septuaginta Interpretum, vt in Biblia Regia; καὶ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸ στερέωμα, &c.

Et fecit Deus firmamentum: Et diuisit Deus inter aquam, quæ erat sub firmamento, & inter aquam, quæ super firmamentum.

Vulgata nostra à Chaldaica Paraphrasi parum discrepat.

Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quę erant super firmamentum.

Pagninus, & Vatablus; Et fecit Deus expansionem, diuisitque aquas, quæ erant sub expansione, ab aquis, quæ erant super expansionē. Caietanus; Iuxta Hebræū, inquit, habetur; Et fecit Elohim extensionem, & diuisit inter aquas, quæ sub extensione, & inter aquas, quæ super extensionem. Absque substantiuo loquitur, & describitur executio.

Retuli has varias editiones, ne fortè legentium expectationem frustrarem, ac ludificarem; quanquam nil in ipsis animaduersione dignum existimarim.

Fiat, & fecit.

Aquarū cœlestiū copia maxima.

Hac duplicatione, quid indicare, significareque voluerit Moses, diuersa Patres contemplantur sententia.

a. *Vt denotentur Pater, & Filius. Nam iussit Pater, fecit Filius.*

BASILIVS hanc interpretationem excitasse, vel saltem insinuasse visus est Hexæmeron Homilia tertia, cùm ait.

At verò, nec illud inexpensum, & vt adnotatione indignum nos prætereat, quòd posteaquam præceperat Deus, dicens; Fiat firmamentum: non dictum est simplici modo; Et factum est firmamentum: sed Fecit Deus firmamentum. Et rursum; Diuisit Deus. Audite, qui surdi estis: respicite, qui cęci estis. Ecquis, quæso, surdus est, nisi qui non audit magna adeò voce Spiritum Sanctum inclamantem? Quis denique cęcus est, nisi qui non cernit, ac inspicit adeò apertas, adeò claras de vnigenito Dei filio demonstrationes? Fiat firmamentum; Hæc vox profectò caussę est primigeniæ & principis. Fecit Deus firmamentum; Hæc effectricis est sanè, creatricisque potentiæ testis.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo, conformia habet.

Quòd inquit, Deus fecit, memineris cum emphasi esse accipiendum, videlicet, ne quis putet, alium esse qui iubeat,

iubeat, & alium qui faciat. Plurimi sunt qui volunt, Dixit Deus, non porrigendum eo, vt credamus, Deum per ista verba voluisse Angelicas virtutes docere, sed statuisse iisdem verbis nobis ostendere Filium suum vnigenitum. Qui fit, quòd non scripsit Moses; Factum est firmamentum, sed potius, Fecit Deus firmamentum. Quòd inquit, vox primæ caussæ initialis. Quòd ait; Fecit creantis, & efficientis caussæ est testimonium.

HILARIVS de Trinitate libro quarto.

Videamus originem Mundi, quid de ea Moyses loquatur. Ait nanque, Et Dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ; & sit diuidens inter aquam, & aquam; & factum est sic; & fecit Deus firmamentum; Et diuisit Deus per medium aquæ. Habes ergo Deum ex quo, habes Deum per quem: aut si id negabis, necesse est id quod factum est, per quem factum sit doceas: aut certè naturam ipsam creandorum Deo obedientem esse demonstres, quæ ad id quod dictum est, Fiat firmamentum, seipsam Dei verbo iussa firmauerit. Sed hæc diuinæ Scripturæ ratio non recipit. Omnia enim, secundum Prophetam, facta ex nihilo sunt: nec natura aliqua manens demutata in aliud est, sed id quod non erat, creatum est, & absolutum est. Per quem? audi Euangelistam; Omnia per ipsum facta sunt. Si quæris per quem, audias eundem Euangelistam dicentem; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt. Quòd si negare voles à Patre dictum videri; Fiat firmamentum, audias rursum Prophetam dicentem; Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Quod ergo dictum est, Fiat firmamentum; in eo, quòd Pater sit loquutus, ostenditur. Quod autem adiicitur; Et factum est sic: & quod fecisse Deus dicitur, in eo persona efficientis est intelligenda, qui faciat. Dixit enim & facta sunt, non vtique solum voluit, & fecit: mandauit, & creata sunt; non vtique quia complacitum ei est extiterunt, vt mediatoris officium inter se, & ea, quæ essent creanda, cessaret. Dicit ergo fieri Deus ex quo omnia sunt, & fecit Deus, per quem omnia sunt. Eodem parique nomine, & in dicentis significatione, & in efficientis operatione, confessio est.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite tertio.

Deus est qui dicit, venerabilis naturæ, inestimabilis magnitudine, immensus in remunerationibus, incōprehensibilis in operibus, cuius altitudinem sapientiæ, quis inuestigare facilis? Iste dicit filio, idest, dicit brachio suo; dicit virtuti suæ; dicit sapientiæ suæ; dicit iustitiæ. Et fecit Filius quasi potens, fecit quasi virtus Dei, fecit quasi sapientia Dei, fecit quasi iustitia diuina.

TERTVLLIANVS libro aduersus Praxean.

Primùm quidem nondum filio apparente; Et dixit Deus, Fiat lux: & facta est; ipse statim sermo lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, & per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in sermone Christo assistente, & administrante, Deus voluit fieri, & Deus fecit, & dixit Deus, Fiat firmamentum; & fecit Deus firmamentum; & dixit Deus, Fiant luminaria, & fecit Deus luminare maius, & minus. Sed & cætera vtique idem fecit, qui & priora, idest sermo Dei, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Qui si ipse Deus est, secundum Ioannem, Deus erat sermo, habes duos, alium dicentem vt fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, iam professus sum, personæ non substantiæ nomine, ad distinctionem, non ad diuisionem. Cæterum vbique teneo vnam substantiam in tribus cohærentibus: tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui iubet, & eum qui facit. Nam nec iuberet, si ipse faceret, dum iuberet fieri per eum; Tamen iubebat, haud sibi iussurus si vnus esset; aut sine iussu facturus, quia non expectasset, vt sibi iuberet.

AVGVSTINVS econtra de Genesi ad literam libro secundo, capite sexto, huic refragatur interpretationi, cùm ait.

Sed animaduersum est à quibusdam, quod nec ego dissimulandum puto, non frustrà cùm dixisset Deus; Fiat firmamentum in medio aquarum, & sit diuisio inter aquam, & aquam; & sic factum est: parum visum esse subiungere, Et sic est factum, nisi adderetur, Et fecit Deus firmamentum; & diuisit Deus inter aquam, quæ erat super firmamentum, & inter aquam, quæ erat sub firmamento: quod quidam sic intelligunt, vt personam Patris declaratam esse dicant, in eo quod scriptum est; & dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & sit diuisio inter aquam & aquam: & sic factum est. Ac deinde vt intelligatur Filius fecisse quod à Patre dictum est, vt fieret, arbitrantur esse subnexum, & fecit Deus firmamentum, & diuisit Deus &c. Sed cùm antea legitur, Et sic factum est, à quo intelligimus factum? si à Filio, quid opus erat iam dicere, Et fecit Deus, & quæ sequuntur? Si autem quod scriptum est, Et sic factum est: à Patre intellexerimus factum, non iā Pater dicit, & Filius facit: Et potest aliquid Pater facere sine Filio, vt deinde Filius non hoc, sed aliud similiter faciat, quod est contra Catholicam fidem. Si autem illud de quo dicitur, Et sic factum est; hoc idem fit, cùm itidem dicitur, Et fecit Deus: quid prohibet eundem intelligere facere quod dixit, qui dixit vt fieret? An etiam excepto eo quod dictum est, Et sic factum est, tantummodo in his verbis, quibus dicitur; Et dixit Deus, Fiat: & postea dicitur, Et fecit Deus, Patris, & Filii personam volunt intelligi? Sed quæri adhuc potest, vtrum quasi iussisse Filio Patrem debeamus accipere in eo quod scriptum est; & dixit Deus, Fiat? Sed cur Scriptura non curauit etiam ostendere personam Spiritus Sancti? An ita Trinitas intelligitur, Et dixit Deus, Fiat: Et fecit Deus: Et vidit Deus, quia bonum est? sed non conuenit vnitati Trinitatis, vt Filius quasi iussus fecisse intelligatur, Spiritus autem Sanctus nullo sibi iubente liberè vidisse bonum esse, quod fa-

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Et fecit Deus firmamentum.

a. *Fiat quod erat in Verbo, vt fieret. Fecit, vel factum est, hoc est, non excessit præscriptos in Verbo Dei terminos.*

ctum est. Quibus enim verbis iuberet Filio Pater, vt faceret, cùm ipse sit principale Verbum Patris, per quod facta sunt omnia?

Et post in capite septimo.

Nam si propter ostendendam Filij personam repetitur, ac dicitur, Et fecit Deus: Nunquid ergo non per Filium congregauit aquam tertio die, vt appareret arida, quia ibi non dicitur, Et fecit Deus congregari aquã, aut congregauit Deus aquam? Sed tamen etiam ibi posteaquam dixit, Et factum est sic: tunc repetiuit, dicens; Et congregata est aqua, quæ est sub Cœlo. Nunquid etiam lux non per Filium facta est, vbi prorsus nullo modo repetiuit? Potuit enim & illic ita dicere; Et dixit Deus, Fiat lux; & sic factum est: & fecit Deus lucem; & vidit quia bona est; aut certè sicut in aquarum congregatione, vt non diceret, & fecit Deus, sed tantùm iterum repeteret; Et dixit Deus, Fiat lux: & sic factum est; Et facta est lux: Et vidit Deus lucem, quia bona est. Sed nullo modo repetens posteaquam proposuit, Et dixit Deus, Fiat lux: nihil aliud intulit, nisi & facta est lux, ac deinceps de placita luce & diuisa à tenebris, & vtroque appellato nominibus suis, sine vlla repetitione narrauit.

Fiat, & fecit, vel factum est ita.

Secundum D. Augustini expositionis seriem, qui immutato literæ ordine prius legit, Factum est ita, & postea, Et fecit Deus.

a. Fiat quod erat in Verbo, vt fieret. Fecit, vel factum est, hoc est, non excessit præscriptos in Verbo Dei terminos.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro secundo, capite sexto, cùm plura de Verbo æterno disseruisset, adiecit.

Non ergo Deus totiens dixit, Fiat illa, vel illa creatura, quotiens in hoc libro repetitur, Et dixit Deus. Vnum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula. Sed eloquium scribentis descendens ad paruulorum capacitatem, dum insinuat singillatim genera creaturarum, per singula respicit vniuscuiusque generis æternam rationem in Verbo Dei. Nec illa repetita, ille tamen repetit, Et dixit Deus. Si enim vellet prius dicere; Factum est firmamentum in medio aquarum, vt esset diuisio inter aquã, & aquã: si quis ab eo quæreret, quomodo factum esset, rectè responderet, Dixit Deus, Fiat, idest in Verbo Dei Patris æterno erat, vt fieret. Inde ergo incipit narrare vnumquodque factum, quod etiam post facti narrationem, quærenti quomodo factum sit, in reddenda ratione respondere deberet. Cùm ergo audimus, Et dixit Deus, Fiat, intelligimus, quòd in Verbo Dei erat vt fieret: cùm verò audimus, Et sic est factum: intelligimus factam creaturam non excessisse præscriptos in Verbo Dei terminos generis sui.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Cùm ergo audimus: Dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis; intelligamus, quid in Verbo Dei erat vt fieret, in quo faciendum intus ante omne tempus præuidit quicquid foras ex tempore Deus fecit. Cùm vero audimus; Et fecit Deus firmamentum, & diuisit aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita, intelligimus factam Cæli aquarumque creationem, ac dispositionem, non excessiße præscriptos sibi in Verbo Dei terminos: iuxta illud Psalmistæ; Præceptum posuit, & non præteribit. Id quod æquè de creaturis sequentibus, quæ per quatuor dies referuntur factæ, intelligendum est.

BEDA Expositione in Genesim, Augustinianam hanc doctrinam his repetit.

Cùm sciamus autem, quòd non toties dixit Dominus; Fiat illa, vel illa creatura, quoties in hoc libro repetitur, Dixit Deus, Fiat. Vnum quippe genuit Verbum, in quo dixit omnia, antequam essent. Sed Scriptura quasi paruulis loquitur, dum insinuat vniuscuiusque generis æternam rationem Verbo creatam Dei. Cùm autem audiuimus; Dixit Deus, Fiat, intelligimus, quòd in Verbo erat, vt fieret. Quum verò audiuimus, Et sic factum est: intelligimus factam creaturam, & non excessiße terminos præscriptos in Verbo Dei.

Ea ipsa habet libro de Creatione sex dierum.

GLOSSA

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Et fecit Deus firmamentum.

a. Fiat, & fecit. Fiat significat conceptum, & præceptum, Et fecit executionem.
b. Fecit, & diuisit ipse non per ministros Angelos.

GLOSSA Ordinaria.
Cùm enim audimus; Et dixit Deus, Fiat, intelligimus in Verbo esse, vt fieret. Cùm verò addit; Et factum est; ita intelligimus factam creaturam non excessisse præfixos in Verbo terminos generis sui.

a. Fiat, et fecit. Fiat significat conceptum, et præceptum, Et fecit executionem.

CAIETANVS Commentarijs in Genesis caput primum.
Absque verbo substantiuo loquitur, & describitur executio. Prius descripsit æternum conceptum simul, & præceptum dicendo; Et dixit:(non in secundo die, sed ab æterno) Erit in tempore extensio, & erit diuidens, &c. modo describit executionem tanquam secundo die factam.

b. Fecit, & diuisit ipse non per ministros Angelos.

CAIETANVS vbi supra.
Moses describit executionem tanquam secundo die factam non per ministros Dei, sed per ipsum Deum. Et propterea significanter dicit; Et fecit Deus. Nec solùm fecisse, sed diuisisse describitur, vt intelligamus Deum per seipsum constituisse terminos corporum simplicium, non solùm extremorum, sed mediorum.

AVCTOR.

Altercatio nõ aspernabilis exagitari videtur inter prestantissimos non secundi nominis Patres, cùm ex una acie Tertullianus, Hilarius, Basilius, Ambrosius, Procopius, verbo eo, Dixitque Deus, Fiat, Patrem imperantem; altero uero: Et fecit Deus firmamentum, Filium tanquam brachium, Virtutem, ac Sapientiam Dei Patris temporarias res condentem, nobis notificari arbitrentur, dixisseque Fiat Deum ex quo omnia, idest Patrem, & fecisse Deum per quem omnia, scilicet Filium. Ex altera acie Augustinus hanc speculationem carpat, atque pluribus redarguat; tùm quia inter prefatas clausulas intercesserit ea altera: Et sic factum est; tùm quoniam nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre quidpiam patrare catholica doceat fides. Et quoniam vel omitteretur memoratio Spiritus Sancti, vel si ijs uerbis indicaretur; Vidit Deus, quia bonum, indecens esset Trinitati, ut Filius quasi iussus fecisse intelligeretur, Spiritus autem Sanctus nullo iubente effecta commendasse perhiberetur. Amplius, quoniam non potuit Pater iubere, ut fieret, nisi per ipsum Verbum, per quod facta sunt omnia. Tandem quia in genesi lucis, & maris, & aride, non reiteratur uerbum illud: Et fecit Deus lucem, vel fecit Deus congregari aquas. Hæc altercatio facillimè sedari conciliarique potest, si ad illud vulgatum theologicum axioma confugiamus, ac prodamus res ad extra, (vt aiunt) à Sanctissima Trinitate consimul productas fuisse, ea tamen serie, ut ex specialibus attributis, & Patrem imperasse, & Filium imperata absoluisse, & Spiritum Sanctum absoluta approbasse perhibeatur: moxque rescinduntur, & euanescunt Augustinianæ obiectiones. Cæteræ interpretationes ex se conspicuæ sunt, & clarent, nec vlla indigent commentatione.

Hæc verò eo sensu sunt acceptanda, vt eomet momento omnia peracta intelligantur. Non enim intercessit tempus inter Dei iussionem & effectionem, quamquàm Moses ea modo prodat humano.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Diuisitq; aquas, quæ erãt super firmamentum, ab his, quæ erant sub firmamento.

a. Hoc est, Angelos à rudi rerum Chaos.
b. Seu res inuisibiles, non locorum sedibus, sed dignitate superlatas, à materia corporali rerum visibilium.
c. Hoc est, Cœlum aqueum, siue crystallinum, ab elementari materia adhuc incongesta.
d. Vel Cœlum pariter crystallinum, ab elemento aquæ.

Clausula hæc eas propemodum suscipit interpretationes, quas supra attulimus, eam alteram exponentes, quæ est: In medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Quamobrem ne ad eas redire lector compellatur, breuissime vnius tantùm Patris sententia repetita ipsas recensebo.

a. Diuisitq; aquas &c. Hoc est, Angelos à rudi rerum Chaos; Non commixtos natura, sed nomine.

NYSSENVS in Hexæmeron, cùm aquarum supercœlestium nomine Angelos, subcœlestium verò Chaos, seu incongestam rerum massam interpretatus esset, deueniens ad supradicta, ait.

Diuisit Deus aquam, quæ erat sub firmamento. Ostenditur enim per hæc, quòd nec ab initio quidem hæc cum illa aqua commixta esset; sed in communione nominum insociabilis esset natura, cùm non dicat, quæ facta est subter, aut supra firmamentum, sed quę erat subter firmamentum, & quæ erat supra firmamentum. Quòd si vna quidem statim in caligine ad inferum situm repulsa erat, altera verò non in caligine (in lumine enim prorsus est, quod in spiritu Dei est, & à caligine remotum, ac separatum est:) simul autem etiam supra id, quod interim creatum est, firmamentum erat: iudicet intelligens & doctus auditor, nunquid oratio nostra in ijs, quæ dicta sunt, à conuenienti, atque consentanea opinione, atque coniectura aberrauerit.

b. Hoc est, res inuisibiles, non locorum sedibus, sed dignitate superlatas, à materia corporali rerum visibilium.

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos, libro secundo, capite vndecimo, vt supra etiam relatum est.

Manichæi reprehendere solent, quòd diuisæ sunt aquæ, vt aliæ essent super firmamentum, & aliæ sub firmamento; quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo sub firmamento Cęli materiam corporalem rerum visibilium, ab illa incorporali rerum inuisibilium fuisse discretam. Cùm enim Cœlum sit corpus pulcherrimum, omnis inuisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem Cœli: & ideò fortasse super Cęlum esse dicuntur aquæ inuisibiles, quæ à paucis intelliguntur non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare Cœlum.

c. Hoc est, Cœlum aqueum, siue crystallinum, ab elementari materia adhuc incongesta.

TOSTATVS in Postillis, in secunda expositione.

Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento; idest, materiam ex qua facta sunt elementa, quæ vocatur aqua; quia adhuc informis erat in secundo die vsque ad tertium, ab ijs quæ erant super firmamentum, idest, à Cœlo crystallino, quod erat super omnes octo orbes, qui vocantur firmamentum.

d. Cœlum pariter crystallinum, ab elemento aquæ.

LYRANVS, in Postillis, vt supra referebamus.

Diuisitque aquas &c. Hic aquæ dicuntur æquiuocè, vt patet ex prædictis, quia istæ, quę sunt super firmamentum, sunt de natura cœlesti; illæ autem, quæ sub firmamento, de natura elementari.

Diuisit

Diuisitq; aquas, quæ erant super firmamentũ, ab his, quæ erant sub firmamento. Anno Mũdi primo. Die secunda.

a. *Hoc est, corpora collucida à collucidis.*
b. *Seu, pluuiales aquas, à labentibus, his actu, illis tantùm in potentia extantibus.*
c. *Vel, in vaporis specie suspensas, à densioribus.*

a. *Diuisit aquas ab aquis, hoc est, corpora diaphana, à diaphanis.*

THOMAS prima parte, quæstione sexagesima octaua, articulo tertio.
Sic igitur siue per firmamentum intelligamus Cœlum, in quo sunt sydera, siue spatium aëris nubilosum, conuenienter dicitur, quòd firmamentum diuidit aquas ab aquis, secundum quod per aquam materia informis significatur, vel secundum quod omnia corpora diaphana sub omni conuenientia aquarum intelliguntur.

b. *Hoc est, pluuiales aquas, à labentibus; his actu, illis tantùm in potentia, vt aiunt in Scholis, extantibus.*

D. THOMAS Vbi supra.
Aër vero nubilosus distinguit superioris aëris partem, in qua generantur pluuiæ, & huiusmodi impressiones, ab inferiori parte aëris, quæ aquæ connectitur, & sub nomine aquarum intelligitur.

STEVCHVS in Cosmopæia.
Diuisitque aquas quæ erant sub firmamento. Hebraicè non est verbum Erat, sed habet ad hunc modum; Diuisitque aquas, quæ sub firmamento, siue diffusione, temporis diffinitione sublata. Itaque non tunc quidem aquas desuper innuit fuisse, quanquam vaporibus exhalatis, nubes tunc cogi poterant; sed vt dixi, ad omnem naturæ consuetudinem pertinet.

Et Steuchus hoc loco aquarum supercœlestium & terrestrium nomine mare supernum & infernum intelligi contendit, cum ait.

Summa ergo Sapientia cęlesti afflatu in secunda die tres res est complexus, Cœlum siuè aërem, mare infernum, mare supernum, idest eam regionem, à qua tanta vis aquarum descendit, quantam mare continet. Simile enim est mare in Cœlo, atque in terris. Totum siquidem mare fluminum, fontium, ac pluuiarum concursu efficitur, flumina & fontes, de montium latissimis cauernis, quæ frigidissimi, semperque stillantis, & in his ipsis cauernis ob frigus, Solisque distantiam in aquam coacti aëris, sunt plenæ, oriuntur. Hymbres quoque à Cęlo. Ergo in Cœlo quoque idipsum est mare. Eunt ergo, redeuntque in semetipsa mare terrestre & cęleste. Ex aquis terrestribus aër gignitur, aër per flumina, & fontes, & hymbres ad genitorem suum reuertitur. Vno die totum mare circumquaque trahitur in Cęlum, & eodem die reuertitur in proprias sedes, præcipue nocttu. Nam tot flumina, fontes, hymbres, quæ mare quidem subeunt, sed augere non poßunt, eodem die à Sole in Cœlum reuocantur. Et Post. Ex intima ergo Philosophia, & Moses aquas superiores, & inferiores, inter quas intersusus sit aër, nominauit. Quod Aristoteles dixit inter Cœlum & terram commune flumen. Et uere Prophetica sapientia vtrunque mare est commemoratum. Etenim vt regio maris terrestris est terra, sic regio maris cęlestis est Cęlum. Inter vtrunque mare separat quasi latissimum velum ipsum Cœlum, siuè aër, proprieque Cœlum est aër, vnde color cęlestis, cæruleus. Hoc Cœlum, hæc regio, cum aquis suis facta est, & constituta à prudentissimo illo omnium rerum, & causarum, è quibus alia nasci possent, inuentore.

c. *Hoc est, in vaporis specie suspensas, à densionibus.*

GLOSSA Interlinearis.
Diuisitque aquas vaporaliter imminutas, quæ erant super firmamentum, hoc est, super sydereum Cœlum, ab his, idest, densioribus aquis, quæ erant sub firmamento, idest sub sydereo Cœlo.

Et hæc expositio placita Augustini, Eucherij, Anselmi Cantuariensis, Magistri, & plurimorum sectatur, quorum sententias vt supra memoratus, hoc loco reiterare tædiosum iudicaui.

Idest,

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Diuisitq; aquas, quæ erāt super firmamentum, ab his, quæ erant sub firmamentum.

a. *Idest, Aquas glaciali soliditate Cęlis superuectas, ab aquis scilicet fluxilibus.*
b. *Seu, aquas fluxiles, ab his pariter labentibus.*
c. *Vel, aquas quæ erant sub vno hemisphærio, ab aquis existentibus sub altero hemisphærio.*

a. *Idest, aquas glaciali soliditate Cœlis superuectas, ab aquis scilicet fluxilibus.*

IVNILIVS in Hexæmeron.

Si Deus ligat aquas ad tempus infra Cęlum cùm vult, vt non pariter decidant, nullo firmioris substantiæ trepidine substentatas, sed vaporibus solummodo nubium retentas; ipse potuit aquas super rotundam Cęli sphæram, ne vnquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciali.

b. *Hoc est, aquas fluxiles, ab his pariter labentibus.*

IVNILIVS vbi supra.

Sed & si liquentes ibi aquas sistere voluit, nunquid maioris hoc miraculi est, quàm quòd ipsam terræ molem (vt Scriptura dicit) appendit in nihilo? Nam & vndæ siue Rubri maris, seu fluuij Iordanis, cùm ad transitum Israëliticæ plebis in altum erectæ murorum instar figuntur, nonne euidens dant indicium, quòd & supra rotunditatem Cœli volubilem, fixa possint ratione manere?

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite tertio, vt etiam colligit Glossa Locupletata.

Diuisitque aquas, &c. Cùm hæc audis, quid miraris si supra firmamentum potuit vnda suspendi? De alijs hæc collige, quomodo ad Iudæorum transitum, si rationem quæris, se vnda diuiserit. Non solet hoc esse naturæ, vt aqua se discernat ab aqua, & in profundo interfusiones aquarum sine medio separentur. Nonne potuit etiam aliter Hebræum populum liberare? Sed tibi voluit ostendere, vt eo spectaculo etiam illa, quæ non vidisti, affirmares esse credenda. Iordanis quoque reflexo amne in suum fontem reuertitur.

Non est cur in secernenda ex his interpretationibus probatiore insudem, iam pridem enim id actum est, quando longa disceptatione singulas has expositiones, necnon & alias super ea verba, In medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, discussimus, & ventilauimus. Esset enim dicta dicere.

c. *Hoc est, Aquas quæ erant sub vno hemisphærio, ab aquis existentibus sub altero hemisphærio.*

PROCOPIVS non ex sua sententia, sed quasi fortuito in hanc incidit interpretationem, Commentarijs in Genesis caput primum.

Cæterum in medio aquarum constitit, sicuti & terra, sustinens supra se aquas immobili statione. Verùm si quis torqueat hæc verba; Inter aquas quæ sunt sub Cęlo, &c. & velit hunc sensum elicere, scilicet inter aquas, quæ sunt sub hemisphærio, certè sequitur, vt credamus non solum aquas, quæ erant sub visibili Cœlo, sed quæ erant quoque sub inuisibili, in vnam collectionem, quæ mare nuncupatur, confluxisse: & sic de vtroque hemisphærio illa verba intelligentur.

Cæterum hæc interpretatio, licet elegans fortè videatur quantum ad eam partē, qua aquas sub firmamento extasse declarat, non tamen quantum ad alteram, qua supra firmamentum euectas fuisse perhibet: quoniam id verificari posse non puto, nisi inquantum aquæ considentes in terræ hemisphærij nostri antris super alteram firmamenti partem hæmisphærij suppositi antipodum, superlocatas diceremus, quod incongruè prolatum existimo.

Quamuis profectò appareat rudibus, antipodis se Hemisperioq; alteri supereminere; desipiunt attamen atq; hallucinantur, quoniam quæcunq; ad terram vergunt cęlis substernuntur, cùm ipsa terra Cęlo vndiq; subsideat.

In He-

Anno Mūdi primo. Die secunda

Et factum est ita.

a. *Id dicitur de firmamento, & non de luce: quia Angelus duplex esse, cætera verò triplex esse susceperunt.*

In Hebraico habetur Vaihi chen. Chaldaica lectio legit, Et fuit ita. Vatablus Pagninusque pariter, Et fuit ita.

CAIETANVS in Commentarijs.

Et factum est ita: iuxta Hebræum habetur, Et fuit ita.

Græca editio, hoc est Septuaginta Interpretum, verba hæc omninò subticuit. Nostra editio habet, Et factum est ita. Græci interpretes nil super his verbis commentati sunt.

Augustinus peruertit literam, Dicit enim; Et factum est ita; postea, Et fecit Deus. Legitque, Fiat firmamentum; & factum est ita, & fecit Deus firmamentum.

LIPPOMANVS in Catena.

Tam, Et factum est ita, quàm, Et fuit ita, exponi potest, quod Hebraicè, Vaihi chen scribitur: est enim Haia verbum, de quo supra, quod & Esse, & Fieri significat. Chaldaica, Et fuit ita, legit: quibus verbis Septuaginta hoc in loco carent penitus.

Arbitrarer & ego paruipendendam esse eam discrepantiam, quæ inter Fuit ita, & Factum est ita, astrui posset: nam in idem hæc duo recidunt. Ratio tamen expostulat, ut eam prȩferamus, in quam plures consentiunt, veterem scilicet nostram, qua tota Ecclesia vtitur. Id tamen animaduertendum, Augustini contemplationes, quibus rerum esse in Verbo per Fiat, per Factum est, in apprehensione Angelica, & per Fecit, in propria natura intelligi contendit, quanquam innitantur literæ inuersæ, admitti tamen posse, adeò vt secundum literam per Fiat intelligamus congestarum rerum esse in Verbo, per Fecit, in mente Angelica, & per Factum est, in propria essentia; utroq; enim modo adaptari potest hæc interpretatio.

a. *Id dicitur de firmamento, et non de luce: quia Angelus duplex esse, cætera verò triplex esse susceperunt.*

Et factum est ita. Vel fecit secundum Augustinum. De luce tantùm dictum est Fiat, & facta est; De firmamento autem Fiat, factum est, & fecit. Quòd Angelica natura habuerit tantùm esse in Dei præscientia, & in natura sua, cætera verò corporea, ut firmamentum, triplex esse susceperint, in Deo, in Angelica apprehensione, & in natura.

D. AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite octauo.

Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit diuidens inter aquam & aquam: & sic factum est. Postquam dixit, sic factum est: quid opus erat rursum addere, Et fecit Deus firmamentum, & diuisit inter aquam, quæ erat sub firmamento, & aquam quæ erat supra firmamentum? Nam cùm dixisset superius; Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: non addidit rursum, Et fecit Deus lucem: hic autem, posteaquam dixit Deus, Fiat; & sic factum est: additum est, Et fecit Deus. An hinc apparet non oportere lucem illam intelligi corporalem, ne eam aliqua creatura interposita fecisse Deus videatur? Deum autem Trinitatem dico, hoc verò firmamentum Cœli, quia corporeum est, per incorpoream creaturam accepisse speciem, formamque creditur, vt prius incorporeæ naturæ rationabiliter à veritate impressum sit, quod corporaliter imprimeretur, vt Cȩli fieret firmamentum: & ideò positum est, Et dixit Deus, Fiat, & sic factum est; in ipsa rationali natura prius facta est fortasse vnde imprimeretur corpori species. Cùm autem additum est, Et fecit Deus firmamentum, & diuisit inter aquam quæ erat sub firmamento, & aquam quæ erat supra firmamentum; & ipsa corporatio in illa materia, vt corpus Cȩli fieret, significatur.

Et de Genesi ad literam libro secundo, capite octauo.

Quid sibi ergo vult in cæteris illa repetitio? An eo modo demonstratur, primo die, quo lux facta est, conditionem spiritalis, & intellectualis creaturæ lucis appellatione intimari? In qua natura intelliguntur omnes

Angeli sancti, atque Virtutes: & propterea non repetiuit factum posteaquam dixit, facta est lux, quia non primo cognouit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est, sed in ipsa sua conformatione cognouit, hoc est illustratione veritatis ad quam conuersa formata est: cætera verò quæ infra sunt, ita creantur, vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. Quapropter lucis conditio prius est in Verbo Dei secundum rationem, qua condita est, hoc est in coæterna Patris sapientia: ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam qua condita est, illic non facta, sed genita, hic verò facta, quia ex informitate formata: & ideò dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux: vt quod ibi erat in Verbo Dei, hic esset in opere: conditio verò Cœli prius erat in Verbo Dei secundum genitam sapientiam; deinde facta est in creatura spiritali, hoc est in cognitione Angelorum secundum creatam in illis sapientiam; deinde quod Cœlum factum est, vt esset etiam ipsa Cœli creatura in genere proprio. Sic & discretio, vel species aquarum, atque terrarum, sic naturæ lignorum, & herbarum, sic luminaria Cœli, sic animantia orta ex aquis ac terra. Neque enim sicut pecora solo sensu corporis vident Angeli hæc sensibilia, sed si quo sensu tali vtuntur, agnoscunt ea potius, quæ melius nouerunt interius in ipso Dei Verbo, à quo illuminantur, vt sapienter viuant; cùm sit in eis lux, quæ primo facta est, si lucem spiritalem in illo die factam intelligamus. Quemadmodum ergo ratio qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei, quàm ipsa creatura, quę conditur; sic & eiusdem rationis cognitio, prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est: ac deinde ipsa conditio creaturæ postea in genere proprio. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent; qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate sancta & pia contemplatione perfruuntur: atque inde ista despicientes, secundum id quod intus vident, rectè facta approbant, vel peccata improbant. Nec mirum est, quòd sanctis Angelis suis in prima lucis conditione formatis, prius Deus ostendebat, quod erat deinceps creaturus. Neque enim intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset. Rom. 11. *Quis enim cognouit intellectum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex ipso ergo discebant Angeli, cùm in eis fieret cognitio creaturæ deinceps faciendæ, ac deinde fieret in genere proprio. Quapropter iam luce facta, in qua intelligimus ab æterna luce formatam rationalem creaturam, cùm in cæteris creandis rebus audimus, Et dixit Deus Fiat; intelligamus ad æternitatem Verbi Dei recurrentem Scripturæ intentionem. Cùm verò audimus, Et sic est factum; intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, quæ in Verbo Dei est, condendæ creaturæ, vt in ea natura prius quodammodo facta sit, quæ anteriore quodam motu in ipso Dei Verbo prior faciendam esse cognouit: vt postremo cùm audimus repeti, ac dici, quòd fecit Deus, iam intelligamus in suo genere fieri ipsam creaturam. Porrò cùm audimus; Et vidit Deus, quia bonum est, intelligamus benignitati Dei placuisse, quod factum est, vt pro modo sui generis maneret, quod placuit, vt fieret, cùm Spiritus Dei superferebatur super aquam.*

BEDA Expositione in Genesim.

Quum autem addidit; Et fecit Deus: & cur in creatione lucis non dictum est, Et fecit Deus? Quia primo die, quo facta est lux, conditio spiritalis creaturæ intimatur. In qua natura intelliguntur sancti Angeli, & Virtutes. Et propterea non repetitur, quia non primò recognouit creatura spiritalis conformationem suam, ac deinde formata est, sed in ipsa sua conformatione cognouit: hoc est, in lustratione veritatis, ad quam conuersa formata est. Cætera verò ita creantur, vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. Et ideò dicitur, factum est ita hoc est, in cognitione spiritalis creaturæ, ac deinde repetitur, Et fecit Deus; hoc est, in suo genere.

GLOSSA ex Augustino.

Quæritur quare cùm dixisset, Fiat firmamentum; & factum est ita: postea addit, Et fecit Deus firmamentum; cùm in creatione lucis additum non sit? In quo demonstratur, primo die, quo facta est lux, conditionem spiritalis creaturæ, idest sanctos Angelos per lucem significari. Ideò non repetitur postquam dixit, Facta est lux, quia non primo nouit rationalis creatura formationem suam, & post formata est, scilicet, in ipsa sua formatione cognouit. Conditio enim lucis in eis est, prius in sapientia, post in conditione sua, illic genita, hic facta, idest ex informi formata. Vnde Fiat lux, & facta est lux, vt quod erat in Verbo, esset in opere. Cætera prius fiunt in sapientia, postea in Angelorum cognitione, tandem in proprio genere. Cùm ergo audimus; Dixitque Deus, Fiat lux, intelligimus ad sapientiam Dei Scripturam recurrere. Cum audimus, Factum est, intelligimus in creatura spirituali factam cognitionem faciendæ creaturæ. Cùm additur, Et fecit Deus; fieri intelligimus ipsam naturam in genere suo. Nec toties dixit Deus, Fiat, quoties Scriptura dicit; quia vnum Verbum genuit, in quo omnia dixit, per quod singula facta. Sed Scriptura condescendens paruulis, in vnoquoque genere creaturæ respicit, in Verbo Dei æternam rationem, dicens; Dixitque Deus, Fiat &c.

HVGO Carensis in Postillis, clarissimo compendio hæc eadem colligit.

Vel in primo, Dei præscientia; in secundo, Angelorum notitia; in tertio, productio ad esse. Non ita dictum est de luce, quia Angelica natura primo fuit in Dei præscientia; secundo in sui essentia; vnde tantùm bis dictum est, Fiat lux; & facta est lux.

Vt insi-

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Fiat, Fecit, Et factum est ita.

a. *Vt indicetur triplex essendi ratio, in præscientia Dei, in materia, & in essentia.*
b. *Siue, vt insinuentur voluntas opificis, efficientia, & propensio rei effectæ.*
c. *Vel, vt demonstretur rerum esse in Deo, vti in principio: In suo esse, vt in proprio genere; Et ad Deum ipsum, vt ad finem.*

a. *Vt indicetur triplex essendi ratio, in præscientia Dei, in materia, & in essentia.*

PETRVS Comestor in Genesim capite quarto.

Quod autem dictum est; Fiat firmamentum: & post, Deus fecit firmamentum: & tertiò, Factum est firmamentum, non superfluum est. Quia sicut in domo facienda, primò domus fit in scientia artificis, fit etiam materialiter, cùm leuigantur ligna & lapides; fit etiam essentialiter, cùm leuigata in structuram domus disponuntur; ita cùm dicitur, Fiat, ad præsentiam, vel præscientiam Dei refertur, Fecit ad opus in materia; Factum est ad opus in essentia: Illud primo die, istud secundo factum est.

HVGO Carensis in Postillis.

Et nota, quòd dicitur, Fiat firmamentum; & similiter, Fecit firmamentum. Et post. *Factum est firmamentum. In primo notatur factio firmamenti in Dei præscientia, in secundo factio eiusdem in materia: in tertio factio eiusdem in perfecta essentia.*

Lippomanus in Catena hæc ipsa mutuatis etiam verbis.

b. *Vt insinuentur voluntas opificis, efficientia, & propensio rei effectæ.*

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo vndecimo.

Ad aliud dicendum, quòd tria exiguntur ad perfectionem rei; quorum duo sunt ex parte efficientis, & tertium ex parte rei factæ. Primum quidem ex parte efficientis, est inclinatio ad opus per voluntatem operandi, & hoc in prima caussa est imperium, quod importatur per Fiat. Secundum verò ex parte efficientis est operatio exiens ab ipso in opus, & hoc importatur per Factio, siue per Fecit. Tertium verò, quod est ex parte rei factæ, est obedientia rei operatæ ostensa in esse, & hoc imporatur per Factum est: sed vnum horum omittitur, scilicet Fecit, eo quòd lux est forma, quæ fit in alio, & non res per se existens, & super tales formas non est operatio efficientis, quia omnis efficiens operatur super materiam; & tales formæ non sunt ex materia aliqua.

Augustini iam recensitam sententiam inde subijcit.

c. *Vt demonstretur rerum esse in Deo, vti in principio: In suo esse, vt in proprio genere; Et ad Deum ipsum, vt ad finem.*

ALEXANDER Halensis parte secunda, quæstione quinquagesima, membro sexto, articulo secundo, Augustinianam prædictam sententiam ita redarguit.

Sed adhuc posset obijci contra hoc, quod dicit Augustinus. Si enim esse in proprio genere esset commune omnibus, sicut esse in Verbo; & esse in Verbo per hoc, quod dicitur, Fiat, intelligatur: esse verò in proprio genere in prima die, intelligatur per hoc, Et factum est: ergo in secunda die similiter, & in tertia; ergo per hoc quod dicitur, Et fecit, oporteret intelligere esse in cognitione Angeli; Et ita is esset ordo, vt primo notaretur esse in Verbo; deinde in proprio genere; vltimò in Angelica cognitione. Sed secundum hoc, sicut Angelus cognouit in se firmamentum factum, ita in se cognouit se factum: ergo nulla est differentia.

His autem suam subnectit sententiam.

Propter hoc dico sine præiudicio melioris sententiæ, quòd in omnibus operibus intelligitur triplex esse: in Deo tanquam in principio; esse in proprio genere; & esse ad ipsum, inquantum est finis, & ita notatur perfectio. Sed duplex est esse ad ipsum, inquantum est finis, vt in se sit ad ipsum, vt ad finem: & vt rationalis creatura se & alia referat ad Deum tanquam finem, & hæc vocatur perfectio secunda: vt ergo ostenderet, quòd hæc perfectio secunda non fuit in rationali creatura Angelica, quo ad omnem Angelum, & hoc propter opera eorum,

Anno Mũdi pumo. Die secunda.

Et factum est ita.

a. Fiat, Fecit, Factum est vt ostendatur, quòd Dei sint, imperium, absolutio, & modus.
b. Dicitur de Cœlo, Factum est, & non de Angelo, quòd naturæ corporeæ ad defectionem magis sint pronæ, quàm spirituales.
c. Fecit causaliter, factum est actualiter. d. Additum est varietatis caussa.
e. Vel, Vt demonstretur, quàm celeriter Deus cuncta constarit.

ra eorum, quæ fuerunt in secunda die: vnde non dixit; Vidit Deus, quia bonum est, sed vt ostenderetur, quòd non defuit prima perfectio, prout res in se refertur ad Deum, tanquam ad finem, dictum est, Et fecit Deus.

a. Dictum est Fiat, Fecit, Factum est vt ostendatur, quòd Dei sint, imperium, absolutio, & modus.

THOMAS prima parte, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio, ad quintum, cùm Augustini sententiam breuissime coëgisset, adijcit.

Secundum alios vero potest dici, quòd in hoc quod dicit; Dixit Deus, Fiat, importatur imperium Dei de faciendo, per hoc autem quod dixit, Factum est, importatur complementum operis: Oportuit autem, vt subderetur quomodo factum fuit, præcipuè propter illos, qui dixerunt omnia visibilia per Angelos facta: & ideò ad hoc remouendum subditur, quòd ipse Deus fecit. Vnde in singulis operibus, postquam dicitur, Et factum est, aliquis actus Dei subditur, vel fecit, vel distinxit, vel vocauit, vel aliquid huiusmodi.

b. Dicitur de Cœlo, Factũ est, et non de Angelo, quod naturæ corporeæ ad defectionem sint magis pronæ, quàm spirituales.

GLOSSA ex Augustino.

Notandum verò, quòd prima die cùm facta est lux, dictum est tantùm, Fiat lux; & hoc in Verbo: & facta est lux, in opere, statimque adhæsit increatæ luci lux creata, vt vicinior, & omni creatura capacior. In secunda die quædam mora est, & verborum multiplicatio, Fiat, & Fecit Deus, & Factum est ita; vt intelligamus istas naturas, ad deficiendum pronas, & ad obediendum minus aptas.

c. Fecit causaliter, factum est actualiter.

GLOSSA Interlinearis.

Et fecit, idest causaliter, & factum est ita, actualiter scilicet.

d. Additum est varietatis caussa.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite nono.

An fortè varietatis caußa, vt textus sermonis in fastidium non veniret, & supra non est positum, quod infra positum est, & non oportet scrupulosè omnia rimari? Eligat quis quod potest, tantùm ne aliquid temerè atque incognitum pro cognito asserat; memineritque se hominem de diuinis operibus quantum permittitur quærere.

e. Vt demonstretur, quàm celeriter Deus cuncta constarit.

Patrum quamplures hæc verba interserita existimant, vt celeritatẽ, ac facilitatem in Mundi constructione notificent, quasi quòd mox vt dixerit Deus Fiat, mox fecerit, mox factum apparuerit. Adducam nonnullorum sententias.

CHRYSOSTOMVS in Genesim, Homilia quarta.

Et vt discas magnam elementorum obedientiam, excellentemque virtutem opificis, ait; Et factum est ita. Dixit solùm, & opus sequutum est.

Ad

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Et factum est ita.

a. *Ad differentiam agentium, siue naturalium, siue à proposito.*
b. *Phrasim esse Hebraicam.*

a. *Ad differentiam agentium, siue naturalium, siue à proposito.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Et fuit ita. Impedimentum obstansque nullum valuisse describitur, ad differentiam actionum agentium multorum, siue naturalium, siue à proposito; quæ ex parte sui faciunt; sed ipsorum facere impeditur: & propterea quamuis fecerint, non tamen efficitur, quòd sit in effectu, ita vt agens intendebat, & conatum est facere. Ad significandum itaque, quòd diuinum facere nullum pertulit impediens, dicitur; Et fuit ita.

b. *Phrasim esse Hebraicam.*

Arbitrati sunt alij, nec perperam fortè, hanc eiusdem verbi reiterationem ex idiomatis hebræi, tùm phrasi, tùm inopia, & nuditate profectam esse; hebraica enim lingua, vt omnibus compertum est, cùm ad determinatas radicales voces cuncta fere redigatur, inops admodum est, atque nuda, adeo vt in cacophonias delabi, sæpiusque ea ipsa repetere cogatur. Quapropter mirum non esse, si Moses in hac splendida Mundi genesis narratione sæpius easmet uoces reiteret.

AVCTOR.

Quid sentiā ego de his interpretationibus, quibus exponitur quid importet illa conduplicatio Fiat, Et fecit secundum Græcos, uel Fiat, Et factum est secundum Augustinum; & illa terna iteratio, Fiat, Fecit, Et factū est pariter secundum Græcos, vel Fiat, Factum est, Et fecit ex D. Augustini textu, breuissime absoluam. Censeo primùm Basilij, ac cæterorum Patrum sententiam, quæ verbo; Dixit Deus, Fiat firmamentum, Patrem, & verbo, Fecit, Filium denotare autumat, non adeò efficaciter à D. Augustino reprehendi, quin ab eius reprehensionibus defensari ualeat. Animaduertendum siquidem, cùm Mundi conflationis negotium totius sit sanctissimæ Trinitatis, si quandoque Pater, uel Filius creare perhibentur, certe ea ratione dicuntur creare, ut simul etiam Trinitas tota condere intelligatur: tametsi peculiariter, ac singulariter, nonnulla Patri, quædam Filio, quædam etiam Spiritui Sancto, à sacris Theologis, atque ab eximijs Patribus, immo ab ipsa Ecclesia sancta, non incongrue, neque inconcinniter ascribantur, vt imperium, & præceptum Patri, effectio Filio, & approbatio Spiritui Sancto; quoniā Patri maiestas competit, Filio uerò uerbum esse, Ideamq́;, quibus res congeruntur, & Spiritus Sāctus sit bonitas, qua in ipsis rebus Deus sibi cōplacet. Quapropter hac sola animaduersione omnes Diui Augustini obiectiones quàm facillimè dissoluuntur. Adijciam, quòd rationes Augustini desumptæ ex literæ serie, qua legit; Fiat, & Factum est ita, & post, Fecit, corruunt tanquam imbecilli innixæ fundamento, cùm Hebraica, Chaldaica, & nostra lectio habeāt, vt dicebamus, Fiat, Fecit, & post, Factum est ita. Interpretationes duæ, quarum altera exponit, Fiat, quod in Verbo erat, vt fieret, & Factum est iuxta præscriptos terminos in Verbo; & altera quæ interpretatur, per Fiat, Fecit, & factum est, denotari triplex rerum essendi genus, in Verbo, in mente Angelica, & in natura propria, ingeniosæ admodum meo iudicio reputari possunt, sed literæ parum applaudētes: & rudibus in simplici literæ apparatu imperspectæ, & inexcogitabiles. Consimile discrimen subeūt, & illa, qua ter id repetitum asserebat, eo quòd naturæ corpori obnoxiæ ad deficiendum pronitatem, minoremq́; ad obediendum aptitudinem ferāt, & tres,

Basilij senten tia defēsatur.

& tres, quæ sequuntur delatæ expositiones, Petri Comestoris, Scholasticorum Alberti Magni, Alexandri Halensis, & Diui Thomæ. Quare Patrum Græcorum explanatio, quæ hæc repetita uerba diuinæ maiestatis imperium, uel facilitatem, & celeritatem in rerũ cõflatione indicare autumat probatior, planiorq; mihi visa est, literæ & communi hominum capacitati accommodatior. Non negarem insuper ex linguæ Hebraicæ phrasi, id contingere potuisse. Vel vt Augustinus perhibebat, varietatis caussa. Verum vt aliquid superadijciamus, exactius possumus cum Aegidio in prima parte Hexæmeron, essendi genera amplificare, atque ad septem redigere. Primum igitur genus ideale est, non illud quo separatas subsistere Ideas dixere Plato, & Philo, sed illud quo res in Verbo æterno perenniter, atque imperspecto nobis modo residere non ignoramus. Has scitissime Diuus Augustinus sexto de Trinitate, rationes rerum appellauit, cùm dixit. Filius est ars quædam omnipotentis, ac sapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium. Dixit, Viuentium, quoniam hoc essendi genere res ipsæ vitam degunt diuinam, atque perennem, iuxta illud; Quod factum est in ipso vita erat. Quasi dicat, omne id, quod factum est, quando Mundus prosilijt, iam in Deo ab æterno uita erat ipsa, cùm esset ipse Deus, qui uita est perennis. Dixit, Incõmutabilium, siquidẽ erant incõmutabiles perpetim res in Deo, cùm apud ipsum non sit transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Alterum essendi genus, quod res percepere, intellectuale nuncupatur: & hoc duplex quemadmodum etiam duplex est natura intellectualis, Angelica & humana. Aliud perinde sensile appellatur, quo res in sensili materia extant. Hoc autẽ quatuor suscipit essentiæ modos. Aut enim res vigescunt in suis principijs, aut in seipsis: si in principijs; aut super physicis, hoc est supernaturalibus, in Dei inquam potentia; aut physicis, in rationibus scilicet seminalibus, seu caussis naturalibus: quòd si in seipsis; aut secundum rationem specificam, ut aiunt Dialectici, aut indiuidualem. Ex his igitur septem essendi generibus, nempe diuino & perenni in Deo, intellectuali in Angelica & humana mente, in principijs hyperphysicis, & physicis, in proprijs naturis, quo ad specificas, uel quo ad indiuiduas rationes: præstantissimũ profecto, ac supereminentissimum est illud esse, quo in Deo res viuunt, diuina prorsus, perennique ac incommutabili uita potite. Deinde cùm ex nobilitate naturæ, in qua imprimuntur, res ipsę nobilius esse nãciscãtur, præstantiorem & eminentiorem gradũ in Angelica mente, quàm in humana sortiuntur, quandoquidem res ipsæ ceu imagines in illa ueluti in auro, in ista tanquam in argento incisæ & sculptæ coruscant. Rursum excellentius esse in caussis, quàm in seipsis creaturæ possident. Ac tandem præclarius in specie nunquam intercisa, quàm in ipso indiuiduo perpetim corruptioni obnoxio. Ex quibus omnibus iuxta Diui Augustini speculationes, verbum, Fecit, Fiat, & similia, ita explicare possumus. Dixit Deus, Fiat, hoc est, præcepit ut id, quod iam in Deo perenniter erat, ut fieret, ac iam in mente Angelica, ut fiendum impressum clarebat, ex hyperphysicæ, ac supernaturalis caussæ uirtute manaret, & id fecit in esse sensili tã secundum rationem specificam, quàm indiuiduatam. Et factum est, quod post ex physicis principijs secundum speciem perpetuandum erat, perpetuis inquam & nunquam indefessis vicissitudinibus generationis, & corruptionis. Factum inquam est illud, cuius ratio seu species per sensus excerpta, per phantasmata delata ad intellectum, per intellectum agentem illustrata, atque ad uniuersalem quandam formam euecta, in ipsa humana mente imprimenda erat. Cæterum ingeniosa quidem, ac perspicaci intellectu, atque industria elaborata, hæc sunt, sed parum ad propositum spectantia.

Cap. 14. Essendi genera septem.

Cap. 6.

Ioan. 1.

Nobilissimũ esse est esse in Deo.

Num vnoquoque die singula opera vnico momento manarint, an diei spatio.

Disceptandum adhuc hoc loco superest; Num Deus quando dixit, Fiat, & Moses adiecit, Fecit, & factum est; opera cuiuslibet diei primo eius diei momento absoluerit, An magis tempus, ac delapsum totius diei ad ea condenda adhibuerit, interpollataque effectione illa perfecerit.

singula

Et factum est ita.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

a. Nam singula condita sunt per diei spatium.
b. Vel, vnico momento.
c. Seu, Quædam simul, & sine mora; quędam cùm mora.

a. Singula condita per diei spatium.

HVGO de Sacramentis libro primo, parte prima, capite sextodecimo hac mota difficultate, his eam dissoluit.

Cui quæstioni gemina responsione obuiabimus; aut enim dicemus, Deum in illis sex diebus operationem ita continua perseuerantia produxisse, vt nullo temporis interuallo ab operando desierit, aut ita sex diebus operatum, vt nullum quidem diem in operando intermiserit, non quòd nullo temporis spatio operari cessauerit.

b. Singula vnico momento.

AMBROSIVS Hexæmeron libro primo, capite nono, ait.

Non ideo dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negotium, vnde pulchre Dauidi cum illud; Dixit, & facta sunt, quia dictum impleuit effectus. Psal. 148.

BASILIVS hæc eadem tradit Homilia secunda.

Sane imperium operis ipsum erat hoc, mox enim fiebat natura, qua vna nihil possit humana ratiocinatio comminisci, & excogitare, quo se oblectet suauius.

TOSTATVS in Genesim.

Non est dicendum, quòd per totum diem Deus in faciendo quodlibet istorum opus moratus fuerit, sed faciebat subito quodlibet, & deinde dies, in quo faciebat illud opus, denominabatur ab illo opere.

c. Quædam simul & sine mora vt luminaria germina & animalia; Quædam cum mora, vt mare terra, & homo.

BEDA Quæstionibus super Genesim.

Quarta differentia est: Quòd quædam simul, & velut subito creata emerserunt, vt herbæ, luminaria, natantia, & volatilia, necnon terrena animalia, & quadrupedia: quædam verò non simul, sed velut cum quadam mora, vt mare, terra, homo: Et ipse enim paulatim factus scribitur sicut & cætera.

Moses ipse secundā magis quàm alterā insinuat sententiā, cùm post Fiat, quo verbo, Dei præceptum recitat, mox Fecit, & factum est adijcit, quasi declaret statim momento effectum fuisse, quod præceperat Deus vt fieret. Arbitror attamen non leui coniectura permotus, aliter censendum esse, de luce, firmamento, & Astris; & aliter de congregatione aquarum, de terræ germinatione, de piscium, auium, atque animantium prosilitione: siquidem veluti ea prima momento prodijsse ex natura eorum absolutissima, minorique elementorum crassitie permixta; ita hæc postrema ex elementis ipsis, quanquam Dei virtute, producta, non sine aliquo maiori interuallo procreata fuisse arbitrarer. Hinc intelligi potest, quantum desipiat atque aberret Steuchus (si Patrum doctrinam approbamus) qui cuncta primæ diei momento inchoata esse, ac non nisi eo die, quo condita traduntur à Mose, absoluta consummataq; fuisse censuit. Sed hæc lectorum iudicio relinquam.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

Consimilem lectionem habent editiones ferè omnes, Chaldaica, Græca, Vulgata nostra, Pagninus & Vatablus. Solus Caietanus legit: & vocauit Elohim extensioni Cœlos.

Samaim

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

a. *Samaim nomen est plurale, sed verti debuit in singulari Cęlum.*
a. *Samaim idem est, quòd aquæ.*
c. *Samaim ex significatione hebraica hoc loco aërem significat.*
d. *Vocauit Deus humana quidem voce, non tunc cùm creabat, sed post Adam audiente.*

a. *Samaim nomen est plurale, sed verti debuit in singulari Cœlum.*

STEVCHVS in Cosmopœia.

Nomen quoque Cęli semper est in numero multitudinis Samaim. Hæcque est vera ratio, quòd Cœlum semper in plurali profertur apud Hebræos: non quòd sub nomine Cœli aliqua multitudo Cœlorum subsit. Itaque quoties hęc vox ad Latinos, & Græcos traduceretur, debuit numero singulari reddi Cęlum, non Cœli; quia non à multitudine Cœlorum numerum multitudinis accepit, sed à nomine aquarum, quæ semper in plurium numero designantur, est formata. Quod vehementer obseruandum reor, vt sciatur, quid hęc vox propriè designet, & quam ob caussam Deus eam sic formauerit, diuina nempe ratione.

b. *Samaim idem est, quod aquæ.*

STEVCHVS loco asserto.

Vera igitur etymologia nominis Cœli, ducta est à natura eius. Nam cùm multas habeat vtilitates & proprietates, aër, vna est notissima, & maxima, quòd continet aquas, est aquarum genitor, à quibus omnia affatim bona suppeditantur. Ab aquis ergo iustissimè nomen est sortitus. Atque hanc vocem Samaim declarare propriè aërem, & ab aquis nomen accepisse, tres sunt rationes: priores duæ sæpe adductæ sunt, quòd Scriptura creberrimè pro aëre eam vocem vsurpet, volucres Cęli, nubes Cęli, pluuias Cęli: quòd eius rei, quæ hoc nomine significatur, ibi facta sit mentio, vbi & de aquis terrestribus, & cœlestibus, cùm in descriptione orbium Cęlestium non fuerit operæpretium aquarum meminisse. Postremò quòd ipsum nomen aperte declarat ab aquis esse deductum. Nam aqua apud Hebræos in numero multitudinis semper, in numero singulari nunquam profertur Maim.

Etymologiam hanc detulerunt etiam Hieronymus, Rabbini Hebræi, & Lippomanus, vt infra videbimus. Cæterum quæ hoc loco prodidit Steuchus, præclara quidem essent, si ea communiter dici, tùm de Cœlo, tùm de aëre asseuerasset: singulare quidem placitum est, & à Patrum doctrina multum distans id de aëre tantùm interpretari.

c. *Samaim ex significatione hebraica, hoc loco aërem significat.*

RABBINI Parisienses in Adnotationibus.

Hic Cœlum accipitur pro eo corpore, quod est inter Terram & Cœlum, nempè pro aëre & æthere, vt in Psalmo octauo; Volucres Cæli, idest aëris.

Caietanus modestius hoc loco Cęlos etiam appellari sphæram ignis, & aëris apud Hebræos tradit, nec inficiatur supernos quoq; astrigeros orbes, Cœlos nuncupari posse.

d. *Vocauit humana quidem voce, non tunc cùm creabat, sed post, Adam audiente.*

STEVCHVS in Cosmopæia.

Nomina ista, nuncupationesque Dei, quidam Hebræi & Latini dispositiones interpretantur, vt cùm dicitur vocasse, quasi sit eum disposuisse, statuisse, decreuisse. Mihi videtur ipsum etymon spectandum, quod à rerum natura dependeat. Vt autem natus Adam, iuxta proprietates, naturasque cuiusque nomina animalibus indidit, sic antequam nasceretur, eas res, quæ creationem eius antecesserunt, aliquis necessario nuncupauit, & nomina poterat indere, nisi solus opifex? Meritò igitur istarum rerum primordialium nomina, Dei nuncupationes cupauit iuxta naturas, & proprietates cuiusque. Quis autem & naturas earum rerum norat, & nomina à Deo indita fuisse dicuntur; quibus eas ipsas res eum appellantem Adam audiuit. Atque natura rerum nomina

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

Anno Mũdi primo Die secunda.

a. *Vocauit post, cùm Patriarchas alloqueretur.*
b. *Vocauit, hoc est, disposuit, vt vocari posset.*
c. *Vocauit, ne minus Cœlũ videretur cohonestari à Deo quàm lux, quæ nomen à Deo promeruit.*
d. *Vel Vocauit, quia id erat Dei institutum, perennia nomine proprio insignire.*
e. *Seu, Vt distingueret ab ijs, quæ firmamenta vocari possint, & Cęli non sunt.*

à Deo certum est; sicut & à primo homine, & cæteris, qui in quacunque lingua floruerunt. Vera igitur etymologia nominis Cęli ducta est à natura eius.

a. Vocauit post, cùm Patriarchas alloqueretur.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, capite vigesimooctauo.

Vocauitque Deus firmamentum Cęlum. Vbi, vel quando vocauit Deus firmamontum Cœlum? Et quidem quando ad Noë loquens; Ponam, inquit, arcum meum in nubibus Cæli, vel, quod certius est, ad Abraham; Suspice, inquit, Cęlum, & numera stellas si potes: non enim in quocunque Cœlo, sed in firmamento stellæ suspiciuntur, tunc sine dubio vocauit Deus firmamentum Cęlum.

b. Vocauit, hoc est, disposuit, vt vocari posset.

HVGO Carensis in Postillis.

Vocauitque Deus firmamentum Cęlum; idest tale fecit, quod debeat dici Cęlum.

Cæterum de his, & consimilibus interpretationibus iam supra iudicium tulimus, cùm huic similem eam clausulam; Vocauit Deus lucem diem, exponebamus.

c. Vocauit, ne minus Cœlum videretur cohonestari à Deo quàm lux, quæ nomen à Deo promeruit.

CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia quarta.

Vide quomodo eadem consequentia etiam nunc diuina Scriptura vsa est. Nam sicut dixit heri, Fiat lux: & postquam producta fuit, tunc subiecit; Sit distinguens inter lucem, & inter tenebras: & sic lucem diem vocauit: ita & hodie dixit; Fiat firmamentum in medio aquæ. Dein sicut de luce; ita & hic docuit nos vsum firmamenti; vt diuidat, ait, inter aquam & aquam. Et postquam hunc eius vsum declarauit, tunc sicut luci nomen dedit; ita & firmamento suum nomen imposuit. Et vocauit, ait, Deus firmamentum Cęlum, hoc quod videtur.

d. Vocauit, quia id erat Dei institutum, perennia nomine proprio insignire.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim.

Veruntamen quid hoc sibi vult, quòd scriptor ipsum Deum astruit firmamentum Cœlum vocasse? Non enim sine caussa esse putandum est, quòd de animantibus loquens, quæ sine dubio prætereunt, Adduxit, inquit, ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Gen. 2.
Lucis autem nomen, idest, diem, & tenebrarum, idest noctem, ipse Deus posuit; de quibus sanè dubium non est, quia præterire, vel mutari non possunt. An & Cæli, & terræ peremnitatem ex eo scriptor idem innuit, quia Deus firmamentum Cęlum, & aridam terram nominans, per se ipsum vocabula imposuit?

e. Ut distingueret ab ijs, quæ firmamenta vocari possunt, & Cæli non sunt.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite nono.

Et vocauit Deus firmamentum Cęlum; quod de vocatione superius tractatum est, hic quoque considerari potest. Non enim omne firmamentum Cœlum est.

Cœlum

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

a. *Cœlum nomen est generale, firmamentum verò peculiare, à soliditate dictum.*
b. *Nuncupationes Dei nomina rerum principalium minus principalibus attribuunt propter vsum communem.*
c. *Cœlum nomen absolutum est, firmamentum verò relatiuum, quare vt commodius appellaretur, firmamentum ipsum appellauit Cœlum.*

a. *Cœlum nomen est generale, firmamentum verò peculiare, à soliditate dictum.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quarto.

Et videtur mihi nomen Cœlorum commune esse, quia plurimos Cęlos Scriptura testificatur: nomen autem esse speciale firmamentum: siquidem & hic ita habetur, Et vocauit Deus firmamentum Cęlum. Vt videatur supra generaliter dixisse in principio Cœlum factum, vt omnem cœlestis creaturæ fabricam comprehenderet: hic autem specialem firmamenti huius exterioris soliditatem, quod dicitur Cęli firmamentum, sicut legimus in hymno Prophetico; Benedictus es in firmamento Cęli.

ACACIVS, vt in Catena.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum. Num fortè hoc secundum Cœlum ad prioris Cęli differentiam firmamentum appellatur? Par est enim Cęlum illud primum, ac supremum, longè tenuius, ac magis integrum esse. Nam & primum Cęlum, non firmamentum, sed ὀυρανὸς, hoc est, Cęlum nominatum est. Secundum verò, & Cęli, & firmamenti nomen accepit. Cœli quidem, quia supra nos est, & prioris Cęli vices, atque vsum nobis refert: firmamenti verò, quia ex fluxa aquarum essentia constitit, & fluxa illa, ac liquida natura, densissima, ac solidissima ab uniuersorum opifice Deo effecta est.

b. *Nuncupationes Dei nomina rerum principalium minus principalibus attribuunt propter vsum communem.*

RABBI Moses, vt Burgensis in Additionibus refert, his Patribus assentit, ait siquidem Burgensis.

Intelligendum est secundum Rabbi Moysem, quòd vbi ista vocatio Dei habetur, intelligendum est esse aliquid aliud, quod hoc nomine principalius vocatur, sed appropriatur ad minus principale, propter vsum communem hominum: Sicut dies principaliter dicitur spatium viginti quatuor horarum, prout ibi, Factum est vespere, & mane dies vnus: sed communius in vsu latio lucis, seu Solis super terram dies dicitur. Vnde Deus vocauit lucem diem. Similiter in hoc loco Cęlum principalius significat omnes orbes, scilicet nouem sphæras, & etiam Empyreum & Cęlos inferiores, prout ibi: In principio creauit Deus Cœlum & terram, vt supra expositum est; sed communiori modo Cęlum dicitur sydereum tantùm, & ideò vocauit Deus firmamentum Cœlum. Similiter non solum arida, sed totum terræ elementum principaliter dicitur terra, prout ibi: Terra autem erat inanis & vacua; sed communiori modo loquendi arida dicitur terra: & ideo vocauit Deus aridã terrã.

c. *Cœlum nomen absolutum est, firmamentũ verò relatiuum, quare vt commodius appellaretur, firmamentum ipsum appellauit Cœlum.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, capite vigesimonono.

Gen. 2.

Quare vocauit Deus firmamentum Cęlum, cùm posset (vti faciendo cæperat) vocare firmamentum? Videlicet, quia firmamentum ad aliquid dicitur; & relatiuum nomen est. Omne nanque firmamentum alicuius firmamentum est. Et cùm dicitur hoc firmamentum, oportet dici vel subaudiri, diuisionis aquarum, quia videlicet ad hoc illud Deus fecit, vt diuideret aquas ab aquis. Sed hoc vulgus nescit. Cœlum autem, absolutum nomen est; etenim cùm dixeris Cœlum, cuius sit Cęlum non opus est quærere: sicut cùm dicitur Terra, vel mare, non necesse habes quærere, cuius terra, vel cuius mare. Proinde quia communi sermoni commodius est vno in eadem re vti vocabulo, quàm multis, rectè vocauit Deus firmamentum Cœlum, quia sic magis absolutum vocabulum est Cœlum, quàm firmamentum; sicut homo, & Adam, magis absolutum est, quàm creatura, vel figmentum.

Et hæc Patrum oracula non reprehensione, seu dilucidatione, sed animaduersione dignissima puto.

Vocauit,

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

a. *Vocauit, ad differentiam agentium rerum naturas non attingentium.*
b. *Cęlum Hebraicè Samaim, ab aquis, quòd ex aquis congestum sit, vel aquas desuper coërceat.*

a. *Vocauit, ad differentiam agentium rerum naturas non attingentium.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Et vocauit Elohim extensioni Cęlos. Nota hæc quatuor, Dixit, Fuit, Fecit, Vocauit. Nam, Dixit, ad differentiam agentium naturalium; Fecit, ad differentiam agentis per alium; Fuit, ad differentiam actionum, quæ impediuntur; Vocauit, nominando proprio nomine, ad differentiam agentium à proposito, nescientium quandoque perfectè id quod fecerunt, & nescientium effecta proprijs nominibus vocare.

Superest vt ad etymologias huius nominis Cœli, à Patribus hoc loco memoratas, secundum idiomata tùm Hebraicum, tùm Græcum, tùm Latinum explicandas accedamus.

b. *Cœlum Hebraicè Samaim, ab aquis, quòd ex aquis congestum sit, uel aquas desuper coërceat.*

HIERONYMVS ad Oceanum.

Inter Cœlum & Terram medium extruitur firmamentum: & iuxtà Hebraici sermonis ἐτυμολογίαν, *Cœlum, idest Sammaim, ex aquis sortitur vocabulum.*

IOSEPH Kimhi, teste Hamero.

Sic nominatur, quasi Samaim, idest, ibi aquæ.

LIPPOMANVS in Catena.

Vocauit Deus firmamentum Cęlum. Iterum nomen imponit creaturæ illi, Cœlum nostra lingua, iuxta vero Moysi eloquium (quod est in orbe primum inter homines, & naturæ humanæ quasi congeneum) Samaim plurali numero vocauit, compositum secundum Hebræos, à positione loci & aquis. Vnde & Cęlum crystallinum veteres nominarunt ex aquis compactum, quòd vsu vulgi, dum depluunt pluuiæ, crystallum illud ferè lique fieri videtur.

STEVCHVS in Cosmopæia nomine firmamēti, & Cęli, aërē interpretatus, ab aquis aërem iustissimè dictum autumat, tùm quod sedes sit aquarum supercœlestium. seu earum quę in sublimi fiunt, tùm quòd ab aquis ipse exertus fuerit.

Vera igitur ethmologia nominis Cœli, ducta est à natura eius. Nam cùm multas habeat vtilitates, & proprietates aër, vna est notissima, & maxima, quòd continet aquas, est aquarum genitor, à quibus omnia affatim bona suppeditantur. Ab aquis ergo iustissime nomen est sortitus. Atque hanc vocem Shamaim declarare proprie aërem, & ab aquis nomen accepisse, tres sunt rationes: priores duæ sæpe adductæ sunt, quòd Scriptura creberrime pro aëre eam vocem vsurpet, volucres Cęli, nubes Cęli, pluuias Cœli; quòd eius rei, quæ hoc nomine significatur, ibi facta sit mentio, vbi & de aquis terrestribus & cœlestibus, cùm in descriptione orbium cœlestium, non fuerit operęprętium aquarum meminisse. Postremo quòd ipsum nomen apertę declarat ab aquis esse deductum. Nam aqua apud Hebræos in numero multitudinis semper, in numero singulari nunquam profertur Maim. Nomen quoque Cęli semper est in numero multitudinis Shamaim.

Verum hanc eius doctrinam vt commentitiam prætermitto. Firmamentumque rectius Samaim appellari potuisse dijudico ab aquis, quòd compactum sit ex ipsis aquis, vt edocent dilucide & obtestata sententia viginti fere ex priscis præclaris Patribus: vel quòd desuper aquas coerceat, vt pariter diffiniunt quadraginta plus minus consimilis authoritatis Patres iam supra in catenis enumerati.

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

a. *Græce Vranos, à videndo, quòd videatur, & terminus sit eorum quæ conspiciuntur.*
b. *Vranon, Idest palatium.*

a. Græce οὐρανὸν, à uidendo, quòd uideatur, et terminus sit eorum quæ conspiciuntur.

PLATO in Cratylo referente Hamero ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν τὰ ἄνω; idest, ab aspiciendo superiora, οὐρανὸν, idest Cœlum dictum putat.

Ab hoc aspectu qui fit sursum, pulchrè hoc nomen Vrania appellatur, quasi sursum respiciens.

Aristoteles libro de Mundo, Hamero etiam teste, dictũ putat οὐρανὸν ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶν τῶν ἄνω, idest, quòd terminus quidam sit eorum, quæ sursum sunt.

PHILO libro de Mundi opificio, hanc Aristotelicam etymologiam adduxit, quanquam & Platonicam non reticuerit.

Meritò igitur supposito pro incorporeo sensibili hoc, corporeoque, firmamentum id vocauit: quod mox οὐρανὸν, idest Cœlum, aptè, valdeque propriè appellauit; siue quia omnium ὅρος, idest terminus, siue quia primum ὁρατῶν, idest visibilium, factum sit. Post cuius generationem nominat diem secundum, integrum diei spatium mensuramque ad Cœlum referens, ob eius inter sensibilia dignitatem, honoremque.

BASILIVS Hexæmeron Homilia tertia hanc etymologiam prosequutus est: quinimmo & aërem hac ratione Cęlum vocari disserit.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum. Vt hæc Cęli appellatio alteri congruat, & aptetur, certè particeps eius voculæ sit hoc firmamentum per similitudinem. Ipsi enim subinde obseruauimus hunc aëris locum conspicuum, Cœlum dici, quòd densus sit, & ob continentem cohærentiam aëris sub aspectum nostrum apertè cadentis. A uerbo enim ὁρᾶσθαι, videri petita est, & corriuata appellatio nominis τοῦ οὐρανοῦ; idest Cœli. Vt quum dicit Scriptura, volatilia Cœli. Et rursus, ea quæ volant per firmamentum Cœli. Tale quid est & illud; Ascendunt vsque ad Cęlos.

Basilius & Ambrosius hoc loco, aërem quoque huius etymologiæ caussa, Cœlum nuncupari à Scripturis non inficiantur, vt aliàs collegimus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quarto.

Nam Cœlum, quod οὐρανὸς Græcè dicitur, Latinè, quia impressa stellarum lumina velat signa habeat, tanquam cælatum appellatur; sicut argentum, quod signis eminentibus refulget, cælatum dicimus οὐρανὸς ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν ἄνω dicitur, quod videatur Tin olin oran anoten gin. Igitur Terræ, quæ obscurior est, vranos nuncupatur, quia lucidus est, tanquam visibilis. Vnde puto & illud dictum; Volatilia Cęli semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est. Et volantia circa firmamentum Cœli, eo quòd Potestates, quæ sunt in illo visibili loco, spectent hæc omnia, & subiecta suis habeant conspectibus.

PROCOPIVS & Hebraicam etymologiam, & hanc Græcam innuit.

Firmamentum autem dicunt nuncupari Cœlum, seu quòd concretum & compactum sit ex simplicissima aquæ natura: seu, vt distinguat, & secernat ab inferioribus tenuissimam, & leuissimam naturam, nulloque sensu comprehensibilem.

ISIDORVS Etymologiarum libro tertiodecimo, capite quarto.

Hoc autem Græcè Vranus dicitur, apo tu oran, idest à videndo, eo quòd aër perspicuus sit, & ad speculandum purior.

RVPERTVS in Genesim libro primo capite uigesimonono.

Cęlum autem à cernendo est dictum, congrua scilicet caussa quia videlicet oculos habentium neminem latet. Vnde & Gręce Vranos dicitur.

b. Vranon, Idest palatium.

PETRVS Comestor Historiæ scholasticæ capite quarto.

Cœlum pro sui concameratione Vranon Græcè dicitur, idest palatium.

Sed ex his Patrem hunc Gręci idiomatis eruditione caruisse euincitur. *Cœlum*

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Et vocauit Deus firmamentum Cœlum.

a. *Cœlum Latinè: quòd cęlatum sit stellis.*
b. *Vel à celando; quod superna celet.*
c. *Vel, quod cauum; quòd nobis videatur concauum.*
d. *Siue, quasi domus Solis; quòd in ipso Sol insideat.*
e. *Firmamentum Cęlum ob confirmationem beatorum Angelorum.*

a. *Cœlum Latinè: quod cœlatum sit stellis.*

VARRO libro quinto de Latina lingua, referente Hamero.

Cœlum Latinè cœlati argumento dicitur, vt interpretatur Varro, quòd veneranda illa, & suspicienda tot micantium stellarum facie tanquam emblematis quibusdam insculptum sit, & cęlatum.

AMBROSIVS vbi supra.

Cęlum Latinè, quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam cęlatum appellatur: sicut argentum, quod signis eminentibus refulget, cœlatum dicimus.

ISIDORVS libro Etymologiarum tertiodecimo, capite quarto.

Cœlũ vocatum, eo quòd tanquã cęlatũ vas impressa lumina habeat stellarum veluti signa. Nam cęlatum dicitur vas, quod signis eminentioribus refulget. Distinxit enim eum Deus claris luminibus, & impleuit Solis scilicet, & Lunæ orbe fulgenti; & Astrorum micantium splendentibus signis adornauit.

b. *Cœlum Latinè à celando; quòd superna celet.*

ISIDORVS immediatè post prællegata habet.

Alias autem à superiora celando.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ, capite quarto.

Dicitur etiam Cęlum, qua celat, idest tegit omnia sensibilia. Et cum legitur firmamentum Cęli, Endiadis est, idest, firmamentum, quod est Cœlum, vt cùm dicitur creatura salis.

TOSTATVS.

Et vocauit Deus firmamentum Cęlum, à celando, idest cooperiendo; quia omnia celat, vel tegit; & hoc conuenit cum nomine Hebraico; quia vocatur expansio, vel coopertura: vel dicitur Cęlum, quasi cœlatum, idest depictum varijs astris fulgentibus.

HVGO Carensis.

Vocauit Deus firmamentum Cęlum, idest tale fecit, quòd debeat dici Cęlum, à celando, quia celat omnia inferiora sub se.

c. *Cœlum Latinè, quod cauum; quòd nobis videatur concauum.*

Varro putat Cœlum dici κοιλόν, quod significat cauum: quod ab eruditis tanquam nimis durum reputatur.

d. *Cœlum quasi domus Solis. Quod in ipso Sol insideat.*

ANSELMVS Cantuariensis de Imagine Mundi libro primo, capite vigesimoquinto, peregrinam hanc etymologiam patefecit, quã quam & illam alteram, quòd Cęlum quasi vas cęlatum dicatur, non prætermiserit.

Cœlum dicitur, quasi casa helios, idest domus Solis, vel quasi vas cœlatum, quia est stellis insignitum.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ, capite quarto.

Vel dicitur Cœlum quasi domus Elyos, quia Sol sub ipso positus, ipsum illustrat.

e. *Firmamentum Cœlum ob confirmationem beatorum Angelorum.*

Patrum alij ex vi vocum harum, Firmamenti, & Cęli, confirmationem Angelorum, securitatemque, qua cadere nunquam possint, interpretati sunt.

GREGORIVS libro vigesimoseptimo Moralium, capite vigesimoquarto.

Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus Angelis, hoc in munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine surripientis culpæ mordeantur, vt in contemplatione conditoris sine fœlicitatis fine permaneant: & in hoc quod sunt conditæ, æterna stabilitate subsistant. Quod bene apud Moysem ipsa de Mundi origine historiæ verba testantur, cùm & prius factum Cælum dicitur: & hoc idem postmodum firmamentum vocatur: quia videlicet natura Angelica, & prius subtilis est in superioribus condita, & post ne vnquam potuisset cadere, mirabilius confirmata.

Hæc Gregorius. Consimilia habet Commentarijs Ezechielem. Patherius loca hæc collegit libro primo supra Genesim.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite tertio.

Vocauitque Deus firmamentum, Cælum. Quid est, quòd Cælum factum dicit: & hoc firmamentum postmodum vocatur? nisi quia natura Angelica, quæ prius mirabiliter est condita, ne cadere vnquam possit, postmodum est mirabilius confirmata.

Patres hi proficiscuntur ad sensus mysticos libentius, & hoc loco potius exponunt, quare Cœlum dictum sit firmamentum, quàm id quod in proposito est, qua de caussa firmamentum nuncupatum, sit Cœlum. Rursum Cœlum ipsum in primordijs temporum cum terra productum idipsum esse cum firmamēto intelligunt, quod passim à cæteris Patribus non acceptatur.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.

Hebraicus textus hæc non videtur habere.

HIERONYMVS pro libris aduersus Iouinianum ad Pamachium Apologia.

Scriptum non esse in secundo die, Vidit Deus, quia bonum est: non meum accipiant testimonium, sed cunctorum Hebræorum, & aliorum interpretum, Aquilæ videlicet, & Symmachi, & Theodotionis. Si autem scriptum non est, cùm in cæteris diebus scriptum sit; aut reddant aliam probabiliorem caussam, quare non scriptum sit, aut si non repererint, gratis suscipiant, quod à nobis dictum est.

Cuncti perinde Hebraici textus, qui nunc hac nostra ætate comperiuntur, hæc non habere perspectum est. Doctores, & pariter qui linguæ Hebraicæ eruditionem callent, tùm Hebræi Rabbini, tùm nostri, idipsum attestantur. Græca editio Septuagintaècontra ea edidit: nam secundum Septuaginta additum est, εἶδεν ὁ θεὸς, ὅθι καλόν; idest, Vidit Deus, quia bonum. Aquila, Symmachus, Theodotio suis in editionibus hæc non interposuere.

STEVCHVS in Genesis caput primum, in Veteris testamenti ad Hebraicam veritatem Recognitione, hunc errorem in editionem Septuaginta irrepsisse existimat.

Aduertendum, quòd secunda die non dicitur; Et vidit Deus, quòd esset bonum: & neque in textu Hebraico, neque in nostra editione habetur, sed in editione Septuaginta additum est ex errore: non ab ipsis quidem, sed quòd ex vno loco facilè in alium aliquid transportetur, si qua similitudo arriserit.

Editio vulgata, Vatablus, & cæteræ omnes nuperæ Latinæ translationes hæc reticuere.

AVCTOR.

De hac difficillima re, difficillimum est iudicium ferre. Hinc enim multum vrget D. Hieronymi auctoritas, Rabbinorum Hebræorum, ac Latinorum doctorum sententia. Hinc celeberrima Septuaginta interpretum editio, Seruatoris nostri, Apostolorumque allegationibus insignita, Patrum priscorum omnium, tùm Græcæ, tùm Latinæ Ecclesiæ, vsque ad Vulgatæ editionem vsu comprobata me rapit, ut quæ mihi sit insequenda sententia, difficulter atque ægre perspiciam. D. Hieronymus, Rabbini, Doctoresq; omnes latini hanc firmamenti commendationem in Hebraico textu non comperiri, ac propterea negligendam esse decernunt. Ex aduerso editio Septuaginta eam habet: Basilius, Ambrosius, Augustinus, ac quamplures insignis nominis Patres eam commentantur. Fieri certe potuit, vt commendatio hæc in vetustissimo illo Esdræ volumine, seù

Anno Mũdi primo Die secunda.

Et uidit Deus, quòd esset bonum.

a. *Vidit quòd bonum, seu pulchrum, hoc est, sua præscientia cognouit, quòd conueniens, & vtile foret Vniuerso secundum præstitutum finem.*

in eo exemplari, quo Septuaginta in vertendo vsi sunt, haberetur, quòdq; in subsecutis codicibus ex inscitia, seu versutia Hebræorum fuerit abrasa, atque obliterata; ac proinde ad manum D. Hieronymi nõ peruenerit, fieri etiam potuit, vt Septuaginta suo marte illam intexuerint, seù in eorum exemplaribus post nescio quo casu interposita sit. Quamuis autem magis arbitrarer Septuaginta interpretes, vel ex antiquissimo volumine eam decerpsisse, vel certè Spiritus Sancti afflatu addidisse; vtranque tamen prosequar editionem, vt Patrum omnium sententias colligam.

Et uidit Deus quòd bonum; iuxta Septuaginta editionem.

Patres Greci, & Latini, qui hanc editionem Septuaginta ante vulgatam legere consueuerant, consimilia ferè contemplantur de hac commendatione firmamenti, quæ de luce edisserebant. Quapropter non ineptum duco, & hæc subnectere.

a. *Vidit quod bonum, seu pulcrum hoc est, sua præscientia cognouit, quod conueniens, & utile foret uniuerso secundum præstitutum finem.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia tertia.

Non ista vulgari iucunditate Dei oculos pascunt, quæ ab ipso conficiuntur opera. Nec qualis apud nos deprehenditur esse, apud ipsum talis est bonarum rerum commendatio; sed bonum, aut (si malis) pulchrum id tandem est, quod ad artis rationem, regulamvè confectum, rectà contendit ad commodam vtilitatem præstituti finis. Qui igitur initio statim eorum quæ fiunt, finem sibi proposuit, is quæ sensim fiunt singula, vt ad executionem plenam destinati finis pertinentia, & ad rationes expensa suæ artis comprobauit iam & laudauit. Alioqui manus si seiunctim statuatur, si priuatim oculus, denique si vnum quodlibet membrorum virilis statuæ iaceat separatim: nemini hæc cuicunque tandem videri bona possint, aut pulchra. Sin suo quæque pars ordine reposita fuerit: tùm statim istius ex partium iusta proportione pulchritudo se exerens, & interlucens, vel vix tandem cuiuis rudi talium operum se exhibet cognobilem, & perspicuam. Atqui artifex antequam se accommodet structuræ aut compositioni præstituti operis, prius ipse nouit vtriusque partium futuram pulchritudinem, aut eximiam bonitatem, eoque laudat singula, ad eorum quæ facturus est, finem, suam referens sententiam. Talis itaque vel nunc Deus nobis proponitur, quasi arte quapiam preditus singula quæque sua opera comprobans. Est autem & hoc proditum memoriæ, quo laus congrua tanto opifici exolueretur, absoluta iam vniuersa Mundi mole, ac suis constante partibus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quinto.

Solent artifices singula prius facere, & postea habili commissione connectere: & qui vultus hominum, vel corpora excudunt de marmore, vel ære fingunt, vel ceris exprimunt, non tamen sciunt, quemadmodum sibi possint membra singula conuenire, & quid gratiæ afferat futura connexio: & ideo aut laudare non audent, aut pro parte laudant: Deus verò tanquam æstimator vniuersitatis, præuidens quæ futura sunt, quasi perfecta iam laudat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præueniens. Nec mirum si apud quẽ rerum perfectio, non in consummatione operis, sed in sua prædestinatione est voluntatis, laudat singula quasi conuenientia futuris, laudat plenitudinem singulorum venustate compositam. Illa est enim vera pulchritudo, & in singulis membris esse quod deceat, & in toto, vt in singulis gratia, in omnibus formæ conueniens plenitudo laudetur.

Isidorus libro de Summo Bono, capite decimo, hanc interpretationem amplificauit, vt supra deductum est.

Vidit

Anno. Mũdi primo. Die secunda.

Et uidit Deus, quòd esset bonum.

a. *Vidit, hoc est placuit, vt ea bonitate maneret, qua placuit, vt fieret.*
b. *Seu, Vidit Deus quòd bonum, laudat Pater quod fecit Filius; vt Filij opera approbans ipsum celebret.*

a. *Vidit, hoc est placuit, ut ea bonitate maneret, qua placuit, vt fieret.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro secundo, capite sexto, & octauo, hoc ipsum de firmamento repetit, quod supra libro primo, & capite pariter octauo, de luce dixerat: capite quidem sexto ait.

Cùm verò audimus; Et vidit Deus quia bonum est: intelligimus in benignitate spiritus eius, non quasi cognitum posteaquam factum est placuisse: sed potius in ea bonitate placuisse, vt maneret factum, vbi placebat, vt fieret.

Et capite octauo ea ipsa repetit.

Porrò cùm audimus; Et vidit Deus, quia bonum est; intelligimus benignitati Dei placuisse quod factum est, vt pro modo sui generis maneret, quod placuit, vt fieret, cùm Spiritus Dei superferebatur super aquam.

IVNILIVS quanquam hęc in Hebraica ueritate non haberi attestetur, attamen & hanc Septuaginta editionem sequutus ait.

Vbi verò adiunctum audiuimus; Et vidit Deus quòd esset bonum: intelligamus in benignitate spiritus eius, non quasi cognitum, posteaquam factum est, placuisse; sed potius in ea bonitate placuisse, vt maneret, vbi placebat vt fieret.

BEDA Expositione in Genesim.

Quum verò audiuimus; Et vidit Deus quia bonum est: intelligimus in benignitate spiritus placuisse, vt maneret factum, quod placebat vt fieret.

Et libro de sex dierum Creatione.

Vidit Deus quia bonum est, intelligimus in benigno spiritu eius, non quasi incognitum post factum placuisse, sed potius in ea bonitate placuisse, vt maneret factum, vbi placebat vt fieret.

b. *Vidit Deus quòd bonum; laudat Pater quod fecit Filius: Ut Filij opera approbans, ipsum celebret.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro secundo, capite quinto, hanc mirificè amplificat interpretationem.

Et vidit Deus, quia bonum est. Facit Filius, quod vult Pater, laudat Pater, quod facit Filius. Nihil in illo naturæ degeneris inuenitur, cuius opus à paterna non degenerat voluntate. Et Post. Et dixit Deus, & fecit Deus. Eodem Pater, & Filius maiestatis honorantur nomine. Et vidit Deus quia bonum. Dixit tanquam omnia quæ Pater vellet scienti, & vidit tanquam omnia quæ Filius faceret scientia tenens, & efficiens operatione consorti. Vidit quia bonum. Non vtique cognouit, quod nesciebat, sed probauit, quod placebat. Non quasi incognitum placuit opus, quia nec quasi incognitus Pater, qui complacuit in Filio: sicut (Matt. 3. & 17.) *scriptum est; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Scit autem semper Filius voluntatem Patris, & Pater Filij; & audit Patrem Filius semper; & Pater Filium per vnitatem naturæ voluntatis* (Ioan. .) *atque substantiæ. Denique testatur hoc in Euangelio suo Filius dicens ad Patrem; Sciebam quia semper me audis. Imago est enim inuisibilis Dei Filius: omnia Patris quasi imago exprimit, omnia eius quasi splendor* (Ioan. 5.) *gloriæ illuminat nobis, atque manifestat. Videt & Filius Patris opus, sicut & Pater Filij, sicut & ipse Do-* (Ioan. 5. & 8.) *minus declarauit; Non potest Filius facere à se quicquam, nisi quod viderit facientem Patrem. Vidit ergo* *..ientem Patrem, & vidit per secretum inuisibilis naturæ. Et audit similiter. Denique ait; Sicut audio, iu..; & iudicium meum verum est, quia non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater. Hoc mysticum est,* (Act. 10.) *illud ..ale. Vidit mihi, probauit mihi. Quod Deus probauit, tu reprehensibile ne dixeris: quoniam Quod Deus m..dauit, tu commune ne dixeris, scriptum tibi esse meministi. Ergo bonum Dei nemo blasphemet. Si firmament.. bonum, quanto magis bonus eius Creator, etiam si Arriani nolint, Eunomiani reclament, radicis degeneris fru..s deterior? Vidit, inquit, Deus, quia bonum.*

Vidit

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Et uidit Deus, quòd esset bonum.

a. *Vt se attemperans nostræ fragilitati, doceat nos suspicere, quod ipse probauit, & Deum opificem celebrare.*

b. *Firmamentum post nomen impositum commendatur, vbi lux ante laudata fuit: vt sciremus omnia creata simul.*

a. *Vidit Deus &c. vt se attemperans nostræ fragilitati, doceat nos suspicere, quod ipse probauit, & Deum opificem celebrare.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Genesim.

Et vidit Deus, quod bonum. Attende quanta verborum humilitas, propter nostram infirmitatem. Nam sicut de luce dixit; Vidit quòd esset bona; ita & nunc de Cęlo dicit, hoc est, de firmamento. Et vidit, inquit, Deus, quòd esset bonum: docens nos per huius pulchritudinem, suam immensitatem. Quis enim non obstupesceret, ac admiraretur, quòd firmamentum tanto tempore vigescentem, & eandem seruat pulchritudinem: & quandiu accedit tempus, tandiù & suam custodit pulchritudinem? Quid enim speciosius eo, quod laudem à summo opifice accepit? Nam si nos hominis opus videntes absolutum, admiramur figuram, situm, pulchritudinem, proportionem, elegantiam, aliaque omnia: quod factum est à Deo, quis dignè laudarit, præsertim cùm ab ipso Domino laudem accepit? Hæc enim dicta ita sunt, vt se attemperaret nostræ fragilitati. Videbisq; hoc per singulas facturas dici, & ita confundi, & multis antea sæculis confici linguas eorum, quæ allocuturæ se erant contra opificium Dei, & dicturæ: Quare hoc, & hoc factum est? Talia igitur dicturos antè comprimit, dicens, Et vidit Deus, quòd bonum. Quando autem audis, quòd vidit Deus, & laudauit; intellige dictum prout dignum est de Deo loqui. Nam qui produxit Cęlum, etiam priusquam formaret, sciebat formandi Cęli pulchritudinem. Sed quia nos homines tanta sumus imbecillitate circundati, aliter hoc intelligere non potuimus. Ideò sic direxit spiritus beati Prophetæ linguam, vt ad erudiendum humanum genus, tanta verborum vteretur crassitudine. Quando igitur subleuas oculos, & spectas Cęli pulchritudinem, magnitudinem, vtilitatem: tunc inde ad opificem ascende, sicut & Sapiens quidam dicebat; Ex magnitudine, & pulchritudine creaturarum, vniuersi conditor decenter consideretur.

b. *Firmamentum post nomen impositum commendatur, vbi lux ante laudata fuit: vt sciremus omnia creata simul.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite nono.

Et vidit Deus, quòd bonum est. Et de hoc superius quomodo tractatum est, retractaretur, nisi quòd non eundem ordinem video. Nam superius; Et vidit Deus lucem, quia bona est: & post deinde subijcitur; Diuisit Deus inter lucem, & tenebras; & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem: Hic autem postquam factum enarratum est, quod factum dicebatur; & posteaquam vocatum est firmamentum Cęlum, tum dicitur, Et vidit Deus quia bonum. Quòd si non fastidij euitandi gratia, ita narratum est, illud certè intelligere cogimur, quod dictum est; Et fecit Deus omnia simul. Quare enim primo ibi vidit; quia bonum est; & postea nomen imposuit: hic autem primo nomen imposuit, & postea vidit, quia bonum est? nisi quia illa differentia significat, morarum interualla non esse in operatione Dei, quamuis in ipsis inueniatur operibus. Secundum autem morarum interuallum prius aliquid, & postea efficitur, sine quibus narratio factorum non potest esse, quamuis sine his Deus ista efficere potuerit.

AVCTOR.

Patres hi non omnes secundum eundem sensum, locum hunc explicarunt. Augustinus, vt ordine retrogrado incedamus, ad Aethiologiam profectus est, si Aethiologia tūc est, cùm dictorum factorumque caussæ redduntur, vt ipse libro de Genesi imperfecto, scitissime diffiniuit. Ipse nanque in sua expositione caussam reddere conuincitur, quare non ismet seruatus sit ordo in narratione genituræ lucis, & firmamenti: lux enim prius fuit commendata, quàm à tenebris seiuncta; deinde lux ipsa diei nomine, tenebræ autē noctis appellatione cohonestatę: firmamentū verò econtra non primùm approbatum perhibetur, sed postquam aquas seiunxit, Cœlum, legitur vocatum: Ob idque Cap. 2.

Anno Mūdi primo. Dies secunda.

Et uidit Deus, quòd esset bonum.

Iuxta vulgatam editionem nostram prædicta verba omittuntur.

a. *Quòd binarius numerus bonus non reputetur.*

idque non seruatum fuisse eundem ordinem dixit, quia omnia simul facta sunt Chrysostomus mysticum, seu tropologicum sensum sequutus est, cùm ex Dei commendatione, nos ad suspiciendam Dei potentiam, bonitatemque, excitare nititur. Ambrosius allegoricum nobis sensum reserauit, referens cuncta ad Filium & Patrem. Basilius verò literalem nobis patefecit: planus enim & literalis redditur sensus, si post firmamenti effectionem, Deum vidisse ipsum quòd bonum, dicamus, vt quasi artifex opus suum contemplatus agnouerit pulchritudinem, & dispositionem, quam vt pars gerere debebat in Vniuersi respectum. Augustini, Iunilijque, altera interpretatio à sensu literali non recedit, sed non ita plana est, nec facilis, tanquam fortè magis ingeniosa, maiorique perspicacitate excogitata.

Iuxta editionem nostram: quàre de firmamento dictum non sit, Vidit Deus quòd bonum.

Non desunt plurimi, qui Hebraicum textum, nostramque editionem prosequuti, quorsum secundo die opus commendatum non fuerit, inuestigent. Quapropter vt nil intactum prætermittamus, superest, vt indagemus, cur de Cœlorum congerie præstantissimo opere secundo die producto non referat Moses; Vidit Deus, quòd esset bonum. Ex instituto nostro proferamus potiores aliorum sententias.

a. *Quòd binarius numerus bonus non reputetur.*

HIERONYMVS libro primo contra Iouinianum inquit.

Intuendum tamen duntaxat iuxta Hebraicam veritatem, quòd cùm Scriptura hæc in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die, expletis operibus singulorum, dixerit; Et vidit Deus, quia bonum est; in secundo die hoc omninò subtraxit, nobis intelligentiam derelinquens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum. Vnde & in Arca Noè, omnia animalia, quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt. Impar numerus est mundus. Quanquam in duplici numero ostendatur, & aliud sacramentum, quòd ne in bestijs quidem, & in immundis auibus digamia comprobata sit. Bina enim ingrediuntur immunda; & septena, quæ munda sunt: vt haberet Noè post Diluuium, quod de impari numero statim Deo posset offerre.

In Apologia ad Pammachiū aduersus Iouinianum fusius id repetit, & probe dictum esse exagerat. Quo loco Patres Ecclesiasticos, qui de numero impari, parem damnantes, disputarunt, his memorat.

Scilicet nunc enumerandum mihi est, qui Ecclesiasticorum de impari numero disputarunt, Clemens, Hippolytus, Origenes, Dionysius, Eusebius, Didymus, nostrorumque Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius, Hilarius: quorum Hilarius de Septenario, idest, impari numero disserens, quæ & quanta dixerit, ad Fortunatum liber illius testimonio est. An forsitan Pythagoram, & Architam Tarentinum, & Scipionem in sexto de Republica, de impari numero proferam disputantes? Et si hos audire noluerint obtrectatores mei, Grammaticorum scholas eis faciam conclamare; Numero Deus impare gaudet.

RABANVS, vt ei etiam attribuit Burgensis.

Nisi fortè, sicut quidam Patrum exponunt, non esse bonum duplicem numerum; qui ab vnitate diuidit, & præfigurat fœdera nuptiarum. Vnde & in Arca Noè omnia animalia, quæ bina ingrediuntur, immunda sunt; & impar numerus, mundus esse ostenditur.

IVNILIVS in Genesim consimilia scripsit.

Notandum verò, quòd huius verbi obiectio hoc in loco, in Hebraica veritate non habetur. Et mirum, quare inter omnia, quæ creasse Deus legitur, hic solummodo, idest in secundi diei operibus, probatio diuinæ visionis

nis minimè addatur : quæ tamen ipsa cum cæteris quæ fecit, Deo bona esse visa demonstrantur, cùm in sequentibus dicitur ; Viditque Deus cuncta quæ fecit,& erant valdè bona. Nisi fortè, sicut quidam Patrum exponunt, intelligere nos in hoc Scriptura voluit, non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnitate diuidat, & figuret fœdera nuptiarum. Vnde & in Arca Noe, omnia animalia quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt : & impar numerus esse mundus ostenditur.

HVGO de Sancto Victore de Sacramentis libro primo, parte prima, capite vigesimo.

Sed mirum est, quare non vidit Deus opus secundæ diei, quòd esset bonum, sicut in cæteris omnibus diebus vidisse legitur ; Et vidit Deus, quòd esset bonum. Aut enim opus eius non fuit, & bonum non fuit : aut si opus eius fuit, bonum fuit. Si autem bonum fuit ; & opus eius fuit : vidit vtique quòd bonum fuit, qui non potuit ignorare, quod fuit : siuè bonum, siuè malum fuit. Quare ergo hic non dictum est ; Vidit Deus, quòd esset bonum ; sicut alibi vbique dictum est ; Vidit Deus, quòd esset bonum ? Nam si ideò alibi dictum est, quia factum est : cur etiam hic dici non debuit, si factum fuit ? Fortassis quia binarius signum diuisionis est, qui primus ab vnitate discedit : sacramentum aliquod hic commendatur. Et non sunt laudata opera secunda, non quia bona non essent, sed quia malorum signum essent. Prima enim opera fecit Deus, & illa omnia bona valde erant, quibus neque inerat corruptio, neque deerat perfectio. Sed venit deinde Diabolus, & homo, & fecerunt ipsi opera sua : & hæc erant opera secunda post prima ; mala post bona : & noluit Deus videre opera ista, quia mala erant ; sed quæ per sapientiam vidit, per iudicium improbauit.

GLOSSA Ordinaria ex Hieronymo.

Notandum etiam, quòd huius diei secundi opera secundum Hebræos non dicuntur bona, cùm bona sint sicut cætera. Quod fit propter binarium principem alternitatis, qui primus ab vnitate discedit : & in figura bigamiæ ponitur, & multorum reprehensibilium. Vnde quæ bina ingrediuntur in Arcam immunda sunt, impar numerus mundus. Vel ideò bona non dicuntur, quia in hoc opere distinctio aquæ non fit perfecta, quæ in proximo fit, vbi dicit ; Congregentur aquæ : vt ibi dicetur.

MAGISTER Sententiarũ secundo, distinctione quartadecima inquit.

Post hoc quæri solet, quare hic non est dictum, sicut in aliorum dierum operibus ; Vidit Deus quòd esset bonum. Sacramentum aliquod hic commendatur. Ideo enim fortassis non est dictum, quod tamen sicut in alijs factum est ; quia binarius principium alteritatis est, & signum diuisionis.

MAGISTER Scholasticæ Historiæ in Genesim capite quarto.

Sed tradunt Sancti, quia in signum factum est hoc ; quia binarius infamis numerus est in Theologia, quia primus ab vnitate recedit. Deus autem vnitas est, & sectionem, & discordiam detestatur.

D. THOMAS prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio.

Quidam autem assignant rationem mysticam ex parte numeri, quia binarius ab vnitate recedit. Vnde opus secundæ diei non probatur.

LYRANVS in Postillis hanc redarguit interpretationem ; & fortè nesciens Hieronymi, tantorumque Patrum fuisse sententiam, vt inquit Steuchus, eam fœdissimo verbo reprobat. Audiamus insulsam reprehensionem.

Hic quæritur, quare in secundo die non dicitur ; Et vidit Deus quòd esset bonum, sicut in alijs diebus. Ad quod respondent aliqui, quòd hoc est, quia numerus binarius est infamis, eò quòd primus recedit ab vnitate. Sed ista responsio videtur truphatica : maximè, quia in sacro Euangelio numerus binarius laudabilis & mysticus designatur. Vnde super illud Lucæ decimo ; Misit illos binos & binos ante faciem suam : dicit Gregorius, quòd per binarium ibi Dominus designauit Charitatem, quæ est excellentissima virtus, & forma virtutũ.

TOSTATVS consimilia habet Commentaris in Genesim, capite primo ; in secunda expositione.

Aliqui respondent, quòd hoc est, quia numerus binarius, qui conuenit secundæ diei, infamis est ; cùm primus recedat ab vnitate. Sed ista responsio burlatiua est ; quia tunc magis infames essent omnes numeri sequentes, cùm magis recedant ab vnitate. Item, quia iste numerus laudatur in Scriptura, Lucæ decimo capite ; vbi dicitur, quòd destinauit Deus discipulos suos binos ante faciem suam. Et Matthæi vigesimosecundo capite ; quòd In duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.

Sed immeritò certè vexant hi Doctores tantos Patres, Hieronymum, Iunilium, Rabanum, Magistrum eorumque confutatio redicula est, & iure carpitur à Burgensi in additione tertia.

BVRGENSIS enim redargutioni, quam intulit Lyranus, satisfacit.

Motiuum Postillatoris ad reprobandam huiusmodi expositionem Doctorum, quod sumitur ex hoc, quòd in sacro Euangelio binarius numerus est laudabilis : ad quod allegat Gregorium super Lucam decimo : modici valoris est apud sanè intelligentes. Cuius ratio est : nam in expositionibus mysticis, per vnam & eandem rem secundum diuersas sui qualitates, sæpe opposita designantur. Sicut & Cœlum Empyreum ratione splendoris per ignem posset dessignari ; vnde & igneum dicitur. Infernus autem, quia deuoratiuus est, & maximè obsu-

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Non dixit, Et vidit Deus, quòd esset bonũ.

a. Quòd non completa esset aquarum distinctio.

obfuscatiuus: de eo legitur Iob vigesimo; Deuorabit eos ignis, qui non succenditur. Similiter & de binario numero est dicendum, quia si consideretur prout in eo ratio charitatis primò saluatur, sic est laudabilis, & in bonum sonat: & ideò binarium intelligit isto modo Gregorius super Lucam. Inquantum autem binarius numerus ab vnitate primò discedit; principium, seù signum diuisionis, & per consequens non bonam habet significationem; & isto modo accipitur à Doctoribus in hoc loco. Vnde prædictorũ Doctorum expositio, etsi non sit literalis, non tamen est truphatica, sed vera expositio mystica.

D. BONAVENTVRA alteri ipsius Tostati obiecto, quòd scilicet binarius numerus, si ex eo imperfectior existimatur, quòd ab vnitate discedat, ea ratione, & subsequentes numeri infaustiores essent reputandi, cùm longius ab ipsa recedant vnitate, satisfacit secundo Sententiarũ, distinctione quartadecima, dũ scribit.

Contra: Videtur ista ratio ita bene esse ad oppositum, sicut ad propositum, cùm binarius plus accedat ad vnitatem, quàm aliquis alius numerus. Respondendum est ad hoc, quòd ista ratio Magistri est allegorica: vera tamen est. Quamuis enim binarius inter numeros minus ab vnitate recedat, primò tamen habet rationem recessus in se; & propter hoc per ipsum intelligitur diuisio magis, quàm per alios numeros, & recessus ab vnitate virtutis, & perfectionis.

Hos igitur Patres à nuperis contra nuperos Doctores defensatos habemus.

a. Quòd non completa esset aquarum distinctio.

STRABVS in Glossa Ordinaria ex Hieronymo.

Vel ideò bona non dicuntur, quia in hoc opere distinctio aquæ non fit perfecta, quæ in proximo fit, vbi dicit; Congregentur aquæ: vt ibi dicetur.

RABBI SALOMON referente Steuco in caput primum Geneseos.

Aliam huius rei affert rationem, cuius verba subscribenda sunt: sic enim inquit; At quamobrem non dicitur de secundæ diei opere; Et vidit quòd esset bonum, quia nondum erat opus aquarum, nisi tertia die perfectum: quamobrem negauit esse bonum, eo quòd erat imperfectum.

MAGISTER Scholasticæ Historiæ capite quarto.

Possumus tamen dicere, quia opus tertiæ diei, quasi adhuc est de opere secundæ diei; quod post patebit. Vnde non commendatur nisi in tertia die, quasi post sui consummationem.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo duodecimo.

Ad aliud dicendum, quòd opus secundæ diei dependet ab opere tertiæ diei. Distinguebatur enim secunda die natura elementorum, quæ disponitur diaphano ab vno extremo, quod est diaphanum naturaliter coniunctum lumini, vt Cęlum crystallinum, & non est sufficiens distinctio, nisi eadem elementa diaphana etiam alio extremo distinguantur, quod naturaliter est opacum; & hoc fit tertio die, quando aquæ distinguuntur à terra. Et quia tunc distinctio perfecta est, tunc accepit benedictionem per notam approbationis diuinæ.

D. THOMAS parte prima, quæstione septuagesima quarta, articulo tertio.

In opere verò secundæ diei non ponitur; Vidit Deus quòd esset bonum; quia opus distinctionis aquarum tunc inchoatur; & in tertio die perficitur. Vnde quod ponitur in tertia die, refertur etiam ad secundam.

D. BONAVENTVRA Sententiarum secundo, distinctione quartadecima:

Alia tamen ratio literalis est, quam facit Magister in historijs, quia secundo die notatur facta esse distinctio aquarum ab aquis; quæ distinctio etsi inchoata fuerit in secundo die, fuit tamen consummata in tertio, cùm dicitur; Congregentur aquæ in locum vnum. Et quia diuina visio signat approbationem post perfectionem; hinc est, quòd Scriptura tacuit secundo die verbum videndi.

LYRA-

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Non dixit, Et uidit Deus, quòd esset bonum.

a. *Quòd non absoluta esset Mundi structuræ dispositio.*

LYRANVS in Postillis.

Ideò aliter respondet Rabbi Salomon, & magis secundum intentionem literæ vt videtur, dicens, (& verum est) quòd hoc verbum; Et vidit Deus, quòd esset bonum &c. in alijs diebus dicitur ad approbationem operis illorum dierum. Approbatio autem propriè respicit opus completum. In secunda autem die, licet principaliter fiat distinctio corporum cęlestium, tamen cum hoc etiam fit mentio de distinctione aquarum elementarium: & quia ista distinctio non fuit completa vsque ad tertiam diem, quando congregatæ sunt aquæ in locum vnum, vt videbitur infra; ideò subticuit verbum prædictum die secunda: & tertia illud bis dixit: vt patet in litera, semel pro opere secundæ diei; & semel pro opere tertiæ diei,

TOSTATVS pariter locò asserto.

Sed dicendum est secundum Rabinum Salomonem, & veritatem, quòd non approbauit Deus, vel benedixit facta in die secundo; quia benedictio datur rei completæ. In secundo autem die, licet Cęli creati fuerint; vel potius de materia creata facti; quia tamen memorantur aquæ cęlestes diuisæ ab elementalibus: & elementales non fuerunt distinctæ, vel formatæ vsque ad tertiam diem: ideò opus illo die inceptum, non fuit consummatum vsque ad sequentem diem, in quo opus vtriusque diei vna benedictione, vel approbatione benedictum est; licet in tertia die ponantur duæ approbationes; tamen secunda refertur ad aliud opus, scilicet ad productionem arborum; ideò in prima approbatione de congregatione aquarum simul benedicuntur Cęli, qui vocantur aquæ.

a. *Quòd non absoluta esset Mundi structuræ dispositio.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, cap. trigesimo, aliam detulit contemplationem, contenditque ex eo non commendatum fuisse opus secundo die, quòd non absoluta esset Orbis dispositio, antequam Terra, & Mare proprias haberent species.

In hoc secundo die notandum est, quia secundum Hebraicam veritatem, operis laudatio deest, quæ in cæteris diebus apposita est. Et vidit Deus quòd esset bonum; sed in Septuaginta additum est; Cur ita Scriptori, immo Spiritui Sancto, qui per illum scripsit, complacitum sit, meritò quæri solet. Ad quod primò respondendum est, quia decet vnum quid totum esse, quod iure dicatur benè factum esse. At verò firmamentum vna quidem & pulchra species est, veruntamen iuxta intentionem operantis, vnum quid totum non est. Quid enim intendebat ille Architectus Deus, cùm dixit, Fiat firmamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis? Hoc vtique, vt faceret Mundi huius amplam domum, pulchram domum, cuius quasi tectum hoc firmamentum est. Et sicut tectum domus, pulchrum quidem opus esse potest, sed nondum domus, nisi quando fundamento, & parietibus superpositum est, atque idem non totum quid est: sic firmamentum pulchra quidem pars Mundi, sed nondum Mundus erat, antequam Terra & Mare proprias haberent species, quibus firmamentum præeminet. Itaque iam laudare, iam dicere; Vidit Deus, quòd esset bonum, nimis festinum fuisset.

Elegantem inde mouet difficultatem; cur vni Mundo non vnum, sed duos addixerit dies.

Quare, ergo inquis, non sicut hoc, ita distulit dicere & illud; Factum est vespere & mane dies secundus? Cur vni Mundo, non vnum tantùm, sed duos ascripsit dies? Ad hæc inquam; Nunquid duos tantùm, & non etiam tres in compositione Mundi digessit dies, secundum tres ipsius partes? Nempè anterius dixit; Et tenebræ erant super faciem abyssi: Quam videlicet abyssum, confusam aquarum multitudinem, & profunditatem oportet intelligi: Et in hoc secundo die dixit; Quia diuisit Deus aquas ab aquis. Nec hoc, nec illud, quòd bonum esset, Deum vidiße dixit, donec tertio die dicat Deus; Congregentur aquæ, quæ sub firmamento sunt, in locum vnum, & appareat arida. Tunc enim dicturus est; Et vidit Deus, quòd eßet bonum. Adde quod ad eundem diem pertinet, quia cùm dixißet; Germinet terra herbam virentem, &c. subiunctum est; Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et ecce sicut tres Mundi partes, & tres dies; sic nihilominus tria bona habes, formationem bonę lucis, distinctum opus Mundi, plantationem Paradisi.

Anno. Mūdi primo. Die secunda.

Non dixit; Et uidit Deus, quòd esset bonum.

a. *Quòd opus secundæ diei erat de incognitis, & non permanentibus.*
b. *Quia octaua sphæra secundo die condita, caussa esset defectiua bonorum.*
c. *Siue quòd firmamentum diei secundæ opus, nondum esset Astris venustatum.*
d. *Seu quoniam secunda die producta fuerit Gehenna.*
e. *Aut quia hoc die ceciderit Angelus.*

a. *Quòd opus secundæ diei erat de incognitis, et non permanentibus.*

D. THOMAS quæstione septuagesimaquarta primæ partis, articulo tertio, ad tertium, Laconico epitomate, vt sui moris est, duas intulit rationes.

Vel ideò in opere secundæ diei non ponitur; Vidit Deus quòd esset bonum; quia distinctio, quæ hoc die ponitur, est de his quæ non sunt manifesta populo: vel propter hoc, quòd firmamentum simpliciter, intelligitur aër nubilosus, qui non est de partibus permanentibus in Vniuerso, seu de partibus principalibus Mundi.

b. *Quòd octaua sphæra secundo die condita, caussa esset defectiua bonorum.*

AEGIDIVS Hexæmeron secunda parte, capite vigesimosecundo, singularem aliam his verbis inducit solutionem.

Quare si circulus obliquus, siue Zodiacus est in firmamento, et ille circulus est caussa defectiua bonorum, quia est caussa generationis, & corruptionis; firmamentum factum in secunda die, non solum est signum malorum operum, vt dicebat Hugo, sed etiam est caussa defectiuorum bonorum, ratione cuius fortè non dictum est de factione firmamenti; Vidit Deus quòd esset bonum: est enim bonum firmamentum, & bona sunt generabilia, & corruptibilia; sed sunt bona valde defectiua, non vt ex hoc dicantur mala: nec firmamentum, quod est huius caussa, sit malum, aut dicatur malum, sed ex hoc taceatur de bonitate eius.

c. *Quòd firmamentum diei secundæ opus, nondum esset Astris venustatum.*

CATHERINVS recensitis & reiectis prima illa Hieronymi, & hac vltima expositione, adijcit.

Mihi verò magis probatur, abstinuisse Mosem, ne diceret, quòd esset bonum; quoniam firmamentum adhuc imperfectum erat cùm non haberet suum stellarum ornatum, in quo summa illius pulchritudo consistit. Hanc autem perfectionem quarta die adeptum est: & idcircò ibi dicitur; Vidit Deus, quòd esset bonum.

GLOSSA Ordinaria ex D. Hieronymo.

Vel ideò bona non dicuntur, quia in hoc opere distinctio aquæ non fit perfecta, quæ in proximo fit, vbi dicit; Congregentur aquæ: vt ibi dicetur.

d. *Quòd secunda die producta fuerit Gehenna.*

Antiqui Hebræi in Beremb, Rabah, gehennam secundo die productam tradunt, ob eiusque dedecus non dictum fuisse à Mose, Vidit Deus &c.

e. *Quòd hoc die ceciderit Angelus.*

MAGISTER Historiæ Scholasticæ, capite quarto.

Tradunt enim Hebræi, quia hac die Angelus factus est diabolus Sathanael, idest lucifer; quibus Hebræis consentire videntur, qui secunda feria missam de Angelis cantare consueuerunt, quasi in laudem stantium Angelorum.

HVGO Carensis in Postillis, tres deducit caussas, hancque primo loco recenset.

Huius diei operi non adhibetur benedictio, triplici de caussa; prima est, quia præuidit lapsum Angelorum hac die futurū: vnde Ecclesia celebrat de Angelis hac die ad honorē stantiū: secūda est, quia binarius est infamis numerus: Tertia, quia opus huius diei inexpletum; tertia die pficitur: Vnde & operi illius diei bis benedicitur.

LYRA-

LYRANVS in Postillis.

Alij autem dicunt, quòd hoc ideò est, quia Angeli peccantes ceciderunt secunda die. Sed hoc Scripturæ auctoritatem non habet; ideò eadem facilitate contemnitur, qua probatur: maximè quia Doctores dicunt communiter, quòd inter creationem Angelorum, & eorum lapsum, fuit modica morula temporis: secundum autem istam responsionem, interfuisset ad minus spatium vnius diei naturalis; quia secundum omnes, Angeli fuerunt creati à principio.

TOSTATVS consimilia ferè habet.

Alij dicunt, quod causa est, quia Angeli illa die ceciderunt per peccatum. Sed hoc falsum est, quia Angeli post primum instans sui esse, per primum actum electiuum ceciderunt in peccatum, & in pęnam. Nam secundum quod volunt omnes Doctores, & secundum conditionem naturæ Angelorum, Angelus per primum actum electiuum cuicunque inhęret, totaliter inhæret, quia est vnitas potentiarum eiusdem generis in eo: Ideò in primo actu confirmatur, vel obstinatur. Sed non est verisimile, quod in toto die primo suæ creationis nullũ actum volitiuum habuerit eligendo, quia substantia intelligibilis non esset tanto tempore ociosa. Ideo dicendum, quòd inter creationem Angeli, & occasum suum, non intercessit perceptibile tempus; ergo in prima die ceciderunt. Item dato, quòd in secunda die cecidißent, non tollebat hoc, quin Deus benediceret Creaturas suas; nisi forte dicamus, quòd Deus de casu Angelorum iratus, in die illa benedicere noluit. Sed hoc absit, quia in Deo talia ponere nefandum, maxime, quia sicut Deus dicitur lætari, cùm miseretur, ita etiam lętari, cum iustè punit, cùm vtrunque sit ad honorem suum, & pulchritudinem Vniuersi.

AVCTOR.

Ex octo igitur delatis caussis, prior à D. Hieronymo excitata, non vsquequaque iudicio grauissimorum doctorum consistit. Patres certè, inquiunt isti, maioresque nostri, numeros omnes in sacris literis grauidos, ac multis arcanis locupletatos esse contestati sunt, quamobrem in depromendis numerorum mysterijs crebro elaborarunt, etiam à Platonicis, & Pythagoræis plura excerpentes. Ac quantum ad nostrum negotium spectat, numerum binarium infaustum esse, etiam Pythagorici edocuerunt. Qui cùm geminam rerum classem fecissent, in altera bonum, & numerum imparem, in altera malum, ac numerum parem statuerunt. Pythagoras siquidem magnam authoritatem numeris attribuere consueuerat, & omnia ad numeros referebat, Astrorum periodos, & omnium animalium generationes. Putabat (vt Laërtius author est) principium omnium esse vnitatem; ex vnitate indiffinitam dualitatem, tanquam materiam aliquam sugerentem ipsi vnitati, quæ caussa existit. Est igitur Monas, vt inquit Macrobius in Somnio Scipionis, tanquam vir, Dyas tanquàm mulier, multum à monade degenerans. Et quemadmodum ab vnitate bona omnia proficisci solent: ita a dualitate contraria omnia. In aëre enim tempestates generat, in animis malitiam, in corporibus morbos, in vrbibus, & domibus, seditiones, & inimicitias. Omnę malum ex dissidio, & seditione oritur. Hanc binarii numeri infœlicitatem senserunt Romani ex Numæ regis institutione, quem ob id quidam falsò Pythagoricum fuisse putabant. Sunt in Romanis fastis Calendæ, Nonæ, Idus. Semper proximus dies inter nefastos, & atros referebatur, tanquàm secundus quidam dies. Quinetiam eadem obseruatio nulla alia in re magis apparet, quàm in secundo anni mense Februario, quem ob id inferis sacrabant, vrbem etiam lustrabant, & iusta diis manibus in eo soluebant. Hanc mensis huius tristitiam dies ipsius testantur. Nam quum menses cæteri ex impari dierum numero constent, solus Februarius parem dierum numerum, idest viginti octo habet. Verum è contra pro binarii numeri commendatione multa afferri possunt. Principiò, quòd hic primus sit numerus post vnitatem prosiliens, cæterisque omnibus, vt primogenitus; faustior memorabiliorque, Deinde quòd sacris in Scripturis, plura etiam mirifica & optima sub binario recondantur. Fecit Deus duo luminaria magna, inquit Moses; Si duo, igitur Pythagoricos, & alios, qui binariũ numerum vbique improbant, atque execrantur, redarguit illud Dei opus. Matrimonium sub binario sancitur; Erunt duo in carne una. Duæ gentes in vtero sunt. Duo Cherubim super archam. Duæ Tabulæ legis iubentur præcidi. Duæ Turtures seù duo pulli columbarum sanciuntur offerri. Duo Cherubim clamabant alter ad alterũ. Discipuli quoq; à Domino nostro bini mittuntur. Super quod inquit Gregorius: per binarium ibi dominus designauit charitatem, quæ est excellentissima virtus, & forma virtutum. Præceptum charitatis, duobus mandatis compleсti-

D. Hieronymi sententia examinatur.

Binarius numerus secundũ Pythagorã infaustus.

Libro 1.

Binarius numerus in Scripturis mysterijs refertus.

Gen. 2.
Gen. 25.
Exod. 25.
Exod. 34.
Leuit. 14.
Isa. 6.
Luc. 10.

Matth. 22. Act. 1.

plectitur. Diliges Dominum Deum tuum &c. & diliges proximum tuũ &c. Duo Angeli Christum scandere ad Cęlos contestantur. Nec delata ratio, quòd binarius numerus infaustus sit, quia ab vnitate recedit, vndique est tuta: Nam eadẽ ratione essent immundi magis ternarius, ac quaternarius, & gradatim omnes, ac eò magis, quo longius à primo numero abscederent. Nec certè adeò exploratum, perspectumque est, quòd dualitas sola numerus sit discretionis; omnis quippè numerus, numerus diuisionis est, & numerus impar ex partibus conflatur; quæ diuisæ numerum secant in dimidium, quod par non facit. Verum pro D. Hieronymo asseuerare etiam possemus, expositionem eam mysticam esse, binariumque numerum, si non semper, saltem quandoquè infaustum comperiri, & si non solum, saltem primum diuisionem efficere, cùm ab vnitate primus digrediatur. Dicereq; cum ipso Hieronymo possumus: Reddant aliam alij probabiliorem caussam, quare eo loco non scriptum sit; Vidit &c. aut si nõ repererint, gratis suscipiant quod à nobis dictum est. Quibus perspectum est, D. Hieronymũ mysticis in sensibus lusisse, Lyranumque immerito eam expositionem truphaticam fœdo nomine, & Tostatum vulgari admodum burlaticam nuncupasse.

Ruperti assertio quomodo à vero desficiat.

Ruperti caussa, quanquam à vero deuiet, ad venustum attamen potest redigi sensum, si duo quæ asseruit euitemus; primum Deum Mundi sensilis partes compegisse secunda die, & tertia, non autem prima, quoniam sub lucis nomine, primo die productæ, Angeli manatio descripta iam esset; Id enim non tutum esse, nec exploratum arbitror, nã à communi sententia, & diffinitione Patrum, alienũ esse desuper demonstrabamus. Alterum vero est, Vniuersi structurę Mosem tres dies ascripsisse quasi primo Angelum, secundo Mundum, tertio Paradisum Terrestrem Deus congesserit, Pariter & id à cõmuni abhorret sententia, non tantùm secundum ea, quæ de Angelis prodit, sed quia in germinum productione, tantùm Paradisi Terrestris effectionem accipiendam esse, pro suo arbitratu astruat. Ingenuè attamen pro eo dicam, quòd cùm prima die lux ad Vniuersi specimen fuerit edita, secundo die corpora prodierint cœlestia, aërisque depuratio ex D. Augustini placito; supererat ad Vniuersi partium absolutam extructionẽ patrandam, vt coactis in vnum aquis, sphæra hæc aquarum, & terræ, eam quam nunc habet, venustam speciem & formam susciperet, antequàm opifex ad ornamenta producẽda pertransiret; connectendumque ob id esse diei secundę opus cum ea parte diei tertię, quæ ad Maris, & Terræ congestionem faceret, priusquam commendatione diuina, & approbatione condignum censeretur. Sed hæc enucleatius infra.

Strabi & sectatorum sententia improbatur.

Strabi, Rabbinorumque, Alberti, Thomæ, atque Postillatorum allata caussa, non commendatum fuisse secundæ diei opus, quoniam aquarum discretio facta per firmamentum, nondum absoluta videretur, meo iudicio nequit consistere, tùm quia secundæ diei effectum opus, fuerit ipsorum Cœlorum compactio, non aquarum partitio; nã ex consequentia tantùm discriminatæ sunt aquæ; cœlestia autem corpora laude & comprobatione ipsis congrua ob eminentem eorum naturam destitui ac fraudari nõ decuerit: tùm quòd aquarum coadunatio tertio die subsequuta, nil habeat simile cum aquarum discretione, cùm hæc sit congregatio, illa seiunctio.

D. Thomæ placitum reijcitur.

D. Thomæ ingeniosæ rationes, nuperorum iudicio non planè satisfaciunt. Primùm quoniam non dimittenda erat Cœlorum commendatio, quasi quòd ab ineruditis non agnosceretur, cùm non deesset ineruditorum numerosa acies, qui ipsos Cœlos perciperent, & hanc prætermissam approbationem demirarentur. Deinde per firmamentum intelligi aërem nubilosum, interpretatio est multum distans, ac dissona à Patrum omnium placitis, præcipuè à D. Augustino, qui contraria doctrina purum aërem flatibus nunquam obnoxium firmamenti nomine exprimi edocuit. Deinde nec aërem nec exhalationem aliquam secundo die prosilijsse compertum est, cùm aër in Chaos (ipso etiã D. Thoma teste) primùm exilierit, & euaporatio, seù exhalatio, seu nubes, non nisi post terram denudatam, Solemque conditum, seù virtutem ei ad influendum collatam effici quiuerit.

Catherini assertio refellitur.

Ambrosij Catherini proposita caussa meo iudicio non planè difficultatem elidit. Siquidem neque terra, nec mare tertio die approbari potuissent, cùm neque ipsa fuissent adhuc suis speciminibus insignita, vel cohonestata.

Aegidij opinio reprobat.

Aegidij excogitatum prorsus commentitium arbitror. Octaua etenim sphæra stellis innumeris quasi

Factum est vespere & mane.

a. Is est, quod in sapientia erat dispositum de firmamento, visibile factum est.

Anno Mūdi primo. Die secunda.

quasi facibus decotata, cùm generationis, & corruptionis princeps caussa non sit, nec motu, nec lumine, nisi inquantum cum cæteris coit corporibus cœlestibus: nec deficientium bonorum caussa appellari potuit, sed Sol. Quòd autem Sol Zodiacum permeet, signa eius peruagetur, humani ingenij est excogitatio, & ipsi firmamento minimè ex natura contingit. Quapropter generatio & corruptio rerum ex Solis accessu, vel discessu proueniens, non octauæ sphæræ, sed Soli est attribuenda. Si autem Sol ex eo, quòd suæ lucis radiatione cuncta gignat, alat, & foueat, & absentia destrui vel absumi permittat, nō bonus esset existimandus, certè prima, & quarta die, lucem, & Solem cōmendatos non haberemus. Gehennam secundo die extructam à Deo fuisse, vt grauissimis pœnis meritisque, damnati tùm mortales, tùm Angeli plecterentur, ac mulctarentur, non omninò tutum & exploratum censeo, cùm fortè Dæmonibus, qui parum in gratia perstiterunt, & mox deciderunt, ante primum diem is locus paratus extaret. Angelorum pariter lapsum secundo die contigisse, non tantùm nulla coniectura fulcitur, sed à Doctoribus passim repudiatur, qui Angelos & Mundo coæuos, & modicis morulis in gratia permansisse edocent, quemadmodum rectè explicauit Tostatus. Arbitror igitur vel commendationem operis diei secundæ, hoc est firmamenti, in priscis codicibus Hebræis forsitan appositam fuisse; cùm Septuaginta, qui Spiritus Sancti afflatu primam omnium editionem Græcam tradiderunt, commendationem ipsam annexuerint; vel si eam non intersertam putare maluerimus, ad tertiam diem protractam fuisse; non quòd seiunctio aquarum ea die tantummodo fuerit absoluta, sed quia Mundi partes præcipuæ, & quatuordecim orbes, decem cœlestes, & quatuor elementares; structuram suam viuentium vtilitati adaptatam, atque accommodatam susceperint. Ex quibus fortè deinceps opinari licet, secundæ diei opus non tantùm Cœlorum fuisse congestionem, sed elementorum quoque depurationem, & secundum situm collocationem: Locationem, inquam, non eam, quam ex sua natura expetebant, sed ipsam quam nunc habet Mundus in viuentium obsequium ab opifice definitam. Adeò vt ferè die secunda ex quatuor elementorum naturali in Chaos commixtione, secundum quam ignis supernas partes, aër medias, aqua terræ ambitum obruebant, eductum à Deo fuerit firmamentum, elatæ super Cœlos aquæ, depurata prima aëris regio pariter hac die emerserit terra, coactæque in vnum fuerint aquæ, vt ex ipsis vna ambiretur sphæra; quod profectò tertia die tantummodo exactum & consummatum fuit; quare & tunc approbatio subsequuta est. Vidit Deus &c.

Gehenna secūdo die nō est effecta.

Cur opera secundæ diei Deus non cō mendarit.

Factum est vespere & mane.

Hebraicam hāc clausulam, Chaldaica, Pagninus, Vatablus, Caietanus, Lusitanus, & nonnulli alij ediderunt; Et fuit vespere, & fuit mane dies secundus. Græca porro, & Vulgata legerunt. Factum est vespere & mane dies secundus. Obseruationes Hebraicæ Parisienses. Dies secundus, diei secundi. Aut factum est tempus serotinum, & matutinum diei secundi. Idest, ita transactus est dies secundus.

Ego diuersas has editiones ita recipio, vt uel eas unam esse, uel alteram ex altera enucleari, & declarari existimem, vt supra explicabamus.

a. Factum est vespere & mane, quod in sapientia erat dispositum de firmamento, visibile factum est.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimo,

Et factum

Anno Mũdi primo. Die secunda.

Factum est vespere & mane.

a. *Vespere consummatio operis secundi diei, Mane futuri tertij inchoatio.*
b. *Vespere vt finis diei, & Mane vt noctis exitus completum secundum indicant diem.*
c. *Firmamentum, quod momento effectum est, in die factum dicitur ad nostram capacitatem.*

Et factum est (inquit) vespere & mane; quia videlicet non casu factum est, sed vespere, idest, in illa occulta Dei sapientia dispositum, & factum est, priusquam in actum visibilem exiret, & mane factum est, videlicet, vt quod in occultis Dei erat, in publicum per euidens opus exiret, sicut iam de anteriori die dictum est. In hoc secundo die notandum est, quia secundum Hebraicam veritatem, operis laudatio deest, quæ in cæteris diebus apposita est.

a. *Vespere consummatio operis secundi diei, Mane futuri tertij inchoatio.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro secundo, capite decimoquarto.

Restat ergo vt intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, & mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerique à mane incipiunt, & ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem diuinæ Scripturæ, de rebus humanis ad diuinas res verba transferre.

BEDA Expositione in Genesim.

Et factum est vespere & mane dies secundus. Ita hæc, quæ repetuntur, sicut superius intelligenda sunt.

Quod autem prius dixerat, est.

Vesperæ autem in toto illo triduo, antequam luminaria essent, consummati operis terminus non absurdè fortasse intelligitur. Mane autem, futuræ operationis significatio.

b. *Vespere vt finis diei, & mane vt noctis exitus completum secundum indicant diem.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quarta in Genesim.

Appellatione indita firmamento, & laudato opere, finem imposuit diei secundo, & dixit; Et factum est vesperum, & factum est mane dies secundus. Vidisti quanta diligentia nos docet, finem lucis vesperam vocans, & finem noctis mane, & totum illud diem? vt ne erremus nos, neque putemus vesperam finem esse diei: sed manifestè sciamus, quòd vtriusque spatium vnum diem implet. Et vesperum finem lucis rectè quis dixerit, mane autem finem noctis, completionem autem diem. Hoc enim vult diuina Scriptura manifestare, dicens; Et factum est vesperum, & factum est mane dies secundus.

c. *Firmamentum, quod momento effectum est, in die factum dicitur ad nostram capacitatem.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite nono.

Et facta est vespera, & factum est mane dies secundus. Iam hinc superius tractatum est, & easdem rationes hic quoque valere arbitror.

Sed audiamus, quid iam se dixisse prodat; ea certè, quæ habet capite septimo, ad finem.

Ita ergo fortasse dictum est; Et facta est vespera, & factum est mane dies vnus, sicut ratione prospicitur, ita fieri debere, aut posse, non ita vt sit temporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu Sancto, qui dixit; Qui manet in æternum, creauit omnia simul. Sed commodissimè in illo libro, quasi morarum per interualla, factarum à Deo rerum digesta narratio est, vt ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per huiusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur. (Eccle. 18.)

Non

Anno Mūdi primo. Die secunda.

Factum est uespere & mane; Dies secundus.

a. Non toto die illud opus protraxit, sed subito, & dies ab opere denominatur.
b. Ex opacitate materiæ in centro Mundi existentis gignebatur vespere & mane.
c. Hoc est, secunda distinctio operum.
d. Siue, secunda lucis, seu ignis, seu nubis lucidæ circunlatio.
e. Vel, secūda lucis solaris emissio, & cōtractio.
f. Dies secundus, in figurā secundæ ętatis Mūdi.

a. Non toto die illud opus protraxit, sed subito, et dies ab opere denominatur.

TOSTATVS in Postillis.

Factum est vespere & mane dies secundus. Non est intelligendum, quòd per totum diem Deus in faciendo quodlibet istorum opus moratus fuerit: sed faciebat subito quodlibet: & deinde dies, in quo fiebat illud opus, denominabatur ab opere. Fiebat autem dies vnus, scilicet nox, & dies, per motum nubeculæ super orizontem, & infra.

b. Ex opacitate materiæ in centro Mundi existentis gignebatur vespere & mane.

TOSTATVS in Postillis.

Et necesse est arguere ex illo loco, quòd illud corpus primum, in quo erat tota materia rerum, non erat æqualiter densum in omnibus partibus, sed in parte, in qua nunc est terra, erat quædam pars materiæ multum densa, & opaca, & non esset peruia luci. Si autem fuisset æqualiter densa, sicut nubecula illa illuminabat partes superiores, ita illuminasset per totum corpus illud, quod esset luci peruium. Et sic non potuisset esse nox, sicut nunc si esset terra, & aqua ita raræ vt ignis, & aër, non esset nox, quia radij Solis pertransirent terram, & vbique omni tempore illuminaretur, sed nunc terræ, & aquæ opacitas detinet radios Solares, ne transeant ad oppositum hemisphærium. Ideo dum in vno est dies in alio est nox.

c. Dies secundus, hoc est, secunda distinctio operum.

GLOSSA Interlinearis ex Augustino.

Dies secundus, idest diuinorum operum secunda distinctio.

d. Idest, secunda lucis, seu ignis, seu nubis lucidæ circunlatio.

Hæc dicta sint ex Iunilij sententia, qui lucis periodo absque orbe aspectabili, & Nysseni, qui ignis, & Hugonis, qui nubis flammatę rotatione dies gigni censebant: vt diximus.

e. Vel, secunda lucis solaris emissio, & contractio.

Et hæc pariter ex Basilij, & Damasceni placitis, qui emissione, & contractione lucis triduum primum effectum dijudicarunt, vt supra luculenter expositum est.

f. Dies secundus, in figuram secundæ ætatis Mundi.

De hac septem ætatum Mūdi, ad septem dies priscæ & primordialis hebdomadæ cōparatione, edisserunt D. Augustinus de Genesi contra Manichæos libro primo, capite vigesimo tertio; Iulianus Pomerius cōtra Iudæos libro tertio; Isidorus Etymologiarum libro sexto, capite trigesimo nono; Beda de Natura rerum, & Glossa Ordinaria in Prothematibus, & alij. De his copiosius in Glossa nostra mystica.

AVCTOR.

Nonnullę interpretationes vt mysticæ repudiantur.

Ex his interpretationibus, postrema, quæ hanc diem ad secundam Mundi accommodat ætatem, hoc est pueritiam, allegorica statim subodoratur: quanquam eam, tanquam à pluribus Patribus & potissimum à Glossa memoratam, interserere nõ ineptum dijudicarim. Altera Glossæ expositio, quæ per secundam diem diuinorum operum secundam distinctionem intelligit, veluti Augustinianam redolens doctrinam, quæ per dies non dies naturales, Cœlorumque conuersiones capit, sed rerum sex genera ad sex Angelicas aprehensiones adaptat, ægrè à cæteris Patribus recipitur, qui à Mosis literæ sensu germano, & literali excidere non consentaneum esse arbitrantur. Altera pariter, quæ per Vespere operis absolutionem, & Mane alterius exordium percipit, ei innititur Augustini sententiæ, quæ lucis prima die conditæ nomine, non lucem corporalem, quæcunque illa fuerit, seù ignis, seù nubes lucida, seù Sol suis numeris vndique refertus, seù Sol ipse non absolutus, seù lux Solis sine globo, vel virtute Dei emissa & attracta, vel rotata; sed lucem spiritualem, hoc est Angelum capit. Ex quibus consequitur, non potuisse vespere, vel mane aliquid fieri, cùm lumen vllum non adesset. Quæ assertio, cùm tantùm apud sectatores Augustini existimationẽ uẽdicarit, efficit, vt hęc quoq; interpretatio, à Patribus tùm Grecis tùm Latinis passim ceu minime literalis, & germana non acceptetur. Quæ autẽ secundo loco afferebatur explanatio, dies enumeratos astruens ad nostram capacitatem, cùm Mundum supponat momento exiliisse, non temporum delapsu, ab omnibus ijs repudiatur, qui Mundum decursu temporum, & sex diebus naturalibus congestum decernunt, quorum classis & numero est amplissima, & Patrum præstantia insignis, ac selecta. Superest igitur, vt sola Chrysostomi expositio, quæ per Vespere diem artificialem, cuius finis vespera est, & per Mane noctem, cui mane terminum præbet, & per diem secundum, naturalem diem absolutum intelligit, literalis, germana, & propria censeatur.

Chrysostomi expositio uera & literalis.



Dixit Deus; Congregentur aquæ.

a. *Completo prima die Mundo ideali, & secunda Cœlo, tertia quicquid salsum erat, in mari collectum fuit, & terra emersit dulci humore exundans.*

Anno Mūdi primo. Die tertia.

DE REBVS GESTIS in tertia die.





VEMADMODVM qui ex altissimis montium iugis, seu celsissimis descendunt turribus, metum sensim excutientes, tantò alacriores animo efficiuntur, quantò ad ima se deferri conspiciunt: Haud dissimili prorsus ratione, ego cùm ex Cęlorum eminentissima, ac difficillima contemplatione ad elementorum infimorum, maris, terræque natalia enarranda me desilijsse contuear, soluto pauore, viribusque, quas timor abstulerat, reuocatis, alacriori animo ac mente, tertię diei elucubrandis operibus manum adijcio. Duo autem admodum seiuncta præclara opera continere tertium hunc diem perspicuum est: Maris natalia, Telluris, Orbisq; terrarum amplissimi denudationem, atq; porrectionem; eiusdemque decus illud, quod sibi præclarissimum, intimumque est: decus, inquam, germinum omnium, herbarum, olerum, arborum, quibus mirificè tam in collibus, quàm in vallibus, aureis, luteis, viridibus, alijsque coloribus tanta venustate pingitur, vt nescias, an speciebus colorum, an nitoribus florum, an flagrantia odorum, an suauitate saporum magis oblectet. Primum explicat Moses, cùm inquit; Congregentur aquæ, quæ sub Coelo sunt, in locum vnum, & appareat arida. Cæterum antequam sedulo perpendamus, quæ Sanctissimus Vates, de Pelagi, ac telluris natalibus nobis referet, quo mirifico ordine sator Deus in congerendo Mundo, opus operi subnectens, tertia die res gestas cæteris copularit, inuestigandum occurrit.

Duo potissimum in tertia die effecta.

a. *Completo prima die Mundo ideali, et secunda Cœlo, tertia quicquid salsum erat, in mari collectum fuit, et terra emersit dulci humore exundans.*

PHILO libro de Mundi opificio.

Iamque perfectus erat Mundus ille incorporeus, situs in diuino Verbo, cùm sensibilis hic ad exemplar alterius absoluebatur: & ante alias eius partes potissimam omnium faciebat conditor, Cęlum videlicet, quod aptè firmamentum appellauit, vt rem corpoream. Et Post. *Post hæc quoniam vniuersa aqua in totam terram diffusa erat, omnesque eius partes penetrauerat, quemadmodum spongia humorem combibit, vt ceu palus quędam cęnosa, ex vtroque elemento macerato confunderetur, & quodammodo fermentaretur in vnam indiscretam, informemque naturam: iubet Deus quicquid aquarum salsum erat, ac proinde offecturum fertilitati satorum & arborum, collectum in vnum confluere ex omnibus terræ foraminibus: tùm aridam emergere, dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem.*

Aërem seu ignem non memorat certè Philo, eorumque genesim prÆterit: immo eius de opificio Mundi narrationem profunde rimantibus, ac maturè scrutantibus, plura

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Dixit Deus; Congregentur aquæ.

a. *Creato primo die Angelo, secundo die superna parte Orbis, tertio creatur inferna.*
b. *Prima die erupto ex rudi Chaos igne, & secunda effecto Cælo, tertia prætermissa aëris genesi, aquæ & terræ narratur creatio.*

plura eum tùm omisisse, tùm non explicate prodidisse apparebit; Platonica equidem placita & altissima, sed tamen parum consentanea in ipso offendentur.

a. *Creato primo die Angelo, secundo die superna parte Orbis, tertio creatur inferna.*

D. Augustinus hanc congestionis Mundi seriem est prosequutus, vt ex eius lucubrationibus facilè depromi potest. Cæterum hanc eius mentem tam exactè expressit D. Thomas, vt ex eo ipsam excerpere consentaneum duxerim. Cum D. Augustino proficiscuntur Eucherius, Beda, Glossa, Rupertus, & alij.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesimanona, articulo primo. *Dicendum, quòd hic oportet aliter dicere secundum expositionem Augustini, & aliorum Sanctorum. Augustinus enim in omnibus his operibus non ponit durationis ordinem, sed solum originis, & naturæ. Dicit enim creatam naturam spiritualem informem, & naturam corporalem absque omni forma, quam dicit primò significari nomine terræ & aquæ: non quia hæc informitas formationem præcesserit tempore, sed origine tantùm. Neque vna formatio secundum eum præcessit aliam duratione, sed solùm naturæ ordine. Secundum quem ordinem necesse fuit, vt primò poneretur formatio supremæ naturæ, scilicet spiritualis, per hoc, quòd legitur prima die lux facta. Sicut autem spiritualis natura præeminet corporali, ita superiora corpora præeminent inferioribus. Vnde secundo loco tangitur formatio superiorum corporum cùm dicitur: Fiat firmamentum. Per quod intelligitur impressio formæ celestis in materiam informem, non prius existentem tempore, sed origine tantùm. Tertio verò loco ponitur impressio formarum elementarium in materiam informem, non tempore, sed origine præcedentem. Vnde per hoc, quòd dicitur; Congregentur aquæ, & appareat arida, intelligitur, quòd materiæ corporali impressa est forma substantialis aquæ, per quam competit sibi talis motus, & forma substantialis terræ, per quam competit sibi sic videri.*

Duo posissimum intentata digesta.

b. *Prima die erupto ex rudi Chaos igne, et secunda effecto Cælo, tertia, prætermissa aëris genesi, aquæ & terræ narratur creatio.*

GREGORIVS Nyssenus Historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est.

Quum omnis illuminatrix & ignea natura, suis qualitatibus ab alijs secreta esset, aëris quidem conflatio atque fabricatio silentio prætermittitur; quanquam par erat etiam de hoc, quum expositum esset, vt ignis emicuisset, secundo loco rationes naturales in medium afferre: propterea quòd cognatio quædam ratione leuitatis ei cum ea, quæ in igni cernitur, leuitate intercidit: atque ita deinceps grauem tractare naturam. Sed ille de hac quidem, ea quæ dicenda erant, in medium affert, de aëre autem dicere prætermittit: non quòd nihil conferat ad totius Mundi complexionem, nec quòd à ui elementorum secretus sit: sed quòd mollitie forsitan naturæ, atque facilitate cedendi, vniuscuiusque rerum capax est aër: in sese quasque res ostendens, non colorem proprium habens, non figuram, non superficiem, sed alienis cùm Coloribus, tùm figuris inficitur, & informatur. Et post. *Quum terrena qualitas adhuc cum humida natura commixta esset, cuius erat alterius, terram quidem suis consolidare qualitatibus, vt omnibus eius particulis ad res cognatas coactis, atque compressis, per condensationem & constipationem insitum ex ipsa exprimeret humorem: aquam autem à commixtione terræ separare, & circa seipsam terræ cauernis cohibitam, & coërcitam colligere & congregare?*

Prima

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Dixit Deus; Congregentur aquæ.

a. *Prima die condita luce, secunda cęlestibus corporibus, tertia creantur elementa; & narratur creatio terræ & aquæ; reticetur autem ignis & aëris, quia à nobis non spectantur.*

b. *Ex hyle productus Sol, sua flagrantia genuit aërem, & post absumptis aquis detexit terram, diebus res effectas sequentibus.*

a. *Prima die condita luce, secunda cœlestibus corporibus, tertia creantur elementa; & narratur creatio terræ & aquæ; reticetur autem ignis et aëris, quia à nobis non spectantur.*

TOSTATVS Commentarijs in Genesim.

Hic agitur de opere tertiæ diei; & sunt duo opera, scilicet congregatio aquarum, & productio arborum. Et istud opus est de distinctione materiæ elementalis: vnde licet solum fiat hic mentio de aqua & terra, tamen intelligitur de alijs elementis quia tunc ignis & aër facti fuerunt: sed, quia à nobis videri non possunt in suis sphæris, non expressit ea populo rudi, quia non erat intentio Moysi dare cognitionem illi populo de omni genere creaturæ, sed dicere, quòd Deus creasset omnia quæ erant: & quia ista solum esse putabant, cùm alia non viderent, ideò de ijs solis expressit.

D. Bonauentura Commentarijs in Magistrũ, parum ab hac Tostati sentẽtia abscedit.

b. *Ex hyle productus Sol; sua flagrantia genuit aërem, et post absumptis aquis detexit terram, diebus res effectas sequentibus.*

STEVCHVS latissime in sua Cosmopœia hanc edocuit Mundi congestionem, seù hunc congestionis ordinem: sed præcipue de perenni Philosophia libro septimo, capite octauo, consultius eam sic declarauit.

Moses naturalissimè, & vt venire in mentem melius non possit, primum recensuit creata duo rerum inter
se commista principia, tanquam Mundi fundamentum, tanquam Embryonem, terram, & aquam. Mox
autem ceu tertium atque agens principium, quod adiunctum terræ & aquę, omne genus formas produceret,
effectam lucem. Omnium enim rerum terrestrium caussa sunt terra, & aqua, & Sol. Prima duo velut acci-
pientia, rationemque fœminæ habentia, tertium velut masculum, imprimens in ea calorem & lucem genitalẽ.
Decuit autem terram & aquam priores fieri ob multas caussas: præcipuam verò, quòd ex aqua omnium ve-
terum Philosophorum consensu selecta, purissimeque abstracta fuit ætheria substantia, ex eaque Sol factus, &
omnia lumina cœlestia. Non enim moror hic Aristotelis auctoritatem, sed sequor non modò vetustissimæ Theo-
logiæ sententiam, verùm etiam rationem & exempla, cùm videas nubes aquosas collisas, horrenda in nocte
largam exhibere lucem: sic lumina per aërem volantia, stellasque cadentes videmus, & scimus ex humoribus
& vaporibus generari, eiusmodi quandam natura cogitantes esse lucem cœlestem, artificiosius ab auctore sa-
pientissimo compactam, ac densatam. Sed quoniam potest facilè persuaderi, lucem illam primogenitam fuisse
Solem: obscuritas autem omnis inde est, quòd quarta die dicitur effectus: quod nulla ratione cohærere possit,
cùm lux caussa diei sit effecta prior, vt non solum non potuerit creari quarta die Sol, sed ne prima quidem,
quoniam nulla fuit dies ante Solem creatum. Dicendum igitur, duoque ab his qui hæc legent, obseruari po-
stulanda: vnum, vt attentè considerent, agnoscantque falso dici, vulgoque iactari & scribi, hanc vel illam rẽ
factam prima, vel secunda, uel tertia die: vt prima die sit facta lux, secunda Cęlum, tertia patefacta terra,
quarta creatus Sol. Dico hoc & falsum esse, & impossibile, nec à Mose scriptum, sed historiam eius hoc ha-
bere. Primò res ipsas fuisse creatas, post dies fuisse secutas, & circumuolutas. Nec deputasse Mosem opi-
fici summo dies, quibus, vt solent homines, operaretur, nocte ab opere quieturus, ac quasi dormiturus discede-
ret. Dico, & obseruandum ab omnibus prædico, non esse facta opera illa, in hoc, & illo die, vt mane exorto
Sole, ad opus quasi surgens è stratis opifex accederet: sed eum dico sine diebus operatum; operante autem eo,
exactos fuisse sex dies. Nam quando Deus est opus mundanum aggressus, nulla dies fuit, primumq; opus
ab eo non fuit factum in die, sed facto opere, dies secuta est. Aspice & consule Mosen, videbis eum apertè
fatentem, cùm crearetur lux, nullam diem fuisse, sed luce creata, diem apparuisse: creata autem luce, ordine
naturali secuta sunt cætera opera: effectus est aër, quo effecto, secunda dies expleta est. Vt primùm aër est à
luce flagranti selectus ex aquis, eodem tempore terra nuda remansit, quæ humida ob recentes aquas, inflamma-
taque à Sole, non stirpes modò, sed etiam terrestria, aquaticaque animalia produxit, vt Nilo in alueum re-
deunte,

Anno Mūdi primo. Dietertia.

Dixit Deus; Congregentur aquæ.

a. *Nube lucida prima die prosilita, secunda firmamento expanso, tertia aqua ex nebula crassa in abyssum se redigente, depurata sunt elementa.*
b. *Sublata prima die informitate Cęli, secunda Aquæ, tertia die tollitur informitas Terræ.*

deunte, totamque Aegyptum humidam relinquente, nascuntur monstra, versisque animalia glebis aratores inueniunt. Hæc igitur omnia non fiebant in die, sed his rebus effectis, trium dierum interuallum absolutum fuit.

a. *Nube lucida prima die prosilita secunda firmamento, expanso, tertia aqua ex nebula crassa in abyssum se redigente, depurata sunt elementa.*

HVGO de Sancto Victore hanc Mundi structuræ seriem est sequutus; siquidem de Sacramentis libro primo, parte prima, capite sexto, cùm nebulam ambitum Cęli tegisse docuisset, & capite nono ex ea exertam fuisse nubem lucidam tradidisset, amplius capite decimoseptimo ex ipsa pariter depromptum fuisse firmamentum, idest Cœlum, tandem vigesimo quarto capite his concludit.

Ecce ista sunt trium dierum opera, antequàm Sol vel cætera luminaria facta fuißent. In his primis tribus diebus dispoſita est vniuersitatis huius machina, & partibus suis distributa, firmamento desuper expanso. Deinde terra reuelata, atque in imo residente, & suo pondere librata, collectisque aquarum molibus intra receptacula sua, aëre serenato, quatuor Mundi elementa locis suis distincta, & ordinata sunt.

b. *Sublata prima die informitate Cœli, secunda Aquæ, tertia die tollitur & informitas Terræ.*

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesimanona, articulo primo. *Sed secundum alios Sanctos, in his operibus etiam ordo durationis attenditur. Ponunt enim, quòd informitas materiæ tempore præcessit formationem, & vna formatio aliam. Sed informitas materiæ secundum eos, non intelligitur carentia omnis formæ, quia iam erat Cęlum, & aqua, & terra, quæ tria nominantur tanquam manifestè sensu perceptibilia. Sed intelligitur informitas materiæ, carentia debitæ distinctionis, & consummatæ cuiusdam pulchritudinis. Et secundum hæc tria nomina, posuit Scriptura tres informitates. Ad Cęlum enim, quod est superius, pertinet informitas tenebrarum, quia ex eo est origo luminis. Informitas verò aquæ, quæ est media, significatur nomine abyssi, quia hoc nomen significat quandam immensitatem inordinatam aquarum, vt Augustinus dicit contra Faustum. Informitas verò terræ tangitur in hoc, quod dicitur; quòd terra erat inanis, & inuisibilis, per hoc, quòd erat aquis cooperta. Sic igitur formatio supremi corporis facta est prima die. Et quia tempus sequitur motum Cœli, tempus autem est numerus motus supremi corporis per huiusmodi formationem facta est distinctio temporis, noctis scilicet, & diei. Secundo verò die, formatum est medium corpus, scilicet aqua, per firmamentum accipiens quandam distinctionem & ordinem, ita quòd sub nomine aquæ etiam alia comprehenduntur, vt suprà dictum est. Tertio verò die, formatum est vltimum corpus, scilicet terra, per hoc quòd discooperta est aquis, & facta est distinctio in infimo, quæ dicitur terræ & maris. Vnde satis congruè, sicut informitatem terræ expresserat dicens, quòd terra erat inuisibilis vel inanis: ita eius formationem exprimit per hoc, quod dicit; Et appareat arida.*

D. Thomas illud sibi hac in narratione instituit, vt triduum primum, secundum rationem triplicis distinctionis coordinet, quod & ex nuperis plerique approbarunt. Verum die secunda segregationem aquarum supernarum, & infernarum, per firmamentum effectam, non fuisse præcipuum eius diei opus, sed fuisse firmamentum, cęlestã scilicet substantiã, seù corporum cœlestium compagem; aquarum vero secationem contingenter euenisse, Patres prisci edocent, nec immerito collucidæ siquidem illæ supernæ rotæ sua præstantia exigebant, vt vna dies augustissimis suis natalibus ascriberetur.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Dixit Deus; Congregentur aquæ.

a. *Ornato prima die Mundo ope lucis, roboratis secunda corporibus supra nos collocatis, tertia assignantur loci aquis & terræ, vt exornari possint.*
b. *Condita prima die luce, secunda congesto firmamento, tertia contrahuntur aquæ in sinus terræ, & ipsa terra denudatur.*
c. *Tertia die rectius Mundus discretus apparuit ex ternarij numeri symetria.*

a. *Ornato prima die Mundo ope lucis, roboratis secunda corporibus supra nos collocatis, tertia asignantur loci aquis & terræ, vt exornari possint.*

VIELMIVS Lectione decimaquinta.

Itaque cùm prima die formatione lucis, superna infernaque corpora simul Deus ornasset, secunda media corpora inter primum mobile, & Oceanum veluti roborauit, vt idonea essent retinendis aquis; ac denique tertia (in qua sumus) geminum elementum, aquam videlicet & terram, ornaturus, suum antea assignat locum aquis iubetque, vt congregentur, quæ sub Cœlo sunt ad locum vnum.

Caietanus non procul abit ab hac sententia, in eoque tantùm discrepat, quòd secunda die non robur, sed expansionem, porrectionem, & dilatationem corporibus ab Empyreo ad aquas intersertis collatam fuisse arbitratur.

b. *Condita prima die luce, secunda congesto firmamento, tertia contrahuntur aquæ in sinus terræ, et ipsa terra denudatur.*

Non me pręterit diuersas de Mundi conflatione sententias ex eo prouenire, quòd diuersa sibi Chaos genera effinxerint, atque proposuerint isti ingentis, & celeberrimi nominis Patres. Quapropter idipsum prorsus iudicium de hac dierum priscorum serie, quod & de propositis ab ipsis Chaos illius squalentis generibus ferendum fore. Quare non est cur discussa discutiamus. Superest igitur, vt hāc postremam communioribus calculis receptam sententiam, à D. scilicet Basilio, Ambrosio, Hyppolito, Seueriano, Acacio, Procopio, Epiphanio, Theodoreto, Iunilio, & ijs omnibus, tùm vetustis, tùm neoterioribus, qui in ipsa Mundi prosilitione, & primaria effusione elementa suis substantificis formis insignita manasse rati sunt, prouidè & nos approbemus, & celebremus. Cæterum nec hi Patres exactè res tertia hac die gestas conformiter proponunt: Iunilius, Hyppolitus, & qui aquas vsque ad Empyreum exundasse putarunt, in ipsarumque medio interiectum fuisse firmamentum existimarunt, hac tertia die ex visceribus terræ, dum in eius antris & specubus latebrosis cogeretur aqua, erupisse tùm ignē, tùm aërem, ad suasque natiuas sedes, non absque ingenti forsan fragore, atque elementorū tumultuaria collisione, peruolasse iudicarūt. Basilius è contra, & cæteri, qui aquas supra iuga montiū euectas astruebant, illas hac ipsa die, in undosum mare profluxisse, lapsasque fuisse, vndis forsan sese perurgentibus, ac propellentibus, aëreque in hac infima regione se laxante, & discussa caligine magis clarescente; in superna verò amplius depurato existimarunt. Quæ quidem sententia, vti clariori verisimilitudine insignita, magis acceptatur, & celebratur, cùm eam præstantissimi Patres, Vatis nostri nuntij certissimi nobis inuulgarint, atque propalarint.

Basilij sententia pręfertur

c. *Tertia die rectius Mundus discretus apparuit ex ternarij numeri symetria:*

CONSTANTIVS Ruschonus Commentarijs in Genesim manuscriptis.

Tunc forma Mundi inferioris certis terminis discreta apparuit, qualem nunc oculis cernimus. Est ergo progressus Mundi ab imperfectis gradibus ad perfectiores: & numerus ternarius rei congruit, qui diuersitatem ex

tem ex

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Dixit Deus.

a. *Hoc est, produxit in vices temporum, quod ab æterno, & tunc, & tali serie facere, incommutabiliter ordinarat.*

b. *Dixit Deus, hoc est, separauit.*

c. *Scriptum est: Dixitque Deus, & non Dominus, quia Deus nomen est creantis, Dominus regentis.*

tem ex binario ductam in vnitatem reducit, & componit. Congruit & mysterio, quia Mundus visibilis in imagine summæ Trinitatis tertia die perfectus est, vt prima dies principio, secunda medio, idest extensioni, tertia fini applicetur. Hic autem numerus primus est, cui plurale nomen tribui solet, à quo cæteri progrediuntur replicatione, & additione. Ideò numerus nullus alius multitudinis certus est, sed numerus omnis vnitate, & trinitate continetur. Duo autem constare nequeunt, quia si efficiant aliquod vnum, consurgit ternarius, extrema enim non componuntur ex seipsis, sed per medium. Est autem non malus, sed imperfectus, & est generationis principium. Perfectio siquidem est trinitatis, quæ omnia colligit, sicut dualitas separat. Mundus ergo noster hac die perfectus sua nomina obtinuit, quibus tota vniuersitas colligitur, quod his verbis declaratur, cùm repetit, Deum dixisse, vt congregarentur aquæ, vt verbo Mundum effectum intelligamus, ne Christum ignorare possimus, à quo Mundus habuit principium, vt in eo finem habiturus intelligatur.

Vulgata est, mirificoque omnium nutu approbata assertio illa, quæ in triduo primo Mundum prius inordinatum, & confusum, seiunctionem in suas partes, atque sphæras, distinctamque ipsarum partium collocationem suscepisse edocet.

Dixit Deus.

Circa editionem, atque pedagogiam clausulæ huiusce, non habeo quid iam animaduersis adiungere possim.

a. *Hoc est, produxit in vices temporum, quod ab æterno, & tunc, & tali serie facere, incommutabiliter ordinarat.*

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim, articulo vndecimo, fortè hanc interpretationem indicare voluit, cùm dixit.

Dixit verò Deus. Frequenter in isto capitulo legitur Deus dixisse; & quasi per interualla dierum locutus, & operatus esse describitur, cùm tamen in ipso inuariabili, ac simplicissimo Deo nulla sit diuersitas, nulla mutatio, nullaque nouitas: sed quicquid produxit in tempore, & per temporum vices, hoc ab æterno, tunc, & taliter facere incommutabiliter ordinauit. Ipse enim omnium rerum idæas continet in se. Porrò in idæa duo notantur, videlicet cognitio rei, & determinatio, quando, ac qualiter fiet.

Doctrina hæc hausta ex supraadductis Augustini lucubrationibus hilari fronte est amplexanda, & osculanda.

b. *Dixit Deus, hoc est, separauit.*

GLOSSA Ordinaria ita explanauit.

Dixit verò Deus: hoc est, verbo separauit.

Quasi intelligere voluerit Glossa, in verbo Dei virtutem fuisse, vt adinuicem disiungerentur elementa. Et quemadmodum verbum Dixit significabat supra, Fecit, quoniam effectio rerum memoratarum insequebatur Dei satoris vocem: Ita & nunc idē ipsum capitur pro Separauit, quia aquarum à Terra seiunctio est diuinam iussionem sequuta.

c. *Scriptum est: Dixitq́ Deus, & non Dominus, quia Deus nomen est creantis, Dominus regentis.*

Postillæ in Genesim in Biblia Benedictina.

Deus substantiæ ipsius, idest diuinitatis nomen cum substantia semper fuit, Dominus verò non substantiæ, sed

Anno Mũdi primo Die tertia.

Congregentur aquæ.

a.	*Legendum, iam dixerat Deus.*
b.	*Congregentur, legendum, extendantur.*
c.	*Vel, Congregentur, legendum, colligantur.*

sed potestatis vocabulum postea accessit. Quod ex ordine creationis Moyses ostendit, primò se Deum insinuans, post creatas verò creaturas se dominum indicat. Hæc Tertullianus contra Hermogenem.

Locus Tertulliani splendidissimus est libro citato in initio, sed nos pro commentatione clausulæ illius: Formauit igitur Dominus Deus eum reseruamus, quòd illi magis congruere, & competere ipsum existimemus.

De genesi marium, sinuum, fluminum, et fontium.

Ratio expostulat vt primùm iuxta institutũ nostrũ de editione aliquid edisseramus. Hebraicã lectionẽ Chaldaica legit; Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum vnum; & appareat arida. Græca verò editio Septuaginta, *καὶ εἶπεν ὁ θεὸς, συναχθήτω τὸ ὕδωρ, &c.* Cõgregetur aqua, quæ sub Cęlo, in congregationẽ vnam, & appareat arida. Nostra editio cum Chaldaica proficiscitur. Pagninus, & Vatablus parum orationem mutant; Congregentur aquæ, quæ sunt sub Cęlo in locum vnum, appareatq; arida. Caietanus; Congregabuntur aquæ sub Cœlis ad locum vnum, & videbitur siccum. Reliqui ferè omnes interpretes, à nostra parum discrepant.

a. Legendum, iam dixerat Deus.

Hebrææ linguæ professores, qui adnotationes, & obseruationes compilarunt Lutetiæ Parisiorum, hæc ad diei secundæ opus adscribentes, hæc inquam, quæ primùm effecta leguntur in tertia die, sic legendum autumarunt.

Dixit verò Deus. Verti debet hic locus per præteritum plusquam perfectum; Iam verò dixerat Deus. Hoc enim pertinet ad opus secundi diei. Frequens autem est apud Hebræos, præteritum perfectum poni pro plusquam perfecto.

b. Congregentur, legendum, extendantur.

LVSITANVS Adnotationibus in Genesim.

Congregentur aquę, quæ sub Cœlis sunt. Putant Hebræi verbum Cauah significare, expectare, & congregare: ideoque vertunt hic nostri, Congregentur: sed videndum est, an verius significationem uocabuli ostendant. Quòd autem verbum Cauàh, congregare significet, ex hoc loco coniectantur, quia non videtur eis alia significatio huic loco conuenire. Si quis autem rectè expendat locos, videbit vnicam esse verbi significationem, scilicet extendere, quod ex duobus conijcio. Alterum est, quòd sperare nihil aliud esse videtur, quàm extendere animum: & expectatio, dilatio, & extensio. Alterum, quod Caù, idest linea: quod ab hac radice deriuatur, lineam significat: eo quòd extensa sit. Isaiæ enim quadragesimo quarto habes; Faber lignarius extendit Caù, idest lineam: & secundo Regum vigesimo primo; Extendam super Hierusalem Caù, idest lineam: vnde, meo iudicio, locus iste sic reddendus est: Extendantur Aquæ sub Cœlo, idest, quæ sunt sub Cœlo, ad locum vnum; & apparebit arida. Et fuit sic; idest aquæ, quæ antea super totam terram extendebantur, nunc super locum vnum expandant se, seu ad locum vnum cogantur.

c. Congregentur, legendum, colligantur.

LVSITANVS vbi supra.

Sunt qui putant verbum Cauàh significare, colligare, ligare: & inde Cau, idest linea, sit à ligatione dicta, quòd videlicet liget: & quia expectantes videntur pendere, & suspensi esse à re, quam sperant, videtur significare, sperare; & sic vertunt hic; Colligentur aquæ quæ sub Cœlo sunt, in locum vnum: neque mihi expositio displicet.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Congregentur aquæ.

a. *Congregentur, legendum, congregabuntur.*
b. *Legendum excauentur, seu in cauernis subsidant aquæ.*
c. *Formentur aquæ ex materia primã.*

a. *Congregentur, legendum, congregabuntur.*

CAIETANVS super Genesim sic tralatandum dijudicat.

Et dixit Elohim; Congregabuntur aquæ sub Cælis ad locum vnum, & videbitur siccum.

Ego ab editione tùm Septuaginta, tùm Vulgata nostra non discederem: neque siquidem, quæ afferunt hi Doctores, adeò solida sunt, vt existimemus Hieronymum eruditissimum idiomatum omnium ea non librasse, & conspexisse, & simul paruipendisse.

b. *Legendum excauentur, seu in cauernis subsidant aquæ.*

STEVCHVS in Cosmopoeia.

Est autem hoc loco, quod dicitur; Congregentur aquæ vox Hebræa Kaua, ea congregationem Hebræi dicunt designari, sed proprie sonat, vt ex Scripturis apparet, voraginem, concauum quid. Et ut tam multa Greca, ac Latina nomina ab Hebraico deducuntur, sic clarum est istud latinum esse factum, cùm idem sit Hebraicum. Caua autem dicta sunt postea omnia voraginosa, & cauernosa, quod fuit locorum, profundarumque sedium nuncupatio, quas Deus aquis illis immensis præparasset. Et post. *Itaque quod nostri transtulerunt, Congregentur aquæ, Hebraiceque habet, iKauu hammaim, quasi dicendum esset; Excauentur aquæ, in cauernis subsidant aquæ. Fuit enim mare, quasi totius aquæ sedimentum, in altissimas regiones purioribus sublenatis. Eoque vocatur, quasi ὑπόστασις, quod idem & vrinæ animalium est nomen. Sedimentum autem ad imas partes defertur. Tanquam vrina totius Mundi fuit mare, in vnam quasi vastissimam cauernam delapsa. Sol autem melius detraxit, quod animalia pasceret, ac nutriret. Hinc tanquam Philosophiæ haud ignari Poetæ loquuntur mortales vesci auris.*

Non unam apud Patres locus hic suscepit explanationem, duæ tamen celebriores comperiuntur.

c. *Formentur aquæ ex materia prima.*

AVGVSTINVS, qui nullum admittit ante Mundum Chaos, sed momento cuncta ex nihilo, ex ea materie quæ origine & natura præextabat, non tempore & actu, prodijsse arbitratur; hac tertia die aquam & terram ex materia illa quasi prosilientes enarrari censuit. Ait enim libro primo de Genesi contra Manichæos, capite duodecimo.

Et dixit Deus; Congregentur, &c. In isto loco Manichæi dicunt; Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in vnum? Sed iam superius dictum est, nomine aquarum materiam illam appellatam, super quam ferebatur spiritus Dei, vnde erat Deus omnia formaturus. Nunc verò cùm dicitur; Congregetur aqua, quæ est sub Cælo, in congregationem vnam: hoc dicitur, vt illa materia corporalis formetur in eam speciem, quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in vnum, ipsa est aquarum istarum formatio, quas videmus, & tangimus. Omnis enim forma, ad vnitatis regulam cogitur. Et Post. *Superius ergo quod nominabatur Terra inuisibilis, & incomposita, materiæ confusio & obscuritas nominabatur: & quod nominabatur aqua, super quam ferebatur spiritus Dei, eadem rursum materia nominabatur. Nunc verò aqua ista, & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequàm formas istas, quas nunc videmus acciperet.*

Et de Genesi imperfecto capite decimo.

Et dixit Deus; Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in congregationem vnam, & appareat arida; & sic factum est. Hinc probabilius credi potest, aquam dictam esse superius, sicut arbitrabamur, ipsam Mundi materiam. Nam si Vniuersum aqua oppletum erat; vnde, vel quò potuit congregari? Si enim quandam confusionem materialem, aquæ nomine appellauerat; hæc congregatio appellanda est ipsa formatio; vt talis esset atque species, qualẽ nunc esse cernimus. Et Post. *Dixit ergo Deus, Congregetur aqua, quæ sub Cælo est: idest, in formam*

formam redigatur materies corporalis, vt aqua ista sit, quam sentimus, in congregationem vnam. Vis ipsa formæ commendatur nomine vnitatis: sic est enim verè formari, in vnum aliquid redigi: quoniam summè vnum est omnis formæ principium. Et appareat arida; idest speciem visibilem accipiat, atque à confusione distinctam. Et bene aqua congregatur, vt appareat arida, idest cohibetur, quòd fluitet mare, vt quod obscurum est illustretur. Et sic factum est.

Et de Genesi ad literam libro primo, capite tertiodecimo.

Et ideò quæri adhuc potest, quando Deus istas conspicuas aquarum, terrarumque species, qualitatesque creauerit: in nullo enim sex dierum hoc inuenitur. Itaque si hoc ante omnem diem fecit, sicut ante istorum primorum dierum commemorationem scriptum est; In principio fecit Deus Cęlum & Terram: vt in Terræ vocabulo, intelligamus iam formatam terrenam speciem, superfusis aquis ista iam visibili specie sui generis declaratis: vt in eo, quod sequitur Scriptura, dicens; Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei superferebatur super aquas, nullam opinemur informitatem materiæ: sed terram, & aquam sine luce, quæ nondum erat facta, suis iam notissimis qualitatibus conditas: vt ideò terra inuisibilis dicta intelligatur, quòd aquis cooperta non posset videri, etiam si esset, qui posset videre: Ideò verò incomposita, quia nondum à mari distincta, & cincta à littoribus, & suis fœtibus, animalibusque decorata. Si ergo ita est, cur istæ species, quæ proculdubio corporales sunt, ante omnem diem factæ sunt? Cur non scriptum est; Dixit Deus: Fiat terra, & facta est terra? Item dixit Deus; Fiat aqua, & facta est aqua? vel vtrunque communiter, si vnà quasi lege loci infimi continentur: Dixit Deus; Fiat terra & aqua; & sic factum est.

Et libro secundo, capite vndecimo.

Hic itaque breuiter admonemus, vt quem fortè non mouet quærere, quando species aquarum, terrarumque creata sit, accipiat isto die non esse factum, nisi vt secernerentur hæc duo elementa inferiora. Quem verò mouet, cur in diebus facta sit lux & Cęlum, extra dies autem, vel ante omnes dies aqua, & terra; & cur ad Dei verbum facta sint illa, dicente Deo, Fiat: hæc autem dicente quidem Deo discreta, non autem Deo dicente facta inueniantur: habet quod salua fide intelligat, scilicet id quod dictum est ante enumerationem dierum, Terra erat inuisibilis & incomposita, cùm commendaret Scriptura, cuiusmodi Terram fecerat Deus, quia prædixerat; In principio fecit Deus Cœlum & Terram: nihil aliud his verbis quàm materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse, eligens eam vsitatiùs appellare, quàm obscuriùs. Si tamen tardo intellectui non subrepat, vt materiam, & speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur duo hæc etiam tempore separare, tanquam prius fuerit materia, & ei, temporis interuallo interposito, postea sit addita species: cùm Deus hæc simul creauerit, materiamque formatam instituerit, cuius informitatem vsitato, vt dixi, vocabulo, vel terræ, vel aquæ, Scriptura prædixit. Terra enim, & aqua, etiam suis qualitatibus id existentia quod videmus, tamen propter facilem corruptionem propinquiora sunt eidem informitati, quàm cœlestia corpora.

Et contra Aduersarium Legis & Prophetarum libro primo, capite tertiodecimo.

Omitto quòd potest hic intelligi significatum esse, quòd informis illa materias aqua vel abyssi vocabulo insinuata sit, & species acceperit duorum istorum grauium elementorum, humoris, & humi: & ideò dictum esse; Congregetur aqua, quoniam labilis, & mobilis ei species data est; Appareat autem arida, quia immobilis, & fixa est.

EVCHERIVS in hanc proficiscitur Augustini sententiam, Commentarijs in Genesim libro primo, capite tertio.

Dixit quoque Deus; Congregentur aquæ, quæ sub Cęlo sunt, in locum vnum. Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in vnum? Sed iam superius dictum est, quòd super aquam ferebatur spiritus Dei; vnde erat Deus omnia formaturus. Nunc verò quum dicitur; Congregentur in locum vnum: hoc dicitur, vt illa materia corporalis formaretur in ea specie, quam habent istæ aquæ visibiles. Ipsæ enim congregatæ in vnum, ipsa est aquarum formatio harum, quas videmus, & tangimus.

BEDA Expositione in Genesim.

Quidam dicunt, si totum plenum fuit aquis, quomodo potuerunt aquæ in vnum congregari? Sed iam supradictum est, nomine aquarum materiam appellatam, vnde erat Deus omnia formaturus. Ipsa autem congregatio aquarum in vnum, ipsa confirmatio est in illam formam, quam videmus.

Et Quæstionibus supra Genesim ex Ambrosio hæc affert.

Breuiter tamen admonemus, vt quem fortè non mouet quærere, quando species aquarum, terrarumque creata sit, accipiat isto die non esse factum, nisi vt secernerentur hæc duo. Nam illud quod dictum est ante dierum enumerationem; Terra erat inuisibilis & incomposita, cùm cõmendaret Scriptura cuiusmodi Terram fecerat Deus: quia prædixerat; In principio creauit Deus Cęlum & terram. Nihil aliud his verbis intelligendum est, quàm materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse: si tamen tardo intellectui non subrepat, vt materiam, & speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur hæc duo etiam tempore separare.

Cæterum hæc, quæ Beda Ambrosio ascribit, Augustinianam omninò redolent doctrinam; nec cùm ijs, quę Ambrosius in Hexæmeron habet, conueniunt.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Congregentur aquæ.

a. Dictum est; Congregentur aquæ, & non Fiant, sicut dixerat, Fiat firmamentum; quòd imbecilliores sint formæ elementorum, quàm Cœlorum.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino.

Dixit verò Deus &c. In hoc die factum videtur, vt duo tantùm inferiora elementa secernerentur. De aëris tamen formatione intelligi potest, qui tunc primùm notam nobis formam accepit, cùm aqua, quæ aëris, & terræ spacium occupabat, in vnam terræ partem secessit. Ita in secundo, & tertio die, quatuor elementa in proprias formas videntur esse distincta.

ALEXANDER Halensis, parte secunda, quæstione quinquagesimaprima, membro primo, ab Augustino non discessit.

Respondet Augustinus contra Manichæos, quòd cùm dicitur; Congregetur aqua, quæ sub Cęlo est, in congregationem vnam: hoc dicitur, vt illa materia corporalis formetur in eam speciem, quam habent istæ aquæ visibiles: ipsa enim congregatio in vnum, ipsa est aquarum formatio istarum quas vidimus: omnis enim forma ad vnitatis regulam cogitur. Et quod dicitur, Appareat arida; quid aliud dici intelligendum est, nisi vt illa materies accipiat visibilem formam, quam habet nunc terra ista, quam videmus & tangimus? Superius ergo, quod nominabatur terra inuisibilis & incomposita, materiæ confusio, & obscuritas nominabatur; & etiam nominabatur aqua, super quam ferebatur spiritus Dei; eadem rursus materia nominabatur. Nunc verò aqua ista & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas, quas nunc videmus, acciperet.

a. Dictum est; Congregentur aquæ, & non Fiant, sicut dixerat, Fiat firmamentum; quòd imbecilliores sint formæ elementorum, quàm Cœlorum.

Pręfatam Augustini doctrinam consequitur hoc vnum aliud, quod ipse & sectatores eius adnotarunt, quorsum videlicet quando corpora cœlestia conflauit Deus, dixerit; Fiat: cùm autem compingit elementa, non dicat Fiat, vel appareat &c. id verò effectum fuisse tradunt, eo quòd elementorum imperfectiores, formæ tanquam imperfectius congestionis genus promerebantur.

D. AVGVSTINVS de Genesi ad literam, libro secundo, capite vndecimo.

Et quoniam per enumerationem dierum iam ex informi quæque formata numerantur, & ex ista corporali materia iam factum Cœlum narrauerat; cuius multum distat species à terrenis, iam quod ex ea formandum in rerum infima parte restabat, noluit sub his verbis in rerum creandarum ordinem inserere, vt diceretur, Fiat: non acceptura ista residua informitate talem speciem, qualem acceperat Cęlum, sed iam inferiorem, & infirmiorem, atque informitati proximam: vt his potius verbis, cùm dicitur; Congregentur aquæ, & appareat arida, acceperint hæc duo species proprias istas notissimas, nobisque tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem: & ideò de illa dictum est, Congregetur: de hac autem, Appareat: aqua enim est labiliter fluxa, Terra stabiliter fixa.

BEDA libro de sex dierum Creatione.

Quid est ergo, quòd non ait; Fiat arida visibilis, vel aqua congregata; nisi quia propinquiora sunt eidem informitati, quàm cęlestia corpora, vt de his per enumerationem dierum infirma rerum condiuntur. Ideò noluit inferri, vt similiter cùm superioribus fieri imperaret; sed congregatæ aquæ apparere per se infirma rerum iussit.

Et Quæstionibus in Genesim ea ipsa repetit.

GLOSSA Ordinaria quàm probè retulerit Augustini sententiam, audias: habebis mutuata etiam verba.

Et quoniam per enumerationem dierum ex informibus formata numerantur, & ex corporali materia iam factum Cœlum Moyses dixerat; cuius multum à terrenis species distat, quod ex ea formandum in infima parte restabat, noluit insolitis verbis inserere; vt diceret, Fiat, quia infirmiorem, & informitati proximam susceptu-

Congregentur aquæ.

a. *Educantur Aquæ ex rudi Chaos.*

Anno Mũdi primo. Die tertia.

susceptur um erat speciem, vt his verbis; Congregentur aquæ, & appareat arida, intelligamus hæc duo proprias formas accepisse nobis notas, & tractabiles: aquas scilicet mobilem, Terram immobilem. Vnde aqua congregatur, Terra apparet. Aqua enim labilis, & fluxa, Terra stabilis & fixa.

D. THOMAS parte prima, sexagesima nona, articulo primo, ad primũ, sic hanc Augustini doctrinam recensuit.

Dicendum, quòd secundum Augustinum ideò in opere tertiæ diei non utitur Scriptura verbo Factionis, sicut in præcedentibus operibus, ut ostendatur, quòd superiores formæ, scilicet spirituales Angelorum, & cœlestium corporum sunt perfectæ in esse, & stabiles: formæ verò inferiorum sunt imperfectæ & mobiles, & ideo per congregationem aquarum, & apparentiam aridæ, impressio talium formarum designatur. Aqua enim est labiliter fluxa, Terra stabiliter fixa, vt ipse dicit in secundo super Genesim ad literam.

ALEXANDER Halensis parte secunda, quæstione quinquagesima-prima, membro primo.

Ad primum dicendum secundum Augustinum, quòd non fuit simile de aquis & terra, sicut de luce, & firmamento: cùm enim factio ad speciem pertineat; lux autem & firmamentum speciem habeant valde distantem à materia informi: rectè voluit hoc per verbum Fiendi demonstrare, Aqua autem, & Terra licet species receperint in tertio die; tamen quia maximè accedunt ad materiam informem, quæ prius dicta fuit nomine Terræ vel aquarum: ideò voluit sub aliquo modo loquendi eorum facturam designare, dicendo; Congregentur, vt notetur, quòd prius erant in confusione; tunc autem distinguerentur: & sic in vnoquoq; iterum dierum, vna notaretur distinctio. Vnde August. super Gen. Acceperunt hæc duo species illas proprias, & notissimas nobis, & tractabiles; Aqua mobilem, Terra immobilem. Et ideò de Aquis dictum est; Congregentur aquæ: de terra; Appareat arida: Aqua enim est labiliter fluxa; Terra stabiliter fixa.

a. *Educantur Aquæ ex rudi Chaos:*

Patres, qui Chaos nõ potestate tantùm, sed re vera & origine ante elemẽta extasse cẽsuerũt, hac tertia die ex ipso manasse uel duo, vel tria, vel quatuor elemẽta tradiderunt.

NYSSENVS de Historia sex dierum, quibus Mũdus à Deo creatus est.

Præterito enim die secundo, rursus scitus & omnibus modis concinnus rerum factarum ordo, qui aquam à terra secernebat, Dei vox, & edictum dicitur. Verè enim quicquid eum sapientia, atque solertia fit, Dei oratio est, quæ non sonantibus quibusdam instrumentis distinguitur & exprimitur; sed per ea, quæ in apparentibus rebus existunt, miracula pronuntiatur. Nam cùm terrena qualitas adhuc cum humida natura commixta esset, cuius erat alterius, terram quidem suis consolidare qualitatibus, vt omnibus eius particulis ad res cognatas coactis, atq; compressis, per condensationem, & constipationem insitum ex ipsa exprimeret humorem: aquam autem à commixtione terræ separare, & circa se ipsam terræ cauernis cohibitam, & coërcitam colligare, & congregare? Quoniam igitur diuinæ reuera potentiæ, atq; solertiæ eiusmodi opus est; idcircò Moyses orationem Dei præcessisse miraculum dicit, imperatiuam quandam dictionem edentem: sed vt ego de hoc iudico, eam, quæ naturæ creationis insita est, rationem per hanc enuntiatiuam indicat dictionem. Dixit enim, inquit, Deus; Cogantur aquæ in loca congregationis earum, & conspiciatur terra arida. Vides necessarium ordinem naturæ, quomodo à terra abstracta aqua, arescit id, quod ab humore secretum erat? & quemadmodum humore non amplius luti in modum cum terra permixto, aqua necessario quibusdam alueis, & receptaculis continetur, ne fluxione suæ naturæ ad interitum redigatur, nulla re diffusionem eius coërcente?

ALBERTVS Magnus videtur proficisci in hanc sententiam prima parte de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, articulo tertiodecimo.

Dicendum ad primum, quòd tria sunt elementa grauia, scilicet terra, aqua, & aër. Quod patet, quòd remota terra, aër, & aqua descendunt in locum eius. Sed vnum tantùm est simpliciter graue, scilicet terra, cuius signum est, quòd ipsa per se, & in alijs descendit ad medium. Terra enim descendit per se ad centrum; & posita in aëre, & aqua, iterum descendit, sed non sic aër, & aqua. Aër enim positus in terra & aqua, ascendit; sed hæc duo elementa posita in igne, descendunt. Et ideò dicit Philosophus, quòd sunt leuia in alio, & gra-

& grauia in alio. Et hanc naturam accipiendo, distincta sunt media ab extremis. Vnde nihil aliud est congregare aquas in locum vnum, quàm dare eis naturam illam, quòd sint leues in terra, & sic ascendat ab ipsa; & graues in aëre; & sic descendunt ab ipso. Et hoc est etiam, quod dicunt Sancti, quòd ignis, & aër distincti sunt, quando aquæ recedentes ab igne, & aëre, sunt separatæ.

D. BONAVENTVRA Sententiarum secundo, distinctione quartadecima.

Dicendum quòd Scriptura distinctionem elementorum in his verbis valde explicat eleganter, si quis attendat: quia enim motus ad situm non est, nisi rei completæ, & habentis formam; nec aliud fuit aquas congregari in vnum, quàm ipsi elemento aquæ dando speciem vnam, & inclinationem ad locum speciei, simul debitum secundum existentiam formæ, & inclinationis ad situm dare locum congruum: & quia locus aquæ est immediatè esse circa terram, dum aqua congregatur, ab elementis superioribus, scilicet aëre, & igne separatur: ergo in congregatione aquarum tangitur per consequens distinctio aliorum duorum elementorum. Rursus, quia aquæ sunt natæ circundare terram; & si ex omne parte circuirēt terram, ad inhabitandum nobis, & animalibus apta non esset; ideò sic distinxit, vt in superiori superficie arida appareret. Rursus, si terra esset ab aqua omninò separata, ad germinandum non esset apta. Et ideò Deus sic arefecit terræ superficiem, vt tamen ipsius radicem aqua impleret, & per decursum fluuiorum etiam irrigaret. Et propter hoc tria dicit Scriptura. Primò, propter elementorum distinctionem, Congregentur aquæ in locum vnum. Secundò verò propter superficiei terræ denudationem, Et appareat arida. Tertiò propter irrigationem, quam ab aquis suscepit, vt germinare possit, dicit; Vocauit aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria.

LYRANVS in Postillis in secunda expositione.

Hic ponitur opus tertiæ diei, in quo distincta sunt elemēta per hoc, quòd ex illa parte materiæ, quæ remanserat adhuc sub forma communi, vt prædictū est facta sunt elementa in suis formis substantialibus, & proprietatibus consequentibus. In terra etiam factæ sunt aliquæ concauitates diuina virtute, in quibus receptis aquis apparuit pars terræ discooperta, & sic apparuerunt elementa in suis locis distincta.

TOSTATVS in Postillis in ea verba; Congregentur, &c.

Hic agitur de opere tertiæ diei; & sunt duo opera, scilicet, congregatio aquarum, & productio arborum: & istud opus est de distinctione materiæ elementalis: vnde licet solum fiat hic mentio de aqua & terra, tamen intelligitur de alijs elementis; quia tunc ignis, & aër facti fuerunt: sed quia nobis videri non possunt in suis sphæris, non expressit ea populo rudi, quia non erat intentio Moysi dare cognitionem illi populo de omni genere creaturæ, sed dicere, quòd Deus creasset omnia quæ erant; & quia ista solum esse putabant, cùm alia non viderent; ideò de ijs solis expressit.

Deinde mutata sententia, aquas non hac tertia die genitas, sed impertitum eis fuisse locum, & qualitatem ad ipsum impellentem, videtur asseruisse, cùm ait.

Et posset aliquis dicere, quòd elementa sunt distincta in suis substantialibus formis, quando dictum fuit, quòd firmamentum factum fuit, vt distingueret aquas ab aquis. Sicut ergo tunc aquæ superiores, idest Cęlum crystallinum factum intelligitur, licet solum dicatur, quòd fuit diuisum ab inferioribus aquis mediante firmamento: ita aquæ inferiores, quæ tunc à superioribus diuisæ narrantur, fuerunt distinctæ, & productæ in specie elementorum; licet manserit aqua super terram expansa vsque ad tertium diem. Et satis hoc conuenit literæ, quæ dicit; Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt. Quia præsupponit, aquas, quæ congregari debebant, iam extitisse, scilicet in præcedenti die secundo. Et satis mihi videtur ista positio rationabilis & consona textui. Communiter tamen dicitur, quòd aquæ, & alia elementa in tertia die facta fuerint: & posset esse ratio, quia Deus, cùm creauit aliquas creaturas, licet non immediatè ornauerit, quia illud extrinsecum est; tamen qualitates extrinsecas bene disponentes tribuit. Locus autem est aliquid consonum naturæ rei, & qualitas motiua ad locum; ideò videtur quòd à principio suæ productionis, aqua locum suum, & propriam qualitatem habuerit; sed non habuit ista vsque in tertium diem, ergo in isto die fuit creata: & tunc est dicendum, quòd creatio, siue productio aquarum, & congregatio in locum vnum fuerit simul. (In locum vnū) quia ante tota materia aquæ, vel ipsa aqua stabat expansa toti superficiei terræ sphæricę, & non congruebat hoc animalibus futuris, & graminibus.

AVCTOR.

Secundum diuersa Chaos genera, quæ sibi præfixerunt, atq; delinearunt Patres hi præstantissimi, & Doctores eruditissimi, diuersas etiam de genituris elemētorum proferunt sententias, diuersasq; de hac Mosis litera, Congregentur &c. produnt interpretationes. Augustinus, Eucherius, Beda, qui Mundum vnico momento manasse opinantur, eius autem emolitionem per dies sex enarratam secundum genera sex rerum productarum ab Angelis apprehensarum tradunt: non Chaos aliud supponunt quàm Angelum in sua puritate, & materiam primam, origine, & non tempore præextantem, quæ

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Congregentur aquæ.

a. *Aqua rariore, quæ vt nebula terram tegebat, se inspissante, & terra subsidente congregatę sunt aquæ.*

quæ duo describi etiam à Mose verbis illis; In principio creauit Deus Cœlum, & terram &c. diiudicant. Quamobrem & primæ diei opus cùm Angelicam formationem dicant, secundæ vero Cœlorum compactionem, certè & tertiæ diei opus non aliud proferre possunt, quàm elementorum congestionem. De aqua, & terra certè id clarè produnt, de aëre autem dubia videtur Augustini sententia: nam supra firmamenti nomine non tantùm corpora cœlestia, sed & aëris supernam illam partem, quæ nubibus nunquam obducitur, intellexisse visus est, vt referebamus. Quod si verum est, superam aëris partem secundo die prosilijsse, inferam verò hac tertia forsitan die effectā, productamq; fuisse, ex ipsius placitis asserendum est.

GLOSSA itaque sic rectè concludit ex ipsius doctrina.

Ita in secundo, & tertio die, quatuor elementa in proprias formas videntur esse distincta.

Ex quibus consequitur, quòd locus hic; Congregentur aquæ &c. interpretandus sit, Formentur, & secernantur duo inferiora elementa, aqua, & terra; ex qua formatione & aëris congestio intelligi potest. Tunc siquidem notam nobis formam aër suscepit, vt inquit Glossa, cùm aqua, quæ aëris spatium occupabat, in unam terræ partem secessit. De ignis productione, quando videlicet manarit, nil quod viderim Augustinus tradit.

NYSSENVS autem, qui vnum rude Chaos, seu massam inconditam, atque incongestam primùm manasse arbitratur, cùm dictum est, In principio creauit Deus Cœlum & terram &c. ex ea verò elicitum fuisse ignem primo die densiorem, qui splendesceret, & rariorem, secundo vero die ex eo Cœlum conflatū: hac tertia tantùm die cætera tria manasse elementa, non potest profectò non asseuerare. De terra siquidem, & aqua dilucide id tradidit. Aëris autem conflationem prætermissam fuisse silentio uoluit, nec quando manarit, seu secundo, seu tertio die, explicat. Audias ipsum.

Nam quum omnis illuminatrix, & ignea natura, suis qualitatibus ab alijs secreta esset: aëris quidem conflatio, atque fabricatio silentio prætermittitur; quanquam par erat etiam de hoc, quum expositum esset, vt ignis emicuisset, secundo loco rationes naturales in medium afferre: propterea quod cognatio quædam ratione leuitatis ei cum ea, quæ in igni cernitur, leuitate intercidit: atque ita deinceps grauem tractare naturam. Sed ille de hac quidem ea, quæ dicenda erant, in medium adfert; de aëre autem dicere prætermittit; non quòd nihil conferat ad totius Mundi complexionem, nec quòd à vi elementorum secretus sit: sed quòd mollitie forsitan naturæ, atque facilitate cedendi, vniuscuiusque rerum capax est aër, in sese quasque res ostendens, non colorem proprium habens, non figuram, non superficiem, sed alienis cùm coloribus, tùm figuris inficitur, & informatur.

Scholastici Doctores, qui Chaos non ex elementis congestum, sed vna rudi forma conflatum fuisse asseuerarunt, hac die prodijsse elementa fatentur, vt Bonauentura, & alij, excepto Catherino.

Tostatus non sibi constat, & magis uidetur declinare in eam sententiam, quam secundo loco adducit, aquas scilicet secundo die esse enatas, tertia autem exufflante rapido spiritu, seu vento, exiccatas fuisse, adeò vt arida appareret. De his autem infra. Sed quemadmodum hæc Chaos genera non acceptata sunt, pariter nec illæ interpretationes admittuntur.

a. *Aqua rariore, quæ vt nebula terram tegebat, se inspissante, & terra subsidente congregatæ sunt aquæ.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro primo, capite duodecimo.

Quo

Quò ergo congregatæ sunt aquæ, si totam terram prius occupauerant; illæ scilicet, quæ detractæ sunt, vt terra nudaretur, in quam partem congregatæ sunt? Si enim erat aliquid terræ nudum, quò congregarentur, iam apparebat arida; nec totum abyssus occupabat. Si autem totum texerant, quis erat locus, quò colligerentur, vt terræ ariditas appareret? Nunquidnam in altum congregatæ sunt, sicut fit cùm ad ventilandum in area messis trita surrigitur, & congesta in aggerem nudat locum, quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit, cùm videat vsquequaque campos maris æqualiter fusos, qui etiam cùm aquæ fluctuantes quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur, Et si qua littora nudantur latiùs, non potest dici nulla esse alia terrarum spatia, quò accedat id, quod aliunde decedit; vnde in eum locum ex quo recesserat, iterum accedat. Cùm autem totam omninò terram vndosa natura cooperiret, quò cederet, vt nudaret aliquas partes? An fortè rariori aqua, velut nebula, terras tegebat, quæ congregatione spissata est, vt ex multis eas partibus in quibus arida posset apparere, nudaret? Quanquam & terra longè, lateque subsidens, potuit alias partes præbere concauas, quibus confluentes & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, vnde humor abscederet.

Et contra Aduersarium Legis, & Prophetarum libro primo, capite tertiodecimo.

Quid quòd etiam de aquarum congregatione ingerit nescio quis imperitissimus quæstionem; immo verò non quæstionem, sed reprehensionem, tanquam non rectè dictum sit; Congregentur aquæ in congregationem vnam, & appareat arida, eo quòd aquis omnia tenebantur: ignorans quemadmodum aqua in aëreos vapores tenuata rarescat, & nebulosa caligine multum occupet spatij: exiguum verò si congregata densetur, nec iam leuis volitet, sed grauis fluitet. Quid ergo mirum, si rara terram texerat, spissata nudauit? Quid si etiam diuino nutu in magnos sinus terra subsedit, atque ita quicquid naturæ humidæ per totum eius iacebat, in partes concauas confluens, recessit à cæteris, & quod operiebat aperuit, congregata in humiliora succumbentia, qua mare interflueret, & circumflueret, atque altiora deserens, qua orbis emineret?

IVNILIVS in Hexæmeron.

Si quis verò quæsierit, vbi congregatæ sint aquæ, quæ omnes terræ partes ad Cælum vsquequaque operuerant: sciat fieri potuisse, vt terra ipsa longè, lateque iussu Creatoris subsidens, alias partes præberet concauas, quibus confluentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, vnde humor abscederet. Potest enim non absurdè credi, maiores (sicut & supra commemorauimus) primarias fuisse aquas, quæ velut nebula terras tegerent, congregatione autem esse spissatas, quæ datis sibi locis capi possent, vt appareret arida in reliquis.

BEDA libro de Creatione sex dierum, duos præfatos modos ex prædictis Patribus recenset.

Vbi ergo congregatæ sunt aquæ, si totam terram prius occupauerunt; Illic scilicet, quò retractæ sunt, vt terra nudaretur. Et si aliqua pars antea arida apparebat, vbi congregari potuissent, non ergo totum abyssus occupauit, sed magis intelligendum est, aut in modum nebulæ prius aqua terram occupasset, aut terram longè, lateque obsidens, qua cauum locum præbuisset, vbi percurrentes aquas capere potuissent, vt appareret arida.

Et Quæstionibus in Genesim pariter paucis mutatis.

Si totam terram aqua tegebat, non erat locus vbi aquæ congregarentur, dum totam terram tegebat aqua. Et quomodo Scriptura dicit; Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum vnum; & appareat arida? M. Totam terram tegebat aqua, sicut rarissima nebula, quæ postea in vnum redacta, atque collecta est, vt possit terræ species apparere. Quanquam & terra longè, lateque subsidens, potuit concauas partes præbere, quæ confluentes aquas susciperent, vt arida appareret.

GLOSSA Ordinaria ex Beda.

Si quæratur, vbi congregatæ sunt aquæ, quæ omnes partes terræ vsque ad Cælum texerant? Potuit fieri, vt terra subsidens, concauas partes præberet, quibus fluitantes aquas reciperet. Potest etiam credi primarias aquas rationes fuisse, quæ sicut nebula tegerent terras, sed congredatione esse spissatas.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima.

Si autem quæratur vbi congregatæ sunt aquæ, quæ totum texerant spatium vsque ad Cælum, potuit fieri, vt terra subsidens concauas partes præberet, vbi fluctuantes aquas reciperet. Potest etiam credi primarias aquas rariores fuisse; sic vt nebula tegeret terras; sed congregatione esse spissatas, & ideò facilè in vnum posse redigi locum.

MAGISTER Scholasticæ historiæ, capite quinto.

Et potuit esse, vt aquæ, quæ totum aëris spatium o ccupabant vaporabiles, solidatę modicum obtineant locum; vel terra paululum subsedit, vt eas tanquam in matrice concluderet.

Dionysius Chartusianus in Genesim Enarratione vndecima, hæc non suppresso Patrum horum nomine memorat, & approbat.

HVGO Carensis verba etiam præfatorum Patrum mutuauit, cùm dixit.

Et potuit esse, vt aquæ, quæ totum spatium occupabant vaporabiles, solidatæ modicum obtineant locum; vel terra paululum subsedit, vt eas tanquam in matrice intra se concluderet.

AEGI-

Anno Mūdi primo. Dietertia.

Congregentur aquæ.

a. *Nebulę ex igne, aëre, & aqua commixtæ resolutione, aquæ conglutinatæ sunt in pelagis; igne, & aëre suis locis diffusis absque nouis terræ hiatibus.*

AEGIDIVS Hexæmeron parte secunda, capite vigesimoquarto, cùm eā opinionem, quæ aquas in aceruum vnum, adeò vt Mare multo altius esset terra, fuisse coactas astruebat, ea ratione impugnasset, quòd huiusmodi aquæ cōgregatio, vt potè cōtra naturam, miraculo tribueretur, miracula autem iuxta Augustinum in operibus sex dierum, vbi instituta est natura, admittenda non videntur, sic alium inducit modum.

Propter hoc est secundus dicendi modus, quòd congregatio aquarum non fuit nisi quædam inspissatio; quia aquæ primitus raræ, & nebulosæ, occupabant magnum locum, postea inspissatæ, occupauerunt minorem locum. Hoc est ergo quod ait Beda, quòd credi potest primarias aquas rariores fuisse, quæ sicut nebula tegerent terram; sed congregatione esse factas spissas.

Sed cùm id quoque non sufficere demonstrasset, Aqua enim sui ratione decupla est ad elementum terræ comparata, testante id Aristotele primo Meteororum, ubi ex pugillo aquæ decem fieri aëris asseuerat: propterea non potuisse aquam etiam conspissatam, non terram cooperire: adijcit.

Propter hoc est tertius modus dicendi de congregatione aquarum; vt ex hoc etiam soluatur difficultas de apparitione terræ, vt dicamus, quòd aqua non solum fuit congregata per alterationem, vt quia fuit inspissata, quod sine alteratione fieri non potuit, sed etiam fuit congregata secundum receptionem, quia fuit tota recepta in concauitatibus terræ, quæ sunt tantæ, quòd aquæ sic receptæ non possunt cooperire terram.

D. Thomas has duas memorat infra.

a. *Nebulæ ex igne, aëre, & aqua commixtæ resolutione, aquæ conglutinatæ sunt in pelagis; igne, et aëre suis locis diffusis absque nouis terræ hiatibus.*

Patres, qui Chaos ita effinxerunt, vt super terram tria superna elementa, aquam, aërem, & ignem, in nebulæ speciem conglutinata, Vniuersi spatium obruere existimarint, aquæ cōgregationem ex resolutione nebulæ in aquas ad voragines terræ confluentes effectam tradunt, puris igne, & aëre, suis in sphæris remanentibus.

HVGO Victorinus noster de Sacramentis Fidei libro primo, parte prima, capite vigesimo primo, præcipuus fuit huius sententiæ propugnator. Ita enim scribit.

Et dixit Deus; Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum vnum. Quantum ad literam spectat, locus vnus in quo congregatæ sunt aquæ, quæ sub Cęlo erant, Abyssus magna creditur, quæ ab ipso Mundi exordio in terræ corpore tantæ capacitatis facta fuisse putatur, vt omnium receptaculum aquarum esse potuisset. Nam aquarum natura in principio tenuis admodum, leuisque, & in modum nebulæ cuiusdam dispersa: postquam diuina virtute, & iussione, in vnam (vt ita dixerim) massam compingi quodāmodo, atque densari cœpit, ipso suo pondere deorsum vergens, in ima collapsa à terra excepta est: spatiumque illud, quod desuper vsque ad ipsum firmamentum occupauerat, serenum, purumque dereliquit. Ipsa quoque terræ superficies (aquis omnibus inter alueos suos conclusis) apparere cœpit. Primò quidem lutulenta & lubrica, nudaque, velut quæ germina necdum vlla protulisset, quibus vestiri & superduci potuisset.

Glossa Locupletata eam partem huius loci assumpsit, qua Hugo abyssum magnam ab exordio factam obtestatur.

RICHARDVS Exceptionum libro secundo, capite septimo.

Tertia die, iussu diuino, moles aquarum, quæ spatium illud, quod inter Cęlum & terram est, occupatum tenebat, deorsum versa in abyssum dependit; & sic aër in medio purus & serenus remansit.

Modus ille coactionis aquarum ab Augustino, Iunilio, Beda, Magistris, & alijs memoratus, sed præcipue ab Hugone, & Richardo celebratus, qui aquarum in æquoribus effectam fuisse conglutinationem, ex vaporeæ nebulæ, quæ Vniuersi spatium obruebat, dissolu-

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Congregentur aquæ.

a. *Aquarum delapsu præstito, marisq; elatione congregatæ sunt aquę.*

dissolutione asserebat, euidens, & approbatus est ijs, qui Chaos ita effingunt, vt tria superna elementa ad instar nebulæ commixta in Vniuersi spatium diffundi censeant; illis autem minime fiet acceptus, qui alia Chaos genera comminiscuntur: præcipuè ijs qui aquas fluidas terrā circumambire, atq; obtegere autumant, quòd potissimum asseuerare videntur literæ sacræ, & copiosa etiam Patrum acies interpretatur, Iuniliusq; ipse astruit. Quapropter dato aquas illas fluentes labentesq; fuisse, & non in nebulam seu vapores congestas: adhuc superest difficultas, qua serie facta fuerit aquarum congregatio, terræq; denudatio. Accedit, quòd Moses terram apparuisse aridam tunc tradat, cùm aquæ in vnum coactæ sunt. Porrò nebula illa, quanquam crassa, & obdensa, minimè terram obtegebat, nisi inquantum fortè lucem ad ipsam peruenire prohiberet.

De modo quo congregatæ sunt aquæ labentes.

Secundum eorum Patrum sententiam, qui Chaos illud primordiale ita effingebant, vt terram aquis circundari assererent, siue modo aquę illæ ad firmamentum vsque se extollerent, seù maiori solū affluentia, quàm in diluuio excrescerent; alii profectò modi sunt inuestigandi, quibus aquæ in locum vnum fuerint congregatę. Aquarum siquidē amplissima copia vndiq; terram operiebat, atque sub ipsis tanquàm thesaurus ingens latebat inuisibilis tellus, cænosaque eius facies vndique fluctuantibus vndis circumiactabatur: cùm summus opifex terram, quæ natura sua, vt grauissima omnium elementorum, & proinde medio axe librata, tota aquis subsidere deberet, vt viuentibus cunctis præcipue mortalibus prodesset, quibusdam in locis superferri aquis, ac supereminere iussit, aquas verò in imis ipsius visceribus constipari, ac latitare, seu in abyssum abire, & cogi mandauit. Dixit enim Deus; Congregentur, aquæ in locum vnum, & appareat arida. Sed percunctationem non leuem statim hoc Dei mandatum excitat: Quomodo scilicet illa aquarum coactio, terræque denudatio effecta fuerit. De his siquidem Patres varios deferentes modos, in plures sententias distrahuntur.

a. Aquarum delapsu præstito, marisq; elatione congregatæ sunt aquæ.

Verbis illis, Congregentur aquæ, &c. duo pręcepta tradita.

BASILIVS in Hexæmeron Homilia quarta, diuini huius præcepti, Cōgregentur aquæ in locum vnum, effectum perpendens, duo ea fuisse censuit. Primum quòd aquæ ad Dei vocem tunc labi, atque ad vnam confluere maris sedem inciperent, quo certe mandato vsque nunc labuntur aquæ, scaturiunt fontes, erumpunt aquarum venæ, fontes properant in fluuios, in freta currunt flumina, lacus effunduntur in maria, atque vndę se ipsas vrgent, & propellunt. Alterum quòd in mari ceu in propria sede considerent, adeò vt licet eminentiores terra, nunquam tamen ad eam operiendam profluerent, ac delaberentur. Primum explicat D. Basilius, cùm ex duabus difficultatibus, quas excitat, primam his proponit, & dissoluit.

Sed fortasse quispiam & illa quæsierit præter hæc; primum; Cur, quod secundum naturam competit aquæ, ferri inquam per decliuia loca, imaque petere, id ad opificis imperium Scriptura reducit? Quousque enim in æquo, planoque solo sita est aqua, stabilis est, quippè cùm haud habeat, quò defluat, aut permeet. Sed cùm prona loca fuerit atque decliuia nacta, protinus cùm antecedens præcesserit, ea quæ post ipsam continua est, sedem ipsius occupat: ea quæ sequitur illius itidem sedem: & ita delabitur quidem, quæ antecedit; sequitur autem,

autem, quæ accedit; atque tantò delatio fit celerior, quantò & pondus maius est eius, quod deorsum fertur, & loca ad quæ fit confluxio, magis concaua sunt. Hæc igitur si est aquæ natura, superuacaneum videri possit id imperium, quo iubetur in vnam cogi collectionem. Prorsus enim futurum fuerat, per naturæ illius ad ima delabentis propensionem, vel suapte sponte, vt ad omnium maximè concauum, & decliuiorem locum se conferret, defluuium illud suum non prius remoratura, quàm superficies æquabili planitie complanaretur. Neque enim vspiam conspicitur vlla campestris regio peræquè plana, vt ipsa aquæ est superficies.

Sic autem satisfacit ipsi difficultati.

Ad id igitur, quod priore loco quæsitum est, illud dicimus; Tu quidem optimè nosti, quæ fuerint motiones aquæ post dominicum præceptum, vt illa circunflua sit, nec consistens, vtque suaptè natura ad prona, decliuia, & concaua præceps deuoluatur loca. At sanè eadem quid prius obtinuerit virium, ante nimirum quàm cursus hic illi ingigneretur præcepto dominico, neque ipse nosti, sed nec certo audisti, qui nouerit. Cogita enim mihi tu vocem Dei effectricem esse naturæ, idque imperium, quod factum creaturæ tunc est, creatis deinceps omnibus ordine succedaneo consimilem, & operatoriam facultatem prærogasse. Dies & nox creata semel sunt, & ex illo tùm die ad vsque hodiernum, quum sibi alternis succedant, æquis tamen partibus non desinunt inter se dispertiri vices temporum. Congregentur aquæ. Iussa est currere natura aquarum, nec vnquam delassatur, eam ad cursum perpellente ingiter illo præcepto. Hoc sanè dixerim, ad fluxibilem respiciens partem aquarum. Sunt enim, quæ suapte natura fluunt, cuiusmodi fontanæ sunt, & fluuiatiles. Sunt contra, & aliæ collectitiæ, neque quoquā permeabiles. Atqui sermo de his mihi nunc est, quæ impetu quodam naturæ cientur, ac fluunt. Congregentur aquæ in congregationem vnam. Tibinè vnquam propter fontem, copiosam aquam eructantem consistenti incessit eiusmodi cogitatio? Quis aquam hanc cogit exilire è medijs terræ visceribus? quis festinè vt in vlteriora progrediatur, vrget vehementer? Quænam promptuaria, vnde depromuntur, tantum continet prouentum aquarum? Quis ille tandem locus, ad quem defluuio præcipiti contendunt? Quinam fit, vt hæ non deficiant, nec illæ interim expleantur? Scito hæc à prima illa Dei voce dependere. Illinc enim primaria ad cursum motio indita aquis est, & prærogata. Ad omnem de aquis commemorationem, primæ illius vocis immemor ne esto.

Alterum autem præceptum edisserit eo loco.

Congregentur aquæ. Oportebat eas decurrere, suum vt occuparent locum; dein locis sibi natura diffinitis restitutæ, in ipsis vt præsisterent, neutiquam vltra progressuræ. Quapropter iuxta Ecclesiastæ illius sententiā; Omnia flumina intrant in mare; & mare non redundat. Nam quòd fluant aquæ, Dei imperium caussa est: Ecclesi. 1. *maris itidem intra suos fines circumscriptio à primaria illa diuinæ legis sanctione pendet. Congregentur aquæ vnum in locum. Ne è locis, quæ ipsam susceperant, affluens fusim exundaret, transcenderet semper, atque ita ex alijs alia compleret loca, ac totam hoc pacto continentē terram stagnantibus tandem vndis, & alluentibus inuolueret, iussa est in vnum se colligere locum. Idcircò furens ventis sæpenumero mare, atque ad immensam altitudinem sese attollens vi fluctuum, vbi littora solùm attigerit, eo impetu mox in spumam dissoluto, retrolabitur. An me non timebitis, dicit Dominus; qui posui arenam terminum mari? En mare, res* Hierem. 5. *planè sua vi intoleranda, re tamen omnium inualidissima, nempè arena frenatur, ac coërcetur. Alioqui, quid prohiberet mare rubrum sua exundanti alluuie irrumpere in vniuersam Aegyptum, quæ ipso mari tanto est concauitate depressior, seque mari, quod Aegypto adiacet, coniungere: nisi Creatoris precepto, tanquam compedibus astrictum coërceretur? Etenim Aegyptus, quòd sit mari rubro humilior, vel illi nobis re ipsa persuasere, qui connixi sunt maria hæc, Aegyptium inquam, & Indicum, cui permiscetur rubrum mare, inter sese committere, & alterum alteri coniungere. Quamobrem destitere à tanto conatu, Aegyptius ille Sesostris, qui primus id est aggressus, Darius item Medus, qui secundum hęc voluit persequi rem tantam, & supremam operi admoliri manum. Hæc eò mihi dicta sint, vt nobiscum reputemus, quàm efficax, & operatoria vis sit diuini illius præcepti; Congregentur aquæ in locum vnum, idest nulla post hanc alia congregatio fiat; sed in prima hac collectione, quæ in vnum confluunt permaneant.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite secundo, hæc duo pariter edisserit, narratione, vt assolet, Basilio conformi. De primo.

Iterum quoque quæstiones alias afferunt, dicentes; Si in congregationibus diuersis aqua erat, quomodo si illæ congregationes in superioribus erant, non deffluebat aqua in eum locum, ad quem postea Domini imperio deriuata est? Natura enim aquarum spontè in inferiora prolabitur. Sin verò in inferioribus erant illæ congregationes, quomodo contra naturam suam, aqua ad superiora conscendit? Itaque aut secundum naturales cursus imperio non eguit: aut contra naturam imperio proficere non potuit. Cui quæstioni facilè respondebo, si mihi ipsi ante respondeant, ante præceptum Domini hanc aquarum fuisse naturam, vt laberetur, & flueret. Non enim ex vsu hoc habet cæterorum elementorum, sed speciale, & proprium: non ex quodam ordine, sed magis ex voluntate, & operatione Dei summi. Quid iusserit Deus, audiunt; Vox autem Dei; efficiens naturæ est. Eam vocem effectus operationis impleuit. Cœpit labi aqua, & in vnam confluere congregationem, quæ ante erat diffusa per terras, & plurimis receptaculis inhærebat. Cursum eius ante non legi, motum eius ante non didici; nec oculus meus vidit, nec auris audiuit, Esaiæ 64. *Stabat aqua diuersis locis, ad vocem Dei mota est. Nonne videtur, quia naturam ei huiusmodi vox Dei fecit, & secuta est creatura præceptum, & vsum fecit ex lege? Primæ enim*

enim constitutionis lex, formam in posteros dereliquit. Denique semel diem fecit, & noctem. Ex illo manet vtriusque successio, & diuturna reparatio. Iussa est etiam aqua currere in congregationem. Ex illo currit, fontes labuntur in fluuios, in freta currunt flumina, lacus deriuantur in maria: ipsa se aqua præcedit, vrget, & sequitur. Vnus est ductus, vnum corpus. Et cùm sit altitudo diuersa, indiscreta tamen dorsi eius æqualitas. Vnde & æquor appellatum arbitror, quòd superficies eius æqualis sit.

Prosequitur deinceps, id non fuisse Dei potentiæ difficile demonstrare, tùm exemplo virium Naturæ, qua fontes ex inferioribus scaturiunt, tùm artis etiam ingenio, qua aquas tantùm ascendere, quantum descendunt, artificis industria conspicimus, tùm denique rerum gestarum à Deo experimento, qui eduxit aquam de petra, sedauit æquora, immisit, & siccauit diluuium, Rubrum mare vento aperuit, ferrum aquæ supernatare etiam Propheta Dei virtute iussit, & Christus ipse mortuum Lazarum suscitauit. De secundo autem.

Dicendo autem, Congregetur, non solum mouit eam de loco, sed etiam statuit in loco, vt non præterflueret, sed maneret. Hoc vtique maioris miraculi est, quomodo omnes congregationes, in vnam congregationem confluxerint, & vnta congregatio non adimpleta sit. Nam & Scriptura hoc inter mirabilia constituit, dicendo;
Eccle. 1. *Omnes torrentes eunt in mare, & mare non adimpletur. Vtrunque igitur ex præcepto Dei, vt & fluat aqua, & non superfluat. Circumscripta igitur imposito fine maria clauduntur, ne superfusa terris inundent omnia, & destituto aruorum cultu, munus terrenæ fœcunditatis impediant. Cognoscant igitur diuini esse præcepti,*
Iob 38. *operationisque cœlestis. Ait enim Dominus per nubem ad Iob inter alia etiam de maris claustro; Posui ei fines, apponens claustra, & portas. Dixi autem ei, Vsque huc venies, nec transgredieris, sed in te ipso conterentur fluctus tui. Nonnè ipsi videmus mare frequenter vndosum, ita vt in altum fluctus eius tanquam mons aquæ præruptus insurgat, vbi impetum suum ad littus illiserit, in spumas resolui, repagulis quibusdam*
Hierm. 5. *arenæ humilis repercussum, secundum quod scriptum est; Aut non timebitis me, dicit Dominus, qui posui arenam fines mari? Infirmissimo itaque omneum vilis sabuli puluere vis maris in tempestate cohibetur, & velut habenis quibusdam cœlestis imperij, à præscripto sibi fine reuocatur, violentiique æquoris motus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur. Cæterum nisi vis statuti cœlestis inhiberet, quid obstaret quin per plana Aegypti, quæ maximè humilioribus iacens vallibus campestris asseritur, mare rubrum Aegyptio pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt hæc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere: Sesostris sanè Aegyptius, qui antiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris contuitu potentiæ in effectum voluit adducere, quod ab indigena fuerat ante tentatum. Quæ res indicio est, quòd superius est mare Indicum, in quo mare rubrum, quàm æquor Aegyptium, quod inferius alluit. Et fortasse ne latiùs se mare effunderet, de superioribus ad inferiora præcipitans, ideò molimina sua Rex vterque reuocauit.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim, in consimilem videtur declinare sententiam, cùm aquas, quę prius terram obtegebant, iussione Dei in unum locum coactas declarat.

Congregentur aquæ &c. Vide hic, obsecro dilecte, ordinem & consequentiam optimam. Quia dixerat in principio; Terra erat inuisibilis & inculta, eò quòd tenebris & aquis obtegebatur: & deinde iussit die secundo, vt esset firmamentum, quod aquarum separationem faceret, vocauitque firmamentum Cęlum: nunc iterum docet nos, quòd præceperit in die tertio aquæ, quæ sub Cęlo, hoc est, firmamento, vt in vnam congregationem conueniat, & faciat apparere locum aridæ. Et factum est sic. Quia enim omnia impleta erant aquis, iussit in vnam congregationem aquarum multitudinem concedere, vt sic appareret arida. Vide quomodo paulatim illius nobis pulchritudinem, & ornatum ostendit. Et factum est, ait, ita: quomodo? Sicut præceperat Dominus. Dixit solum, & opus subsequutum est. Hoc enim peculiare Dei est, vt secundum voluntatem suam facturas suas moderetur. Et congregata est, inquit, aqua quæ sub Cœlo, in congregationes suas, & apparuit arida. Quemadmodum de luce dictum, quòd cùm essent vndequaque tenebræ, iusserit produci lucem, & separationem fecerit lucis, ac tenebrarum: & hanc tribuerit diei; istas verò nocti: Similiter dictum, quòd cùm produxisset firmamentum, aquarum alias superiorem locum occupare, alias autem sub firmamento esse iusserit: sic & nunc illas ipsas aquas, quæ sub firmamento erant, in vnam congregationem iubet coire, vt appareat arida; & tunc huic etiam suum nomen imponat: sicut de luce, & tenebris dictum est. Congregatæ enim sunt, ait, aquæ, quæ sub Cęlo, in congregationes suas, & apparuit arida.

CYRILLVS Alexandrinus in Genesim libro primo, consimilia tradit.

Creatis igitur primùm Cęlo & terra, deinde aquarum copia in locum vnum contracta. (Parere enim necesse fuit illi dicenti; Congregentur aquæ in locum vnum) terra subinde detegebatur, & herbarum ita varia specie exornabatur.

PROCOPIVS Gazæus Commentarijs in Genesis caput primum.

Si aquæ quasi proprium est, vt fluat, quid sibi vult iussus diuinus? Nam sua sponte tandem ad loca cauernosa terræ se recepisset. Præterea cùm concauitates fuerint aquis obtectæ, humore totam obruente terram, quomodo quiuit aqua ad eas confluere, cùm prius aquis fuerint refertæ? His obiectionibus respondebitur in hunc modum; Fortassis aquæ natura non extitit fluida prius, sed fuit stabilis & concreta. Cæterum manandi vim demum

Congregentur aquæ.

a. *Tertia etiam subsidente, voraginesque præbente, effecta est labentium aquarum congregatio.*

Anno Mũdi primo. Die tertia.

demum nacta est ex iussu, & imperio Dei. Et post. *Præterea hoc quasi peculiare est aquis, vt currant in mare, huicque incubent. Et si quando feruoribus Solaribus in altum rapiantur, vt continuò descendant, & mari iterum applicentur: quod quidem Ecclesiastes euidenter docet hisce verbis; Omnia flumina vadunt in mare, & mare ipsum non impletur. Alibi quoque inquit Scriptura; An me non timebitis, dicit Dominus? aut à facie mea non contrimiscetis? qui posui arenam terminum maris in statutum perpetuum, nec transibit eum. Ni enim diuina prouidentia intra præstitutos terminos maria continuisset, profectò mare rubrũ vniuersam Aegiptum, cuius situs humilior est illo, aquarum inundatione deleuisset.*

Ecclef. 1. Hier. 5.

D. THOMAS parte prima, quæstione sexagesima nona, ad secundum, tres recenset sententias, atque hanc probabiliorem asserit, non attamen ad labendũ pro cliuitatẽ humidæ substantiæ tunc impertitã fuisse fatetur, vt præfati Patres autumabãt.

Art. 1.

Tripliciter respondetur; Vno modo, vt aquæ in maiorem altitudinem sint eleuatæ in loco vbi sunt congregatæ: nam mare est altius terra, vt experimento compertum est in mari rubro, vt Basilius dicit. Secundò, vt dicatur, quòd rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione densata est. Tertio modo, vt dicatur, quòd terra potuit aliquas partes præbere concauas, quibus confluentes aquæ reciperentur. Inter quas, prima videtur probabilior.

Catherinus Enarratione in caput primum Geneseos, non tantùm hanc approbat sententiam, sed mordicus aduersus Caietanum tuetur, rationesque eius totis viribus elidere nititur.

Ex quibus visi sunt hi Patres, & Doctores arbitrari, mare esse altius terra, seu superficiem conuexam aquarum altiorem esse, atque eminentiorem montibus, & ipsa terræ planitie, Chrysostomo, & Cyrillo exceptis, qui id non explicatè tradiderunt.

a. *Terra etiam subsidente, voraginesq; præbente, effecta est labentium aquarum, Congregatio.*

Patres ferè omnes sicuti non vnicam congregationis aquarum caussam reddunt, ita & in hoc consentiunt, ut congregationem huiuscemodi non sine substrata tellure, specusque, atque scissuras in vtero suo exhibente, effectam perhibeant.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta, quòd pariter subsidente terra, ea aquarum coitio effecta fuerit, his edocuit.

Nemo proinde dicat; Si aqua terræ superficiem operiebat, prorsus consequi videtur, omnes omninò concauitates, quæ nunc maria susceperunt, refertas fuisse aquis. Quò igitur aquæ properabant sese vnum in locum collecturæ, concauis omnibus præoccupatis? Huic enim ipse dixerim, tum receptacula earum aquarum capacia ab opifice eam ad rem exceptandam adornata fuisse, cùm in vnam coitionem cogendæ venirent, & secernendæ. Neque enim erat iam mare illud, quod trans Gades est externum: non item vastum illud & nautis inaccessum, & formidabile pelagus, quod Britannicam insulam, occiduosq; Hiberos amplectitur: sed amplo tunc, capaciq; conceptaculo præcepto Dei creato, ad illud aquarum copiæ concesserunt.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite tertio.

Nunc quia de vna collectione diximus, illud occurrit, vtrum cùm per omnem ferè terram, & super terrã fuerint diffusæ aquæ per vallestria agrorum, concaua montium, planitiemq; camporum, modo æquoris fusa congregatio vna potuerit omnes illas aquas recipere, atque exinanire terras, quæ antè fuso per vniuersum flumine stagnabantur. Nam si tunc operta erant omnia, non diceret, visa est terra, nisi retectã vellet locis omnibus demonstrare. Si Diluuium Noè tempore abscondit & montes, quando aquarum iam & super Cœlos & infra firmamentum fuerat facta discretio, quantò magis dubitari non potest, etiam montium vertices illa superfusione latuisse? Quò igitur illa omnis aquarum redundantia deriuata est? Quæ receptacula eam tam continua, atque connexa absorbere potuerunt? De quo multus nobis potest sermo suppetere. Primùm, quia potuit Creator omnium, & ipsarum terrarum spatia diffundere: quod aliqui ante nos confirmantes, propria posuerunt senten-

Anno Mũdi primo. Dies tertia.

Congregentur aquæ.

a. *Aquarum in suam sphæram diuersam à terræ sphæra redactione, facta est ipsarum congregatio.*

sententia. Ego, quid facere potuerit, nunc prætermitto: quid fecerit, quod apertè Scripturarum auctoritate non didici, quasi secretum prætereo, ne fortè etiam hinc alias sibi quæstiones requirant. Assero tamen secundum Scripturas, quia potuit locorum humilia, & camporum aperta diffundere, sicut ipse ait; Ante te ambulabo, & montes planos faciam. Potuit etiam ipsa aquarum vis profundiora ea facere, quæ insederat, tanto fluctuum motu, tantoque æstu concitatoris elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, & arenas verrere soleat de profundo. Esa. 45.

SEVERIANVS sinus maximos tunc conscissos fuisse perhibet.

Congregetur aqua; Et vbi nam congregata est? nunquid in mari? Vbi igitur congregata est? Nondum erant concaua montium, sed simul ac Deus dixit; Congregetur aqua, terra scissa est, sinus fecit, id quod & insulæ, & montes, qui interiacent, satis testantur.

DAMASCENVS de Orthodoxa Fide libro secundo, capite nono.

Diuino igitur iussu concauitates in terra factæ sunt; & sic in congregationes suas conueniunt aquæ: Hinc etiam & montes facti sunt.

Et capite decimo.

In principio autem (Scriptura dicit) terra cooperiebatur ab aquis, & erat inculta, & absque ornatu, cùm præcipiente Deo, aquarum receptacula facta sunt. Et tunc montes extarunt, & diuino præcepto proprium terra suscepit ornatum, omnigenis herbarum, & plantarum varietatibus decorata.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim capite primo.

Ad hæc congruè dicetur, vt vtranque dubitationem propulsemus, aquæ receptacula simul cum imperio diuino esse excauata: præsertim tamen maxima aquarum receptacula, quæ maris nomen repererunt, ad eum modum parata sunt. Si quæ extabant concauitates minores, hæ ampliabantur iussu diuino, vt aquæ, quæ inundabant prius vniuersam terræ superficiem, ex locis planis in eas decurrere possent.

Lyranus in Postillis idipsum autumat, vt mox deducemus.

TOSTATVS pariter.

Ad istam congregationem aquarum, Deus fecit magnas quasdam cauernositates, & profunditates in terra, ne si terra plana esset, aqua super totam terram efflueret.

D. Thomas parte prima, quæstione sexagesimanona, articulo primo, ad secundum, tertio loco hanc recenset expositionem.

Mirifico igitur consensu conueniunt Patres hi cuncti, atque Doctores, Basilius, Ambrosius, Procopius, D. Thomas, ad congregationem aquarum duo concurrisse, Maris elationem, & Terræ substrationem. Alij connectunt cum terræ conscissione alias caussas. Lyranus cum aquarum condensatione, Tostatus cum earum exiccatione per ventum validum effecta, simul terram subsedisse edocent, vt mox referemus.

a. *Aquarum in suam sphæram diuersam à terræ sphære redactione facta est ipsarum congregatio.*

Burgensis in Additionibus non tantùm aquas lapsu coactas esse, & in æquoribus supra terram elatas fatetur, vt Patres asserti censuerunt, sed singulari, nupera, commentitiaq; fortè sententia, aliã sphæram à terræ sphęra diuersam, & eminentiorẽ suscepisse arbitratus est. Argumentum sui placiti hoc est. Cùm prius vnum esset centrum terræ, Vniuersi, & aquæ, vnaque sphæra: hac Dei iussione, Congregentur aquæ, effectum est, vt terra denudaretur secundum aliquas partes in viuentium gratiã, & vt aqua aliud centrum susciperet à centro terræ, & Vniuersi discretum, (quod fortè centrum est lunę) in terræ sphæra secundum partem insertum. Eximius enim hic Doctor tres impugnat sententias, contendens primùm non potuisse terram tãtas aperire, exhibereq; voragines, quanta

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Congregentur aquæ.

a. *Aquarum maiori obdensatione facta est ipsarum congregatio, Terra concauitates etiam præbente.*

quanta erat amplitudo immensa aquarum, cùm aqua longe maiori quàm terra sit prædita vastitate, ea de caussa, quòd in decuplũ ex elemẽtorum ratione super terram excrescere decernẽdum sit. Amplius nec potuisse ex condensatione ad minorẽ redigi amplitudinem; quoniam id contra Vatis est testificationem, qui scripsit; Congregentur aquæ, & non condensentur. Deinde nec terrestres aquæ cæteris aëreis densiores experiuntur. Tandem quoniam aqua semper excedit terræ quantitatem. Præterea, nec potuisse aquas in mare cogi, adeò vt in maiorem à terra eueherentur altitudinem, cùm Scriptura de aquis ad mare properantibus, eas descendere omninò contestetur, nec aqua vt fluida consistere in aceruum possit, & rotunditas aquæ physicè demonstrari queat, & omnes aquæ partes eandem ad centrum propensionem obtineant, nauigantesque hemisphæria semper plana conspiciant.

BVRGENSIS itaque aliorum sententijs impugnatis, sic tandem suam prodit.

Pro quo attendendum est, quòd sicut terra secundum Astronomos & Philosophos, est in medio Vniuersi, tanquam eius centrum; & est rotunda, seu sphærica, cuius centrum est idem centro Vniuersi: prout demonstratiuè probatur in vtraque scientia prædicta, sicut elementum aquæ ratione pari de sua natura est rotundum, seu sphæricum; cuius centrum est idem in sua prima productione cum centro terræ, seu Vniuersi: sed oportuit terram esse discoopertam ab aquis secundum aliquas partes sui propter necessitatem ignis, scilicet propter habitantium animalium, & huiusmodi. Sapientia autem diuina (quæ disponit omnia suauiter) sic disposuit, vt elementum aquæ seruando suam rotunditatem naturalem, haberet centrum separatum à centro terræ & Vniuersi. Secundum Astronomos, qui motus sydérum diligenter inuestigarunt, centrum quorundam orbium Planetarum est separatum à centro Vniuersi; vnde apud eos tales orbes dicuntur eccentrici, seu egressæ cuspidis, vt in quarto Almagesti, & in alijs locis illius libri pertractatur. Quæ quidem diuersitas, seu distantia vtriusque centri, scilicet terræ & aquæ, ab inuicem, sic à Deo fuit disposita, vt inde sequerentur quinque ad propositum pertinentia.

Quinque autem, quæ consequi asserit, hæc sunt. Primum quòd aquæ cunctæ ad suũ centrum æquam deinceps haberent propensionem, ad ipsumque defluerent. Alterum, quòd aqua eas denudarit terræ partes, quas ex dispositione distantiæ vtriusq; centri ab inuicem detegi contingit. Tertium, quòd aquæ in gyro vallatæ sint, seu circuitu sphærico. Quartum, quòd maris, & terræ confinia, æqualis effectæ sint altitudinis; sed mare in medio eminentius terra extumuerit. Ex quibus quintum consequitur, quòd à terra ad mare descendi dicatur. Pluribus autem auctor hic prosequitur nuperum istud excogitatum declarare. Consulas prolixam huius Doctoris narrationem.

a. *Aquarum maiori obdensatione facta est ipsarum congregatio: Terra concauitates etiam præbente.*

Existimant alij, quòd ea amplitudo immensa aquarum potuerit condensatione congregari, adeò ut cùm rariores immensum occuparent locum, ac terram vndique obtegerent, concretæ condensatæque in angustos Oceani terræque sinus redigi potuerint: videnturque asserere Doctores hi, aquas illas non fuisse ante in uaporem suspensas, sed fluentes, nondum eadem densitate præditas, qua nunc esse conspectantur.

IVNILIVS aquas eas priscas rariores fuisse, consimulque fluidas, his videtur contestari.

Præsertim cùm multo rariores, quàm modo in terris videre solemus, aquæ in principio fuisse factæ credenda sint, priusquam in locum essent vnum, vt apparerent, congregatæ.

LYRA-

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Congregentur aquæ.

a, *Aquarum absumptione per ventum validum, detecta est terra, & æquora apparuere.*

LYRANVS in Postillis.

Hic consequenter describitur opus tertij diei, quo distincta sunt elementa: quæ distinctio facta est per hoc, quòd aqua prius producta in forma substantiali, vt prędictum est, accepit tunc à Deo debitam densitatem: & sic occupauit minorem locum aëris spatium dimittendo: & per hoc, quòd virtute diuina factæ sunt concauitates in terra, vbi recepta est pars aquarum: & sic apparuit pars terræ discooperta aquis, ad habitationem hominum, & animalium; & sic fuerunt elementa distincta in locis sibi debitis.

CAIETANVS clariori enarratione id tradit.

Congregatio aquarum non significat purum localem motum (Elementum siquidem aquæ non erat dispersum per partes à seinuicem separatas, quemadmodum multitudo militum dispersa congreganda est; sed integrum elementum ex omnibus sui partibus, continuum, ac sphæricum erat in suo naturali loco) sed significat motum alterationis, quo aquæ condensatæ sunt, & ex raris factæ sunt densæ: ac per hoc per modum congregationis occupauerunt minorem locum relinquentes multas sui loci partes, quas occupauerunt partim aër mixtus, qui penes nos est, & partim eleuatæ quædam partes terræ. Tacet siquidem Moses eam, quæ comitata est, eleuationem partium terræ, in qua eleuatione facti sunt montes. Ex his siquidem duabus causis effecta est congregatio aquarum; ita vt appareat terra pro vegetabilibus, & animalibus terrestribus. Et quamuis Moses non explicet istas caussas, explicando tamen vtrunque effectum, videlicet congregationem aquarum, & apparitionem terræ, immo congregationem aquarum ad hoc, vt appareat terra, manifestando (poterant siquidem condensari aquæ absque apparitione terræ, puta si sphæricè fuissent densatæ singulę partes in proprijs quibus erant locis) insinuat implicite horum ordinatorum effectuum caussas prędictas. Nec propterea intelligas prius tempore fuisse caußas, quam effectus: sed quemadmodum prius natura abyssi obscuritas pręcessit lucem in primo die, ita alteratio aquarum, & terra, pręcessit congregatas aquas non tempore, sed natura. Nec intercesserunt motus alterationum, & locales, sed Deus fecit effectus motuum sine ipsis motibus medijs. Et quemadmodum dicimus, quòd Deus est ęternus, quia est immutabilis, non significando, quòd ęternitas diuina sit res caussata à sua immutabilitate, quum constet in Deo nihil esse caussatum, sed significando, quòd si ęternitas caussaretur, caussaretur mutabilitate: ita in proposito dicitur, congregationem aquarum, & apparitionem terrę esse propter condensationem aquę, & eleuationem terrę, quia si caussarentur naturaliter, caussarentur ab huiusmodi alterationibus aquę, & terræ.

PERERIVS in Genesim libro primo, hanc aquarum condensationem his declarat.

Dici enim potest, aquam prius habuisse densitatem naturaliter sibi conuenientem, sicut habuit & situm, & figuram, hoc autem tertio die fuisse magis densatam maxima ex parte, & sic minori loco contineri potuisse. Facit huic opinioni fidem ipsum mare, quod densius & crassius est, quàm aliqua quælibet aqua: itaq; densitas quã habet aqua naturaliter nunc generata, vt fontium, fluminum, imbrium est ea, quę naturaliter conuenit aquę, quæ minor est densitate maris.

a. *Aquarum absumptione per ventum validum, detecta est terra, & æquora apparuere.*

Non desunt ex ijs Doctoribus, qui spiritus Dei nomine aërem non quietum, sed concitatum quasi ventum, alterius tamen generis ab Euro, Notho, & similibus, vt potè quòd exhalatio non esset frigida, & sicca, seu vt malunt alij, calida, & sicca, sed aër purus, intelligentes; eique vim, atque munus exiccandi, non ex natura ipsius, sed ex celeri illa concitatione tribuentes, ipsum immensam eam aquarum affluentiam absumpsisse, terram exiccasse, opportunamq; viuentibus sedem parasse existimarint.

RABBI Salamon, referente etiam Lusitano præcipuus fuit huius rei assertor. *Est ergo locus iste ad literam reddendus. Et ventus, seu flatus Domini, idest à Domino immissus, mouebat*

Anno Mūdi primo. Dietertia.

Congregentur aquæ.

a. Aquis quampluribus ardentissimo Sole in aërem mutatis; reliquæ congregatæ sunt in æquoribus.

uebat se super aquas, aut super superficies aquarum, vt scilicet eas cogeret ad locum vnum, & terram exiccaret, ad hominum, & animalium habitationem; & vt herbas, & plantas ex se emitteret, quas aqua impediente non producebat.

TOSTATVS in Postillis præcipiti cursu in hanc sententiam labitur, dum inquit.

Siue ergo dicantur aquæ in secundo die factæ, siue in tertio, magis mihi videtur, quòd ante productæ fuerint quàm congregatæ; quia congregatio supponit existentiam. Et maximam confert ad hoc probabilitatem, immo necessitatem, id quod supra diximus, scilicet, quòd spiritus Domini ferebatur super aquas, idest ventus flabat super aquas ad diuisionem, vel saltem ad desiccationem.

Verùm, & hæc ipsa iam prius his declararat.

Postquam Deus distinxit quantum ad substantiam elementalem, ita quòd esset terra, & aqua: tamen adhuc manebat aqua supra totā terram: deinde congregata fuit aqua ad locum vnum voluntate diuina, vt patet infra. Mansit autem terra madefacta, & limosa: ideò induxit Dominus ventum vrentem, flantem scilicet Boream, & desiccauit terram: & iste ventus ferebatur super aquas separando, & disiccando aliquas remanentes in locis infimis, vel concauis. Et sic habetur Exodi decimoquarto capite, vbi dicitur, quòd quando Hebræi transituri erant mare rubrum, Deus induxit ventum, qui desiccauit, & abstulit aquas, scilicet; Cumq; extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrenti tota nocte, & vertit in siccum. Et post. *Item si arguas, quia dicitur in opere secundæ diei; Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum vnum, & appareat terra arida; ergo videtur, quòd inter diuisionem aquarum à terra, & apparentiam aridæ, non fuit mora. Respondetur concedendo, quòd postquam totaliter aquæ reliquerunt superficiem terræ nostræ habitabilis per ventum vrentem, immediate apparuit terra arida, quia ventus erat valde fortis, & vrens: vel quòd Deus sine vento separauerat aquas; & post per ventum desiccauit.*

a. Aquis quampluribus ardentissimo Sole in aërem mutatis; reliquæ congregatæ sunt in æquoribus.

STEVCHVS in Cosmopæia in primum caput Geneseos, censuit singulari, & noua sententia, Solem, quem præditum efficacissima, ardentissimaq; luce prima die productum autumat, aquas amplissima copia, & vastitate insueta exundantes in aërem transmutasse, terrasq; explicasse; adeò ut residuis aquis considentibus in immensis voraginibus terræ, Maria sint effecta.

Primam igitur diem fecit Sol creatus, ab excellenti, diuinaq; operatione lux appellatus. Pariter autem Solem fecit Deus, ac Sol fecit diem. Eo die, ac sequenti, à Sole simul concoctis vastis aquis, aër quem dicimus Cœlum, est creatus. Quod cùm eo temporis spatio Sol egisset, apparuere terræ Solis ardore sublatis supra terras aquis. Nam cùm toto Oceano hæc lampas superuecta, circumquaque omnem aquarum orbem exureret, ab altioribus locis, in depressiores aquæ considentes, terras vbiq; celsiores nudas reliquerunt.

AVCTOR.

Adsunt igitur modi sex, quos ego hauserim, quibus aquarum fluentium coactionē, terræq; detectionem effectam fuisse, Patres, & Doctores perhibuere; nempè Aquarum ad mare delapsu, marisq; elatione: Nouæ aquarum sphæræ congestione: Specuum, voraginū, cauernarumq; terræ exhibitione: Aquarum ampliore obdensatione: Earundem per uentum validum absumptione; Ac tandem ex vi efficacissima Solis ipsarum in aërem transmutatione. — Modi sex, quibus mare effectum traditur.

Verum vt ὕστερον faciamus πρότερον, modus quem Steuchus attulit extremo loco, penitus singularis, ac commentitius est, arduisque molestijs premitur. Primùm Solem non — Steuci sententia reprobatur.

primo die, ſed quarto conditum fuiſſe & Moſes conteſtatur, & Patres omnes grauiſſime edocent, & Eccleſia, vt ſupra demonſtratum eſt. Et qui primæuo omnium die proſilitum arbitrantur, vt D. Thomas, & alij, conſueta luce effulſiſſe conſtanter aſſeuerarunt. Quare prorſus ſola, fictitia, caligansque euincitur Steuci aſſertio. Deinde Deum ſummũ opificem nulla ſecũdarum cauſſarum, ſeù Solis ope, ſed vnica ſua virtute, ſex opera creationis patraſſe, omnes (excepto Steuco) decernunt. Amplius ſi tanta aquarum affluẽtia, quæ totum ſpatium à terræ ſphæra ad lunæ orbem explebat, in aërem verſa eſt, cùm ea ſit ratio tranſmigrationũ elementorum, vt ſi craſſius, & impurius, in leuius, puriusve commutetur, in decuplum ſuccreſcat, atque (vt aiunt Philoſophi) ex pugillo aquæ tan quàm craſſioris, puri aëris ceu rarioris decem pugilli efficiantur: quò conceſſit tantus aër? quò properauit? quò porrectus & expanſus eſt, ſi maiorẽ locũ nactus non eſt, quàm aqua antea obrueret, occuparetque? Rurſum aëris elementum totum ex aquis conflatũ fuiſſe, vniuerſus tam Philoſophorum quàm Theologorum cętus ſcitè inficiabitur: elementa ſiquidem etſi mutua corruptione inuicem ſecundum partem ſe gignãt & augeant, non tamen ſecundum totum; quod enim ſecundum totum gignitur, iuxta Ariſtotelis doctrinam, elementum eſſe non poteſt. Rurſum quis tanta & tam valida exurendi, torrendique vi Solem fuiſſe præditum cogitare poterit, vt trium dierum delapſu, vaſtiſſimam aquarum amplitudinem vſque ad orbem lunæ ſcandentem, atque pertingentem quiret abſumere, atque in aërem deportare? Quòd ſi id fuit Dei potentiæ munus, nũquid & ipſa non valuit abſque ardentiſſimi Solis miniſterio, & aërẽ gignere, & aquas congregare? Adijcias, poſtquam aquæ faciem telluris obruentes abſumptæ ſunt, deſtitit ne incepto Sol, atque ardorem ſuum flagrantiſſimum cohibuit & mitigauit? Si non; cur maria, lacus, flumina, fonteſque cunctos poſtea non abſumpſit? Si uero ardorem ſuum temperauit, ac tepeſecit, iam igitur non eiuſdem virtutis & vigoris, immo neque iſmet omnino Sol ꝑhibendus eſt. Deinde quis ardorem illum coërcuit? quis maximam illam exurendi vim repreſſit, vel retudit? Cæterum & Moſis litera huic ſententiæ prorſus refragatur. Tradit ſiquidem Moſes; Congregentur aquæ in locum vnum. Porrò ſi Solis exuſtione abſumptis aquis omnibus, quæ ſuper terræ mariſque faciem exundabãt, mare apparuit, iam non aquarum congregatione in vnum locum, ſed potius conſumptione, ſeù terræ denudatione effectum fuiſſe aſſeuerare poſſumus. Peregrina igitur, commentitia, ac parum Philoſophię Theologiæque placitis, Patribus, ac ipſi Moſi arridens hæc ſententia conſpicitur. Sententia ea, quæ venti validi efficacia, aquarum copiã exhauriri voluit, à Catherino, & alijs merito repudiatur atque reijcitur. Primùm quoniam Moſes conſtanter prodit aquas in locum vnum mandante Deo, non autẽ perflante uento, aut aëre ſeſe citiſſime commouente, propellenteque, ſeu ullo creaturarum miniſterio fuiſſe congeſtas. Deinde ſi aër cum cæteris elementis commixtus erat, adeò vt non inde eruperit, ſeù congregatus fuerit, niſi hac die tertia; quo pacto & ſimul crũpere, & aquas exiccare potuit? Inſuper quorſum ſapientiſſimus opifex citra aliquẽ uſum aquas adeò affluentes creauit, ut mox eas aboleret? Nunquid in materiam priſcã eas redegit; uel fortè etiam in nihil? Sapientiam certè diuinam hęc dedecent, obſcurant, ac ferè deturpant. Aquarum ingentem copiam maiori ipſarum obdenſatione potuiſſe in Occeanum cogi ac redigi, quemadmodum Lyranus, & Caietanus ſenſere, prorſus non inficior. Primùm enim id Deo poſſibile fuiſſe non eſt qui abnuat: deinde nec ab aquę natura ualde alienum erat, ſi tamen aquam prius denſitatem natura ſibi debitam detuliſſe perhibeamus, cùm formam conſequantur accidentia, tunc autem maiorem tantummodo obdenſationem aquam ipſam ſuſcepiſſe fateamur; denſiorem ſiquidem aqua aquam eſſe, & craſſiorem, experimento demonſtrat aquarum fontium, fluminũ, & imbrium ab aqua maris diſparitas, & diſſimilitudo. Verum non deſunt mihi plures coniectationes, quæ hanc obdenſationem repudiare compellunt. Primò confuſiſſima illa, & perturbata aquæ, ac terræ mixtura, qua Chaos illud cęnoſum obruebatur, ne aquas tunc puriores & rariores quàm nunc ſint, extaſſe aſſeram, uehementer deterret. Deinde adhuc lis ſub iudice eſt, Num aquæ maris ſalſedinem atque craſſitiem ſuã ſuis in natalibus, an poſt ex Solis exuſtione, ſeù alia de cauſſa obtinuerint. Nam licet Philo connatam fuiſſe aquis maritimis ſalſedinem edoceat: non deſunt attamen, qui exemplis

Lib. 5 Metaph. tex. 4.

Toſtati opinio refellitur.

Lyrani aſſertio reiicitur.

exemplis,&rationibus,mare primùm in sua genesi dulce,postea salsum sensim effectum fuisse non insulse demonstrent. Sed demus in ea inchoatione aquarum effectam fuisse quandam earundem conspissationem,dubitare tamen possumus, num adeò efficax ingensque fuerit, vt ea tam vasta aquarum moles terræ specus (si quæ aderant) explens, & vndique terram excelsa amplitudine alluens,in telluris viscera, & cauernas, redigi quiuerit. Altera sententia,quæ Dei virtute, seu fluctuum Dei iussu concitatorum confractione, terram multis in partibus subsedisse,profundos subterraneosque specus, atque meatus, valles,uoraginesque aperuisse, ac protulisse tradit,meo iudicio tantã verisimilitudinem gerit,ut meritò repudiari minimè queat; si tamen cum alijs connectatur modis.Nam acceptata est hæc sententia à Patribus ferè cunctis, Basilio, Ambrosio, Augustino,Iunilio,Procopio,Strabo,Magistro,D.Thoma,& pluribus. Deinde euincit idipsum vox Hebræa Kaua,quã Latinus interpres vertit, Congregentur. Kaua nanque propriè uoraginem seu locum cauum, ac profundũ significat, ut uoraginis ac profundi specus ope,aquarum congregationem effectam intelligeremus. Quòd autem voragines, abyssosq; , & profundas scissuras, seu specus exhibuerit terra hac ipsa die, & non suæ creationis initio,seu in diluuio Noëtico,ut alij sensere, & qua terræ conscissione id actum sit,infra enucleatius perpendemus. Burgensis singulare placitum omnibus ferè uisum est fictitium,nec immeritò, si quis attentius illud excutiet. Primùm duplex esse grauitatis centrum,aliud terræ, & Mundi, aliud aquæ, futile est commentum; ratione enim agnoscimus, quòd quemadmodum una est ratio grauitatis in Vniuerso,ita & vnicum Mundi, grauiumque omnium operæpretium sit centrum statuere: experimento enim animaduertimus cuncta grauia,& ponderosa ad unum Mundi centrum pari gressu properare. Deinde cùm aqua terram ita circumambiat,ut alium Oceanum in ortum,alium in meridie,alium in Boream, alium in Occasum distendi nõ ignoremus, fluminaque cuncta non ad unum, sed ad diuersa defluere: quo loco centrum hoc terræ,consideat, certè capere non possumus. Amplius si aquæ ad duplex centrum duas habuere propensiones, alteram antequam congererentur, alteram postquam in æquoribus conglutinatæ sunt,certè duas repugnantes expertæ sunt naturas, cùm ab affectionum, & qualitatum disparitate arguenda sit formæ dissimilitudo,atq; diuersitas. Prætermitto nunc philosophicas rationes,quoniã eas post modũ sumus perstricturi, nã ex aqua & terra, iuxta Philosophorumac Mathematicorum placita, unum effici globũ, cuius centrum grauitatis idipsum sit,quod centrum Mundi; in quo quæcunque ponderosa sunt, quiescere & considere nitantur, & ad quem è sublimi desilientia directè, & propere ferantur,haud infirmis uel dubijs rationibus sumus demonstraturi. Superest vt exactius primam, Basilij, & Ambrosij sententiam exagitemus. Duo tradidere hi præstantissimi Patres. Primum, quòd Dei præcepto hac die tertia indita fuerit aquis natiua vis ad fluendum, & propensio ad maria. Quod quidem placitum nonnullis uisum est non ualde exquisitum,neque Philosophiæ veræ arridens; quandoquidem aquæ ad ima loca,& decliuia delabi, non minus quàm frigiditas, & grauitas, natura insitum conspiciatur. Quapropter vim eam, atque propensionem in sua genitura percepisse,neque hoc die tertio ipsi à Deo inditam fuisse,censendum fore. Cæterum,vt grauem horum Patrum Philosophiam penetremus,inuestigandum est;Quis fuerit ante diẽ tertium aquarum motus; Num scilicet aliquo motu agerentur, an potius immotæ persisterent. Platonici sentiunt,corporum simplicium simplicem esse motum in orbẽ. Peripatetici è contra elementa ad medium suapte natura ferri, præter naturam uerò à primo mobili in orbem rapi putarunt. Aquæ igitur terræ ambitum obruentes ex sententia Platonicorum ex se cieri poterant in orbem: ex Peripateticorum uerò placitis suapte natura nullam nactæ erant motionem, dum terræ,& medio hærerent,nec agi poterant. Patres quid senserint non explicant.

Sentẽtia probatior.

Burgẽsis placitum improbatur.

Centrũ vnicum est.

Num aquis die tertia naturalis vis ad fluendum sit tradita.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta.

At sanè eadem quid prius obtinuerit virium,ante nimirum quàm cursus hic illi ingigneretur præcepto Dominico, neque ipse nosti, sed nec certò audisti qui nouerit.

PROCOPIVS attamen ait.

Fortassis aquę natura non extitit fluida prius, sed fuit stabilis, & concreta,cęterum manandi vim demum nacta est ex iussu,& imperio Dei.

Censendum autem est, quòd Patres hi, cùm Platonica, ut plurimum, sequantur placita, si elementis motionem aliquam ascripsissent, ea profectò in orbem ferri pronunciassent: huncque naturalem illis in prima Mundi structura, qua elementa se ipsa gyro vallabant, motum asseuerassent, aut immota forte perstitisse, cùm nondum vllus orbis, neque etiam supremus, conuersiones suas ex eorum placitis exorsus esset. In secunda autem structura, in qua, sic mandante Deo, elementa illum sibi uendicarunt locum, qui in viuentiũ obsequium opportunus erat, aquas aliud motionis genus sortitas esse, nempe vt ad centrum, seu medium fluerent; dieque tertio aquas explicuisse, & exeruisse natiuam ad humiliora, depressioraque loca delabendi procliuitatem, iussu Dei eis elargitam ac insitam, ex eo quòd Dei mandato effectum fuerit, vt substrata partim, partim etiam extumescente terra, aquæ è proprijs sedibus deturbatæ, non amplius rapi in orbem possent, sed ad medium, seu ad centrum defluere cogerentur. Animaduersumque esse velim, Patres sæpius miraculum appellare, diuinæque potentiæ ascribere ea, quæ nunc quidem à natura proficisci arbitramur, quæq; in prima structura, & Mundi dispositione, seu Chaos congestione, præter naturam, & portenta nuncupari poterant.

Aquæ cõgregatæ eminentiores factæ sunt.

Alterum, quod edocent hi Patres, est, aquas in seipsis coactas, & coarceuatas extumuisse, eo euentu, ut ex præcepto tantùm frenentur, ne in terram labantur, & ipsam obruant. Quod quidem, si ad sanum redigatur sensum, suppositum esse exploratumque cupio. Aquarũ enim congregationẽ elatione maris absolutã dico, elatione inquam, non ea qua terræ sphæram mare ipsum supergredi existimatur, sed qua Oceanum, seu aquas ipsas super primam sui altitudinem longè elatas arbitramur. Nam licet aqua, circunferentiæ & extensionis ratione, maior quàm terra prius extiterit, longè minori tamen altitudine, seu profunditate diffundebatur, cùm à centro terrę ad eius superficiem multò maior & productior linea, quàm à telluris ambitu, super quam aquæ considebãt, ad extimam earum superficiem protenderetur. Fieri igitur potuit, vt terra ex parte circa ima subsistente, & ex alia se extollente, aquæ in uoragines defluxæ maiorem quàm prius nactæ essent altitudinem sibi, ac profunditatem vendicarint: quòdque linea à profundioris Oceani solo ad eius summitatem deducta, maior, longiorque illa, quæ à terræ superficie ad aquarum extremam oram tunc distendi poterat, comperiatur. Sed hæc clarius in disceptatione; Num mare sit altius terra, manifestabuntur. Hæc autem Patres tantùm istos cum neoterioribus conciliandi gratia prolata sunto. Quanquam, vt ingenuè verum fatear, forsan ex Patrum horum amplissimorum paginis euinci posset, existimasse eos, & mare nunc terra eminentius extolli, & diuino præcepto ipsis aquis esse ingenitum, vt ad mare fluant, quasi per decliuiora altiorem eminentioremque locum subigant, quod natura ipsis inditum non erat. De modis itaque, quibus congregatæ sunt aquæ, à Patribus delatis id meum esto iudicium. Consentaneum est igitur, vt duas approbatas sententias connectendo, modum quo maria conglutinata, & terrã detectam fuisse arbitror, concise referam. Censeo terra subsidente, meatus, uoraginesque exhibente ex una parte, ex altera uerò iussu Dei extuberante, aquisque ad ima delabentibus, breuissimo momento hinc maria maiori altitudine, quàm habebant, erupisse: illinc terram denudatam apparuisse. Arbitrorque telluris, & aquæ sphæram, in qua aquę terram circumtegebant vndique, non quantitatis, seu amplitudinis, sed situs tantùm speciem immutasse, eo euentu, ut cùm prius aqua terram uallaret, tellusque tota circa ima subsisteret, Dei iussu, & terra subsidens, & alibi faciem efferens, & aqua ad imas partes decurrens, adeò locum permutarint, vt ex duobus orbibus, quorum vnum alterum ambibat, unus sit effectus, ex terra, & aqua simul congestus: & cùm vtrunque elementum centro Mundi concentricum esset, ambo centri grauitatis ratione concentrica etiam remanserint, sed ratione magnitudinis centri eccentrica effecta sint; ut infra luculentius disceptabimus. Quod quidem valde sublime, maximeque admirandum facinus, si vera profari licet, à paucis hactenus rectè animaduersum, atque à paucioribus declaratum comperij. Superest vt pro dictarum rerum declaratione duas emergentes difficultates in trutinam constituamus. Prima est, Num terra in sui productione, an tertio die, an diluuij Noëtici concussione inæqualis reddita sit. Altera erit, Num mare sit altius terra. Duo enim hæc à Patribus ventilantur.

Sententia au ctoris.

Num

Num terra ab initio, an tertio die, vel Diluuij tempore, inæqualis reddita fuerit.

Elegans hic ea difficultas suscitatur; Cùm terra sua natura rotunda æqualiter considere deberet, Dei autem opificis iussu effectum sit, vt partim subsederit, partim etiam sese extulerit, & hinc concauitatibus, specubus scinderetur, hinc montibus & collibus efferretur; non immerito, quando id euenerit, percunctandum est.

Sententia terram ab initio suo voragines habuisse astruens.

HVGO Victorinus noster, præcipuus sententiæ huius est propugnator Adnotationibus in Genesim libro primo, capite septimo: sed clarius de Sacramentis libro primo, parte prima, capite sexto.

Et qui nunc sunt aluei, siue trachones aquarũ, iam tunc in ipso nascentis Mundi exordio in terræ corpore futura aquis receptacula parata erant. In quibus etiam magna illa abyssus (de qua omnium fluenta aquarum pro ducenda, siue deriuanda fuerant) patulo adhuc hiatu, vacuoque, horrendum in præceps inane præferebat.

Et capite vigesimo primo.

Locus vnus, in quo congregatæ sunt aquæ, quæ sub Cęlo erant, abyssus magna creditur; quæ ab ipso mundi exordio, in terræ corpore tantæ capacitatis facta fuisse putatur, vt omnium receptaculum aquarum esse potuisset.

Hæc ipsa Glossa Locupletata.

RICHARDVS Exceptionum libro secundo, capite septimo, idipsum censuit.

Abyssus est concauitas terræ, quæ receptaculum inferiorum futura erat aquarum.

STEVCHVS in Cosmopęia.

Veri enim est simile, eundem ipsum terræ, & aquarum conditorem, terram à principio ita disposuisse, vt eas haberet sedes, quibus aquæ receptæ, terras altiores, habitabiles relinquerent.

Sententia die tertio dissectam fuisse terram, autumans.

SEVERIANVS vt in Catena Lippomani.

Nondum erant concaua montium, sed simul ac Deus dixit; Congregentur aquæ, terra scissa est, sinus fecit, id quod & insulæ, & montes qui interiacent, satis testantur.

AVGVSTINVS de Genesi ad literã libro primo, capite duodecimo.

Quanquam & terra longè, lateq; subsidens, potuit alias partes præbere concauas.

Et contra Aduersarium Legis, & Prophetarum libro primo, capite tertiodecimo.

Quid si etiam diuino nutu in magnos sinus terra subsedit; atque ita quicquid naturæ humidæ per totum eius iacebat, in partes concauas confluens, recessit à cæteris, & quod operiebat, aperuit, congregata in humiliora succumbentia, quà mare interflueret, & circunflueret, atque altiora deserens, quà Orbis emineret?

IVNILIVS in Hexæmeron.

Terra ipsa longè, lateque, iussu Creaturis subsidens, alias partes præberet concauas.

DAMASCENVS libro secundo Orthodoxæ Fidei, capite nono.

Diuino igitur iussu, hoc scilicet die, concauitates in terra factæ sunt; & sic in congregationes suas conueniunt aquę; hinc etiam & montes facti sunt.

Et capite decimo.

In principio terra cooperiebatur ab aquis, & erat inculta, & absque ornatu, cùm præcipiente Deo, aquarum receptacula facta sunt, & tunc montes extarunt.

BEDA libro de Creatione sex dierum, & Quæstionibus in Genesim clariùs.

Quanquam & terra longè, latèque subsidens, potuit concauas partes præbere.

Glossa Ordinaria, Magistri duo, D. Thomas, & alij, Augustini ferè mutuarunt verba, & sententiam.

TOSTATVS in Postillis.

Ad istam congregationem aquarum Deus fecit quasdam magnas cauernositates, & profunditates in terra, ne si terra plana esset, aqua super totam terram efflueret.

Amplius sententiam eorum, qui terram sphæricam nulla montium, & vallium distinctione ante Diluuium extasse arbitrantur, impugnat, & elidit prolixiori oratione.

Et ex hoc argunt quidam imperiti, dicentes, quòd ante Diluuium tota terra erat sphærica: sed aquæ Diluuij

luuij fecerunt concauitates & montes. Si hoc verum esset, vbi erat ante Oceanus, quin toti terræ illaberetur? Et si dicant, quòd in mari cauernositates erant, sed terra aperiens, siuè aqua, tota plana erat. Sed si hoc verum est, vbi erat Paradisus terrestris, qui usque ad globum Lunarem accedere dicitur? Ipsa etiam Scriptura eos arguit infra capite septimo, ubi dicitur, quòd aqua diluuij excedit montes altissimos terræ quindecim cubitis. Et quòd sedit Archa in montibus Ararath. Etiam quia naturæ valde consonum est esse montes, quia sine montibus non est terra multum fertilis, nec bonæ influentiæ. Esset enim terra multum sicca: quia fontes naturaliter non possunt gigni, nisi locus originis sit ad minus æqualis loco, in quo erumpit, cùm aqua solum ascendere possit ad æqui libram: & per Philosophum patet in secundo Metheororum. Sed data terra sphærica, cùm aqua erumpere debeat de sub terra, & ibidem oriri, nunquam posset erumpere, quia locus originis semper esset inferior loco scaturiginis fontalis. Item, quia montes alti faciunt valles propinquas irriguas, propter originem fontalem in montibus deriuatam ad planiora. Faciunt etiam montes esse diuersas influentias in terris, ex diuerso modo receptionis radiorum Solarium, & aliorum Astrorum. Vnde contingit, quòd in vallibus habentibus montes expositos radijs solaribus, citiùs fructus maturescant, quàm in locis planioribus coniunctis. Multæ & aliæ vtilitates fiunt à montibus; ideò Deus non priuasset primam illam ætatem tantis beneficiis, cùm dicatur fuiße inter omnes delectabilissima, quasi ver æternum.

Quę certè Tostati ratiocinanes contemni ac despici non possunt, excepta ea, qua Paradisum terrestrem super iuga montiũ ad globum lunarem accedere autumat. Id siquidẽ non exploratum est, & perspectum, cùm de Paradisi terrestris situ vehemens inter Patres disceptatio iactetur.

Sententia Terram Diluuij tantùm tempore subsedisse, et montibus se extulisse asserens.

Sunt qui terram ante Diluuium in orbem rotatam fuisse absque ulla celsiorum uel humilium locorum secretione existiment. Diluuij autem Noëtici colluuie contigisse, ut sese inuicem collidentibus fluctibus, atq; impellentibus, in superficie terræ cœnosæ, & exiccatæ, arefactęque hinc montes, & colles exurgerent, hinc planities camporum, seù uallium deprimeretur, & dilataretur, voraginesque ampliores pro lacubus, atque æquoribus dehiscens tellus exhiberet. Quod & rationi consentaneum arbitrãtur; cùm ante diluuium Scripturæ mõtes, & ualles non memorent, diluuijque tumentes fluctus adeo efferuerent, ut terram intactam, ac non ualde iactatam relinquere nequiuerint.

AVCTOR.

Non possum ego hanc postremo loco recitatam assertionem non repudiare, neq; ijs tantùm, quibus Tostatus eam reiecit, verum & pluribus alijs hinc inde collectis & coaceruatis argumentis. Primò placitum id à Scripturis alienum, repugnansque euincitur. Moses enim Diluuij aquas quindecim cubitis omnium celsiorum montium cacumina superasse contestatur. Et aquæ, inquit, præualuerunt nimis super terram, operti que sunt omnes montes excelsi sub vniuerso Cęlo, quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. Montes igitur ante extabant. Quòd si montes nõ efferebãtur, nõne cauillosa hæc fuisset Mosis cõparatio? Præterea Sapientia vetustatẽ suæ originis amplificans ait; Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio; ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequã terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterãt, ante omnes colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Deus itaque vnà cum sapientia in primordijs temporum terram, abyssos, fontes, montes, colles, Cœlos simul congessit, igitur non diluuij tempestate montes exertos esse censendum est. Verum non desunt, & grauissimæ rationes, quibus idipsum ostendi ac demonstrari possit. Iam enim extabant maria, cùm Scriptura aperte prodat, quòd Deus congregationes aquarum die tertia appellarit maria: Si igitur mare ante diluuium aderat; quibus aggeribus, seù littoribus tunc claudebatur, ne terram inundaret, obrueretque, Deinde Mundum Deus extruxit omni ornatu decoreque insignitum, at montium, valliumque discrepantia mirifice Mundum exornat. Rursus Mundum Deus cõdidit mortalibus apprimè proficuũ, sed quantum intexta montium, atque vallium structura prosit, non est qui non spectet

Gen. 7.

Prou. 8.

Conse-

Conferunt montes ad impetum ventorum compescendum, frenandumque, ad scaturiginem fontium, & fluminum fouendam, iuxta illud; Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ: Ad aëris salubritatem tutandam: Valles è contra domicilium sunt mortalium, stirpium, fructuumque: fertilitatem augent, aquis fontium omnium, lacuũq; receptacula vastissima exhibent. Igitur non carere his potuit Mundus aureæ ætatis tempestate, ab Adæ temporibus ad Noë. Contestatur amplius Scriptura ex Paradiso terrestri fontem ascendisse, quattuorque amplissima flumina ex eo manantia terram vndique irrigasse; quod fieri certè nequiuisset, si terra omnino sphærica erat: siquidem nec aqua erumpere ex subterraneis visceribus, cùm locus scaturiginis, eruptionisque, non inferior, sed eminentior esse debeat; nec ad longinqua loca, & decliuiora decurrere potuisset, cùm aqua suo pondere ad ima semper labatur ac perfluat; nec vnquam supra originis propriç altitudinem extollatur: ac fontes, & flumina uel æqualiter in omnes partes effluissent, uel totum terræ ambitum obruissent. Igitur fontium expers vniuersa telluris facies remansisset, quare omnis ei scaturientium fontium, & irrigantium fluuiorum pulchritudo defuisset, & nisi perennes ferè depluissent pluuiæ, plantarum, olerum, ac arborum ornatus ante diluuij Noè tempora palluisset, decidisset, ac perijsset. Rursum non alia serie, quàm nunc, tunc flumina defluisse arbitrandum est: At nunc memorata à Scriptura flumina ab altissimis montium iugis decurrere noscuntur. Nilus ab celsissimo Lunæ monte in Aphricæ mediterraneis locis se extollente. A Caucaso, seu Imao, qui dorsũ ferè totius Asiæ occupat, Gãges, Indus, Tigris, Euphrates insignia flumina erumpunt; & quod mirũ est, ab Adula monte quatuor amplissimi amnes decurrũt, in quatuor orbis diuersa æquora se exonerantes: Rhenus in Oceanum Borealem, Danubius in Pontum, Rhodanus in Mediterraneum, & Padus (si ex Ticino eius originem sumimus) in Adriaticum confluentes. Quòd si Tartarus, ac Sylus in Italia, & alij etiam vbique terrarum fluuij consimiles ex vallibus scatere, emanareque spectantur, fontes ipsorum tamen per subterraneas uenas, à sublimioribus locis prodire suspicandum est.

Psal. 103.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimoquarto, montes collesque fuisse ipsi terræ insitos duabus de causis asseuerauit. Quarum altera est, vt à ventorum procellis terram tuerentur. Hanc insinuat, dum ait.

Porrò, quid opus erat eidem aridæ, idest, terræ, vt ascenderent montes, & descenderent campi, in locum inquit, quem fundasti eis? Hic planè illud sciendum est, quia si terra æqualis vbique iaceret, non leuior quàm in mari ventorum tempestas in ea regnaret. Nam solet & nunc in locis illis, qui montibus carent, videlicet maximè in Libia, tempestas non minus quàm in pelago turbare foris deprehensos quoscunque tam pedites, quàm equo sedentes. Etenim vbi per loca æqualia, & nuda gignentium, ventus coortus arenam humo excitauit, magna ui agitata, ora, oculosque implet; & ita profectum, incessumque impedit, vt in nullo mari maius naufragium. Quid si nulli vsquã montes ascendissent, si cuncta in planum terra descendisset? Si vbi paululum ventis currere licet, tantas vires breui colligunt, quid poßent, si nullum in toto Mundo haberent repagulum?

Psal. 103.

Altera verò, vt Dei prouidentia ex ea rerum varietate magnificaretur, quam explicat, cùm inquit.

Ergo nec istud magnifici Dei laudibus deesse debuit, quòd ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem ille fundauit eis. Fundauit inquam, videlicet vt neque montes semel ascendere iussi descendant, neque campi semel depressi consurgant.

Hugonis Richardique assertio, terram ipsam suo initio concauitates, voraginesque aperuisse astruens, non inconsentanea est, si Chaos ab ipsis propositum admittamus. Nam si ignis, aqua, & aër commista ad nebulæ instar Vniuersum explebant, fieri potuit, vt & terra in centro librata meatus suos ab exordio deferret, vt mox resolutas ex nebulis aquas reconderet. Sed inconsentanea est, si aquas eas priscas fluidas extasse arbitremur. Siquidem tunc aquæ etiam ante tertiam diem eos specus omnes expleuissent; adeò vt si quæ erant exundantes, concludi in ipsis nequiuissent, sed Dei uirtute, uel uento flante, uel Solis ardore absumi necessarium fuisset; quam absumptionem omnes ferè execrantur, atque vt diuinæ Sapientiæ parum decentem explodunt.

Hugonis sententia perpenditur.

His duabus repudiatis sententijs, non arduum, operosumque erit cæteras duas conciliare. Arbitror igitur cum Basilio, Ambrosio, Procopio, ab exordio insitas fuisse terræ decliuitates quasdã, ad quas aqua propensius deflueret, & qbus facilius cõsideret. Neq; etenim

Sententia Auctoris.

Psal. 103. etenim Deum quasi figulum sphæram terræ rotundam exacte delineasse, ac formasse censeo. Arbitror amplius cum his Patribus, decliuitates eas tùm extuberãte terra, tùm aquarum rapida & propera ad suam sedem concitatione augeri potuisse, adeo vt cauernæ, fistulæ, meatus, specusque longè ac latè patentes præberentur. Rursum arbitror cũ alijs Patribus Augustino, Seueriano, Iunilio, Damasceno, & alijs, voragines etiam immensas iisdem de causis hac die patefactas esse tanta amplitudine, vt aquarum copiam recondere, concludereque possent. Quæ omnia tamen ingenue lector summa erga antenatos meos obseruantia prolata acceptato.

Num mare sit eminentius terra.

Difficultatem à vetustissimis excitatam, nec à Neotericis adhuc enodatam, aut solutam aggredior; Num mare scilicet sit eminentius terra, seu Num planities terræ, quam homines animantiaque cuncta occupant, atque incolunt, mari emineat, nec ne: compellorq; hoc onus subire, Basilij, Ambrosiiq; Patrum gratia, necnon & Augustini, cæterorumque, qui hac in re in varias aduersasque sententias distrahuntur, nobisque occasionem suppeditant, vt exactè difficultates istas indagando eas dissoluamus.

Classis arbitrantium mare esse altius terra.

Sententia fuit grauissimorum Patrum, Philosophorumque, mare præeminere terræ nostræ, Patribus ipsis illud adiungentibus, solo Dei præcepto coërceri, ne ad humiliora loca defluens terram vniuersam obtegat, & obruat.

Tex. 30. Plato in Timæo constanter id asseuerare visus est. Aristoteles, & Auerroës libro secundo Cœli, dum Cœlum sphæricum astruere moliuntur, & aquam terræ in Orbem incumbere, & aërem aquam ambire, & ignem aërem circumuallare; insuper & superficiem aquę sphæricam extare, apprimè testantur. Amplius terram mediam sedem Mundi sibi vendicasse liquet.

Cicero libro primo de Natura Deorum hæc habet. Mare, cùm supra terram sit, medium tamen terræ expetens, congregatur vndique æquabiliter, neque redundat, neque effunditur.

Psal. 103. BASILIVS, vt nostros potissimum audiamus, Hexæmeron Homilia quarta, vt supra retulimus, sententiam istam amplexatur; & ex hoc Dei potentiam, benignitatemque amplificat, quasi mare ipsum concluserit, ne effusè exundaret, terramque stagnantibus vndis & alluentibus inuolueret. Comprobat autem id duabus rationibus. Altera, quòd intumescens etiam, & furens non exeat.

Hierem. 5. *Idcirco furens ventis sæpenumero mare, atque ad immensam altitudinem sese extollens vi fluctuum, vbi littora solum attigerit, eo impetu mox in spumam dissoluto retrolabitur. An me non timebitis dicit Dominus, qui posui arenam terminum mari? En mare, res planè sua vi intoleranda, re tamen omnium inualidissima, nempe arena frenatur, ac coërcetur.*

Altera maris rubri exemplo.

Alioquin, quid prohiberet mare rubrum sua exundanti alluuie irrumpere in vniuersam Aegyptum, quæ ipso mari tanto est concauitate depressior, seque mari, quòd Aegypto adiacet, coniungere; nisi Creatoris præcepto tanquam compedibus astrictum coerceretur? Etenim Aegyptus, quòd sit mari rubro humilior, vel illi nobis reipsa persuasere, qui conixi sunt maria hæc, Aegyptium inquam, & Indicum, cui permiscetur rubrum mare, inter sese committere, & alterum alteri coniungere. Quamobrem destitere à tanto conatu, Aegyptius ille Sesostris, qui primus id est aggreßus, Darius item Medus, qui secundum hæc voluit prosequi rem tantam, & supremam operi admoliri manum.

Quibus Basilius præcipuè astruit: Mare rubrum Aegypto esse eminentius, experimento, quòd Sesostris vetustus ille Rex Aegypti, & post ipsum Darius Medus, cùm mare rubrum Aegyptiaco mari connectere excogitassent, ab incepto destiterint, quòd mare rubrum altius Aegypto compererint, veriti ne Aegyptus aquis obrueretur; vel aqua Nili, quæ sola Aegyptijs potum præbet, ex nimia maris salsedine male afficeretur. Huiusce rei scriptores sunt Herodotus, subinde Plinius libro sexto, Aristoteles primo Meteororũ, Strabo libro decimoseptimo, qui & adiecit Ptolemęos Reges à Nilo ad oram rubri maris alueum incidisse, ac Euripum clausum extruxisse. Redarguunt nonnulli

Cap. 29.

Basilium

Basilium, quòd aut memoria lapsus sit, aut mendum eius scriptis obrepserit, ex eo quòd Plinius loco citato non Aegyptiacū mare, sed Nilum cum Rubro mari hos reges connectere contendisse dicat; destitisse verò, vel quòd Rubrū tribus cubitis celsius Aegypto inuentum sit, vel quòd immisso mari, aquas Nili Aegypto potum præbentes corrūpendas fore metuerint. Et Strabo libro decimoseptimo testatur, inceptū id opus derelictum fuisse à Dario, falsa opinione persuaso. Persuasus est enim, ait, Rubrum mare Aegypto sublimius, vnde si intermedius Isthmus intercideretur, Aegyptū à mari obrutum iri. Ptolemæi tamen reges eum incidentes, Euripum clausum fecerunt, vt cùm vellent, in exterius mare nauigarent, ac rursus sine periculo reuerterentur. Cæterùm hæc parùm Basilij placitum elidunt, atque effringunt; asseuerare siquidem possumus pro Basilio, quòd qui Nilum Rubro mari connectit, illū Aegyptiaco mari (cùm Nilus in ipsum erumpat) coniungere perhibeatur. Deinde non minoris esse auctoritatis Plinij testationem, qui non inficiatur, sed potius approbat tantos reges destitisse ab inceptis, comperto, quòd mare Rubrum præeminentius esset terræ Aegypti. Deinde & Strabonem ipsum fateri, Ptolemæos reges Euripum clausum extruxisse, vt in ipsum nauigarent, & ex ipso sine discrimine regrederentur: si quidem, si mare non prominebat Aegypti terræ, vt quid Euripum clausum extruere, quò absque periculo hinc inde velis pansis tutè nauigarent?

A M B R O S I V S Hexæmeron libro tertio, capite secundo, duas easmet rationes, vt assolet, reiterat. Primam sic.

Nonne ipsi videmus mare frequenter vndosum; ita vt in altum fluctus eius tanquam mons aquæ præruptus insurgat, vbi impetum suum ad litus illiserit, in spumas resolui, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum, secundum quod scriptum est; Aut non timebitis me, dicit Dominus, qui posui arenam fines mari? Hier. 5.

Alteram pariter his deducit.

Cęterum, nisi vis statuti cælestis inhiberet, quid obstaret, quin per plana Aegypti, quæ maximè humilioribus iacens vallibus campestris asseritur, mare Rubrum Aegyptio pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt hæc duo sibi maria connectere, atque in se transfundere. Sesostris sanè Aegyptius, qui antiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris contuitu potentiæ in effectum voluit adducere, quod ab indigena fuerat ante tentatum. Quæ res indicio est, quòd superius est mare Indicum, in quo mare Rubrum, quàm æquor Aegyptium, quod inferius alluit. Et fortasse ne latiùs se mare effunderet, de superioribus ad inferiora præcipitans; ideò molimina sua rex vterque reuocauit.

P R O C O P I V S Commentarijs in Genesim capite primo, his Patribus assensit.

Nisi enim diuina prouidentia intra præstitutos terminos maria continuisset, profectò mare Rubrum vniuersam Aegyptum, cuius situs humilior est illo, aquarum inundatione deleuisset.

D. T H O M A S parte prima, quęstione sexagesimanona, articulo primo, ad secundum.

Potuit esse, vt aquæ in maiorem altitudinem sint eleuatæ in loco vbi sunt congregatæ, nam mare est altius terra, vt experimento compertum est in mari Rubro, vt Basilius dicit.

D I O N Y S I V S Chartusianus, mare esse præeminentius terra, cum Patribus disserit, Enarratione in Genesim articulo vndecimo.

Alij quoque dicunt, aquas in Oceano ac alijs locis, hincinde in magnam altitudinem eleuari ac crescere, quod verum esse probatur in sphæra Mundi, quoniam aqua tendit ex sua natura ad sphæricam rotunditatem, sicut in gutta aquæ potest perpendi. Vnde Basilius ait, experimento compertum est, aquas maris Rubri esse altiores, quàm terram. Et Thomas in prima parte; Potuit, inquit, aqua in altiorem eleuationem vniri. Deniq; aquis sic congregatis, ignis & aër in suis locis steterunt, & ab alijs sunt diuisi. Veruntamen præinductis contradicit Rabbi Paulus. Et post. *Cùm tota aqua sit fluida, non potest habere partes aliquas alijs altiores & montuosas, sicut in terra propter suam soliditatem hoc accidit. Ad quod dico, quòd quamuis in aquis vna & eadem pars non maneat fixè sic altior, sed nunc defluat, nunc ascendat, semper attamen aliquæ partes sic intumescunt in maribus, quod plenius probaui super illud in Psalmo; Super montes stabunt aquæ. Sed & Paulus iste postea istud concedit, quòd scilicet in aliquibus locis aquæ maris sint altiores altissimis montibus terræ, & ita verba sua non videntur ad inuicem concordare.*

C A T H E R I N V S Enarratione in primum caput Geneseos.

Existimo, aquas iuxta suum naturam particularem super terram tanquam nobilius, minusvè graue elementum poni debuisse, sicut aër super vtrunque collocatus est vt leue: & sic etiā ignis super aërem vt leuius. Sed quia maiori, & vniuersaliori bono noceret, si vbique terram operirent aquæ (non enim posset illa produ-

Psal.103. Psal.32. *cere fœtus suos; nec animalia seruari, nec plantæ potuissent;) ideò Deus Optimus Maximus prouidit hanc aquis naturam, vt in vnum congregarentur: neque (vt ait Psalmista) conuerterentur operire terram. Et alibi; Congregans sicut in vtre aquas maris, vel vt certiùs exprimitur in Hebraicis, sicut in cumulum. Vnde B. Thomas diuinæ Scripturæ auctoritate motus, huic sententiæ acquieuit. Nam & mare altius esse terra, B. Basilius, quemadmodum D. Thomas refert, confidenter testatur, idque experientia compertum docet: & vix puto quenquam sapientem ea de re vnquam dubitasse.*

Burgensis, vt dicebamus, non tantùm mare supereminere terræ, sed eccentricum existimauit; & aquam ita seiunctam à terra, vt proprium globum constitueret, intersertũ attamen in terræ sphæra secundum aliquam partem. Vielmius Præceptor meus, qui apud me maximæ semper fuit auctoritatis, cùm eruditissimum in omni disciplinarum genere ipsum expertus sim, Lectione decimaquarta, hanc Patrum partem communitiorem, & veriorem censet, tuetur, & effert.

Cæterum & pro huius sententiæ fulcimento non desunt primùm Scripturarum selectæ auctoritates, rationes præclarę, & experimenta testata. Scripturæ id primò attestatur. Nanque hoc loco traditur; Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. Imperatum est igitur à Deo, non vt aqua absumeretur, sed vt aquæ, quæ vastissima circunfluentia terram alluebant, vallabantq;, in vnũ cogerẽtur, & contraherentur. Quæ igitur congregatio fieri potuit, si in aceruum (atque vt ita dicam) in cuneum non sunt
Psal.32. elatæ? Dauid quoque de rerum omnium conditore inquit; Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Seu, vt in Hebræo habetur; Congregans sicut in cumulum, seu aceruum, aquas maris.

THEODORETVS verba ista explanans ait.

Nam omnem quidem aquarum naturam, velut in quadam penu definitis in locis conclusam continet: trahit
Psal.134. Amos.5. *verò hanc in aëra sublimem cùm voluerit; & tanquam in vtre quodam, eam in nubibus congregat: propterea ait; Deducens nubes à finibus terræ. Et alibi diuina Scriptura inquit, euocans aquam maris, & effundens ipsam super faciem vniuersæ terrę.*

Psal.103. Amplius idem Propheta regius cecinit. Super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient; à uoce tonitrui tui formidabunt, terminum posuisti, quem nõ transgredientur, neque conuertentur operire terram.

THEODORETVS hęc sic commentatus est.

Per omnia docet Dei Prouidentiam vniuersitati præsidentem; nam propterea mare vndis montium crepidines imitans, continentem nequaquam inundat, sed quemadmodum nos tonitruum perhorrescimus, sic illud positum terminum timet. Et Post. *Mare quidem arenam veretur, & vsque ad illam rabie percitum, veluti freno, diuino termino inhibitum, rursus coërcetur, & retrorsum cedit.*

Prophetici dictr, Super montes stabũt &c. variæ interpretationes. Plures deferri solent huius loci interpretationes. Existimarunt siquidem nonnulli, Dauidem de aquarum celsitudine, qua in Chaos aquæ ipsæ montium altitudinem tegebant, hoc loco verba facere; capientes, Stabunt, pro steterunt, vel stabant, phrasi Hebraica, quæ futurum pro præterito vti solet. Arbitrati sunt alij, Dauidem de fluctibus maris procellosis, qui nimium quandoque extumescentes supra montiũ iuga cernhi videntur, intelligere. Amplius alij id prolatum perhibent de scaturigine fontium & lacuum, qui in excelsis montium cacuminibus scatent. Alij tandem de imbribus & aquis pluuialibus, quæ supra montes in aëris media regione gignuntur, dictum malũt.
Prouerb.8. Sed omnes hæ interpretationes ex auctoritate Theodoreti corruũt. Adhuc in Scriptura sacra legitur: Quando præparabat Cœlos aderam, quando certa lege, & gyro uallabat Abyssos, idest immensas turgidasq; aquarum abyssos lege præcepti sui quasi intransgressibili gyro uallabat & circumsepibat, ne prominentes etiam desluerent & laberentur. Et post; Quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Vt quid enim imponenda erat lex aquis, ne fines suos pertransirent, si natura depressiores iacebant, neque vllam super terras desluendi vim ac faculta-
Eccles.39. 2.Paralip.36. tem obtinebant? Amplius Sapiens quoque testatur; In uerbo eius stetit aqua sicut cõgeries. Et in oratione Manassis legitur; Tu ligasti mare verbo præcepti tui, qui cõclusisti Abyssum, & signasti eam terribili, & laudabili nomine tuo. Quanquam, vt verum fatear, his duabus auctoritatibus non maris eminentia, sed duo insignia miracula, quæ in mari rubro, & Iordane acciderunt, quando, ut Hebræis pararetur trãsitus, aquæ elatæ ac tumentes constiterunt, describi censeam. Locum Psalmi sexagesimi octaui, Veni in

in altitudinem maris: & similes non deduco, quoniam metaphoricos esse non me latet. Insuper Scriptura tanquam miraculum, portentumque stupendum, & clarissimū potentiæ Dei monumentum vbique magnificat,& prædicat,quòd mare, ne terrā absorbeat,vis diuina coërceat,& in viuentium gratiā cōpescat. Si igitur mare non præeminet terræ, & naturale est sibi non posse in terram effundi, quorsum Scripturæ sæpe iteratis præconijs nobis id, vt miraculum conculcant? Iob nanque ita effatur; Quis conclusit Iob 38.
ostijs mare,quando erumpebat quasi de vulua procedens: cùm ponerem nubem vestimentum eius,& caligine illud,quasi pannis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis,& posui vectem,& ostia,& dixi; Vsque huc venies,& nō procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. Sed illustrius Hieremias hoc idem testatur. Hier. 5.
Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum,quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt; & intumescent fluctus eius,& non transibunt illud.

Rationes præterea adsunt euidentes,quæ mare esse altius terra persuadere videntur. Principiò leuitatis & grauitatis ratione, aut etiam nobilitatis, supernum vel infernum locum sibi vendicant elementa. At terra grauissimum est elementum, atque vt crassius, omnium infimum; Igitur sua natura subsidere,& non eminere debet. Insuper aquæ moles, longè amplior est quàm terra: Primò quoniam elementum est superius, nobilius,& ambiens: porro maius ambiens quàm conclusum corpus censendum esse nullus abnuet. Deinde quia rarior est aqua,& tenuior,vnde ex pusilla terra amplior aqua generatur,& præterea Aristoteles secundo de Generatione decuplam esse aquæ proportionem ad terram edocet. Theologis autem,qui aquas ante coacta maria, & post in Diluuio Noetico terram vndique haud tenui & exili ambitu, quomodo cortex stipitem contegit, sed profundo prorsus circumuallasse non ignorant, perspicuum istud magis, redditur,nempe aquarum molem terra longè maiorem extasse; Quòd si exuperabant aquæ,cùm eas euanuisse perperam perhibeatur,igitur & nunc superexcedunt. Quò igitur loco magis recondi possunt,atque concludi,quàm in elatis Pelagis? Amplius Noëtici Cataclysmi tēpore tanta aquarū eruptio scatuit,quòd multis cubitis celsissima iuga contexere. Vnde igitur exilijt ea colluuies? Nunquid aquæ ex altissimis Cœlis delapsæ sunt? aut opifex recentes alias creauit? Verisimilius igitur est reri, mari habenas quibus cohibetur tunc laxatas esse, vt iterū, sicut & ante tertiā diem, terram vndiq; vallaret,obrueretq;. Sensu etiam id experiri testantur nautæ. Tradunt siquidem, sæpius se cùm à littore soluunt,conscendere sedulo animaduertisse.

Classis negantium mare terræ præeminere.

AVGVSTINVS attamen ex aduersa acie aquarum congregationem elatione effectā fuisse, adeò vt ipsa terra eminentius extet mare, inficiatur; libro primo de Genesi ad literam,capite duodecimo,scribens.

Si aquæ totam terram tegebant,quis erat locus, quo colligerentur, vt terræ ariditas appareret? Nunquidnam in altum congregatæ sunt, sicut fit cùm ad ventilandum in area messis trita surrigitur, & congesta in aggerem nudat locum,quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit,cùm videat vsquequaque campos maris æqualiter fusos, qui etiam cùm aquæ fluctuantes quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur. Et si qua littora nudantur latius,non potest dici nulla esse alia terrarum spatia,quò accedat id, quod aliunde decedit: vnde in eum locum, ex quo recesserat, iterum accedat.

CAIETANVS in Genesis caput primum.

Si quis autem dubitat terram apparentem esse superiorem aquis,non tam eget ratione,quàm applicatione ad sensum,quo ad oculum videmus aquæ motum semper in decliuiorem esse locum. Hinc enim manifestum, quòd si terra apparens esset inferior mari, aqua maris ad ipsam (vtpotè decliuiorem) moueretur,ac operiret illam.

Pererius his assensit Commentarijs in Genesim libro primo. Philosophi, Astrologique omnes nuperi, ex aqua & terra vnum conflari globum seu orbem asserunt,adeò vt posito circino in centro grauitatis Mundi,superficies tùm terræ, tùm maris æquè circuncingi contingeret. Demonstrant autem ijs potissimum rationibus,quæ ex Cosmographiæ disciplina hauriuntur, & quas vt vulgatas prætermitto. Dantes Aldigerius in ea disceptatione, quam in Sacello Beatæ Helenæ ad Clerum Veronensem sub Canis Scali-

Scaligeri auspicijs habuit, non tantùm his subscripsit, sed contrariam sententiam elidere totis viribus enixus est, eo potissimũ argumento, quòd aqua nec eccentrica, nec concentrica, gibbosa aliqua in parte esse queat. Siquidem si euentrica extaret, suapte natura sursum, & deorsum moueretur. Deinde non per eandem lineã, qua terra & quodcunque graue, ad centrum elaberetur. Tandem quoniam non eamet grauitatis ratio in terra, & aqua insideret. Quæ omnia quidem Burgensis non abnueret, cùm centrum aquæ, à terræ centro diuersum, extraneumque astruat: nec erroneum arbitraretur, respectu centri terræ aquam sursum euehi, aliaque via ad suum medium fluere, dum tamen deorsum, ad propriumque centrum, directoque calle corrueret. Si verò concentrica aqua esset (ait) in gibbi summitate consistere nequiret, nempe quia sursum esset, nec haberet qui ipsam à delapsu sua natura sibi indito prohiberet.

Verum pars ista negantium mare præeminere terræ, his præcipuè argumentis suam nititur confirmare, & corroborare sententiam. Primò siquidem, aqua fluxilis, labilisque sui natura in aceruum cogi, & consistere nequit. Deinde, cùm aqua post terram crassius, grauiusque elementum perhibeatur, connatum ipsi est, vt semper ima profundaque magis loca petat, quò in grauitatis centrum, quòad potest, sese recipiat, atque ob id in aceruum coire, vel comprimi nequit. Amplius, si maris superficies supra terræ planitiem longè efferretur, & eleuaretur, Orizontes æquales non comperirentur, nec vniformis astrorum aspectus, & in mari, & in terra constitutis, sed diuersus appareret, maior scilicet in mari; cùm enim eminẽtior locus esset mare, proximius certè è mare astra conspicerentur. Tandem, si mare esset altius terra; nauis, quæ ventorum, seu remorum impulsu veheretur ad litora, quasi per lubricum descendens velociori vtique motu pelleretur, quàm illa, quæ eisdem ventis ac remis, à litore ad maris medium deportaretur; tunc nanque in altum & arduum ascenderet: quod tamen experimento falsum comperitur. Accedit ratio Caietani, quòd aquas sensim ad mare, vtpotè ad decliuiorem locum ferri intueamur: nec mare ipsum, quin terram submergeret, nisi perpetuo, intempestiuoque miraculo frenari, ac cohiberi potuisset.

AVCTOR.

An mare emineat terræ, problema est neutrum.

Ego, quibus subscribam, non perspicio. Arbitror igitur problema hoc in via Patrum posse esse neutrum, cùm hinc, & hinc adsint Patres præstantissimi, Doctoresq; celeberrimi, & coniectationes non leues proferantur. Censeo attamen sententiam primã Scripturæ magis esse conformem, ob idque & magis piam: Alteram verò Philosophiæ magis consonam, atque in Scholis, vt tutiorem, & munitiorem efferri magis posse, nec difficile esse rationibus hinc inde illatis satisfacere. Principiò itaque pro ijs, qui mare præeminere terræ asseuerant, pugnam sumamus. Sed prius seclusam Burgensis sententiam velim, quam fictitiam, atque immunitam supra demonstrabamus. Nam duplex in Mundo grauitatis centrum, seu medium consistere, sicuti ab omnibus explosum est, ita à nobis quoque reijciendum duco. Atq; id, quod de duabus propensionibus adiecit, & Vniuersi dispositioni inconsentaneum, & experimento aduersum euincitur; cùm omnia pondera è supernis locis delapsa, si perpendiculo librarentur, tanquam radij è circunferentia ad Mundi centrum naturaliter ferri inuenirentur. Illatis modo rationibus occurramus. Aquam fluxilem labilemque esse sua natura, non renuunt Patres, sed ex oraculis Scripturarum eas in aceruum cogi voluntate & iussione Dei autumant. Propter hoc siquidem Scripturæ Dei potentiam, ac prouidentiam commendant, atque deprędicant, quòd Dei mandatum eas, quanquam eminentes grauesque & crassas, coërceat, ne ad terræ superficiem longè ipsis decliuiorem defluant, & corruant. Adeoque commendatum est hoc Dei miraculum à Scripturis, vt negari omnino nequeat; consistendumque sit in eo Augustini axiomate, quòd maior sit Scripturæ auctoritas, quàm omnis ingenij perspicacitas. Neque id miraculum perenne, & non necessarium perhibeatur, nam eius omnimodam necessitatem experimur; nullum enim uiuentibus adesset solum, si Deus mare non coërceret. Adiicias, quòd & perpetuum sit monumentum, quo nos ad laudes gratiasq; Deo referendas euocemur & excitemur. Sensim attamen mare

Burgẽsis sententia reprobatur.

Rationes pro secunda sententia eliduntur.

mare extuberare, ac sursum efferri, Patres asseuerant, adeò vt Astrologi aspectuum discrepantiam uix penetrent, & ad medium naues conscendere nautæ uix percipiant. Littora maris decliuiora esse in ipsa planitie (ut intulit Caietanus) collibus, & montibus, nullus abnuit, ita ut aquæ ad mare prolabentes, celeri profluant cursu, seq; propellant; Sed undis primis se immiscentes ac subijcientes, paulatim reliquas extollere dicerent Patres. Quin oras maris esse depressiores terra, & fluminum decursus declarat, & ipsa undarum maris collisio, atque refractio, præsertim cùm inæstuat, clarè astruit & indicat. Quapropter mirum non est, quòd Scriptura sæpiùs eos, qui ex terra petunt mare, descendere perhibeat, sicuti in Psalmo; Qui descendunt mare in nauibus; cùm à mediterraneis ad maris oras uerè fiat descensus; ueluti è contra, progrediendo ad medium maris subsequitur ascensus. Et hæc pro Patribus non incommodè afferri possunt. Psal. 106.

CATHERINVS amplius contra Caietanum, qui mare in eminentia consistere non posse ex eius natura autumabat, hæc habet, Commentarijs in Genesim, capite primo.

Naturale dupliciter debet accipi, primo quidem modo considerata cuiusque rei particulari natura; altero verò considerata natura vniuersali. Vnde respectu diuersæ huius acceptionis, & naturale, & innaturale est aquis sic esse, & sic manere, quomodo manent non operientes terram. Naturale quidem secundum naturam Vniuersi hoc ipsum exigentem. Innaturale verò secundum propriam ipsius elementi naturam. Non tamen conceditur id esse violentum, quod supra particularem naturam est illis additum.

Verùm enimuerò non ita facilè productis pro alia parte rationibus satisfieri posse arbitrarer. Vrgent siquidem nimium meo iudicio sacrarum Scripturarum auctoritates, quas summa potius veneratione meditandas esse, quàm interpretandas, vel procaci ausu extorquendas existimo, ne cum Oza arcam quamuis nutantem si tetigerimus, percutiamur. Vt eas autem reuerenter exponamus, perpendendum (vt iam etiam adnotauimus) duplici in Mundi structura duplicem affuisse aquarum cõgestionem. In Chaos siquidem aquæ globus terram ambibat, concentricusque erat centro Mundi, tùm respectu grauitatis, tùm magnitudinis: in Mundo absoluto aridiori terra se efferente quibusdam in locis, in alijs verò inimo residente, cauernasque amplissimas aquis præbente, in maiorem, quàm prius essent, altitudinem sese cogere aquæ compulsæ sunt, amplitudinisque respectu eccentricæ euaserunt, in terræ meatibus inclusæ. Littora igitur arenosa, rupes conscissæ, montes, ostia sunt, vectes, termini, leges, præceptum, quibus in nostri gratiam stupendo euentu coërcitæ sunt, atque conclusæ. Hoc miraculum illud est, hoc benefitium illud insigne, quo stant aquæ sicut in vtre. Hi montes, super quos stabunt aquæ. Hi termini, quos non transgredientur. Hæ leges positę aquis, vectes, & ostia, de quibus Iob. Hoc præceptum, de quo Hieremias. Atque, vt compendio perstringã, miraculum hoc est, quòd voluerit Deus terram adeò extumescere, vt aquas ampliori altitudine coaceruatas, quàm essent in Chaos, concluderet, compesceretque. Quod quidem miraculum adhuc permanet, reclamante natura aquæ, cùm ipsa ut elementũ rarius, ac minus graue, terram circum amplecti exposcat. Et hæc; ut Scripturis occurreremus, dicta velim. Aquam esse leuiorem, puriorem q; terra etiam Patres dijudicant; sed cùm ex natura in gyrum hærere terræ sibi fuisset impertitum, effectum est ex diuina prouidentia, vt cedente terra, seque quantum ad tumescentes partes extollẽte, aquis ea ponderis natura contigerit, qua ad imas partes deferri, & quantum possent centro incumbere compelluntur. Porrò adhuc lis sub iudice est, neque etiam mihi nunc præbetur definiendi locus, Num aqua sit maior terra. Non ignoro siquidem grauissimos Philosophos, ac Theologos inuicem dissidere, in variasque rapi & distrahi sententias; atque hinc Platonem in Timæo, Aristotelem, & Auerroëm quarto Physicorum quadragesimosexto, & primo Cœli nonagesimoseptimo, & secundo Cœli nonagesimoquarto, & centesimosecundo, & Philosophorum ingentem classem, & Patrum numerosum concilium, & ex neotericis Vielmium, Iulium Scaligerum, & quãplures: Hinc uerò ex nuperis Cardanum libro secundo, & Alexandrum Piccolomineũ libro de quãtitate terræ & aquæ, & alios perstare, cùm primi terram excedere, postremi aquam superexcellere contendant. Sed mihi dictum satis velim, aquam in Chaos fortè ampliorem fuisse terra ratione ambitus & circunferentiæ seù extensionis, utpotè quòd aqua terram

Primæ sententiæ rationes diluuntur.

Aqua an maior sit quàm terra.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

In locum vnum.

a. *Hoc est, in vnam formam.*

Psal. 106.

terram complecteretur, non uero ratione profunditatis. Nam si demus aquas ante tertiam diem, & in diluuio, extremam hanc aëris regionem obruisse; certè nec maior terra tunc ipsa aqua existimari poterat, cùm altitudo à superficie terræ ad extremã regionis huius nostræ oram, spatium milliariorum sexaginta non superet, prout euincunt Mathematici, sumpta ex crepusculis, & rebus in suprema regione aëris apparentibus, coniectura: terræ autem altitudo à centro ad circunferentiam, diametri scilicet dimidia pars, ad ter millia quingenta octuaginta milliaria distendatur. Sed hæc Philosophis relinquamus. Aquas adeò ingentes exundasse in Chaos, vt non potuerint nisi maris elatione recondi, non acceptum est ijs Patribus & Doctoribus, qui aquas illas vel in nebulã expansas, vel si fluidæ erant, etiam vsque ad Empyreum exundantes, absumptas, seù vento, seù Solis ardore, uel maiori condensatione constrictas opinantur. Diluuio in Noëtico aquas adeò copiose effusas fuisse, vt maris elationem tunc laxatam arguãt; nec ita passim concedendum est. Nam, vt prætermittamus eas fortè è Cęlis defluxisse, seù recenter creatas erupisse; id saltem permulti Patres, & Doctores non inconsentaneum ducerent, quòd ex maxima imbrium colluuie, & ex aëris in aquas ingenti permutatione circumfluxerint aquæ, & exundarint. Ex quibus elisæ videntur partis affirmatiuæ suspicationes. Basilij, & Ambrosij argumentationes facile etiam soluuntur. Nam etsi fluctus dum tumescunt, & iactatione reciproca super littora extolluntur; tamen mox vt ad litus eliduntur, & in se ipsis confracti consident sedata procella, omnis aquæ superficies plana remanet, ut asserit Augustinus. Multa maria, sinus, lacus, atque flumina Terræ alicuius planitiei supereminere, non est qui ambigat, adeò vt arenosis aggeribus coarctare ea, ne effluant, & excedant, operępretium sit. Exundasse etiam ea quandoque, minime nos latet; cùm nostra tempestate in Germania inferiori, insitata & funesta calamitate, Vrbes, oppidaque celeberrima, ac Regiones aquis obrutas confractis aggeribus agnoscamus. Quapropter non mirum existimo, si mare rubrũ tribus cubitis Aegypto excelsius Reges illi compererint. Hæc breuiter de problemate isto disceptata, ac diffinita sunto. Cęterum ego, tùm puris Scripturarum delectatus interpretationibus, tùm tantorum Patrum authoritate ductus, rapior in eam partem, quæ mare præeminere terræ censuit; cùm opposita argumenta facile elidi posse uideam & ex Scholasticis eammet sententiam in Scholis plures tueantur. Quin & Conciliator permultas refert caussas, quibus à natura fieri posse, ne aquæ, quanquam eminentiores, cunctam terram obtegant, non insulsè manifestat. Quanquam Commentator sphæræ capite primo, & Theologi, verius, & certius Dei voluntati, & iussioni id ascribendum contendant. Cùm igitur passim in Scholis, & à Nuperis prorsus nõ repudietur, nescio quare Scripturis laceratis, & Patribus contemptis, ab ea recedamus.

Primæ sententiæ rationes diluuntur.

Mare altius esse terra, ut Scripturæ cõformius statuitur. Differẽtia 13.

In locum vnum.

Cõgregentur aquæ in locum vnum, inquit Moses. Singula certe Mosis uerba grauida sunt, cùm Mundi nascentis partum explicent. Si maria uastissima, si sinus amplissimos, si lacus, flumina insignia, paludes, fontes innumeros, ac prope infinitos ubique in orbe terrarum dispersos conspicimus, quomodo in locum vnum congregatæ sunt aquę? Attendamus oracula nostra.

a. *In locum vnum, hoc est, in vnam formam.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam imperfecto, capite decimo: cùm

Anno Mũdi primo. Die tertia.

In locum vnum.

a. *Idest in Mare, quod per Antonomasiam locus vnus dictum est.*

cùm aquarum congregationem ipsarũ formationem interpretetur, de hac vnitate hæc habet, vt supra recitabamus.

Vis ipsa formæ commendatur nomine vnitatis, hoc est enim verè formari, in vnum aliquid redigi, quoniam summè vnum est omnis formæ principium.

Idipsum insinuat de Genesi ad literam libro secundo, capite vndecimo, de Genesi contra Manichæos libro primo, capite duodecimo. Amplius Eucherius Commentarijs in Genesim libro primo, capite tertio. Beda Expositione in Genesim, & Quæstionibus super Genesim. Glossa ordinaria ex Augustino. Alexander Halensis parte prima, quæstione quinquagesimaprima, membro primo. Quorum oracula iam supra referebantur. Verum Gregorius Nyssenus de Historia sex dierum; Albertus Magnus prima parte de quatuor coæqueuis, quæstione duodecima, artic. tertiodecimo; D. Bonauentura secundo Sententiarum, distinctione quartadecima; Tostatus in Postillis idipsum non sentiunt. Dissentiunt siquidem tantùm in hoc, quòd quemadmodũ Augustinus aquarum creationem ex nihilo hac tertia die effectam autumat, Nyssenus, & Sectatores ex rudi Chaos ipsarum eductionẽ patratam malũt. Ex superioribus eorũ sentẽtias colligito. Cæteri Patres discrepãti assertione aquas nõ conditas, seu erutas extricatasue ex Chaos, sed ex ea colluuie aquarum terræ incumbentium, quæ terrã ambibant, in locum vnum coactas hoc die existimarunt. Cæterum quare in locum vnum congregatæ perhibeantur, non vna exponunt sententia.

a. *Mare per Antonomasiam locus vnus dictum est.*

BASILIVS Hexæmerõ Homilia quarta, opinatur Mosem hoc loco nõ omnia aquarũ receptacula vnũ locũ, sed mare maximum; Oceanum videlicet illum vastissimum, terram vndique alluentẽ per antonomasiã intellexisse, quòd ibi aquæ elementum vniuersum ostendatur: idque dictum non esse sine exemplo, cùm & ignis in vsum hominum ex terrę sulphureis meatibus vbique prosiliat, & in latebris etiam consideat, sub Lunæ tamen orbe existere dicatur.

Deinde quæritur, qua ratione dicat aquas in vnam congregationem iussas esse concurrere, cùm tam multa esse maria conspiciantur, plurimoque inter se interuallo ac situ disparata. Et Post. *Ad secundum autem illud, quòd nostra sententia de opificio Mundi ipsi aduersetur experientiæ, propterea quòd non vnum in locum aqua tota confluxisse videatur: Multa quidem dicere possumus, & ex se notissima omnibus. Atqui non satis compertum habeo, fueritnè ridiculum, cum huiuscemodi nos hominibus certare, atque contendere. Nunquid enim & lacustres aquas, & eas, quæ ex imbribus aggregantur nobis opponere, perque eas nostram sententiam redarguere putare debent? Non enim quamlibet confluxionem aquarum, sed maximam & abundantissimam, vnam appellauit aggregationem, vnum concursum. Nam putei collectiones aquarum sunt arte manuque confectæ, humore terræ insperso in eam humi confluente partem, quæ in concauitatem reducta est. Non ergò quosuis concursus aquarum congregationis indicat appellatio, sed excellentem & maximum, in quo totum elementum confertim aggregatum ostenditur. Nam vt ignis & in parteis paruas diuisus est pro vitæ hominum vsu, & vniuersus in æthereo loco fusim digestus est; & aër item in parteis quidem exiguas, & ipse dissectus est, vniuersus autem tellurem circumquaque totam amplectitur: sic & in aqua, tametsi paruæ quædam, compluresque collectiones aquarum sunt separatæ; vna tamen est congregatio, vnus locus, qui totum elementum à cæteris segregauit. Stagna, lacusvè, qui partim in Septentrionis plagis, partim in Græciæ regionibus sunt, partim Macedoniæ, Bithyniæ, Palestinæque tractus occupant, omnes aquarum quidem congregationes esse constat: at non de his in præsenti, sed de maxima omnium, æqualiuè magnitudine terræ, oratio est præsens. Iam lacus, etsi copiosas aquas habere nemo inficias ibit, non tamen maria quis consentaneè nuncupauerit, ne si quàm maximè salsi sunt saporis, crassæque nonnulli naturæ, perinde vt mare, qualis est & Asphaltites*

lacus

Anno Mūdi primo. Die tertia.

In locum vnum.

a. *Quoniam Aquæ omnes per continuationem vno esse in loco dicuntur.*

lacus in Iudæa, & Serbonitis ille, qui inter Aegyptum & Palæstinam per Arabiam desertam protenditur: lacus enim sunt atque stagna. Mare autem vnum est, vt ij memoriæ prodiderunt, qui terrarum orbem lustrarunt.

HVGO Victorinus de Sacramentis libro primo, parte prima, capite vigesimoprimo, per vnum locum nil aliud pariter intelligit quàm mare, seu abyssū magnā. Ait siquidem.

Et dixit Deus; Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum vnum. Quantum ad literam spectat, locus vnus, in quo congregatæ sunt aquæ, quæ sub Cælo erant, abyssus magna creditur, quæ ab ipso Mundi exordio in terræ corpore tantæ capacitatis facta fuisse putatur, vt omnium receptaculum aquarum esse potuisset.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim, articulo vndecimo.

Præterea vnum est mare principale, totale & maximum, quod est quasi cingulum terræ, quod vocatur Oceanum, & abyssus. Sunt quoque multa minora & particularia maria, quæ sunt Oceani brachia. Magnum verò & totale mare est ipsum terræ elementum.

a. Aquæ omnes per continuationem vno esse in loco dicuntur.

BASILIVS adhuc loco citato aquarum vnam esse sedem dici posse commendat, quòd simul per terræ latentes meatus, vel per aperta flumina connectantur continuenturque.

Sed si ijs, qui in describendis terris operam nauarunt, mentem adhibere oporteat, hæc inter sese per meatus suos cōmiscentur, & omnia permeant ad mare maximū, atq; confluunt: quemadmodū & mare rubrū ad id quod est trans Gades mare Oceanum tendere, eique coniunctum esse ferunt. At quonam modo dicit, aquarum aggregationes Deum maria nuncupasse? Quia confluxere quidem vnum in locum aquæ. Congregationes autem aquarum, idest sinus, qui secundum propriam figuram à terra circundante cincti sunt comprehensique, maria Deus appellauit, vt sunt Aquilonium mare, Austrinum mare, Orientale mare, rursum aliud Occidentale mare. Multa quoque nomina propria variaque marium extant: Euxinus pontus, Propontis, Hellespontus, Aegæum, Ionium, Sardonicum, Siculum, Thyrrenum aliud, & mille alia nomina marium sunt, quæ longum sanè fuerit & planè insolens exactè recensere ac numerare. Idcircò Deus congregationes aquarum maria nuncupauit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite tertio, in Commentarij initio hac eadem inducta difficultate, easdem quas Basilius deferens decisiones, ex cōtinuatione nō recisa æquorum & generalitate, omnes aquas in locum vnum, hoc est in mare congregatas fuisse, asseuerari posse tradit, etsi ex locorum diuersitate plures congregationes plurima sibi vendicarint nomina. Hæc itaque habet.

Quæro nunc, cùm dixerit; Congregetur aqua in congregationem vnam: quomodo diffusas per lacus, paludes, stagna, aquas, & superfusas vallibus & campis, omnibusque planioribus locis currentes, fontibus atque fluminibus vna potuerit recipere collectio: aut quomodo vna collectio, cùm hodieque diuersa sint maria? Nam & Oceanum mare dicimus, & Tyrrhenum, & Adriaticum, & Indicum, & Aegyptium, & Propontidem, & Hellespontum, & Euxinum, Aegæum, Ionium, Atlanticum. Plerique etiam Balthicum, Septentrionale, & Caspium appellant mare. Vnde consideremus Scripturæ verba, quæ librato sunt trutinata examine. Congregetur, inquit, aqua in congregationem vnam. Vna aquarum iugisque & continua congregatio est, sed diuersi sinus maris, vt quidam de scriptoribus forensibus ait. Nanque maris nostri sinus portus amplissimus. Meritoque in diuersis locis diuersa sunt nomina, quia vocabula aquis ex regionum vocabulis adhæserunt. Vna autem congregatio aquarum, eò quòd iugis vnda atque continua à Pontico mari vsque ad Gaditani oram litoris, & inde in mare Rubrum, extremo circumfuso orbem terrarum includit Oceano, interiùs quoque Tyrrheno,

Tyrrheno Adrias, Adriæ cætera maria miscentur, nominibus distincta, non fluctibus. Vnde pulchrè habes, quia Deus congregationes aquarum vocauit maria. Ita & vna est generalis collectio, quæ dicitur mare, & multæ collectiones, quæ maria pro regionibus nuncupantur. Sicut enim multæ terræ, vt Aphrica, Hispania, Thracia, Macedonia, Syria, Aegyptus, Gallia, atque Italia, pro regionum appellantur vocabulis, & vna est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, & vnum est mare, sicut ait Propheta, dicens; Tui sunt Celi, & tua est terra, Orbem terrarum, & plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem & mare tu creasti. Et ad Iob ipse Dominus ait; Conclusi autem mare portis. Psal.88. Iob.38.

GLOSSA Ampliata sic Ambrosij sententiam obstrinxit.

Quomodo vna collectio, cùm hodie diuersa sint maria? Nam & Oceanum mare dicimus, & Tyrrhenum, & Adriaticum, & Indicum, vna aquarum congregatio est, sed diuersi sinus maris. Meritoque in diuersis locis diuersa sunt nomina, quia vocabula aquis ex regionum vocabulis adhæserunt. Ita vna est collectio, quæ dicitur mare, & multæ collectiones, quæ maria pro regionibus vocantur. Sicut multæ terræ, vt Aphrica, Hispania, Thracia, pro regionum appellantur vocabulis, & vna est terra; ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, & vnum est mare.

Patres præterea hi, qui eam soluunt difficultatem, quare cùm dixerit congregationẽ aquarum unam, postea dicat congregationes aquarum appellauit maria; in hanc profi-cifcuntur sententiam: Athanasius, Theodoretus, Procopius & alij quorum Catena suo loco.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Bene autem, cùm multa esse constet maria, in locum tamen vnum congregatas dicit aquas; quia videlicet cuncta hæc iugi vnda atque continua, Oceano ac mari iunguntur magno. Sed etsi qui lacus in semetipsos videntur esse circunscripti, & hos ferunt occultis quibusdam perforatis cauernis in mare suos euoluere meatus. Nam fossores puteorum hoc probant: & quia tellus per inuisibiles venas aquis repleta est manantibus, & quia trahunt ex mari principium.

GLOSSA Ordinaria ex Beda.

Cùm multa constat esse maria, in vnum tamen locum dicit aquas congregatas, quia cuncta magno mari iunguntur. Si qui lacus in semetipsis stricti videntur, occultis tamen meatibus in mare reuoluuntur. Fossores quoque puteorum hoc probant, quia omnis tellus per inuisibiles venas aquis repleta est; quibus ex mari principium est.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima.

Cùmque multa constet esse maria, & flumina, in vnum tamen locum dicit aquas congregatas propter continuationem, vel congregationem omnium aquarum, quæ in terris sunt; quia cuncta flumina & maria, magno mari iunguntur.

D. THOMAS parte prima, quęstione sexagesima nona, articulo primo.

Ad tertium dicendum, quòd omnes aquæ vnum terminum habent, scilicet mare, in quo confluunt, vel manifestis, vel occultis meatibus. Et propter hoc, dicuntur aquæ congregari in vnum locum.

GVLIELMVS Parisiensis de Vniuerso, prima primæ partis, capite quadragesimo secundo.

Quærat autem merito quis, quomodo aquæ dicantur congregatæ in locum vnum, cùm tam multa sint maria, & non sit vnum mare, quod omnes aquas contineat. In quo dixerunt quidam, quia maria omnia vnum mare sunt propter continuationes ipsorum, quæ in quibusdam maribus manifestæ sunt; & hoc experimento sciunt multi eorum, qui conuersantur in maribus, & vacant nauigijs. In alijs verò maribus, occultæ sunt continuationes istæ, vel propter distantias suas à nobis, vel propter superpositionem partium terræ operientium maria, uel propter partes eorum. Sic famosum est de Sicilia, quoniam super mare sita est, & quatuor, vel quinque montibus, quasi columnis totidem sustentatur.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Quod autem dicitur ad locum unum, non significat aquas ex diuersis locis in vnum confluere; sed significat, quòd condensatio earum cum terræ eleuatione non abstulit ab aquis vnitatem loci. Et oportuit hoc explicari, ne putares, quòd aquæ congregatæ fuerint ad diuersos sinus: & propterea apparuerit siccum. Nec vnitati loci aquarum, diuersitas quæ apparet aquarum in locis diuersis obstat. Sicutanea nanque flumina testantur succutaneos esse meatus continuatiuos apparentium lacuum, & marium: & naturali rationi consentaneum est, vt vni elemento aquæ, vnus locus respondeat, non violentus, sed naturalis circa terram.

HVGO Carensis in Postillis.

Tertio die congregauit Deus aquas, quæ erant sub firmamento in locum vnum; quæ licet plura obtineant loca, tamen dictæ sunt congregatæ in vnum, quia continuantur in vnum intra viscera terræ.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

In locum vnum.

a. *Hoc est, vel pro maiori parte, vel quia natura inclinantur ad vnum locum.*
b. *Siue, seorsum à terra.*
c. *Vel, in viscera, aut concauitates terræ.*
d. *Seu, supra terram, & sub aëre.*

Psal. 32. Iob. 38.

a. Hoc est, vel pro maiori parte, vel quia natura inclinantur ad vnum locum.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim articulo vndecimo.
Aquæ dicuntur veraciter congregatæ ad locum vnum, quoniam pro maiori parte ad vnum collectæ sunt locum, & omnes naturaliter inclinantur ad locum vnum. Et sicut egrediuntur ab illo propter commune bonum præfatum, sic naturaliter regrediuntur ad ipsum, iuxta illud Ecclesiasti. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Et iterum Salomon ait; Omnia flumina in mare intrant, & ipsum non redundat.

Eccle. 1.

b. Idest, seorsum à terra.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite nono.
Deinde præcepit Deus, vt congregarentur aquæ in vnam congregationem, & dicendo in vnam congregationem, non significat in loco vno illas congregasse: (nam vides, vt postea dicat, & consistentias aquarum appellauit maria) sed secundum seipsas à terra separatas, simul factas esse aquas, ostendit hic sermo; Congregatæ sunt igitur aquæ in congregationes suas, & apparuit arida.

GLOSSA Interlinearis.
Congregentur, idest, secedant in vnam partem terræ.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimosecundo.
Quomodo ergo congregentur dixit in locum vnum, nisi ac si diceret, secedant hinc, & hinc aquæ, & confluant seorsum, & seorsum, nullumque operi proposito faciant impedimentum? Quò enim tendebat summa artificis industria, nisi ad hoc quod ait, & appareat arida?

D. THOMAS vbi supra.
Vel dicit locum vnum non simpliciter, sed per comparationem ad locum terræ siccæ, vt sit sensus; Congregentur aquæ in locum vnum, idest seorsum à terra sicca. Nam ad designandam pluralitatem locorum aquæ, subdit, quod congregationes aquarum appellauit maria.

GVLIELMVS loco asserto.
Aliquis verò intelligit locum vnum, magis dictum diuisiuè, siue separatiuè, quàm coniunctè; & hoc est, quoniam Creator magis intendere videbatur separationem earum à superficie terræ, quàm congregationem earum in locum vnum.

c. Idest in viscera, vel concauitates terræ.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ capite quinto.
Tertio die aquas sub firmamento congregauit Deus in vnum locum, quæ licet plura obtineant loca, tamen quia omnes continentur in visceribus terræ, in vnum locum congregatæ dictæ sunt.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim articulo vndecimo.
Postremò, quantum capere queo, de congregatione aquarum in unum locum non est tanta difficultas, vt quidam prætendunt. Locus quippe, in quo congregatæ sunt aquæ, est concauitas terræ ambiens totam habitabilem terram, in qua concauitate aqua dicitur congregata, non quòd vtranque extremitatem aquæ circumcludat in se illa concauitas, immò aqua immensurabiliter eam excedit, & vltra eam latissimè prorsus diffunditur, non tamen in infinitum, sed in extremitate sua sic diffusa, est contigua aëri elementari, qui cingit & ambit aquam, quemadmodum aqua terram, immò & plus.

d. Hoc est, supra terram, et sub aëre.

ALBERTVS Magnus prima parte Summæ, quæstione duodecima, articulo tertiodecimo.

Vnde

Anno Mũdi primo. Die tertia.

In locum vnum.

a. Hoc est in centrum vnum seiunctim à centro terræ.

Vnde nihil aliud est congregare aquas in locum vnum, quàm dare eis naturam illam, quòd sint leues in terra, & sic ascendunt ab ipsa, & graues in aëre, & sic descendunt ab ipso.

a. In locum vnum, hoc est in centrum vnum seiunctim à centro terræ.

BVRGENSIS in Additionibus, cùm prolixiori narratione eam extulisset sententiam, qua aquas centrum à centro terræ separatum sortitas esse autumat, eliciens quinque, quæ ex ea sententia excipi possent, primo loco hæc habet.

Quorum primum, quòd licet sint multæ congregationes aquarum in diuersis locis, tamen omnes aquæ, quæ sub Cęlo sunt, sunt ad vnum locum congregatæ, prout Deus disposuit: nam quælibet aqua habet æqualem inclinationem ad centrum elementi aquæ, sicut quælibet pars terræ ad centrum terrę; & sic habetur verus intellectus illius, quod dicitur; Congregentur aquæ ad locum vnum: hoc est dicere; Inclinentur aquæ omnes quæ sub Cęlo sunt, ad vnum locum, scilicet ad vnum centrum, seorsum à centro terræ, ad quod centrum congregentur aquę, sicut partes terrę ad centrum terræ. Quæ quidem congregatio veritatem etiam habet in omnibus congregationibus aquarum, siue in fluminibus, siue in stagnis, siue in cisternis, & huiusmodi. Nam omnes aquæ vbicunque sint, habent inclinationem ad centrum aquæ, ad quod fluunt cessante impedimento; sicut partes terræ, etiam si sint in aëre, & extra terram suspensæ, semper habent inclinationem ad suum centrũ.

AVCTOR.

Duas postremas, nuperasque interpretationes reijciendas arbitror. Alberti quidem explanationem, etsi minimè tanquam à vero aberrantem, attamen vt vagantem (ita enim liceat mihi illam nuncupare) minusque literæ sensum aperientem, reprehendendam existimo. Difficultas vtique in eo versatur, quo pacto in unum locum coactas fuisse aquas prodat Scriptura, cùm tot uastissimorum æquorum, sinuũ, lacuum, fluminum, fontium varietates perspiciamus. Quam profecto difficultatem, hæc interpretatio non dissoluit. Burgensis assertio, nec vera est, vt supra demonstrabamus, neque etiam sedandi permotam difficultatem viribus pollet. Augustini, & sectatorum expositio, si seriem, qua ipsi Mundum conditum existimarunt, prosequeremur, reijcienda nõ esset. Verùm nobis ea probata erat sententia, quæ aquas in exordio temporum progenitas cum cæteris elementis asseuerabat. Quapropter altera earum à nobis est amplectenda interpretatio, quæ sedem aquarum nuncupatam esse locum unum astruebant, seu respectu Oceani ex antonomasia & excellentia, seu quia omnes pelagi gurgites, atque sinus continuatione & connexione, quam & palàm & occultè habent, dici unum queant, seu quoniam phrasi quadam uerba hæc, In locum unum, interpretanda ueniant seorsum à terra, seu in terræ specubus, siue secundum ampliorem partem, uel ex eo quòd ad unũ locum natiuam ferant procliuitatem. Quæ interpretationes, etsi quodammodo uelut diuersę nobis prima fronte obijciantur, minimè attamen aduersæ sunt, uel repugnantes: quamuis primam D. Basilij interpretationem elegantiorem esse, alteram probatiorem, atque textui magis accommodatam; postremam verò nimis lato sensu, quod intendit Moses, explicare censeam. Porrò maria omnia terram alluentia inuicem connecti, Geographis non est incompertũ. Homerus in Iliade Oceanũ à quatuor Orbis cardinibus, Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione, terram finire tradidit, teste Hamero Commentatione in Genesim. Oceanum ab Occasu Atlanticum, à Borea glacialem,

Duæ postremæ sententię reprobantur.

Augustini expositio reijcitur.

Quæ sententia acceptanda.

Maria omnia simul connectuntur. Oceani varię denominationes.

cialem, quoniam sempiterna glacie concretus, & congelatus est, seu Cronos ab insula Crono, & Mortuũ; Ab Oriente, Eoum,& Indicum; A meridie Aethiopicum, & Rubrum, teste Dionysio, Ptolemæo, Strabone, & veteribus Geographis, quanquã unicus sit, appellari perspectum est. Porrò Geographi recentiores, qui typum Orbis terrarum longè solertiori cura, ac diligentiori studio delineant; quanquam inter Orientale, atque Occidentale mare, Americam, nouumque Mundum intersertum incidant, attamen per fretum Megellanicum ipsa connecti tradunt, atque sub polis amplissimas & incognitas terras considere asserunt. Sed tùm ueterem, tùm Mundum nouum Oceano allui, non inficiantur. Maria celeberrima, quæ sinus nomen uendicarunt, ut Magnũ Gangeticum, Persicum (Arabicum, quod Scripturis Rubrum est) & quæ neoterici tradunt Septentrionalia, Oddicum ad Sueuicum enare; Granuicum aperta habere in Oceano ostia claret. Mediterraneum cum suis finibus à palude Meotide exordio sumpto, & per Euxinum, Propontidem, Aegęum, inde per maria ea delabens, quorum plura memorat Basilius Homilia quarta Hexęmeron, & Ambrosius Hexęmeron libro tertio; sed vberiùs Damascenus libro secundo Orthodoxæ Fidei (de quibus consulas tantum Patrem) in Oceanum effundi per fretum Herculeum, seu Gadditanum patentissimum est. Superest difficultas de mari Caspio, de quo apud scriptores non liquet quomodo cæteris connectatur. Strabo, Plinius, Dionysius de situ Orbis, & Basilius, Ambrosius, ac plurimi ex neotericis, mare Caspium cum Oceano per internos terræ meatus commisceri arbitrantur. Herodotus, Aristoteles secundo Meteororum, Ptolemeus in Geographicis enarrationibus, ac alij graues scriptores, Caspium nec aquam ex Oceano, sed ex pluribus ingentibus fluminibus depromere, nec in Arcticum, sed per occultos alueos in Euxinum se exonerare tradiderunt.

Cap. 3.
Cap. 25.

An mare Caspiũ cũ alijs iungatur.

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia quarta.

Quanquam & Hyrcanum, Caspiumque mare sunt, qui seorsum circumscripta suis esse finibus arbitrentur. Sed si ijs, qui in describendis terris operam nauarunt, mentem adhibere oporteat, hæc inter sese per meatus suos commiscentur, & omnia permeant ad mare maximum, atque confluunt: quemadmodum & mare Rubrum ad id, quod est trans Gades mare Oceanum tendere, eique coniunctum esse ferunt.

Verùm si vastissimum flumen illud Obij vocatum, origine incomperta è terra erumpens, atque in Arcticum Oceanum se effundens, non ab alio, quàm à Caspio per latentes meatus terræ egreditur (ut Geographi nuperi asseuerarunt, & Gherardus Mercator in sua excusa Europa notat, nullus certè linquitur amplius ambigendi locus, quin cum Patribus Caspium Arctico Oceano continuari perhibeamus. Consulat de his Lector curiosus Iulium Scaligerum de mari Caspio aduersus Cardanum disserentem; consulat & Abraham Ortellium, & alios fusiùs ista pertractantes.

Caspium mare cum alijs nectitur.

Nùm mare in sui exordio fuerit salsum et amarum.

Elegantem hanc indaginem prætermittere non possum, cùm videam Patrum nonnullos in utranq; sententiam raptos. Alij siquidem primęuas aquas dulces extasse edisserunt; alij Deum opificem dulces ab amaris dissecasse, easque in fontibus, fluminibus, & lacubus constituisse, has uerò in pelagus coëgisse & coaceruasse malunt.

Mare amarum & salsum ab origine & natura extare.

Aristoteles secundo Meteororum, antiquorum sententiam narrat, qui terram in Mundi genesi aquis obrutam, & Solis calore post arefactam asserebant, eo euentu, quòd aquæ superextantes salsedine refertæ, vt crassæ & terrestres mare salsum euaserint.

Empedocles, qui Mundum, & mare non æterna, sed extructa fuisse quandoque credit, mari congenitam esse salsedinem censuit, eo quòd mare ex sudore terræ effectum voluerit, sudorem autem, sicut & alia quæcunque excrementa, salsedine oppletum esse putarit. Hoc ipsi ascribit Aristoteles libro secundo Meteororum, simulq; etiam ipsius sententiam repudiat. Primò ea ratione, quoniam non assignauerit caussam, quare sudor

Cap. 3.

re sudor salsus debeat existimari. Deinde, quia si maris aqua sudor terræ esset, dubio procul aqua maris minor quàm tellus existeret, cùm superfluitas eo corpore, à quo prosilit, semper minor extet. Tandem, si terra quandoque Solis calore sudasset, profectò eadem de caussa, ait, semper sudaret, quod falsum esse experimur.

PHILO quasi pari doctrina connatam esse mari salsedinem enarrat, id Deo adscribēs quod Philosophi casui attribuerunt. Libro enim de Mūdi opificio hæc habet.

Post hæc, quoniam vniuersa aqua in totam terram diffusa erat, omnesque eius partes penetrauerat, quemadmodum spongia humorem combibit, vt ceu palus quædam cœnosa ex vtroque elemento macerato confunderetur, & quodammodo fermentaretur in vnam indiscretam, informemque naturam: iubet Deus, quicquid aquarum salsum erat, ac proinde offecturum fertilitati satorum, & arborum, collectum in vnum confluere ex omnibus terræ foraminibus: tùm aridam emergere, dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem.

Sententia, mare sua natura, & exordio, salsedinem non attulisse asserens.

Philosophi uetusti quāquā mare cum Mundo æternum astruant, & ingenitum censeant: salsedinem tamen non ex natura mari congenitam, sed contingenter superadiunctam tradunt; diuersasque huiusce rei caussas pandunt. Anaximander, & Diogenes, qui mare ingenitum asseuerabant, salsedinem in eo genitā rebantur, eo quòd ipsum Mundi excrementum putarent; ea autem natura sit excrementi secundum eorum placita, vt salsedine aspergatur. Anaxagoras, & Metrodorus ingenitum mare cum Mundo pariter autumabant, sed genitam esse salsedinem in eo censebant, ex eo quòd collecta aqua extollatur per partes salsas, quas in aquis comperiri, vti & in terra sunt Lib.2.Meteo.
partes alluminosæ salsæ & siccæ, opinabantur. Aristoteles quanquam Mundū æternū astruat, salsedinē attamen non natura, sed ex accidenti pariter contingere mari edocuit, ea de caussa, quòd Solis concoctione non tantùm vapor humidus aqueus ex superficie maris in aërem extollatur, qui in nubem condensetur: sed ex pelagi profundo vapor frigidus, siccus, & terrestris ad maris superficiem subleuetur, qui cùm extrahi non possit, eo quòd crassus, densusque sit, in superficiē dispergitur, cuius affectione mare salsum redditur: hisque indicijs hoc ipsum ut uerū firmare contendit. Primùm, quia australes aquæ magis salsæ sunt quàm boreales, nam flante vento australi plures extolluntur exhalationes calidæ, siccæ, & terrestres. Deinde, quòd aquæ maris quibusvis alijs, quæ ex commistione calidæ sunt, & siccæ, profectò calidiores existant. Amplius, quoniam aquæ per poros in vase haustæ, propter crassioris humoris seclusionem, dulces comperiuntur. Insuper, quòd aqua maris cæteris crassior sit & grauior. Ad hæc, quoniā linea vestis in mari lota sordescat. Tandem, quia stagnum in Palæstina, & lacus alius in Arabia, ex ea terrestris, & sicci humoris permistione, salsa pariter reperiantur. Quare si iuxta horum Philosophorum sententiam, non ex natura, sed contingentibus de caussis mare salsum efficitur, certè si Mundus ab ipsis non æternus assereretur, mare primùm dulce extasse fateri cogerentur.

Patres, & Mundum à Deo conditum constanter ex fide autumant, & tertia die molem aquarum terram inundantem congregatam fuisse à Deo, mariaque effecisse volūt; mariq́ue ipsi salsedinem aduentitiam decernunt, & caussam ab Aristotele deductā cuncti ferè approbant. Sufficiat autem mihi aliquorum dicta referre.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite nono.

Fit autem salsum mare, Sole semper, & alijs (vt Siphones quidam) quod subtilissimum est attrahentibus: vnde & nubes consistunt, & nubes gignuntur dulci euaporata aqua.

ANSELMVS Cantuariensis libro primo de Imagine Mundi, capite vigesimosecundo.

Oceanus idcircò perdurat salsus, tot fluminibus, ac pluuijs irrigatus, quia exhausto à Sole, dulci, tenuique liquore, quem facilius ignea vis contrahit, amnis asperior, crassiorque relinquitur: ideò summa pars maris vnda est dulcior, profunda amarior.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycumlibro secundo.

Aquæ potu salubres operiunt primam superficiem terræ.

ANA-

ANASTASIVS Synaita Commentarijs in Hexæmerō libro tertio. *Deus enim ab initio ipsum fecit aquam dulcem: mutatum est autem tempore, ab aëre & elementis effectum salsum diuina permissione, præfigurans, ac prius describens humani maris mutationem, quod ex virtute est conuersum in salsum vitium, quod Christus mutauit in melius per mare baptismatis.*

Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Iunilius, Procopius idipsum, si non clare produnt, insinuant saltem, cùm unam aquarum naturam in exordijs manatam velint, vt decerpere est ex eorum Commentarijs.

AVCTOR.

Facilis est mihi huius controuersiæ definitio. Aquæ non connatam esse ex natura salsedinem, Philosophi clarissimè demonstrant. Principiò, quoniam affectiones alicui ex natura & per se, ut aiunt, inditæ, omnibus ea natura præditis insunt, at non omnis aqua salsa est, cùm fontes, flumina, lacusque amplissimi dulces spectentur. Deinde, si salsedo aquæ connaturalis esset, ab ipsa depurari non posset, & tamen per meatus succutaneos egressis è mari aquis defæcari eas, dulcesque fieri experimur. Quòd si aduentitia est salsedo aquæ, Deus sapientissimus opifex, cùm aquam natura præstātem produxerit, dulcem vtique effecit, omnisque salsedinis & amaritudinis expertem. Rursum, mare suo exordio fuisse dulce euincitur, quoniam ante Solem iuxta priscorum omnium Patrum doctrinam conditum fuerat, quare cùm Sol adhuc non torreret, atra illa exhalatione Solis radijs attracta aspergi in sui exordio, inficique non potuit. Præterea, cùm Moses aquas per firmamentum à Deo distractas atque seiunctas fuisse enarret: igitur homogeneæ erant, in unumque corpus conflabantur: quemadmodum ergo supercœlestes aquæ, si fluidæ aquæ super Cęlos sunt elatę, dulces existimantur, & aquæ in fontibus, lacubus, amnibusque considentes, dulces hauriuntur: non secus profectò, & quę resederunt in mari, cùm earum omnium una esset ratio naturæ, unaque affectionum cōsensio, dulces ab initio scaturisse cēsendū est. Muneris autē mei nō esse opinor, salsedinis maris caussas nunc inuestigare: Nùm scilicet ex eo, quòd mare sudor sit terræ, ut uoluit Empedocles; An quia excrementum Mundi, vt censuit Anaximander, & Diogenes; Nùm etiā quoniā per nonnullas aquæ venas salsedo extollatur, vt dixere Anaxagoras, & Metrodorus; Nùm euaporatione, concoctioneq; crassioris humoris à Sole peracta, vt docuit Aristoteles; Nùm quòd sedimentum sit omnium aquarum; Nùm quoniam terræ adustæ infectione exuratur; Nùm quòd sulphureis uenis commisceatur; Nùm tandem, quia amplissimos amnes salsos in vtero conglutinet. Tot enim referuntur de salsedine maris apud antiquos & nuperos sententiæ, quarum nonullas Aristoteles secūdo Meteororum memorat, & reijcit. Tertia igitur hac die, æquora cuncta genituram suam omnibus numeris absolutam percepere. Hac Oceanus omnis ortus est, à Borea Oceanus ille sempiterna glacie concretus, Hyperboreus, Sarmaticus, & Scythicus; Ab occasu Hesperus, Atlanticus, Calidonius, Germanicus cum Sueuico, & Goddico sinibus; A meridie Aethyopicus, Indicus, Ruber cum Arabico, Persico, Gangetico, & magno illo sinu, quem amplissimum mare nunc agnoscunt; Ab ortu, Eous, & veteribus ignoti Cinnus, Surrus, & Pacificum immensum mare. Hac pariter die Mediterraneum æquor, ex prouincijs quas alluit, uiginti ferè nomina sibi vendicās, per Aegeū, & Hellespontum, & Propontidem, & Bosphorum thracium in Euxinum ascendens: Hac Caspium undique conclusum. Hac insignes lacus, Erno, Acronius, Lemanus, Larius, Penninus, Benacus, Genesareth, Asphaltides, Mariane. Hac flumina illustriora Tamarus, Tagus, Iberus, Betis, Rhodanus, Ligeris, Sequana, Rhenus, Albis, Vistula, Danubius, Sauus, Drauus, Padus, Arnus, Tiberis, Tanais, Tibiscus, Boresthenes in Europa; Nilus Niger in Aphrica, Iordanus, Indus, Ganges, Tigris, Araxes, Volga, Obii in Asia; prætermissis innumeris ferè alijs fluminibus, magnitudine, & nomine his non comparandis, ortum susceperunt.

De Genesi Continentis, seu Orbis terrarum.

Natalia conspeximus maris; ad prosilitionem accedamus globi habitabilis, seù orbis terrarum illius, quem prisci in quinque Zonas; nempe in torridam, duas temperatas, & duas

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et appareat arida.

a. *Legendum, Et videbitur arida.*
b. *Appareat arida: hoc est, Fiat terra, seu accipiat terra visibilem formam.*

& duas incultas secarūt: quem Homerus in Iliade, Aristoteles libris de Mundo, & Dionysius insulam vocarunt; quem chlamydis speciem ferre Strabo dixit; quem in Asiam, Africam, Europam suis conseptas insulis, Ptolemæus, Plinius, Strabo, Pomponius, Solinus, Dionysius, cunctique veteres seiunxere: quem Nuperi, Americam quasi nouum Mundum adiungentes, mirificè ampliarunt.

Et appareat arida.

Poscit institutum nostrum, vt aliquid de editione dicamus:

a. *Legendum, Et videbitur arida.*

Obseruationes Hebraicæ, Et appareat, vt videatur adnotant.

LVSITANVS in Adnotationibus.

Et quod dicitur Appareat, passiuè in Hebræo ponitur, & verti potest; Et videbitur arida. Vocatur autem terra sicca, seu arida, à Iabas, quod est exiccare. Dicitur autem terra arida, seu sicca, non quòd sit arena, quæ infructifera & sterilis est; sed quia ab aquis exiccata fuit à Deo.

Sed meo iudicio parum interest, nùm dicamus, Videbitur, arida, nùm, Appareat arida &c. quapropter ad expositiones Patrum accedendum est.

b. *Appareat arida: hoc est, Fiat terra, seu accipiat terra visibilem formam.*

Primo loco ea se nobis offert sententia, quæ hac tertia die elementa cōdita astruens, ipsam terræ apparitionem ipsiusmet terræ formationem, & congestionem interpretatur; cuius sententiæ propugnatorum, Augustini scilicet, Eucherij, Bedæ, Halensis iam suprà dicta retulimus. Verùm claritatis maioris gratia, quid de terra singulariter effati sint, reiterandum duco.

AVGVSTINVS contra Manichæos libro primo, cap. duodecimo.

Et quod dicitur, Appareat arida; quid aliud dici intelligendum est, nisi vt illa materia accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista, quam videmus & tangimus? Superius ergo, quod nominabatur terra inuisibilis & incomposita, materiæ confusio, & obscuritas nominabatur: & quod nominabatur aqua, super quā ferebatur spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc verò aqua ista, & terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas, quas nunc videmus acciperet.

Et de Genesi imperfecto, capite decimo.

Et ipsum appareat arida, quod positum est, terræ formatio intelligi potest, vt hanc haberet speciem terra quam cernimus; Inuisibilis enim & incomposita dicta erat, cùm adhuc materiæ species deesset.

Consimilia habet de Genesi ad literam libro secundo, capite vndecimo: & contra aduersarium legis, & Prophetarum libro primo, capite tertiodecimo, vt supra referebamus.

EVCHERIVS Augustini sententiam delibauit Commentarijs in Genesim libro primo, capite quarto.

Appareat arida. Quid hic aliud intelligendum est, nisi vt illa materia accipiat visibilem formam, quam nunc terram istam videmus habere? Superius enim quando cognominabatur terra inanis & vacua, ipsa rerum materia nominabatur, nondum generibus creaturarum impleta corporalium: & quod nominabatur aqua, supra quam ferebatur spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc verò aqua ista, & terra formatur

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et appareat arida.

a. *Appareat arida: hoc est, Exeratur Terra ex Chaos.*

matur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formam aquæ istæ, quas nunc videmus, acciperent.

BEDA Expositione in Genesim.

Appareat arida, vt illa materies acciperet visibilem formam, quam nunc habet terra, quam videmus.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino his verbis idipsum tradit.

Congregentur aquæ, & appareat arida. Intelligamus hæc duo proprias formas accepisse nobis notas & tractabiles, aquam scilicet mobilem, terram immobilem. Vnde aqua congregatur, terra apparet: aqua enim labilis & fluxa terra, stabilis fixa.

Alexander Halensis, vt supra relatum est, Augustini mutuauit narrationem.

a. *Appareat arida: hoc est, Exeratur Terra ex Chaos.*

PHILO libro de Mundi opificio, cùm vsq; ad secundum diem gesta de Mundo intelligibili interpretetur, secunda autem Cœlum manasse, tertia verò aquas salsas, offecturasque terræ ab ipsa terra eductas, & haustas asserat, certè non nisi ex rudi quadam massa hæc elementa hac die speciem suam suscepisse est arbitratus, quod etiā eius oratio demonstrat. Ait enim.

Post hæc quoniam vniuersa aqua in totam terram diffusa erat, omnesque eius partes penetrauerat, quemadmodum spongia humorem combibit, vt ceu palus quædam cœnosa ex vtroque elemento macerato confunderetur, & quodammodo fermentaretur in vnam indiscretam, informemque naturam: iubet Deus quicquid aquarum salsum erat, ac proinde offecturum fertilitati satorum, & arborum, collectum in vnum confluere ex omnibus terræ foraminibus: tùm aridam emergere, dulci humore in ea relicto ad eius perpetuitatem.

GREGORIVS Nyssenus libro de Historia sex dierum, quibus Mundus à Deo creatus est, cuncta elementa in primo Chaos adeò confusa fuisse, commiscelataque, vt peculiari non prædita essent forma, nec suis qualitatibus cohonestata, existimauit, atque tertia die terram & aquam sua sumpsisse exordia arbitratus est. Quapropter de terra primò hæc habet.

Terra autem erat inuisibilis & incondita, vt ex hoc perspicuum sit, quòd potentia quidem omnia erant in primo Dei motu, atque impetu, quo ad creandum mouebatur, veluti seminaria quadam vi ad vniuersitatis ortum congesta; sed in effectu res singulæ nondum erant. Terra enim, inquit, erat inuisibilis & incondita. Quod perinde est, ac si diceret; Erat, & non erat: nondum enim circa eam concurrerant qualitates. Atque hanc sententiam demonstrat esse veram, quòd inuisibilem eam Scriptura fuisse dicit. Quod enim sub visum cadit, color est: color autem superficialis figurę veluti quoddam defluuium est: Figura verò non est absque corpore. Si igitur inuisibilis, prorsus etiam coloris expers erat. Cum hoc autem vnà consideratur, & intelligitur etiam id, quod figura caret; atque cum illo incorporeum. Igitur in ea, quæ comprehensim ac repentè accidit, molitione, atque congestione Mundi erat quidem terra in rerum natura, sicut etiam reliqua omnia; expectabat autem, vt per qualitatum structuram, & compositionem, fieret id, quod est. Per hoc enim, quòd dicit eam inuisibilem fuisse, Scriptura indicat, quòd nec alia quidem aliqua qualitas circa eam animaduersa sit: per hoc item, quòd eam inconditam nominauit, dat intelligere, & innuit eam nondum corporeis proprietatibus densatam & consolidatam fuisse. Et post. *Significatur enim per hæc, prout mea quidem opinio fert, per illaboratum quidem, siue incultum, quòd in effectu quidē & actu terra nondum esset, sed in sola potentia, ac vi, hoc vt esset, haberet: per rude & indigestum, quòd nondum qualitates altera ab altera separatæ essent, vt per sese peculiariter vnaquæque qualitas agnosceretur, sed in confusa quadam, indiscreta, atque indigesta qualitate, ac mole, res vniuersæ conspicerentur: quum non color, non figura, non corpus, non pondus, non quantitas, non aliud quicquam tale per sese secundum propriam rationem in subiecto spectaretur.* Et Post. *Cùm terrena qualitas adhuc cum humida natura commixta esset, cuius erat alterius, terram quidem suis consolidare qualitatibus, vt insitum ex ipsa exprimeret humorem: aquam autem à commixtione terræ separare, & circa seipsam terræ cauernis cobibitam, & coërcitam colligere, & congregare?* Et ... omnibus eius particulis ad res cognatas coactis, atque compressis, per condensationem & constipationem

Appa-

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et appareat arida.

a. *Idest, Collectis aquis Dei præcepto appareat terra, quæ latebat.*

a. *Appareat arida, idest, collectis aquis Dei præcepto appareat terra, quæ latebat.*

Patres ferè omnes Græci in hanc proficiscuntur sententiam, vt apparitio ipsa terræ non fuerit eius congestio, seù ex Chaos eductio, sed ex aquis detectio.

BASILIVS in Hexæmeron Homilia quarta.

Quot mihi negocia, quot molestias afferebas in ijs, quæ antea dicebantur, caussam postulando, quomodo tellus inuisibilis fuerit, cùm omne corpus colorem suapte natura obtineat, ac proinde omne corpus sensibile sit visu. Et forsitan ea quæ disseruimus ibi, satisfacere tibi non videbantur: cùm diceremus inuisibile non respectu naturæ, sed nostri, dictum à Scriptura fuisse, propter obiectionem aquæ tunc vniuersam tellurem operientis. Ecce nunc audi ipsam Scripturam seipsam explanantem. Congregentur aquæ, & appareat arida. Contrahuntur vela, vt aspectui sese obijciat ea, quæ eatenus non conspiciebatur.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite secundo.

Congregetur, inquit, aqua, quæ sub Cælo est, in congregationem vnam, & appareat arida. Et factum est sic. Fortasse parum crediderit aliquis superioribus sermonibus nostris, quibus tractauimus, inuisibilem ideò fuisse terram, quòd aquis operta tegeretur, vt corporeis oculis videri non posset. Ad se enim Propheta retulit, hoc est ad nostram conditionem, non ad diuinæ maiestatem naturæ, quæ vtique omnia videt. Sed vt aduertatis, quia non quasi nostri ingenij probandi gratia, sed vestræ caussa instructionis suscepimus hunc tractandi laborem: adstipulante nobis lectionis serie testificamur, quæ apertè probat, post congregationem aquæ quæ erat super terram, & post deriuationem eius in maria, apparuisse aridam. Desinant ergo, qui nobis dialecticis disputationibus mouere negocia solent, dicentes; Quomodo terra inuisibilis, cùm omni corpori naturaliter & species, & color insit: omnis autem color sit subiectus aspectui? Clamat Dei vox; Congregetur aqua, & appareat arida. Et iterum Scriptura dicit; Congregata est aqua in congregationem vnam, & apparuit arida. Quid opus fuit iterare, nisi occurrendum quæstionibus iudicasset Propheta? Nonne videtur dicere; Non dixi inuisibilem secundum naturam, sed secundum superfusionem aquarum? Denique addidit sublato velamine apparuisse aridam, quæ ante non videbatur.

CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia quinta.

Congregetur aqua, quæ sub Cęlo, in congregationem vnam, & appareat arida. Et factum est ita. Vt de hic, obsecro dilecte, ordinem, & consequentiam optimam. Quia dixerat in principio; Terra erat inuisibilis & inculta, eò quòd tenebris & aquis obtegebatur: & deinde iussit die secundo, vt esset firmamentum, quod aquarum separationem faceret, vocauitque firmamentum Cœlum: nunc iterum docet nos, quòd præceperit in die tertio aquæ, quæ sub Cęlo, hoc est, firmamento, vt in vnam congregationem conueniat, & faciat apparere locum aridæ. Et factum est sic. Quia enim omnia impleta erant aquis, iussit in vnam congregationem aquarum multitudinem concedere, vt sic appareret arida. Vide quomodo paulatim illius nobis pulchritudinem & ornatum ostendit.

CYRILLVS in Genesim libro primo.

Creatis igitur primùm Cęlo & terra, deinde aquarum copia in vnum locum contracta (parere enim necesse fuit illi dicenti; Congregentur aquæ in locum vnum) terra subinde detegebatur, & herbarum ita varia specie exornabatur.

THEODORETVS Quæstione quarta in Genesim.

Terra autem erat: sed quod sequitur subiunxit; Terra autem erat inuisibilis, & incomposita; hoc est, creata quidem est à Deo omnium conditore, sed adhuc inuisibilis erat, aquis nempè circundata: & incomposita, eò quòd nondum ornata erat germinibus, neque consita pratis, nemoribus, & segetibus.

Denudata est autem tertia die, & exornata.

DAMASCENVS de Fide Orthodoxa libro secundo, capite nono.

In principio igitur aqua super omnem terram effundebatur: & primùm quidem fecit Deus firmamentum, dirimens

dirimens per medium aquam quæ erat super firmamentum, ab ea quæ infra firmamentum. In medio enim abyssi, imperio Domini factum est firmamentum. Vnde & dixit Deus; Fiat firmamentum, & factum est. Et Post. *Deinde præcepit Deus, vt congregarentur aquæ in vnam congregationem, & dicendo in vnam congregationem, non significat in loco vno illas congregasse (nam vides, vt postea dicat, & consistentias aquarum vocauit maria) sed secundum seipsas à terra separatas simul factas esse aquas, ostendit hic sermo; Congregatæ sunt igitur aquæ in congregationes suas, & apparuit arida.*

IVNILIVS in Hexæmeron.

Subduntur aquæ, quæ inter Cœlum & terram vniuersa impleuerant, & vnum congregantur in locum: vt terra quæ latebat, appareret: quæque contecta aquis limosa manebat & inualida, harum abscessu redderetur arida, & suscipiendis apta germinibus.

Glossa hæc ipsa paucis mutatis uerbis; & Magister sententiarũ secundo, distinctione quartadecima, pariter desumpsere.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite vigesimo secundo.

Quomodo congregentur dixit in locum vnum, nisi ac si diceret, secedant hinc & hinc aquæ, & confluant seorsum & seorsum, nullumque operi proposito faciant impedimentum? Quò enim tendebat summa artificis industria, nisi ad hoc quod ait, & appareat arida? Aridam quærebat iamdudum latentem in profundo abyssi, antequam diuideret & aquas ab aquis, quam solus ibi esse nouerat, qui solus creauerat. Quærebat, (inquam) aridam, magni & pulcherrimi operis materiam, quod apud se pertractabat miro & ineffabili consilio, de infima & ignobili massa Cœli sui superioris aurea peronaturus pallacia. Hac ergo inuenta, vidit Deus quòd esset bonum vidit inquam, nec suus eum visus fefellit. Nam sicut tunc vidit, ita nunc factum est, quia videlicet de arida veritas orta est, quæ ortum in Cœlo superaret.

Adeamus & Ecclesiasticos Poëtas.

TERTVLLIANVS in Poëmate inscripto Genesis.

Tertia lux faciem terrarum fulua retexit,
Arida mox posito narratur nomine terra;

CLAVDIVS Marius Victor Commentarijs in Genesim libro primo.

Tertia lux tumidos stupuit discedere fluctus,
Cùm Deus impulsis reliqui iam gurgitis vndis,
Aëriis magnum spatijs patefecit inane:
Arida tunc primùm Mundi pars ima retactam
Ostendit faciem, tremefactaque numine Verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.

ALCIMVS Auitus libro primo de origine Mundi.

Iam Pater omnipotens librantis pondere Verbi
Vndique collectis discreuerat arida lymphis,
Littoribus pontum constringens, flumina ripis.

Et Ecclesia in Hymno Vesperarum, tertiæ feriæ.

Telluris ingens Conditor, Pulsis aquæ molestijs,
Mundi solum qui eruens Terram dedisti immobilem.

D. BONAVENTVRA Sententiarũ secundo, distinctione quartadecima, quanquam hac tertia die elementa prodijsse in suam speciem opinetur, per clausulam tamen illam, Appareat arida, terræ denudationem significari uoluit.

Tria dicit Scriptura: Primò, propter elementorum distinctionem, Congregentur aquæ in locum vnum. Secundò verò, propter superficiei terræ denudationem, Et appareat arida. Tertiò propter irrigationem, quam ab aquis suscepit, vt germinare possit, dicit, Vocauit aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria.

Censuit igitur Bonauẽtura primùm peractam fuisse distinctionem, seu seorsum structuram elementorum, deinde terræ denudationem, quanquam hæc omnia eadem die.

TOSTATVS pariter anceps an aqua, & terra emerserint ex Chaos secunda, seu tertia die, post elementorũ attamẽ cõgestionẽ & aquæ desicationẽ censuit fuisse effectam, eo euentu, quòd desiccationem per spiritum Domini, hoc est per ventum validum, non momento, sed sensim, & paulatim factam arbitratur. Quapropter exponit.

Appareat arida; idest terra, quæ ante latebat sub aquis, incipiat apparere quantum ad aliquam partem, scilicet habitabilem.

LY-

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et appareat arida.

a. *Absumptis aquis, vel in aërem immutatis apparuit terra.*
b *Crassa nebula dissoluta, aëreque sereno reddito, apparuit terra.*

LYRANVS à Patribus non abscessisset, si suam declarasset sententiam, cùm elementa in exordio temporum conflata deprædicet, hac verò tertia die ad inuicem disiuncta. Ait enim, vt referebamus.

Hic consequenter describitur opus tertij diei, quo distincta sunt elementa; quæ distinctio facta, est per hoc quòd aqua priùs producta in forma substantiali, vt prædictum est, accepit tunc à Deo debitam densitatem: & sic occupauit minorem locum, aëris spatium dimittendo: & per hoc, quòd virtute diuina factæ sunt concauitates in terra, vbi recepta est pars aquarum: & sic apparuit pars terræ discooperta aquis, ad habitationem hominum, & animalium: & sic fuerunt elementa distincta in locis sibi debitis.

Nuperi Doctores, qui à primordijs temporum terram ab aquis circumuallatam dixere, omnes in hanc sententiam abeunt. Pererius, Vielmius, Aegidius, Catherinus, Guilielmus Parisiensis, Dionysius Chartusianus, & Burgensis, quanquam ipse detectionem terræ ex distantia centri prouenisse credat, & perperam: sed in rebus claris nuperos, nisi peculiaris eorum sit assertio, recensere meum non est institutum.

a. *Absumptis aquis, vel in aërem immutatis apparuit terra.*

Quamplures, non tantùm aquarum vndique exundantium collectione, sed ipsarum absumptione apparuisse terras autumarunt. Alij profectò, validissima exiccatione absumptas eas putarunt, vt Rabbini, & ex nostris Tostatus: Alij exurentis torrentisque Solis concoctione, & attractione in aërem immutatas opinãtur, vt Steuchus. Quorum placita iam supra cumulatè recitata sunt.

b. *Crassa nebula dissoluta, aëreq; sereno reddito, apparuit terra.*

HVGO Victorinus noster, qui elementa sub nebulæ obdensæ specie aëris spatia obruentia circumeffundi arbitrabatur, eius dissolutione, sereno, puroq; relicto aëre, terram apparuisse definit libro primo de Sacramentis Fidei, parte prima, capite vigesimoprimo.

Aquarum natura in principio tenuis admodum leuisque, & in modum nebulæ cuiusdam dispersa: postquàm diuina virtute, & iussione in vnam (vt ita dixerim) massam compingi quodammodo, atque densari cœpit, ipso suo pondere deorsum vergens, in ima collapsa à terra recepta est, spatiumque illud, quod desuper vsque ad ipsum firmamentum occupauerat, serenum, purumque dereliquit. Ipsa quoque terræ superficies (aquis omnibus inter alueos suos conclusis) apparere cœpit. Primò quidem lutulenta, & lubrica, nudaque, velut quæ germina necdum vlla protulisset, quibus vestiri, & superduci potuisset.

RICHARDVS Exceptionum libro secundo, capite septimo, idipsum edocet.

Tertia die, iussu diuino moles aquarum, quæ spatium illud, quod inter Cœlum & terram est, occupatum tenebat, deorsum versa, in abyssum descendit, & sic aër in medio purus & serenus remansit.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ, capite quinto, & Hugo Carensis in Postillis in hanc proficiscuntur interpretationem.

Et potuit esse, vt aquæ, quæ totum aëris spatium occupabant vaporabiles, solidatæ modicum obtineant locum vel terra paululum subsedit, vt eas tanquam in matrice concluderet & sic apparuit arida terra scilicet, quæ prius latebat sub aquis.

Nam ambo eadem oratione, nec apice prorsus mutato id ipsum produnt.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et appareat arida.

a. *Hoc est eleuetur Terra.*

a. Appareat arida, hoc est eleuetur Terra.

CAIETANVS, sicuti singulari assertione aquas per condensationem coactas autumauit, ita per eleuationem Terram apparuisse edocuit. Vnde habet.

Describitur itaque tùm elementi aquæ condensatio per congregationem, tùm terræ eleuatio per apparitionem sicci ex congregatione aquarum.

AVCTOR.

Sentētiarum de hac re diuersitas vnde.

Aduersæ, & repugnantes hæ Patrum sententiæ ex eo emergunt, quòd diuersa fuerit de primæui Chaos genere eorum assertio. Quapropter singulæ probandæ essent ab his, qui Mundi congestionis seriem ab eis delatam non abnuerent. Nam si Mundus momento conflatus tanquam per dies effectus narratur, ea serie, vt prima die Angelus, secunda Cœlum ex materia ea inuisibili, natura tantùm præextante, prosilierint, quemadmodum tradit Augustinus: certè cum ipsomet Augustino, & sectatoribus eius Eucherio, Beda, & alijs, hac tertia die per congregationem aquarum, ipsarū manationem, & per terræ apparitionem, ipsius in suam speciem constructionem, intelligere cogimur. Si autem primùm Chaos rude manasse, cum Nysseno diffiniemus, profectò hac tertia die, & aquarum congregatio, & terræ apparitio nil aliud erunt, quàm aquarum, & terrarum in proprias formas ex Chaos emersio. Rursum si aquas cæteris supremis elementis permistas, in nebulæ crassæ, ac obdensæ speciem cūcta obtexisse, opacasse, & obruisse, cum Hugone & alijs asseuerabimus, terræ vtique apparitio, ipsius aspectus erit, semota crassitie nubis, & aëre luce decorato. Verùm cùm nos illud genus Chaos probauerimus, quo & elementa in primordijs temporum producta astruebantur, & terra aquarum colluuie contecta fuisse prodebatur: reliquum nobis est, vt ipsam terræ apparitionem ex ea aquarum semotione prouenisse diffiniamus. Nec valdè refert, quòd delabentibus aquis, subsidenteque quibusdam in locis terra, in alijs sese extulerit, adeò vt & ipsa terræ apparitio ex eius eleuatione etiam profecta sit, vt edisserebat Caietanus, quòd assertioni Basilij, Ambrosij, Chrysostomi, Cyrilli, Theodoreti, Iunilij, Procopij, Tertulliani, cęterorumque Ecclesiasticorum Poëtarum, & Doctorū pręstantissimorum recentiorum à nobis amplexatæ non aduersetur, vel refragetur. Discutienda nobis hoc loco duo consimilia objciuntur; Quanam vi aresactus fuerit terrarum Orbis vastissimus; & Num simul cunctus, an particulatim sit desiccatus.

Sentētia propria.

Num Orbis terrarum cunctus simul Dei sola virtute; num verò particulatim Solis, vel Venti vi detectus fuerit.

Prisci Mundi sapientes, si Historiographis est adhibenda fides, qui terram in sui exordio vndique aquis fuisse obrutam vniformi sententia existimarunt: de Orbis exicatione duo admodum Mosi consentientia detulere. Primum tùm Solis ardore, tùm ventis arefactum fuisse. Hæc à Diodoro Siculo de Antiquitatibus libro primo, ex Euripidis Anaxagoræ discipuli doctrina delata.

Cap. 1.

EVSEBIVS de Præparatione Euangelica libro primo, capite quarto his tradit.

Vnam

Vnam enim ante initium omnium, Cœli & terræ cunctis simul confusis formam fuisse, postea disseparatis, diuisisq; molibus Vniuersi ordinem Mundi conspectum, aëraque motum habuisse continuũ, cuius partem quidem igneam ad superiores ascendisse partes, sursum sua propter leuitatem natura semper tendente; qua ex caussa, Solem, ac stellarum multitudinem volutione totius circumferri. Partem autem turbidam, atque terrestrem, vnà cum humidis, ad sima propter grauitatem loca descendisse, quam partem continuè longo tempore in ipsa conuolutam maria ex humiditate, ex durioribus terram lutosam, ac teneram concreasse; quàm primùm, postea quam Solaris calor exæstuauit, constipatam fuisse: deinde superficie calefacta, pluribus in locis corruptionem humidi esse consecutam; ex qua (vt etiam nunc in pluribus fieri solet) cùm subito ad transactum frigus calor exarsit, animalia concreta fuisse, quæ noctu à circumfusa caligine alebantur, & in die à calore solidiora reddebantur: ac postremò sufficiens iam crementum consequuta, erupisse ab illa colluuie varias has animalium formas. Quorum calidiora, leuioraque, ad altiora loca exiliisse, volucrum appellatione nuncupata; sicciora verò, ac grauiora, serpentibus ac terrenis connumerata; eodem quoque modo, humidiora in consentaneum sibi ipsis locum confluxisse, aquatica nuncupata, & sic animalium diuersa genera producta fuisse. Terram verò, postquam magis Sole, ac ventis induruit, nihil ex perfectioribus producere posse, ac ideò ex mutua sexuum coniunctione perfectiora generantur.

Alterum, quod huiusmodi sapientes existimarunt, est, non omnem terræ faciem, cũ ctarũq; terrarum plagas simul apparuisse exiccatas; sed eas prius, quæ intra æquatorem atque Arcticum polum extenduntur. Priuilegiumque istud collatum fuisse huic parti Hemisphærij nostri demonstrare contendunt: Primùm, quia regionis amplitudo hoc exposceret. In ipsa siquidem Europa, Asiaque omnis, & Aphricæ potior pars concluduntur. Geographis enim perspicuum est, Europæ totius australiorem partem esse Cretam; ipsamque à Cancri Tropico quindecim ferè gradibus distare: compertum etiam illis est, Asiæ amplissimæ regionis Promontorium, quod aurea Chersonessus nuncupatur, super omnes eius partes ad æquatorem magis sese protendere, sed ipsum non attingere. Aphricam etiam, cùm ab æquatore interseratur, angustiorem partem vltra eum dilatare tradunt. Deinde, quòd & regionis nobilitas id expetere videretur, cũ in hoc genus hominum propagatũ fuisse, potẽtissima Imperia erecta; Vrbes opulẽtissimas ac florentissimas conditas, rerũq; gestarum insigniora monumẽta in hoc contigisse ab omnibus vt verissimum ac patentissimum habeatur. Tandem quòd id Mundi situs etiã efflagitaret, nam Aquilonis partem hanc nostram Australi longè esse altiorem autumarunt; vt eleganter cecinit Poeta Ethnicus ille.

Mundus vt ad Scythiam, Riphæasque arduus arces
Consurgit, premitur Libiæ deuexus in Austros.

Quare aquæ ferè omnes, quarum natura est, decliuia & ima petere, ab aquilonaribus regionibus ad australes decucurrisse putarunt. Aristoteles maris aquas sub Arctico polo generari, in meridie decurrere tradidit Meteororum secundo. Quin eodem libro hanc educit propositionem; Sicut & secundum partem ex altis fluuios apparent fluere, sic & totius terræ ex altioribus, quæ ad Vrsam, fluxus fit plurimus: De eo autem quod est, ea, quæ ad Vrsam sunt, esse terræ alta, signum quoddam est & hoc, multos persuasos esse antiquorum Meteorologicorum Solem non fieri sub terra, sed circa terram, & locum hunc. Obscurari autem, & facere noctem, propterea quòd alta sit ad Vrsam terra. Hæc Aristoteles.

Herodotus Scythas supra Aegyptios antiquitatẽ suam probare enarrat hoc argumẽto; Quòd à rerum origo post exundantes vbique aquas alicubi sumpsit exordium; in Scythia incœpisse conuincitur; ex eo quòd aquæ à Boreali ad Australem plagam semper defluere conspicuum sit.

Plinius libro secundo, capite nonagesimoseptimo, Pontum in Propontidẽ transmeare, ac Propontidem, in Pontum non refluere his contestatur. Pontus semper extra meat in Propontidem introrsus in Pontum nunquam refluo mari. Et libro quarto capite tertiodecimo. Non est inquit omittenda multorum opinio, priusquam digrediamur à Ponto, qui maria omnia interiora illo capite nasci, non Gaditano freto existimauere, haud improbabili argumento, quoniam æstus semper è Ponto profluens nunquam reciprocetur. Hactenus Plinius.

Non

Anno Mūdi primo. Dies tertia.

Et appareat arida.

a. *Non tota simul, sed sensim per ventum validum.*
b. *Non cuncta simul, sed Solis ardore per partes.*
c. *Orbis terrarum cunctus simul Dei virtute detectus est.*

a. *Non tota simul, sed sensim per ventum validum.*

Rabbinorum non modici, & Tostatus Commentarijs in primum caput Geneseos, arbitrati sunt denudatā fuisse terram per ventum vehementem atque, urentem, à Deo in exordio emolitionis rerum, seù ante omnem diem immissum, & explicatum à Mose illis verbis; Spiritus Domini ferebatur super aquas. Idq́; factum autumant eo euentu, quo & aquæ Diluuij absumptæ sunt, & maris Rubri vndæ, vt Hebræis tutū pararetur iter, consimili vento sunt imminutæ, de quo scriptum est; Abstulit mare Dominus vento vehementi, & arente tota nocte, & vertit in siccum &c.

TOSTATVS itaque Commentarijs in Genesim.

Mansit autem terra madefacta, & limosa: ideò induxit Dominus ventum vrentem, flantem, scilicet Boream, & desiccauit terram, & iste ventus ferebatur super aquas separando, & desiccando aliquas remanentes in locis infimis, vel concauis. Et sic habetur Exodi decimoquarto capite, vbi dicitur, quòd quando Hebræi transituri erant mare Rubrum, Deus iuduxit ventum, qui desiccauit, & abstulit aquas: scilicet; Cùmq́; extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud dominus flante vento vehementi, & urenti tota nocte, & vertit in siccum. Iste sensus multum mihi placet, & hoc satis innuit litera nostra, quæ dicit, Ferebatur, quod signat motum, scilicet flare: & spiritus aliquando ventum notat, vt patet psalmo nono; Pluet super peccatores laqueos ignis, & spiritus procellarum, idest ventus impetuosus: sic etiam centesimo quadragesimo octauo; Ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum, idest ventus, quæ faciunt verbum eius.

b. *Non cuncta simul, sed Solis ardore per partes.*

STEVCHVS in Cosmopœia, efficacissimo Solis calore, aquam in aërē commutatam, terramq́ue paulatim denudatam, his tradidit.

Eo die, ac sequenti à Sole simul concoctis vastis aquis, aër, quem dicimus Cœlum, est creatus. Quod cùm eo temporis spatio Sol egisset, apparuere terræ, Solis ardore sublatis supra terras aquis. Nam cùm toto Oceano hæc lampas superuecta, circumquaque omnem aquarum orbem exureret, ab altioribus locis in depressiores aquæ considentes, terras vbique celsiores nudas reliquerunt.

c. *Orbis terrarum cunctus simul Dei virtute detectus est.*

Ex aduerso omnes ferè Patres, & Doctores, terræ detectum orbem simul, arefactumq́ue, non Solis aut ventorum vi, sed vnica Dei virtute passim scribunt.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta.

Non dixit, & appareat terra: ne rursum ipsam incōditam, ac incompositam ostendat, lutosam, atque aquis immixtam, nondum propria forma facultateque recepta. Et simul, ne telluris exiccatæ caussam Soli deferamus, terræ siccitatem generatione Solis vetustiorem opifex fecit. Animaduertas autem velim, his indicantem verbis Scripturam non solùm exundantes aquas de terræ superficie defluxisse, sed quicquid etiam aquarum per profunditatis totius dimensionem inerat immixtum, ipsi cessisse, inexorabilibus Domini iussis obtemperando. Et factum est ita. Satis fuerat id adiecisse ad indicandum opificis vocem in opus mox exijsse.

Quibus Basilius quasi momento, non tantùm aquas defluxisse à terra, sed & terrā exiccatam consimul arbitrari visus est, idque non Solis virtute, sed Dei.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite quinto.

Cùm enim dixerit Deus, quia factum est sic, satis esse putant vocem operatoris ad celebratæ operationis indicium.

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta.

Et factum est ita. Quomodo? Sicut præceperat Dominus. Dixit solùm, & opus subsequutum est. Hoc enim

enim peculiare Dei est, vt secundum voluntatem suam facturas suas moderetur.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Et factum est. Quibus verbis indicare voluit, opus semper subsequutum esse iussum, & voluntatem diuinam.

Sed ne in clarissima re operam perdamus, catenam quam distendere ingentem possemus, hoc loco recidamus.

AVCTOR.

Rabbini, Tostatus, & Steuchus, & si qui alij Patrum sententiæ refragari non veriti sunt, (quanquam non obscuri nominis Doctores) à cæcis Philosophis deducti, atque à certa frequentique, ac trita omnium ferè Doctorum, & Theologorum via deflectentes non planũ prorsus iter meo iudicio sibi pararunt, quin potius in manifestos errores inciderunt. Nam primò singula sex dierum opera, mirifica Dei potentia, atque ob id vnico per singulos dies momento fuisse effecta, Patres omnes Theologi edocent; nec inscienter. Dei opera siquidem nuncupata sunt non naturæ, quoniã Deus solus omnes agentium vices (natura tamen præbente dispositiones, vti supra demonstrabamus) egit. Igitur à semetipso, non Solis, vel venti ope ea effecit. Deinde in tanta temporis angustia, nec feruens lux, nec ventus vrens id perficere vllo pacto ualuissent: tantam enim aquarum molem, ac exundantiam immensam unico die, seu diei parte, Solem quanquam ardentissimum, & ventum licet validissimum absumere potuisse, quis vnquam senserit? Amplius non absumptas, sed congregatas fuisse aquas tradit Moses, & terram non post aquarum discessum madidam, sed aridam statim apparuisse contestatur. Deinde, eundem, qui cæterorum fuit dierum, tertij diei operis modum extasse censendum est. At lucem primo die: firmamentum secundo: luminaria atque astra quarto die, in momento ac repente prosilijsse, & non successione temporis paulatim emersisse, non est qui ambigat: quinimmo & plantas hac ipsa die folijs, floribus, fructibusque insignitas manasse, omnes meritò existimant, quamuis opportuna temporis spatia ad ea educenda non defluxerint: quapropter, & de congregatione aquarum terræque apparitione idem omninò deferendum est iudicium. Rursum, quæ aduersarij protulere, non admodum firma consistunt; nam si terra madefacta cunctas rerum species sua ui, & Solis ope sola edidisset, profectò turpem valdè originem germina etiam præstantissima traherent, quoniam excellentissimæ quoque germinum species ex putri genitæ dici, & nuncupari possent. Deinde quòd Borealis plaga ab æquatore ad Vrsam porrecta amplior sit, atque illustrior non renuo; tamen non id quod efflagitant, arguit, quoniam natura tantùm ex se operabatur, intellectusque non adfuit, qui hanc futuram eminentiam præuideret. Insuper, quòd terra Vrsam versus, altior sit, Philosophi ac Cosmographi inficiantur, qui ex terra, & aqua sphæram vnicam, vti Orbis centrum æquabiliter à Cœlo distare asserunt. Quòd aqua marium in plaga Septentrionali generetur, ad Austrumque defluat, ac ibi absumatur, non contingit (vt ipsemet testatur Aristoteles) ex eo quòd sit excelsior, sed eo quòd frigidior plaga, quæ profectò ad maiorem aquarum copiam gignendã aptior est, sicuti calidior ad eam absumendam; ob idque & Pontus in Propontidem effluit, & ille in Aegeum, ex aquarum ibi genitarum exundantia.

Sex dierum opera à Deo solo absque alterius caussæ ministerio.

Argumenta aduersantia eliduntur.

Augustini Eugubini assertio de luce Solis in triduo primo ardentissima, ac efficacissima à Philosophis irrideretur, quibus inconfesso est, Solem, vti inalterabilem augere lucem, vel minuere non posse. Theologis etiam non arridet: nam qui lucem primæuam, ignem, seu nebulam ignitam fuisse existimarunt, vt Nyssenus, atque Hugo, tenui ac exigua luce præditam eam fuisse asseuerarunt. Qui Solem ipso primo die productum affirmarunt, vel non omninò obdensatum, ac sua luce imbutum crediderunt, vti Aegidius, vel saltem ad influendum determinatos influxus vim non obtinuisse opinati sunt, vt D. Thomas. Hac autem assertione in duas se præcipitat Eugubinus repugnantias. Nam primùm ad Dei opificis summam potentiam, quam effugere conatur, confugit. Nec enim Sol supra naturam ardentiorem, ac efficaciorem lucem absque

Steuci assertio repudiatur.

absque Dei virtute adipisci potuit. Deinde, si calore suo Sol terram exiccasset; torridam primò Zonam (directo enim radio eam plagam percutit,) arefecisset, cùm tamen temperatam hanc arcticam prius arefactam ipse cum omnibus priscis Gentilibus astruat. Nec tutiora Tostatus detulit suæ sententiæ fundamenta. Si enim ventus est exhalatio frigida & sicca, seu calida & sicca, ex terra in aërem vi Solis rapta, vt omnes Philosophi contestantur, & si aquæ terram vndique obruebant, atque iactabant; quinam fieri potuit, vt gigneretur ventus adeò concitatus, ac furens, vt eam vastissimam aquarum colluuiem exiccare ualeret? Quòd si ventus non erat, sed aër Dei uirtute confractus, & agitatus; cùm hæc naturalis caussa non esset, ut quid Deum aëris potius commoti ministerio, tantam aquarum affluentiam exhaurisse, quàm solo sui imperio & præcepto idipsum unico momento persoluisse perhibebimus? Producta verò Diluuij, & maris Rubri mirifica exempla non id conuincunt: tùm quòd tempus ad eas efficiendas exiccationes requisitū adesset, tùm quia uenti naturaliter sufflare poterant; quæ duo huic diei defuere. Terram igitur non ab ardentissima luce Solis, seu ab vrente rapidissimoque uento, sed Dei opificis uirtute nullo creatarum rerum ministerio, nec per successionē, sed unico momento, uel die, nec paulatim & particulatim, sed uniuersam simul denudatam, detectam, constrictam, constipatamque fuisse, definiendum existimo.

Sumpsere hac die genesim suam Continentis, Orbisq; terrarū plagæ, tùm uetustæ, tùm nouæ. Hac die sumpsere natalia sua clarissimæ illæ Mundi ueteris partes, Asia, Aphrica, Europa, à Plinio, Lucano, Ptolemæo, Strabone, Dionysio nedum agnitę, sed vehementer celebratæ. Quanquam (vt apud Salustium, & Varronē cerni potest) nonnulli duas tantùm eas putarint, Aphricam: Europæ partem diiudicantes. Plagæ, inquā, à primò meridiano ad centesimum octuagesimum distentæ, & à paralello trigesimo-quinto, & vltra septuagesimum, nostrum Polum versus dilatatæ. Europa pulchritudine, & gloria præclarior cæteris, à Septentrione & Occasu, Oceano; à Meridie, Mediterraneo mari; ab Ortu, Aegęo, Euxino, Palude Meothide, Tanai fluuio, & Isthmo, ab eius fontibus ad sinum Granuicū ducto, concluditur. Illustres prouincias & insulas, à Ptolemæo ut insigniores recensitas, numero uiginti sex complectitur, de quibus apud Geographos. Asia, quæ magnitudine alijs amplior censetur, vndiq; Oceano, & Mediterraneo mari alluitur, & Nilo seu Isthmo ab Arabico ad Mediterraneum ab Aphrica seiungitur; regiones, insulasque numero quadraginta duas iuxta Ptolemæi placita continere perhibetur. Aphrica sub Aequatore distenta, eodē Mediterraneo à Septentrione, Oceano ab Occasu & meridie, & sinu Arabico, ab Oriēte, & dicto Isthmo vallatur; insignes, quanquam non ita fertiles, à Ptolemæo agnitas duodecim plagas concludit. Nouus ille orbis, America dictus, vix nostra ætate cōpertus, q ueteri Mundo amplitudine, prouinciarum numero, insularum magnitudine, minor fortè non est existimandus. Hac die præter plagas, de quibus supra, exordia habuere insulæ innumeræ, amplius & celeberrimæ peninsulæ, promontoria, montes altissimi, clarissimique Pirenæi, Alpes, Apennini, Aetna, Riphæi, Olympus, Parnasus, Helicon, Ida, Cætij, Bebij, in Europa. Atlātici, Lunæ montes, Aethiopici in Aphrica: Taurus, Hyperboreus, Caucasus, Libanus, Melanus, Synai, Orontes, Coronus, Imaus in Asia. De quibus non est locus, ut prolixiorem prodamus memorationem. Descripserunt huius continentis, immò Orbis terrarum speciem, & figuram ex antiquis Aristoteles libro de Mundo ad Alexandrum, Ptolemæus Alexandrinus, Plinius secundus libro tertio, quarto, quinto, & sexto Naturalis historiæ, Strabo libris decem & septem, Solinus, Pomponius Mela, Dionysius, Paulus Orosius in fronte suæ historiæ, Anselmus libro de Imagine Mundi, Isidorus libris Etymologiarum, Archiepiscopus Florentinus in Opere Historico, titulo primo, capite tertio, Vincentius Gallus in Speculo Historiarum libro secundo, Raphael Volaterranus, Abraham Ortellius; nouissimeque omnium Gherardus Mercator.

Dixit.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et appareat arida.

a. *Dixit; Appareat arida, & non appareat terra, vt exiccatam Dei virtute intelligeremus relictam esse terram, & non madidam, tanquam à Sole arefaciendam.*

Et factum est ita. Adduntq; Septuaginta. Et congregata est &c.

b. *Non legenda sunt hæc, tùm quòd superflua, tùm quod obelo expuncta.*

a. Dixit; Appareat arida, et non appareat terra, vt exiccatam Dei virtute intelligeremus relictam esse terram, & non madidam, tanquam à Sole arefaciendam.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta.

Non dixit; Et appareat terra, ne rursum ipsam inconditam, ac incompositam ostendat, luto refertam, atque aquis immixtam, nondum propria forma, facultateque recepta. Et simul, ne telluris exsiccatæ caussam Soli deferamus, terræ siccitatem generatione Solis vetustiorem opifex fecit. Animaduertas autem velim, his indicantem verbis Scripturam non solum exundantes aquas de terræ superficie defluxiße, sed quicquid etiam aquarum per profunditatis totius dimensionem inerat immixtum, ipsi cessisse, inexorabilibus Domini iussis obtemperando.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio capite quarto.

Simul prospectum est, ne videatur Sole magis, quàm Dei præcepto esse siccata, quia arida facta est antequam Sol crearetur.

GLOSSA Locupletata, sic Basilij colligit dictum.

Aduertendum etiam, quòd non dixit, vt appareat terra, sed arida, ne rursum ipsam inextructam, & incompositam ostendat, luto refertam, atque nondum aquis immixtam, propria forma, facultateque recepta. Et simul, ne telluris exsiccandæ Soli nos caussam tribuamus, terræ siccitatem ortu Solis vetustiorem opifex fecit.

Et factum est ita.

Lectionē Hebraicam hoc loco diuersa serie latinitate donant Interpretes. Chaldaica legit; Et fuit ita. Pagninus, & Vatablus, Caietanus, & ante hos Rabbini ferè omnes huic subscribunt. Græca è contra Septuaginta interpretum, & editio Hieronymi, seu Vulgata nostra uertit; Factum est ita. Obseruationes Hebraicæ verbum immutant, & scribunt; Et factum fuerat ita. Cæterùm quid dijudicandum sit de his diuersis tralationibus, iam supra luculenter demonstratum est, proficiscuntur siquidem, ut referebamus, in eundem sensum: & uersionem Septuaginta, nostramque præstantiores esse iudicabamus, tùm quòd eis suffragetur auctoritas Patrum ferè omnium, Græcæ, Latinæq; Ecclesiæ, tùm quòd diuinam effectionem magis propalent, atque notificent.

Apud Septuaginta hæc reperitur additio. Et congregata, seù collecta est aqua, quæ erat sub Cœlo, in congregationes, seù collectiones suas, & apparuit arida.

b. Non legenda sunt hæc, tùm quòd superflua, tùm quòd obelo expuncta.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta, hanc adiectionem, quę in codicibus Græcis reperitur, reijcit, dicens.

In nōnullis porrò exēplaribus accedit & hoc; Et congregata est aqua, quæ sub Cęlo erat, in congregationes suas, & apparuit arida; quæ neque alij interpretes tradiderunt, & neque vsus contextus Hebraici habere conspicitur. Reuera enim post illud testimonium; Et factum est ita; redundans est, & superuacanea hæc enarratio. Quin & eadem in exemplaribus exactiore diligentia descriptis confossa leguntur, & obelo iugulata. Est sane obelus expunctionis nota, siue reprobationis.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Cæterum in Cęli creatione vsus est illis verbis; Et fecit Deus firmamentum; quæ non oscitanter, & obiter interiecta

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Bene additur à Septuaginta: & congregata est aqua, quę sub Cœlo, &c.

a. *Vt demonstretur, præceptum & effectus.*

b. *Vt intelligamus id effectum, quod in mente diuina erat præsignatum.*

Et factum est ita.

c. *Repente opus subsecutum est Dei voluntatem.*

d. *Dei imperio, & naturæ propensione.*

interiecta sunt. Voluit enim ostendere, non alium Cœli esse opificem, quàm eum, qui iusserit Cęlum fieri. Cùm id semel nos docuerit in reliquis sat habet dixisse; Et factum est: attamen vt in singulis subintelligatur auctor & efficiens caussa Deus. Haud enim alius imperabat & alius creabat: vtrunque præstabat Deus, nempè diuina substantia Patris Filij, & Spiritus Sancti.

Steuchus Adnotationibus in Genesim hanc memorat Basilij sententiã, & approbat.

a. *Bene addita à Septuaginta, ut demonstretur præceptum & effectus.*

AMBROSIVS è contra bene additam eam à Septuaginta autumat Hexæmeron libro tertio, capite quinto.

Non præterimus, quia aliqui nec in Hebræo putant esse, nec in cæteris interpretationibus; quia, Congregata est aqua in collectiones suas, & apparuit arida. Et vocauit Deus aridam terram; & collectiones aquarum vocauit maria. Cùm enim dixerit Deus, quia factum est sic, satis esse putant vocem operatoris ad celebratæ operationis indicium. Sed quia in alijs quoque creaturis habet, & definitionem præceptionis, & repetitum operationis vel indicium, vel effectum: ideò nos non putamus absurdum id quod perhibetur additũ, etiam si cæteris interpretibus, vel veritas doceatur suppetere, vel auctoritas. Multa enim non ociosè à Septuaginta viris Hebraicæ lectioni addita, & adiuncta comperimus.

b. *Siue, vt intelligeremus, quod in mente diuina erat præsignatum, id effectum fuisse.*

AVGVSTINVS bene additum existimat, vt quod in mente diuina statuebatur, manasse in re intelligeremus; nam de Genesi imperfecto capite decimo inquit.

Et sic factum est. Etiam hoc fortaße in rationibus intellectualis naturæ prius factum est, vt postea quod dicitur; Et congregata est aqua in congregationem vnam, & apparuit arida, non superfluo additum videatur, cùm iam dictum esset; Et sic factum est; sed vt post rationalem, & incorpoream operationem intelligeremus etiam corporalem sequutam.

Nos uero id à Septuaginta ad maiorem declarationem additum forte fuisse, nec inepte cum Ambrosio asseuerare possumus.

c. *Repente opus subsecutum est Dei uoluntatem.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta.

Et factum est ita. Satis est id adiecisse, ad indicandum opificis vocem in opus mox exiße.

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.

Et factum est, ait, ita: quomodo? sicut præceperat Dominus. Dixit solum, & opus subsequutum est: hoc enim peculiare Dei est, vt secundum voluntatem suam facturas suas moderetur.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Et factum est: quibus verbis indicare voluit, opus semper subsequutum esse iussum, & voluntatem diuinam.

d. *Dei imperio, & naturæ propensione.*

VIELMIVS Lectione decimaquinta in Genesim.

Et factum est ita. Imperio igitur Dei, mira quadam naturæ propensione ad mare tanquam ad illis assignatum locum, etiamnum aquæ decurrunt. Nec dubitandum profecto est, si quam vim habet locus seruandi rem locatam, ac fouendi, ab opifice habere.

Additum

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et factum est ita.

a. *Additum est; Et factum est ita, vt intelligeretur, quòd idem fuit auctor, & efficiens caussa, Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

b. *Legendum, Fuit ita, vt sciremus diuinum Dicere habere in se, & dicere, & facere.*

Et vocauit Deus aridam terram.

c. *Legendum; Vocauit Deus aridam terram.* d. *Siue in datiuo, Vocauit sicco terram.*

a. *Additum est; Et factum est ita, vt intelligeretur, quòd idem fuit auctor, et efficiens caussa, Deus Pater, & Filius, et Spiritus Sanctus.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim, capite primo.

Cæterum in Cęli creatione vsus est illis verbis: Et fecit Deus firmamentū: quæ non oscitanter & obiter interiecta sunt. Voluit enim ostendere non alium Cæli esse opificem, quàm eum, qui iusserit Cęlum fieri. Cùm id semel nos docuerit, in reliquis sat habet dixisse: Et factum est; attamen vt in singulis subintelligatur auctor & efficiens caussa Deus. Haud enim alius imperabat, & alius creabat: vtrunque præstabat Deus, nempe diuinę substantia Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

b. *Legendum, Fuit ita, vt intelligeremus diuinum Dicere habere in se & quod est dicere, et quod est facere.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Aduerte secundò, quòd Moses sapientissimus describendo Deum facientem Vniuersum, modò loquitur more humano distinguendo inter diuinū dicere, & inter diuinum facere, prius dicendo: Dixit Deus, & postea, Fecit Deus: modò loquitur secundum ipsius Dei excellentiam dicendo; Dixit Deus, & fuit ita. Vt intelligamus, quòd diuinum dicere est tam eminentis efficaciæ, vt habeat in se, & quod est dicere, & quod est facere.

Et vocauit Deus aridam terram.

Hebraica lectio est. VaiKra Elohim laiabbasa erez. Chaldaica sic interpretata est: Et vocauit Deus aridam terram. Septuaginta καὶ ἐκάλεσεν ὁ θεὸς την ξηραν, γην. idest, Et vocauit Deus aridam terram. Editio vulgata cum his concordat, nec Pagninus, Vatablus ab his discedunt. Caietanus, & Rabbini tantùm dissentiunt.

c. *Legendum; Vocauit Deus aridam terram.*

Obseruationes Hebraicæ, præteritum perfectum pro plusquam perfecto positum decernunt: vnde legunt; Vocaueratque Deus aridam terram.

d. *Legendum in datiuo; Vocauit sicco terram.*

CAIETANVS edidit.

Et vocauit Elohim sicco terram. Aduerte, quòd siccum est res nominata, & terra est nomen: vt textus Hebræus testatur, habens in datiuo Sicco, & Terram in accusatiuo. Sicut etiam in primo die habet, Et vocauit luci diem, & obscuritati noctem: & similiter in secundo: Et vocauit extensioni Cælos.

Sed his refragatur

LIPPOMANVS in Catena, atque lectionem hanc damnat.

Hebraicè est VaiKra Elohim laiabbasa erez, idest; Et vocauit Deus aridam terram. Iabbasa enim à Iabas descendit, quod & siccare, & arere significat. Et est accusatiui casus: nam licet Lamed dictionem præcedens, communiter denotet datiuum casum, quandoque tamen denotat, & accusatiuum; vt secundo Regum tertio; Igitur Ioab, & Abisai frater eis interfecerunt Abner. Vbi huic nomini Abner, præponitur litera Lamed.

Anno Mūdi primo. Dies tertia.

Et vocauit Deus aridam terram.

a. *Arida nomen substantiuum apud Hebræos, & Græcos.*
b. *Vocauit, idest, Formauit.*
c. *Vocauit, describitur vocasse, vt his modis humanis nobis Dei benignitas insinuaretur.*
d. *Vocauit, idest, naturam & proprietatem dedit, vt vocari posset.*
e. *Vocauit, hoc est, vocari voluit, vel præuidit.*

a. *Arida nomen substantiuum apud Hebræos, & Græcos.*

HAMERVS Commentatione in Genesim.

Arida Hebraice vocatur Iabbasa. Apparet Hebræis loquutionem hanc familiarem fuisse, vt aridam substantiue pro terra vsurparent. Vnde & Christus de Pharisæis ait. Circuitis mare & aridam. Eundem modum etiam Græci vsurparunt, qui humidum pro mari, & aridam pro terra dixerunt. Aristoteles: Huius mundi pars est humidum, quod vocare consueuimus flumina, fontes, & maria: & aridum quod appellamus terram, continentes, & insulas. Et apud Poëtas ὑγρὴ idest humida, pro mari vsurpatur, vt est illud, πολὺν ἐφ' ὑγρὴν. In mari magno.

Matth. 23. Lib. de Mūdo

Ego à lectione nostra non discederem, eo magis quòd Chaldaica lectio, & Græca Septuaginta consimiliter legant, vt videre est in Biblia regia. In ijs siquidem verbis, in quibus dubia est phrasis Hebraica, seù significatio, à nostra abeundum non dijudico, quòd ea sit communis, vulgata, Ecclesiæq; magis accepta editio. Id vnum adnotandum est, arida ab arere, seu exiccare dici Hebraica ipsa phrasi, vt adnotabat Lippomanus, & Lusitanus. Vocatur enim, inquit, terra sicca, seu arida, à (Iatus) quod est exiccare. Animaduertit & amplius dici terra arida, seu sicca, non quòd sit arena, quæ infructifera & sterilis est: sed quia ex aquis exiccata fuit à Deo.

b. *Vocauit, idest, Formauit.*

D. AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite decimo vocationem ipsam elementorum ipsam congestionem significare dijudicauit, cùm ait.

Ipsam autem distinctionem, atque formationem fuisse vocationem Dei, non absurde adhuc intelligi potest.

c. *Vocauit; Describitur vocasse, vt his modis humanis nobis Dei benignitas insinuaretur.*

CRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.

Et vocauit Deus aridam terram. Vidisti dilecte, quomodo Deus terram, quæ inuisibilis erat, & inculta, & aquis quasi velaminibus quibusdam obtegebatur, despoliauit (vt sic dicam) & faciem illius nobis monstrauit, proprio etiam nomine imposito?

d. *Vocauit, idest, naturam et proprietatem dedit, ut uocari posset.*

GLOSSA Interlinearis.

Vocauit, idest, dedit naturam vel proprietatem, vt possit sic vocari.

D. THOMAS parte prima, quæstione sexagesima nona, articulo primo in fine.

Intelligitur autem, inquit, vbiq; per hoc, quòd dicitur Vocauit; idest, dedit naturam, vel proprietatem, vt possit sic vocari.

DIONYSIVS Cartusianus Enarratione in Genesim articulo vndecimo.

Et vocauit Deus aridam terram, idest, in sua præscientia instituit aridam sic debere vocari, & proprietatem indidit ei, à qua meritò terra vocatur.

e. *Vocauit, hoc est, uocari uoluit, uel præuidit.*

HVGO Carensis in Postillis.

Et vocauit Deus aridam terram, idest talem fecit, quæ sic proprie deberet vocari, vel vocari voluit, vel præuidit.

Vocauit,

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et uocauit Deus aridam terram.

a. *Vocauit, vt innuat Dei vocatione collatam esse Terræ excellentiam perennitatis.*
b. *Vocauit pro Fecit.*
c. *Vocauit, vt denotaret finem, ad quem creata erat.*
d. *Vocauit, per præoccupationem hoc dictum est, quasi dicat, vocauit post per Adam.*
e. *Vocauit nomina imposuit, vt æquiuocationem tolleret; cùm non omne aridum sit terra.*

a. *Vocauit, ut innuat Dei uocatione collatam esse Terræ excellentiam perennitatis.*

RVPERTVS hoc loco animaduertit, & scite, ea quibus Deus nomen imposuerit, non facile ita transitura, quasi ex priuilegio ea appellarit, quæ perenniter essent duratura. Sic enim habet Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimosecundo.

Et vocauit Deus, inquit, aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria. Iam superius dictum est, quam virtutem innuat positio diuinæ vocationis, videlicet, quòd earum substantiam, quibus nomina per semetipsum Deus imposuit, transituram non facile quis dicere possit.

b. *Vocauit pro Fecit.*

VIELMIVS Lectione decimaquinta.

Sed veruntamen, potest etiam quod dictum est, Vocauit, pro eo quod est, Fecit, exponi: quomodo & aliàs crebrò in Scripturis capitur: huncque sensum hæc oratio faciet; Et fecit Deus terram aridam; eiectis nimirum ab ea aquis: & synecdoche est; quia non illam totam, sed partem eius duntaxat aridam fecit, illam videlicet, quam animalia, & homines colerent.

c. *Vocauit, vt denotaret finem, ad quem creata erat.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Quod ait, Vocauit: additur vt significet singulorum singularem finem & effectum, cui à Deo creatore destinata sunt.

d. *Vocauit, per præoccupationem hoc dictum est, quasi dicat, vocauit post per Adam.*

VIELMIVS Lectione decimaquinta.

Et vocauit Deus aridam terram. Per Adamum scilicet, quem naturas, & facultates elementorum probè docuit: nullus enim rei nomen imponit quam ignorat, quarto Meta. decimo, & septimo Meta. quinquagesimo quarto. Est enim nomen diffinitio complicata, & obuoluta, quemadmodum definitio nomen est explicatum & expositum, Eustatio teste in primo Ethicorum: vt proinde insaniant, qui Adamum simplicitatis, ac rerum ignorationis accusant, cùm minimè dubitandum reuera sit, eum & per species inditas, & Angelorum ministerio, ac Dei oraculis edoctum fermè ad miraculum vsque fuisse. Et manifestant hæc verba, fuisse occupationem superius, cùm terra dictum hoc elementum fuit: nec enim tunc temporis hoc ei nomen inditum fuerat, sicut nec ad impositionem vsque nominum, quæ Adamus rebus omnibus indidit. Et hic commentarius repudiari profectò non potest.

e. *Vocauit, nomina imposuit, vt æquiuocationem tolleret; cùm non omne aridum sit terra.*

D. AVGVSTINVS loco asserto.

Et vocauit Deus aridam terram; congregationem aquæ mare vocauit. Adhuc nobiscum facit illa caussa vocabulorum: non enim omnis aqua, mare: aut omne aridum, terra. Ergo quæ aqua esset, & quæ arida, vocabulis segregandum fuit.

RABBI Moses, teste D. Thoma loco asserto, tradit.

Quòd vbicunque dicitur, Vocauit, significatur æquiuocatio nominis.

Deus

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et vocauit Deus aridam terram.

a. *Deus nomen non imponit, nisi cùm rei perfectionem detulerit.*
b. *Primum Terræ nomen, commune, genericum nudumq́, nomen fuit substantiæ: secundum à siccitatis proprietate est sumptum.*

a. *Deus nomen non imponit, nisi cùm rei perfectionem detulerit.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.

Ecce & aquæ nomen suum sortitæ sunt. Nam quemadmodum optimus artifex arte suà vas aliquod facturus, non antea illi nomen imponit, donec absoluat; ita & misericors Dominus nomina elementis non antea imponit, donec ea in propria loca suo præcepto ponat. Igitur postquam terra nomen suum accepit, & ad propriam formam peruenit, etiam aquæ congregatæ proprio vocabulo nominatæ sunt.

Glossa Locupletata hæc ea ipsa habet non mutatis verbis.

AVCTOR.

Iam supra diligentius discussimus, quænam harū interpretationū elegantior & verisimilior sit existimanda. Quapropter hoc loco tantùm postrema Vielmij explanatio reijcienda superest, vtpote quę à Patrum sententia longè abscedit: nec in seipsa etiam tuta consistit. Plurima .n., quæ pro huius sententiæ munimine deducta sunt, fulcimentum necessariò expostularent; quæ suo loco discutienda relinquo. Hoc vnum attamen non reticebo, quòd si Vocauit per præoccupationem interpretandum est, nempe, Vocauit per Adam; pari arbitratu dicere etiam possemus; Vidit per Adamum, Dixit per Adamum &c. Quæ num recte adaptari possint, perinuestiget, & secum discutiat prudens lector. Cæterę expositiones omnes sustineri possu nt & defensari.

Verum hoc in loco maxime elaborant Patres, ut æquiuocationem enucleantes demonstrent, quænam differentia sit inter terram, de qua scriptum est In principio creauit Deus Cęlū & terrā & terrā, quā Deus aridam dixit. Adeamus eorum contemplationes.

b. *Primū Terræ, nomen, cōmune, genericū, nudumq́, nomen fuit substantiæ: secundum à siccitatis proprietate est sumptum.*

BASILIVS in Hexæmeron, Homilia quarta, hanc deducit differentiam, dicens.

Cur & antea dictum est; Congregentur aquæ vnum in locum, & appareat arida: non item scriptum est; Et appareat terra. Et hoc loco rursum; Et apparuit arida, & vocauit Deus aridam, terram? Quia siccitas quidem, siue ariditas, aut certè arida, proprium quid est, quod naturam veluti delineat & exprimit ipsius subiecti. Terra autem nuda quædam est, ac tenuis appellatio rei. Nam vt ratione quidem præditum esse, proprium ipsius hominis est: vox autem homo id significat animal, cui proprium illud competit; sic & ariditas, atque siccitas, proprium est, atque præcipuum terræ. Cui igitur, vti proprium, siccitas accommodatur, atque ariditas, id appellatum est terra: perinde atque cui veluti proprium, peculiareque quid, ipsum hinnibile competit, id nuncupatum est equus. Non solum autem in terra ita habet, sed cæterorum etiam elementorum propria cuique & sortito attributa qualitas inest, qua sanè tam à cæteris secernitur, & quale vnumquodque sit, internoscitur. Nam aqua frigiditatem, aër humiditatem, ignis caliditatem, vt peculiarem sibi vendicat qualitatem.

Edisserit insuper Basilius elegantissimè, & scitissime de qualitatibus, & connexu elementorum quamplura, quæ, vt perpulchra prætermittere non ausus sum.

Verùm hæc quidem vti prima compositorum corporum elementa, iuxtà iam dictum modum speculatiuæ rationis considerantur. Ea tamen, quæ iam in corporibus insunt constituta, sensuique subijciuntur, obtinent coniunctas qualitates: neque quicquam eorum omnino, quæ conspiciuntur, ac sentiuntur, absolutè vnicum est, siue solitarium, aut simplex, aut sincerum. Sed terra est sicca & frigida; aqua humida & frigida: & aër humidus & calidus: ignis calidus atque siccus. Hoc enim pacto per qualitatem consortem, & coniugatam,

facultas

facultas in ipsis mutuæ mixtionis emergit. Nam per communem ipsis qualitatem singula cum vicinis sibi copulantur, ac permiscentur, & societatis ratione, quam cum sibi propinquis obtinent, cum oppositis coniunguntur: verbi gratia, terra, quæ siccitate, frigiditateque prædita est, cum aqua quidem frigiditatis affinitate coniungitur: per aquam autem cum aëre copulatur, quippè cum aqua medium inter vtrunque obtinens suapte natura, quasi vtraque iniecta manu, vtraque qualitate, corpus vtrunque proximum sibi, frigiditate terram, humiditate aërem attingit. Rursum suo ipsius interuentu, aër pugnantem naturam aquæ & ignis conciliat, aquæ quidem se connectit per humiditatem, igni verò per calorem. Ignis denique pari modo duabus & ipse qualitatibus præditus, calore, inquam, ac siccitate, illo cum aëre copulatur, hac humum petit, sibique coniungit. Atque ita fit orbis quidam, choreaque concors & concinna ex omnibus inter se consociatis ordine, & sibi concinentibus elementis. Vnde & propriè illis elementorum appellatio adaptata est.

Tandem ad rem ipsam rediens his concludit.

Hæc à me dicta sunt, caussam afferente, cur Deus ipsam aridam appellarit terram; & non terram ex contrario nuncuparit aridam. Nempe quòd non ex ijs sit aridum, quæ post accesserunt terræ, sed ex ijs, quæ essentiam eius à primordijs ipsis constituunt & complent. At ea, quæ caussam, vt quædam sint, præstant: ijs priora sunt, & longè præstantiora, quæ postea fiunt. Itaque non immeritò per ea quæ priora sunt, ac vetustiora, excogitauit Scriptura peculiares notas quibus terra internosceretur.

Sententia igitur Basilij in hoc consistit, quòd nomen illud Terra, de quo, In principio creauit Deus Cœlum & terram, commune fuit, nudum, atq; genericum: nunc autem nomen istud sumptum sit ex proprietate: propter quod dixit; Et appareat arida, & non appareat terra, & vocauit aridam terram.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite quarto, consimilia contemplatur.

Arida enim expressio naturæ est, terra appellatio quædam simplex negotij, quæ in se habeat proprietatem. Sicut enim animal generis significatio est, cui inest proprium aliquid, & excellens, rationabile autem proprium est hominis; ita & terra potest communiter dici vel scatens aquis, vel deserta, & inuia, & sine aqua. Ergo & illi, quæ scatet aquis, inest, vt habeat ariditatem. Remota enim aqua, incipit esse arida; sicut habes scriptum; Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: hoc est, de terra aquosa, aridam fecit. Habet ergo terra propriam qualitatem suam, sicut & singula elementa habent. Nam & aër humidam qualitatem, & aqua frigidam, & ignis calidam. Et hoc est principale proprium elementis singulis, quod ratione colligimus. Comprehendere autem sensibiliter & corporaliter si velimus, velut connexa & composita reperimus, vt sit terra arida & frigida, aqua frigida & humida, aër calidus & humidus, ignis calidus & siccus: & sic sibi per has iugales qualitates singula miscentur elementa. Nam terra cùm sit aridæ & frigidæ qualitatis, connectitur aquæ per cognationem qualitatis frigidæ, & aqua aëri, quia humidus est aër. Ergo aqua tanquam brachijs quibusdam duobus frigoris & humoris, altero terram, altero aërem videtur amplecti; frigido terram, aërem humido. Aër quoque medius inter duo compugnantia per naturam, hoc est, inter aquam & ignem, vtrunque illud elementum conciliat sibi, quia & aquis humore, & igni calore coniungitur. Ignis quoque, cùm sit calidus & siccus natura, calore aëri annectitur; siccitate autem in communionem terræ, ac societatem refunditur, atque ita sibi per hunc circuitum & chorum quendam concordiæ, societatisque conueniunt. Vnde & Græcè στοιχεῖα dicuntur, quæ Latinè elementa dicimus, quòd sibi conueniant & concinant. Huc autem progressi sumus, quia Scriptura ait, quòd Deus vocauerit terram aridam, hoc est, quia quod principale est eius, nuncupauit proprietatem naturæ. Naturalis enim proprietas siccitas est terris: hæc ei prærogatiua seruata est. Principalis ergo siccitas subest etiã vt sit frigida, sed non præferuntur secunda primis. Vt autẽ humida sit, aquarum affinitati sociatur. Ergo illud suum, istud alienũ. Suũ quòd arida, alienum quòd humida. Auctor itaq; naturæ, quod primo donauit, hoc tenuit: quia istud ex natura, illud ex caussa. De principalibus igitur, non ex accidentibus terræ debuit proprietas definiri, vt secundum prærogatiuam qualitatis eius informaretur nostra cognitio.

GLOSSA Locupletata ex Ambrosio.

Arida expressio naturæ est: Terra appellatio simplex negotij, quæ in se habeat proprietatem, sicut animal generis significatio est: rationabile proprium est hominis, ita & terra potest communiter dici, vel scatens aquis, vel sine aqua.

EVCHERIVS breuissimè hæc eadem collegit, Commentarijs in Genesim libro primo.

Et vocauit aridam. Terram, terra ideò vocatur arida, quia sicut ignis calorem, & aqua humorem; ita terra naturaliter habet siccitatem.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim capite primo.

Aridam, quæ eadem est cum terra, alio quodam sensu differentiæ gratia dixit. Vt enim risibile proprium est hominis, & homo est nomen, seu vox eius animalis, cui risibile inest: sic ariditas est proprium terræ, terraque ariditatem quasi peculiariter habet. Frigiditas quidem quoque inhæret terræ, sed non terræ quasi proprium censetur; immò eam qualitatem communem possidet cum aqua. Vt aqua frigiditatem peculiariter

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et uocauit Deus aridam terram.

a. *Primùm terra significabat materiam primam, nunc autem elementum terræ.*

liariter tenet, sic humiditatis cum aëre particeps perhibetur. Vt aër ceu proprium retinet humiditatem, sic quasi per quandam societatem ab igne calorem trahit. Vt ignis ceu proprium sibi vendicat calorem, sic cum terra partitur ariditatem, quam terra peculiarem adepta est. Et in hunc modum patet singulis elementis quid inesse proprium, & quid quod cum cæteris habent commune. Per propria singula à singulis separantur: per communia singula singulis connectuntur. Oportebat etenim esse separata, vt singula suam conseruarent naturam: oportebat & esse aliquo nexu copulata, vt ex his corporum nasceretur compositio, cùm aliud alij esset coniunctum secundum communem qualitatem. Quapropter Deus optimus Maximus, imponendi rebus nomina artifex, aridam appellauit terram, nec terram vocauit aridam. Hoc etenim nomen est quasi proprium, & quædam peculiaris nota naturæ, quam terræ nouimus insitam esse. Et quemadmodū terra suum nomen inde traxit, quòd Cœlo subiacet: sic respectu humidæ substantiæ nominatur arida. Immò & Propheta videtur quandam inter ista ponere differentiam, cùm dicit; Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo Cœlum, & terram, & mare, & aridam. Dicimus igitur terram, licet plura habeat nomina, esse eandem: alterum nomen fortè terræ substantiam, alterum porrò nimirum eius qualitatem significat. Terra vnà cum Cœlo, non cum firmamento, sed cum primo Cęlo condita est. Cœlum, quod huic successit ratione creationis, nomen quasi proprium traxit, vt vocitetur firmamentum, sed cognomen Cœli quoque assumpsit. Sic quo ad terram; proprium eius nomen est arida, verùm cognomento dicitur terra. Vnum nomen substantiam, alterum qualitatem explicat; ex quibus rebus ista nomina inuenit. Vt vtilitatem terræ commonstraret, inquit, vt videri possit arida. Nempè vt appareat, & sit idonea, & accommoda plantarum animaliumque generationi.

a. *Primùm terra significabat materiam primam, nunc autem elementum terræ.*

D. AVGVSTINVS pluribus locis id explicat & pręcipuè de Genesi ad literam libro secundo, capite vndecimo, cùm ait, vt supra recitabamus.

In principio creauit Deus Cœlum & terram: nihil aliud his verbis, quàm materiæ corporalis informitatē insinuare voluisse, eligens eam vsitatiùs appellare, quàm obscuriùs. Si tamen tardo intellectui non subrepat, vt materiam, & speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur duo hæc etiam tempore separare, tanquam prius fuerit materia, & ei tēporis interuallo interposito, postea sit addita species: cùm Deus hæc simul creauerit, materiāq; formatā instituerit, cuius informitatē vsitato, vt dixi, vocabulo vel terræ, vel aquæ Scriptura prædixit. Terra enim & aqua etiā suis qualitatibus id existentia quod videmus, tamen propter facilē corruptionē propinquiora sunt eidem inormitati, quàm cœlestia corpora. Et quoniam per enumerationem dierum iam ex informi quæquæ formata numerantur, & ex ista corporali materia iam factum Cęlum narrauerat, cuius multum distat species à terrenis, iam quod ex ea formandum in rerum infima parte restabat, voluit sub his verbis in rerum creandarum ordinem inserere, vt diceretur, Fiat: non acceptura ista residua informitate talem speciem, qualem acceperat Cœlum, sed iam inferiorem & infirmiorem, atque informitati proximam: vt his potius verbis, cùm dicitur; Congregentur aquæ, & appareat arida, acceperint hæc duo species proprias istas notissimas, nobisque tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem: & ideò de illa dictum est; Congregetur: de hac, appareat: aqua enim est labiliter fluxa, terra stabiliter fixa.

D. Thomas, quæstione asserta, idipsum Augustino attribuit.

ALBERTVS Magnus primæ partis Summæ, quæstione duodecima, articulo tertiodecimo, Scholastica methodo hæc sic explicat.

Dicendum, quòd terra supra propter sui vicinitatem ad informe, posita est pro materia: Hic autem sumitur terra secundum rationem sui nominis, secundum quam dicitur terra quasi pedibus trita, pro loco quietis elementatorum; in omnibus enim illis ipsa dominatur: & propter hoc omnium quies est in ipsa.

Prima

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et vocauit Deus aridam terram.

a. *Primò dictū est terra totū elementum, secundò ea pars, quæ sulcabilis est, & apta culturis.*
b. *Primùm terra dicta ad distinctionem aquarum: nunc ad distinctionem partis eius, quæ aquis obruitur.*
c. *Primum nomen fuit terræ, hoc alterum cognomen eius partis terræ, quæ vtilis est.*
d. *Terra primùm, vt commune nomen est; Terra deinde, vt distinguitur contra mare.*

a. *Primò, dictum est terra totum elementum, secundò ea pars, quæ sulcabilis est, & apta culturis.*

AMBROSIVS loco asserto hāc primo loco interpretationē interserit. *Consideremus quid sit quod ait Dominus; Congregetur aqua in vnam congregationem, & appareat arida: & non dixerit, terra. Quod præclarè positum quis non aduertat? Terra enim potest & luto esse permixta, aquis madida; cuius species superfusis aquis non appareat. Arida autem non solum ad genus, sed etiam ad speciem terrarum refertur, vt sit vtilis, sulcabilis, & apta culturis.*

b. *Primùm terra dicta ad distinctionem aquarum: nunc ad distinctionem partis eius, quæ aquis obruitur.*

IVNILIVS in Hexæmeron. *Prius quidem ad distinctionem aquarum, totam hanc solidiorem partem appellauit terram, cùm diceret; In principio creauit Deus Cœlum & Terram: Terra autem erat inanis, & vacua. At nunc, postquam formari Mundus iam incipit, & aquis suum in locum recedentibus terræ facies apparet, ad distinctionem partis eius, quæ adhuc aquis premebatur, cætera portio, quam aridam esse dicebat, terræ nomen accepit: inde dicta latinè, quòd animantium pedibus teratur.*

Glossa Ordinaria hæc ipsa desumpsit, & perperam D. Augustino ea ascripsit.

c. *Primum nomen fuit terræ; hoc alterum cognomen eius partis terræ, quæ vtilis est.*

PROCOPIVS hanc insinuauit, cùm vt supra referebamus, dicebat. *Terra unà cum Cœlo, non cum firmamento, sed cum primo Cœlo condita est. Cęlum, quod huic successit ratione creationis, nomen quasi proprium traxit, vt vocitetur firmamentum, sed cognomen Cęli quoque assumpsit. Sic quo ad terram: proprium eius nomen est arida: verùm cognomento dicitur terra. Vnum nomen substantiam, alterum qualitatem explicat; ex quibus rebus ista nomina inuenit. Vt vtilitatem terræ commonstraret, inquit, vt videri possit arida.*

d. *Terra primùm, vt commune nomen est; Terra deinde, vt distinguitur contra mare.*

D. THOMAS loco asserto, secundum Rabbi Mosem. *Vbicunque dicitur, Vocauit, significatur æquiuocatio nominis. Vnde prius dictum est, quòd vocauit lucem diem propter hoc, quòd etiam dies vocatur spatium viginti quatuor horarum, secundum quod ibidem dicitur; Factum est vespere & mane, dies vnus. Similiter dicendum est, quòd firmamentum, idest aërem, vocauit Cęlum; quia etiam Cęlum dicitur, quod est primò creatum. Similiter etiam dicitur, quòd aridam, idest illam partem, quæ est discooperta aquis, vocauit terram, prout distinguitur contra mare: quamuis communi nomine terra uocetur, siue sit aquis cooperta, siue discooperta.*

AVCTOR.

Depromere sedulo possumus ab his Patribus diuersas, quæ ex his nominibus illatæ sunt, differentias. Differunt igitur secundum Basilium, Terra & Arida dicta terra; eo quòd Terra genericum sit nomen, Arida verò singulare, vt aiunt, à peculiari siccitatis affectione desumptum. Secundum Ambrosium Terræ nomen terram luto permixtā, aquis

Inter terram initio creatā, & terram die tertia denudatam, quæ differentiæ.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et vocauit Deus aridam terram.

a. * *Arida appellata est terra hæc nostra, quia cùm puluis sit, humore est solidata.*
b. *Terra dicta Erez, vt soliditas eius designetur, cùm vox ista sex notis cubum designantibus inscribatur.*
c. *Terra, quia Cœlo subiaceat.*
d. *Terra, quòd pedibus teratur.*

aquis madidam, etiam non apparentem denotat, arida verò specie apparentem, sulcabilem, & culturis aptam præmonstrat. Secundum Iunilium, & D. Thomam, terra, solum quod aquis premebatur, arida quod animantium pedibus teritur. Secundum Procopium, terra prima est nomen, altera cognomen. Sola interpretatio D. Augustini discrimen subit: pluribus enim supra disceptatum est, terræ nomine, de qua scribitur; In principio creauit Deus Cœlum & terram, materiam primam ægrè significari posse. Non possum hoc loco prætermittere à Ruperto insinuatam rationem, quare aridam Deus terram vocarit.

a. *Arida appellata est terra hæc nostra, quia cùm puluis sit, humore est solidata.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimosecundo.

Et terram quidem secundum naturam quam condidit ipse, constat esse aridam. Etenim reuera naturaliter arida est, & nisi ex humoris temperamento solidaretur, puluis esset, omnique vento leuiter cederet. Proinde sicut aliunde iuuatur, & nunquam omninò in sua inopia relinquitur, rectè illi nomen quoque mutatum est, vt iam non arida, sed terra vocetur.

b. *Terra dicta Erez, vt soliditas eius designetur, cùm vox ista sex notis cubum designantibus inscribatur.*

CONSTANTIVS Ruschonus Commentarijs in Genesim manuscriptis.

Appellauit autem siccum elementum Erez, quod ab ariditate ducitur, vt nomen rei congruat. Hoc est ergo nomen, quod non ad vocem refertur, sed ad rem ipsam. Quidam Hebræi notant hoc nomen sex notis inscribi, quibus soliditas terræ designetur, quæ ex quadro ducto in seipso in cubum consurgit. Quæ certè cùm ad naturam referuntur, non sunt contemnenda, quoniam Dei opus omne bonum, atque honorandum est, sed res ad intelligentiam, non ad vocem referenda est. Idem ergò valet terra nomen Latinum, quod Erez in significatione, dummodò res eadem intelligatur.

Pythagoras, vt testatur Iustinus Historicus, ab Aegyptijs edoctus; Timæus Locrēsis post eum, & Plato tandem, cubum terram significare tradiderunt ob eius stabilitatem, grauedinemque; Nam terra immotā in centro quiescit, quemadmodum cubus, quocunque voluatur, immobile iacet.

Superest, vt de etymologijs vocis aridæ & terræ, aliquid dicamus.

c. *Terra, quia Cœlo subiaceat.*

PROCOPIVS loco asserto.

Et quemadmodum terra suum nomen inde traxit, quòd Cœlo subiacet; sic respectu humidæ substantiæ, nominatur arida.

d. *Terra, quòd pedibus teratur.*

Inter terram, & aridam discrimen.

IVNILIVS vt supra.

Terra inde dicta Latinè, quòd animantium pedibus teratur.

ANSELMVS de Imagine Mundi libro primo, capite quinto, accuratiùs cuncta no-

cta nomina terræ perpendit, Terramque à terendo, Aridam quòd areat, nuncupari edocet.

Denominatur terra septem nominibus; Terra, Tellus, Humus, Arida, Sicca, Solum, Ops. Terra à terendo dicitur, & totum elementum intelligitur. Tellus, quasi tollens fructus, quæ est frugibus apta vel vinetis, fructiferisque arboribus consita. Humus ab humore, quæ est palustris, & inarabilis. Arida inaquosa, quæ semper feruore Solis aret, Lybia. Sicca, quæ aliquando compluta citò exiccatur, vt Iudæa. Solum à soliditate, vt sunt montana. Ops ab opibus, vbi diuitiæ, scilicet aurum & gemmæ abundant, vt in India.

ISIDORVS Iunior Etymologiarum libro quartodecimo, capite primo, con similia tradit.

Terra à superiori parte, qua teritur: Humus, ab inferiori, vel humida terra, vt sub mari: Tellus autem, quia fructus eius tollimus: hæc & Ops dicta, eò quòd opem fert frugibus: eadem & Arua, ab arando & colendo vocata. Propriè autem terra, ad distinctionem aquæ, arida nuncupatur, sicut Scriptura ait; Quòd vocauit Deus terram aridam. Naturalis enim proprietas siccitas est terris. Nam vt humida sit, hoc aquarum affinitate sortitur.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ capite quinto; Et Hugo Carensis, in Postillis (nam hic vt plurimùm illius suffuratur prolata.)

Apparuit arida terra, scilicet quæ prius latebat sub aquis. Et tunc propriè dicebatur humus ab humore: Arida verò tunc propriè dicta est, aquis in vnum collectis à sui natura. Terra verò dicitur, quia teritur pedibus, vel alijs tribus elementis circumpositis. Solum à soliditate. Tellus, quia tolerat hominis labores, vel quia eius fructus tollimus.

STEVCHVS In Cosmopæia non tantùm ex Latino idiomate, sed etiã Græco, & Hebraico, hanc pariter elicit etymologiam.

Quoniam auctorem non modo rerum, sed etiam nominum ipsarum Deum Theologus ostendit, aliquas hæc nomina ad naturas ipsarum rerum proximas etymologias habere necesse est. Terra igitur aquarum alluuie segregata, dicta est arida, seu sicca. Græcè ξηρα. Hanc siccitatem Solis vehementissimus æstus, qui in primordio fuit rapidissimus, effecit: siccitas autem est aquarum discessus. Qua gratia porrò Deus aquam segregasset, terram nudam esse voluisset, ipso nomine terræ indicauit. Appellauit enim eam lingua illa vetustissima, in qua nomina primarum rerum à veris ipsarum naturis ducebantur, Erez. Nomen propriè designat, quod calcatur à verbo Razaz, addita iuxta idioma Hebraicum, litera Aleph, quod consilium creandæ terræ demonstrat. Creata est, vt ab animalibus nobilissimis, quibus omnia creabantur, calcaretur. Hoc respiciens antiquissimus Græciæ Theologus, sapientissimè totam hanc Dei voluntatem, vno versu declarauit.

Tellus lata sinu, cunctis tutissima sedes.

Tantundem valet apud Hesiodum ἕδος, atque Mosen Erez. Ac fortè vox Græca ἕδος, ducta est ab Hebraica, mutata litera, vt quod esset Erez, factum sit Edes. Edos Græcè pauimentum, solum idem Hebraicè Erez, quod premitur, calcatur, quod ingredientes homines, reliquosque animantes sustinet. Ostenditurque eo quam ob caussam & terra creata, & aquis enudata fuerit. Idem istud probat terram, & si cæteris elementis grauior, densiorque sit, tamen præcipuè, quia hominum futura erat habitatio, Deum condere voluisse. Omniumque prima condita, & fundata est terra, æque conditione ac dignitate prior. Quod autem mirabilius est, nescio qua sorte, quo casu, qua ratione, nisi potius diuina, & ob successionem sæpius nobis commemoratam, eadem etymologia, antiquissimi Latini appellarunt terram à terendo, atque Deus, Erez à Razaz, idest terendo, vt Erez signet terram, quia teratur ita Hebraicè, sicut & Latinè.

Cæterùm circa has etymologias disceptare non opportunum iudico: singulæ siquidem lato pede decurrunt, præter primam Procopij, quæ vaga mihi videtur.

Et congregationem aquarum uocauit maria.

Non prætereundum est, quin de editione aliquid aduertamus. Hebraicus textus ita vertitur secundum nonnullos; Congregationem aquarum vocauit maria. Nam Hebraicus codex lemiKue legit, idest, congregationem aquarum in singulari. Septuaginta καὶ τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων, hoc est, congregationes aquarum vocauit maria. Vulgata ab hac non discrepat, cùm ait; Congregationesque aquarum appellauit maria. Vatablus, & Pagninus primis adhæserunt vertentes; Congregationem verò illarum appellauit maria. Caietanus congregationi aquarum vocauit maria. Rabbini in Annotationibus; Cõgregationes aquarũ appellauerat maria.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et congregationes aquarum uocauit maria.

a. *Legendum, Congregationem, vt vnitas aquarum denotetur.*
b. *Legendum, Congregationes.* c. *Legendum, Extensiones, aut Colligationes.*
d. *Primùm dictum est, Congregentur aquæ in locum vnum. Nunc autem congregationes, quòd pelagi ex continuatione vnum dicantur, plures attamen sint, & diuerso nomine appellati.*

a. *Legendum, Congregationem, vt vnitas aquarum denotetur.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Nec legendum est Congregationes, sed Congregationem aquarum, vt vnitas aquarum significetur: & hinc apud Hebræos lacus etiam vocantur maria.

HAMERVS pariter Commentatione in Genesim.

Porrò hoc loco maria appellat Oceanum illum vastum & immensum, qui vniuersam hanc οἰκουμένην finit, nec minus internum hoc mare, quod in Orbem terrarum sese longè, lateque insinuat, quodque appellamus Mediterraneum. Duorum horum marium, vna est congregatio, & vnda vna: sed vt diuersas terras attingit & alluit, ita etiam varijs nominibus censetur. Hoc Hebraica litera significat, quæ sic legit; Congregationem aquarum appellauit maria. De vnica hac Oceani congregatione, sed varijs nominibus apud varias gentes appellata, Dionysius hæc scribit;

Vndique fluxus ingentis Oceani fertur,
Vnus quidem existens, multis verò nominibus congruens.

LIPPOMANVS in Catena.

LemiKue, idest, Congregationem aquarum in singulari, fortè vt vnitas aquarum significetur.

Chaldaica etiam; Et locum congregationis aquarum, pariter legit, vt referebamus.

b. *Legendum, Congregationes.*

Septuaginta autem ita reddidere, καὶ τὰ συστήματα τῶν ὑδάτων; hoc est, Congregationes aquarum, vt proditum est.

HIERONYMVS non tantùm hanc editionem est prosequutus, verùm ex ea etiam collegit Porphyrium Euangelistas perperam redarguisse. Nam libro Quæstionum, seu Traditionum Hebraicarum in Genesim hæc habet.

Et congregationes aquarum vocauit maria. Notandum, quòd omnis congregatio aquarum, siue salsæ sint, siue dulces, iuxta idioma linguæ Hebraicæ, maria nuncupentur. Frustra igitur Porphyrius Euangelistas ad faciendum ignorantibus miraculum, eo quòd Dominus super mare ambulauerit, pro lacu Genezareth, mare appellaße calumniatur: cùm omnis lacus & aquarum congregatio, maria nuncupentur.

Glossa Locupletata, hæc postrema desumpsit.

c. *Legendum Extensiones, aut Colligationes.*

LVSITANVS in primum caput Geneseos.

Congregationes, vertendum est potius extensiones, aut Colligationes aquarum quia Micueh, à Cauah ortum habet: quid, vt diximus, aut extendere, aut colligere significat.

Ego à Septuaginta, & Vulgata nostra non discederem editione, eò præcipue, quòd omnes prisci Patres ferè ipsam ita lectam commentati sint, nec arbitror D. Hieronymū eas paruipendisse voces, siue non cognouisse, si, quas nobis nunc objiciunt nuperi, tunc in illis codicibus exaratæ cernebantur.

d. *Primum dictum est congregentur aquæ in locum vnum. Nunc autem congregationes, quòd pelagi ex continuatione vnum dicantur, plures attamen sint, & diuerso nomine appellati.*

Patres excitant, eam difficultatem. Quare cùm congregationē aquarum in uno loco effectam

effectam obtestatus esset Moses, postea congregationes aquarum eam appellet. Vnaq; diffinitione, & consensione respondent, aquarum congregationẽ vnam perhiberi, quia unus est ex continuatione locus omnium aquarum; plures uerò, quòd plures eius sint partes, sicut sinus, pelagi, lacus, stagna, paludes, amnes, fontes, quæ etiam plura nomina, & terminos diuersos sortitæ sint; sintque unum mare, & plura, cùm omnia, etiamsi diuersa sint, in unum Oceanum confluant. Id primò asserunt, qui cunctas aquas coactas in unum locum per continuationem asserebant: Basilius, Ambrosius, Iunilius, Glossa Ordinaria, Magister Sententiarum, D. Thomas, & reliqui, de quibus supra.

ATHANASIVS Quæstione ex ueteri Testamento octuagesima secunda.

Quare cùm vnam congregationem aquarum dixisset, postmodum multas vocauit? Inquit enim; Congregata est aqua, quæ sub Cœlo erat, in congregationes suas. Resp. *Vna est aquarum natura, & congregatio. Pluraliter verò collectiones vocauit, eò quòd aliud quidem est Indicum pelagus, aliud verò Ponticũ, & aliud Atlanticum, aliud Propontis, & Aegæum est aliud, & aliud Ionius sinus. Extra verò, terram alluit maximũ pelagus, quod Oceanum vocant. Eam ob caussam, aquam quidem, vt est congregata, collectionem: vt autem ab alia separata est alia, collectiones vocauit.*

THEODORETVS Quæstione in Genesim duodecima.

Cur, vnam cùm dixerit congregationem aquarum, multas postmodum innuit? Congregata est (inquit) aqua, quæ sub Cœlo erat, in congregationes suas. Vna quidem est aquarum congregatio, quoniam inter se maria conueniunt, quædam deorsum per meatus subterraneos decurrentia, alia secundum superficiem terræ. Sed plurali numero congregationes dixit, quoniam aliud est mare Indicum, aliud Ponticum, & aliud Tyrrhenum. Item aliud est Propontis, aliud Hellespontus. Similiter alius est Aegæus sinus, alius Ionicus. Præter hæc autem omnia adhuc est maximũ mare, quod nonnulli vocant mare Atlanticum, quidam verò Oceanum appellant. Hac de caussa Scriptura sacra congregationem vnam aquarum, veluti coadunatam appellauit: congregationes verò, tanquam distinctas.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Mirantur aliqui, quæ possit assignari ratio, quòd dixerit Deus; In vnam collectionem congregetur aqua: deinde subiunxerit; In collectiones suas congregatæ sunt aquæ. Ex his licet conijcere non vnum esse mare, sed plurima. Sic respondemus; aquarum collectio vna quidem vocata est respectu aridæ, quæ & ipsa vna est. Vt terra vna, sic etiam vnum dicitur mare. Quamuis verò vnum sit, recepit tamen diuisiones multas, multosque sinus, quos maria appellitant. Qui terrarum orbem peragrarunt, memorant mare Rubrum, & Hyrcanum coniungi faucibus magni maris. Sicuti Cœlum quidem vnum est sub firmamento, attamen plurimi sunt sub eo in suis locis, & regionibus distincti: ita vnum quidem mare est magnum, quod nominant Oceanum, ex quo flumina, & scaturigines, fontesque procedunt in loca Orbis profundiora, quæ deinde gignunt æquora, aliasque aquarum collectiones, quas Scriptura sacra assolet vocare maria. Sunt autem nihil aliud, quàm fauces quædam, siue riui, ostiaque magni maris.

IVNILIVS In Hexæmeron.

Congregationes aquarũ appellauit maria, videlicet proxima sui parte: nam & apud Hebræos, cunctas aquarum congregationes, siue salsas, siue dulces, appellari dicunt maria; & aptè, quia prius propter continuationem quæ in terris fuit aquarum, in locum vnum eas dixit congregatas: nunc & earum congregationes pluraliter nominat, & hæc appellari maria pluraliter dicit; propter videlicet multifidos earundẽ sinus, qui diuersa pro regionum vocabulis & ipsi nomina sortiuntur.

MAGISTER Sententiarum secundo, distinctione quartadecima.

Ideoque cùm dixit aquas congregatas in vnum locum, deinde dicit pluraliter congregationes aquarum, propter multifidos sinus earum, quibus omnibus ex magno mari principium est.

GLOSSA Ordinaria ex Augustino ista sic obstrinxit.

Congregationes aquarum appellauit maria. Sic enim appellantur apud Hebræos omnes congregationes aquarum, siue salsæ, siue dulces. Et quia per continuationem omnium aquarum, quæ in terris sunt, dixit eas congregatas in vnum locum, nunc vocat pluraliter congregationes aquarum propter multi fidos sinus earum.

a. *Dixit; Congregationes etc. quanquam supra dixerit congregatas esse aquas in locum vnum; quòd Oceanus aliquis sit maximè Australis, qui cùm nostris non coniungitur.*

TOSTATVS vnicus (quòd uiderim) congregationes aquarum dici suspicatus est, quia præter Oceanum, & Mediterraneum mare ab ipso defluens, alia maria nobis

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Et congregationes aquarum vocauit maria.

a. *Dixit; Congregationes &c. quanquam supra dixerit congregatas esse aquas in locum vnum; quòd Oceanus aliquis sit maximè Australis, qui cum nostris non coniungitur.*

Congregationes aquarum appellauit maria:

b. *Mare à fremitu.* c. *Mare à collectione.*

nobis ignota, minimè ab ipso Oceano scatentia fortè comperiri non sit indecens existimare. Ait siquidem Postilla in Genesim.

Congregationes aquarum appellauit maria, more Scripturæ Hebraicæ, quæ quamcunque magnam congregationem aquarum vocat mare, vt mare Tiberiadis, mare Galileæ, & tamen sint stagna: quia idem quod vocatur in Euangelio mare Genesareth, vocatur in alio loco Euangelij stagnum Genesareth, sed idem est. Et nominat hic plures congregationes aquarum, ex quo non patet vtrùm solùm sit Oceanus cum mari Mediterraneo, quod ab ipso procedit, & habitabilem terrã interluit, vel sint aliqua alia maria, vel aquarum congregationes non deriuatæ ab Oceano. Sicut enim de ijs, quæ vltra æquinoctialem sunt, ad nos rumores non peruenerunt, siue aliquis ibi habitet, siue non: ita etiam de maribus vel paludibus, vtrùm vltra sint aliqua præter nostrum Oceanum. Vna autem caussa est, quæ multum me mouet, vt fatear homines non habitare vltra æquinoctialem, scilicet, quia Apostoli iuerunt in omnem terram, vt patet Psalmo decimooctauo. Sed constat ex historijs, quòd nullus eorum pertransiuit æquinoctialem.

Tostati assertio reprobatur.

Verùm quantùm Tostatus Cosmographicæ disciplinæ se ostendat ignarum, atque inexpertem, facillimum est contueri, cùm Oceanum etiam Aphricam supra æquinoctialem alluere non intellexerit. Totam ferè siquidem terram habitabilem vndique Oceanus ambit & circumuallat, Caput etiam Bonæ spei, quod difficilem valde nauigationem præstat, atque supra æquatorem per trigintaquinque ferè gradus ascendit, circumplectens. Sed ipsi uenia est tribuenda, cùm longè post ipsum) anno videlicet millesimo quadringentesimo nonagesimoseptimo, mandante Emanuele primo Rege Portugalliæ, & Caput illud superatum fuerit, & Aphrica vsq; ad Calicutiũ circumnauigata. Nec ratio ab ipso adducta multum consistit; nam Apostolos duodecim, celebriores solũmodo terræ prouincias adijsse, nec singulas eos peragrasse, asserẽdum est.

Congregationes aquarum appellauit maria.

Superest, vt de maris etymologia aliquid edisseramus.

b. *Mare à fremitu.*

STEVCHVS Etymologiam hanc deduci ex idiomate Hebræo contestatur in Cosmopęia.

Maris quoque nuncupationem, quoniam Dei est, Hebraicè autem vocatur Iam, arbitrandum ab aliqua maris proprietate factam, à fremitu videlicet, perpetuoque stridore. Siquidem & aquæ, quæ Hebraicè dicuntur Maim, à fremitu sonituque habent nomen.

Multaque prosequitur, tùm de uocis emphasi, tùm de caussis fremitus disserere. Consulas Doctorem elegantiùs hæc prodentem.

VIELMIVS Lectione decimaquinta.

Hebræis verò Iam, inuersis literis aliquot nominis Samaim, à perpetuò fremitu, ac stridore.

Sic fremit semper, sic semper littora plangunt.

Et quoniam etiam lacus fremere, ac tumultuare flantibus ventis solent, inde, vt conijcio, Hebræis dicuntur maria.

c. *Mare à collectione.*

HIERONYMVS de Quæstionibus Hebraicis.

Notandum quòd omnis congregatio aquarum, siue salsæ sint, siue dulces, iuxta idioma linguæ Hebraicæ, maria nuncupentur. Frustra igitur Porphyrius Euangelistas ad faciendum ignorantibus miraculum, eò quòd

Congregationes aquarum appellauit maria.

Anno Mūdi primo. Dies tertia.

a. *Mare ab amaritudine.*
b. *Mare à magnitudine, vel amaritudine.*

eo quòd Dominus super mare ambulauerit, pro lacu Genezareth, mare appellasse calumniatur, cùm omnis lacus, & aquarum congregatio maria nuncupentur.

Ex D. Hieronymo idipsum repetit Beda Quæstionibus in Genesim. Glossa Ordinaria locupletata, & alij, vt Lippomanus in Catena. Lyranus in Postillis, si non orationem, saltem sensum mutuauit. Petrus Comestor Scholasticæ Historiæ, capite quinto. Hugo Carensis in Postillis pariter.

IVNILIVS in Genesim, vt supra retulimus, inquit.

Congregationes aquarum appellauit maria, videlicet proxima sui parte, nam & apud Hæbræos, cunctas aquarum congregationes, siue salsas, siue dulces, appellari dicunt maria.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite trigesimosecundo.

Item & quod iam consuetudinaliter mare dicitur, naturaliter congregationes aquarum est.

Septuaginta, teste Vielmio Lectione asserta, synagogas dixerunt congregationes.

VIELMIVS, itaque sic scribit.

Est autem synagoga eorum quoque congregatio, quæ ratione carent, quemadmodum Isidorus libro primo, capite octauo, affirmat: quare & aquarum, & pecorum est: cùm Ecclesia conuocatio quædam & cœtus ratione vtentium propriè sit: & proinde augustum magis, magisque splendidum nomen est synagoga. Vbicunque igitur confluentias aquarum perspicimus, & nos diuersis nominibus ab earum inter se differentibus qualitatibus cognominamus, Hebræi vno nomine maria nuncupant.

a. *Mare ab Amaritudine.*

Latinè non omnis aquarum congregatio mare nuncupata est, siquidem salsarum tantùm concursus mare nobis ab amaritudine dictus est, præcipuè tamen confluentia illa magna, quę in Oceano, Mediterraneo, & sinibus cernitur; dulcium verò coactio, lacus, paludes, & fontes à Latinis nuncupantur.

ISIDORVS Etymologiarum libro decimotertio, capite decimoquarto.

Mare est aquarum generalis collectio; Omnis enim congregatio aquarum, siue salsæ sint, siue sint dulces, abusiuè maria nuncupantur, iuxta illud; Et congregationes aquarum appellauit maria: propriè autem mare appellatum, eò quòd aquæ eius amaræ sint: æquor autem vocatum, quia æqualiter sursum est: & quamuis aquæ fluctuantes veluti montes erigantur, sedatis rursus tempestatibus adæquantur.

BASILIVS in Hexæmeron Homilia quarta.

Iam lacus, etsi copiosas aquas habere nemo inficias ibit, non tamen maria quis consentaneæ nuncupauerit, ne si quàm maximè salsi sunt saporis, craßæque nonnulli naturæ, perinde vt mare: qualis est Asphaltites lacus in Iudæa, & Serbonitis ille, qui inter Aegyptum & Palæstinam per Arabiam desertam protenditur: lacus enim sunt atque stagna: mare autem vnum est, ut ij memoriæ prodiderunt, qui terrarum orbem lustrarunt: quanquam & Hyrcanum Caspiumque mare, sunt qui seorsum circumscripta sui esse finibus arbitrentur.

b. *Mare à magnitudine, vel amaritudine.*

BEDA Expositione in Genesim.

Congregatio aquarum maria dicuntur, idest pro magnitudine, quia mare, quasi magnum intelligitur, vel de amaritudine dicitur mare, Et idcirco congregatio aquarum maria appellatur, quia omnis aqua magna apud Hebræorum mare vocatur.

AVCTOR.

Facillimè possunt hæ sententiæ conciliari, si primùm eam Steuchi, ceù non claram exploratamque prætermittamus. Et hanc postremam Bedæ, vt claudicantem & spontaneam

Anno Mūdi primo. Dies tertia.

Vidit Deus quòd bonum.

a. *Vsus est Moses nomine Deus, cùm scripsit; Dixit Deus, Fecit Deus, Vidit Deus, & non Dominus, quoniam Dei nomen ad opificem spectat, Domini ad Regem.*

b. *Quòd bonum, idest, quòd pulchrum mare.*

neam explodamus. Siquidem Hamerus linguarum eruditissimus Commentatione sua in Genesim, mare Hebraicè duobus nominibus vocari contestatur; Et quando Iam dicitur, non hebraico sermone prorsus, sed syriaco, appellari; vnde ruit Steuci doctrina. Verum si eius quoque assertionem perspectam esse supponamus, mare etymologia Hebraica, vel à fremitu, vel à collectione, Hieronymi testimonio eleganter appellari posse, Latinè uero ab amaritudine nuncupari decernamus.

Vidit Deus quòd bonum.

Non est cur de editione aliquid proferamus, cùm Hebraicam lectionem Chaldaica, Græca, Vulgata, & reliquæ cōformiter ita verterint; & cùm ista supra excusserimus. Superest vt Patrum sententias, quæ licet cum supra enarratis conueniant, nonnihil tamen peculiare, vel nouum adijciunt, hoc loco non prætermittamus.

a. *Vsus est Moses nomine Deus, cùm scripsit, et non Dominus, quoniam Dei nomen ad opificem spectat, Domini ad regem.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Monendi sumus, quòd vbique adijcitur: Et fecit Deus: & dixit Deus; in mundi opificio non immeritò fieri. Vult enim perfecte significare, & ostendere huius Vniuersi caussam efficientem, quæ nulla alia est præter Deum. Nam vel in primis sub nomine Deus, opifex Mundi nobis commonstratur. Cęterum nomen, Dominus, imperatorem, vel Regem significat. Quapropter cùm Adæ præceptum daretur, meritò eo nomine vsus est loquens. Præcepit Dominus Deus Adæ; Regis enim & Domini est præcepta & leges dare.

Vidit Deus quòd bonum, hoc est, quòd pulchrum, & vtile.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta, hæc duo de mari disceptat, eius scilicet pulchritudinem, & vtilitatem: quem Ambrosius, Procopiusque imitati sunt. Duo hæc seiuncta ego deducam.

b. *Quòd bonum, idest, quòd pulchrum mare.*

BASILIVS loco nuper citato.

Non hoc agit hæc oratio, vt delectabilem quendam maris aspectum oblatum esse Deo demonstret. Non enim rerum creator oculis creaturæ pulchritudinē cernit, sed ineffabili sapientia perspicit, & contemplatur ea quæ fiunt. Est quidem spectaculum periucundum albescens æquor, cùm ipsum stabilis, & consistens tranquillitas occupat. Est etiam iucundum, cùm placidis ac lenibus auris summis parumper exasperatum vndis, purpureum colorem, aut cæruleum cernentibus obijcit: quando neque violenter vicinam verberat continentem, sed quasi quibusdam pacificis amplexibus deosculatur & salutat.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite quinto.

Vidit ergo Deus, quia bonum mare. Etsi pulchra sit species eius elementi, vel cùm surgentibus albescit cumulis, ac verticibus vndarum, & cautes niuea rorant aspergine, vel cùm æquore crispanti clementioribus auris, & blando serenæ tranquillitatis purpurascentem præfert colorem, qui eminus spectantibus frequenter offunditur; quando non violentis fluctibus vicina tundit littora, sed veluti pacificis ambit & salutat amplexibus, quàm dulcis sonus, quàm iucundus fragor, quàm grata, & consona resultatio? Ego tamen non oculis æstimatum creaturæ decorem arbitror, sed secundum rationem operationis indicio operatoris conuenire & congruere definitum.

PRO-

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Vidit Deus quòd bonum.

a. *Idest; quòd vtile, & proficuum mare.*

PROCOPIVS in Genesis caput primum.
Tùm vidit Deus, quòd omnia vbique pulchritudine niterent.

c. *Vidit quòd bonum; quòd vtile, et proficuum mare.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quarta.
Non tamen putandum est, quòd ad hunc modum etiam Deo mare visum esse bonum, ac iucundum Scripturæ
dicat: sed bonum illic opificij creationis ratione dijudicatur. Primùm quidem, quia fons origove totius humo-
ris, quaquauersum terram alluentis, aqua maris est. Hæc enim per occultos passim meatus se dispertiens, ve-
lut declarant continentes litorales ve terræ hiulcis rimis laxiores instar spongiarum & antris subterraneis dif-
fertæ, subter quas mare fluitans, ac permeans per cuniculos fistulares, & angustos, mox vbi obliquis aut certè
rectà in sublime surrectis excursibus se occupatum deprehenderit, ab agitante compulsum spiritu, superficie
terræ vi disrupta erumpit, atque foras emicat, fitque potulentum deposita per transcolationem, siue distillatio-
nem amaritudine. Iam verò calidiore ex metallis qualitate accepta, per suum eiusmodi excursum, per eandem
caussam concitantis plurimum efferuescit, atque ignescit, id quod tam in insulis cernere liceat non raro contin-
gere, quàm in locis maritimis. Quin & in mediterranea plaga, loca quædam fluuialibus aquis confinia (vt
interim parua magnis comparemus) similes prorsus affectus nobis referunt. Quò tandem hæc mihi dicta sint?
Nimirum vt terra omnem noueritis irriguis elicibus differtam ac subterfossam quaquauersum cuniculis, idque
aqua per retrusissimos meatus suam eliciente originem è mari. Bonum igitur apud Deum est mare, propter
humoris in profundo terræ discursionem. Bonum est etiam, & quia fluuiorum est receptaculum, atque in sese
cuncta omni ex parte flumina suscipit, nec suos fines egreditur. Bonum est item, quòd fons quidem est, &
origo aëreis aquis: quippe quod radijs quidem Solis tepescit: per vapores autem pertenuem aquæ portionem
emittit, quæ sublimem in locum attracta, deinde refrigerata, propterea quòd radiorum, quæ à telluris est paui-
mento, refractione superior euasit, simulque ipsam intendente nubis vmbra refrigerationem, pluuia fit, humumq;
pinguem lætamque facit. His nemo prorsus detrahet fidem, modo is consideret lebetas subiecto igni admo-
tos, qui prius humore quopiam pleni, deprehensi postea sunt plerunque vacui, in vaporem eo toto quod co-
quebatur resoluto. Quinetiam & ipsam maris aquam à nauigantibus coqui cernere licet; qui spongijs
suscipientes vapores, necessitatis tempore non mediocriter subueniunt vitæ. Bonum est etiam & alio modo apud
Deum, partim quòd insulas circumstringit arcetque, ornamentum ipsis inde simul tutelamque præstando: par-
tim quia continentes plurimum inter sese distantes, ac insulas per se coniungit, atque liberas nauigantibus con
gressiones, & expedita commercia concedit, quorum quidem nautarum relatu, rerum eatenus ignotarum hi-
storias exhibet gratuito omnibus cognobiles: tum opulentiæ mercatoribus consequendæ auctor fit, vitæq; om-
nino necessitatibus perfacile succurrit, & penè collapsam restituit, ijs quì copia rerum abundant, in expor-
tandis ijs quæ supersunt, facultatem subministrando: ijs qui egent, id quod ipsis deest supplendo. At vnde
mihi quæso tanta facultas, vt totam maris pulchritudinem exactissime contemplari possim, quantam se exhi-
buit sui creatoris oculo clarissimè perspiciendam?

AMBROSIVS loco citato.
Bonum igitur mare: primùm, quia terras necessario suffulcit humore, quibus per venas quasdam occultè
succum quendam haud inutilem subministrat. Bonum mare tanquam hospitium fluuiorum, fons imbrium, de-
riuatio alluuionum, inuectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pe-
ricula, quo barbaricus pudor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in volupta-
tibus, salubritas ualetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsi-
dium vectigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluuia in terris transfunditur: siquidem de mari aqua ra-
dijs Solis hauritur, & quod subtile eius est rapitur: deinde quantò altius eleuatur, tantò magis etiam nubium
obumbratione frigescit, & imber fit, qui non solum terrenam temperat siccitatem, sed etiam ieiuna arua fœcun
dat. Quid enumerem insulas, quas velut monilia plerumque prætexit, in quibus ij qui se abdicant intempe-
rantiæ sæcularis illecebris, fido continentię proposito eligunt Mundum latere, & vitæ huius declinarę dubios
anfractus? Mare est ergo secretum temperantiæ, exercitum continentiæ, grauitatis secessus, portus securita-
tis, tranquillitas sæculi, Mundi huius sobrietas: tùm fidelibus viris atque deuotis incentiuum deuotionis, vt

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Vidit Deus quòd bonum.

a. Bonum mare. b. Bonum mare. c. Bonum mare.
d. Bonum mare. e. Bonum mare. f. Bonum mare tandem.
g. Vidit quòd bonum, quòd Terra perpulchra, & vtilis.
h. Bonum terra.
i. Bonum terra.

cum vndarum leuiter alluentium sono certent cantus psallentium, plaudant insulæ tranquillo fluctuum sanctorum choro, hymnis sanctorum personent.

Liceat nobis in appendice ad literã, tùm pulchritudinem, tùm vtilitatis modos adijcere. Equidem est pulchrum mare; & cùm tranquillitate lene inalbescit, & cùm placidis auris exasperatum purpureum redditur.

a. Bonum mare. Quia fons & origo, vnde cunctarum aquarum terram alluentium uenæ profluunt.

b. Bonum mare. Cùm per succutaneos meatus terræ efferuescit, atq; ignescit, balneaque subministrat.

c. Bonum mare. Quia fluuiorum est receptaculũ, nec suos fines egreditur.

d. Bonum mare. Quia fons & subministrator impressionum aërearum.

e. Bonum mare. Quòd insulas constringat, & circumuallet.

f. Bonum mare tandem. Quòd liberas nauigantibus congressiones aperiat; vnde tot opulentiæ mortalibus suppeditantur.

g. *Vidit quòd bonum, quòd Terra perpulchra, & vtilis.*

De mari exactius Patres hæc edisseruere: æquum est, vt de terra aliquid audiamus. HAMERVS Commentatione in Genesim id nobis persoluit.

Non iniuria inter Physicos quæsitum est, quodnam inter quatuor elementa principatum meritò sibi vendicare debeat. Et certè si hominis ingenium rectè existimare velimus, inueniemus nullum illi deesse posse, & sic elementa coniurant inter se amicè, vt si vnum homini defuerit, reliqua omnia defuisse putanda sint. Pindarus aquam omnibus reliquis elementis prætulit, ἄριστον μὲν ὕδωρ, id est, Optima quidem aqua. Cæterùm à terræ elemento tot sunt mortalibus omnibus commoda, vt dubium esse posset, ipsanè reliquis elementis præferenda sit necne. Inenarrabilis est enim terræ benignitas, in frugum, vini, pomorum, herbarum, fruticum, medicamentorum, metallorum generibus. Hæc benigna, mitis, indulgens, vsusque mortalium semper ancilla, coacta generat, sponte fundit, odores, sapores, succos, colores nostri caussa alit. Hæc etiam medicas fundit herbas, & semper homini parturit. Hanc suam benignitatem, & ad vsus mortalium promptitudinem, ipso suo vocabulo refert.

Deinde ex terræ nomenclaturis eius præconia celebrat Hamerus. Terram Hebræi uocant uoce, cuius radix est nostro Idiomate (Voluit) quòd terra iugiter velit ferre fructum. Græcè teste Platone, γαῖα esset nominanda, quasi genitrix. Homerus libro secundo Illiados eã appellat ζείδωρος, quòd data sit ad uitã. Hesiodus πολυβοτείρη, quòd multos educat. Orpheus in Olympis eam uocat Deam, & matrem.

Terra Dea, mater beatorum, mortaliumque hominum,
Omnes nutriens, omnia dans, tributum ferens, omnia consumens.

Habebant Romani (inquit Hamerus) Deam Opem, quam etiam terram appellabant. Huic Deæ, ut auctor est Macrobius, sedentes uota concipiunt, terramque industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus appetendam. Erant olim aliquot Germanorum gentes, auctore Tacito, quæ in commune Herthum, idest, terram matrem colebant, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrabantur. Hæc ille.

Colligam ego immensas quæ sunt à terra commoditates.

h. Bonum terra. Quòd elementa sustineat in centro suo Axe librata.

i. Bonum terra. Quòd immensas aquas Pelagi, lacuum, fluminum, & fontium coërceat in utero, & non deuoret, neque deglutiat.

Bonum

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Vidit Deus quòd bonum.

a. Bonum terra. b. Bonum terra. c. Bonum terra. d. Bonum terra.
e. Laudat Deus terram nondum exornatam, quia non in consummatione operis, sed in prædestinatione voluntatis rerum perfectio à Deo æstimatur.
f. Docet nos, bonum existimare, quod facit Deus.
g. Idest, quod placuit in verbo, placuit in opere. h. Quòd absoluta eßet Vniuersi dispositio.

a. Bonum terra. Quòd lapidum, & metallorum infinita propemodum genera reconditis in uiscerum latebris nunquam fessa gignat, & asseruet.

b. Bonum terra. Quòd germina, olera, plantas, arbores, vi uegetatrice, auctrice, altrice, propagatrice proferat, alat, foueat, & propaget, nec coacta generet, sed sponte fundat in nostri gratiā succos, odores, sapores, colores, medicasq; prodat herbas.

c. Bonum terra. Quòd benigna viuentium omnium nutrix eos gremio colligat, lacte escarum depascat, sustineat, uitaque functos in seipsa recondat.

d. Bonum terra. Quòd sulfurearum uenarum fontes ad propellenda morborum genera subministret, ac suppeditet. Hæc profectò Mundi punctus sedes est uiuentium, & mortalium, in qua orimur, uiuimus, & morimur. In qua, ut inquit Plinius, honores gerimus exercemus imperia, opes cupimus.

e. Laudat Deus terram nondū exornatam, quia non in consummatione operis, sed in prædestinatione voluntatis rerum perfectio à Deo æstimatur.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Et vidit Deus quòd eßet bonum. Necdum terra germinabat, necdum vel ipsa quicquam, vel animantia viua produxerunt: & tantùm videre dicitur Deus, quòd eßet bonum, cedentibus aquis apparuisse aridam; quia videlicet æquus æstimator vniuersitatis præuidens, quæ futura erant, quasi perfecta iam laudabat, quæ adhuc in primi operis exordio sunt. Nec mirum, apud quem rerum perfectio, non consummatione operis, sed suæ est prædestinatione voluntatis.

Glossa Ordinaria hæc ipsa desumpsit.

f. Docet nos, bonum existimare, quòd facit Deus.

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesis caput primum.

Et vidit Deus quòd bonum. Nam quia natura humana imbecillis est, & opera Dei dignè laudare non sufficit, diuina Scriptura acceptam ab ipso opifice laudem nos docet.

GLOSSA Locupletata hucusque Chrysostomi sententiam desumpsit. Sed amplius Chrysostomus.

Igitur quando discis, quòd & ipsi conditori creaturæ probantur, & bonæ apparent: habiturus quidem es, quod maiorem in modum admireris, nihil tamen ad laudem & encomium amplius afferre poteris. Talem enim sortitus es dominum, qui talia facit, quæ à nobis neque laudari satis possunt. Quomodo enim vnquam opus Dei pro dignitate laudare poßet humana natura?

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo.

Et vidit Deus, quia bona est. Docet bonum esse, quod fecit, non discit.

g. Vidit, idest, quod placuit in verbo, placuit in opere.

GLOSSA Interlinearis.

Quod placuit in verbo, placuit in opere.

Hugo Carensis in Postillis hæc mutuat verba.

h. Vidit quòd bonum, quia expleta eßet Vniuersi dispositio.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim lib. primo, cap. trigesimoprimo.

Et vidit Deus, quòd eßet bonum. Hinc tandem scriptor Dei, imò & auditor Trinitatis, tribus partibus, idest, Cæli,

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Vidit Deus quòd bonum.

a. *Idest, quòd expletum secundæ diei opus.*
b. *Vel, quòd completa esset aquarum seiunctio.*

Cælo, terra, & mari Mundum habens explicitum tertia die, rectè & opportunè dixit, quia vidit Deus quòd esset bonum. Notandum quippe super aquas ternarium potentiæ creatricis imperium. Primò, tenebræ erant super abyssum in principio creatam, & non dictum est, quòd esset bonum: Deinde interposito firmamento, diuisæ sunt aquæ, neq; tunc dictum est, quòd eßet bonum; Tertiò congregatæ sunt aquæ in locum vnum, & ita apparente arida, dictum est, quia vidit Deus quòd eßet bonum.

HVGO de Sacramentis libro primo, parte prima, capite vigesimoquarto.

Ecce ista sunt trium dierum opera, antequàm Sol, vel cætera luminaria facta fuissent. In his primis tribus diebus disposita est vniuersitatis huius machina, & partibus suis distributa, firmamento desuper expanso. Deinde terra reuelata, atque in imo residente, & suo pondere librata, collectisque aquarum molibus intra receptacula sua, aëre serenato: quatuor Mundi elementa locis suis distincta, & ordinata sunt.

a. Vidit quòd bonum, quòd expletum secundæ diei opus.

CAIETANVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Et refertur ad opus tam secundi diei, quàm commemoratum in hoc tertio. Distulit autem Moses iudicium diuinum de bonitate vtriusque operis, eò quòd vtilitas proueniens ex expansione Cælorum considerata in secundo die, non est nobis manifesta vsque ad apparitionem terræ ex condensatis aquis: quemadmodum in opere primi diei nihil dicitur de bonitate Cælorum & terræ vsque ad factam lucem, quia bonitas illius creationis per lucem nobis manifesta est.

b. Quòd completa esset aquarum seiunctio.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ capite quinto.

Completo ergo aquarum opere, subditur; Et vidit Deus, quòd eßet bonum.

LYRANVS in Postillis.

Hoc dicitur pro opere secundæ diei, completa distinctione aquarum.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim articulo vndecimo.

Circa hoc verbum allegat Thomas super secundum Rabbi Moysem dicentem; In secundo die medium elementum, scilicet aqua, à supremo distinguebatur, & ita non erat perfecta distinctio medij elementi, nisi etiam ab infimo distingueretur, quod factum est tertio die. Sicque opus secundæ diei tertio die completum est, propter quod benedictio tertiæ diei, videlicet istud; Vidit Deus quòd eßet bonum, ad vtrunque refertur. Et hoc est melius dictum, quàm quod quidam hic scribit, dicens, quòd hoc dicitur pro opere secundæ diei, immò dicitur pro opere isto vtriusque diei.

AVCTOR.

Basilij, Iunilij & Chrysostomi interpretationes repelluntur.

Interpretatio prima, quā Basilius & Ambrosius detulere, elegans quidē est, sed quæ bonitas ea fuerit, quam vidit Deus, potius quàm modum, quo viderit, vel caussam, qua hæc Dei laus adiecta sit, nititur explicare. Altera à Iunilio excitata difficultatē subit non modicam. Nō enim in hac commendatione visus est Deus laudasse terram, quasi prævideri eam mox suis insignibus uenustandam, nam & post germinum eductionem iterū scriptum est; Vidit Deus quòd bonum. Chrysostomi & Eucherij interpretatio, Deum nempe docuisse nos bonum esse quod fecerat, mystica apparet. Glossæ Interlinearis explanatio genuina utique, & propria est existimanda, eò maximè, quòd Moses in hac de rerum genesi enarratione, egregij artificis Deo partes ascribat; artifices autem, cùm opus secundùm idæam affabrè, & adamussim excuserint, iucundo animo hilariquè vultu sæpiùs approbare quod exegerint atque perfecerint, nouimus. Nùm autem ista commendatio referenda sit ad totam Orbis dispositionem, consimulque ad opus die secunda peractum, vt decernit Rupertus, Caietanus, & Lyranus: seu ad exactam aquarum discretionem, vt Rabbi Moses, & Dionysius comprobarunt, iam supra diffinitum est.

Genuina interpretatio Glossæ.

De

Anno Mũdi primo. Dietertia.

Et dixit Deus; Germinet.

a. *Vt mortales germinum auctorem non Solem, sed Deum agnoscerent.*

De genesi Germinum.

Plantarum, olerum, arborum omnium genitura nobis nunc profertur. Quis igitur summa non afficietur oblectatione, cùm fœcundæ matris telluris partus adeò uberes audiat, tot, inquam, herbarum, olerum, stipitum genera, tot florum varietates, tot odorum fragrantias, tot fructuum suauitates, quibus nunc vsque perfruatur, tot insitas, nedũ in fructibus, uerùm & in floribus, folijs, corticibus, & radicibus uirtutes agnoscat? Cùm terræ inconditam faciem uenustari animantibus, nobisque pabulum perenne præberi, Mundum condecorari, solum nostrum insigniri prospiciat? Certè horum omnium genituram nunc exquirentes, iucunda inuestigatione potiemur. De plantarum igitur ortu disceptaturis plurima nobis obueniunt librato examine trutinanda, quæ summam animis nostris uoluptatem parient, ingentique nos oblectatione recreabunt. Primùm, quanam de caussa opifex Deus hoc die tertio, qui seiunctionis erat, plantas (quæ terræ ornatus reputantur) crearit; Et quorsum ante Solem, & Lunam, & astra, conspicua Cęli specimina, & ante aues aëris, & pisces aquæ, & animantia, & terræ gemmas, elementorumque ornamenta, eas produxerit.

Quorsum Deus germina tertia die, ante Solem & animantia, produxerit.

Hæc difficultas; Quorsum tertia die Deus plantas produxerit, non adeò inanis, ac inuenusta reputanda est, cùm siquidem tres dies ad seiungendum, seu perficiendũ Chaos, & tres ad ipsummet venustandum, Deus dispertitus sit; mirum est, quòd tertio die, qui seiunctionis, ac perfectionis erat, uenustationi ascriptus cernatur. Deinde, cùm Cœlum, elementaq; decore suo carerent, stupore non uacat, quòd prætermisso Cœlo, aëreque & aqua insignioribus elementis, Deus omnipotens, ac sapientissimus conditor, germina, quæ ad terræ decus spectant, semotis aquis, ac denudata terra, cõfestim procreãda mandarit. Huiusce rei Patres diuersas elegantesque caussas reddidere.

a. *Vt mortales germinum auctorem non Solem, sed Deum agnoscerent.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta, ante Solem ac sydera, quæ quarta die condenda erant, germinasse terram perhibet, ut mortales Deum auctorem germinum agnoscerent, & colerent.

Et quoniam sunt, qui Solem omnium eorum, quæ à terra pullulant, esse caussam arbitrantur, è profundo telluris vim germinandi per caloris attractionem ad superficiem elicientem, ideò terræ dispositio creationem antegressa est Solis, vt & adorare Solem tanquam viuendi caussam homines ij desinant, qui eo in errore versantur. Si igitur persuasum fuerit ipsis, ante Solis creationem, terram omnem habuisse suam dispositionem, tam immoderatam de Sole conceptam admirationem tandem remittent, mox vt secum expenderint, fœno ac herba posteriorem Solis esse generationem.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite sexto idipsum sensit.

Germinet terra. Hoc est, ipsa per se germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cuiusdam indigeat ministerio. Solent enim plerique dicere; nisi clementior Solis calor tepefecerit terras, & quodammodo radijs suis fouerit, non potest germinare terra: & propterea Gentes diuinum honorem deputant Soli, quòd virtute caloris

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et dixit Deus; Germinet.

a. *Plantæ ante Solem, & non animantia; quòd solùm plantæ coruscantissimam triduanam lucem ferre potuerint.*

loris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem emittentem; Conticescat ineptus sermo hominum qui futurus est, facessat vana opinio. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior eius sit prærogatiua quàm Solis. Ne error hominum conualescat, germinet prius terra, quàm fotus Solis accipiat. Sciant omnes Solem auctorem non esse nascentium. Dei clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo Sol viuendi vsum ministrat oriundis, quando illa prius diuinæ operationis viuificatione sunt edita, quàm Sol in hos viuendi vsus veniret? Iunior est herbis, iunior fœno.

CHRYSOSTOMVS in Genesim Homilia quinta, eandem retulit caussam.

Quin & futuram hominum ingratitudinem taxans Scriptura diuina, vt diligenter omnia, ita etiam nobis ordinem factorum narrat, vt compescat nugacitates & deliramenta eorum, qui vanitates suorum figmentorum commentantur, & dicere audent, quòd Solis cooperatione ad fructuum prouentum opus sit. Sunt & alij, qui hæc astris aliquibus ascribere nituntur. Propterea docet nos Spiritus Sanctus, quòd ante formationem horum elementorum, sermoni & præcepto Dei obtemperans tellus, omnia semina ediderit, nullo alio ad cooperationem opus habens. Satis enim sufficiebat ei pro omnibus verbum illud Dei, quod dicebat; Germinet terra herbam fœni. Quocirca diuinæ Scripturæ vestigia sequamur, neque feramus eos, qui aduersa illis temerè blaterant.

Et Homilia sexta inquit.

Diuina quoque Scriptura præuidens propensos ad errorem ignauos, docet nos, post tertium diem hoc elementum esse conditum, postquam terra omnigena semina protulit, & suum accepit ornatum: vt nulli posthac dicere liceat, quòd sine Solis cooperatione non maturescant fruges, & prouentus terræ. Et idcircò monstrat tibi, antequam Sol formaretur, omnia fuisse impleta, vt ne Soli fructuum prouentus ascribas, sed omnium opifici Deo, qui dixit ab initio; Germinet terra herbam fœni.

THEOPHILVS Antiochenus ad Autolycum libro secundo.

Dies quartus erat, quo luminaria creata sunt. Deus etenim præscierat nugas vanorum Philosophorum, quòd dicturi essent (vt irritum Deum facerent) omnia quæ terra profundit, fieri ex caussis elementorum. At vt rei veritas omnibus conspicua foret, ostendit plantas & semina creatione sua anteuertisse elementa, quæ posteriora cùm sint, quis adeò delirus est, vt credat ea potuisse facere ea, quæ creatione sunt priora?

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim capite primo.

Deus iussit terram vestiri herbis & plantis ante creationem Solis, sed ea de caussa, ne quis Solem, eius effectum considerans, in Deorum numerum referat, religioneque colat. Herbæ & plantulæ antiquiores sunt, licet vulgò receptum sit, vt credamus istas vi calida Solis ex profundo in telluris superficiem euocari.

a. *Plantæ ante Solem, et non animantia; quòd solum Plantæ coruscantissimam triduanam lucem ferre potuerint.*

THEODORETVS Quæstione in Genesim decimasexta, insignem edidit aliam rationem, Deum plantas, non animalia ante Solem condidisse, quòd animalia lucis primęuæ fulgorem ferre non potuissent, quemadmodum plantæ sensus expertes.

Oculos habent animalia, nec lucis excessum ferre potuissent. Lux verò distributa in parua & magna luminaria, conuenientem oculis animantium splendorem reddit: plantarum autem natura sensus est prorsus expers.

ATHANASIVS Quæstione octuagesimaquinta in Genesim.

Quare plantas quidem ante luminaria creauit Deus, animalia verò post? Resp. *Propterea quòd plantæ sunt inanimatæ, & non habent oculos, suntque ante luminaria creatæ. Splendorem enim lucis portabant, post luminaria verò tandem animalia creata sunt.*

Plantæ

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Et dixit Deus; Germinet.

a. *Plantæ ante animantia, vt ipsa pabulum ante sibi præparatum comperirent.*
b. *Plantæ hac tertia die post terram denudatam emanant; quoniam vt terræ insita ornamenta à terræ origine seiungi non debebant.*

a. *Plantæ ante animantia producuntur, vt illa pabulum ante sibi præparatum comperirent.*

Deducunt hi Patres & aliam caussam, Deum ante animalia plantas produxisse, ut pabulum illis ante præpararet. Deducunt autem id, quæsitantes vnde sit, quòd Deus, qui pabula feris prouidit, homini alimentum non præpararit. Cui percunctationi Basilius loco citato satisfacit, ea ratione, quòd pecudes ipsæ sint hominis alimenta. Ambrosius verò his addit, quòd herbæ ipsæ sint etiam homini simplex sobrietatis cibus, ac necessarius.

BASILIVS vbi supra.

Num igitur pecoribus quidem præparatum est pabulum, nostrum autem neglectum est alimentum, nec vlla prouidentia prorsus fuit curaque dignum? Quin potius, qui bobus pastum, equisque parauit, is tibi diuitias pariter, & delitias, parat. Qui nanque tua pecora pascit, is profectò tibi vitæ substantiam, ac facultatem auget. Deinde, seminum ortus quid aliud est, quàm apparatus tuæ vitæ degendæ, præter alias complures herbas, & olera, quibus humanum vescitur genus? Itaque etiamsi quod herbæ genus alijs est animantibus commodo, ipsa illorum vtilitas ad nos redit, fit enim vt & seminum horum vsus nobis deputatus sit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite septimo.

Et fortè mirentur aliqui, quòd prius pecori pabulum, quàm cibus homini sit creatus. In quo primùm profundum Dei consilium debemus aduertere, quòd etiam minima quæque non negligat, sicut in Euangelio Sapientia Dei dicit; Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa: nonne vos pluris estis illis? Cùm enim illa pascuntur Dei gratia, nemo sibi debet de sua industria, & virtute blandiri. Deinde, quia simplicem victum & naturalem cibum reliquis cibis debuit anteferre. Hic enim sobrietatis est cibus, reliqui deliciarum atque luxuriæ. Hic communis omnibus animantibus cibus, ille paucorum. Exemplum itaque frugalitatis, magisterium parsimoniæ est, herbæ simplicis victu olerisque vilis aut pomis contentos esse omnes oportere, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei prima donauit. Ille salubris, ille vtilis cibus, qui morbos repellat, qui resecet cruditates, nullo hominum paratus labore, sed diuino effusus munere, sine satione fruges, fructus sine semine, tam dulcis, tam gratus, vt etiam repletis voluptati atque vsui sit. Denique ad primas datus mensas, ad secundas remansit. Matth. 6.

THEODORETVS Quæstione in Genesim tertiadecima.

Multa sunt animalium irrationalium genera, quædam fera, alia iumenta appellata: & nonnulla reptilia, alia volatilia. His igitur omnibus animalibus escam præparauit Deus, quæ etiam in hominum vsum condidit, & statim eis propter nos pabulum dedit. Qui producit, inquit, fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum. Psal. 103.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim libro primo.

Necesse siquidem erat, vt animalibus semina & fructus quidam præpararentur, quibus tandem alerentur. Quapropter animalium creatio sequitur, nec antecedit plantarum & herbarum creationem. Nec tamen deterioris conditionis, quàm plantulæ, sunt animalia. Nam eadem ratio cogeret nos, vt crederemus hominem cæteris animalibus esse viliorem, cùm eius creatio in vltimum locum sit reseruata. Siquidem arbores, & animalia anteuenerunt creationem hominis. Vbi illa processerunt, ibi demum homo, qui quasi rex quispiam his erat vsurus, eaque imperio frenaturus, suam creationem accepit.

b. *Plantæ hac tertia die post terram denudatam exiliunt; quoniam vt terræ insita ornamenta à terræ origine seiungi non debebant.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam lib. secundo, cap. duodecimo, plantas

plantas tertia die conditas existimauit, quia terræ fixæ à terra origine seiungi non debebant.

Hic moderamen ordinatoris aduertendum est, vt quoniam distincta quædam creatura est herbarum, atque lignorum, ab specie terrarum & aquarum, vt in elementis numerari non possint, seorsum de illis diceretur, vt exirent de terra, & seorsum illis redderentur illa solita, vt diceretur; Et factum est sic, ac deinde repeteretur, quod factum est: seorsum quoque indicaretur Deum vidisse, quia bonum est: tamen quia fixa radicibus, continuantur terris & connectuntur, ista quoque ad eundem diem pertinere voluerit.

Sed vberius de Genesi ad literam imperfecto, capite vndecimo.

Hæc autem omnia ita supra terram sunt, vt ipsi terræ radicitus cohæreant, & ei continuentur, & rursum quodammodo separentur: propterea huius naturæ significationem in ista narratione seruatam arbitror, quia & eodem die facta sunt, quo terra apparuit; & tamen iterum dixit Deus, vt terra germinaret: & iterum dictum est; Et sic factum est.

B E D A Expositione in Genesim.

Germina quia fixa radicibus connectuntur terris, ad eundem diem voluit pertinere. Et Post. *Quid sibi vult, quòd prius terra germinaret, quàm in Cœlo fierent luminaria? Supra dictum est, quia lucis nomine spiritualis creatura dicta est prima die formari. Ac die secunda pars Mundi huius sublimior, idest, Cęlū formatur. Tertia die terra cum herbis, & lignis, quia etsi mouentur ligna, & herbæ per incrementum, radicibus tamen fixa sunt terris: ac per hoc non terra prius recepit ornamentum, sed Cęlum.*

Et libro de sex dierum Creatione.

Quid est enim, quòd ista omnia in vnum dicit imperauit fieri, & terram germinare, & aquas congregare, nisi quòd ista omnia in terra radice figuntur? Ideò ad eandem diem pertinere dicuntur: quia quamuis longè, lateque per incrementa sua diffunduntur, tamen de locis proprijs nexibus suis non mouentur. Quia arbores viuunt, viuunt tamen non per animam, sed per viriditatem: quia ille succus infunditur in radice, deinde in qualitatem arboris efficitur, & postea in effusione ramorum, & exinde in viriditate foliorum. Vnde dicit, Et lignum pomiferum, quia omnia ligna fructum non faciunt, quia hic fructus intelligitur: quia vnaquæque arbor habet vsum suum, & vnaquæque herba similiter vtilitatem suam tam in manifesto, quàm in occulto.

G L O S S A Ordinaria ex Augustino.

Aduertendum est moderamen ordinatoris, quamuis distincta sit creatura herbarum, atque lignorum à specie terrarum, & aquarum, vt in elementis numerari non possint, quia tamen fixa radicibus terræ nectuntur, ad eundem diem voluit pertinere.

D. T H O M A S prima parte, quæstione sexagesimanona, articulo secundo, ad primum, Augustino consentit.

Dicendum, quòd vita in plantis est occulta, quia carent locali motu & sensu, quibus animatum ab inanimato maximè distinguitur. Et ideò, quia immobiliter terræ inhærent, earum productio ponitur quasi quædam terræ formatio.

D. B O N A V E N T V R A secundo Sententiarum, distinctione quartadecima, caussam primo loco adductam cum hac simul complicat.

Dicendum, quòd Scriptura ordinatè exprimit. Deus ordinatissimè fecit, dum eodem die, quo terra producta est, ex ea herbas & ligna prodire fecit, tùm propter erroris remotionem, vt dicit Basilius; ne crederetur, quòd Sol esset caussa principalis terræ nascentium, sicut dicit Philosophus, quòd terra est mater plantarum, & Sol pater; tùm quia plantæ & herbæ sunt quasi connaturales terræ, dum ei sunt radicitus affixæ, trahendo ex ipsa fomentum & originem: non sic autem est in ornatibus aliorum trium, & per hoc patet primum obiectum.

L Y R A N V S in Postillis.

Videtur forsitan alicui, quòd ista productio plantarum, & herbarum pertineat ad sextam diem, in qua ornata est terra, vt dicetur infra. Ad quod dicendum, quòd ornatus hic accipitur ex similitudine ornatus in hominibus, in quibus non pertinent ad ornatum propriè ea, quæ inseparabiliter adhærent corporibus humanis, sed ea, quæ possunt apponi, & auferri, sicut vestes, serta, monilia, &c. Huiusmodi autem plantæ, & herbæ immobiliter adhærent terræ: & ideò pertinent ad opus tertiæ diei, quando apparuit arida.

D I O N Y S I V S Chartusianus Enarratione in Genesim, articulo vndecimo.

Si autem obijciatur, quòd germinatio ista magis pertineat ad terræ ornatum, quàm ad eius distinctionem; dicendum, quòd ornatus elementorum attenditur penes quædam extrinseca, non penes ea, quæ radicitus, inseparabiliterque adhærent, sicut in homine vestimenta, monilia, gemmæ, & consimilia propriè pertinent ad eius ornatum: sicque animalia spectant ad terræ ornatum, non propriè herbæ, ac arbores.

Id verò

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Et dixit Deus; Germinet.

a. *Id verò dici non potest de astris, quoniam vel astra insita non sunt, vel si insita, è Cœlo non oriuntur.*

b. *Germina hac tertia die creantur, quòd terræ tollenda esset duplex imperfectio, qua scilicet erat inuisibilis, & incomposita, seu inanis, & vacua.*

a. *Id verò dici non potest de astris, quoniam vel astra insita non sunt, vel si insita, è Cœlo non oriuntur.*

ALEXANDER Halensis summę Theologiæ parte secunda, quæstione quinquagesima prima, membro secundo.

Sed obijcitur in contrarium per ornatum factum in quarto die: Sol enim, & Luna, & sydera facta sunt in quarto die, & pertinent ad ornatum firmamenti, & fixa sunt in firmamento, sicut dicunt Philosophi. Ergo per prædictam rationem deberent in secundo die cum firmamento computari: sed non computantur; ergo non est hæc ratio, propter quam arbores, & herbæ sub vno die cum terra computantur. Responderi potest, vel secundum opinionem eorum, qui dicunt sydera habere proprium motum, quam opinionem recitat Augustinus: vel si fixa sunt in suo orbe, sicut dicit Philosophus, distinguendum est inter fixum, & fixum. Est enim quoddam fixum, quod oritur ex illo, cui est infixum: & est aliud fixum, quod factum est in illo, cuius est ornatus. Primo modo dicitur de herbis, & arboribus: secundo modo dicitur de syderibus. Vnde primo modo dicit; Germinet terra &c. Secundo dicit; Fiant luminaria in firmamento Cœli &c. Fixum ergo, quod oritur ex terra, sicut dicit Philosophus, quòd terra est mater herbarum, computatur in eodem die cum illa: aliud verò fixum non computatur.

Non idipsum profectò est dijudicandum de astris micantibus in Cœlo, & de viroribus emergentibus è terra, quoniam astra fortè siuè inanima, siuè anima prædita, per immotum, & permutabile gradiuntur Cęlum, quemadmodum censuerunt non tantùm Philosophorum nonnulli, sed Patrum plerique, vt Chrysostomus, Nyssenus, & alij: vel si astra insita sunt, vt congesta, & coalita ex liquidissimis, purissimisque Cęli partibus, non profectò ex ipsa cœlesti materie ita prodiere, vt perpetuis generationibus nunquam recisis emergant, & eius pinguiori humore alantur, vt plantæ. Quapropter specimina potius censenda sunt ipsis Cęlis adiecta, quàm ex ipsis emergentia & prosilientia, ipsisque cohærentia. Adijcias astra periodo orbiculari volui, cieríque perenniter, plantas verò, atque arbores nunquam sedes immutare.

b. *Germina hac tertia die, quòd terræ tollẽda esset duplex imperfectio, qua scilicet erat inuisibilis, & incomposita, seu inanis, & vacua.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite sexto.

Discedente aqua, conueniebat vt species terræ daretur & gratia, vt inuisibilis & incomposita desineret esse. Nam plerique etiam hoc dicunt esse inuisibile, quod speciem non habet: & ideo accipiunt terram inuisibilem fuisse, non quia videri non posset à summo Deo, vel Angelis eius (nam adhuc homines creati non erant, vel etiam pecudes) sed quia sine sua specie erat. Species autem terræ est germinatio, & viriditas agri. Vnde vt & visibilem eam, & compositam faceret Deus, ait; Germinet &c.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesimanona, articulo secũdo.

Dicendum, quòd sicut supra dictum est, in tertia die informitas terræ remouetur. Duplex autem informitas circa terram describebatur: vna, quòd erat inuisibilis & inanis, quia erat aquis cooperta; alia, quòd erat incomposita siue vacua, idest, non habens debitum decorem, qui acquiritur terræ ex plantis eam quodammodo vestientibus. Et ideo vtraque informitas in hac tertia die remouetur: prima quidem per hoc, quòd aquæ congregatæ sunt in vnum locum, & apparuit arida: secunda verò per hoc, quòd protulit terra herbam virentem.

LYRANVS in Postillis.

Hoc dicitur pro opere secundæ diei, completa distinctione aquarum, sed quia terra superius dicta est inanis, idest inuisibilis, eò quòd esset cooperta aquis, quæ inuisibilitas remota est per congregationem aquarum, quia

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Et dixit Deus; Germinet.

a. *Quòd Vniuersum, vsque ad gradum rerum sensu pollentium, materia sit tertiæ diei.*
b. *Seu, quòd ordo naturæ id posceret: secessio enim maris, finalis, & ferè formalis fuit caussa terræ germinationis.*

quia tunc apparuit arida. Item dicta est vacua, eò quòd non erat ornata herbis, & plantis. Ideo remouendo hanc vacuitatem, consequenter subditur, &c.

DIONYSIVS Carthusianus Enarratione in Genesim art. vndecimo.

Denique, sicut præhabitum est, duplex informitas fuit primò in terra. Vna quoniam fuit aquis cooperta, & hæc ei ablata est per congregationem aquarum in vnum locum. Alia quia fuit infructuosa, & hæc ei ablata est per germinationem prædictam.

a. *Quòd Vniuersum, usque ad gradum rerum sensu pollentium, materia sit tertiæ diei.*

CAIETANVS existimat hoc loco, Vniuersum secundum perfectionem quam habet ex motibus alterationis generationis & augumentationis, vsq; ad infimum gradum uiuentium, esse materiam tertiæ diei.

Aduerte hic, quàm consequenter ac gradatim perfectiones Vniuersi Moses describit: post alterationem siquidem elementorum aquæ & terræ, ad generationem imperfectorum mixtorum procedit ascendendo vsque ad primum gradum viuentium. Ita quòd Vniuersum, secundum perfectionem quam habet ex motibus alterationis, generationis, & augumenti, vsque ad infimum gradum viuentium inclusiuè, materia est tertiæ diei.

b. *Quòd ordo naturæ id posceret: secessio enim maris, finalis, & ferè formalis fuit caussa terræ germinationis.*

STEVCHVS in Cosmopæia in primum caput Genesis.

Narratur enim quam ob caussam, quoue consilio extiterit primum. Non propter se videlicet mare, terris aquarum contagio solutis, in sedibus suis constitisse, sed vt longè, lateque montium & camporum viriditas, omnigenaque vbertas, primæuis aquis humefacta, desuper autem Solis ardore confota tellure, pullularent. Idcirco vna eademque die, dum cogitur mare, dum celsiores terræ patefiunt, producitur in his omnis arbos, & herba. Ac prima die, quam fecit Sol creatus, quædam facta est aquarum resolutio, secunda terræ magis aruerunt, tertia ex his arefactis, sed adhuc humentibus, omne genus stirpium exortum est. Quod habuit ordinem mirabilem & prouidentiæ & naturæ. Naturaliter enim, quia prudentissimè parata & prouisa fuerant, sequebantur.

VIELMIVS Lectione decimasexta.

Obseruent autem Theologi iuniores miram vtriusque classis operum Dei conuenientiam, videlicet, & quæ gratiæ, & quæ naturæ dicuntur. Vident enim Scripturas nullam nobis creationis rerum caussam aliam assignare, nisi Dei bonitatem: hanc enim vt impartiretur, his quidem clarius, illis uerò obscurius, Mundum effecit, venustauit, & expoliuit. Deinde vident vnumquodque Mundi opus hanc habere connexionem cum alijs, vt quod antecedit, caussa præparatoria ac veluti materialis eius operis sit, quod illud confestim subsequitur; & hoc tanquam postremum, caussam esse finalem antecedentis, & quadantenus etiam formalem: (quicquid enim alterius ratio est, potest tanquam eius formale quidpiam haberi:) vt proinde sibi mutuo opera sigillatim hæc & caussæ & effectus (in diuerso tamen genere) existant; mare secedit à terra, & veluti eam præparat, vt germinet: ergo terræ germinatio finis est secessionis maris. Rursum, & germinatio hæc ob animalia, & homines fit. Ergo vnum opus est alterius ratio.

Vnum Dei opus alterum præparare, non est ambigendum; sed secessionem maris finalem, formalemque fuisse caussam germinationis terræ, non ita est existimandum, quasi proprie, & tantùm fuerit maris coactio effecta in gratiam germinum. Denudatum est enim hoc solum magis in obsequium animantium, & regis eorum, scilicet hominis. Nùm autem formalis caussa germinum ipsa fuerit maris secretio, perpendant ipsi Philosophiæ non ignari.

AVCTOR.

AVCTOR.

Nonnullę ex supra adductis caussis improbãtur.

Caussam à D. D. Basilio, Ambrosio, Ioan. Chrysostomo, Theophilo, Procopio allatam, dum asserunt opificem plantas ante Solem produxisse, ne Solem rerum auctorem mortales existimarent, ad tropologiam prorsus diuertere perspicuum est. Athanasij, ac Theodoreti placitum, singulare esse, nec valdè exploratum arbitror. Lucem quippe triduo primo fulgore adeò ingenti coruscasse, vt nec animalia, nec homo enitentem eum splendorem ferre potuissent, placitum est non tantùm à communi sententia Patrum alienum, sed hoc loco intempestiuè deductum. Non enim ex eo cogebatur, seu impellebatur Deus, vt ante astra, & cætera mixtorum genera, plantas primum eis locum impertiendo proferret. Caussa altera productas tertia die plantas asseuerãs, vt animantibus pabulum præberetur, non sufficiens Neotericis visa est. Siquidem si ad quartum diem, seu etiam ad quintum germinum emolitionem Deus protraxisset, æquè fęlici euentu animantia florescentem, ac virescentem terram comperijssent, & expositam sibi escam ingenti, atque effusa iucunditate sumere quiuissent. Quapropter caussas ab Augustino quarto in loco, & ab Ambrosio in quinto prolatas, simul nectẽdas arbitrarer, videlicet, ideò germina post terram arefactam hac tertia die natalia sumpsisse, quia & terræ fixa, ipsi essent potius perfectio quàm specimen. Quæ commixta & conciliata caussa, vt mihi argutior, ita & acceptior visa est; maximè si id, quod D. Thomas in corpore articuli prodidit, attendamus. Si enim triduo primo perficiendum erat vnumquodque elementum, & triduo altero venustandum, duplex terræ imperfectio iam supra descripta, cùm dictum est; Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, hac die tertia submouenda erat. Reddenda igitur erat visibilis, seu constans, quod tunc effectum est, quando congregatis aquis in locum vnum apparuit arida. Reddenda erat composita & fœcunda, quod tunc euenit, cùm germinauit herbam virentem. Potius igitur plantæ ad terræ perfectionem spectant, quàm ad ornatum. Insigni siquidem absolutione tellus carebat, quãdo tùm intus, tùm foris, metallorum, lapidumq; generibus destituta erat, & nuda desolataq; apparebat. A Vielmio, & Steuco recensitæ caussæ elegãtes profecto sunt, consideratis Dei operibus iã patratis, sed nõ efficaciter demõstrãt, quorsum Deus, qui liber erat opifex, pro tertiæ diei opere Vniuersum secundum perfectionẽ, quam habet usq; ad infimũ gradum uiuentium assumpserit, sibiq; præscripserit. Deinde si viuentium nomine sensu pollentia capit, adeò vt in tertia die cuncta Deus ediderit mixta, tùm perfecta, tùm imperfecta, & vegetantia: vt quid astra etiam, quæ sensus gradum non attingunt, hac die non congessit? Vielmius, & Steuchus probè equidem maris secretionem, & terræ denudationem, præparationem fuisse, quò terra germina posset proferre, censuerunt: haud attamen ex hoc veram ac necessariam caussam, quare Deus usque ad quintum diem, seu sextum, hæc efficienda non distulerit, prout auium, & animantium distulit genituram, tradiderunt.

Duplicẽ terræ imperfectionem duplex perfectio hac die subsecuta est.

Germinet terra herbam virentem &c.

Operępretium est, ut aliquid de editione animaduertamus, singulaque uerba perpendamus. Hebraica lectio talis est. Vaiomer Elohim, tadse haarez desè eseb mazriaa zeraa, ez periose peri lemino azer zaro boal haarez, idest, vt vertit Lippomanus. Et dixit Deus, Germinet terra herbam virentem, seu fœni, facientẽ semen, seu seminificantem semen, lignum fructus faciens fructum iuxta genus, seu speciem suam, cuius semen in ipso super terram. Chaldaica sic legit; Et dixit Deus, Germinet terra germinationem herbę, cuius filius sementis seminatur: arboremque fructiferam facientem fructus secundum genus suum; cuius filius sementis in ipso sit super terram. Græca Septuaginta Interpretum sic transtulit, καὶ εἶπεν ὁ θεός; βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος &c. Idest: Et dixit Deus, Germinet terra herbam fœni, seminantem semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum pomiferum faciens fructum, cuius semen ipsius in ipso secundum genus super terram. Ita propemodum Biblia Regia, & Lippomanus. Vulgata nostra; Et ait: Germinet terra herbam virentem,

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Germinet terra herbam uirentem &c.

a. *Legendum, Herbabit terra, seu Herbificet terra.*
b. *Legendum, Germinet terra.*

rentem, & facientem semen; & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Pagninus & Vatablus: Dixit insuper Deus, Germinet terra germen, herbam producentem semen, arborem fructiferam facientem fructum iuxta speciem suam, cui insit semen suum super terram. Caietanus: Iuxta Hebræum habetur; Herbabit terra germen, herbam seminificantem semen; lignum fructus faciens fructum generi suo, cuius semen eius in ipso super terram. Lusitanus: Et dixit Deus; Germinet terra germen, herbam seminificantem semen: arborem fructiferam facientem fructum in specie sua, in qua semen eius sit super terram. Editiones hæ, quanquam discrepent adinuicem, ad eundem attamen proficiscūtur sensum, eo euentu, ut descriptiones diuersas eas appellare non sit inconsentaneum: membratim attamen singulas particulas obseruabimus, & ponderabimus.

a. *Legendum, Herbabit terra, seu Herbificet terra.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Iuxta Hebræum habetur; Herbabit terra. Et Post. *Vbi aduerte, quòd virtus productiua vegetabilium describitur pulchro ordine succedentium statuum: nam dicendo, Herbabit, modus producendi manifestatur: per modum siquidem herbæ producuntur tam ipsæ herbæ, quàm arbores. Herbascunt siquidem omnia vegetabilia, cùm è terra pullulant: & dictio Hebraica prima non propriè significat herbam, quæ distinguitur contra arbores, sed vniuersa vegetabilia viridia: & propterea dicitur, Germen, tanquam genericum nomen. Quum verò in textu subiungitur, Herbam, alia dictio est significans herbam, quæ distinguitur contra arborem: Moses enim primò dicit, quod commune est herbis & arboribus, deinde appositiue singillatim quod est herbarum, & quod est arborum.*

LVSITANVS.

Germinare faciet terram. Hebraicè est ad literam, Herbificet (si sic loqui latinis liceret) herbam.

STEVCHVS in Genesim.

Hebraicè verbum est ab herba ductum (thadse) idest, herbificet, si dicere liceret: à (dese) idest, herba. Perinde si dixisset. Herbificet terra herbam. Sed quia non erat satis Latinum, propterea alio modo idem Latinè expressit.

LYPPOMANVS in Catena.

Alij verò herbificet, dixerunt, quòd verbum thadse, quod est hic futurum hiphil, id propriè significet.

Obseruationes Hebraicè.

Germinet, vox Hebræa thadse, impropriè significat, herbificet, siue herbam producat.

b. *Legendum, Germinet terra.*

Verùm è cōtra Chaldaica editio legit, Germinet terra. Græca Septuaginta Interpretū βλαςησάτω η γῆ hoc est, Germinet terra. Idipsum editio nostra Vulgata. Sed Steuci sententiam prosequendo dicamus, Germinet dixisse editionē Latinā, propterea ꝙ herbificare non sit satis Latinum. Quod autem adnotabat Caietanus, Herbare scilicet manifestare modum producendi, quasi herbescant omnia vegetabilia, cùm è terra pullulant; certè non adeò est singulare ipsi verbo Herbare, quin conueniat & verbo Germinare. Quinimmo & magis se extendit Germinare quàm herbare, cùm germinatione prodeāt tùm herbæ, tùm olera, tùm arbores: Herbificatione autem (ut eius utar uerbis) herbæ tantùm exiguæ, sicuti & ipse testatur, cùm ait, Germen esse genericum nomen, Herba verò specificum ad herbam, quæ distinguitur contra arborem. Sed hæc Prisciano essent relinquenda.

Herbam

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Germinet terra herbam virentem &c.

Tadse haarez desè Eseb.

a. *Singulare pro plurali.*
b. *Desè herba tenella; Heseb herba grandiuscula.*
c. *Vel, Desè herba virens; Eseb sicca.*

Herbam virentem.

Chaldaica legit, Germinationẽ herbæ: Editio Græca habet; Herbam fœni; quam sequuntur Ambrosius, Augustinus, & Patres omnes Græci. Latina autem edidit, Herbã virentem.

Caietanus legit, Germen herbam. Obseruationes hebraicæ id non abnuunt, cũ aiũt; Verti potest, Germinet terra germen, appositiue herbam facientem semen. Vel subaudienda coniunctio; Germinet terra germen, & herbam: & Sanctes Pagninus approbat. Verum & Doctores his vocibus vno annutu & eleganter adnotant, quænam sit inter has differentia.

a. Singulare pro plurali.

RABBINI Adnotationibus in Genesim.
Hebraico more singulare pro plurali positum est.

b. Desè herba tenella; Eseb herba grandiuscula.

HAMERVS Commentatione in Genesim.
Quod nos legimus herbam virentem, in hebræo legitur; Desè hèseb significant hæ voces ferè idem, nempe herbam, sed desè herba est iam recens nata & tenera, Eseb grandiuscula, & semini ferendo iam proxima.

RABBI Salomon, teste Steuco.
Aliud vult esse Desè, aliud hèseb: primum enim significare dicit vniuersam herbarum viriditatem, qua terra vestiatur: secundum ipsas herbas. Sed quis non videt hæc adeo esse inter se similia, vt facilè confundantur.

LVSITANVS pariter.
Ponunt autem Hebræi discrimen inter dèse, & hèseb: quòd dèse, significet herbam teneram, cùm videlicet egreditur è terra, hèseb, verò grandiusculam herbam seminificantem.

OBSERVATIONES Hebraicæ.
Sunt autem duo verba hebraica herbam significantia: verum alterum, dèse, herbam tenellam significat: alterum, hèseb, herbam quæ produxit germen & adoleuit.

c. Desè herba virens, Eseb sicca.

STEVCHVS in Cosmopœia.
Itaq; herba, quam iussit cum primis è terra nasci, est fænũ. Hæc dicitur Desè quando pullulat, & virere cæpit, quando sicca colligitur Eseb. Quidã tamẽ Hebræi putant Eseb plãtas maiores dici, minores autem Desè. Arguiturque Salomon à nonnullis, quòd asseruerit Desè virorem herbarum, non herbas ipsas appellari. Ostendunt autem Deseim esse numerum multitudinis à Desè, quod non esset, si virorem ipsum terrarum designaret.

Cæterum si id, vt exploratum, est diffiniendum, Desè, herbam tenellã significare, heseb, vero adolescentẽ, vt omnes hi Doctores vna consensione decernunt solo Steuco claudicãte, vel renuente, probatior nobis reputãda est editio nostra, quæ loco, dese, dixit herbam, &; Eseb, virentem; quàm ea, quæ dixit, Germen herbam. Tenellam siquidem, & pullulantem plantam magis exprimimus per herbam, quàm per germen. Eam verò quæ adolescit, & succrescit, magis per virentem, quàm per herbam. Quòd autem editio Græca habeat, Herbam fœni, ea de caussa est, vt adnotabat Ambrosius; quoniam non ociosè à Septuaginta plura hebraicę lectioni addita, & adiuncta cernuntur.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Germinet terra herbam virentem &c.

a. *Et facientem semen, vel seminificantem semen.*
b. *Sed, Et lignum pomiferum, vel lignum fructus, vel frugiferum, vel arborem fructiferam.*
c. *Ponitur hoc loco lignum pro arbore, & singulare pro plurali.*
Iuxta genus suum.
d. *Idest, iuxta decretum, & normam à Deo præscriptam.*

tur. Lectio Chaldaica suauior mihi visa est, quàm ipsa nuperorum, cùm dixit, Germinationem herbæ, & non Germen herbæ.

a. Et facientem semen, vel seminificantem semen.

Hebraica legit (maziaazaraa) quod alij seminificantem semen transtulere. Vnde CAIETANVS herbabit terra germen herbam seminificantē semen.

Nec mireris scribi seminificantem semen, & similiter lignum fructus faciens fructum; idiomati siquidem hebræo tribuendum est hoc; gaudet enim idioma illud quasi conduplicatione: veniendo veniet, faciendo faciet, & huiusmodi.

LIPPOMANVS dixit.

Facientem semen, seù seminificantem semen, quasi quòd vtroque modo dici possit.

STEVCHVS autem optime hec conciliat, cùm ait.

Illud quoque inferius, Faciens semen, Hebraicè est Mazrinh Zeranh seminificans semen: sic & inferius, Producat terra, hebraicè est toze, idest, faciat exire, quæ & alia infinita prudentissimè noster Hieronymus latinæ phrasi accommodauit: quod & Septuaginta fecerunt in lingua græca: quanquam hi sint longè in fingendis ac notandis nominibus nobis feliciores, propterea hebraico sæpe accedunt propiùs quàm nos.

Accommodatior igitur interpretatio nostra est, ut uere propior latinitati.

RABBINI Adnotationibus in Genesim.

Virentem & facientem. Inter hæc duo verba non ponitur coniunctio, & apud Hebræos.

b: Et lignum pomiferum, vel lignum fructus, vel frugiferum, vel arborem fructiferam.

Hebraica lectio habet, Lignū fructus. Septuaginta καὶ ξύλον καρπιμον. idest, lignum frugiferum. Hamerus loco asserto; Vetus Hebraicæ linguæ mos est, arborem nomine ligni appellare. Et ita legit Lusitanus, & Caietanus, nec abnuit Lippomanus. Chaldaica lectio conformiter legit, arborē fructiferā. Sed hæc parū nostra intersunt, cùm Pomiferum hoc loco capiatur pro quocunque genere fructuum, nec eius significatio coarctetur ad illud genus tantùm, quod à nobis malum vocatur.

c. Ponitur hoc loco lignum pro arbore, et singulare pro plurali.

OBSERVATIONES Hebraicæ adijciunt.

Lignum pomiferum, lignum pro arbore, & singulare pro plurali positum. Arbores fructiferas facientes fructum.

Iuxta genus suum.

d. Idest, iuxta decretum, & normam à Deo præscriptam.

STEVCHVS Cosmopęia in primum caput Geneseos.

Genus, siue species hebraice Min. Vox à verbo Mana, distribuit, decreuit, instituit. Itaque proprie sonat decretum, institutum, normam, legem. Quasique dicitur à scriptore, iuxta legem, decretumque suum, siuè cursum vel instinctum suum. Fiat, nquit è terra, quicquid fieri, & ad quas vsque formas progredi terrarum queat vbertas. Quos, & quàm varios fœtus, terra sinu complectitur, tam varios edat in lucem.

Secun-

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Iuxta genus suum.

a. *Secundum speciem, magis propriè secundum similitudinem.*

Et ait; Germinet.

b. *Vox Dei, naturæ lex fuit per successionem duratura.*

c. *Legendum, Germinet terra herbam fœni, & semen seminificans iuxta genus suum.*

d. *Germinet terra herbā virentem, & facientem semen: Ordinē præcepti insequitur ordo naturæ.*

a. *Secundum speciem, magis propriè secundum similitudinem.*

LVSITANVS Adnotationibus in primum caput Genesis.

Porrò Min, quod nostri hic speciem vertunt, meo iudicio ortum habet à Min, quod est similitudo, vnde verti potest; Secundum similitudinem suam, ac si dicat, Faciens fructum sibi similem, idest, generans arborem similem seminificanti.

Si quę aliæ sunt obseruationes circa narrationem productionis germinum, ad has redigantur, hæ siquidem potiores sunt, & præstantiores. Nunc ad sensus transeamus.

Et ait.

b. *Vox Dei ipsa naturæ lex fuit per successionem duratura.*

BASILIVS Hexæmerom Homilia quinta.

Terra excusso à se iam ac posito aquæ pondere, vt interquieuit aliquantum, & liberior respirauit, ordine naturæ consentaneo edictum accepit, quo iubebatur germinare herbam quidem primùm, dein lignum, id quod vel in hunc cernimus fieri diem. Illa enim reddita tunc vox, primum illud præceptum, veluti lex naturæ quædam ac institutum, impressum insculptumque telluri, facultatem ipsi generandi, fructusque ferendi præstat.

AMBROSIVS Hexemæron libro tertio, capite sexto.

Prima illa vox Dei singulis creaturis impertita gignendis, lex naturæ est, quæ terris in omne æuum remansit, futuræ successionis datura præscriptum, quemadmodum vel generandi, vel fructificandi in reliquum vsus adolesceret.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Vox diuina, quæ tum contigit, lex quædam effecta est perennis, vt ei legi terra sit obtemperatura vsque ad extremum Mundi finem. Similis lex constringit & cæteras creaturas, quæ conditæ sunt præcedente imperatrice voce diuina.

c. *Legendum, Germinet terra herbam fœni, & semen seminificans iuxta genus suum.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Nam ita & verborum ordo ac series restitui poterit, cùm alioqui constructionem habere videantur non bene congruam, sibique minus rectè cohærentem, & necessitas eorum, quæ à natura gubernantur, conseruabitur. Primùm enim in ordine est germinatio, deinde herba, postea incrementum fœni, postremo loco, producto semine iusta crescentium absolutio.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Oportet nos parum inuertere constructionem, ne videatur aliquis apparere solœcismus, in hunc modum; Germinet terra herbam graminis secundum genus seminans semen. Sic enim dictio seminans applicabitur ad dictionem genus. Aut fortassis ea dictio coërcenda est paulum, vt hic sit sensus; seminans semen. Talis igitur tùm erit constructionis forma; Et germinet omne seminans semen, idest, generans, ac producens.

Cæterum hæ obseruationes Græcas editiones sectari videntur, quæ prorsus à nostra sunt discrepantes.

d. *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen: Ordinem præcepti insequitur ordo naturæ.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

In stirpium ortu primùm est germinatio, deinde vbi parumper germen emersit, fit herba: post incrementis susce-

Anno Mūdi primo. Dies tertia.

Germinet terra.

a. *Ideſt, virtutem germinandi accipiat.*
b. *Germinet terra Solis ardore confota.*
c. *Vel Germinet terra ſolo vnicoq; Dei verbo tanquam cauſſa agente.*

tis ſuſceptis vireſcens, fœnum euadit, ſtirpibus ſenſim ſeſe explicantibus, atque ad edendum vſque, concoquendumque ſemen properantibus. Herbeſcunt enim omnes æquo diſcrimine, vireſcuntque ſtirpes.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite ſexto.

Prima itaque germinatio eſt, quando naſcentia videntur erumpere: deinde cùm eruperit, & profecerit germen, fit herba: herba quoque vbi paululum proceſſerit, fit fœnum. Quàm vtilis, quàm vehemens vox.

PROCOPIVS Commentarijs in Geneſis caput primum.

Quidam tradunt, quòd primum in generatione eorum, quæ naſcuntur, ſit germinatio, ex germinatione in herbam, ſeu gramen fit progreſſus: gramen incrementum ſumens fit fœnum: in hunc modum cunctis, quæ terra profert, paulatim ſeſe perficientibus, & ad ſeminis maturitatem peruenientibus. Proinde ſequutus eſt ordinem verum, qui deinceps permanſurus erat.

a. *Ideſt, virtutem germinandi accipiat.*

GLOSSA Interlinearis.

Germinet terra, ideſt, potens ſit germinar ab aquis liberata.

LYRANVS in Poſtillis.

Germinet, ideſt, virtutem germinandi accipiat.

HVGO Carenſis in Poſtillis.

Germinet, ideſt, germen, & germinandi à me potentiam ſuſcipiat.

Primum quod nobis inueſtigandum occurrit, id vnum eſt, quod mihi uidetur neceſſarium, & arduum; Nùm intelligendum ſit germinaſſe terram ſola verbi Dei virtute tanquam cauſſa agente, tùm proxima, tùm remota; an verò alicuius ope, & auxilio, vel etiam à ſeipſa.

b. *Germinet terra Solis ardore confota.*

STEVCHVS in Coſmopœia ſingularem hanc detulit ſententiam.

Prima die, quam fecit Sol creatus, quædam facta eſt aquarum reſolutio, ſecunda terræ magis aruerunt, tertia ex his areſactis, ſed adhuc humentibus, omne genus ſtirpium exortum eſt. Quod habuit ordinem mirabilem, & prouidentiæ, & naturæ. Naturaliter enim, quia prudentiſſimè parata, & prouiſa fuerant, ſequebantur.

c. *Vel, Germinet terra ſolo vnicoq́ue Dei verbo tanquam cauſſa agente.*

Patres omnes in hanc ſecundam proficiſcuntur interpretationem, vnicoque Dei verbo non modo primam plantarum pullulationem, ſed perennem quam habet terra fœcunditatem aſcribunt.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Terra excuſſo iam à ſe, ac poſito aquæ pondere, vt interquieuit aliquantum, & liberior reſpirauit, ordine naturæ conſentaneo edictum accepit, quo iubebatur germinare herbam quidem primùm, dein lignum, id quod vel in hunc cernimus fieri diem. Illa enim reddita tunc vox, primum illud præceptum, veluti lex naturæ quædam, ac inſtitutum, impreſſum inſculptumque telluri, facultatem ipſi generandi, fructuſque ferendi præſtat. Et poſt. *Ex ſeipſa terra nulla prorſus aliena egens ope, abundè diffundat herbeſcentem viriditatem. Et quoniam ſunt, qui Solem omnium eorum, quæ à terra pullulant, eſſe cauſſam arbitrantur, è profundo telluris vim germinandi per caloris attractionem ad ſuperficiem elicientem, ideò terræ diſpoſitio creationem antegreſſa eſt Solis, vt & adorare Solem tanquam viuendi cauſſam homines ij deſinant, qui eo in errore verſantur. Si igitur perſuaſum fuerit ipſis, ante Solis creationem, terram omnem habuiſſe ſuam diſpoſitionem, tam immoderatam de*

tam de Sole conceptam admirationem tandem remittent, mox vt secum expenderint, feno ac herba posteriorem Solis esse generationem. Et Post. *Animaduertas velim hac voce parua, præceptoque adeò breui, terram ipsam per se frigescentem ac infœcundam, parturientem protinus, atque ad edendos fructus promotam & ad properantem: & perinde atque amictu mæsto lugubrique deiecto, splendidiore veste sese induentem, ornamentisque proprijs exultantem, ac infinita stirpium genera procreantem.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite sexto.

Audiamus verba veritatis, quorum series salus est audientium. Prima enim illa vox Dei singulis creaturis impertita gignendis, lex naturæ est, quæ terris in omne æuum remansit futuræ successionis datura præscriptum, quemadmodum vel generandi vel fructificandi in reliquum vsus adolesceret. Prima itaque germinatio est, quando nascentia videntur erumpere: deinde cùm eruperit & profecerit germen, fit herba: herbæ quoque, vbi paululum processerit, fit fœnum. Quàm vtilis, quàm vehemens vox: Germinet terra herbam feni, hoc est, ipsa per se germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cuiusquam indigeat ministerio. Solent enim plerique dicere: nisi clementior Solis calor tepefecerit terras, & quodammodo radijs suis fouerit, non potest germinare terra: & propterea gentes diuinum honorem deputant Soli, quòd virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem emittentem: Conticescat ineptus sermo hominum qui futurus est, facessat vana opinio. Antequam Solis fiat luminare, herba nascatur: antiquior eius sit prærogatiua quàm Solis. Ne error hominum conualescat, germinet prius terra quàm fotus Solis accipiat. Sciant omnes Solem auctorem non esse nascentium. Dei clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo Sol viuendi vsum ministrat oriundis, quando illa prius diuinæ operationis viuificatione sunt edita, quàm Sol in hos viuendi vsus ueniret? Iunior est herbis, iunior fœno.

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.

Hic animaduerte dilectè, quomodo verbo Domini omnia facta sunt super terram. Non enim erat homo qui operaretur, non aratrum, non bouum cooperatio, non aliud eiusmodi studium: sed solùm audiuit præceptum, & statim, quod suum erat, fecit. Ex quo discimus, quòd etiam nunc, neque cura, neque labor agricolarum, neq; aliæ in colendis agris ærumnæ fructuum nobis prouentus concedunt: sed præ his omnibus verbum Dei, quod ab initio ad terram factum est. Quin & futuram hominum ingratitudinem taxans diuina Scriptura, vt diligenter omnia, ita etiam nobis factorum ordinem narrat, vt compescat deliramenta & nugacitates eorum, qui vanitates suorum figmentorum commentantur, & dicere audent, quòd Solis cooperatione ad fructuum prouentum opus sit. Sunt & alij, qui hæc aliquibus astris ascribere nituntur. Propterea docet nos Spiritus Sanctus, quòd ante formationem horum elementorum, sermoni & præcepto Dei obtemperans tellus omnia semina ediderit, nullo alio ad cooperationem opus habens. Satis enim sufficiebat ei pro omnibus verbum illud Dei, quod dicebat; Germinet terra herbam feni. Quocirca diuinæ Scripturæ vestigia sequamur, neque feramus eos, qui aduersa illis temerè blaterant. Etiamsi homines terram operentur, & iumentorum auxilio fruantur, & magnam terræ curam habeant, & magna sit Cęli temperies, & omnia alia concurrant, nisi nutus Domini accedat, omnia alia frustra & in vanum fierent: & nihil proficeret omnis labor, & desudatio, nisi manus Domini supernè adiuuaret, & perfectionem his, quæ fiunt, tribueret.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Germinet terra (inquit) nulla alterius ope indiga. Deus iussit terram vestiri herbis & plantis ante creationem Solis, sed ea de caussa, ne quis Solem, eius effectum considerans, in Deorum numerum referat, religioneque colat. Herbæ & plantulæ antiquiores sunt, licet vulgò receptum sit, vt credamus istas vi calida Solis ex profundo in telluris superficiem euocari.

D. THOMAS prima parte quæstione septuagesimaprima, articulo primo, Scholastica decisione, uices agentis in productione animantium Dei verbum peregisse clare obtestatur, elementa uero extasse materialia, vt ait, principia.

In prima autem rerum institutione fuit principium actiuum verbum Dei, quod ex materia elementari produxit animalia, vel in actu secundum alios Sanctos, vel virtute secundum Augustinum: non quòd aqua aut terra habeat in se virtutem producendi omnia animalia, vt Auicenna posuit; sed quia hoc ipsum, quòd ex materia elementari, virtute seminis vel stellarum, possunt animalia produci, est ex virtute primitùs elementis data.

Quod pariter de pullulatione plantarum est intelligendum.

LYRANVS in Postillis.

Hoc intelligitur passiuè, quia virtute diuina actiuè terra protulit.

LIPPOMANVS in hanc piam proficiscitur & ipse sententiam, quæ perennem telluris fœcunditatem Dei imperio ascisit.

Iussu igitur, & voluntate Dei germinat terra, non proprijs, & quasi suis viribus, quando, quomodo, & quãtum vult Dominus. Miraculoso quodam opere semen proferendo, quo reuiuiscat absumptum in vsus humanos,

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Germinet terra.

a. *Germinet Terra, ipsa vices agente etiam actiuæ caussæ, virtute præstita sibi à Deo.*

nos, arbores quoque fructus suos proferentes victui animalium atque hominum. Ideoque non rerum naturæ tribuamus bona, quibus in hoc Mundo fruimur, sed naturæ domino, & conditori, à quo tanquam à prima caussa pendet, quicquid naturaliter produci cernitur. Ipse est enim qui fruges multiplicat, ipse famem, grandines, pruinam, & alia incommoda terræ nascentibus suo arbitrio immittit, & abigit.

a. *Germinet Terra ipsa vices agente etiam actiuæ caussa virtute præstita sibi à Deo.*

CAIETANVS in primum caput Genesis.

Manifestè enim per hoc significatur, quòd ipsa terra generauit vegetabilia: vt intelligamus, quòd Deus non produxit immediatè vegetabilia, sed mediante terra: non tamen in tempore; sed virtute diuina in eodem instanti suscepit terra virtutem productiuam, & productionem cum effectu producto: ita quòd quicquid vegetabilium produxisset naturaliter terra in spatio vnius anni, seù multorum annorum (vt diuersa vegetabilia exigunt ad sui perfectionem) produxit tunc terra virtute diuina in instanti.

BVRGENSIS in Additione quinta Caietano assentit, inuehendi in Lyranum fortè libidine pulsus.

Ex hoc quòd diuina virtute terra protulit herbam, non tollitur quin terra actiuè protulit prædicta. Vnde Augustinus in hoc loco, causaliter dictum est produxisse terram herbam & lignum, idest, producendi accepisse virtutem.

AVCTOR.

Steuci sententia refellitur.

Steuci assertio, qui singulari quodam arbitratu, à doctrina Patrum abscedens, Aegyptiacæ Philosophiæ accedit, quæ cuncta, Sole aquas exiccante, & terram fouẽte, effecta tradit, prout Diodorus Siculus memorat, & à nobis iam supra enarratum est, meritò repudianda est, ac prorsus eliminanda. Axioma enim clarissimum, exploratissimumque in Patrum placitis cernitur, Deum solo verbo, nec creaturæ vllius ope, Mundum compegisse. Verum, num terra protulerit plantas passiue tantùm (vt verbis vtar in scholis vsitatis) nũ actiuè etiam, virtute tamen sibi impertita à Deo, lis est meo iudicio, vt aiũt, de vellere caprino. Ad naturalem siquidem pullulationem germinum, caussa exquiritur efficiens, remota quidem Sol, proxima vero semen; exquiritur & patiens materies, & tempus, cuius lapsu natura gignat, & operetur. In hac vero primæua plantarũ prosilitione terram vt materiẽ concurrisse, nulli dubium est. Verbum seu Dei virtutẽ, vel ex se agentis caussæ vices egisse, vel id Terræ præstitisse, vt ipsa agere potuerit, idipsum esse mihi visum est. Singulare siquidem, & conforme est miraculum, quòd Dei verbum, uel à se id egerit, vel terræ id agendi vires demandarit. Verum D. Thomæ tutior mihi apparet sententia, qui agentis caussæ vices Dei tantùm verbo ascribit: Primùm quòd Patrum præfatorum sententiæ, quanquam in vtranque partẽ rapi possint, magis tamen in hanc declinare videãtur. Deinde quia efficientẽ vim terrę fuisse collatam incredibile ferè existimetur.

An terra in germinatione plãtarum passiuè tantùm concurrerit.

Verbum Dei tantùm, caussæ agentis vices peregit.

PERERIVS id rectè adnotauit Commentarijs in Genesim libro primo, dicens.

Incredibile videtur, terram tantæ virtutis esse capacem, vt per virtutem vllam sibi inhærentem subitò queat ex se proferre omnis generis arbores perfectas, omnesque terrestrium animalium species, quas ex terra sexto die generatas esse Scriptura confirmat. Quanquam hoc fortasse non adeò impossibile, vel etiam improbabile videretur Theologis existimantibus quamlibet creaturam, vt instrumentum à Deo assumptum, actiue concurrere posse ad creationem cuiuscumque rei etiam spiritualis, etiam supernaturalis: sed id tamen non potest

Herbam virentem; & lignum &c.

a. *Herbas arboresque omnes, tam frugiferas & proficuas, quàm inutiles & noxias, exceptis tribulis, & spinis, Deus creauit.*

Anno Mūdi primo. Die tertia.

test fieri sine maximo Dei miraculo, quod in prima rerum creatione non esset sine maxima caussa, & necessitate admittendum.

Adijciam & hoc, quòd Caietani sententia Auicennæ cęterisque Philosophis, qui elementis etiam nunc vim actiuam attribuunt & perperam, magis fauere, applaudereque uideatur. Quod autem asserunt Patres, uirtutem eam in primordijs terrę impertitam, elargitamque, proferendi videlicet germina in prodigiosa uarietate, nunc quoque eidem conferri, id probè intellectum uelim, inquantum Deus semper est princeps caussa, nec secundæ, vt Sol & semina, quæ agentia sunt, & terra ipsa, quæ matrix est & altrix, quicquam sine ipso efficere possunt.

Herbam virentem; & lignum &c.

Elegans, atque iucunda à Patribus excitatur, iactaturque difficultas: Num Deus noxias lethalesque herbas, infructuosas quoq; vti spinas & tribulos procrearit: An potius ipsæ post peccatum è terra maledicta emanarint. Siquidem Patres in utranque partem declinasse, ac deflexisse visi sunt.

a. *Herbas arboresq́, omnes, tam frugiferas & proficuas, quàm inutiles & noxias, exceptis tribulis et spinis, Deus creauit:*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Et ecce cum his, quæ edules sunt, & nobis alendis opportunæ, exortæ sunt mox ipsæ etiam exitiales herbæ, venenosæque. Cum frumento cicuta, cum esculentis cæteris elleborus, aconitum, mandragora, atque papaueris succus.

De spinis autem ita scribit.

Verùm rosa tunc spinis carebat: postea verò pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ, vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento propinquo afficiamur dolore, recordatione delicti, caussa cuius factum est, vt spinas, vt tribulos tellus huic addicta condemnationi nobis proferret.

Post peccatum igitur ortas esse spinas tribulosq;, ex Basilij auctoritate asserendū est.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite nono.

Quid quòd cum vtilibus etiam lethalia, & perniciosa generantur? Cum tritico conium, quod inter alimenta vitæ noxium reperitur, & nisi præuisum fuerit, consueuit saluti nocere. Inter alia quoque nutrimenta vitæ helleborum deprehenditur. Aconita quoque fallunt frequenter, & decipiunt colligentem.

De spinis verò, capite vndecimo, inquit.

Surrexerat ante floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegantia vitæ nostræ, & quibusdam sollicitudinibus obsepta, vt tristitia adiuncta sit gratiæ. Vnde cùm vnusquisque aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quam nobis in Paradisi amœnitate florentibus, spinæ mentis, animique sentes iure condemnationis adscripti sunt.

DAMASCENVS libro Orthodoxæ Fidei secundo, capite decimo.

In principio autem (Scriptura dicit) terra cooperiebatur ab aquis, & erat inculta, & absque ornatu, cùm præcipiente Deo aquarum receptacula facta sunt. Et tunc montes extarunt, & diuino præcepto proprium terra suscepit ornatum, omnigenis herbarum, & plantarum varietatibus decorata: quibus indidit diuina iussio vegetatricem virtutem, auctricem, altricem, & seminariam, suivè similis propagatricem.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Herbam virentem.

a. *Herbas tantùm fructiferas, & salubres: nam propter peccatum spinæ, tribuli, lethalesque & infrugiferæ plantæ ortæ sunt.*

De spinis verò ait.

Et spina post eius transgressionem iuxta Domini sententiam è terra pullulauit, post quam & oblectamento rosæ spina coniuncta est, memoriam præuaricationis nobis renouans, propter quam spinas, & tribulos nobis proferre terra condemnata est.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Significatur quoque omnia, vbi primùm iussus diuinus contigerit, prodijsse: & singula vnà propriam quandam accepisse virtutem, qua ceu nota quadam peculiari signantur, & cognoscuntur.

De spinis verò.

Verùm à primordio creationis rosa nullis spinis erat aspera: postea demum eius pulchritudini accessere asperi illi aculei, vt dum eius suaui odore fruimur & delectamur, appositam quoque sentiamus tristitiam, recordantes peccati, ob quod terra condemnatione prostrata est, vt nobis spinas, sentes, tribulosque pariat.

a. *Herbas tantùm fructiferas, & salubres: nam propter peccatum spinæ, tribuli, lethalesq; et infrugiferæ plantæ ortæ sunt.*

Nonnulli non tantùm spinas, sed cunctas infrugiferas, ac noxias herbas, non hoc tertio die, sed post Adæ lapsum è terra prodijsse reputarunt.

D. AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite tertiodecimo, huius sententiæ præcipuus assertor fuit.

Hic solent dicere: Si Deus iussit nasci de terra herbam pabuli, & lignum fructiferum, quis iussit nasci tantas herbas, vel spinosas, vel venenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, & tam multa ligna, quæ nullum fructum ferunt? Quibus sic respondendum est, vt nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quòd per peccatum hominis terra maledicta sit, vt spinas pareret: non vt ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est, sed vt peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando auerti à peccatis, & ad Dei præcepta conuerti. Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt: & hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas verò arbores insultatur hominibus, vt intelligant, quàm sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia: & timeant ne deserat eos Deus, quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quòd terra aliud protulerit nisi herbam pabuli, & ligna fructuosa: post peccatum autem videmus multa horrida & infructuosa de terra nasci, credo propter eam caussam quā diximus. Sic enim dicitur ad primum hominem, posteaquam peccauit; Maledicta erit terra tibi in omnibus operibus tuis: in tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos eijciet tibi, & edes pabulum agri tui: in sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia terra es, & in terram ibis. (Gen. 3.)

Alexander Halensis summæ Theologiæ parte secunda, quæstione quinquagesimaprima, membro tertio, prodita nunc ab Augustino à clausula: Ergo dicendum est, &c. ad eam vsque: Sic enim dicitur, non mutato verbo desumpsit.

BEDA Expositione in Genesim.

Hic autem solent hæretici dicere; Si Deus iussit nasci herbas & ligna, quis iussit spinosa, vel infructuosa ligna? Certè ante peccatum hominis non est scriptum, quòd terra protulerit illa infructuosa, vel venenosa. Ergo maledicta terra per peccatum hominis, spinas, & tribulos germinat: non vt ipsam pœnam sentiret terra germinans propter crimen humanum, sed vt in hoc semper haberent homines pœnam: herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt.

RVPERTVS Commentarijs in Genesim, libro primo, capite trigesimoseptimo.

In illo delitioso terræ loco, & Cœlis proximo, salubria cuncta sunt herbarum, siue lignorum semina: in hac autem

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Herbam uirentem.

b. *Herbas arboresque omnes, tam fructuosas quàm inutiles, tam proficuas quàm noxias, neque ipsis sentibus spinisve exceptis, hac die tertia protulit terra.*

a. *Fructuosas cunctas & vtiles: quanquam ex ipsis nonnullæ infrugiferæ, & lethales propter peccatum euaserint.*

autem terra, de qua sumptus, & in quam propter peccatum reiectus est homo, pleraque nascuntur eidem ho-
mini noxia. Nec mirum, maledicta enim (inquit) terra in opere tuo, cùm operatus fueris eam, non dabit
fructus suos, sed spinas & tribulos germinabit tibi. Si maledictionis est, spinas & tribulos Germinare pun-
gentes: quantò magis à maledicto est, afferre herbas, & succos occidentes? Nonne vnde est homini super-
fluam, & ad benedictionem, quæ in Paradiso data est, non pertinentem gignere sobolem, dicente mulieri Do-
mino, Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: inde & terræ eius accidisse credendum est, vt diffundat
humores varios & noxios, non pertinentes ad hæc benedictionis verba, Germinet terra herbam virentem?

a. *Fructuosas cunctas et vtiles: quanquam ex ipsis nonnullæ infrugiferæ, et lethales propter peccatum euaserint.*

Sententiam istorum recitat

PETRVS Comestor, quanquam & suspicari visus sit eas conditas post peccatum ad utilitatem nobis imperspectam. Sic enim inquit capite octauo.

Ad hunc modum solet quæri de herbis, & arboribus infructuosis, si etiam in illis diebus orta sint, cùm Scriptura non memoret nisi herbas seminales, & arbores fructiferas quæ modò sunt. Potest dici, quia quæ modò infructuosa sunt, ante peccatum fecerunt fructum aliquem; post peccatum potius nascuntur homini ad laborem, quàm ad vtilitatem.

ALBERTVS Magnus primæ partis Summæ de quatuor coæqueuis quæstione duodecima, articulo tertiodecimo.

Dicendum, quod plantæ, quæ modò nociuæ sunt, non essent nociuæ, si homo non peccasset; nihilominus tamen essent in suis figuris & humoribus, in quibus modo sunt, sed non nocerent, sicut nec ignis vreret, neque aqua suffocaret, si peccatum non esset, nihilominus tamen ignis esset calidus, & aqua humida.

b. *Herbas arboresq; omnes, tam fructuosas quàm inutiles, tam proficuas quàm noxias, neque ipsis sentibus spinisve exceptis, hac die tertia protulit terra.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro tertio, capite decimooctauo, oppositam illi, quam supra retulimus, habuit sententiam; elegantesq; adiecit interpretationes loci illius; Spinas, & tribulos germinabit tibi.

Et de spinis quidem & tribulis absoluta potest esse responsio, quia post peccatum dictum est homini de ter-
ra; Spinas & tribulos pariet tibi. Nec tamen facilè dicendum est, tunc cæpisse ista oriri ex terra. Fortassis
enimquoniam in ipsis quoque generibus seminum multæ reperiuntur vtilitates, poterant habere locum suum
sine vlla pęna hominis. Sed vt in agris, in quibus iam pęnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad
cumulum pœnæ valere credi potest, cùm possent alibi nasci, vel ad auium pecorumque pastus, vel ad ipsorum
hominum aliquos vsus. Quanquam & ille sensus non abhorret ab his verbis, quo ita intelligitur dictum; Spi
nas, & tribulos pariet tibi: vt hæc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, sed
cuiusque modi animalibus conuenientem cibum. Sunt enim quæ his generibus, & mollioribus, & aridioribus
commodè suauiterque vescantur. Tunc autem cæperit ista homini parere ad ærumnosum negocium, cùm post
peccatum cæpit in terra laborare, non quòd alijs locis hæc antea nascerentur, & post in agris quos homo ad
capiendas fruges coleret, sed vt prius, & postea in eisdem locis: prius tamen non homini, post autem homi-
ni, vt hoc significetur quod additum est, Tibi: quia non est dictum, spinas & tribulos pariet, sed pariet tibi:
idest, vt tibi iam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantumodo alijs animalibus antea na-
scebantur.

Et Dialogo quæstionum sexaginta quinque, quæstione trigesima octaua, quod ta-

men

men volumen à Theologis Louanienfibus, vt D. Auguftino falsò afcriptum, refutatur.

Cùm Deus dixerit; Germinet terra herbam vireutem, & afferentem femen, & ligna fructifera: ligna infructuofa, vel fpinas, vel tribulos quando fecit? Simul omnia Deus fecit, dicente Scriptura; Qui viuit in æternum, creauit omnia fimul. Nullatenus igitur dicenda funt infructuofa ligna, quæ aliquo modo hominibus afferunt adiumenta: quia & reuera, fi non inuenimus in eis aliquid ad edendum, inuenimus certè ad medicamentum, inuenimus ad adiutorium. Nam quantum vtilitatis inuenia tur in eis, tu ipfe confidera. Proinde quia à fruendo dicitur fructus, & ab omni ligno poffumus habere aliquod adiutorium, iure nullum lignum dicimus infructuofum. Spinæ autem & tribuli, quamuis poft peccatum homini nafcantur ad laborem, dicente fcriptura; Terra fpinas, & tribulos pariet tibi: tamen non eft dicendum tunc ea aboriri ex terra, quia iam erant vtique ad paftus pecorum, vel volatilium facta, non ad augendam hominis pœnam producta.

Beda Quæftionibus in Genefim cunctam hanc narrationem mutuat, & recitat, & Auguftino afcribit.

EVCHERIVS Commentarijs in Genefim libro primo.

Germinet terra herbam virentem & facientem femen, lignum pomiferum faciens fructum. Benè dixit, Herbam virentem, & lignum pomiferum. Terra arida & fructuofa, per peccatum hominis maledicta, produxit tribulos & fpinas. Vnde quæftio nafcitur: Quum Deus feptima die requieuerit ab omni opere fuo, quomodo hæc poftmodum condidit noua? Quamuis enim propter peccatum hominis hæc condita dicantur, nihil tamen poftmodum creatum eft nouum: quia non poft peccatum hominis, quafi ad pœnam eius creatum fit aliquod nouum: maximè dùm in eundem locum non dicatur; Spinas & tribulos pariat terra: fed pariet tibi terra: quafi diceret; Incipiet tibi nafci ad laboris exitium, quod olim creatum eft ad pabulum iumentorum.

GLOSSA Ordinaria ex his Patribus, præcipuè ex Auguftino loco afferto.

Quæritur etiam de fpinis & tribulis, & quibufdam lignis infructuofis, cur vel quando creata fint? cùm Deus dixerit; Germinet terra herbam &c. Sed fructus nomine quædam vtilitas fignatur. Multæ autem vtilitates funt manifeftæ vel occultæ, omnium quæ terra radicitùs alit. Poffumus autem abfolutè refpondere, fpinas & tribulos poft peccatum terram homini ad laborem peperiffe, non quòd alibi antea nafcerentur, & poft in agris quos homo coleret: fed prius & poftea in eifdem locis, prius tamen non homini fed poft. Vnde pariet tibi, ideft, vt tibi nafci incipiant ad laborem, quæ ad paftum tantummodo alijs animalibus antè nafcebantur.

ALBERTVS prima parte Summæ, quæftione duodecima, articulo tertiodecimo.

Dicendum, quòd plantæ, quæ modo nociuæ funt, non effent nociuæ fi homo non peccaffet; nihilominus tamen effent in fuis figuris & humoribus, in quibus modò funt, fed non nocerent, ficut nec ignis vreret, neque aqua fuffocaret, fi peccatum non effet, nihilominus tamen ignis effet calidus, & aqua humida.

D. THOMAS prima parte, quæftione fexagefima nona, articulo fecundo, ad fecundum.

Dicendum, quòd ante etiam illam maledictionem, fpinæ & tribuli producti erant, vel virtute, vel actu: fed non erant producti homini in pœnam, vt fcilicet terra, quam propter cibum coleret, infructuofa quædam & noxia germinaret. Vnde dictum eft; Germinabit tibi.

ALEXANDER Halenfis Summa Theologiæ, parte fecunda, membro tertio.

Poffet autem dici, quòd fpinæ & habent iucunditatem ratione florum & fructuum, & habent punctionem. Ratione ergo iucunditatis & fructuofitatis poffunt dici factæ in tertio die, & ita videtur dicere Damafcenus. Ratione verò punctionis & infructuofitatis, poft peccatum fic funt conuerfæ.

D. BONAVENTVRA fecundo, diftinctione quartadecima.

Ad illud quod obijcitur de fpinis, & tribulis; Dicendum, quòd tunc productæ funt pro eo, quòd perfecta fœcunditas data eft terræ, & nulla herba eft tam vilis, quæ non fit alicuius vtilitatis, & virtutis: & ideo cùm alijs virentibus herbis, & lignis fructiferis, intelligendum eft ifta produci, & Scriptura fub illorum generalitate comprehendit. Et quod obijcitur, quòd generata funt in pœnam peccati; Dicendum, quòd fpinam & tribulum generari, vbi feminatur frumentum, hoc eft in pœnam peccati, & ex maledictione terræ, quæ cùm colitur vt det fructum, vnde homo fuftentetur, potius producit, vnde homo crucietur. Quòd autem in locis multis generetur fpina & tribulus, hoc non eft pœna, fed natura.

Iudicium Auctoris.

De ortu noxiarum & infrugiferarū herbarū q̄ duplex fententia.

Perplexa mihi vifa funt in difficultate hac Patrum placita. Nonnulli nanque nec fpinas tribulosve, nec noxia infrugiferaque germina ante peccatū Protoparentum producta fuiffe decernunt, ut Auguftinus & Rupertus. E regione alij cuncta hac die pullulaffe

lasse putarunt, ut ipse Augustinus alio loco, Eucherius, D. Thomas, Bonauentura, & Scholastici omnes. Nonnulli uerò discretione facta, spinas, & tribulos post Adæ lapsum germinasse produnt; lethales uerò, & infrugiferas, cum cæteris fructuosis, & utilibus hac die tertia procreatas autumāt, nempe Basilius, Ambrosius, Damascenus, Theodoretus. Alij tandem cuncta herbarum genera simul primùm fuisse effecta putarunt, sed quædam peccato adeò deprauata, ut infrugifera reddita sint. Ego ut ratum, ac prorsus exploratum primo in loco id statuendum censeo: Deum summum opificem Mundum omni specierum numero in idæa sibi præscripto refertum protulisse, Vniuersum etenim absoluit Deus in numero, pondere, & mensura: Adæ uerò defectionem, & crimen non Vniuersi abolitionem, seu specierum quarundam deletionem, sed deteriorem tantummodo earum conditionem reddidisse. Ex quibus probabile esse arbitror, omne genus herbarum, olerum, & arborum, Dei unico imperio hac die ortum asseuerare, nec speciem, genusve ullum plantarum, tam steriliū quàm fœcundarū, consistere, quod è manu munificentissimi conditoris hac die tertia non prosilierit.

Herbæ omnes etiā noxiæ & infrugiferæ tertia die emerserunt.

Primò siquidem optima Vniuersi constitutio exigebat, ut Vniuersum ipsum in sui exordio cunctis sibi à Deo liberalissimè destinatis rerum generibus refertum & cumulatum (Deo ipso summo, ac sapientissimo opifice, affluenter illa & affatim elargiente) prodiret. Deinde, quia idem iudicium ferendum est de plantis, & de animalibus: atqui inter animantia noxia etiam & lethalia è manu Dei profecta non ignoramus. Quid nanque colubro, seu serpente uirulentius? quid homini hostilius? attamen Scriptura sacra testante serpens ipse ante peccatum adfuit, atq; prima generis nostri parens cum eo colloquium miscere non expauit. Num autem fuerit ille serpens irrationale animal, ut inficiantur plures, & præcipuè Caietanus, suo loco perpendemus. Sed quid ad Mosis testificationem, diuinamque sententiam elidendam afferre poterimus? Deus enim in Protoplastum tristem damnationis sententiam ferens inquit: Maledicta terra in opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi. Verùm Augustinus, ut iam audiuimus, duas detulit loci huius interpretationes. Alteram, Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi; hoc est, in agris, in quibus pœnaliter laborabis, etiā ista ad cumulum pœnæ tuæ nascentur, cùm alibi nasci deberent. Alteram, Spinas & tribulos germinabit tibi; hoc est, nasci incipient tibi ad laborem, & magnum tibi negotium facessent, quæ ante ad escam animantium, & iucunditatem tuam prosiliebant. Et propter hoc dictum est non simpliciter, Spinas, & tribulos pariet, sed pariet tibi, id est ad tuum laborem, & in tuam perniciem. Et hanc etiam D. Thomas prosequutus est. Interpretantur alij; spinas, & tribulos germinabit tibi; hoc est, ad sentes rubosque gignendos terra paratior, promptiorque fiet, ut passim ingentem ipsorum copiam præstet. Quasi terræ maledictio hæc fuerit, ut quæ prius utiles, fructuosasque plantas absq; hominis studio copiosè proferebat, noxias verò & infructuosas parcius, accedente peccato, & has ingenti copia spontè gignere, & illas non nisi diuturno hominis labore sterilius germinare cœperit: tametsi (quantum ad spinas spectat) cum Patribus Basilio, Ambrosio, & Damasceno asseuerare possemus, eas post peccatum circa rosas emersisse, cùm id non recentis sit generis emolitio, nec iam cōditi abolitio, sed parua quædam superaddita rosis conseptio, quod sine Vniuersi (quantum ad numerum, pondus, & mensuram pertinet) alteratione fieri poterat, ut uidelicet, perpetuum forent culpæ illius primæuæ monumentum, pariterque ærumnarum, quibus nostra hæc męsta & acerba uita, tanquam rosæ spinis, semper obsepitur, clarissimum speculum cernerentur. Postrema sententia, quæ herbas, & arbores ante peccatum fœcundas, postea verò steriles effectas fuisse tradit, uti singularis est, & nupera, ita exiguum auctoritatis sibi uendicare potest.

Commen. in Gen. cap. 3.
Gen. 3.

Interpretatio loci illius; Maledicta terra, spinas, & tribulos germinabit tibi.

Spinæ circa rosas post peccatum emerserunt.

Herbas, arboresq́; etiam lethales, & inutiles, egregijs de caussis.

Indagandum est nobis modò cum Patribus, ut quid Deus herbas, arboresque haud proficuas, & salubres, sed inutiles, & noxias crearit. Colligunt siquidem Patres hincinde consimul plures caussas, sed, ut mei est instituti, ad sua capita eorum narrationes reuocare, atque accommodare contendam.

Ad

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Herbam virentem.

Herbas etiam lethales & inutiles.

a. *Ad complementum Vniuersi.*
b. *Quòd in Mundo forent fructuosa mala mixta bonis.*
c. *Vt homo eas inuestigans, ingenium iudiciumque exerceret.*

a. *Ad complementum Vniuersi.*

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite nono.

Singula autem eorum, quæ generantur è terris, specialem quandam rationem habent, quæ pro virili portione complent vniuersæ plenitudinem creaturæ.

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite sextodecimo, cōtra Manichæos Dei prouidentiam lacerantes, quòd plura crearit Deus homini non necessaria, & perniciosa; exemplo eleganti id ad Vniuersi regimen, & completionem factum edisserit.

Sed cùm ista dicunt, non intelligunt, quemadmodum omnia pulchra sunt conditori & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in alicuius opificis officinam imperitus intrauerit, videt ibi multa instrumenta, quorum caussas ignorat, & si multum est insipiens, superflua putat.

Commen. in Gen. cap. 3. Gen. 1.

b. *Quòd in Mundo forent fructuosa mala mixta bonis.*

AMBROSIVS loco asserto.

Sed fortè dicant aliqui; Quid quòd cum vtilibus etiam lethalia & perniciosa generantur? Cum tritico lolium, quod inter alimenta vitæ noxium reperitur, & nisi præuisum fuerit, consueuit saluti nocere. Inter alia quoque nutrimenta vitæ helleborum deprehenditur. Aconita quoque fallunt frequenter, & decipiunt colligentem. Sed hoc ita est, ac si reprehendas terram, quia non omnes homines boni. Sed quod plus est, accipe quia non omnes boni Angeli in Cœlo. Sol ipse præ nimio calore spicas torret, adurit autem gignentium prima exordia. Luna quoque viantibus iter demonstrat latronum prodit insidias. Num igitur dignum est, vt in his, quæ vtilia sunt, posthabentes conditoris gratiam confiteri, propter aliqua alimentorum noxia creatoris prospicientiæ derogemus?

c. *Vt homo eas inuestigans, ingenium iudiciumq; exerceret.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Et ecce cum his quæ edules sunt, & nobis alendis opportunæ, exortæ sunt mox ipsæ etiam exitiales herbæ, venenosæque: cum frumento cicuta, cum esculentis cæteris helleborus, aconitum, mandragora, atque papaueris succus. Quid igitur? relictanè gratiarum actione, opifici, pro ijs quæ nobis vsui sunt, reddenda: pro ijs ipsum accusabimus, quæ nostræ vitæ aduersantur, officiuntque? Illudnè tandem animaduertemus, quòd haud omnia ventris nostri gratia creata sunt? Sed alimenta quidem definita nobis in promptu adeò sunt, vt ab omnibus dignosci, facileque discerni possint: res autem singulæ, quæ fiunt, propriam quandam, peculiaremque rationem ad creaturam conferunt, atque supplent. Non enim quia tibi tauri sanguis exitio est, ideò taurum aut in lucem non edi, aut sanguine non esse præditum oportet, viribus cuius ad tot humana vita res, tantasq; subministrandas egere videtur. Sed tibi quidem insita ratio, & per se familiaris satis facit ad eas res euitandas, quæ lethales, quæ venenosæ, quæ pestiferæ sunt. Nunquid enim oues quidem, atque capellæ vitare sciunt ea, quæ vitæ suæ nocent, solo sanè sensu noxia discernentes: tibi verò, cui ratio suffragatur & suppetit, cui medendi facultas, eorum, quibus vti commodè possis, notitiam subministrat, quem experientia eorum, qui te anteuerterunt, docet vti noxia esse vitanda, difficilè est, dic quæso, à venenosis rebus exitialibusque cauere?

AMBROSIVS vbi supra.

Nam & id quod periculi est, per prouidentiam declinatur: & id quod salutis, per industriam non amittitur. An verò oues & capræ ea, quæ sibi noxia sunt, declinare didicerunt, & solo odore per quoddam naturæ ministerium, cùm sint rationis expertes, rationem tamen euadendi periculi, vel tuendæ salutis agnoscunt, noxiaque pariter, ac profutura distinguunt, ita vt plerunque cùm armata venenis tela senserint, notas petere herbas, atque his remedium vulneri dicantur adhibere? Cibus illis ergo medicina est, vt resilire sagittas videas

Anno Mūdi primo. Dietertia.

Herbam uirentem.

Herbas, arboresque etiam lethales, & inutiles.

a. *Quòd præbeant vtilitatem in plures vsus humanos.*

deas è vulnere, & fugere venena, non serpere. Denique ceruis cibus venenum est. Coluber ceruum fugit, leonem interficit. Draco elephantem ligat, cuius ruina mors victoris est. Et ideo summè vtrinque certatur, ille vt pedem alliget, in quo casus victi sibi nocere non possit, iste ne posteriore extremus pede, aut calle capiatur angusto, vbi vel ipse se non queat retorquere, & draconem graui proterere vestigio, vel sequentis elephanti auxilium non habeat. Ergo si irrationabilia animalia norunt, quibus sibi aut medicentur herbis, aut subsidijs opem afferant: homo nescit, cui rationabilis sensus innascitur? Aut tam alienus à vero est, vt quæ cuiq; apta sunt vsui minime deprehendat: aut ita naturæ ingratus bonis, vt quoniam taurini haustus sanguinis lethalis est homini, propterea putet laboriosum animal aut nasci non debuisse, aut sine sanguine debuisse generari, cuius virtus ad cultum agrorum vtilis, aut ad vsum plaustrorum habilis, ad alimoniam suauis, diuerso munere fulcit agricolas, quibus Deus, si bona sua norint, donauit vniuersa dicens; Germinet terra herbam fœni, spirans semen secundum genus.

a. *Quòd præbeant vtilitatem in plures vsus humanos.*

Edisserunt etiam Patres proficuas esse plātas & arbores, etiam si adesum, & medicamenta non sint connata, cùm ad plures alios vsus humanos conferant, & præcipue ad domorum extructionem, ignis pabulum, & similia.

CHRYSOSTOMVS Homilia in Psalmum centesimum quadragesimum octauum.

Montes & infrugiferæ arbores, quamnam, inquit, putas vtilitatem afferunt? Multam certè, & quæ nostram vitam valde continent. Nam & ad ædificia, montes & colles & ligna infructifera sunt nobis valde apta: & nisi ea nobis suppeterent, nihil vetaret, quominus nostrum genus interiret. Quemadmodum ergo cultis agris opus habemus ad hoc vt alamur: ita etiam lignis infrugiferis & lapidibus egemus ad hoc, vt domos ædificemus, & alia innumerabilia ex eis componamus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite tertiodecimo.

Sed quid ego in sola vite immoror, cùm omnia arborum genera vtilia sint, alia ad fructum nata, alia ad vsum data? Nam & quibus non est fructus vberior, tamen vsus preciosior est. Cedrus suspendendis tectorum apta culminibus, eò quòd huiusmodi materies & procera sit spatijs, nec onerosa parietibus. Lacunaribus quoque, comendisque fastigijs habilis est cupressus. Vnde & Ecclesia dicit in Canticis; Trabes domorum nostrarum cedrinæ, lacunaria nostra cupressina: in his esse declarans decora sui ornamenta fastigij, qui quasi trabes verticem Ecclesiæ sua virtute sustineant, & fastigium eius exornent. Laurus & palma ad insigne victoriæ. Lauro victorum capita coronantur, palma manus victricis ornatus est. Vnde & Ecclesia ait; Dixi, ascendam in palmam, tenebo altitudines eius. Quæ eminentiam videns verbi, & sperans quòd ad eius altitudinem possit ascendere, & scientiæ summitatem, dicit; Ascendam in palmam, vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora contendat, ad brauium Christi, vt suaues eius fructus carpat, & gustet. Suauis enim virtutis est fructus. Populus quoque coronis arbor vmbrosa victricibus, & salix lenta vitibus habilis vinciendis, quid aliud mystice declarant, nisi esse bona Christi vincula, quæ nocere non soleant, vincula gratiæ, vincula charitatis, vt vnusquisque suis vinculis glorietur, sicut gloriabatur & Paulus dicens, Paulus vinctus Iesu Christi. His ligatus vinculis dicebat; Quis nos separabit à charitate Christi? Vinculis abstinentiæ, vinculis charitatis. His ligatus vinculis etiam Dauid ait; In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Buxus quoque elementorum apicibus vtilis exprimendis, leui materia vsum puerilis manus informat. Vnde ait Scriptura; Scribe in buxo. Simul vt admoneat te ipsa materia quæ semper viret, nec vnquam folijs exuitur suis, ne vnquam spei tuæ dissimulatione nuderis, sed semper tibi per fidem germinet spes salutis.

Cant. 7.

Ad Philem. Rom. 8. Psal. 136. Isa. 30.

Animaduertas Ambrosium cumulate docere, infrugiferas arbores non tantùm ad vsum conferre rerum earum, quæ corpori suppetias impertiantur, sed multum prodesse menti, spirituique, pro Scripturarum contemplatione, & pro vitæ monumentis, & virtutum exercitatione.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Herbam uirentem.

Herbas, arboresque etiam lethales, & inutiles.

a. *Quòd si non homini ad esum prosint, saltem animantibus pabulum præstent.*
b. *Quòd multum conferant ad propellenda plurima morborum genera.*

AVGVSTINVS Dialogo ad Orosium Quæstionum sexagintaquinque, quæstione trigesima octaua.

Nullatenus igitur dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus afferunt adiumenta, quia & reuera si non inuenimus in eis aliquid ad edendum, inuenimus certè ad medicamentum, inuenimus ad adiutorium. Nam quantum vtilitatis inueniatur in eis, tu ipse considera. Proinde quia à fruendo dicitur fructus, & ab omni ligno possumus habere aliquod adiutorium, iure nullum lignum dicimus infructuosum.

Beda Quæstionibus in Genesim, citato Augustino, hæc ea ipsa repetit.

a. Quòd si non homini prosint ad esum, saltem animantibus pabulum præstent.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Aut enim nonnullis animalibus expertibus rationis sunt pabulum, aut & nobis ipsis ex his in nonnullis morbis depellendis ab arte medendi remedia comperta præstantur. Nam cicuta quidem sturni vescuntur, & tamen propter corporis constitutionem à veneno non occupantur. Cùm enim pertenues habeant ad corda penetrantes meatus, fit, vt antea deuoratam cicutam concoquant, quàm inde lethale gelu ad præcordia peruenerit: elleborus autem coturnicibus est cibus, nec ab eo peculiari quadam temperatione detrimenti quicquam percipiunt.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite nono.

Alia ergo esui, alia alij nascuntur vsui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, alijs vtile est, imò ipsi tibi frequenter alio est vsu utile. Quod escam non adiuuat, medicinam suggerit: & sæpe eadem, quæ tibi noxia sunt, auibus aut feris innoxium ministrant pabulum. Denique sturni vescuntur conio, nec fraudi est eis, quoniam qualitate sui corporis uenenum succi lethalis euadunt. Frigida enim uis eius est succi, quam subtilibus poris in cordis sui sedem ducentibus, præcoci digestione præueniūt, priusquā uitalia ipsa pertentet. Helleborum autem periti loquuntur escam esse & alimoniam coturnicum, eo quòd naturali quodam temperamento sui corporis uim pabuli nocentis euitent.

THEODORETVS Quæstione tertiadecima in Genesim.

Qua de caussa Deus herbas non esculentas iussit germinare? Multa sunt animalium irrationalium genera, quædam fera, alia iumenta appellata, & nonnulla reptilia alia uolatilia. His igitur omnibus animalibus escam præparauit Deus, quæ etiam in usum hominum condidit, & statim eis propter nos pabulum dedit. Qui producit, inquit, fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum. Quod igitur huic inutile est alteri maximè congruit, & alia conueniunt hominibus. Psal. 103.

b. Quòd multum conferant ad propellenda plurima morborum genera.

BASILIVS Homilia supra recensita.

Sunt hæc ipsa tempore opportuno nonnunquam etiam vtilia nobis. Per mandragoram nanque medici somnum aduocant atque inuitant: succo uerò papaueris vehementes dolores corporis sedant. Quidam rabientem appetentiam esitando cicutam tabefecerunt, ac sensim extinxerunt, & helleboro non pauca, sed & diuturna corporis uitia radicitùs extirparunt. Quibus efficitur, ut quod ueluti crimen in opificem afferre putabas, id in cumulum tibi gratiarum habendarum tandem agnoscis cessisse.

AMBROSIVS vbi supra.

Etenim si ratione medicinæ plerunque ad salubritatem humani quoque corporis temperatur, cui uidetur esse contrarium: quantò magis proprietati naturæ ad cibum proficit, quod medica manu conuertitur ad salutem? Per mandragoram quoque somnus frequenter accersitur, ubi uigiliarum ægri afflictantur incommodo. Nam quid de opio loquar, quod etiam nobis quotidiano propè usu innotuit, quoniam dolores eo grauissimi sæpe uiscerum

Herbam virentem.

Herbas, arboresque etiam lethales, & inutiles.

a. *Quòd sint ad pœnam, & exercitationem mortalium.*
b. *Vt nos admoneant, ne arbores infructuosæ euadamus.*

Anno Mũdi primo. Die tertia.

scerum sopiuntur? Nec illud præterit, quod conio plerunque furores libidinum marcuerunt, & helleboro vetustæ passiones egri corporis sunt solutæ. Non solùm igitur nulla in his reprehensio creatoris, sed etiam incre- ad remedia tibi salutis mentum est gratiarum. Siquidem quod ad periculum putabas esse generatum, operatur.

THEODORETVS Quæstione in Genesim decimatertia.

Ad hæc præuidens Dominus, quòd homines in morbos prolaberentur, vtpotè qui sententiam mortis propter sed etiam morbis depellendis. Et peccatum receperant, iussit terram herbas producere non tantùm esui aptas, quæ videntur esse veneno- hoc diligentius quis nosse poterit ab his, qui medicinæ artem exercuerunt, quòd hæ, & sanitatem procurant. sæ, morborum remedia continent. Permixtæ enim alijs herbis morbi depulsiuæ sunt,

PROSPER Opusculo de Prouidentia Dei.

Quicquid in arboribus, quicquid variatur in herbis,
In laudem auctoris, certis subsistere caussis:
At quæ sola nocent, eadem collata mederi.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim.

Verùm quidam obijciunt; Ergo iussus diuinus caußa est, vt non solum bonæ & salubres subnascerentur herbæ, verùm vt plurimæ tùm arbores cùm herbæ pullularent venenatæ & pestiferæ. Respondemus; non sunt omnino noxiæ, verùm vim medicam retinent, læso auxiliantur, vt videre in cicuta est, quæ prodest lepra infe- ctis, in helleboro sanante ortycas, propter quandam naturalem vim & virtutem. Plurimum conducunt conser uationi huius Vniuersi, quamuis damnosæ interdum parti alicui existimentur. Nam & bos vtilis est ad agri- culturam, interim sanguis eius venenum est. Interdum venena nobis maximè prosunt, sicuti norunt medi- corum filij.

AVGVSTINVS Dialogo ad Orosium Quæstionum sexagintaquinque, quæstione trigesimaoctaua.

Nullatenus igitur dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus afferunt adiumenta, quia & re vera, si non inuenimus in eis aliquid ad edendum, inuenimus certè ad medicamentum, inuenimus ad adiutorium.

a. *Quòd sint ad pœnam, & exercitationem mortalium.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite tertiodecimo.

Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt: & hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, hanc non prætermisit caussam, & duas ante dictas recenset.

Herbæ autem venenosæ, quanquam ad pœnam, vel exitium mortalium sint creatæ, habent tamen ipsæ quædam remedia salubritatum: & quæ non præstant escam, medicinam ministrant: & quæ noxia sunt vsibus hominum, innoxium præbent feris, & auibus pabulum.

BEDA Expositione in Genesim.

Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel exercitationem mortalium creatæ sunt.

b. *Vt nos admoneant, ne arbores infructuosæ euadamus.*

AVGVSTINVS loco nuper citato.

Per infructuosas verò arbores insultatur hominibus, vt intelligant, quàm sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia: & timeant ne deserat eos Deus: quia & ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Facientem semen.

a. *Semen videlicet, siue externum, siue internum.*

AVCTOR.

Caussæ octo, cur noxię herbæ conditæ sint.

Colligamus retia. Quorsum Deus omnipotens herbarum arborumque mortifera, ac noxia genera inter plantas inseruit? Satisfaciunt Patres, caussas octo, sicuti ex deductis catenis excerpere possumus, proferentes, quas iterū memorare nō erit forsan inconsentaneum. Primùm, propter Vniuersi absolutionem: Cùm enim Deus Mundum in numero, pondere, & mensura congesserit; species autē, teste Aristotele, sint sicut numeri, quorum uno sublato tota series interciditur; non potuisset Mundus vndequaque absolutus censeri, si plantarum etiam noxiarum aliqua defuisset. Deinde, quoniam Vniuersum consistere non benè potuisset sine boni & mali admixtione. Sicut nec omnes Angeli fuere boni in Cœlo, & Sol, qui calore spicas torret, germina quandoque adurit. Luna, quę viatoribus dux est, latronum quoq; insidias detegit. Et Vniuersi decus exposcit, ut perfecta imperfectarum rerum nexu magis emicent, & gratæ reddātur. Amplius, ut homo eas inuestigando ingenium iudiciumque exerceat: si enim rationis expertes animantes, quæ noxia sunt cauere à natura didicerunt: quanto plus homo, cui (ut dicebat Ambrosius) prouidentia ad salutem non deest? Rursum, quòd si omnia germina in escam non sunt nata, ad alios vsus attamen sunt data. Vnde Ambrosius Hexæmeron libro tertio, capite tertiodecimo: Quibus non est fructus, inquit, vberior, tamen vsus est pretiosior. Quare, inquit Ambrosius; Et Cedrus apta est ad suspendenda tectorum culmina, quòd ꝓcera sit, & non onerosa; & Cupressus ad lacunaria, & Laurus ad insigne uictoriæ, & Salix ad uinciendū disiuncta, & Buxus ad characteres in eo exprimendos, Vnde Scriptura; Scribe super Buxum. Insuper, si noxiæ herbæ nonnullæ, homini nec ad escam, nec ad vsum aliquem prosunt, animalibus saltem pabulū esse possunt, cùm sturni vescantur conio, & coturnices elleboro, ut deducebant Patres. Et pro sexta caussa, quia ut plurimum si escam non suppeditant, medicinam suggerunt. Plurima enim herbarum genera ad propellendas uarias morborum species plurimum ualent. Nam Mandragora (inquiūt Basilius, & Ambrosius) exci tat ægris uigilia prostratis somnum; Opio dolores internorum uiscerum grauissimi sopiuntur; Conio libidinum furores marcescunt, & Hellebóro uetustæ ægri corporis passiones soluuntur. Vtinam & homines vti irrationabilia, quibus sibi medeantur, herbas agnoscerent. Adijcias septimo loco ex Augustino, noxias inutilesque herbas ad pœnam & exercitationem facere mortaliū, nempe vt pœnas ex quotidianis peccatis meritas earum ministerio persoluant, & quasi ad pœnam eas sibi datas intelligentes, atque æquo animo perferentes patientiā nanciscantur. Tandem ultimo loco, ut edisçant homines, quantum erubescendum sit sine fructu bonorum operum in agro Dei, hoc est in Ecclesia considere. Paueantque, ne sicuti nos infructuosas segetes nulla cultura adhibita deserimus, & sæpe ad ignis pabulum recidimus; ita ipsi à Deo tandem deserantur, & sine cultura relinquantur, immò & excidantur, atque in ignem æternum proijciantur. Paueant, inquam, sententiam illam Domini dicentis; Succide illam, ut quid etiam terram occupat? Verùm hæc postrema caussa tropologica est existimanda.

Isa. 30.

Luc. 13.

a. *Semen videlicet, siue externum, siue internum.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Cur omnia quæ nascuntur ex terra semen efficere Scriptura indicat, vbi non arundinem, non gramen,

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Herbam uirentem, & lignum pomiferum.

a. *Et his cuncta terræ germina complexus est.*

men, non mentham, non crocum, non allium, non butomon, non denique vix cuique numeranda alia genera plantarum semen efficere constat? Ad hoc sanè dicemus, complura nascentium è terra vim seminum in ipsa propagine, atque radicibus obtinere: quemadmodum arundo post annuum incrementum ex radicibus quandam appendicem elicit, seminis rationem ad ortum futurum obtinentem. Idem & alia innumera faciunt, quæcunque per humum dispersa & vagantia in ipsis radicibus suam sobolem succedaneam habent. Quare re omni verius esse constat, singulis in stirpibus aut semen esse, aut quandam vim propagandi, perinde atque semen inesse.

Hucusque etiam Glossa Locupletata. Prosequitur Basilius.

Atque id est sanè, quod dicitur; Iuxta genus suum. Non enim proiectura illa, siue appendix arundinis est effectrix oliuæ, sed ex arundine quidem arundo altera prodit: ex seminibus autem, ea quæ genus idem subeunt, quod & ipsa semina iacta gignere pullulareque solent. Atque id ita, quòd è terra primo prodijt ortu, hucusque serie successionis genere persistente, conseruari videtur.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite octauo.

Sunt nascentia quæ radice germinant, vt arbores quæ non sunt satæ, ex aliarum arborum radice nascuntur. In arundine videmus, quomodo in extremo eius velut quidam fit nodus è latere, & inde alia arundo germinat. Est ergo in radice vis quædam seminarij. Insitiua quoque in superioribus germinant. Alijs ergo à radice, alijs diuerso munere series successionis acquiritur. Inest enim nascentibus singulis aut semen, aut virtus aliqua seminaria, & ea secundum genus, vt quod nascitur ex ea, simile eorum quæ sata sunt, vel quorum de radice sit, germinet; De tritico triticum, de milio milium, de piro pirus albo flore prorumpit, castanea quoque surgit de radice castaneæ.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim capite primo.

Sed qua ratione ait de herbis; Seminans semen: & de arboribus; Lignum fructiferum, cuius semen in se &c. cùm neque calamus, neque agrostis (herba est quæ in morem hederæ serpit, & dilatatur) neque mentha, neque crocus, neque allium, nec butomum (herba est arundini similis, & in pabulo data boues enecat) aliæq; herbarum species infinitæ semen afferre appareant? Præterea conspicimus arbores plurimas, quæ neque fructus, neque semina apportant. Quibus in hunc modum respondemus; Multa, quæ alma fundit humus, in solo, & radice uires habent, sicuti & calamus. Nam postquam excesserit anni tempus ex radice protrudit surculum, qui seminis rationem retinet. Herbæ, quæ humi serpunt, in radicibus sobolis successionem conseruant. Hinc elucet singulis inesse semen, aut vim quandam seminantem. Quod ad arbores steriles pertinet, sic habetote: alni, vlmi, salices, populique, etsi non in propatulo gerunt fructus, attamen folijs subiectus ramus (quem μιχὸν vocant) seminis vim obtinet. Quæcunque enim ex ramis generari consueuerunt, plerunque inde promittunt radices. Præterea inter semina connumerandæ sunt radicum appendices, quas plantatores defringunt, & in truncos arborum depangunt augentes arborum genus.

a. *Vt his cuncta terræ germina complecteretur.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimosexto.

Omnis herba & omne lignum primò bifariam diuiditur. Est enim herba solummodo uirens, vt fœnum, quod producit terra iumentis. Et est herba semen suum afferens, vt triticum, uel apium, cæteraq; species, quas producit seruituti hominum. Item est lignum nullum afferens fructum, sed solum semen suum, ut fagus, aut ilex, cæteraque ligna campi, & cedri libani, vbi iuxta Psalmistam, passeres nidificant: quæ arbores nequaquam Psal. 103. *propriè dici possunt. Et est lignum pomiferum, quod arborem dicimus, vt malus siue pyrus, vel quodcunque tale afferens fructum, & in fructu semen iuxta genus suum. Horum omnino nil Dei præceptum omittit in hac scriptura. Non enim dixit solummodo Herbam afferentem semen, sed & præmisit quod vniuersalius est, Herbam uirentem. Item, non dixit solummodo; Et produxit terra lignum pomiferum, & faciens fructum, sed addidit; Et afferens semen unumquodque in genere suo.*

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Herbam virentem, & lignum pomiferum.

a. *Vt herba habens tantùm semen, cibus esset humi reptantium; arbor verò faciens fructum & semen, hominis, & brutorum.*

b. *Lignum pomiferum, hoc est, quoquomodo fructum reddens.*

Faciens fructum.

c. *Idest lignum fructus, quòd tam lignum quàm fructus ab initio æque saporosa essent.*

a. *Vt herba habens tantùm semen, cibus esset humi reptantium; arbor verò faciens fructum & semen, hominis, et brutorum.*

STEVCHVS Cosmopeia in caput primum Geneseos.

Hæc clara & expressa traduntur apud Mosem, cibus animalium brutorū fenum prius de terra, tùm arbores fructuum feraces producuntur. Nam tametsi nonnullis herbis homo, fructibus quibusdam bestiæ vescantur, proprius tamen cibus istius fructus arborum, illarum, id quod theologia proprio nomine dixit Eseb, idest fœnum, vt transtulerunt Septuaginta. Et post. *Cùm de arboribus loquitur, duas ab eis res exigit, vt faciant fructus, vt habeant semen iuxta genus suum: cùm verò de herbis, vnam tantùm, vt habeant semen. Nō fructus ergò efflagitat ab herbis, sed eas vult esse cibum animalium humi reptantium, reddituras terræ semen, vnde generis sui aliæ nascerentur. Fœnum igitur, veluti herba medica, idest* τώφυμον *iubetur nasci, quæ seipsa non fructu, vt arbores, animalia pasceret. Ac quod ait inferius; Ecce dedi uobis omnem herbam afferentem semen super terram, & uniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, promiscue de homine, & brutis animantibus loquitur, cibum eorum simul decernens: non quòd fœnum hominum escam præscriberet, quod explicat cùm ait: Vt sint uobis in escam, & cunctis animantibus.*

Sed admodum caligare Steuchus euincitur, cùm homines auidius herbis plerisq; vesci, & animantes opiparè frugibus arborum victitare, experimentum quotidianum demonstret, & patefaciat.

b. *Lignum pomiferum, hoc est, quoquomodo fructum reddens.*

LYRANVS in Postillis.

Et lignum pomiferum: per hoc lignum intelligitur omne lignum faciens fructum.

TOSTATVS Commentarijs in Genesim.

Et lignum pomiferum, idest lignum uel arbor faciens fructum. Dicitur pomum tribus modis: vno modo specialiter pro quodam fructu, qui uocatur malum, idest rotundum, quia ualde rotundum est: alio modo pro omni fructu non habente testam, sed teneram cutem, vel corticem, vt pyrum, pomum, cerasum &c. Et tunc distinguitur contra nucem, prout significat omnem fructum habentem testam duram, ut auellanam, amigdalam, nucem: tertio modo significat omnem fructum, & isto modo accipitur hic, quia uniuersaliter loquitur Scriptura de arboribus.

Faciens fructum.

c. *Idest lignum fructus, quòd tam lignum quàm fructus ab initio æque saporosa essent.*

TOSTATVS in Postillis, hanc licet vacillantem sententiam Iudæis attribuit, cùm ait.

In hebræo habetur, Et lignum fructus; ex quo dicunt aliqui Iudæi, quòd à principio lignum, & fructus erant eiusdem saporis. Sed hoc falsum est, quia naturaliter repugnat, cùm sapor consequatur digestionem humidi factam à calido contemperato, lignum autem naturaliter, & necessario est durioris substantiæ quàm fructus. Ideo nec ita digeri potest, ut eundem habeat saporem. Nec ualet quod dicitur, quia infra tertio capite habetur simile, ubi nos dicimus, Chayn erat uir agricola, litera hebraica habet, Chayn erat uir agri, idest colens agrum. Sic ergo dicetur, lignum fructus, idest faciens fructum.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Faciens fructum.

a. *Id de præstantioribus tantùm dictum est.*
b. *Quòd si ad esum infrugiferę plantæ non prosunt homini, plura tamen ipsi reddunt commoda, adeò vt fructuosæ dici queant.*
c. *Quòd vtiles ad constituendas domos.*
d. *Ad insignia Victoriæ.*

a. *Id de præstantioribus tantùm dictum est.*

BASILIVS Homilia sæpius recensita.

At quispiam dixerit; Iussum est terræ lignum pomiferum edere faciens fructum super terram, cuius semen in semetipso sit: complures tamen arbores, neque fructum nos edere cernimus neque semen. Quid igitur dicemus? Primùm quidem earum arborum Scripturam sacram præcipuè mentionem fecisse, quæ natura sunt præstabiliores. Et Post. *Prius tamen, vti diximus, earum Scriptura mentionem arborum fecit, quæ magis humanæ vitæ conseruandę congruunt, quæque suis fructibus hominem benignè excipiendo, fuerant illi victum luculentiorem suppeditaturæ. Vitis quidem gignendo vinum, quo cor hominis exhilarescit. Olea verò fructum eum præstando, qui faciem hilarem oliuo facere potest: cæteræque similis generis, quot proruendo concurrebant, quot properabant in idem, ea scilicet omnia procreante natura? Radix ipsius vitis, palmites circunquaque frondentes producti, superque terram multum diffusi. Germen, clauiculi, vua primùm peracerba gestatur: deinde concocta maturaque ac suauis.*

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Cæterum quæ nobiliores arbores erant natura, præ ignobilioribus nobiliorem quoque inuenere mentionem, vt quæ suis fructibus hominem essent adiuturæ, quò lautius viueret.

b. *Quòd si ad esum infrugiferæ plantæ non prosunt homini, plura tamen ipsi reddunt commoda, adeo vt fructuosæ dici queant.*

Hanc interpretationem contingenter ita proferunt Patres, adeò tamen propria est, & genuina, ut eam omittere non possim. Recensebo igitur quasdam allatas nobis ab infrugiferis arboribus vtilitates.

AVGVSTINVS de Genesi ad literam lib. tertio, cap. decimooctauo.

Talis etiam quæstio de spinis & tribulis solet oboriri, & de quibusdam lignis infructuosis, vel cur, vel quando creata sint, cùm Deus dixerit; Producat terra herbam pabuli seminantem semen, & lignum fructiferum faciens fructum. Sed qui ita mouentur, non intelligunt saltem de vsitatis formulis humani iuris, quemadmodum appelletur vsusfructus. Vtilitas enim quædam fruentium in fructus nomine consideratur. Quantæ autem sint vtilitates, siue manifestæ, siue occultæ omnium, quæ terra gignens radicitus alit, & ipsi quædam intueantur, & ab expertis cætera inquirant.

c. *Quòd vtiles ad constituendas domos.*

CHRYSOSTOMVS Homilia in Psalmum centesimum quadragesimumoctauum, vt referebamus.

Quemadmodum ergo cultis agris opus habemus ad hoc vt alamur: ita etiam lignis infrugiferis, & lapidibus egemus ad hoc, vt domos ædificemus, & alia innumerabilia ex eis componamus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite decimotertio.

Omnia arborum genera vtilia sunt, alia ad fructum nata, alia ad vsum data. Nam & quibus non est fructus vberior, tamen vsus pretiosior est. Cedrus suspendendis tectorum apta culminibus, eò quòd huiusmodi materies & procera sit spatijs, nec onerosa parietibus. Lacunaribus quoque, comendisque fastigijs habilis est cupressus.

d. *Ad insignia Victoriæ.*

AMBROSIVS vbi supra.

Laurus & palma ad insigne victoriæ. Lauro victorum capita coronantur, palma manus victricis ornatus est. Et Post. *Populus quoque coronis arbor vmbrosa victricibus.*

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Faciens fructum.

a.	*Ad vinciendum.*	e.	*Quòd medicamentum esse possint.*
b.	*Pro imprimendis figuris.*	f.	*Quòd pabulum sint ignis.*
c.	*Ad præstandam vmbram.*	g.	*Quòd terram exornent.*
d.	*Quòd folijs iumentis pabulū præstent.*	h.	*Ad extruendas naues.*
		i.	*Ad plures vsus.*

a. Ad vinciendum. Ambrosius vbi supra.
Et salix lenta apta est vitibus vinciendis.

b. Pro imprimendis figuris. Ambrosius pariter vbi supra.
Buxus quoque elementorum apicibus vtilis exprimendis, leui materia vsum puerilis manus informat.

c. Ad præstandam vmbram. Ambrosius libro tertio Hexæmeron, capite decimo sexto.
Simul vtrunque arbores germinarunt, aliud quo vesceremur, aliud quo refrigerante vmbra defenderemur à Sole.

d. Quòd folijs iumentis pabulum præstent. Theodoretus quæstione tertiadecima in Genesim.
Multa sunt animalium irrationalium genera, quædam fera, alia iumenta appellata: & nonnulla reptilia, alia volatilia. Igitur omnibus animalibus escam præparauit Deus, quæ etiam in vsum hominum condidit, & statim eis propter nos pabulum dedit.

e. Quòd medicamentum esse posint. Augustinus Dialogo ad Orosium quæstione trigesimaoctaua.
Nullatenus igitur dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus afferunt adiumenta: quia & reuera, si non inuenimus in eis aliquid ad edendum, inuenimus certè ad medicamentum, inuenimus ad adiutorium.

f. Quòd pabulum sint ignis. Hanc egregiam vtilitatem à lignis infructuosis nobis allatam, quanquam non memorent Patres, præstantissima tamen est, & ab omnibus agnita, quapropter præteriri non poterat.

g. Quòd terram exornent. Et hæc quoque præ oculis est, nec hæsitandum, quàm admirando peplo (ut Chrysostomus ait) terræ faciem exornent.

h. Ad extruendas naues. Neque hæc utilitas omittenda est, cùm ex nauigatione, cuius nobis ex arboribus fit facultas, tot mortalibus commoda subministrentur.

i. Ad plures vsus. Quis cunctas enumerare vnquam posset cōmoditates à lignis ad nos deriuatas, tùm intra domum, tùm extra, cùm sedes, mensas, cubilia, & infinita alia prope commoda ex ipsis capiamus.

Iuxta genus suum, cuius semen sit in semetipso.

a. Idest iuxta naturam suam specificam, ad eam propagandam.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite vndecimo.
Vt germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum genus suum, & similitudinem & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen sit in se secundum suam similitudinem. Quod de luce illa & firmamento & aquis & arida dictum non est: non enim habet lux successionis propaginem, aut Cælum de alio Cælo nascitur, aut terra, aut mare alia maria, & alias terras gignunt, quæ succedant. Hic ergo dicendum fuit ferentem semen secundum genus suum & similitudinem, & cuius semen sit in se secundum suam similitudinem, vbi similitudo nascentium prætereuntis similitudinem seruat.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite quarto.
Iuxta genus suum. Vt esset nascentibus singulis virtus seminaria, & secundum genus eorum similia nascerentur, distincta similitudine, sicut origine.

GLOSSA interlinearis.

Iuxta genus suū, cuius semen sit in semetipso.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

a. Idest, iuxta naturam suam specificam, ad eam propagandam.
b. Id dictum peculiariter de plantis, non de Cælo, & terra, quòd illæ propagatione sint præditæ, ista vero careant.
c. Vt in pluribus, quando non deficit natura, vel temporum opportunitas.

Iuxta genus suum. Cuius semen, idest, de quo similia propagentur. Et post. *De tritico triticum, de legumine legumen.*

TOSTATVS Commentarijs in Genesim.

Faciens fructum iuxta genus suum, idest speciem suam, quia ligna diuersarum specierum; & ideò ex fructu diuerso poterimus cognoscere diuersitatem specificam. Et valet consequentia: Istæ arbores producunt fructus diuersos, ergo sunt diuersarum specierum. Cuius semen in semetipso sit. Cùm enim indiuiduum quodlibet in his inferioribus corruptile sit, datur semen, vt quod in se perpetuari non potest, per generationem in simili perpetuetur. Et illud semen est in qualibet arbore intra se ipsam, vt ipsa à principio intrinseco sit potens se conseruare per generationem.

Hæc interpretatio, vt cunctis calculis accepta, & clara, maiorem à nobis non poscit indaginem & commentationem.

b. Id dictum peculiariter de plantis, non de Cælo, & terra, quòd illæ propagatione sint præditæ, ista vero careant.

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite undecimo.

Vt germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum genus suum & similitudinem: & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen sit in se secundum suam similitudinem. Quod de luce illa, & firmamento, & aquis, & arida dictum non est: non enim habet lux successionis propaginem, aut Cælum de alio Cælo nascitur, aut terra aut mare alia maria & alias terras gignunt, quæ succedant. Hic ergo dicendum fuit; Ferentem semen secundum genus suum & similitudinem, & cuius semen sit in se secundum suam similitudinem, vbi similitudo nascentium prætereuntis similitudinem seruat.

c. Vt in pluribus, quando non deficit natura, vel temporum opportunitas.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

At quomodo terra, fortasse quispiam dixerit, semina nascentium secundum genus edit, quum sæpe tritico sparso frumentum hoc atrum colligamus? At idipsum non ad genus diuersum mutationem habet, sed quasi morbus quidam, ægritudoque seminis est. Non enim frumenti naturam amisit, sed in atrum colorem ob adustionem est versum, ut ex appellatione quoque edoceri possis. Nam nimio rigore exustum in alium colorem, in aliumque saporem degenerauit. Adeo quoque vt si rursus in humum benè cultam idoneamque fuerit iactum, Cælumque clemens benignumque fuerit nactum, in suam pristinam illam formam qualitatemque redire ferunt. Quarè nihil prorsus in stirpibus aliter inuenies fieri, quàm imperium illud diuinum instituit. Nam id quod lolium appellatur, cæteraque adulterina semina, quæ sese cum esculentis miscere solent, quæque Scriptura sacra nuncupare zizania consueuit, non tritico mutato, sed ex origine sua principioque nascuntur, propriumque suum obtinent genus.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite decimo.

Sed forte quis dicat; Quomodo secundum genus terra profert semina, cùm plerunque semina iacta degenerent, & cùm bonum triticum fuerit seminatum, decolor eius species, & inferior forma reddatur? Sed hoc si quando accidit, non ad translationem generis, sed ad ægritudinem quandam, & inæqualitatem seminis videtur esse referendum. Non enim desinit esse triticum, si aut frigore aduratur, aut imbre madidetur, sed specie magis quàm genere, colore quoque & corruptione mutatur. Denique frequenter madidata frumenta in sui generis speciem reuertuntur, si aut Sole, aut ignibus torreantur, aut diligentibus commissa culturis, aëris temperie, terrarumque feracium vbertate foueantur. Itaque reparatur in sobole, quod degenerauerat in parente. Vnde non periclitamur, ne præceptum illud Dei, cuius vsus naturæ inoleuit, in reliquum successionis vitio destitutum sit, cùm hodieque in seminibus generis sui sinceritas reseruetur. Nam lolium, & reliqua adulterina semina, quæ frugibus sæpe miscentur, zizania nuncupari Euangelij lectione cognouimus: sed ea proprium

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Cuius semen in semetipso sit.

a. *Vel in radice, vel in ramis, vel in fructu.*

Super terram.

b. *Hoc est, circa terram, cùm semen non feratur nisi circa terram, hoc est, vel parum supra, vel subter terram.*

prium quoddam genus habent, non ex tritici semine in aliud genus seminis decolori mutatione translata degenerem traxere naturam.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesim caput primum.

Quod inquit; Secundum genus, &c. Siquidem singula semina suam reddunt speciem in fructibus, qui ex seminibus percipiuntur. Sin autem aliqua contigerit mutatio, scilicet, si frumenti, quod emergit ex humo, granum fuerit nigrum, non aliud genus est, sed quasi morbus quispiam, & infirmitas seminis esse putatur. Nigrum enim colorem traxit læsum iniqua vel aspera Cœli intemperie. Proinde dicitur, si bonum terram, siue vberem fuerit nactum, & temperans moderataque afflauerit ipsum aura, fore, vt ad antiquam redeat formam, eamque recipiat. Cæterùm degeneres herbæ & adulterinæ, quas Scriptura vocat lolium: necnon semina, quæ eadem Scriptura appellat zizania, non ex frumenti transformatione gignuntur, sed ex proprio quodam exorta sunt principio, peculiare habentia genus.

a. *Vel in radice, vel in ramis, vel in fructu.*

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Iussum est terræ lignum pomiferum edere faciens fructum super terram, cuius semen in semetipso sit: complures tamen arbores neque fructum nos edere cernimus, neque semen. Quid igitur dicemus? Primùm quidem earum arborum Scripturam sacram præcipuè mentionem fecisse, quæ natura sunt præstabiliores: deinde cunctas aut semen edere, aut ea quæ vim seminis, atque potentiam obtinent, exactè perspicienti colliquescet. Nam populi nigræ, salices, vlmi, populi albæ, cæteræque id genus, fructum quidem apertè ferre nullum videntur: habent autem singulæ semen, si quis exactè scrutetur. Id enim granulum, quod ipsis frondibus subter inhærescit, quodque nonnullis eorum, qui nominibus rebus imponendis operam nauarunt, misehum placuit appellare: vim sanè seminis obtinet. Iam quæcunque ab ipsis ramorum surculis oriri solent, inde magna ex parte radices eliciunt. Seminis etiam fortasse rationem obtinent, & appendices radicum siue propagines, quibus auulsis, studiosi inserendarum arborum locupletant genus & augent.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite decimosexto.

Et quia iussit Dominus, vt germinaret terra herbam fœni, & lignum fructiferum faciens fructum secundum genus suum, cuius semen eius in eo: ne fortè quis dicat in multis arboribus neque fructum, neque semen videri, & putet diuinum in aliquo vacillare præceptum, vt à veritate sit dubium: illud aduertat, quia nequaquam fieri potest, vt non aut seminibus vtantur vniuersa gignentia, aut habeant aliqua, quæ videantur cum virtute seminum conuenire. Idque, si quis diligenter intendat, manifesta testificatione poterit comprehendere. Nihil videntur seminis habere salices, habent tamen in folijs granum quoddam, quod habeat virtutem seminis, vt eo commisso terris, tanquam posito surgat arbor de surculo, & tanquam de semine se exuscitet grano. De grano itaque illo primùm radix coalescit, de radice pullulat non solùm salicis, sed etiam reliquarum ad similitudinem huiusmodi generis arborum sylua. Habent autem & radices virtutem seminis: vnde plerique ea satione incrementum sui nemoris propagauerunt.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Quod ad arbores steriles pertinet, sic habetote: alni, vlmi, salices, populiq; , etsi non in propatulo gerunt fructus, attamen folijs subiectus ramus (quem μιχὸν vocant) seminis vim obtinet. Quæcunque enim ex ramis generari consueuerunt, plerunque inde promittunt radices. Præterea inter semina connumerandæ sunt radicum appendices, quas plantatores defringunt, & in truncos arborum depangunt, augentes arborum genus.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesimanona, artic. secundo.

Nec refert, vbicunque habeant vim seminatiuam, vtrum scilicet in radice, vel in stipite, vel in fructu.

b. *Hoc est, circa terram, cùm semen non feratur nisi circa terram, hoc est, vel parum supra, vel subter terram.*

TOSTATVS Commentarijs in Genesim.

Super terram. Aliqui intelligunt hic, quòd semen cuiuslibet arboris est super terram, siue lignum, ita quòd

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Et factum est ita, & protulit.

a. *Vt ostendat terram mox Deo paruisse.*
b. *Et factum est ita causaliter, & protulit actualiter.*
c. *Idest, collatæ sunt telluri vires productrices internè, & protulit externè.*
d. *Tripliciter semper repetitur idipsum, vt monumentum, quòd à creatrice Trinitate triplex esse confertur, in verbo, in substantia, in perseuerantia.*

quòd in fructibus sint quædam grana, quæ habent virtutem generatiuam in illa specie: sed hoc non est semper verum, quia aliqua ligna, vel arbores sunt, quarum virtus generatiua est in radicibus, quæ sunt infra terram, & non in alia parte: sed dicitur; Super terram, id est in terra, scilicet, quia virtus generatiua, vel seminalis non debebat adduci de Cœlo, vel de infimis terre, siue de aliquo alio elemento.

Et factum est ita, & protulit.

Hebraicum sensum Chaldaica editio hoc loco interpretatur; Et fuit ita: quam versionem sectantur Rabbini vt plurimùm, Pagninus, Vatablus, Caietanus, & Hebraici idiomatis celebratores. E contra Græca, & Vulgata nostra vertit; Et factum est ita, quod & supra consultius dictum exponebamus, cùm non tantùm in efficiendis rebus celeritatem demonstret dictio, Factum est ita, sicut, Fuit ita, sed (quod opportunum censebatur) factionem ipsam, seu conflationem expressiùs significet, & notificet.

a. *Vt ostendat terram mox Deo paruisse.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.
Quid est quod factum est ita? Præcepit, inquit, Dominus, & statim terra suos partus maturans, ad germinanda semina seipsam solicitauit.

b. *Et factum est ita causaliter, & protulit actualiter.*

GLOSSA Interlinearis ita suprascribit.
Factum est ita: hoc est caussaliter, & protulit actualiter.

Sed quid intelligat Glossa non benè percipio, nisi fortè consimul ad Dei verbum collatam esse terræ virtutem germinandi, & simul germinasse contendat.

c. *Idest, collatæ sunt telluri vires productrices internè, & protulit externè.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim. Et Post.
Et fuit ita: scilicet, quòd terra habuit vires productiuas naturaliter vegetabilium. *Non explicatur per hæc verba id quod significatur per illa verba, Et fuit ita: quoniam illa verba, Et fuit ita, significant terram ex interna vacuitate mutatam esse in plenitudinem virtutum internarum ad producendum vegetabilia: hæc autem verba; Et protulit terra &c. significant ex terra ablatam externam vacuitatem, ita quòd exterius plena est terra vegetabilibus.*

Sed hallucinatur Caietanus, vt supra demonstrabamus, cùm in hac primordiali rerum prosilitione Deum efficientis caussæ partes egisse, ex Patrum ferè omnium placitis euicerimus.

d. *Tripliciter semper repetitur idipsum, vt monumentum, quòd à creatrice Trinitate triplex esse confertur, in verbo, in substantia, in perseuerantia.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, capite trigesimoquinto.
Quia creatricis Trinitatis hæc sunt opera, benè testimonium suum sancta Scriptura vbique triplicat. *Tria*

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et factum est ita, & protulit.

a. *Hic post factum est ita, adijcitur; Et protulit terra, quod de mari, & terra non adiectum est; eò quòd illa immediatè à Deo esse susceperint, hæc mediante propagatione.*

nempe dicta sunt, imò ter vnum idemque dictum est. Dixit Deus, cuius dixisse fecisse est. Factumque est ita, & protulit terra. Et primum quidem secundum vespere est, idest verbi Dei secretum, in quo vita erat: quicquid mane, idest substantiali rerum productione: factumque est aliud secundum hoc ipsum mane, tertium secundum diem continuum quomodocunque perseuerantis creaturæ. Hoc in cunctis sex dierum operibus inuenies. Dixit Deus; Fiant luminaria, & factum est ita, & fecit Deus duo luminaria magna. Item; Producant aquæ reptilia: creauitque Deus cete grandia: Benedixitque illis Deus &c. Sed in creatione lucis dixit Deus; Fiat lux, & facta est lux, & diuisit lucem & tenebras. Vbique tria consonant testimonij verba, quia totas vbique vespere, & mane, & toto die creatrix operatur Trinitas. Et hæc est sanctæ, ac iustæ legis originalis caussa, qua scriptor idem sanxit, vt testibus plusquàm tribus nulla iudicialis indigeat caussa.

a. *Hic post factum est ita, adijcitur; Et protulit terra, quod de mari, et terra non adiectum est; eò quòd illa immediatè à Deo esse susceperint, hæc mediante propagatione.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto, capite vndecimo.

Et sic factum est. Deinde secundum superiorem regulam, postquam dictum est; Sic factum est, subiungitur ipsa executio. Et dedit terra herbam pabuli ferentem semen secundum genus suum, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in se secundum suam similitudinem. Et iterum dicit; Vidit Deus quia bonum est: itaque & vno die ista iunguntur, & iteratis Dei verbis distinguuntur abinuicem. Quod de terra & mari propterea puto non esse factum, quia magis harum rerum est discernenda natura, quæ cum oriantur, & occidant, seminis successione propagantur.

D. Augustini interpretationem, alteramque Ruperti, ingeniosis tantùm placituras puto: difficiles enim admodum sunt, sustolluntque mentem ad cōtemplationes vix eruditissimis, & præclari ingenij viris perspectas; quas quidem populus ille rudis, quibus hæc contexebatur historia, non attigisse arbitror. Quapropter omissa etiam Glossæ interpretatione, ceu quæ ad Scholasticos terminos ꝓficiscatur, plana & gratiosa Io. Chrysostomi nobis superest expositio.

Augustini & Ruperti interpretationes ingeniosæ.

Et protulit terra.

Editiones diuersæ huius loci eandem sectantur hebræarum vocum intelligentiam, quam supra vnaquæque suo marte accommodatiorem diiudicauit. Cæterum eas referre inutile non duxi, vt vna sit alteri paraphrasis & elucidatio. Hebraicam igitur lectionem sic transtulit Chaldaica Latinitate donata, vt in Biblijs Regijs: Et produxit terra germen herbæ, cuius filius sementis seminatur secundum genus suum, & arborem facientem fructus, cuius filius sementis in ipso secundum genus suum. Græca pariter Latinè versa: Et protulit terra herbam fœni seminantem semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum pomiferum faciens fructum, cuius semen eius in ipso secundum genus super terram. Vulgata nostra: Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum; lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Pagninus & Vatablus: Produxit enim terra germen, herbam producentem semen iuxta speciem suam, & arborem facientem fructum, cui inerat semen suum iuxta speciem suam. Caietanus; Iuxta hebræum habetur: Et protulit terra germen herbam seminificantem semen generi suo: & lignum faciens fructum, cuius semen eius in ipso generi suo. Lusitanus: Et protulit terra

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Et protulit terra.

a. In præseminata potentia.

terra germen, herbam seminificantem semen in specie sua, & arborem facientem fructum, in qua semen eius fuit in specie sua. Obseruationes circa tralationes istas nullæ mihi obuiæ fuere, nisi eæ ipsæ, quas supra sedulo, ut animaduertenda, peruigili indagine collegi.

Num Germina actu prodierint, Num præseminata potentia.

Exagitatur inter Patres difficultas; Num plantę, virentiaq; cuncta, pręseminata sint in ipso terræ vtero, seù virtus collata impertitaque terræ fuerit ad ipsa proferenda: An potius effectu ista prodierint, consimul stipitibus, ramis, folijs, floribus, fructibusq; per onusta: quod est (vt dialecticè loquar,) An actu productæ fuerint à terra, an causaliter tantùm. Hinc enim diuersæ pullulant huius loci interpretationes.

a. In præseminata potentia.

AVGVSTINVS huius opinionis primus est assertor, astipulator, solertissimusque propugnator pluribus in locis, sed præcipue de Genesi ad literam libro quinto, capite quarto.

Caussaliter ergo nunc dictum est produxisse terram herbam & lignum, idest producendi accepisse virtutem. In ea quippe iam tanquam in radicibus, vt ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant: nam vtique postea plantauit Deus Paradisum iuxta Orientem, & eiecit ibi de terra omne lignum speciosum ad aspectum, & bonum ad escam.

Et libro octauo, capite tertio.

Tunc tertio die, quo scriptum est germina produxisse terram, causaliter factum erat in terra: hoc est, quia tunc ea producendi uirtutem latenter acceperat, qua virtute fit, vt etiam nunc talia progignat in manifesto, atque in tempore suo.

EVCHERIVS in Genesim libro primo, capite vndecimo.

In die quo fecit omne virgultum agri, antequàm oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquàm germinaret. Quomodo herba & viridia agri antequàm exorirentur condita sunt? Et si non erant exorta, quomodo erant facta? Nisi quia causaliter in illo die quando dictum est; Producat terra herbam virentem: tunc eam producendi accepit virtutem, & in ea tanquam in radicibus, vt ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant.

D. THOMAS prima parte, quæstione sexagesimanona, articulo secundo, D. Augustini placita his prodit.

Sed tamen circa productionem plantarum, aliter opinatur Augustinus ab alijs. Alij enim expositores dicunt, quòd plantæ productæ sunt actu in suis speciebus in hac tertia die, secundum quod superficies literæ sonat. Augustinus autem quinto super Genesim ad literam dicit, quòd causaliter tunc dictum est produxisse terram herbam & lignum, idest producendi accepisse virtutem. Et hoc quidem confirmat auctoritate Scripturæ: dicitur enim Genesis secundo; Istæ sunt generationes Cœli & Terræ, quando creatæ sunt in die quo Deus fecit Cœlum & Terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra: omnemq; herbam regionis priusquàm germinaret. Ante ergo quàm orirentur super terram, factæ sunt causaliter in terra. Confirmatur autem hoc etiam ratione: quia in illis primis diebus condidit Deus creaturam originaliter, vel causaliter, à quo opere postmodũ requieuit: qui tamen postmodum secundum administrationem rerum conditarum, per opus propagationis vsq; modo operatur. Producere autem plantas ex terra ad opus propagationis pertinet: non ergo in tertia die productæ sunt plantæ in actu, sed causaliter tantùm.

Consentiunt Augustino omnes Patres, qui vnico momento, non sex dierum delapsu Mundi emolitionem peractam existimant. Euinci id putant asserti Doctores huius sententiæ

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et factum est ita, & protulit.

a. Et protulit terra herbam virentem, hoc est, repente perfectam & absolutam.

tentię astipulatores ex diuinis Scripturis, præcipue autem ex attestatione illa; Istæ sunt generationes Cœli, & terræ, quando creatæ sunt, in die qua fecit Dominus Cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemq; herbam regionis, priusquam germinaret. Die igitur emolitionis Cęli & terræ, hoc est Mundi in præseminata potentia, creatum est uirgultum in terra, antequam consueta pullulatione orîretur, hoc est, collata est facultas ipsi terræ ad omnem herbam proferendam, antequā vllam earum germinaret, quasi germinandi vis insederit terræ tēpore congestionis Mūdi, germinare autem inchoarit post Mundum absolutum, Sole irradiante ac Zephiro flante, elementisq; vigescentibus.

a. *Et protulit terra herbam virentem, hoc est, repente perfectam & absolutam.*

Ex aduersa acie Patres Doctoresque ferè omnes, qui sex diebus conditum Mūdum autumarunt, germina etiam hac die tertia conspicua floribus, fructibusq; coonusta Dei mandato, & imperio ocyssime emersisse opinantur, adeo vt terra illa, quę prius horrens & squalens iacuerat, hac die viridi veste, varijsq; contexta florum coloribus, à Deo fuerit ornata, & insignita. Luduntque mirifica eloquentia virescentem Mundum effingere. Præmittamus primùm Poëtas Ecclesiasticos.

TERTVLLIANVS poëmate inscripto Genesis.

Tertia lux faciem terrarum fulua retexit,
Arida mox posito narratur nomine terra;
Florea ventosis consurgunt germina campis,
Pomiferiq; simul procurant brachia rami.

ALCHIMVS Auitus libro primo de initio Mundi.

Pulchra repentino vestita est gramine tellus
Accepere genus sine germine iussa creari,
Et semen voluisse fuit: sic vbere verbi
Frondescunt syluæ: teneris radicibus arbor
Durauit vastos paruo sub tempore ramos.

CLAVDIVS Marius Victor Commentarijs in Genesim libro primo.

Tertia lux tumidos stupuit discedere fluctus,
Cùm Deus impulsis reliqui iam gurgitis vndis,
Aëriis magnum spatijs patefecit inane:
Arida tunc primùm Mundi pars ima retactam
Ostendit faciem, tremefactaq; numine Verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.
Quas varios raptim iussas fructescere fœtu,
Luxuriosa nouo texerunt germina limo.
Et rudis, & tenero prorumpens cespite lætis
Iactauit se sylua comis, speciemque secundum
Edidit vna suam quæque arbor, & herba virescens
Et fructum & semen, vestitaque gramine terra est.

PROBA Falconia.

Postea iamque dies primo surgebat Eoo,
Fudit humus flores, & frondes explicat omnes,
Sanguineisque inculta rubent auiaria baccis,
Non rastris hominum, non vlli obnoxia curæ.

DRA-

DRACONTIVS Hexæmeron libro primo.

Promitur herba virens, & surculus omnis in auras,
Et semper vestita comis frondescet oliua.
Omnia poma virens profert, non parturit arbor
Linguæ laurus honos, soluit donanda poëtis.
Tetra per obliquos vitis in orbe corymbos,
Verberat & palmæ calamos non ante flagello:
Vinea pampineos subarundinat ebria campos.

Et Ecclesia Hymnos proferens, cùm de tertiæ diei opere consuetas exoluit Conditori laudes, canit.

Telluris ingens conditor,
Mundi solum qui eruens,
Pulsis aquæ molestijs,
Terram dedisti immobilem.

Vt germen aptum proferens
Fuluis decora floribus,
Fœcunda fructu sisteret,
Pastumque gratum redderet.

PHILO de Mundi opificio, clarissimè momento cuncta germina erupisse, his tradit.

Eodem iussu & arborum species omnes sunt editæ, nulla omissa vel mitium vel syluestrium: eaque omnia fructibus suis abundabant in ipso statim ortu, secus quàm hodie. Nunc enim singula gignuntur suis vicibus, non simul omnia. Quis enim nescit primam esse sementem & plantationem, tùm sequi incrementa satorum plantarumque deorsum radices ceu fundamenta demittentium, sursum item altas stirpes attollentium. Deinde frondes foliaq; germinant: postremò fructus profertur, ac ne is quidem perfectus, sed varias subinde facies recipiens, & nunc formam mutans, nunc magnitudinem. Nam primò tam minutus est, vt penè visum fugiat, similis atomis corpusculis, quæ non temerè vocari possunt prima sensibilia. Post hæc paulatim accedente alimento, quod rigat arborem, & afflatibus temperatis ac tepidis, aurisque mollibus nutricantibus augescit, & ad iustam magnitudinem peruenit: cum qua etiam qualitates variat, ceu picturæ artificio iam his iam illis tinctus coloribus. At in prima huius vniuersitatis generatione (vt dixi) Deus omnem stirpium syluam è terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, sed maturis refertam, sine dilatione inuitantem ad fruendum affutura mox animalia. Terra verò ad illius iussum tanquam dudum prægnans & parturiens, parit omnes satorum, arborum, atque fructuum inenarrabiles species: qui quidem fructus non solùm in alimoniam facti sunt animantibus, verùm etiam in hoc præparati, vt in perpetuum propagaretur similium generatio, quippe qui continebant vim seminariam, obscuris & incertis rationibus insitam, quæ se tandem proferret statis temporum circuitibus. Voluit enim Deus naturam certis horarum spatijs decurrere, consulens immortalitati specierum, & reddens eas æternitatis participes. Quapropter inchoata perduxit ad finem properè, rursumque à fine reflexit ad initium: è plantis enim fit fructus tanquam è principio finis: & è fructu semen, intra se denuo plantam continens, tanquam è fine principium.

IOSEPH libro primo de Antiquitatibus, capite primo.

Tertia die statuit terram, circa eam mare diffundens: ipsa verò die repente virens herba, & semen de terra sunt orta.

BASILIVS Hexæmeron Homilia quinta.

Temporis puncto nimirum à pullulatione initio sumpto, tellus, vt creatoris sui legibus imperijsque obtemperaret, per omnem accretionis formam discurrit, germinaque protinus ad summum eorum statum deduxit, atque prata quidem alta continuò copia fœni fuere. Campi verò fertiles inhorrescentes segetum densitate perinde atque mare, spicarum agitatione fluctuabant: omnis insuper herba, omne oleraceum genus, sarmenticium omne, denique quicquid vsquam leguminaceum copiosissimum tùm supra tellurem emicabat. Nullum enim detrimentum in ijs, quę primùm tunc emersere, prorsus erat, aut agricolarum imperitia, aut aëris intemperie, aut alia vlla caussa, quæ nocere nascentibus solet. At neque etiam illa contra genus hominum allata sententia tùm impedimento telluris erat fertilitati. Hæc enim illum hominis errorem, illud delictum antecesserunt, gratia cuius nos condemnati sumus, vt in sudore nostri vultus vescamur pane. Quin & ait; Lignum pomiferum faciens fructum, semen cuius in semetipso sit iuxta genus, & secundum similitudinem suam super terram. Vi operatoria verbi istius sine vlla mora protinus syluæ omnes densabantur, omnes arbores erumpebant: & quæ petere Cœlum altitudine solent abietes, cedri cupressi, piceæ: omne item fruticum genus & arbustiuum comabatur, addensabatur. Quæ rursus ad plectendas corollas faciunt, seu roseta, myrti, lauri, isthæc omnia priùs cùm non extitissent, momento super terram emicuere, cum sua arbores quæque peculiari proprietate, seiunctæ quidem atque distinctæ manifestis differentijs à reliquorum generum plantis: singulæ autem proprijs insignitæ formis.

Et post sub finem Homiliæ.

Germinet, inquit, terra lignum pomiferum, fructum faciens super terram. Et montium continuò vertices, perinde atque comis, arboribus operiebantur, horti inexplicabili artificis solertia adornabantur. Amnium ripæ locavè

locavè deuexa generibus stirpium innumeris sine vlla mora vestiebantur, ac decoram faciem ostentabant, quæ partim ad exornandam hominis mensam ordinata sunt, partim ad præstandam pecoribus, tùm ex frondibus, tùm ex frugibus alimoniam: partim ad ea subministranda, quibus medica solertia causa valetudinis vteretur, succos, lachrymas, carphe, cortices, fructus locupletissimè tellus edebat: vtque semel compendio, omnia quæ nobis experientia tandem diutina comperit, è singulis varijs diuersisque casibus, atque euentibus id eligendo semper, quod conducit, quodque frugi est, ea prouida sapientia, solersque Dei conditoris Mundi facultas inde ab initio præuisa creauit.

AMBROSIVS Hexæmeron libro tertio, capite octauo.

Et continuò parturiens terra nouos se fudit in partus, & induit se amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis assumpsit, diuersisque compta germinibus, proprios suscepit ornatus. Miramur, quòd tam cito generauerit: quantò maiora miracula sunt, si spectes singula; quemadmodum vel iacta in terram semina resoluantur, ac nisi mortua fuerint, nullum fructum afferant: si verò fuerint quadam sui morte resoluta, in vberiores fructus resurgant.

Et post capite vndecimo.

Diximus de herba fœni, nunc dicamus de ligno fructuoso faciente fructum secundum genus, cuius semen eius in ipso sit. Dixit, & facta sunt: & subito vt supra floribus, herbarumque viriditatibus, ita hic nemoribus terra vestita est. Concurrerunt arbores, consurrexere syluæ, vertices repente montium fronduerunt: hinc pinus, hinc cupressus in alta se extulerunt cacumina, cedri, & piceæ conueniunt. Abies quoque non contenta terrenis radicibus, atque aërio vertice, etiam casus marinos tuto subitura remigio, nec solum ventis, sed etiam fluctibus certatura processit. Necnon & laurus assurgens odorem suum dedit, vnquam suo exuenda velamine. Vmbrosæ quoque ilices verticem protulerunt, inhorrentem comam hybernis quoque temporibus seruaturæ. Hoc enim in singulis priuilegium natura tenuit in reliquum, quod sub ictu Mundi surgentis accepit, & inde manet sua ilicibus prærogatiua, manet cupressibus, vt nulli venti eas crinis sui honore despolient.

Et post capite decimosexto.

Quòd si irriguis aquarum plerunque & segetes lætiores sunt, & virides fabæ, & ortorum multiplex suscitatur, & resuscitatur gratia, si viridantibus thoris fluuiorum exundantium ripa decoratur: quemadmodum ad verbum Domini, quod omni aquarum cursu est redundantius, subitò creatura virgultorum omnis effloruit? Festinarunt campi non commissam sibi frugem edere, ignorata orti olerum genera, florum miracula germinare, ripæ fluminum se vestire myrtetis: properauerunt arbores citò surgere, citò se flore induere, victum hominibus, pecori pabulum ministrare.

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.

Quis non obstupesceret, ac admiraretur, cogitans quomodo verbum Domini, quod dicit; Germinet terra herbam fœni, in ipsa olera terræ descendat, & quasi admirabili quodam peplo, terræ faciem varijs floribus adornet? Videre potuisses subitò terram, quæ antea informis, & inculta erat, decore suo, & ornatu quasi cum Cœlo certare. Nam sicut Cœlum paulò post ornandum erat astrorum varietate, ita & tellus florum multiiuga varietate ornabatur, ita ut & opifex in laudem eius prorumperet. Etenim vidit, ait, Deus quòd esset bonum.

CYRILLVS in Genesim libro primo.

Terra subinde detegebatur, & herbarum ita varia specie exornabatur, & iam more insueto arborum frugiferarum ortum adepta, consita pulcherrimè extitit.

THEODORETVS Quæstionibus super Genesim, quæstione decimaseptima, quæsitans cur Deus non plantis, sed animalibus benedixerit, ait.

Deus pro nutu suo statim vniuersam terram repleuit pratis, segetibus, & alijs omnis generis herbis & arboribus: cætera verò animalia bina creauit.

DAMASCENVS Orthodoxæ Fidei libro secundo, capite decimo, clarissimè id explicauit.

In principio autem (Scriptura dicit) terra cooperiebatur ab aquis, & erat inculta & absque ornatu, cùm præcipiente Deo, aquarum receptacula facta sunt. Et tunc montes extarunt, & diuino præcepto proprium terra suscepit ornatum, omnigenis herbarum, & plantarum varietatibus decorata: quibus indidit diuina iussio vegetatricem virtutem, auctricem, altricem, & seminariam, suiuè similis propagatricem.

IVNILIVS in Hexemeron inquit.

Ad vnam conditoris iussionem, terra, quæ arida apparebat, repente herbis compta, & nemoribus est vestita florentibus: atque hæc continuò sui quæque generis poma ex sese, ac semina produxere. Oportebat enim vt forma quæque rerum ad imperium Domini primò perfecta procederet, quomodo & homo in se, propter quem omnia facta sunt, in terra perfecta, hoc est, iuuenilis ætatis, plasmatus esse credendus est.

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Et factum est ita, & protulit.

a. Protulit terra actu quidem, sed non simul, quòd plantæ ante arbores emerserint.

Glossa Ordinaria Iunilij sententiam & verba ferè mutuauit.

GREGORIVS Magnus Expositione in Iob libro decimo nono, capite duodecimo.

Hoc quod testatur historia, sic est veraciter factum, vt significaret faciendum.

Patherius Commentarijs in Genesis caput primum idipsum decerpsit.

PROCOPIVS Commentarijs in Genesis caput primum.

Non dubito, quin herba virescens, & plantulæ ab initio perfectæ prodierint, & substiterint, necnon suos fructus, & semina profuderint. Nam videmus etiam animalia non imperfecta, sed perfecta initio creationis in hoc insigne opificium procurrisse, nec alterius indiguisse ope, sed sibi ipsis suffecisse. Præterea cùm Paradisum plantaret & excoleret, instruxit eam affluentem omnigenis fructibus.

D. THOMAS parte prima, quæstione sexagesimanona, articulo secundo, D. Augustini sententia recitata, tacitè summaque reuerentia his eam reijcit.

Quamuis secundum alios dici possit, quòd prima institutio specierum ad opera sex dierum pertinet: sed quòd ex speciebus primò institutis generatio similium in specie procedat, hoc iam pertinet ad rerum administrationem. Et hoc est, quod Scriptura dicit; Antequàm oriretur super terram, vel antequam germinaret, idest, antequàm ex similibus similia producerentur, sicut nunc naturaliter fieri videmus secundum viam seminationis. Vnde signanter Scriptura dicit; Germinet terra herbam virentem, & facientem semen: quia scilicet sunt productæ perfectæ species plantarum, ex quibus semina aliarum orirentur. Nec refert vbicunque habeant vim seminatiuam, vtrum scilicet in radice, vel in stipite, vel in fructu.

PETRVS Comestor Magister Scholasticæ historiæ capite quinto.

Patet quia non per moras temporum, vt modò, produxit plantas suas terra, sed statim in maturitate viridi, in qua & herbæ seminibus, & arbores pomis onustæ sunt.

HVGO Carensis in Postillis.

Non successiue germinauit, vt primò flores faceret, postea fructus, sed simul fructus habuit & potentiam fructificandi. Et hæc potentia dicitur natura, idest, vis rebus insita ex similibus producens similia.

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Deus produxit vegetabilia mediante terra, non tamen in tempore, sed virtute diuina in eodem instanti suscepit terra virtutem productiuam, & productionem cum effectu producto; ita quòd quicquid vegetabilium naturaliter produxisset terra in spatio vnius anni, seù multorũ annorum (vt diuersa vegetabilia exigunt ad sui perfectionem) produxit tunc terra virtute diuina in instanti. Credimus enim omnia producta esse in statu perfecto, sicut constat hominem productum non infantem, sed perfectum; & in Paradiso terrestri constat fuisse arbores cum fructibus à principio; in cuius signum non describitur, Herbauit terra, sed protulit terra.

a. Protulit terra actu quidem, sed non simul quod Plantæ ante arbores emerserint.

STEVCHVS in Cosmopœia, quanquam his Patribus consentiat, tertiaq; hac die, tùm herbas, tùm arbores à summo opifice prolatas arbitretur: noua attamen, & singulari assertione non consimul herbas & arbores manasse; sed prius plantas, deinde arbores prodijsse censet, Theophrasti testimonio, Mosisque litera suam muniens sententiam.

Natæ sunt igitur plantæ, sed herbæ primùm; teneriores scilicet, & ad nascendum faciliores, tùm priores natæ, quàm plantæ; quia nata prius animalia, quorum herbæ cibus esset futurus, posterius ea, quorum arborei fructus. Sæpe autem mecum soleo demirari quæ reperio apud Philosophos aut sumpta de Theologia Mosis, aut quadam sorte consentientia. Theophrastus probat, Dijs non sanguine & animalium adipe esse litandum, sed potius frugibus terræ, & floribus, atque herbis suauè olentibus, quòd hæc ipsa priora quàm

animalia terra enixa sit, ex his autem quæ terra genuerit priores herbas quàm plantas. Quod his verbis docuit; Arbores ante animantes terra edidit, multò autem ante arbores, istam quæ annuatim herba producitur. Hæc ille. Legimus autem hoc loco apud Mosen, tertia hac die, herbam virentem & lignum pomiferum terram protulisse. Sexto autem die producta esse animalia. Et quod Theophrastus ait, multò antè herbas è terra natas, quàm animalia: sexta nempe die, ille tertia: tum Moses antè herbam, post arbores ait è terra pullulasse: prius enim dicit; Producat terra herbam virentem: postea, Et lignum pomiferum, idest, arbores.

TOSTATVS in Postillis.

Et protulit terra &c. lignum faciens fructum, idest, quod sicut creatæ fuerunt arbores ita pleni fuerunt fructibus, & credendum puto, quod nunquam arbores tantum de fructu, & tam bonæ complexionis produxerunt. Ratio quia semper operatio, quæ à solo Deo est perfectior est, quam perfectio naturalis. Et sicut adam dicimus fuisse hominem melius omnibus hominibus complexionatum præter Christum, ita & de omnibus rebus, scilicet de primis equis, primis leonibus, & similibus; ita quia tunc complexio terræ erat in optimo gradu, deinde continuo, quia corruptibilis est, declinat ad senium, ut res productæ minoris semper virtutis sint.

AVCTOR.

Excluditur D. Augustini sententia.

Prolixiores catenas non deduxi, ne in re clarissima operam contererem. Quamobrem & breuiter ingenueque assero, D. Augustini sententiam non ita communi Patrũ, & Doctorum assensu recipi, sicuti nec placitum illud, Mundum absolutum à Deo sine temporum delapsu prodijsse. Quod certè, quanquam ingeniosè prolatum, à Mosis tamen historia, & narratione prophetica alienum, & penè aduersum reputabatur. Steuchi placitum vt singulare, ita & commentitium censendum est. Nutanti nanque illi, prorsusque titubanti innititur fundamento: Deum Solis ministerio vsum, eius efficacissimo radio paulatim germina è terra eduxisse, quod Mosis narrationi refragatur, quæ Deum in Mundi creatione vbique & semper imperantem tradit, ut augustam ipsius maiestatem agnoscamus, suspiciamus, & admiremur: imperãtem, inquam, verbo solo, Fiat, Producat, Germinet. At verò nec Sol flagranti virtute sua tam breui tempore plantas excitare è terra ualuisset, nisi ei inusitata quædam, & efficacissima à Deo vis ad id agendum fuisset collata; quare si diuinæ potentiæ id tribuendum erat, cur non potius Mosis narrationem insequuti, vniuersam plantarũ emolitionem ipsi tantùm Dei potentiæ ascribamus? Theophrastum à Mose edoctum fuisse, dum scribit, & terram herbas protulisse ante animantia, & propterea floribus, & frugibus, Dijs litandum esse non animantium sacrificio, non assentio, cùm Philosophus hic, ut Peripateticus, Mũdum æternum astruat, non creatum. Sententiam itaque eius ita interpretandam duco; quasi dixerit ea certè consimul esse æterna; sed si vnum altero vetustius censendum esset, fruges & herbæ animantibus antiquiores putandę forent. Mosen prius dicere; Producat terra herbam virentem: postea; Et lignum pomiferum, non eo inficias: sed argumentum hoc cauillosum, & prorsus futile esse, & irrisione dignum, quis non cernit? Vna enim & eadem oratione, vno & eodem verbo asseruntur imperatæ herbæ, & arbores, nec consimul dici poterant, quanquam consimul effectę tradantur. Superest igitur, vt Patrum sententiam, quæ vnica Dei virtute, ocyssimo momento, seù die, simul tùm herbas, tùm olera, tùm plantas prosilijsse autumat, tutiorem, munitiorem, & probatiorẽ arbitremur; ob delatas præcipuè à Patribus caussas, quas perpendere non negligam. Primaria igitur, ac princeps caussa est, quoniam immensam augustissimamque opificis maiestatem decebat, vt formæ quæque rerum perfectæ ipso imperante procederẽt, cùm Dei opera perfecta sint. Deus enim & natura diuersum operandi modum & genus sectantur. Deus siquidem, vt perfectissima caussa, perfectum quoque statim attingit: Natura autem tanquam à perfectione decidens, ab imperfecto auspicatur, vt ad absolutum incedat. Vti igitur natura ex seminibus concoctis germina profert, exinde auget, perficitque tandem, folijs ea induit, floribus condecorat, fructibusque ditat: Ita Deus repente germina, folijs floribus fructibus simul fortè onusta congessit, ea perfectione, & proceritate decorata, ut seminibus se propagare valerẽt. Vnumquodq; enim perfectum est Aristotelis attestatione, quando potest sibi simile generare. Deinde cũcta in

Steuci placitum reprobatur.

Herbæ & plãtæ tertia die simul perfectæ prodiere.

Lib. 4. Meteo.

in congrua ipsis proceritate, & statu condenda erant, cùm homo, in cuius gratiam fuere uniuersa fabrefacta, consistenti in ætate, atque absoluta proceritate, vt procreare sibi simile posset, fuerit plasmatus, & animatus. Sed quid ipsa Mosis testificatione clarius? Promulgato Dei præcepto hæc ille adijcit; Et protulit terra herbam uirentem, & facientem semen: Si protulit hac tertia die, igitur non tantùm præseminata sunt. Attendendum est amplius, in singulis diebus conformem esse rerum procreationem, sicut & vniformis est narrationis stilus. Verùm lucem, firmamentum, luminaria, ad Dei præceptum statim emanasse compertum est, neque id auersatur ipse Augustinus; igitur & plantæ; cùm æqua sit Dei potestas, ut æqua Mosis enarrandi series. Amplius, si germina, ut esca animantibus, & homini præparabantur, quomodo herbarum, arborumq; frugiferarum procreatio post Mundum conditum diuturno tempore effecta est? Nunquid potuere tùm animantia, tùm homo, quę quinto, & sexto die producta sunt, tandiu ieiuna earum pullulationem expectare? Quòd si aues, & terrestres animantes etiam præseminata in potentia tantùm, non actu productos concedemus Augustino; quæ fuit esca hominis, quem sexto die à Deo plasmatum fuisse Augustinus negare non potest, & cui carnem in escam concessam non nisi post Diluuium noscimus? Cæterùm à D. Augustino adducta auctoritas, facilè à cæteris Patribus eliditur. D. Thomas ex sententia Patrum, vt dicebamus, sic eum locum interpretatus est; Antequam oriretur super terram, uel antequam germinaret; id est, antequam à similibus similia producerentur, sicut nunc naturaliter fieri uidemus secundum uiam seminationis. Diluuntur fundamenta D. Augustini.

HVGO noster pariter Annotationibus in Genesim capite septimo, ita interpretatur eum locum.

Antequam oriretur &c. Id est, ita operatus est Deus, antequam operatione artificis imitantis, & iuuantis naturam, arbores, & herbæ crescerent per successionem, sicut modò; scilicet in momento reddidit arborem perfectam, & fructum afferentem: similiter &c. Priusquam germinaret, quia totum simul prouenit in perfectum statum.

Contendit igitur Moses, vt ex Patrum doctrina elicere depromereque possumus, duplicem nobis geniture germinum modum ante oculos exhibere. Alterum diuinum, quo plantæ non ex seminibus, sed ex Dei præcepto absolutæ emanarunt. Naturale alterum, quo ex seminibus, siue illa sint in stipite, siue in fructibus, siue in radice, plantæ similes prosiliunt. De modo, quo Deus plantas suo imperio primò protulit, ait; In die qua creauit Deus uirgultum: & de modo, quo plantæ ex suis insitis sibi seminibus similia sibi nunc emittunt, adiecit; Antequam oriretur in terra, hoc est, eo modo quo nunc ex semine oriuntur. Sed quod potissimum est, idipsum D. Augustinum existimare perspicimus. Germinū duplex geniture modus à Mose traditus.

AVGVSTINVS enim libro quinto de Genesi ad literam, capite quarto, perEleganter concludit ex Scriptura elici, à principio fuisse semen ex herba, nō herbam ex semine.

His enim verbis magis apparet, semina esse exorta ex herbis, & lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra; præsertim quia & ipsa verba Dei sic se habent. Non enim ait; Germinent semina in terra herbam fœni, & lignum fructuosum, sed ait; Germinet terra herbam fœni seminantem semen, vt semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine.

Quare ex Augustini sententia, cùm ante plantas semina non fuerint, nec in radice, nec in fructu, nec in stipite: quænam vis seminalis illa erat in terra ad plantas producendas sufficiens? Fortè cœnum, vel limus, ex quo herbæ, arboresq; enascerentur, uti ranam ex putri gigni conspicimus? Hoc certe plantis, arboribusque insignibus minimè congruebat, quæ ex putri oriri non spectantur. Fortè terræ ad hoc uotum anhelans, pluuijs, & Solis flagrantia auxiliantibus? Sed hoc ei absque seminibus prodesse secundum Naturæ vires non poterat. Fortè Dei opificis uirtus? At si Dei opus fuit illud; igitur in Mundi emolitionis diebus patratū, & non post, quia die septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat. Superest igitur, vt probabilior ea censenda sic sententia, quæ plantas uirentes folijs, & floribus, fructibusque eleganter honestatas hoc die tertio prodijsse existimat.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Facientem semen iuxta genus suum.

a. Quanquàm semen propriè sit hominum, sementis herbarum.
b. Quia germina ante semina, non semina ante herbas.

a. Quanquam semen propriè hominum sit, sementis herbarum.

STRABVS & Rabanus, vt in Glossa Ordinaria.

Sementis frugum & arborum; semen hominum, & animalium; seminum, vel sementum cui usque rei exordium.

PETRVS Comestor Historiæ Scholasticæ, capite quinto. Et Hugo Carensis in Postillis.

D. Aucutor fundamenta D. Augustini.

Nota, sementis solet dici, antequàm seratur, dum adhuc est in sementicio, idest in horreo; semen, dum seritur; seminium, quando iactum est: solet etiam dici semen hominum, seminum animalium, sementis arborum & herbarum.

b: Quia germina ante semina, non semina ante herbas.

BASILIVS quod hoc loco conspicuè non dixit, Commẽtarijs in caput Isaiæ quartumdecimum diffiniuit.

In Mundi constitutione primùm germina quidem subpullularunt. Semina vtique aliorum, quæ postea eruperunt. Ipsa verò non ex alijs seminibus prodiere, siquidem antiquiora erant his, quæ ex se emicuerunt seminibus.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Germinã duplex generatione modus à Mose traditus.

Simulque notandum, quòd non prima herbarum arborumque germina de semine, sed prodiere de terra.

GLOSSA Ordinaria hæc reassumpsit.

Simulque notandum, quòd non prima herbarum germina, vel arborum genera de semine prodierunt, sed de terra: quia ad vnam iussionem Conditoris apparuit arida herbis compta, nemoribusque vestita, quæ sui generis ex se poma produxerunt, & semina.

Proficiscuntur in hanc sententiam Patres cuncti, qui terram tertio die quasi vnico momento Dei præcepto impellente, virescenti indumento se exornasse, viroresque suos exactos edidisse existimarunt; Tertullianus, Alcimus Auitus, Marius Victor, Proba Falconia, Philo, Ioseph, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, Damascenus, Iunilius, Gregorius Magnus, Petrus Comestor, D. Thomas & alij, quorum catenam iam contexuimus.

AVGVSTINVS, quanquam in præseminata tantùm potestate germina ipsa die tertia progenita fuisse autumet, non ausus est tamen (licet illud suspicari visus sit) semina ante germina procreata fuisse perhibere. Nam de Genesi ad literam libro quinto, capite quarto, exponens illud; In die qua creauit Deus Cœlum, & terram, & omne viride agri antequam esset super terram; cùm diffinisset id interpretandũ non de die æterno, hoc est de Filio, sed de die creationis, hæc tandem adijcit.

Si erat omne viride agri, antequam esset super terram, vbi ergo? An in ipsa terra caussaliter, & rationaliter, sicut in seminibus iam sunt omnia, antequã euoluant quodammodo, atq; explicent incrementa & species suas per numeros temporum? Sed ista semina, quæ videmus, iam super terram sunt, iam exorta sunt: an non erant super terram, sed infra terram: & ideo antequam exorta sunt, facta sunt, quia tunc exorta sunt, cùm semina germinarunt, & accessu incrementorum in auras eruperunt, quod per moras temporum nunc fieri videmus suo cuique generi distributas? Num ergo semina tunc facta sunt, cùm factus est dies, & in ipsis erat omne viride agri & omne fœnum, nondum ea specie qua sunt super terram iam exorta, sed ea in qua sunt in rationibus seminum? Semina ergo primùm terra produxit. Sed non ita Scriptura loquebatur, cùm diceret; Et produxit terra herbã pabuli, vel herbam fœni seminantem semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignũ fructuosum faciens fructum, cuius semen in se secundum genus super terram. His enim verbis magis apparet, semina esse exorta ex herbis & lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra; præsertim quia & ipsa verba

Anno Mūdi primo. Die tertia.

Lignum pomiferum faciens fructum.

a. Hoc est in procera, & perfecta conditione.

Dei sic se habent. Non enim ait; Germinent semina in terra herbam feni, & lignum fructuosum, sed ait; Germinet terra herbam feni seminantem semen, vt semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine.

Tandem etiam concludit, ante germina in terra primùm fuisse producendi virtutē, non autem ipsum semen.

Ex his igitur soluta est ea vulgaris percunctatio: Num plantæ semina præcesserint, Num semina plantas. Perspicuum certè est ex Scripturæ auctoritate, & Patrum placitis, vnico momento Dei iussione, nullo precedente semine, nec solis, aut imbriū ope, plantas primùm productas fuisse semina proferentes.

a. Hoc est, in procera, et perfecta conditione.

PHILO de Mundi opificio.

At syluam è terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, sed maturis refertam, sine dilatione inuitantem ad fruendum affutura mox animalia.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Nam ad vnam Conditoris iussionem, terra, quæ arida apparebat, repente herbis compta, & nemoribus est vestita florentibus: atque hæc continuò sui quæque generis poma ex sese, ac semina produxere. Oportebat enim, vt forma quæque rerum ad imperium Domini primò perfecta procederet, quomodo & homo in se, propter quem omnia facta sunt, in terra perfecta, hoc est iuuenilis ætatis, plasmatus esse credendus est.

GLOSSA Ordinaria pariter prædictis adijcit.

Oportebat enim, vt forma rerum Dei imperio primò perfecta prodiret, quomodo homo, propter quem omnia, iuuenili ætate plasmatus est. Et post. *Omnia creata sunt perfecta, & homo perfectus ætate erat, & arbores cum folijs & fructu. Vnde dicitur hoc lignum pomiferum.*

CAIETANVS Commentarijs in Genesim.

Credimus enim omnia producta esse in statu perfecto, sicut constat hominem productum non infantem sed perfectum. Et in Paradiso terestri constat fuisse arbores cum fructibus à principio.

Patres omnes prænumerati idipsum annuunt. Nulli dubium est, tertia hac die pro
dijsse virescentia quæque in procera atque perfecta consistentia. Sed in dubium reuo-
cari posset, Num fructibus iam maturis essent insignita, necne. Possunt siquidē arbo-
res folijs venustari, floribusq; redolere; possunt, & fructuū gemmas proferre, ad maturi-
tatemque prouehere: possunt & eos maturos exhibere: possunt & virescentes herbæ se-
mina proferre; possunt & arescentes ea emittere. Et tam arbores, quàm plantæ, quan-
quam hæc efficiant diuerso tempore, perfectæ attamen sunt quando virescunt, & flore-
scunt, perinde ac quando arescunt, & maturos fructus ostentant. Philo clarissimè tradit
fructibus non inchoatis, sed maturis arbores fuisse refertas, vt sine dilatione animantes
ipsis frui possent. Cœteri Patrum, & præcipue Iunilius, è contra & herbas virescere, & li-
gna pomis onustari inchoasse diffinit. Ait enim; Patet ex his verbis Dei, quia verno tem-
pore Mundi est perfectus ornatus. In hoc enim solent herbę virentes apparere in terris,
& ligna pomis onustari. Hæc ille. Licet Glossa dixerit, onusta, sed perperam. Nam aliud
est onustari, aliud esse onustum, cùm illud rem dum efficitur, istud vero rem ipsam iam
effectam significet. Arbitrarer ego plantas dum virescerent, dumque semina pro-
ferre inciperent, arboresque dum florescerent, fructusque emitterent, alios extemplo
maturandos, alios vero aliquandiu post secundum arborum naturam, conditas esse.
In hancque sententiam primùm me impellit Mosis textus, qui habet: Germinet terra
herbam virentem, facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum. Si herbam
virentem, igitur non arescentem: si facientem semen, igitur non semine producto: si
arbo-

Num plantæ & arbores maturis fructibus onustę prodierint.

Arbores dū florescerēt, & fructus ederent, apparuere.

Sententiæ huius fundamenta.

arborem pomiferum facientem fructum, igitur non cum fructu abſoluto. Deinde ſi arborũ, & plantarum productio, hominis fabricationi haud diſsimilis, ſed potius affinis cenſenda eſt, ſicuti homo uireſcens, hoc eſt, in iuuenili ætate, & uirgo, aptus tamen ad generandum plaſmatus eſt; pari ratione, & germina uireſcentia, & ad prolem ſe præparantia congerenda erant. Præterea & Mundum verno tempore, quo omnia vireſcunt, & floreſcunt, quàm autumnali, quo cuncta areſcunt, & fructus decidunt, præſtantiorẽ pulchritudinem, & propiorem naſcenti ſpeciem habere clariſsimum eſt. Neque ob id defuit animantibus pabulum, cùm ipſa pauciſsima eſſent, ut pote quod bina, & bina in unaquaq; ſpecie condita apparerent, ut ſuo loco demõſtrabimus; & quia cùm nullũ eorum eſſet carniuorũ, herbis, & pullulantibus germinibus veſci poſſent, & in dies aliqua fructuũ genera matureſcerent, quibus etiam alerentur. Quin & matura eſſent in ea Mundi plaga meridionali, cui autumnale tempus, uertente ſe ſole ad ſigna Borealia, adueniebat. De homine autem eò magis idem iudicium eſt ferendum. Sed de his poſt.

Diluitur quędã obiectio.

Num Mundus autumnali, num verno tempore conditus ſit.

Enarrante Moſe terram Dei imperio herbam uirentem germinaſſe, facientemq; ſemen, & lignum fructum reddens iuxta genus ſuum; excitata eſt perpulchra, ſed certe in aduerſas ſententias diſtracta diſceptatio: Quonam anni tẽpore Mundus proſilierit; An ſcilicet verno, quando omnia nouo apparatu ita uireſcunt, atque floreſcunt, vt deſcribere arduum ſit Terræ iucundum pretioſumq́ue amictum, (ut ait Ambroſius) purpuraſcentes uiolas, candida lilia, rutilantes roſas, rura nunc uarijs, nunc luteis floribus depicta. In quibus neſcit certe homo, an ſpecie florum, an ui odorum magis oblectetur: An potius autumnali tempore, quando arridet fructuum ubertas, fœcundæque matris Telluris partus latè effunduntur, ac impertiuntur. Mundi enim exordium ad æquinoctium uel uernum uel autumnale, Patres omnes Doctoreſq; præter unum recentiſsimũ Gherardum Mercatorem non modici nominis Geographum retulere. Dicam ergo breuiſsime duarum aſſertionum primò fautores, ſecundò fundamenta; Tandem, quid ego cenſeam, explicabo.

Catena Doctorum Mundum autumnali tempore conditum exiſtimantium.

Sententiam hanc apud Hebræos exordium ſumpſiſſe, & apud eos maxime uiguiſſe non eſt dubium, quanquam non omnes ei ſe ſubſcripſerint.

PHILO libro de Mundi Opificio, dum maturis fructibus refertas arbores ab initio procreatas aſſerit, autumnali certè æquinoctio Orbem fuiſſe extructum cenſuiſſe uidetur. Ait nanque.

At in prima huius vniuerſitatis generatione (ut dixi) Deus omnem ſtirpium ſyluam è terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, ſed maturis refertam, ſine dilatioue inuitantem ad fruendum affutura mox animalia.

IOSEPH libro primo, de Antiquitatibus, capite quinto, cùm ab Adam ad diluuij initium (quod in autumnale æquinoctium refert) annos ut completos enumeret, certe & Mundum eo menſe editum uiſus eſt aſſeueraſſe.

Vſque ad hoc tempus ab Adam, qui primus creatus eſt, anni fuere duo millia ſexcenti quinquaginta ſex.

RABBI Eliezer id ſenſit, ut teſtatur Lyranus in Poſtillis.

Dicunt aliqui, videlicet Rabbi Eliezer, & ſui ſequaces, quòd factus eſt menſe Septembri, quando fructus ſunt in arboribus maturi, & habentes ſemina in ſemetipſis: & hæc opinio communius tenetur ab Hebræis tanquam rationabilior, quia ſcriptum eſt Deuteronomij trigeſimoſecundo; Dei perfecta ſunt opera. Vnde ſecundum omnes, homo primus factus eſt in ſtatu perfecto potens generare: tunc enim vnumquodque perfectum eſt, quando poteſt generare ſibi ſimile: & eodem modo videtur dicendum de terræ naſcentibus, quod eſt quando habent in ſeipſis ſemina.

Et Geneſis capite ſeptimo, de menſe quo contigit Diluuij colluuies rem habens, ait. *Rabbi Eliezer, & ſui ſequaces dicunt, quòd iſte ſecundus menſis eſt menſis Octobris, qui Hebraicè nominatur*

tur, marheſuan. Dicunt enim, quòd primus menſis anni eſt Tiſri, qui nobis eſt September, in quo arbores ſunt perfectæ in ſuis fructibus: quia hic productæ ſunt à principio vt patuit ſupra capitulo primo. Et ideo quia Mundus videtur fuiſſe creatus in iſto menſe, ideò dicunt eum eſſe primum ſimpliciter in anno, quia in eo à principio inceperunt anni & menſes.

L Y R A N V S in hanc declinaſſe ſententiam euincitur, cùm ait.

Prima autem opinio communiùs tenetur apud Hebræos, & rationabiliter vt videtur, quia in aliquo genere aliquid benè nominatur primum, non quia ſit primum ſimpliciter, ſed propter aliquem notabilem euentum, ſicut primo Machabæorum primo, primus annus Alexandri magni vocatur primus annus regni Græcorum, propter facta notabilia Alexandri: & tamen ante eum fuerunt plures reges in Græcia. Ita etiam videtur dici de Martio, quòd tunc ſit nominatus primus menſis apud Hebræos, propter exitum eorum de terra Aegypti in illo menſe: & hoc videtur litera ſonare Exodi duodecimo; Dixit quoque Dominus ad Moyſen; Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni: ac ſi diceret; licet de præterito non fuerit primus nominatus, de cætero tamen erit ex cauſſa dicta.

T O S T A T V S in priori parte ſui Defenſorij, capite quartodecimo, refert peritos Hebræorum cenſuiſſe Mundum eſſe creatum vigeſimoquinto die Septembris, & Adam vltimo die eiuſdem menſis formatum: primum autem diem Octobris, qui fuit dies Sabbati, fuiſſe primi anni, ac primi menſis exordium. Nam priores ſex dies ad præcedentem annum, quem ex illis ſex diebus conficiunt, referendos arbitrantur. Et Commentarijs in Geneſim, cùm hinc inde rationes ventilaſſet, his concludit.

Eſt ergo poſitio communior, quòd Mundus inceperit cum menſe Septembri, etiam quia arbores cunctæ fru-
ctus ſuos tunc maturos habebant, quod conuenit Septembri, vt probatum eſt. Falluntur ergo illi, qui dicunt
Solem creatum fuiſſe in primo gradu Arietis, quia hoc eſt in medio Martij. Eſt ergo dicendum, quòd creatus
fuerit circa finem Virginis, vel in principio Libræ, quia hoc eſt circa medium Septembris, quando cunctæ arbo-
res fructus maturos habent.

Elidere autem ſtudet oppoſitæ ſententiæ fundamenta, ſuæ autem munire ijſdem fe
rè argumentationibus, quas ego compendio colligam.

L V S I T A N V S Annotationibus in primum caput Geneſeos, ſententia
quaſi claudicante & titubante his ſuccenturiari viſus eſt.

Colligunt ex hoc loco Hebræi, Mundum in Septembri, quando arbores fructu ſunt plenæ, eſſe productum: li-
tera tamen non cogit ad hoc: quia tamen dicit; Cuius ſemen in eo ſit, videtur, quòd ſemen tunc fuerit in her-
ba & arbore: quod non eſt, niſi poſt fructus maturitatem: quod clarius inferius ex litera deducemus. Inferius
enim herbas & ſemina traduntur homini, & animantibus in cibum: ergò tunc tam arbores, quàm herbæ ha-
bebant fructum: ſiquidem fructus in cibum traditur.

Verùm non leuibus ad hoc ſanciendum commoti ſunt coniectationibus Doctores Sentētię productæ fundamenta.
hi longè eximij, quarum tres vt præcipuas ſeligo. Principium Sæculi id exiſtimādum
eſt, inquiunt, quod apud uetuſtiſſimas nationes, ac Orbis emolitioni proximiores anni
fuit exordium. Primæ nempe ætatis homines, annos ab Orbis initio enumeraſſe, non in- Antiqui & maximè Iudæi annū ab æquinoctio Autumni inchoabant.
ſcienter cenſendum eſt. At antiquiſſimi, ſcilicet Iudæi, Aegyptij, Perſæ, omneſque fe-
rè orientales nationes ab Autumni æquinoctio anni exordium ſumunt: Idipſum igitur
& anni initium fuit. Iudæorum, quod maximè ad rem facit, hoc fuiſſe inſtitutum plu-
ra conuincunt. Primùm clariſſima Scripturæ teſtimonia. Inter cætera ſiquidem, quę Exod. 23.
Dominus populo Iſraël ſeruanda mandauit, hoc quoque interiectum legimus; Solem-
nitatem quoque ages in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. Exod. 34.
Rurſus quoque ſcriptum eſt; Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs fru
gum meſſis tuæ triticeæ, & ſolemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta con-
duntur. Solemnitas hæc feſtum erat tabernaculorum, Autumnali æquinoctio, hoc eſt,
menſe Septembris celebratum. Si igitur circa æquinoctium Autumnale anni exitus
erat, igitur & initium: ea enim eſt ratio anni, vt tanquam ſerpens caudam ſibi ore de-
uoret, hoc eſt fine initium pertingat, cùm annus ſit rapida reuolutio ſolaris motus ab
vno puncto ad eundem in Zodiaco, vt Ptolemæus in Almageſto teſtatur. Alibi quo- Exod. 12.
que ſcribitur; Menſis iſte uobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.
Menſem iſtum Niſan fuiſſe, qui cadit in Vernum tempus, non eſt qui ambigat. Quôd ſi
menſis ille primus conſtituitur ac definitur, deducitur ex hoc, quòd ante illud tempus,
Niſan non fuerit primus anni menſis. Si primus quippe fuiſſet, ut quid nouo præcepto
Moſes promulgaſſet, quod illi ſuapte natura ſemper obſeruaſſent? Deinde ſancitum
fuiſſe apud Hebræos conſtitutumq; Niſan anni initium fore non in Orbis conditi com
memora-

memorationem, sed in excussæ seruitutis, ac vendicatæ libertatis monumentum, clarissimè profectò ex historiæ serie demonstratur. Nam sicut Moses Sabbati obseruationem, ex eo quòd septimo die requieuit Deus à Mundi emolitione, extulerat; consimili ratione certè, & huius mensis principatū ex Orbis conditi præconijs, si eo mense Orbis à Deo conditus fuisset, honestasset, roborassetque.

IOSEPH libro primo Antiquitatum, capite quinto, mirifice id improbat, cùm scribit.

Moses autem Nisan mensem, qui est Xantichus, primum in festiuitatibus definiuit, in quo ex Aegypto Hebræos eduxit. Hic ergo apud eum etiam in cunctis muneribus diuinis valdè pollebat; in venditionibus autem, & emptionibus, & alia gubernatione prioris sæculi decreta seruauit.

Sed amplius, septimi anni, qui erat quietis, & quinquagesimi anni, qui erat Iubilei, initia, autumnali certè non verno tempore desumebantur. Nam si verno tempore annus septimus, & quinquagesimus exordium sumpsisset, fruges, prouentusque terræ anni præcedentis, cùm autumnali tempore maturescerent, eo anno vtique perijssent, nec semina terris mandari in futurum annum potuissent. Quare Dei promissio, quæ ampliorem, vberioremque frugum prouentum eo anno spondebat, nempe pro sexto septimo & octauo anno, eas suffecturas, irrita fuisset, & vana. Aegyptios verò ab eodem æquinoctio anni initium sumpsisse nonnulli auctores contestantur.

IOSEPH citato loco paulò supra cùm inquit.

Contigit quoque hæc passio sexcentesimo anno natiuitatis Noè mense secundo, qui à Macedonibus Dio nuncupatur, ab Hebræis autem Marachat, seu Anmarsuane, qui partim Octobri respondet, & partim Nouembri. Hi enim in Aegypto annū constituerunt.

BEDA Iosepho assensit libro de Ratione temporum, capite trigesimoquarto, scribens.

Annum autem ciuilem, idest solarem, Hebræi ab æquinoctio verno, à solstitio Græci, Egyptij ab autumno, à bruma incipiunt Romani.

Idem institutum apud Persas, & Græcos viguisse, ex tabulis Alphonsinis elicitur. Inefficax igitur argumentum non est, Mundi exordium in æquinoctium autumnale incidisse, si omnes illæ vetustissimæ nationes in ipsa Mundi infantia insigniores, ex Orbis origine sumpta serie, anni ortum autumnalibus mensibus celebrarunt.

HIERONYMVS Commentarijs super caput primum Ezechielis libro primo, Octobrem ex more omnium orientalium nationum primum anni mensem fuisse his asserit.

Apud Orientales enim populos post collectionem frugum & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Ianuarius quartus.

Altera suspicatio, seu ratio, cui hæc sententia maximè innititur, ex Diluuij temporis supputatione excipitur. Traditur siquidem in Scriptura sacra, Diluuium die septima secundi mensis cœpisse. (Gen. 7.) Verùm mensem secundum Nouembrem fuisse astruunt & auctoritas, & ratio. Ioseph siquidem omnium scitissimorum consensu, mensem hunc, secundum fuisse mensem, à Macedonibus Djum, seu Dio appellatum, ab Hebræis Marachat, siue Anmarsuane nuncupatum, qui certè partim Octobri, partim Nouembri respondeat, contestatur. (Antiq. lib. 1. cap. 5.) Ratio idipsum conuincit, nam Deum, cùm disponat omnia suauiter, ad vastissimam aquarum colluuiem emittendam, opportuniorem anni partem nactum fuisse, hyememque ad aquarum inundationes prouehendas sua natura aptiorē selegisse, arbitrari debemus. Quòd si secundo mense ab æquinoctio verno Diluuium incidisset, certè ipsa anni ætate, quæ pluuiarum, ac inundationum funditus expers est, accidisset.

Tertia ac postrema ratio, qua Mundum natalia sua circa autumnale æquinoctium habuisse hæc sententia opinata est, ex specie creatorum germinum, quibus terra vndiq; induta apparebat, depromitur. Compertum est, inquiunt, plantas, arbores à Deo fructibus maturis onustas emersisse: siquidem decuit germina omnino perfecta à Dei manu proficisci; sicut Dei cætera opera expleta absolutaque prodiere, Sol, Luna, stellę, pisces, aues, animalia, homo: cùm enim vnumquodq; tunc perfectum censendū sit, quando nō in augmento, sed in statu consídet, prosiliere arbores eo in statu, quo autumnali tēpore fructibus vberiores consistunt. Igitur & Mundus in ea anni parte conditus est.

PHI-

PHILO de Mundi opificio hoc idem asseuerat cùm ait.

Deus omnem stirpium syluam è terra produxit perfectam, fructibus non inchoatis, sed maturis refertam, sine dilatione inuitantem ad fruendum affutura mox animalia.

Sed quid ipsius Scripturæ contestatione clarius, expressiusq; afferri potest? Ait nanque; Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et post. Gen. 1.
Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semẽ super terram, & uniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Si ergo vniuersa ligna, hoc est arbores, habentia in seipsis semina Deus homini atque animalibus in escam contulit, ac semina arborum præcipue in ipsis fructibus consident, clarissimè elicitur arbores fructibus onustas à Deo procreatas fuisse. Sed exactiùs id deinceps traditur. Adæ siquidem & Euæ his verbis Deus collocutus est; Ex Gen. 2.
omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Euaq; Serpenti interroganti, quorsum ex eo non ederent, respõdit; De fructu verò ligni, quod Gen. 3.
est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus. Subditque eo loco Moses; Vidit ergo mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu, & comedit. Ex quibus perspicuè euincitur, arbores omnes Paradisi fructibus suauissimis, & pulcherrimis refertas fuisse, sicuti & contestatus est Moses, cùm dixit; Produxit Dominus Deus de humo terræ omne lignum pulchrum visu, & ad vescendũ suaue. Quòd si perfectæ, fructibusque onustæ arbores Mundi initio comperiebantur, autumnali tempore, quo naturaliter fructus sunt maturi, Mundum fuisse creatum fateri cogimur. Nam si demus verno tempore arbores fructibus maturis fuisse insignitas, certè vel ita constiterunt ad Autumnũ vsque, & ecce inusitatum excitatum miraculum, cùm id natura ægrè ferat; vel fructus illi deciderunt, & alij pullularunt, & en duo ardua, & quòd frigore non exiccante, vel adurente humidum glutinosum fructus deciderint, & quòd refloruerint post Ver incalescente æstate, quodq; & animantes nouas fruges ieiuni expectarint. Nec asserendũ sub æquatore, sub quo annuo in tempore duplex vigescit ver, & duplex hyems, hæc contigisse; tùm quòd germinũ prolatio æqualis per vniuersum Orbem effecta sit; tùm quòd Adam in Hebron, campo, vt aiunt, Damasceno plasmatus feratur, ab æquatore gradibus fere triginta quinque distante. Sed præter hæc clarissima, Mundum in Autumno exordium sumpsisse naturalis anni lapsus comprobat. Si enim anni finem initiumque ab ordine Naturæ, ac rerũ ipsarum conditione depromere fas est; certe id tempus erit anni finis, quo Natura operationibus suis finem imponit, initium verò, quo ad noua exigenda studium reuocat. At si generationem, corruptionem, ortum, defectumque attenderimus, autumnali tempore cuncta decidere conspiciemus. Decerpuntur enim in autumno fructus, decidunt folia, marcescunt vniuersa. Itidem in autumno semina terræ committuntur, vt illis marcescentibus terra ipsa grauida effecta, procreatisq; radicibus, verno tempore omnia mirifico partu emittat. Finis igitur naturalium rerũ, initiumque enascentium autumnus; ipse anni terminus, exordiumq; ; in ipso quoque Vniuersum hoc principium sumpsisse existimandum est.

Catena arbitrantium Mundum verno tempore conditum fuisse.

Cæterum sententia altera, quæ verno tempore Orbem conditum astruit, longe plures ac insigniores habet propugnatores. Triplicis enim generis auctores, qui eam tutantur, comperio: Poëtas, Astronomos, Patresque Ecclesiasticos. Ex priscis Poëtis edoctus Virgilius ita secundo Georgicorum cecinit.

Non alios prima crescentis origine Mundi
Illuxisse dies, aliumvè habuisse tenorem
Crediderim; Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

MANCINELLVS egregius Virgilij interpres hunc locum explanans inquit.

Plinius scribit, Mundum, quod alio nomine Cœlum appellari libuit, neque genitum, neque interiturum vnquam. Nostri Theologi scribunt, quintodecimo Kalendas Aprilis Mundum creatum fuisse die Solis. Poëta, etiam idem videtur asserere. Ait enim; Ver illud erat, &c.

Cap. 1. Cap. 4. Diodorus siculus rerum antiquarum libro primo, ut ingenuè & luculenter recitat Eusebius de Præparatione Euangelica lib. primo, cùm de origine Mundi agit, calore solis exęstuãte, ac elemẽtis vigescẽtibus res exordiũ traxisse contendit, ex quo Mundi originem uerno tempore non autumno, quo Sole abscedente omnia frigescunt, effectam,
Tex. 13. indicat. Aristoteles primo Cœli, Orientem dixit esse dextrum Cęli, quia inde Cœlum inchoauerat suam conuersionem. Quod tamen sic exponendum duco: Cęlum ex ipsius sententia, neque inde: nec aliunde motum inchoasse unquam: sed si aliquando cieri orsum fuisset, certè non alibi quàm in Oriente lationem suam esset auspicatus. Astronomi omnes motionis cęlestium corporum initium sumunt ab æquinoctio uerno, ex aptiori rebusque accommodatiori ad supputandos annos ratione. Ptolemæus in Quadripartito à primo Arietis gradu (quod orientale signum, in vernali æquinoctio uigens, masculinum, & ignotum esse dicit) principium Veris, innouationis anni, generationis rerum, motusque Cœlorum desumendum edocet. Albategnus libro de locis motuum stellarum, capite vndecimo, ait.

Primi antecessores nostri punctum vernalem plus cæteris aptum initijs intellexerunt. In hoc enim tempore post æqualitatem dies augumentum ineunt, Sol ascensionis initium, vernus medium Cęli septentrionalis ingreditur, caloris vires administrantur. Huius etiam natura temporis humiditate concordans, caloreq́; declinans, initio crescendi rerumque existentiæ assimilatur.

Patres etiam, Ecclesiasticique Doctores ferè omnes, Mundi exordium ad vernum tẽpus referunt, licet plurimi ex eis certum diem, quo Orbis conditus sit, non diffiniant.

BASILIVS Hexæmeron Homilia prima, ex renouatione rerum, quæ vernali tempore celebratur, Mundi exordium inquirendum, his verbis edocet.

Nam discere sanè potes quonam tempore cæpit ortus huiusce Mundi, si ex tempore præsenti retrogressus, generationis Mundi primum diem offendere contenderis: inuenies enim hoc pacto, vnde prima temporis ratio sit exorta.

AMBROSIVS disertissimè Hexæmeron libro primo, capite quarto.

Exodi 12. *Quod æquè etiam de Mundi principio possumus accipere; Mensis hic initium mensium erit vobis: quamuis & de tempore istud accipiatur, quia de Pascha Domini loquebatur, quod veris initio celebratur. In hoc ergo principio mensium Cœlum & terram fecit, quod inde Mundi capi exordium oportebat, vbi erat opportuna omnibus verna temperies. Vnde & annus Mundi imaginem nascentis expressit, vt post hybernas glacies, atque hyemales caligines serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculis Mundi primus exortus, vt ea lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum germina, quo primùm Dominus Deus dixerat; Germinet terra herbam fęni, seminans semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum. Et statim produxit terra herbam fęni, & lignum fructiferum, in quo nobis & moderationis perpetuæ diuina prouidentia, & celeritas terræ germinantis ad æstimationem vernæ suffragatur ætatis. Nam etsi quocunque tempore & Deo iubere promptum fuit, & terræ obedire naturæ, vt inter hybernas glacies & hyemales pruinas, cęlestis imperij fotu germinans terra fętum produceret, non erat tamen dispositionis æternæ, rigido stricta gelu in virides subito fructus laxari arua, atque horrentibus pruinis florulenta misceri. Ergo vt ostenderet Scriptura Veris tempora in constitutione Mundi ait; Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni. Primum mensem, vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri. Neque enim possent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus iniuriam sustinere.*

AVGVSTINVS Quæstionibus ex nouo testamento (quas tamen D. Augustini fœtum esse ambigunt Theologi Louanienses) quæstione quinquagesimaquinta.

Quid causæ fuit, ut illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octauo Kalendas Aprilis pascha acturi erant Iudæi? Omnia proprijs locis & temporibus egit Saluator. Vt enim omnia se voluntate Patris rectè condidisse doceret, tunc voluit passione sua Mundum redimere & reformare, quando eum & creauerat, idest, in æquinoctio, vnde Mundus initium cæpit, & dies super noctem increscere. In regno itaque agens Romano, non nisi octauo Kalendas Aprilis pati debuit, quando æquinoctium habent Romani.

GRE-

GREGORIVS Nazianzenus Oratione secunda in Pascha, quæ est quadragesimasecunda.

Mensis quidem primus, vel mensium potius principium inducitur, siue quispiam ab initio apud Hebræos id fuerit, siue ex ea re postea factus sit, atque ab hoc mysterio hoc acceperit, vt princeps esset.

NICETAS sic celeberrimum Patrem interpretatur.

Scriptum quippè est in Exodo; Mensis hic principium mensium, primus erit vobis &c. Quorum verborum allegoriam perspiciamus. Mensis igitur Paschatis, qui apud Aegyptios Pharmuthi, apud Macedones Xanticbus, apud Hebræos Nisan, apud Romanos Martius vocatur, hic primus in mensibus introducitur, atque decernitur, ac principium mensium anni, fortasse quia iam inde à principio primus ordine erat. Arcanus enim hic apud Hebræos sermo est, hoc tempus esse, quo Deus vniuersam rerum molem condidit. Vernum porrò hoc tempus est, quo terra quoque herbas profert. Quo etiam tempore Hebræi ex Aegypto recesserunt.

HELIAS Cretensis Expositione in Apologeticum.

Quæ prima est oratio, qua tunc quodammodo conuersiones per Solis motum constituuntur, in quas etiam, scilicet, annus diuiditur, de quibus fusius quoque à nobis Oratione de Theologia pertractatum est, quarum prima verna est. Deus enim in ea cuncta procreauit, id quod hinc patet, quòd ad hoc vsque tempus flores in ea anni parte oriantur.

LEO Magnus sermone nono de passione Domini, de paschate Christi disceptans ait.

Nunc ad prænuntiatum festis omnibus festum, sacer nouorum mensis enituit, vt in quo accepit Mundus exordium, in eodem haberet Christiana creatura principium.

THEODORETVS Quæstione septuagesimasecunda in Exodum, quatuor insignes caussas temporis creationis tabernaculorum, quod prima die primi mensis Nisan erigebatur, reddens ait.

Quamobrem prima die primi mensis Deus iussit erigi tabernaculum? Proptereaquòd eodem ferè tempore Deus creaturas condidit. Cuius rei fidem facit arborum germinatio. Germinet, inquit, terra herbam virentem, ferentem semen secundum genus, & similitudinem suam: & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen in ipso sit, ad similitudinem, iuxta genus suum super terram. Incipiente enim Vere, prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de caussa Deus etiam sub idem tempus liberauit populum Israël à seruitute Aegyptiorum. Et Gabriel Arcangelus Sanctæ Virgini Mariæ lætum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Christus Dominus salutarem pertulit passionem. Non immeritò ergo Dominus omnium prima die primi mensis tabernaculum erigere iussit, tùm quòd totius Mundi figuram referebat, tùm vt populus se præpararet ad festum Paschæ, quod primum celebrare lex præcipiebat Iudæis. Tunc quoque primum festum hoc erant celebraturi in deserto. Nam secundus agebatur annus, ex quo vindicati erant à seruitute.

CYRILLVS Hierosolymitanus Catechesi quartadecima.

Quo tempore exurget Saluator, nunquid æstatis tempore, vel alio? In eisdem Canticis, ante illa quæ dicta sunt, statim dixit; Hyems transiit, imber abijt & recessit. Flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit. Cant. 2. *Nunquid non plena nunc est terra floribus, & putantur vineæ? Cernis quomodo apertè & hyemem dixit præteriisse? Aprili enim mense instante, iam Ver est reliquum. Quod tempus est hic mensis apud Hebræos primus, in quo festum Paschæ prioris erat typicæ, nunc verò est veræ, hoc tempus est creationis Mundi. Tunc enim dixit Deus; Producat terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus. Et nunc cernis, quòd deinceps omnis herba seminat. Et sicut tunc Dominus faciens Solem & Lunam, æquinoctiales cursus illis contulit: sic ante paucos dies æquinoctij fuit tempus: tunc dixit Deus; Faciamus hominem ad imaginem nostram, & similitudinem.* Gen. 1. *Et quod quidem erat ad imaginem, retinuit, quod autem ad similitudinem, propter inobedientiam obscurauit. Quo tempore itaque euersio fuit, eodem rursus facta reparatio. Quando creatus homo, non obsequens eiectus est è Paradiso: tunc ille qui credidit, obediens introductus est. Tunc igitur facta est salus, quando & lapsus. Quando flores apparuerunt, & putatio aduenit.*

IRENAEVS aduersus Valentinum libro quinto, cùm mortem Christi ea die contigisse attestetur, qua Adam Deo inobediens factus est, certè anni exordium verno tempore, in quo Christus mortem opetijt, accidisse asseuerauit. Ait enim.

Recapitulans enim vniuersum hominem in se ab initio vsque ad finem, recapitulatus est & mortem eius. Manifestum est itaque, quoniam in illa die mortem sustinuit Dominus obediens patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo: in qua autem mortuus est, in ipsa & manducauit. Dixit enim Deus; In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. Gen. 2. *Hunc itaque diem recapitulans in semetipsum Dominus, venit ad passionem pridie ante Sabbatum, quæ est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est, secundam plasmationem eam quæ est à morte, per suam passionem donans.*

DAMASCENVS libro secundo de Fide Orthodoxa, capite septimo, inquit.

Nam per Solem quatuor temporum versiones, immutationesq; constituuntur: Et prima quidem verna est: in ipsa enim Deus fecit vniuersa: id ostendit, & nunc vsque in ea florum pullulationem fieri, quæ & æquidia versio est, atque æquinoctialis: nam duodecim horarum & diem & noctem æquilibrat.

ATHANASIVS Quæstione decimaseptima, non tantùm verno tempore Mundum inchoasse, sed diem quoque, quo Adam plasmatus fuit à Deo, definit.

Quare vigesimoquinto die mensis Martij in vtero Virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus noster, veniens in terram? Resp. Quia eodem die in Mundi principio Deus creauit Adam. Hinc est, quòd in hoc ipso mense omnes arbores & herbæ, animalia item ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouentur, tanquam à Deo hoc tempore creata sint.

IVNILIVS in Hexæmeron.

Patet ex his verbis Dei, quia verno tempore Mundi est perfectus ornatus. In hoc enim solent herbæ virentes apparere in terra, & ligna pomis onustari.

Hæc & Glossa desumpsit non mutatis verbis, & Bedæ ascripsit. Ac deinceps, cùm declarasset Iunilius, quæ spectabant ad diem quartum, quo emanarunt astra, ipsum esse diem Paschatis edisserit scribens.

Exo. 12. *Factum est vespere, & mane dies quartus. Hæc est vespera illa memoranda, in qua populus Dei in Ægypto in celebrationem Paschæ obtulit agnum: mane, quod primum post excussum longæ seruitutis iugum, cœpto libertatis itinere vidit. Scriptum est, dicente Domino ad Mosem; Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas, & seruabitis eum vsque ad quartumdecimum diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam &c. Qua etiam vespera, ad consummanda paschæ legalis sacramenta, Dominus noster post esum agni typici mysteria nobis sui corporis & sanguinis celebranda denuntiauit, quo lucescente mane, quasi agnus immaculatus suo nos sanguine redimens, à dæmoniacæ dominationis seruitute liberauit. Quæ videlicet Lunæ plenissimæ dies, in creatione Mundi quarta processit. At in tempore Dominicæ passionis altiore gratia sacramenti in quinta Sabbathi incidit, vt videlicet Dominus sexta Sabbati crucifixus, Sabbato ipso in sepulchro quiesceret, ac primam Sabbati sua resurrectione consecraret: nobis quoque in ea, in qua lux facta est, resurgendi à mortuis, ac lucem perpetuam intrandi fidem spemque donaret.*

STRABVS & Rabanus super duodecimum caput Exodi.

Hic est Nisan secundum Hebræos, in quo factus est Mundus, cuius plenilunium post æquinoctium vernale semper est attendendum, in quo populus Israël à seruitute Ægypti liberatur, & genus humanum sanguine Christi à potestate Diaboli eripitur.

ANSELMVS Laudunensis in Glossa Interlineari super Genesim capite trigesimoquinto, commentatus ea verba; Egressus Iacob venit verno tempore, super adiecit;

Quo scilicet Mundus factus est.

GAVDENTIVS Episcopus Brixiensis, in Exodum tractatu primo, de Paschæ obseruatione rem habens, Mundi exordium verno accidisse tẽpore, quo & passionis Domini, resurrectionisque mysteria contigere, his edisserit.

Exo. 12. *Nam veris tempore Deus condidit Mundum. Martio enim mense dixit per Mosem Deus; Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni. Quem mensem verax vbique Deus primum non diceret, nisi primus esset: sicut septimum diem non diceret Sabbatum, nisi Dominicus primus esset. Filius ergo Dei, per quem facta sunt omnia, eodem die eodemque tempore prostratum Mundum propria resurrectione resuscitat, quo eum prius ipse creauerat ex nihilo: vt omnia reformarentur in Christo, quæ in Cœlis sunt, & quæ in terra sunt, quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia, vt ait Apostolus, ipsi gloria in sæcula. Et Post. Vult enim nos Christus promulgator legis, & gratiæ, neque legitimos iuxta Lunæ cursum computatos præterire dies, neque diem suæ resurrectionis ocio ingrato transcendere. Nam sexta feria, qua hominem fecerat, pro eodem passus est: & die Dominica, quæ dicitur in Scripturis prima Sabbati, in qua sumpserat Mundus exordium, resurrexit, vt qui prima die creauit Cœlum & terram (vnde posteà hominem faciens figurauit) prima etiam die omnem repararet hominem, per quem fecerat Mundum.*

APONIVS Commentarijs in Cantica Canticorum libro quarto.

Dominus noster Iesus Christus, post horridam hyemem idololatriæ, & Philosophicam doctrinam, vernum tempus per suam passionem (quod est Pascha nostrum, transitus de morte ad vitam) faciem Mundi, Martyrum, vel omnium sanctorum operum flore decorauit. Quo tempore creata in principio omnis intelligitur creatura, & ipse homo de limo terræ formatus est.

QVINTVS Iulius Hilarion, qui floruit circa annum Domini trecentesimum nonagesimum septimum, libello de Duratione Mundi.

Sed qui iam secundum Euangelicam vocem in fine est constitutus à die octauo Kalendas Aprilis originem

eius Mundi tenentes, quo inchoatum & factum esse, in libello paschali, ratione currente iam exposuimus: & quinque dies sine homine fuisse Mundum, & die sexto finctum & uiuificatum, per Dei flatum, esse narrauimus.

ALBINVS Flaccus Alcuinus cognomento, libro de diuinis officijs sub titulo de Natiuitate Domini.

Aptissimum nanque erat, vt eo tempore Christus esset conceptus, quo Mundus per ipsum factus est, & in quo fructus terræ viuificantur: & in eodem natus, quo crescit longitudo diei, & noctis tenebræ diminuuntur. Et ante. *Conceptus nanque traditur octauo Kalendas Aprilis, à quo supputantur dies ducenti septuagintasex, idest, menses nouem & dies septem, vsque ad octauum Kalendas Ianuarij, quando creditur natus, Sulpitio & Camerino consulibus.*

BEDA libro de temporum ratione, capite quarto.

Quo sanè in loco primus sæculi dies sit, nonnulli quærentes, octauo Kalendarum Aprilium: alij duodecimo Kalendarum suprascriptarum die magis adnotatum putarunt, vno vtrique, hoc est æquinoctij argumento nitentes, quasi rationi congruat, vt quia Deus æquis in principio partibus lucem tenebrasque diuiserit, ibi præcipuè tunc caput Mundi, vbi nunc æquinoctium fieri credatur: benè quidem inquirentes, sed non plenè quod dicerent prouidentes, multò vtique peritiùs acturi, si tempus æquinoctij non primo die quo lux, sed quarto quo luminaria sunt facta, potius assignarent: ibi nanque temporis initium statuit, qui luminaribus conditis dixit; Vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Nam præcedens triduum, vt omnibus visum est, absque vllis horarum dimensionibus, vtpotè necdum factis syderibus, æquali lance lumen tenebrasque pendebat: & quarto demum mane Sol à medio procedens Orientis, horis vmbratim suas per lineas currentibus, æquinoctium quod annuatim seruaretur inchoauit: positus videlicet cùm primò terris oriretur in eo Cœli loco, quem Philosophi quartam partem Arietis appellant, eundemque peracto annuo circuitu, post dies trecentos sexagintaquinque & sex horis repetiturus, cuius argumento quadrantis efficitur, vt ipse vernalis æquinoctij punctus modò mane, modò meridie, modò vespere, modò medio noctis occurrat. Et Post. *Nunc admonere contenti, duodecimo Kalendarum Aprilium die occursum æquinoctij, & ante triduum, hoc est, quintodecimo Kalendarum earundem, primum Sæculi diem esse notandum, cuius ad indicium primitùs ibi reor antiquos initium Zodiaci circuli voluisse præfigere. Neque enim illa die vel Romanorum, vel Grecorum, vel certè Aegyptiorum mensis annusvè, cuius hoc caussa fieret, oritur: sed nec ab his gentibus, quamuis se Græci iactitent, verùm ab antiquioribus Chaldæorum Astrologia cæpit, à quibus Abraham Patriarcha, vt Iosephus testatur, edoctus, ut Deum Cęli syderumque conuersione cognouit, ipsam mox disciplinam veraciùs intellectam Aegyptiorum genti aduexit, cùm apud eos exularet. Nam & in libro beati Iob, qui non longè post Abraham extitit, mazaroth, idest, signa horoscopi legimus.*

RVPERTVS de diuinis officijs libro septimo, capite quinto.

Sed ipsum tempus anni primum, idest vernum eidem congruit similitudini, quo non solum in exitu Israel de Aegypto sanguis agni restitutio fuit libertatis, sed & totus Mundus initium suæ sumpsit creationis. Vnde magnus Leo dixit; Nunc ad prænunciatum festis omnibus festum, sacer nouorum mensis enituit, vt in quo accepit Mundus exordium, in eodem haberet christiana creatura principium.

SYNODVS Victoris Papæ iussu à Theophilo Episcopo Cesariense ad definiendũ diem paschatis coacta, Beda teste libro de Aequinoctio vernali, hæc habet.

Ecce de die dominico, quia primus sit probastis de tempore enim quid dicitis? Quatuor enim Mundi tempora accipiuntur. Ver, Aestas, Autumnus, Hyems. Quod ergo tempus primum factum in Mundo? Episcopi responderunt, Vernum. Theophilus Episcopus dixit; Probate quod dicitis. Et illi responderunt; Scriptum est; Germinet terra fœni herbam secundum genus suum, & lignum fructiferum ferens fructum suum. Hæc autem temporibus Veris accipitur. Theophilus Episcopus dixit. In quo loco caput Mundi esse creditis? in principio temporis, an in medio tempore, aut in fine? Episcopi responderunt; In Aequinoctio octauo Kalendarum Aprilium. Theophilus Episcopus dixit. Probate quod dicitis. Et illi responderunt; Scriptum est quia fecit Deus lucem, & creauit Deus lucem diem, & fecit Deus tenebras, & vocauit tenebras noctem, & diuisit inter lucem, & tenebras æquas partes.

PETRVS Comestor Scholasticæ Historiæ capite quinto.

Notandum quòd dictum est, Virentem. Quidam dicunt Mundum in Vere factum, quia viror illius temporis est, & fructificatio. Alij, quia legunt; Lignum faciens fructum, Et additum: herbam habentem semen factum, dictum in Augusto sub Leone. Sed in Martio factum dogmatizat Ecclesia.

HVGO Carensis in Postillis.

Ex Germinibus ferentibus fructus multi autumant Mundum factum in autumno, sed in uere creditur creatus, & recreatus.

RABBINORVM nonnulli, teste Lyrano in caput primum Genesis, à suis deficientes, nostris subscripserunt.

Item notandum, quod ex eo quod dicitur; Germinet terra herbam virentem, dicunt aliqui Hebræi, videlicet Rabbi Iosue, & sui sequaces, quòd Mundus factus fuit in mense Martio, quando terra incipit germinare herbas,

bas, &c. Vnde & Exodi duodecimo, Martius uocatur primus mensis. Ex hoc autem quod subditur; Et protulit terra herbam virentem & facientem semen.

Argumenta sententiā istā confirmātia.

Sententia hæc vti præclarissimorum Patrum, ac propugnatorum numero, auctoritate & dignitate præstantior est: ita & numero ac pondere argumentorū firmior omnino probatiorque censetur. Principiò nanque huic assertioni maximè astipulatur prisca Poëtarum & nationum Theologia, quæ Mundi exordium ex inexplicabili quadam naturali ratione verno ascripsit. Deinde, quoniam si Mundus vt animal exorsus est suam motionem, certè ab ortu, vt senserunt Philosophi, atque in Ariete, non in Libra, eam auspicatus est. Amplius ex Cœli positura id euincitur: siquidem perspectum est, vernum æquinoctium magis Mundi exordio esse adaptatum, quàm autumnale, eò quòd generationi sit magis fauorabile, ut Ptolemæus, & Albategnus edisserebant. Rursum, quoniam magis ea anni pars, Ver scilicet, Mundi nouitatē, priscamq; & florescētē emolitionē præfingat, vt adnotarunt Basilius, Ambrosius, Theodoretus, Damascenus. In ipso etenim omnis creatura rediuiua lætatur, & vniuersa animalia secundū genus suū cooperātur ad fœtus, & ingrauidata cubilia construūt, & aues nidos cōponunt: In ipso purpurascētes violę, cādida lilia, rutilantes rosæ, viridātibus pāpinis amictæ uineæ, ruraq; nūc aureis, nunc varijs, nunc luteis coloribus depicta cernuntur. Quid plura? In ipso reuiuiscit Mundus, calescit aqua, tepescit aër, virescit terra, florescunt omnia, nouusque anni apparatus nouum ac vigescentem Mundum quotannis repręsentat, vt nouas & indefessas semper Deo grates rependamus. Accedit alia non leuis coniectatio. Sicut enim Christus Dominus noster, verno tempore hominem redemit, & Mundum restaurauit, ita & verno tempore plasmatum hominem, Mundunque conditum consentaneū est asseuerare; vt conditi reparatique Orbis, & hominis tempora, sic ineffabili Dei sapientia disponente, coincidant, vt quo tempore effecta est hominis salus, eodem etiā factus credatur & lapsus. Quod adnotarunt ex Patribus Theodoretus, Athanasius, Rabanus, Strabus, Beda, & Synodus Theophili Cesariensis Episcopi, Victoris Papæ iussu cōgregata. Adhuc & delatæ pro prima sententia rationes, à Patribus ad suam fulciendam rapiuntur.

Ver Mundi exordiū maxime indicat.

AMBROSIVS enim libro primo Hexæmeron, capite quarto, vt supra referebamus, hæc habet.

Exodi 12.

Vt ostenderet quippe Scriptura, Veris tempora in constitutione Mundi, ait: Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis in mensibus anni: primum mensem, vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni, principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri.

Quasi suspicetur Ambrosius, Hebræis indixisse Deum, vt annum à mense Nisan inchoarent, quòd apud maiores eorū antiquam primæuamque anni supputationem ab initio Mundi sumptam, & tunc obliuioni mandatam, rursus instaurare voluerit. Ex quibus consequitur, secundum mensem, in quo incidit Cataclysmus, non Octobrem (vt existimauit Ioseph) sed potius Aprilem fuisse, vel Maium, qui secundus cadit in supputatione ea, qua annum ab æquinoctio verno exordimur. Tandem, quòd Mosis enarratio quæ habet; Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum faciens fructum, apertè Veris tempus, non Autumnum exprimat, cùm singulare sit Veris herbam virentem non arescentem proferre, semina in herbis condere, fructus educere; vti Autumno herbæ arescunt, non virent, semina iam cecidere, fructusque non erumpunt, sed decerpuntur. Quæ Ambrosius, ac Iunilius præcipuè animaduerterunt. Non prætermittam à Theodoreto animaduersam allegoriam. Deum prima die primi Mensis Tabernaculum erigi iussisse, vt hac figura Mundus eo tempore conditus nosceretur.

Sententia Mundum Iulio Mense congestum tradens.

Gherardus Mercator suæ Chronologiæ initio, Iulio mense Mundum prosilijsse ex sacra Scriptura in hunc modum elicit. Priscæ Mundi ætates usque ad Noè, non aliā anni supputationem, quàm ipsam ab Adam vsque ductam sequuti sunt. Sed tempore Noè anni initium à mense Iulio desumi, perspicuum est ex Scriptura: igitur coniectandum, & hunc ipsum fuisse ab initio Sæculi ritum, & vsum. Traditur siquidem in sacra Genesis historia, columbam uigesimoquarto die mēsis vndecimi, ramusculum oliuæ virentem detu-

detulisse in arcam. Et Plinius pariter tradit oleam cum vite germinare, & concipere virgiliarum exortu, hoc est, mediam Tauri partem occupante Sole, florere autem solstitio. Et quanquam hæc dixerit Plinius respectu sui climatis Romani, id tamen etiam loco illi, in quo quieuit arca, adaptari posse censendum est; eò quòd Gordicus Armeniæ Mons, in quo arca insedisse traditur, eandem ferè habeat latitudinem, quemadmodum adnotauit etiam Pererius. Respondet igitur mensis ille vndecimus signo Geminorum, quare & duodecimus Cancri pariter signo. Vnde primum mensem, Sole tunc Leonis signum permeante, in mensem Iulium cadere conspicuum est. Adijcit quoque Gherardus, Aegyptios (referente Solino) tempus id, quo Sol Leonis signum ingreditur, natalis Mundi tempus existimasse.

Lib. 16. cap. 25.

Cap. 35.

Authoris iudicium.

Non possum, cùm meam sententiam referre cogor, à Patrum placitis recedere. Ante omnia autem reijcienda mihi est hæc Mercatoris sententia. Primùm, quòd singularis sit contra omnium tùm priscorum, tùm nuperorum assertiones, qui in alterum æquinoctiorum, seu Vernum, seu Autumnale, anni initium referendum non immeritò arbitrantur. Neque verisimilitudinem vllam certè gerit, Solis enascentis sedem, quando primùm vti lampas Orbem illustrauit, alio vspiam in loco quàm in æquatore constitisse. Nec facilè mihi persuaderi potest, in æstatis ferè consistentia Mundum conditũ esse, cùm terra in sui exordio proferret herbam virentem, & in æstate terra ipsa arescat. Neque inspicio, quòd ex priscarum nationum vsu à media æstate anni initium desumptum fuerit. Nulla quoque historia prodit, Hebræos hoc institutum vnquam, seu ex maiorum suorum, vel Aegyptiorum traditione, seu etiam ex Dei præcepto sequutos. Nec rursum intueor, quomodo Patres omnes, Doctoresque tùm Hebræi, tùm nostri hanc non penetrarint nuperrime excitatam, excogitatamque sententiam. Neque coniectatio illa, quam protulit Mercator, de uirenti oleæ ramusculo, id cumulatè demonstrat. Primùm enim inconsentaneum non est, oleam, arboresque illas, quas in hyeme uirescere, nec folia demittere conspicimus, tempore Diluuij frondes, & frondium virorem retinuisse. Si enim non retinuere, qui fieri potuit, ut septem dierum tempore olea frondescere, uel aquis demersa germinandi vim exerere quiuerit? Amplius Diluuij mensium supputatio, Nùm ab initio Diluuij ipsius; Nùm ab anno Noè, An verò ab ipsomet anni exordio, in sacra Genesis narratione sit capienda, adhuc sub iudice lis est. Aegyptios (ut refert Solinus) natalis Mundi exordium ad tempus, quando Sol Leonis signum ingreditur, retulisse, non certum est, nec exploratum; cùm potius Aegyptios Mosis tempestate ab æquinoctio autumnali annum deduxisse Iosephus libro primo Iudaicarum Antiquitatum attestetur. Censeo igitur ad unum, uel alterum æquinoctium redigendũ esse anni primæui exordium. Sciscitantibus autem, quonam æquinoctio, an uerno, an autumnali Mundus prodierit, responderem ego, & uerno, & autumnali. Deum enim Solem in æquatore quasi in insigniori Cœli parte locasse, diffiniere Patres, Doctoresque ferè omnes. Sole uerò in primo Arietis, uel Libræ puncto in æquatore constituto, ad alteram, seu Borealem, seu Australem plagam ipsum deinde secedere operæpretium fuit; quocunque autem se Sol uerterit, perspicuum certè est, accessu vernum tempus, recessu autumnale peperisse. Partis igitur respectu ad quam accessus erat Solis, Veris tempus effectum est, uernoque tempore Mundus conditus dici potuit; sicuti & parti alteri, à qua recessurus erat, Autumnale tempus redditum est. Quòd si de præcipua illa regione, in qua Adam plasmatum fuisse, Paradisum consitum, humanæ sobolis prosapiam propagatam arbitramur, id exposcatur; censeo Solem ipsi Ver detulisse, cùm ut dicebamus, Mundi dextrum Oriens sit, in ipsumque Sol conscenderit ex sede in Ariete coruscantissima. Quapropter non potuerit non ad nos accedere, faciemque aureo fulgore radiantem nobis primùm exhibere. Terra deinde in Boreali parte magis extenditur, & latior est, quàm in Australibus regionibus; nam Europæ, ac Asiæ ferè totum concludit ambitum, & plantarum, arborum, auium, animalium, copia in ea vberior, humanaque proles in hac longè magis aucta spectatur, & vrbes, regnaq; clariora,

Mercatoris sententia reprobatur.

Mercatoris argumenta diluuntur.

Cap. 5.

Mundus & vere & autumno conditus dici potest.

Mũdus, quãtum ad regionem vbi Adã plasmatus fuit, verno tempore conditus est.

clariora, disciplinarum, artiumque omnium eruditione præstantiora continẽtur. Promeruere igitur Cœlum & terra, ut ad hanc partem Hemisphærij nostri, Sol se primò conuerteret. Promeruere humanæ prosapiæ dignitas, primaque specierum indiuidua in hoc climate producta, vt, quò mira fœcunditate Mundũ explerent, statim post emolitionem suam amenissimum potius veris tempus hilari iucũditate experirentur; quàm post breuis autumni temperiem, in asperam, horridamque hyemem collaberentur. Acceptiorem amplius mihi facit hanc sententiam tantorum Patrum authoritas, quæ apud me summi semper est ponderis, & quam semper plurimi facio; maximè quòd uideam ipsos quoque Hebræos in uarias distractos sententias, plurimosque ex eis à suis desiscentes ad nostros sese animo lubenti recipere. Accedit, quòd rationes à primæ sententiæ propugnatoribus delatæ, exiguum eorum assertioni, maximumque nostræ suffragium & auxilium ferant. Primùm, quam priscæ orientales nationes, quæ post Diluuij tempestatem ut uetustiores & illustriores celebrantur, enumerandi anni seriem habuerint, comperiri non video. Chaldæi omnium nationum vetustissimi, à quo tempore anno suo exordium darent, non est exploratum. Arabes media æstate, Sole in Leone Orbem lustrante, anni caput excepisse, Macrobius & Iulius Firmicus testantur. Aegyptios ab æquinoctio autumnali annum suum inchoasse uoluit Ioseph libro primo Antiquitatum. Hebræi, apud quos gestarum rerum ante Diluuium monumenta præcipuè reseruabantur, quod anni exordium à Diluuio ad ingressum in Aegyptum vsq; habuerint, non est compertum, nec exploratum: Num scilicet peculiare institutum sibi sanciuerint, nùm nationum earum, quas peruagati sunt, usum obseruauerint. Porrò in Aegypto Aegyptiorum ritum sibi assumpsisse, quo exordium anni æquinoctiũ autumnale constituebant, clarissimè contestatus est Ioseph loco asserto, (si venerabilis Ruffini Aquileiensis eruditissimi viri editionem prosequamur.) Hi enim (hoc est Hebræi) inquit Ioseph, in Aegypto annum constituerunt. Cæterum ab egressu Aegypti duplicẽ eos prosequutos fuisse annorum seriem, perspicuè ex Scripturis decerpitur. Alteram, qua initiũ anni ab æquinoctio uerno sumebant, ex uendicatæ libertatis monumento. Siquidẽ hanc Moses Dei iussu uel instituit, uel obliuioni traditã restaurauit; qñ Hebræis hoc indixit præceptũ; Mensis iste (scilicet Nisan) uobis erit principium mensium, primus erit in mensibus anni: secundum quã supputationem solemnitates celebrabant; Ab isto enim mense exordiũ sumentes calculatis mẽsibus, mense tertio Hebdomadarũ, hoc est Pentecostes, & mense septimo, Tubarum dies festos agebant, qua etiã mensium computationis serie, Principũ, Regumque gesta insigniora scriptis mandabantur. Qua pariter serie, mirifica ac toti Orbi admiranda celeberrimi templi structura cõputatur. Num autem ea anni supputatio promulgata à Mose fuerit vendicatæ libertatis monumentum; An uetustorũ potius rituum ipsorum, & usus, iã in Aegypto deperditorũ, & immutatorũ restauratio, variæ sunt Doctorũ suspiciones, nec certa ulla diffinitio. Meritoque cum Ioseph, ac Rabbinis plurimis, Diuo Ambrosio, & alijs non modicis Patribus, Mosem Dei iussu priscum uetustumque Adæ, & sæculi illius primæui vsque ad Cataclysmum Noè, immo vsque ad ingressum Aegyptum, anni vsum restaurasse censendum duco: vsum inquam eum, quo Archipatres à verno æquinoctio annum auspicari consueuerant. Alteram obseruarunt supputationis seriem Hebræi, qua ab æquinoctio autumnali ex Aegyptiaco more anni exordium capiebant, quando senescente anno in Autumno cuncta reconduntur. Qua serie computabatur & septimus annus, quo requies terræ condonabatur, & Iubilei annus, qui apud eos quinquagesimo quoque anno celebrabatur. Hancque anni constitutionem ea ducti necessitate obseruabant, ne fruges prouentusque terræ proijcerentur. Quibus ita vti fundamentis iactis, hæc nobis explorata, perspicuaque apparent. Primò ex priscarum nationũ vsu in annis supputandis minimè nobis diffiniendũ esse præfinitũ tempus, quo Mundus cõditus sit: tùm quòd admodum aduersum, ac discrepans eorum fuerit institutum; tùm quòd de ante actis rebus ante Diluuium nulla prorsus extiterit certa apud eos historia, aut traditio. At si secundo loco ex Hebræorum vsitato anni exordio tempus Orbis cõditi carpere voluerimus, vel nulla aderit certa illatio, cùm non exacte constet, à qua anni parte Hebræi ante Aegypti ingressum annum enumerarint, licet in Aegypto Aegyptiorum

Argumenta alterius sentẽtiæ eliduntur.

Lib. de somno Scip. li. 3. Cap. 5.

Hebræi duplicẽ in computandis annis seriem habebant.

Exod. 12.

3. Reg. 6.

Ex gentium vsu non potest percipi, quo tempore Mũdus sit creatus. Neque etiam ex Hebræorũ vsu.

ptiorum instituto adhæserint, ab Aequinoctioque autumnali anni circulum deduxerint: vel præceptum à Mose indictum ad restaurandum, rememorandumque anni Sæculi ritum promulgatum fuisse, meritò suspicari poterimus.

Sed quorsum (aduersarij inquiũt) si Mũdus in Aequinoctio verni genitus est, Moses ad honestandum muniendumq; Dei mandatum, quo anni supputationem commutauit, non fabrefacti Mundi tempus recensuit, sicuti ad præceptum de sabbati obseruatione extollendum, in memoriam reuocauit, quòd Deus quieuerit in illo ab omni opere quod patrarat, quòd ipsum benedixerit, & sanctificauerit. Ex eo arbitror ego, contigisse, quia non difficile admodum Hebræis recens anni institutum apparuerit: sed facile prorsus veluti ex traditionibus maiorum agnitum, atque ex eorum instituto gratum, vel ex præcepti lenitate suaue visũ sit. E cõtra cùm sabbati cultus difficilis eis, ac grauis, recensq; omnino videretur, necesse fuit, vt præceptum istud plurimorum Dei in ipsos beneficiorum memoratione muniretur, atque efferretur. Ex his igitur colligi manifestè potest, annorum à priscis nationibus enumerationem obseruatam, non aduersariorum magis, quàm nostræ astipulari sententiæ. Idipsum pariter dici posse existimo ad excerptam ex Diluuij tempore anni supputationem. Illius siquidem anni seriem, qua primus, secundus, septimus, decimus, & vndecimus mensis numeratur, non ex consueta anni Mundi supputatione, sed ex Noè vita desumptam esse, clarissimè contestatur Scriptura Moses enim scribit, anno sexcentesimo Noè, mense secundo, Cataclysmum accidisse, & Ioseph antiquitatum libro primo eidem subscribit, dum ait; Contigit vastitas Diluuij anno ætatis Noè de mense secundo. Sed Noè vitam non ita ad amussim Mundi annos in sequutam esse, vt idem omnino esset & Noè vitæ, & Mundi annorum initium, arbitror: cùm mos fuerit Scripturę, reiectis diebus mensibusque, annos Patrum crassa tantùm computatione recensere. Nonnulli quoque (nec inscienter forsan) non ab exordio decurrentis anni, sed ab initio Cataclysmi menses illos numerari tradiderunt. Verùm admittamus Diluuium secundo mense anni Mundi contigisse: quid si secundum mensem non Octobrem, seu Nouembrem, sed potius Aprilem, vel Maiũ fuisse autumauerimus? Siquidem Moses mensem non nominat, ex illiusque narratione annum quidem duodecim mensibus constare, non autem quis mensiũ fuerit anni exordium, ostendi potest. Nec Ioseph textui magna adhibenda est fides, cùm in pluribus maximè circa temporum supputationes mendosus noscatur. Adijciam, quòd certa quadam coniectura Diluuij colluuionem magis circa vernum Aequinoctium inchoasse, finijsseq;, quàm circa Autumnale, opinari & asseuerare possimus. Moses enim Cataclysmum illum per annum ferè terram obruisse, ac post annum completum vix exiccatam terram tantùm apparuisse tradit. Scribit siquidem; Anno sexcentesimo vitæ Noè, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ Cęli apertæ sunt: & factæ est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Et postea; Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram. Et infra; Mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis, arefacta est terra. Quapropter si a die, qua eruperunt omnes fontes abyssi magnæ, & catharactæ Cęli apertę sunt, quæ fuit decimaseptima mensis secundi anni sexcentesimi, ad diem vigesimumseptimum mensis secundi sexcentesimi primi anni, tempus supputauerimus, annũ, & decem dies delapsos animaduertemus. Consentaneum igitur magis fortè censeri posset, quòd anni sexcentesimi Noè, secundo mense, hoc est Maio, eo tempore, quo solutis niuibus turgida flumina per apertos campos expatiata ruunt, Diluuium inceperit, quadraginta diebus excreuerit, centum quinquaginta diebus, mensibus scilicet quinque, aquæ terram obtinuerint vsque ad decimum mensem, nec vsque ad secundum mensem sequẽtis anni denudata apparuerit terra, atq; tamdiu immoratę fuerint aquæ, quousque Sol maiores, ac efficaciores uires ad exiccandam tellurem acquireret: quàm asseuerare, quòd Octobri, vel Nouembri mensibus, quando flumina gelu conglaciantur niuesque super altissimos montes concretę consident, aquarum diluuies inchoarit, integraque æstate cõstiterit, superueniente deinceps Autumno, Soleque à climate hoc nostro, sub quo terræ continentis latitudo maior protrahitur, abscedente, terra exiccata fuerit. Pręterea immensa illa aquarum affluentia,

Menses in diluuio recensiti quomodo supputentur.

Gen. 7.

Cap. 5.

Diluuiũ quo anni tempore contigerit

Gen. 7.

Gen. 8.

si non cuncta germina, nempe ea, quæ semper virent, strauit vel deiecit, exiles saltem plantas, debilesq; segetes deuastauit: & si æquinoctio autumnali finita est, sequutaque est hyems, quo pacto reflorescere Mūdus potuit? quomodo germina, herbæ, arboresq; suos exhibere fructus, & animalia bina, & septena egressa ex arca ali potuere? Sed hæc fusiùs suo loco repetenda erunt. Postremum, quod adducebatur non inefficax certe argumentū ex ea Mosis narratione; Producat terra herbam virentem, facientē &c. assumptum nostrum munire facile demonstrabo. Commentantes nonnulli ex nostris hunc locum, ipso vere prisci omnium anni arbores fructibus nō acerbis sed maturis singulari ex priuilegio refertos fuisse admittunt: At vereor ne labascat, parumq; consistat hoc ferè vulgatum placitum. Redarguunt enim ipsum acerrime nuperorum aliqui, inquiruntque, quid de ipsis fructibus actum sit. Nam vel deciderunt, vel ad Autumnum vsq;, etiam torrente Solis flagrantia, in æstate perstiterunt. Quòd si deciderunt, vel arbores repullularunt, nouosque fructus ediderunt, atque ita duplicem fructum primus annus protulit, quod miraculum sapit: si vero non refloruerunt, nec iterum gemmarunt, neque alios protulere fructus; igitur & arbores, & secundæ caussæ primo anno otiosæ perstitere. Nec inepta est meo iudicio redargutio ista. Nam sicut in ipsa sex dierum emolitione omnia miraculose Dei summa potentia congesta fuisse nouimus, ita constituta natura post septimum diem nullum superstitisse miraculum censendum est. Quapropter ex ante dictis satisfacerem ego, ac dicerem, quòd ea dispositione Mundus conditus est, qua Sol in Arietis signo genitus nostræ Boreali regioni Ver, deinde æstatem suo accessu contulit, Australi vero suo recessu autumnum primùm, & post hyemē peperit. Quare & illa fructus autumno connaturales, consuetosque, & nostra flores protulit, semina, & fructus illos, qui vere, & æstate præberi solent. Nec Mosis historia aliud indicat, dum dicit; Germinet terra herbam virentem &c. cùm aliud profectò sit, vt dicebamus, virescere, semen emittere, & gemmare, seu fructus emittere; aliud arescere, & fructus maturos habere: illud nanque tempore veris contingit, nā maior pars arborum verno tempore semina proferūt, fructus edunt, vt æstate maturescant, & Autumno decerpantur. Quamuis & germina nonnulla fructus suos in æstate, quinimmo in initio æstatis maturos præbere experiamur. Sed quomodo, inquiunt aduersarij, auiū, animantiumque prima soboles hoc in nostro climate, in quo condita erant, floribus, & tam exigua fructuum copia ali poterant? Satisfacio. Primùm potuisse eam Dei vocē; Producat terra &c. in Mundi climate aduerso, meridianoque, vel in regionibus sub æquatore sitis, in quibus duplex tùm Ver, tùm Autumnus viget, prima rerum indiuidua protulisse; At si ea tantùm in nostro climate producta quis censere maluerit, censebit etiam paruum eorum numerum fuisse, vt etiam Patres sensisse post demonstrabimus, eaque non tantùm fructibus, sed folijs ac herbis vesci opipare potuisse. Si adhuc vrgebunt, decuisse Deum, arbores, plantasque absolutas, & perfectas, sicuti & cætera protulisse: Assero quantum ad substantiam, proceritatem, atque amplitudinem, absolutas eas creasse, licet non fructibus maturis decoratas effecerit; cùm illorum maturitas ad perfectionem arborum non pertineat. Quorsum enim plantæ, arbores, dum florescunt, & quasi pubescente ætate fructus emittunt, & semina proferunt, imperfectiores censendæ sunt se ipsis, dum fructibus maturis onustæ senescunt, hyemisque algore expoliari coguntur? Sed quid asserendum de arboribus Paradisi terrestris? eos siquidem fructus suauissimos gestasse clarissime conuincit sacra Scriptura illis verbis; Produxitque Dominus Deus de humo omnę lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue; lignum etiam uitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali. Et post. Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ex omni ligno Paradisi? Omne igitur lignum fructibus honestatum erat, suaq; pulchritudine & copia Protoparentes ad uescendum inuitabat, compellebatque; nam id etiam, & loci amenitas, hominisque dignitas expetebant. Non una & eadem est huius difficultatis diffinitio, vt suo loco exactiùs deducemus. Sensere nonnulli Paradisum terrestrem sub æquatore, seu inter duo Tropica situm fuisse, qua in plaga binos frugum prouentus, uerno & autumnali tempore, ex duplici illis æstate ac hyeme contingente, enasci compertum est; ut de India tradit Plinius, & de Traprobana insula Solinus, ac de terris sub æquatore omnes Cosmo-

Plantæ nunquid cū maturis fructibus creatæ sint.

Animantia & aues quomodo alebantur cùm nō adessent maturi fructus.

Auiū & animantiū paruus in primordio numerus.

Plantæ ęquè perfectæ floribus perinde ac fructibus ditatæ Paradisi plantæ num cum fructibus cōditę.
Gen 2.
Gen. 3.

Cosmographi. Sed dubia responsio hæc videri potest: cùm de Paradisi terrestris loco nondum sententia lata sit, nec iudicium pronuntiatum: An scilicet inter Tropica extarit; An in Orientalibus quibusdã insulis ab Asia vastissimo pelago seiunctis; An circa tropicũ cãcri; An in Palęstina vel Mesopotamia; quod nos vberius suo loco disputabimus. Asserunt alij in Orbis initio arbores in Paradiso terrestri saltẽ fuisse fructibus onustas; sed vel his sublatis ex naturali virtute alios mox repullulasse, quę post ęstate maturarũt; & demum autumno deciderunt; vel Dei opificis virtute eos vsque ad autumnum seruatos fuisse. Sed hæc assertio ea incommoda offendit, quæ supra aduersarij nobis obijciebant, vel nimia libertate miraculis abutitur, & innititur. Primus siquidem modus duo astruit naturæ aduersa, violentaq́; ; Alterum, quòd illi fructus ex se deciderint; alterum, quòd mox alij emissi fuerint: cùm id sit institutum naturæ, vt tantùm frigore exiccante, adurenteque humorem tenuem, & glutinosum, fructus discindantur, & decidant; & humido copioso in hyeme concepto, redeũte Solis efficaciori virtute, Vere pullulent; quæ autumnali, non verno tempore contingere non ignoramus. Alter verò modus nõ minoris negotij miraculum cõcludit, cùm fructus iam enatos, æstate ad Autumnũ vsq; incorruptos constitisse tradat. Si autem ad miracula confugere in Mundi emolitione indecens erat, vt supra ex D. Augustini auctoritate demonstrabamus: quãtò magis post naturã constitutam, atq; Mundum absolutum? Quapropter existimarem ego, & fortè non inscienter, plantarum, olerum, arborumque genera in Paradiso terrestri fuisse præstantissima, tùm Dei in eo emoliendo cura, tùm climatis suauitate, tùm soli amenitate, & fœcunditate. Cùm autem arborum aliæ verno, aliæ æstate, aliæ autumno fructus suos maturent, & aliæ tùm verno tempore, tùm autumno, ceu quæ semper virescunt, & dum verno tempore fructus præbent, etiam flores mirè redolentes exerunt: arbitror omniũ generum arbores in Paradiso extitisse, nõnullosq́; fructus gestasse, quibus vesci poterãt Adam, & Eua, vsque dum alij ad maturitatem peruenirent. Et quanquam Deus Adæ dixerit; Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: non interpretandum ob id omne lignum fructum habuisse, sed Deum Adæ concessisse, vt de omnibus lignis fructum stato tempore exhibentibus edere posset, vno excepto ligno scientiæ boni & mali. Extra Paradisum autẽ etiam vsq; ad autumnũ homini non defuisse commeatus vbertatem duco, tùm propter herbarum seminumque copiam, quę ante Diluuium eximiæ erant virtutis ad alendum, tùm etiam propter affluentiam fructuum earum arborum, quæ in vere, ac in æstatis initio fructum præbent, maximè in locis calidis, ac humidis, vti loca circa Paradisum fuisse consentaneũ est arbitrari.

Paradisi arbores prǫstãtissimæ & variæ, varioq́; tempore fructus edebant.

Superest tandẽ, vt pro elidẽda & effringenda quarta ratione ab aduersarijs producta disceptemus, quænam anni pars fuerit Orbis natalibus conuenientior, aptiorque: An autumnus, An Ver. Sed facilè hæc lis sedari, diffinirique potest. Primùm Autumnũ tempus esse corruptioni, Ver autem generationi propitiũ, vniuersi Philosophi diiudicarũt, & meritò: nam rerum generatio ex Solis accessu, qui fit in Vere, corruptio verò ex eiusdem discessu, qui in Autumno contingit, efficiuntur. Deinde vernum tẽpus temperate calidum ac humidum, Autumnale autem frigidũ, & siccũ extare, omnes Philosophi attestantur ex eo, quòd verno tempore signũ Arietis, quod est masculinũ, fœcundũ, propitium, igneumq́;, in Autumno autẽ signa imbecillia magis ad interitũ, quàm ad vitam impellentia vigeant. Tandem si quatuor hominis ætates, Iuuentus, Virilitas, Senectus, Decrepitas, quatuor anni partibus, Veri, Aestati, Autumno, Hyemiq́; cõparari possunt; adeo vt Ver anni dicatur iuuẽtus, Aestas virilitas, Autumnus senectus, Hyems decrepitas: quis nã iuuentutẽ senectuti non anteponet? ac florens Ver, calescentemq́; æstatem aptiora ad omnia, accommodatioraque ipsa senectute frigida non æstimabit? Cùm itaque verno tempore, quasi in iuuentute anni germinet, rideatq́; ac viridem amictum nãciscatur terra, virescant herbæ, florescant arbores, reuiuiscant animantia cuncta, Mundus gaudeat, exultetque; Autumno verò quasi infirma & occidua decurrente senectute euolet annus, denudetur tellus, decidant folia, marcescant fructus, cuncta à vigore decoreq́; suo corruant; quis non censebit anno Mundi mox conditi pubescentisque iuuentutem magis quàm senectutem, vel partẽ eã, quæ à virilitate ad senectã vergit, congruere, conuenire, & consonare? Hæc mihi ad tuendam Patrum sententiam dicta sint satis.

Veris tempus Mundi productioni aptior.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Vidit Deus quòd bonum.

a. *Quia monumenta essent, quibus homines ad factorem Deum recurrerent.*
b. *Id dicitur de germinibus seiunctim à terra, et aqua; quia successione illa propagentur, ista non; & ista simul fieri potuerint. non germina cum eis.*
c. *Bis repetitur, vt per id septies repetitũ, septem dona Spiritus Sancti significarentur.*
d. *Complacuit in esse, quòd placuerat ab æterno.*
e. *Hoc est, bonum visibile fecit.*

De Editione dictum est supra.

a. *Quia monumenta essent, quibus homines ex facturis, ad factorem Deum recurrerent.*

CHRYSOSTOMVS Homilia quinta in Genesim.

Etenim vidit, ait, Deus quòd esset bonum. Vidisti quomodo per singula, quæ facta sunt, ostendit laudantem opificem, vt homines postea hæc dicentes, ex facturis ad factorem recurrerent. Nam si creaturæ superiores sint, quàm vt ab homine pro dignitate laudari queant: quid aliquis de opifice ipso dicere poterit? Et vidit, ait, Deus quòd bonum.

b. *Dictum est de germinibus separatim à terra, et aqua, tùm quòd successione illa propagentur, ista non; tùm quòd ista simul fieri potuerint, et non germina cum illis.*

AVGVSTINVS de Genesi imperfecto capite vndecimo.

Et iterum dicit; Vidit Deus quia bonum est. Itaque & vno die ista iunguntur, & iteratis Dei verbis distinguuntur ab inuicem. Quod de terra & mari propterea puto non esse factum, quia magis harum rerum est discernenda natura, quæ cùm oriantur & occidant, seminis successione propagantur. An quia terra & mare simul fieri potuerint, non solum in rationibus creaturæ spiritalis, vbi simul omnia facta sunt, sed etiam in ipsa corporali motione: arbores verò, & quæque stirpes, nasci non possent, nisi terra, in qua germinarent, præcessisset: propterea & repetendum erat iussum Dei, vt & facta significarentur distantia, tamen non alio die facienda, propter quod radicibus terræ affiguntur & continuantur.

c. *Bis repetitur in tertia & sexta die, vt per id septies repetitum, septem dona Spiritus Sancti, qui est bonitas, significarentur.*

RVPERTVS Commentarijs in Genesim libro primo, cap. trigesimo.

Et nota, quòd cùm sint bis terni dies, præter septimum qui est diei requies, tam tertius primorum, quàm & tertius sequentium duplici bonitatis laude decorati sunt, vt sicut sunt septem dies, sic & septem sint bonitatis species, septiformem spiritum Dei mirabiliter ex semetipsis contestantes. Illius, idest tertiæ diei, nunc opus ingrediamur.

d. *Complacuit in esse, quod placuerat ab æterno.*

TOSTATVS Postillis in Genesim.

Vidit Deus quòd eßet bonum, idest, iudicauit eße bonum, quia complacuit in existentia, quod placuerat ab æterno in præscientia.

e. *Hoc est, bonum visibile fecit.*

HVGO Carensis in Postillis.

Et vidit Deus quòd esset bonum, idest, approbauit, vel bonum visibile fecit.

De his interpretationibus non est cur multa ventilemus. Quod enim proferunt, certum est, & perspectum. Postrema hæc tamen non adeo genuina, & elegans est existimanda: nam aliud est vidisse Deum, aliud id nobis fecisse visibile; quapropter literæ sensum non attingit.

Anno Mũdi primo. Die tertia.

Vespere, & mane.

a. *Vnius naturæ decidentia, alterius exordium.*
b. *Transactio consummati operis, & inchoatio futuri.*
c. *Id sæpe repetit Scriptura, vt sciamus vesperam esse finem lucis, & mane finem noctis.*

Dies tertius.

d. *Hoc est mora diei, qua Mundum circuit Sol.*

a. *Vnius naturæ decidentia, alterius exordium.*

AVGVSTINVS de Genesi ad literam libro secundo, capite decimoquarto.

Vespera antè & mane non quasi per temporis præteritionem & aduentum dicta sunt, sed per quendam terminum quo intelligitur, quousque sit naturæ proprius modus, & vnde sit naturæ alterius consequenter exordium.

b. *Transactio consummati operis, & inchoatio futuri.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite quartodecimo.

Et facta est vespera, & factum est mane, quod nunc sine Solis cursu videmus fieri non posse. Restat ergo vt intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, & mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerique à mane incipiunt, & ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem diuinæ Scripturæ de rebus humanis ad diuinas res, verba transferre.

EVCHERIVS Commentarijs in Genesim.

Intelligendum, in ipsa hora temporis ipsas operum distinctiones ita appellatas: vesperum, propter transactionem consummati operis: mane, propter inchoationem futuri diei: in similitudinem humanorum operum, quòd plerique mane incipiunt, & in vesperum desinunt.

BEDA Expositione in Genesim.

Aut quasi potuisset esse tempus ante sydera, quùm dies, & horæ, & anni, & menses syderibus distinguantur. Sed suprà diximus, quia noctem propter consummatum opus, & diem propter aliud opus inchoandum vocet: incertum est, vtrum ad omnia sydera pertinet quod dictum est.

c. *Id sæpe repetit Scriptura, vt sciamus vesperam esse finem lucis, & mane finem noctis.*

CHRYSOSTOMVS Homilia asserta.

Vide quomodo iterando frequenter doctrinam, menti nostræ dictorum vim infigere vult. Oportebat enim dicere; Et factus est dies tertius. Sed vide quomodo de singulis diebus sic dicit; Et factum est vesperum, & factum est mane. Non simpliciter, nec absque caussa: sed ne ordinem confundamus, neque putemus vespero ingruente, finem accepisse diem. Sed sciamus quod vespera finis est lucis, & principium noctis: mane autem finis noctis, & impletio diei. Hoc enim docere nos vult beatus Moses dicens; Et factum est vesperum, & factum est mane dies tertius. Et ne mireris dilecte, si hæc sæpe & continuò dicit diuina Scriptura. Etenim post tantam crebritatem adhuc sunt aliqui errore præoccupati Iudæi, qui excæcato corde contendunt, & vesperam initium sequentis diei esse opinantur.

Dies tertius.

d. *Hoc est mora diei, qua Mundum circuit Sol.*

AVGVSTINVS de Genesi contra Manichæos libro primo, capite quartodecimo.

Potuit fieri, vt tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit Sol, ex quo procedit ab Oriente, quousque rursus ad Orientem reuertatur. Hanc enim moram & longitudinem temporis possent sentire homines, etiamsi in speluncis habitarent, vbi orientem & occidentem Solem

Anno Mūdi primo. Dies tertia.

Dies tertius.

a. *Idest, tertia distinctio.*
b. *Hoc est, tertia lucis primordialis reuolutio.*

lem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine Sole, antequàm Sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singulos computari.

a. Idest, tertia distinctio.

GLOSSA Interlinearis habet.
Augustinus tertia distinctio.

b. Hoc est, tertia lucis primordialis reuolutio per horas viginti quatuor, quæuis illa fuerit, siue eius emissio tertia & attractio; de quibus supra.

AVCTOR.

Duas primas interpretationes clarissimum est, Augustinianam prosequi doctrinam autumantem ante quartum diem nullam affulsisse corpoream lucem, sed ipsa temporũ spatia, quæ diem complere possent, & ipsarum rerum distinctionem dies nuncupari. Superest igitur, vt hæc tertia, quanquam hoc loco non allata fuerit à Patribus, sed à me tantùm commemorata, genuina & propria reputetur. En igitur cunctorum germinum, herbarum, plantarum, segetum, olerum, arborum natalia habemus, quibus adeo mirifice venustatur terra, honestatur Mundus; singulare profectò immensumque Dei beneficium. Quis igitur condignas Deo rependet gratias? Quis in conditoris laudes nõ exurget, dum miram varietatem tùm frondium, quarum grato spectaculo pascuntur oculi, tùm florum, quorum longè lateque odor spargitur, tùm etiam fructuũ, quorum suauitate complemur, & corporis & animi oculis inspicit, contuetur, contemplatur? Quis enumerabit, vt inquit Ambrosius, succos herbarum salubres; quis virgultorum, ac foliorum remedia; quis arborum vberes fructus, & in laudes satoris eorum non statim, & absque mora prorumpet? Et quis alius artifex nisi Deus potuit tantam germinũ expromere venustatem? Vnum solummodo lilium consideremus. Cuius demirari nũquam satis possumus, quantus sit candor in folijs, (vt verbis Ambrosij vtar) quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, vt scyphi exprimant formam; aut auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat iniuriæ. Si quis hunc florem decerpat, & sua soluat in folia, quæ tanti est artificis manus, quæ possit lilij speciem reformare? Quis tantus imitator Naturæ, vt florem hunc reintegrare præsumat, cui Dominus tantum testimonium dedit, ut diceret; Nec Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur, sicut unum ex istis? Rex opulentissimus, & sapientissimus inferior iudicatur, quàm huius floris pulchritudo est. Matth. 6.

De genesi Mineralium.

Mineralia omnia die tertia creata.

Mineralia cuncta seu salifera, seu lapidea, seu sulfurea, seu metallica hac die natalia sua habuisse, omnes Patres vnanimi astipulatione decernunt. D. Augustinus cũ asseclis, qui rerum species potestate duntaxat præseminata procreatas fuisse in Mundo autumat, ipse etiam non actu, vt aiunt, sed caussaliter tertia die mineralia vniuersa ortũ excepisse traderet; adeò quòd terra vim ad ea concipienda tantùmmodo susceperit, quò deinde temporũ spatio, ac Solis virtute, tanquam maturato fœtu ipsa parere, atque in lucẽ opportunè posset emittere. Basilius ac Patres omnes, Doctoresq;, qui Mundũ non vnico die, sed sex dierum interuallo, cunctaque rerum genera non virtute solummodo, sed

reuera producta censuere; Mineralia etiam omnia hac tertia die prosilijsse in latentibus terræ uisceribus, alicubi uerò etiam in ipsius telluris superficie, ut terra non externo tantùm, sed interno quoque condecoraretur ornatu, arbitrantur. Quamobrem reliquum est tantùm, ut indagemus: Quorsum Moses eorum genesim non memorarit.

Quare Mineralium natalia non expresserit Moses.

D. THOMAS prima parte, quæst. sexagesimanona, art. secundo, ad secundum: Mosis enarrationem esse de apparentibus rebus non de occultis his deducit.

Ad tertium dicendum, quòd Moses ea tantùm proposuit, quæ in manifesto apparent, sicut iam dictum est. Corpora autem mineralia habent generationem occultam in visceribus terræ: & iterum, non habent manifestam distinctionem à terra, sed quædam terræ species videntur: & ideo de eis mentionem non fecit.

Quòd Mosis historia sit de rebus patentibus non autem de occultis.

D. BONAVENTVRA secundo, distinctione quartadecima.

Ad illud verò, quòd obijcitur de corporalibus mineralibus. Dicendum, quòd quia prout recedunt à natura terræ latent sub terra, non curauit Scriptura specialiter exprimere.

Pererius alteram reddidit caussam, mineralia videlicet non ideo à Mose commemorata esse, quia non efficiunt diuersum gradum rerum à prænarratis. Nam cùm quatuor sint entis gradus, esse scilicet, vegetare, sentire, & intelligere; satis erat Mosi horũ generum nonnulla enarasse. Et cùm metalla eiusdem sint generis, cuius & elementa; ijs explicatis, & hæc esse tantùm possidentia expressisse uidetur.

Quòd gradu naturæ diuerso ab elementis non sint prædita.

Tandem asserunt alij, Mosem solùm ea memorasse, quæ ad hominis vsum, vel oblectamentum in Paradiso esse poterant. At metallorum usum post peccatum non natura, sed humani ingenij solertia præstitit, quæ diuturno labore undique dilaniatis terræ uisceribus ipsa eruit, expurgauit, & conflauit.

Quòd homini ante lapsũ non fuerint necessaria.

AVCTOR.

Non immeritò equidem hæc postrema caussa redarguenda uenit, atque exploden-da. Nam esto, quòd nil homini, uel ad profectum, uel ad animi oblectamentum mineralia contulissent, non prætermittenda tamen erant à Mose, qui Mundi sensilis, cunctarumque rerum genesim in sua mirifica historia tradere contendebat. Atque ob hanc eandem rationem suaderi non possum, mineralia, quoniam occultam confusamq; habeant generationem, seu quia ad unum entium gradum memoratum redigi possint, Mosem suppressisse, ac silentio inuoluisse. Sed potius ea de caussa illum reticuisse mineralium effectionem puto, quoniam grauissimorum historicorum breuitati consulentium mos sit, multa silentio præterire, quæ ex dictis [illegible] Quod certè Mosem ubique obseruass[illegible]

est. Prætermisit na[illegible]

sun[illegible]

Refellitur postrema adducta caussa.

Ex dictis à Mose percipi min[illegible]

Meteorologicorum varia genera.

sint, breuissimamque uitam degentia) ad Mundi pulchritudinem, commoditatemque mirifice conferentia? Harum siquidem impressionum aliæ apparentes sunt nullo insito uapore; quarum aliæ in Cœlo fulgent, ut Galaxia, lumen diffusum, ac protensum ex radijs minutarum stellarum; aliæ in aëre apparent, ut colores in nubibus. Quis autem non obstupesceret caussas inuestigans nubium, quare alia appareat atra, alia alba, alia purpurea, alia clarescat, & alia nigrescat quasi uinum, & alia uirescat? Quid de Halo circulo, qui Latinè corona dicitur? Quid de Iride multiplices formas suscipiente disserere quis posset? Aliæ uerò ex uapore congeruntur: & harum quis inuestigabit eas, quæ ex uapore sicco, calido, & inflammato gignuntur? ut stella Cometes, seu comata, seu barbata, seu caudata. Quis de ignibus magnis & paruis scitè philosophari poterit? tùm de illis qui in suprema & calidissima regione aëris gignuntur, ut columnæ piramidales, candelæ ardentes, lanceæ accensæ; tùm de illis, quæ in media regione conglutinantur, ut capræ saltantes, sydus uolans, Draco tortuosus: & tandem de ipsis, quæ in infima regione remanent, ut stipulæ ardentes, domus combusta, & candela accensa. Mirificæ quidē hæ omnes: sed nō minori stupore dignæ, quæ ex uapore humido aqueo, & frigido conflantur, ut ros, mel, & manna, pruina, nubes, pluuia, caligo, nix, grando, & granedula. Admirandæ & illæ, quæ ex uapore sicco, frigido, & terrestri conficiuntur. Et ex his aliæ in aëre conflantur, ut uenti, quos uetusti duodecim enumerarunt. Horumque cardineos quatuor dixere, Boream, Austrum, Subsolanum, Zephirum, à quatuor Mundi plagis, Polis inquam, Ortuq; simul & Occasu eos exufflare diffinientes. Aliæ in terra gignuntur, ut Terræmotus, quo quandoque tremore, & quandoque terræ scissione Deus mortales conterit, & inanimes reddit. Sunt alia duo non minus stupenda impressionum genera. Nam si uapor in uapore, uapor inquam siccus terrestris in humido conclusus, & obstrictus agitatur, & inflammatur, quis nō expauescit horrificam impressionem tunc prodeuntem, sonorum nempe, ac perstrepens tonitruum, quo Cœlū contremit, & concussa omnia quatiuntur, unaque rapidissimum ac ineuitabile mortalibus fulmen. Quòd si non inflammatur, quanta est uenti illius tunc geniti, qui turbo dicitur, concitatio, & ruina? Hæc igitur, licet naturæ imbecillis admodum, & fluxæ existāt, stuporē attamē rectè perpendentibus Dei opera incutiunt, timorēq; & amorē illius hominum pectoribus inserunt: timorem inquam, quòd in his arma prospiciant iustitiæ ultricis, quibus turres deijciuntur, Vrbes solo æquātur, montes prosternuntur; nec contra terræ quassationes, rapidumque fulguris impetum, Reges communire se possint; imbrium quoque diluuie, seu uentorum pertinacia, nimia quandoq; difficultas, & caritas annorum sum... ...tas inferatur; rursus algore, seu ardore cuncta sæpius ...ium opportuna exundan... ...orrentis caloris sedata ...eorole...

Meteorologica quid homini spiritualiter conferant.

[illegible]

